8190

HIPPOCRATIS
COI
MEDICORVM OMNIVM
FACILE PRINCIPIS

Opera,

9
145

QVIBVS ADDIDIMVS

COMMENTARIA
IOANN. MARINELLI,

In quibus morbi omnes, earumque causæ, signa, ac curationes, quæ in Libris Hip. dispersim scribuntur, vnà copulantur, atque tractantur.

Deinde voces, ac loca in Hip. Libris obscura, & difficilia ex Galeni sententia declarantur:

Postea sententiæ plurimæ, quæ ab Hip. dignitate ob translationes perperam factas alienæ videntur, antiquorum auctoritate sunt correctæ:

Præterea multa, quæ sæpè leguntur in eiusdem Libris, quæ à seipsis aliàs dissentire videntur, ea conciliata sunt.

Ac tandem Index omnium copiosissimus.

Noua, & Argumenta in singulos libros per Ioan. Culman. Geppingen. sunt addita.



VINCENTIÆ, MDCX.

Sumptibus Franciſci Lenij, & Orlandi Iadræ,
Bibliopolæ Patauini. *Cum Licentia Superiorum.*

P. III f. Manuel Anglès

COI

FACILE PRINCIPIS



CLARISSIMO VIRO
ANTONIO NIGRO
EQVITI PONTIFICIO,
Et in patrio Gynasio Medicinæ professori.

FRANCISCVS LENIVS. S. D.

VT variæ sint de hominibus bene merendi rationes, in quas boni omnes aliquid studij conferunt; ea mihi præclara, & præstare cæteris videtur, qua publica salus quæritur. Nam et ciuilium societatum necessitudines; & populorum communiones, et adeo ciuitatum administrationes; hominum ruina concidunt: vt qui sospites eos, sanosque seruat, orbis pene imperium ingenti merito sustineat. Ista laus est medicinæ, quæ aut rudis esset, aut omnino non esset sine libris; ex quibus velut ex communi lacu aquæ, sic hauriuntur artis præcepta multorum vsu, obseruationeque efformata. Sed enim vt ad splendidum ædificium magni interest, quàm conquisitos ad id opus arctus tectos seligas; ita refert, ex quibus libris solida medicinæ fundamenta eruantur.

Quamobrem è re omnium factutum me duxi; si nuperrimè auctum, et distributum Hippocratem, quem vel vetus, vel nostra ætas post Aesculapium secundum habet, recuderem; quò facilius ob exemplarium copiam omnium manibus tereretur. Cuius verò nomen tam illustri operi aptius præponerem, quàm tuum? Tu, Vir Clarissime, Hippocratem, qui tibi fuit non crescentis, sed adultæ iam gloriæ materia, iure amas; et, siue medendo, siue erudiendo sic exprimis; vt non eius virtus, sed nomen tantùm tibi desit. Affinitas ergo doctrinæ te inseri postulabat huic libro; cui dignitates aliæ tuæ non ex illo solo fonte fluentes, ad quas tum Summi Pontificis amor, tum Patauina Resp. semper verò virtus te extulit; tantum erant decoris allaturæ, quantùm in Hippocrate ornamenti esse potuit. Adfectum, quo tibi iam dudum me applicui, dicamnè etiam eius rei causam? Negare non possum; quanquàm illubenter affirmo; quòd clariori symbolo secretum erga virtutes tuas amorem meum emanare voluissem. Sed patiere, spero, istud qualecunq; est, quod edo, aliquod esse: aut, si obscurius est, saltem pro innata tibi humanitate, & meam voluntatem, et obseruantiam in te benignè interpretabere. Numen te sospitem oseruet, litteris, patriæ, tuis omnibus.

Datum Patauij Anno Domini. M D C X. Die XVI. Maij.

INDEX LIBRORVM.

Hippocratis vita, ex Sorano
Hippocratis Iusiurandum
Lex Hippocratis fol. 1
De arte liber. 1
De veteri medicina 3
De medico. 6
De decenti ornatu. 7
Præceptiones. 8
De natura hominis. 10
De salubri diæta, Polybi 12
De genitura. 13
De natura pueri seu fœtus. 14
De carnibus. 18
De septimestri partu. 20
De octimestri partu. 21
De superfœtatione. 22
De exsectione fœtus 24
De dentitione. 24
De corporum resectione. 25
De corde. 25
De glandulis 26
De ossium natura, tum Mochlicus, ideſt, Vectiarius, 27
De locis in homine. 30
De aere, aquis, & locis. 35
De flatibus. 39
De medicamentis purgantibus. 41
De diæta siue victus ratione, lib. 41
Liber secundus. 45
Liber tertius. 49
De insomnijs. 52
De alimento. 53
De humidorum vsu. 54
De humoribus. 55
De morbo sacro. 57
De morbis, liber primus. 60
Liber secundus. 64
Liber tertius. 71
Liber quartus 74
De affectionibus. 79
De internis affectionibus. 84
De virginum morbis. 92
De natura muliebri. 93
De morbis mulierum, liber primus. 99
Liber secundus. 112
Nota ad finem primi libri de morbis mulierum adiecta. 121
De sterilibus. 122
De morbis popularibus, liber primus. 126
Liber secundus. 130
Liber tertius. 133
Liber quartus 136
Liber quintus. 139
Liber sextus. 143
Liber septimus. 147
De victus ratione in morbis acutis. 153
De iudicationibus. 160
De diebus iudicatorijs. 161
Aphorismi in 7. sectiones distincti. 162
Prænotiones. 166
Prædictionum liber primus. 169
Liber secundus. 171
Coacæ prænotiones. 175
De Capitis vulneribus. 182
Chirurgiæ officina. 185
De fracturis 187
De articulis. 193
De vlceribus, 204
De fistulis. 205
De hæmorrhoidibus. 206
De visu. 207
Hippocratis epistolæ ad alios, tum aliorum ad ipsum, & ad alios. 208
Accessit
De hominibus structura. 215

FINIS.

IN LIBROS HIP. CENSVRA

EX GALENO, ET EROTIANO VETVSTISSIMO VERBORVM HIP. INTERPRETE.

CVM Hippocratis opera sint interprisca monumenta collocanda; tempus, incuria, ac librariorum insitia fuerũt in causa, vt multa mutilata sint, & deprauata: alia aucta, alia commutata, quas ob causas factum est, vt infinita ferè loca, & difficilia & ab Hip. autoritate aliena existimentur. vnde plurimi ipsius libri non leguntur nisi quidam, qui à Galeno expositi sunt. tamen cum in reuoluendis Gal. libris viderimus libros Hip. plures ab ipso comprobatos. operæ pretium nos facturi duximus, si loca, in quibus Gal. recensetde libris Hip. nos explicemus, & libros Hipp. plurimos germanos esse declaremus. deinde, cum ab Erotiano vetustissimo verborum Hip. interprete declarentur, quinam sint Hipp. libri: verba ipsius quoque Gal. auctoritati adiungemus.

Librum de Nat. hu. non solum affirmat Galen. esse Hip. sed ipsum interpretatur.

Librum de Salubri dieta negat esse Hip. sed Polybi potius.

Librum de Natura pueri, seu fœtus citat Galen. in lib. 6. de morb. pop. com. 3. par. 1. & hunc vult. esse legitimum.

Librum de Aere, aquis, & locis ait Galen. Hipp. esse in lib. 6. de Mor. pop. com. 3. par. 4.

Librum de Alimento citat in com. 2. aph. 11. & aph. 16. & 18. eiusdem libri.

Librum de Humidorum vsu nominat in l. 6. de Mor. pop. com. 3. par. 14.

Librum de humoribus citat Gal. in lib. 6. de morbo. pop. com. 2. pa. 2. atque hoc tempore interpretatio Gal. in eundem legitur,

Libros de Morbis citat Gal. in lib. 3. de morb. pop. cõ. 2. par. 8. verum alibi negat Hip. esse veros.

Librum de passionibus dubitat Gal. in com. 6. aph. 9. Hip. sit, an Polybi eius discipuli.

Librum de Internis affectionibus nominat Gal. in li. 6. aph. 27. & inquit. quos quomodo vrere oporteat dixit in libro magno de passionibus, cuius initium Pulmonis arteria. quidam verò hunc librum inscribunt de suppuratis.

Libros de Morbis Muliebribus commemorat Gal. in lib 4. apho. 2. & lib. 5. aph. 45.

Librum de Vict. ratione in mor. acu. Galenus interpretatur, & in plurimis locis de ipso mentionem fecit.

Libros Aph. interpretatur, & millies citat.

Libri Progno. expositor est Galen. & legitimum esse asserit.

Libros Pror. negat esse Hip. & in com. proprijs, & in li. 3. de morb. pop. com. 1. par. 29.

Librum de Coacis prænotionibus non esse Hipp. affirmat Gal. in loco prædicto, & in lib. 3. de morb. popu. com. 2. in principio vbi ait, commentarios in librum de Fracturis, & articulis, & in librum de Vlceribus, & vulneribus capitis, in Aphorismis atque præsagia scripsit in lib. de Chirurgiæ Officina.

At in proœmio quod facit Erotianus in collectione sua vocum, quæ apud Hipp. sunt, hoc pacto scribit de libris Hip.

In illis voluminibus, quæ verè Hippo. nomine circunferuntur, alia sunt significatiua: alia naturalia, alia causatiua: alia verò curatiua: nonnulla autem spectantia ad artis præcepta. & horum quæ ad curationem referuntur, alia spectant ad victus instituendi rationem: alia verò ad Chirurgiam alia autem sunt omnino mixta, quæ, cum ita sint, non ab re esse existimo prius omnem librorum numerum recensere. quod cum perfecero; ad singularum vocum explicationem accedam.

Significatiui igitur libri sunt hi.

Prognosticum.

Prorrheticum, primus scilicet, & secundus, quos non esse Hip. in alijs ostendemus.

De Humoribus.

Causatiui verò, ac naturales sunt.

De flatibus.

De hominis natura.

De Sacro morbo.

De Natura pueri.

De locis, & de Anni temporibus.

Ex his verò, qui ad medendi rationem pertinent. Chirurgiæ inseruientes sunt.

De Fracturis.

De Articulis.

De Vlceribus.

De Vulneribus & telis.

De Vulneribus capitis.

De Officina medici.

De Vecte curandis.

De Hæmorrhoidibus.

De Fistulis.

Qui ad victus rationem spectant, sunt.
De morbis primus, & secundus.
De Ptisana.
De locis in homine.
De morbis mulierum primus, & secundus.
De Alimento.
De sterilibus.
De Aquis.

Qui immixtam materiam tractant, sunt.
Aphorismi.
De morbis popularibus septem.

Ex his quæ pertinent ad artis præcepta, sunt.
Iusiurandum.
Lex.
De Arte.
De Veteri medicina, &
Oratio legationis ad aram.

HIPPOCRATIS COI

Vita ex Sorano.

Argumentum in vitam Hippocratis, auctore Joan. Culmano Geppingen.

1 *Hippocratis patria, genealogia, & præceptores. Hippocrates Cnidiorum bibliothecæ combustæ criminis falsè accusatur. Peregrinationum eius, & patriæ deserendæ causæ.*

2 *Prædiccas tabe ab Hippocrate liberatus. Idem Democriti causa Abderam vocatus. Pestem Græciæ imminentem præuidit. Patriam belli periculo liberauit. Quos apud suos exterosque honores consequutus. Hippocratis in docendo dexteritas.*

3 *Eiusdem obitus, sepultura, & imago.*

4 *Descriptis Hippocratis diuersæ opiniones. Hippocrates pecuniarum contemptor.*

1 HIppocrates genere Cous fuit, Heraclidæ & Praxitheæ filiæ Phenaretes filius. Ad Herculem autem, & Aesculapium originem generis sui referebat, ab altero que se vigesimum, ab altero decimum nonũ se numerabat. Eius autem genealogię Eratosthenes mentionem facit, & Pherecides, & Apollodorus. Arius item Tarsensis. Cæterum parentis sui Heraclidæ discipulus fuit, deinde Herodici, & vt quidam tradunt, Georgiam Leontinum rhetorem audiuit, & Democritum philosophum Abderitem. Floruit temporibus Peloponesiacis, natus (vt Istomachus ĩ primo de Hippocratis secta tradit) primo octogesimæ Olympiadis anno. Soranus verò Cous, qui Coorum bibliothecas perscrutatus est, addit, sub Abriadæ monarchia, Agriani mẽsis septima & vigesima die: in qua etiam vsque in hũc diẽ Coos Hippocrati omnia sacra facere tradit. Porrò quum in arte Medica totoque disciplinarum orbe exercitatissimus esset, functis vita parentibus, ex patria discessit, vt quidem malignè de eo Andreas in eo quẽ de Medicinæ origine scripsit libro prodit, propterea quòd publicam Cnidiorum bibliothecam igne concremasset. Alij autem eo proposito eum patriam reliquisse dicunt: vt rei Medicæ effectus, & successum per multos locos cognosceret, & in his varijs modis exercitaretur. Quemadmodum verò Soranos Cous narrat, Summus Deus eum per somnium admonuit, quo se ad Thessalorum regionem inhabitandam conferret.

2 Cæterum per omnem Græciam Medicinæ gloria omnibus admirationi fuit, adeò vt etiam à Perdicca Macedonum rege, fuit tale laborare putabatur, vocatus publicè sit: ad ipsumque vna cũ Euryphõte, qui ipso ętate maior erat peruenit, animique hunc regis affectum esse certis signis deprehendit. Post mortem enim Alexandri parentis, vnam ex pelicum eius numero Philam nomine Perdiccas deperibat: ad quam quum rem ipsam Hippocrates detulisset, postea ex illius conspectu omnino illum mutari obseruauit, atque itaque morbo depulso regem conseruauit. Vocatus est & Abderam, quo præsens ipse Democritum ab insania liberaret, atque eo sanato à tota vrbe pestem depelleret. Quin & in Illyricorum Pæonumque barbarorum terras peste ingruente, & illarum gentium regibus ipsum ad se vocantibus, quum à legatis ipsorum, qui venti illis regionibus vigerent, didicisset, ipsos re infecta dimisit. At verò quum prudenti ratiocinatione pestem in Atticam grassaturam præuidisset, futurũ id prædixit, & tum ciuitatum, tum discipulorum curã gessit: intantumq; Græciæ amator fuit, vt quum ipsius nominis celebritas vsq; ad Persas diuulgaretur, atque ea gratia ab Artaxerxe per Histanidem Hellesponti præfectum, magnis muneribus, & precibus, vt ad ipsum veniret inuitaretur, ob honestatem, argentique contemptum, ac Græciæ amorem, regi id denegarit, quemadmodum & hoc ex epistola eius ad illum manifeste ostenditur. Propriam porrò patriam liberauit, quum Athenienses ei bellum illaturi essent, Thessalis ad auxilium ferendum rogatis. Quapropter splendidos honores apud Coos consequutus est; immò & apud Thessalos Argiuosque, & Athenienses, qui eum Eleusinijs sacris secundum ab Hercule publice initiarunt, & ciuem conscripserunt, atque in Prytaneo alimenta tum ipsi, tum posteris eius dederunt. Liberaliter autem, & minimè inuidiosè studiosos artem edocuit, decenti iureiurando prius adstrictos.

3 Vita functus est apud Lariſſæos, quãdo & Democritus obijsse traditur: atque alij quidem nonagesimo ætatis suæ anno, alij octogesimo quinto, alij centesimo quarto, quidam verò centesimo nono decessisse tradunt. Sepultus autem est inter Gyrtonem, & Lariſſam, vbi vsque in hunc diem monumentum eius cernitur: in quo sanè ad multum tempus examen apum mellificantium erat, quo melle ad infantum oris vlcuscula iuxta tumulum illito, nutrices ea facile persanabant. Porrò in multis imaginibus velato capite pingitur, vt quidam aiunt, pileo, quod nobilitatis signum est (nam hoc modo etiam Vlysses pileatus cernitur) alij autem pallio velatum dicunt; Atque ex his aliqui decoris gratia id fieri asserunt, quandoquidem caluus erat; aliqui verò ob capitis imbecillitatem id fieri perhibent: aliqui autem significanter id ab eo factum volunt, nimirum quòd principem rationalis animæ sedem probè munitam & contectam esse oporteat. Alij signum peregrinationes

tiones amantis esse ferunt: alij verò rursus obscuritatem scriptorum ipsius per hoc significari contendunt. Alij postremum in testificationem id fieri volunt, quòd etiam sanitatis tempore ea, quæ lædere possunt, cauere debeamus. Quanquam quidam affirment, quòd in administratione rerum gerendarum, ne quid à circumfluo pallio manus ipsius impediretur, id ipsum complicatum in caput reijcere consueuerit.

4 Cæterũ de scriptis ipsius multa dissensio est, quare fit, vt quum alia alij opinentur, nõ facile sit de ipsis certum quid pronunciare, ob multas præsertim causas quæ iudicij certitudinem obfuscant: velut est primum quidem cognomen. Secundo quòd dictionis characterẽ possibile sit seruare. Tertio quod vnus, & idem modò robustiore, modo remissiore dictione per ætatem vtatur: neque desunt etiam aliæ præter has causas, si referre libeat. Pecuniarum autem penitus contemptor fuit, moribusque sanctis, ac Græcorũ amator: quare etiam gentiles suos summa diligentia curauit, adeò vt à peste omnes ipsorũ ciuitates liberarit, quemadmodum supra dixi. Vnde, & splendidos honores non apud Coos tantũ, sed & apud Argiuos & Athenienses est consequutus. Filios à morte reliquit duos. Thessalem, & Draconem: discipulorum verò magnum numerum. Clarissimi verò ipsius filij fuisse perhibentur.

HIPPOCRATIS COI

Iusiurandum.

Argumentum in Iusiurandum Hippoc.

1 *Dij Medicorum. Præceptorum cultus.*
2 *Aegrotorum cura. Medici integritas. Chirurgia quatenus tractanda.*
3 *Arcana per Medicum non effutienda.*

1 APollinem Medicum, & Aesculapium, Hygeamque, ac Panaceã iuro, deosque omnes, itemq; deas testes facio, me hoc iusiurandum, & hanc contestationem conscriptam pro viribus, & iudicio meo integrè seruaturum esse. Præceptorem sanè, qui me hanc edocuit artẽ, parentum loco habiturum, vitam communicaturũ: eaque, quibus opus habuerit, impertiturum: eos item, qui ex eo nati sunt, pro fratribus masculis iudicaturum, artemque hanc si discere voluerint, absq; mercede, & pacto edocturum; præceptionum, ac auditionum, reliquæque totius disciplinæ participem facturum, tũ meos, tum præceptoris mei filios, imò & discipulos, qui mihi scripto cauerint, & Medico iureiurando addicti fuerint, alij verò pter hos nulli.

2 Cæterùm quod ad ægros attinet sanandos, diætã ipsis constituam pro facultate, & iudicio meo commodam, omneque detrimentum, & iniuriam ab eis prohibebo. Neque verò vllius præces apud me adeò validæ fuerint, vt cuipiam venenum sim propinaturus, neque etiam ad hanc rem consilium dabo. Similiter autem neque mulieri pessum corruptorium dabo. Porrò præterea castè, & sanctè vitam, & artem meam cõseruabo. Nec verò calculo laborantes secabo, sed viris chirurgiæ operarijs eius rei faciẽdæ locum dabo. In quascunque autem domos ingrediar, ob vtilitatem ægrotantium intrabo; ab omnique iniuria voluntaria inferenda, & corruptione, quum alia, tum præsertim operum venereorũ, abstinebo; siue muliebria, siue virilia, liberorumve hominum, aut seruorum corpora mihi contigerint curanda.

3 Quæcunque verò inter curandum videro, aut audiero, imò etiam ad medicandum non adhibitus, in communi hominum vita cognouero, ea, si quidem efferre non conferit, tacebo, & tanquam arcana apud me continebo. Hoc igitur iusiurandum mihi integrè seruanti, & non confundenti, contingat & vita, & arte feliciter frui, & apud omnes homines in perpetuum gloriam meam celebrari. Transgredienti autem, & pererranti, his contraria eueniant.



HIPPOCRATIS COI LEX.

Argumenta in Legem Hippocr.

1 *Medicina artium præclariſſima. Medicinæ contemptus vnde.*
2 *Ad Medicinam ſciendam quibus ducibus opus.*
3 *Medici veri qui. Imperitia eorum malus theſaurus.*

1 MEDICINA omnium artium præclariſſima eſt: verùm propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro Medicis iudicat, & habet, iam eò res deuenit, vt omnium artium longè viliſſima cenſeatur. At verò hoc peccatum ob hanc potiſſimum cauſſam mihi committi videtur: ſoli namque Medicinæ nulla pœna in Reb. publicis ſtatuta eſt, præterquam ignominiæ: verùm hęc ipſa non afficit, neque contiugit eos qui ex compoſito perſonam ipſius induerunt: ſimillimi enim huiuſmodi Medici ſunt perſonis, quæ in tragœdijs introducuntur: quemadmodum enim illi figuram quidem, & habitum, ac perſonam eorum, quos referunt, habent, illi ipſi autem verè non ſunt: ſic & Medici fama quidem & nomine multi, re autem, & opere valde pauci.

2 Quiſquis enim Medicinę ſcientiam ſibi verè comparare volet, eum his ducibus voti ſui cõpotem fieri oportet, Natura, Doctrina, Moribus generoſis, Loco ſtudijs apto, Inſtitutione à puero, Induſtria, & tempore. Primum quidem igitur omnium natura opus eſt: natura enim repugnante, irrita omnia fiunt: ſi verò natura ad optima viam demonſtret, artis doctrina facilè contingit: quam ſanè cum prudentia ſibi comparare oportet, ita vt à puero inſtitutio accedat, atque id in loco à natura ad diſciplinam apto. Amplius autem & Induſtriam adhibere oportet: eamque ad multum omnino tempus, quo diſciplina ipſa inſita, feliciter & cum profectu fructus ſuos producat: qualis enim eorum, quæ terra producit conſideratio eſt, ei uſmodi etiam diſciplinæ Medicinæ per omnia ſimiliter exiſtit. Natura enim noſtra, velut ager eſt: dogmata præceptorum, velut ſemina ſunt. Inſtitutioni à puero cum eo conuenit, quòd opportuno tempore ſemina in aruum cadere oportet. Locus autem, in quo diſciplina contingit, eſt velut ambiens aer, à quo è terra naſcentibus nutrimentum accedit. Induſtria autem, cultura eſt. Tempus poſtremum hæc omnia corroborat, vt perfectè enutriantur.

3 His igitur ad artem Medicam allatis, & vera ipſius cognitione comparata, tandem per vrbes obambulando, non ſermone tantum, ſed & opere Medicos haberi conuenit. Imperitia verò malus theſaurus eſt, & infelices opes his, qui eam repoſitam habent, & inſomnium, aut potius ſomnium diurnum, & maxime verum, alacritatis fiduciæque, ac veræ exultationis expers, timiditatisque & audaciæ nutrix. Timiditas equidem impotentiam, audacia verò ignorantiam artis ſignificat. Duo enim ſunt, ſcientia & opinio, quarum altera quidem ſcire facit, altera verò ignorare. Cæterùm res ſacræ ſacris hominibus demonſtrantur: prophanis id fas non eſt, prius quàm ſcientiæ origijs initientur.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Arte.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Contra artium ineptos calumniatores, & quòd in hos sit animaduertendum.*
2 *Artes omnes esse.*
3 *Artibus nomina ex speciebus imponi.*
4 *Medicina quid.*
5 *Fortunam in curandis morbis nihil posse.*
6 *Res non naturales curant morbos.*
7 *Ars ex recto & non recto cognoscitur.*
8 *Alio argumento Medicinam artem esse comprobat.*
9 *Casus spontaneus non est. Sine causa nihil fieri.*
10 *Medicina ex his est, quæ propter quid sunt excogitata.*
11 *Medicorum in aggrediendis morbis cura ac studium.*
12 *Aegri quomodo sub morborum principia adfecti.*
13 *Morbi desperati neglecti, Medicinæ non imputandi.*
14 *Affectionum vis, non ars accusanda est, si Medicus finem suum non consequitur.*
15 *Ratio actiones plene absoluit.*
16 *Morbi duplices, manifesti, & occulti: & quòd horum certæ etiam sint medelæ.*
17 *Morbi obscuri qui. Ventriculi corporis duo qui cibos suscipiunt, & dimittunt. Musculi corporis.*
18 *Articulorum ligamenta quæ.*
19 *Morborum obscurorum fera cognitio quibus impudenda.*
20 *Naturæ in morbis depellendis prouidentia. Morborum causas nosse, eorumque impetum reprimere, eiusdem est scientiæ. Qui, & qua ratione à morbis superentur.*
21 *Morborum clandestinorum cura, quàm desperatorum magis admiranda.*
22 *De excrementis, & qua ratione morbi ex his cognoscantur.*
23 *Medendi arti cur serius fides habeatur. Medicus factis, non dicendo præstet.*

1 SVNT quidam, qui id esse artem putant, reliquas Artes turpiter incessendo dehonestare: atqui id quidem veluti putant, non transigunt, vt ego sanè assero, sed propriam cognitionem, ac scientiam ambitiosè ostentant. Mihi verò inuenire aliquid eorum, quæ nondum inuenta sunt, quod ipsum notum, quàm occultum esse præstet, scientiæ votum ac opus, esse videtur: similiterque & semiperfecta ad finem perducere, & absoluere. At verò verborum inhonestorum arte ad ea, quæ ab alijs inuenta sunt confundenda, promptum esse, nihil quidem corrigendo: eorum verò, qui aliquid sciunt inuenta apud ignaros calumniando, non sanè scientiæ votum, aut opus esse videtur, sed proditio magis naturæ suæ, aut ignorantia artis: solis enim artis ignaris hoc ipsum factum conuenit, qui cõtentiose quidem gestiunt, ac conantur, nequaquam verò possunt maliciei sufficere, ad hoc vt aliorum opera, quæ quidẽ recta sunt, calumnientur; quæ verò non recta sunt, reprehendant. Eos quidem igitur, qui in alias artes hoc modo irruunt, quibus hæ curæ sunt, quorumque id interest, & præstare hoc possunt, prohibeant. Præsens verò sermo his, qui medicinam eo modo inuadunt, aduersabitur, confidens quidem & animatus propter vtilitatem eorum, quos insectatur: copiosus verò ob artem, qua præstat & auxiliatur: potens autem ob sapientiam, qua est eruditus.

2 In vniuersum itaque nulla videtur mihi ars esse, quæ non existat: absurdum enim est, aliquid esse putare, quod non est: quoniam eorum quæ non sunt, substantiam non videns aliquis quomodo denunciare possit quòd sint? si enim non existentia videre non datur, quemadmodum existentia; haud equidem scio, quomodo quis mente concipere queat ea, quæ non sunt, quemadmodum ea quæ sunt, quę certè oculis videre est, menteque intelligere, quòd sunt. Verùm vt ea nec videas, nec intelligas, non similiter contingere potest. Sed existentia quidem semper videntur ac cognoscuntur: non existentia autem, neque videntur, neque cognoscuntur.

3 Cognoscuntur itaque demõstratis iam artibus, & nulla est ars, quæ nõ est specie quadam rerum videatur; arbitror: que sanè ego etiã nomina artibus ex speciebus accipi, & imponi: absurdũ enim est, existimare ex nominibus species rerũ germinare, & prouenire: imò etiam impossibile existit. Nomina enim lege quadam naturæ indita sunt: species autem rerum non lege sancitę sunt, sed naturæ germina existunt. Atque hæc quidem si quis ex prædictis non ad plenum intelligat, in alijs sermonibus fortassis clarius edocebitur. De medicina verò, vtpote de qua hic institutus est sermo, claram demonstrationem faciam: & primum sanè definiam quod sentio.

4 Medicinam esse morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere, & eorum qui à morbis victi sunt, curationẽ non aggredi, quum id incõfesso sit, quòd medicina tales sanare non possit. Quomodo igitur hęc medicina faciat, & quali omnino facultate præstet, de hoc iam reliquum sermonem instituam. Cęterũ in artis demonstratione simul etiam sermones illorum, qui eam dehonestare contendunt, quatenus quisque eorum sibi quid transegisse visus est, reuellam. Principium itaque sermonis hoc erit, cui omnes assensuros scio.

5 Quòd quidẽ aliqui à medicina curati sanitati restituuntur, confitentur: quòd verò non omnes, ob hoc iam ars ipsa vituperatur: aiuntque hi, qui eam petius incessũt, quòd hi, qui a morbis apprehendũtur, eosq; euadunt, fortunę ope euadãt, & nõ auxilio ipsius artis. Ego verò non priuabo quidem ipse fortunam, tanquam nihil operæprecij faciat: puto enim morbis, qui male curantur, vt plurimum infortuniũ accedere: qui verò bene, eos bonam fortunam nãcisci. Postea verò interrogo, quomõ possibile est, sanatos

aliud

aliud quam artem causari, si quidē eius vsu,& ministerio sunt sanati? nudam enim fortunæ speciem eos respicere ac sequi noluisse, ex hoc apparet,quòd seipsos arti concrediderunt.quare à gratia fortunæ referenda liberi sunt:ab ea verò quæ arti debetur, minimè se vendicare possunt,quò minus ei sanitatem acceptum ferant:in hoc enim quòd ei se commiserunt ac concrediderunt, palam est ipsos speciem eius esse contemplatos: vim verò eius patrato opere cognouerunt.Dicet sanè hic aduersarius, quòd multi iam ægri etiam citra medicorum vsum sint sanati: & ego id dicētibus credo. Videtur autem mihi omnino fieri potuisse,vt & qui medicis non vsi sunt,in medicinam inciderint;non tamē vt scierint quod in ipsa rectum fuerit,& quod non rectum:alioqui contigisset, vt seipsos eodem penitus modo curassent,quo curati fuissent,si medicos adhibuissent. Et hoc tandem magnum signum est essentiæ ipsius artis: nempe artem esse, & quidem magnam, quando sanè etiam hi qui eam esse non putant,per ipsam seruati apparent:valde enim necessarium est,nosse eos qui medicis etiam non sunt vsi,si ægrotauerunt,& conualuerunt;quòd aut facientes aliquid,aut non facientes sanati sunt.

6 Aut enim media,aut edacitate,aut vberiore potu, aut siti, aut balneis, aut illuuie, aut laboribus, aut quiete, aut somnis, aut vigilia, aut his omnibus promiscuè vtentes cōualuerunt.Et sanè propterea quòd opem senserunt, valde necessarium est ipsos nosse, quòd fuerit aliquid quod opem tulerit. Et rursus si quid detrimenti acceperunt,necesse est & detrimentum nosse, & quòd fuerit aliquid quod damnum dedit, ac læsit: non enim quiuis cognoscere potest ea, quæ commoditate,& detrimento sunt disparata. Si igitur is,qui ægrotauit, siue laudare, siue vituperare nouerit quid ex diæta, per quam conualuit; omnia hæc medicinæ esse comperiet: & sunt nihil minus ea, quæ damno fuerunt, quàm ea, quæ opem tulerunt,in testimonium arti,quòd ars ipsa sit.

7 Quæ enim profuerunt, ob rectum vsum profuerunt:quæ verò nocuerunt,ob id quòd nō rectè vsurpata sunt,nocuerūt. Atqui vbi rectum,& non rectū, vtrunque suum finem habet, quomodo quis hoc artem esse neget? hoc enim ego artis expers esse dico, vbi neque rectum neque non rectum aliquid existit. Vbi verò vtrumque horum inest, quomodo hoc non artis opus,sed potius inartificialitatis existat?

8 Amplius autem si ex pharmacis purgātibus, & aluum sistentibus solum, tum medicina, tum medici sanationem facerent; infirmus sanè sermo meus meritò iudicaretur.Nūc verò hi,qui inter medicos maximè laudati sunt, & diæta, & alijs medicaminum formis sanant,quas ne idiota quidem artis ignarus si audiat,nedum medicus,artis esse negare queat.

9 Vbi igitur nihil neque in ipsis bonis medicis,neq; in arte medica inutile est,sed in plurimis eorum,quę ex terra nascuntur,& eorum etiam,quæ fiūt, species & formæ insunt medelarum & pharmacorum; non est,quòd amplius aliquis eorum,qui sine medico cōualuerunt, casum spontaneum vero sermone vehere possit,tanquam causam suæ sanationis: spontaneum equidem nihil esse apparet,ac deprehenditur. Omne enim quod fit, propter quid fieri comperitur, atque etiā in singulis adeò propter quid fieri videtur:spontaneum verò nullam essentiam habere comperitur, sed nudum tantùm nomen.

10 Medicina autem tum ex his, quæ propter quid de industria excogitata sunt,esse apparet,tum essentiam amplius habere conspicitur. Quare his quidem,qui fortunę sanitatem acceptam ferunt,artiq; derogant, hæc,quæ dixi,respondere quis possit. Cæterum eos, qui ob morientium calamitatem, artem demoliri contendunt,miror quanam memorabili ratione commoti, intemperantiam quidem morientium causam mortis non statuunt: scientiam verò eorum,qui medicinam exercent, accusant, tanquam sanè medici quidem ea, quæ non conueniant imperare possint: ægri verò, quæ imperata sunt, transgredi non possint. Atqui longè magis rationi consentaneum est, ægros non posse facere quæ imperantur, quàm medicos non conuenientia iubere.

11 Medici nanque sana mente, sanoque corpore rem aggredientes,præsentia considerant,& de prēteritis similiter iuxta præsentia ratiocinantur, intantum etiam vt aliquando palàm gloriari soleant ægri, se illorum opera sanitati restitutos esse.

12 Aegri verò neque qua parte laborent, neque ob quam causam laborēt,neque quid ex prēsentibus futurum sit, neque quid ex horum similibus fiet scientes, medici imperio subiacent, dolentes quidem ob præsentia, timentes autem futura: & pleni quidem morbo,inanes autem ciborum, ea quæ morbo grata sunt, quàm quæ ad sanitatem faciunt, assumere malunt,mori quidem non amantes, sed tolerare tamen non potentes. Hoc modo autem affectos,vtrum verisimilius est,hos à medicis imperata facere, an alia facere quæ medici non iusserunt? aut medicos tales quales superiori sermone declaraui,non conuenientia imperare? Nonne multò magis hos quidem quæ conueniant iubere? illos autem temere & impotēter nolle obedire? atque sic inobedientes in mortem incidere? Quæ sanè qui non rectè considerant, caussas ad hos qui inculpabiles sunt,referunt: eos verò qui maximè accusandi sunt,à culpa liberant & defendūt.

13 Porrò sunt item quidā,qui ob eos qui victis à morbis curam adhibere nolunt,medicinam ipsam reprehēdunt, dicuntq; ꝙ morbi,quos sanare aggrediūtur illi,per seipsos fuissent sanati.Qui verò auxilio opus habent, eos non contingunt. Oportebat autem inquiunt, siquidē ars erat,omnibus æquè morbis sanitatem afferre.Qui igitur hæc dicunt,si medicis indignarentur,quòd ipsorum talia dicētium, nō vt delirantium curam habeant, meritò sanè succensuerint magis,quàm quòd illa reprehendūt. Si quis enim ab arte potentiam in ea,quæ non profitetur,aut à natura facultatem in ea,ad quę nata nō est,exigat,is ignorat insaniam dementię potius,quàm ignorantiæ cōuenire:quorum enim instrumentorū siue naturæ, siue artium facultatem obtinemus,per ea sanè opifices esse possumus,per alia verò minime licet. quum igitur homo morbo afficitur,qui vehemētior est quàm medicinę instrumenta,ne sperare quidem oportet vt à medicina exuperetur. Exempli enim gratia: Inter ea,quæ in medicina vrendi vim habent, ignis extreme vrit,verum eo minus etiam alia multa. An verò ex eis præstantiora leuiores morbos curare non possint nondum satis constat,valentissimos autem morbos potentissima etiam instrumenta curare non posse,quomodo non sit manifestum? Quę enim ignis nō

efficit, quomodo ea quæ ab illo non sunt domita non ostendant, quòd alia Arte opus habeant, & non ea in qua ignis instrumentum existit?

14 Idem sentio & de alijs instrumētis quęcunque medicinæ opus adiuuant, quorum omnium singulatim successum si non assequitur Medicus, vim affectionis accusare oportet, mea quidem sententia, nō ipsam artem. Qui igitur eos reprehendunt qui victis à morbo manum adhibere recusant, hortantur etiam vt ea quæ non conueniunt attingant, non minus quàm ea quæ contingere interest artis: quod quum faciunt, his quidem qui nomine medici sunt admirationi sunt, ab his verò, qui arte præstant, deridentur.

15 Nec vero adeò desipiētes huius artis experti sunt, neque vituperatoribus, neque laudatoribus indigēt, sed ratione, ad quam sanè actiones opificum absolutæ, plenæ sunt, & quæ ab ea destitutæ, mancæ. Amplius verò etiam defectus aliquos quidem opificibus imputare oportet, aliquos verò ipsis operibus. Quæ quidem igitur ad alias artes pertinent, aliud tempus, aliumq; sermonem requirunt. Quæ verò ad medicinam, qualia sunt, & quomodo iudicanda, partim quidem superiori sermone ostendimus, partim verò præsenti oratione docebimus.

16 Sunt enim his qui hanc artem probe norunt, morbi partim non in obscuro positi, & non multi; partim nō in manifesto loco hęrētes, & multi sunt; qui enim ad interna vertūtur, in obscuro siti sunt; qui verò ad superficiē corporis erumpunt aut tumescunt, manifesti sunt: exhibent enim se se, vt tum visu, tū tactu, & soliditas & humiditas ipsorum percipiatur, & qui calidi sint, quique frigidi sentiātur; qui sanè singulorum, aut præsentia aut absentia tales existūt. Atque horum quidem omniū in omnibus certas ac infallibiles medelas esse oportet, nō ob id quòd faciles sint, sed quò certo inuēto constent. Neq; verò a quibusuis volentibus inueniūtur, sed ab his qui uolunt, itemq; possunt. possunt autē, quibus tū disciplina non eminus, sed propè & largiter contigit, tum natura nō infęlix liberaliter accessit. Ad manifestos quidem igitur morbos hoc modo artem diuite facultate præditam esse oportet. Neque verò ad minus manifestos eam inopem, ac dubiam hærere conuenit.

17 Sunt autem morbi minus aperti, quique ad ossa, quique ad ventriculum sunt conuersi. Habet autem corpus nō vnum ventriculum, sed plures: duo enim sunt qui cibū suscipiunt & demittunt, alijque pręter hos plures, quos norunt hi, quibus hęc res curæ fuit. Quęcunque enim membra carnē in orbem circumsitam habent, quam musculum appellant, ea omnia ventriculum sinum' ue habent; omne enim inconcretum, & quod nō coaluit, siue pellicula, siue carne cōtegatur cauum est. Impletur autē dum sanum est flatu, dum ægrotat sanie. Habent itaq; brachia talē carnē, habent & femora, habent tibiæ. Quin & in macilentis & excarnibus partibus eiusmodi caro inest, similiter & in carnosis esse demonstratum est; nam & qui thorax appellatur, in quo hepar continetur, & capitis circulus, in quo celebrum concluditur: ipsumque adeò dorsum, ad quod pulmo vergit: horum membrorum nullum est quod non & ipsum vacuum sit, ac multis segmentis plenum, ac quasi discriminatum existat, quæ parum abest, vt vasa existant, quorum tamen aliqua habentem lędunt, aliqua verò etiam prosunt.

18 Præter hæc autem & venæ multæ, & nerui non in carne sublimes, sed ad ipsa ossa protenti ligamentum sunt articulorum. Ipsi etiam articuli in quibus ossium, quæ mouentur, commissuræ, inuoluuntur, & horum nullum est, quod non subspumosum sit, & circa se forulos habeat, quos sanies prodit: quæ deductis ipsis multa, & magno multorum mœrore egreditur.

19 Ex prædictis itaque omnibus nullum est, quod oculis conspicienti videre, ac cognoscere contingit: quapropter etiam obscura mihi appellata sunt, & ab arte quoque obscura esse iudicata sunt: non tamen quòd obscura permaneāt, & nos vincant, sed quantum possibile est, cognoscantur, & superentur. Possibile autem est, quantum ægrorum naturæ ad considerandum conferunt, & quantum eorum qui perscrutaturi sunt, naturæ ad perscrutandum aptę sunt: cum multo enim labore, & non modico tempore præ oculis videntur, & cognoscuntur: quæcunque enim oculorum conspectum effugiunt, ea mentis oculis obtinentur, & superantur. Quæcunque verò ob id quòd non statim cognoscantur, ægri mala perpetiuntur: ea non ad medicos curantes ipsos, tanquam ad ipsorum autores referenda sunt, sed ad naturam ipsius ægri, itidemque ipsius morbi. Medicus enim quum non possit malum neque visu assequi, neque audiendo ex aliorum narrationibus cognoscere; ratiocinatione ipsum persequitur: etenim ipsi quoque ægri qui obscuro morbo laborant, si conentur medicis de morbis suis narrare, ex opinione magis quàm scientia narrant: nam si sciuissent, in ipsos sanè medicos non incidissent, cum eiusdem scientiæ sit morborum causas nosse, & morbos ipsos omnibus medicamentis, quæ augescere morbum prohibent, curare posse. Quando igitur neque ex ægri narrationibus ad infallibilem certitudinem peruenire possit; aliò certè respicere medicum necesse est. Quare huius tarditatis non ars ipsa, sed corporum natura causa existit.

20 Hæc enim malum sentiens, mederi magnopere gestit, considerans tamen, ne temeritate magis quàm consilio, & vt facultate magis, quàm violentia medeatur. Medicus verò siquidem sufficerit ad cognoscendum; sufficiet etiam ad sanandum. Si verò is, in quo morbus cognoscitur, superetur; ob id sanè quòd serius medicum accessit, aut ob morbi celeritatem peribit: si enim ex æquo processerit morbus cum medicina; velocior non est. Si verò præoccupauerit, velocior omnino existit. præoccupat autem tum propter corporum angustiam, in qua non in conspicuo inhabitant morbi, tum propter ægrorum negligentiam: differunt enim & cunctantur, atque vbi iam a morbis ipsis apprehensi sunt, tum demum curari volunt, ac expetunt.

21 Quare artis potentiam magis ex merito admiremur, si quem ex clandestino morbo ægrum restituat, quàm si impossibilibus, & desperatis opem ferre moliatur. Nequaquam verò in vlla aliqua iam inuentarum artium tale quiddam inest: sed quæ ex eis igne opificium exercent, igne non præsente, ociosæ sunt: vbi verò illum contigerunt, operosæ. Quæ item tractabili rerum materia artem suam exercent, veluti aliæ quidem lignis,

aliæ

aliæ corijs, aliæ sculpendo tum ære, tũ ferro, alijsq; similibus rebus earum quamplurimæ. Opera porrò, quæ ex hac materia, & cum huius materiæ instrumentis fiunt, tametsi facile retractari, ac corrigi possint, tamen non magis velocitate quàm velut decet perficiuntur, neque defunctorie transiliuntur: verùm si quod instrumentum desit, interim quiescunt, quanquam etiam illis cunctatio, & tarditas ad opus commodius absoluendum impedimento sit, attamen opus laudatur, & præfertur. Medicina verò aliquibus quidem ex suppuratione thoracis, aliquibus verò iuxta hepar, & renes, alijs autem per omnes corporis ventriculos ęgrotantibus, eorum omnium inspiciendi potentia priuata est: quod ipsum apud omnes in confesso existit, alias tamen facultates coadiutrices adinuenit. Vocis nimirum claritatem & tarditatem, itemque fluxiones quæ singulis locis, per quos exitus eis dantur, destillare consueuerunt: quarum modo odores, modo colores, deinde etiam ponderatam tenuitatem, ac crassitiem obseruat, ex eisque signa tum eorum, quæ ægri iam perpetiuntur, tum quæ perpeti possint, colligit. Quum verò hæc significationem de se præbeant, neque ipsa natura voluntaria dimittat, vires amplius, ac necessitates medicina ipsa inuenit, quibus natura coacta indemnis tamen concedat.

22 Natura autem stimulata & impulsa, artis peritis quæ facienda sunt demonstrat. Cogit autem partim coalitum in nobis calorem, pituitam per ciborum, ac potuum acrimoniam diffundere, quo intelligat quid sibi visum sit de illis, quæ vt viderentur ipsa machinata est: partim verò spiritum velut delatorem, tum vijs arduis, tum cursibus accusare ac prodere cogit. Quin & sudores per prædicta ducens ac excludens, humorum calidorum exhalationem perficit. Sunt præterea quæ per vesicam pergressa magis morbum ostendere possunt, quàm quæ per carnem exhalarunt. Inuenit igitur & tales potiones, itemque cibos, qui calidiores aliàs calefacientibus existentes, illaque & eliquant, & profluere faciunt, quæ sanè non profluxissent; si non hoc modo tractata fuissent. Alia itaque ex alijs, & alia per alia prodeunt, quæ corpus pergressa morbum ipsum produnt.

23 Vt nihil miri sit, ipsis serius fidem haberi, & medendi conatus, ac aggressiones tardiores esse, quum sic per peregrinas interpretationes ad medendi scientiam, ac cognitionem medici perueniant, ac erudiantur. Quòd igitur & rationes in seipsa plenas, & ad ferendum auxilium abundantes habeat medicina, & quòd morbis, qui corrigi non possunt meritò auxiliares manus negat, aut si fortè opem ferre molita est, citra culpam eam exhibet, id ipsum tum iam habitus sermo manifestum facit, tum etiam artis peritorum demonstrationes palam documentum præbent. Quas sanè ex operibus iucundius, quàm ex sermonibus ostendunt; vtpote qui dicendo non magnopere exercitati, multitudini fidem sinceriorem ex his, quæ videat, quàm, quæ audiat, facere malint.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Veteri Medicina.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Qualitates primas, neque fundamentum, neque scopum Medicinæ esse.*

2 *Artem constituunt observationes boni & mali. Artificum in Medicina differentia.*

3 *Cœlestium ac subterranearum rerum scientia incerta. Medicinæ antiquitas, & certitudo.*

4 *Medicinam artem esse ex vulgari confessione, & victus ægrorum ac sanorum differentia demonstrat.*

5 *Idiotæ affectionum accidentia difficulter agnoscunt.*

6 *Medicina necessariò inuenta.*

7 *Homines ab initio brutorum victu sunt vsi.*

8 *Panis & Mazæ prima inuentio & confectio. Medici ferinam victus rationem primi temperarunt.*

9 *Medicina cur non putetur ars.*

10 *Medicina ex victus ægrorum, ac sanorum differentia inuenta.*

11 *Sorbitionũ inuento naturæ imbecilliores initium dederunt.*

12 *Potus inuentum ac temperamentum. Sorbitiones inconuenientes morbis incrementa præbent.*

13 *Alimentum siccũ propter suam fortitudinem magis lædit.*

14 *Mansuetam ac conuenientem victus rationem, ægros magis lædere, quàm ferinam sanos.*

15 *Ars medica methodo quæsita inuenitur. Medicina non est res simplex & facilis. Famis vis.*

16 *Victus modus ex solo corporis sensu colligitur.*

17 *Medicus gubernatori similis.*

18 *Vacuationis intempestiuæ non minora esse mala quàm repletionis.*

19 *Victus permutati mala.*

20 *Cibum semel aut bis assumere consueti, qua ratione lædantur, si à consuetudine recesserint.*

21 *Natura imbecilles, citius à causis externis, & permutata victus ratione læduntur. Ars medica, propter certitudinem exactam, quæ in ea est difficilis, non est reijcienda.*

22 *Qualitates primas, neque Medicinæ proprium esse fundamentum, neque hominem lædere.*

23 *De Panis temperatura, quæstio anceps. Panis pro sua natura, naturas tam ægrorum, quàm sanorum variè afficit.*

24 *Medicina Deo ascripta.*

25 *Qualitatum secundarum excessus, & secretio, hominem lædit. Item Cibi & potus incommodi & fortiores.*

26 *Cibi ad voluptatem comparati, qua ratione lædant. Robur & augmentum corporibus ex temporato contingit. Calidum, frigidum, humidum, siccum: nihil in seipso purum ac impermixtum inuentum.*

27 *Calidum assumere, non potest ægrotis imperari. Qualitates secundæ primis sunt fortiores.*

28 *Frigidi temperamentum à calido, & contrà.*

29 *Corpora sanorum quomodo extremè calfacias, aut refrigeres, per balnea ac exteriora.*

30 *Febre ardente laborantes non citò calore liberantur. Calidum non simpliciter febrium, aut afflictionum homini causa.*

31 *Coryza seu grauedinis causa & curatio. Grauedo ex frigiditate.*

32 *Oculorum fluxionis causa & curatio. Concoctionis ratio ex temperatura mutua.*

33 *Fluxionum in fauces ratio. Morborum causæ ritæ quæ sunt. Epilogus de fluxionibus.*

34 *Qualitatum secundarum facultates, omnium malorum homini causa. Bilis æruginosæ facultas.*

35 *Concoctionis humorum species variæ. Calidum & frigidum a natura non superari. Calidum & frigidum, quid permutent, & quid non. Homo quando optimè dispositus.*

36 *De homine quatenus Sophistæ ac medici aliquid cognouerint.*

37 *Vinum meracum largè hausium hominem aliquo modo debiliorem reddit. Caseus gracilibus prodest. Caseus non toti naturæ humanæ malus est, alioqui omnes ex æquo læderet.*

38 *Ciborum, balneorum, exercitiorum naturæ ignoratæ, medicis erroris causas præbent. Affectiones quæ in homine cognoscendæ. Facultas & figura quid.*

39 *Figuræ quæ ad humiditatem ex corpore trahendam sint idoneæ. Figuræ intra hominem quæ sint.*

40 *Figuræ spongiformes. Strepitus ac sonitus in cauis ac amplis partibus. Torpores & excrescentiæ ex flatibus.*

41 *Flatus quomodo circa hepar contingentes, eius loci dolorem, suppurationes, ac tubercula excitent. Septum transuersum cur ex flatibus minus ac rarius doleat.*

42 *Humorum in homine potentia & mutatio. Medico necessario cognoscenda. Optima in omni re quænam.*

1 VICVNQVE de Medicina dicere, aut scribere aggressi, hæc sibi ipsis suppoſuerũt, calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum, aut aliud quodcunque uoluerint, principium, causſamq; tũ morborum, tum mortis hominibus, omnibus horum vnũ aut duo proponentes: hi in multis quidem quæ dicunt, manifestò errasse deprehenduntur. Iustior autem querela est de arte, quæ est, qua omnes in maximis vtuntur, & bonos artifices maxime colunt.

2 Sunt autem opifices alij viles, alij longe præstantes: quod sanè si non esset omnino in medicina, neque in ipsa obseruationes essent, neque quicquam inuentorum, non vtique extaret, sed omnes æqualiter eius ignari, & inexperti essent, & per fortunam omnes ægrotorum res gubernarentur. Nunc vero res non sic se habet, sed quemadmodum aliarũ omnium artium opifices multum inter se differunt, tum manu, tum mente, sic etiam in medicina. Quapropter non censeo ego ipsam inani fundamento indigere, velut obscura & dubia, de quibus siquis dicere conetur, necesse est fundamento vti.

3 Velut si quis de sublimibus in aere rebus, aut de sub-

ſubterraneis dicat, & quomodo habeant ſciat, tamē neque dicenti, neque audientibus manifeſtum ſatis fuerit, vera ne ſint, an ſecus: neque enim eſt ad quod quis ſe cōferat, cuiq; innitatur, vt veritatem cognoſcat. Medicina autem iam ab antiquo exiſtit, & principium, & via inuenta, per quā inuenta, & multa & probe habentia comperta ſunt, per multum adeò tēpus & reliqua deinceps inuenientur, ſi quis idoneus ſit, & iam inuentorum gnarus, ex his ad perquirēdū procedat. Quicunque verò his reiectis, ac omnibus reprobatis, alia via, aliaq; forma inquirere, conatur, & quid inueniſſe gloriatur, falſus eſt, & fallitur: impoſſibile enim id eſt.

4 Verùm ob quas neceſſitates impoſſibile ſit, ego demonſtrare conabor, docens, ac demōſtrans, quòd ars exiſtat. Ex hoc autem palàm fiet, impoſſibile eſſe aliquo alio modo inueniri. Videtur autem mihi maxime, de hac arte dicturum oportere vulgo, ac plebei hominibus nota dicere. Neque enim de alio quopiam, neque quærere, neque dicere conuenit, quàm de affectionibus, ex quibus illi ipſi ægrotant.

5 Ipſos quidem igitur ſuas ipſorum affectiones condiſcere, quomodo fiunt ac deſinunt, & quibus occaſionibus augeſcunt ac deficiunt, quū idiotæ ſint nō eſt facile, verùm ab alio inuentas ac proditas, procliue. Nihil enim libentius quiſque recordatur quàm quæ ſibiipſi accidiſſe audit. Si quis autem idiotarū ſententia deſtituetur, & audiētes non afficiet, ille ēt veritatis cōpos non fiet, & propterea neque fundamēto neque ſcopo opus habet. Etenim Ars medica neque inuenta ab initio fuiſſet, neque quæſita: nihil enim ea opus erat ægrotis hominibus, ſi eadem diæta vterentur, & aſſumerēt quæ ſani edunt ac bibūt, imò etiam alterius cuiuſdam diætæ vſus eis profuiſſet, ſi non alia fuiſſent his meliora.

6 Nunc autē ipſa neceſſitas homines coegit Medicinā inquirere ac inuenire. Quoniam ęgrotis eadem in cibo aſſumētibus, quæ ſani ſolent, non fuit vtile, velut neq; nunc vtile exiſtit. Quin vt rem altius expendamus, neque ipſam ſanorum diætam, ac alimoniam qua nunc vtuntur, inuētam fuiſſe cenſeo, ſi ſufficiſſet homini idē cib. ac potus, qui boui ac equo, & omnibus alijs prętер hominem, veluti ſunt ex terra naſcentia, fructuſq́ue, ac herbæ, & fœnum: ex his enim nutriuntur, & augeſcunt, & illæſi degunt, non indigentes alia diæta.

7 Quanquam egò ſanè ab initio etiam hominē tali victu vſum eſſe putem. Quæ verò nunc inuēta ſunt edulia, multa arte excogitata, & multo tēpore producta eſſe mihi videntur, quū multa, & grauia, ex robuſto ac ferino victu homines paterētur, qui intemperatus, & magnas vires habens ingerebatur, qualia ſanè etiam nunc ex ipſo paterentur, doloribus vehemētibus, & morbis obnoxij, & breui etiā morti. Veriſimile eſt autē hæc mala tunc minus perpeſſos ipſos eſſe, propter conſuetudinē: quanquam etiā tunc vehementer afflicti ſint, & conſentaneum eſt plurimos, & debiliore natura prædītos perijſſe, eos vero, qui victum illum ſuperare poterant longiori tempore duraſſe ac reſtitiſſe. Quemadmodū etiam nūc ex validis edulijs aliqui facile liberātur, aliqui cū multis doloribus ac malis. Ob hanc itaque neceſſitatem ēt illi mihi videntur quæſiuiſſe victum naturæ conuenientem, & inueniſſe hunc, quo nunc vtimur.

8 Ex tritico igitur macerato, & à cortice purgato, molitoq́ue ac cribrato, & ſubacto ac aſſato, panē fecerunt. Ex hordeo vero mazam, aliaq; multa ex hoc excogitantes, coxerunt, & aſſarunt, & miſcuerunt, fortiaq́ue, & intemperata debilioribus tēperarunt, effingentes omnia iuxta hominis naturam ac vires, quæ quidem fortiora eſſent, ab ipſa natura nō poſſe ſuperari, ſi ingeſta eſſent, exiſtimantes: ab his ipſis quoque dolores, & morbos, ac mortes oriri iudicantes: contrà ab his, quæ natura domare poſſet, alimētum & augmentum & ſanitatē. Porrò inuento huic quodnam iuſtius, aut magis conueniens nomē quis impoſuerit quàm medicinæ? quandoquidē ab hominis ſanitatem, alimentumq́ue ac ſalutem inuentum eſt, in permutationem illius victus, ex quo dolores morbi fiunt.

9 Si vero ars ipſa eſſe non putatur, nihil abſurdi eſt: nam cuius nemo ignarus eſt, ſed ſcientes omnes, ob vſum & neceſſitatem, eius non conuenit aliquem artificem appellari. Atqui inuentum ipſum & magnū & multæ artis, ac conſiderationis exiſtit. Quinetiā in hunc vſque diem exercitiorum, & reparandarum virium curā gerentes, ſemper aliquid amplius adinueniunt, iuxta eandē viā inueſtigantes qđ quis edēs ac bibēs maxime ſuperet, ac ſeipſo fortior euadat.

10 Conſideremus itaq; & cōfeſſam ab omnibus Medicinam, eā videlicet, quę propter ęgros inuēta eſt, an & nomen & artifices habeat, & ipſa dominari ipſis velit, & vnde tādem initium ſumpſit. Mihi equidem, velut in principio dixi, nemo ne quęſiuiſſe quidem Medicinam videtur, ſi idem victus, & ægrotis & ſanis conueniſſet. Itaq; vſque in hūc diem hi, qui Medicina nō vtuntur Barbari, ac Grǽcis confines, eodem modo, quo ſani victitant ad voluptatē, & a nulla re, quam concupiſcunt, abſtinent, neque quic quā deuitant. Cętерum qui Medicinam quęſiuerūt, ac inuenerunt, eādem cum illis, de quibus ſuperiori ſermone dictum eſt, ſententiam habuerūnt, & primum quidem ex his ipſis cibis copiam detraxerūt, & pro multis paucos ſtatuerunt.

11 Quum vero ipſis aliquando hoc ad aliquos ægrotos ſufficeret, palamq; fieret quod prodeſſet; non tamē omnibus, ſed eſſent quidam ita habentes, vt neque modicos cibos ſuperare poſsēt, imbecilliore ſanè quopiā tales indigere illis viſi ſunt, ſorbitioneſq; inuenerunt pauca ex fortibus multa aqua permiſcētes, & robur ipſū tēperatura ac coctura detrahētes.

12 Quod ſi qui neq; ſorbitiones ſuperare poſſent, his detraxerunt etiam ipſas, & ad potiones peruenerunt, obſeruaruntq; vt & hæ tū vſu, tum copia moderate haberent, & neque plures quàm oportet, neque meratiores, & intemperatiores, neque defectuoſiores offerentes. Probe autem noſſe oportet quibus ſorbitiones in morbis non conducunt. Nam ſtatim vbi hoc fecerint exacerbantur ipſis febres, ac dolores, & manifeſtū ſit, quòd aſſumptum morbo quidē alimentū, ac incrementum præbet, corpori uero tabes, & infirmitas exiſtit.

13 Quicunq; vero homines in hac affectione exiſtētes ſic cum cibum aſſumunt, aut mazam aut panem, etiamſi valde modicum, decuplo magis, & manifeſtius lædūtur quàm ſi ſorbitione uſi eſſent, ob nullā aliam cauſſam quàm fortitudinē edulij ad affectionem, in quo ſorbere conducit, edere autem non. Sin

plura

plura comederit;plus vtiq; lædetur: si vero pauca; dolebit tamẽ omnino. Omnes itaque doloris cauſſę ad idem reducuntur,nimirũ fortiſſima edulia maxime,& manifeſtiſſime hominẽ ledere, ſiue ſanus ſit, ſiue ægrotus. Quid igiẽ aliud cogitaſſe videri queat hic appellatus Medicus,& cõfeſſus artifex,qui ęgrorũ diætam,ac victum adinuenit,quã ille,qui ab initio omnibus hominibus victũ quo nunc utimur,ex agreſti illo,ac ferino reperit,ac ſubornauit? Mihi equidẽ videtur idẽ modus,& vnũ quoddam,ac ſimile eſſe inuentũ: hic enim ea, quæ natura humana ſana ſuperare non potuit incidẽtia,& ingeſta,propter feritatem,intemperantiamq; ille vero qualicũque tandẽ vnuſquiſq; affectione teneretur, vt ſuperare nõ poſſet,eadẽ detrahere quæſiuit,ac inſtitit. Quid hoc ab illo differt? prẽterquã quòd multiplicior, & variegatior,ac maioris negotij eſt hęc ſpecies. Verũ principium fuit illa,quæ prius eſt producta.

14 Si verò quis conſideret,quę ſit ęgrotorũ dięta,cõparatione ad ſanorum diætã facta,is inueniet hanc ægris nocentiorẽ, quàm eã quæ ferarum eſt,& aliorum animaliũ ſanis: etenim vir laborans morbo neque difficili & intolerabili,neq; rurſus leui & deſpicabili,ſi panẽ aut carnem,aut aliud quid ex his,quę ſani edentes iuuantur,comedere volet, non multũ, ſed multo minus,quã ſanus poterat,contingat autẽ vt nec ſit,qui eum delinquere admoneat. Alius contrà ſanus naturam habẽs non omnino debilẽ,neque rurſus fortẽ,ſi comederit quid eorum, quæ bos aut equus comedens iuuatur,& edat ſanè eruũ, aut hordeum,aut aliud quid huiuſcemodi;nõ multum, ſed multo minus quàm poteſt. Sanus vtiq; qui hoc fecerit,minus & dolebit,& periclitabitur quã ægrotus ille,qui panẽ aut mazam intempeſtiuẽ ingeſſit. Hęc itaq; omnia ſigna ſunt,quòd ipſa ars medica uia aut methodo quæſita inueniri poſſit.

15 Si quidẽ igitur ſimpliciter,uelut aliqui putãt,quę fortiora ſunt nocerent,quæ debiliora prodeſſent,& nutrirẽt,tũ ęgrum,tum ſanum, facilis ſanè res erat: multum enim de ſecuro detrahere oportebat,vt ad debiliſſimum deduceretur. Nunc autem non minus delictum,nec minus lædit hominem;ſi pauciora,& defectuoſiora quã ſatis eſt aſſumantur: fames.n. magnã potentiam in naturam hominis habet & ſanandi & debilitandi & occidẽdi. Multa vero etiam alia mala,diuerſa quidem ab his quæ ex repletione fiũt, nõ minus autẽ grauia vacuationis ſunt, quapropter multo variegatior eſt,& maiorem diligẽtiam requirit. Oportet enim modum aliquem coniectare.

16 Modum autem,neque pondus, neq; numerũ aliquem,ad quem referas,cognoſces: certitudinem.n. exactam nõ reperies aliam, quàm corporis ſenſum. Quapropter operoſum eſt ita exacte condiſcere, vt parum in alterutram partem delinquas: quãquã ego etiam eum medicum vehementer laudarim, qui parum delinquat: certitudinem autẽ exactam raro uidere contingit.

17 Quare plerique Medici eadẽ,quæ mali gubernatores in ſe admittere mihi videtur: etenim illi quũ in tranquillitate gubernantes delinquunt, non fiũt manifeſti: quum vero deprehẽderit ipſos vẽtus magnos,& tẽpeſtas, palam iam cõſpicui ſunt omnibus hominibus, qđ ignorantia & culpa erroris ſui nauẽ perdiderunt. Sic ſanè etiam mali & plurimi medici, quum curãt homines nihil graue patientes,in quos ſiquis etiam maxime delinquat; nihil graue faciat. Sunt autem multi tales morbi,& multò ſæpius quã graues hominib. accidunt. In talibus ſanè delinquẽtes,non fiũt manifeſti idiotis hominibus. Vbi vero obtigerit magnus,& fortis,& periculoſus morbus, tunc ipſorum delicta, & ars omnibus in conſpicuo ſunt: neque enim longè abſunt ſingulorum pœnæ ac cruces,ſed breui adſunt.

18 Quòd autem non minores afflictiones ab intẽpeſtiua vacuatione quàm à repletione hominibus cõtingãt,probe diſcemus,ſi inſanis rẽ expenderimus. Sũt itaque aliqui ipſorum quibus ſemel in die cibũ capere conducit,& hoc propter vtilitatem ſic obſeruant. Alij etiam prandent, propter eandẽ neceſſitatem: ſic enim ipſis conducit. Sed & quidam nõ propter vtilitatem,ſed aut ob voluptatem,aut ob alium aliquem caſum alterutrum faciunt: plurimorum.n. hominũ nihil intereſt vtrum tandẽ faciant, ſiue ſemel tantum edant,ſiue etiam prandeant,hac conſuetudine vti.

19 Sunt autem quidam,qui non poſſint extra vtilitatem facientes facile degere,ſed contingit vtriuſque ipſorum,per diẽ vnum, atque eum non ocioſe permutantibus,immenſa afflictio. Alteri.n. ſi pranſi fuerint,idque eis non conducat,ſtatim graues,& corpore ſegnes fiunt,itemque mente pigri,hiatuque,ac oſcitatione,& dormitatione,& ſiti pleni. Si verò etiã inſuper cęnauerint,& flatus,& tormina,& aluus efringit,& multis magni morbi principiũ hoc fuit,ſi eoſdẽ cibos,quos ſemel inſumere conſueuerũt, bis aſſumant,& nihil his amplius. Alteri verò ſi prãdere cõſueuerunt,idq; ipſis conducat, & non pranſi fuerint, mox vbi tẽpus prẽterierit, ſtatim impotẽtia vehemens,tremor,animi deliquiũ, poſtea oculi pallidi,vrina craſſa,& calida,os amarũ,& viſcera pendere ipſis videtur,vertigo,iracundia,triſtitia. hęc aũt omnia vbi cœnare tentauerint. Deinde autem pranſuri cõſumere non poſſunt quæ prius cęnarunt,atq; hęc ipſa cum tormine ac ſtrepitu deſcẽdentia aluũ concludunt,ipſiq; ægre dormiunt, inſomniaq; conturbata ac tumultuoſa habent, pleriſque vero ẽt horũ hæc ipſa aluus morbi principiũ fuit. Conſiderare porrò oportet ob quas cauſas hæc ipſis acciderunt.

20 Et ſanè puto his qui cibũ ſumere conſueuerunt, quòd non expectauerunt iuſtum tẽpus, donec ipſorum venter pridie ingeſtos cibos perfectè conſumpſiſſet,& exuperaſſet, euacuatusq; eſſet ac quieuiſſet,ſed in feruentem adhuc & fermentatum nouos ingeſſerunt. Eiuſmodi,autem vẽtres multo tardius concoquũt,& maiori opus habẽt ceſſatione,ac quiete. His vero qui prãdere aſſueti fuerũt,quòd nõ vbi citiſſime alimento corpus indigebat, & iã priora cõſumpta erant,nec habebat aliquam amplius fruitionem,ſtatim ipſi nouũ alimentum ſuppeditatum eſt. deficit autem,& conſumitur præ fame. Nã omnia, quæ tales homines perpeti dixi fami imputo.

21 Dico autẽ etiam alios omnes homines, qui duos aut tres dies inediam pertulerint,eadẽ paſſuros eſſe, quæ de impranſis dixi. Cæterũ tales naturas,quæ cito & fortiter eiuſmodi delictis offendũtur,imbecilliores alijs eſſe cenſeo, proximus eſt autẽ imbecillis languẽti: verum imbecillior eſt languens,& plus laborare contingit ipſum,vbi iuſtum tempus non eſt

aſſe-

assequutus. Quum itaque eiusmodi exacta certitudo circa artem existat, difficile est semper quod rectissimũ est assequi. Multæ autem species in Medicina ad tantam certitudinem perueniũt, de quibus dicetur. Non censeo itaq; propter hoc artem velut non existentẽ, neque probe inuestigatam, veterem oportere reijci, quòd non habeat circa omnia certitudinẽ exactam. Verùm multo magis propterea quòd propinqua est recto, simulque ratione possit ad ipsum peruenire, admirari oportere censeo ea, quę ex multa ignorantia sunt eruta, & inuenta, quòd probe, & rectè adinuenta sunt, & non a fortuna, aut casu.

22 Porrò ad eos, qui nouo modo artem ex scopis, ac fundamentis suppositis quærũt, sermonem reducere volo. Si.n. calidum est, aut frigidum, aut siccum, aut humidum, quod hominẽ lædit; & oportet rectè medentem auxiliari, calido quidẽ in frigidum permutato, frigido verò in calidum, sicco in humidum, humido in siccum. contingat mihi homo non fortis naturę, sed ex debilioribus, hic autem triticũ edat, quod ex area sustulit crudum, & non elaboratum, & carnes crudas, & bibat aquam. Hoc victu vtens satis scio, quòd multa, & grauia perpetietur: nã & doloribus vexabitur, & corpus debile euadet, & vẽter corrumpetur, & multo tẽpore viuere nõ poterit. Quod igitur auxiliũ præparare oportet sic habenti? calidũ, an frigidum, vel siccum, vel humidũ? simpiex.n. est quodcunq; ex istis. Si enim id, quod ipsum lædit, aliquod ex his est, contrario soluere oportet, ac liberare, quemadmodum ipsorũ sermo testatur. Atqui certissimum, & manifestissimum medicamentum est, victum quo vtebatur auferre, & pro tritico panem dare, pro crudis verò carnibus coctas, insuperq; vinũ propinare. His permutatis impossibile est nõ fieri sanum; nisi penitus fuerit tẽpore, ac victu corruptus. Quid itaq; dicemus? Num quòd ipsi a frigido afflicto calida hæc oblata auxilium tulerunt, aut cõtra? Equidem opinor me multam hęsitationem interrogato præbiturum esse.

23 Nam qui panẽ ex tritico parauit, calidum, aut frigidum, aut siccum, aut humidum abstulit: panis.n. & in ignem & in aquam datur, & multis alijs elaboratus est, quorum singula propriam vim, & naturã habent, & aliqua quidem a natura in ipso existẽtia abijcit, alijs autem temperatur, ac permiscetur. Sed & hoc scio, qđ in corpus hominis refert panis purus, aut cui nihil furfurum decessit, & ex tritico non decorticato, aut decorticato, & multa aqua subactus, aut contrà, & superassatus aut crudior, aliaque præterea infinita. Similiter etiam de maza, & singulorũ adeò vires magnæ, alteraq; alteri nihil simile habet. Quicunque autem hæc non considerans non nouit, haud scio quomodo ille affectiones in homine cognoscere possit: ab vnoquoq; enim horum afficitur & alteratur homo, vel hoc, vel alio modo, & ex his omnis vita & sano, & ex morbo conualescenti, & ægroto. Nihil igitur vtilius, neque magis necessariũ quàm hæc cognouisse: quod & probe, & conuenienti ratiocinatione inuestigantes, iuxta hominis naturam hæc primi inuentores inuenerunt.

24 Iudicaueruntq; artem dignam, quæ Deo adscriberetur, quemadmodum etiam est receptum: nõ.n. siccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque aliud quicquam ex his putauerunt hominem lædere, neque aliquo horum homini opus esse opinati sunt, sed quod in vnoquoque forte & humana natura potentius est, quodq; non possit superare, hoc ipsum lędere duxerũt, & hoc auferre quæsierunt. fortissimum autem est inter dulcia, dulcissimum, inter amara, amarissimũ, inter acida, acidissimũ, & in omnibus adeò rebus vigor ipse ac summũ: hæc enim & in homine inesse viderunt, & hominem lædere. Inest enim in homine & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita, omnigenas facultates habentia, copiamque, ac robur. Atque hæc quidem iuxta ac inter se temperata, neque conspicua sunt, neque hominem lædunt.

25 Vbi verò quid horũ secretum fuerit, atq; ipsum in seipso fuerit, tunc & cõspicuum est, & hominem lædit. Quin & ex cibis quicunque nobis incommodi sunt, & ingesti hominem lædũt, horum vnusquisq; aut amarus est & meracus ac intẽperatus, aut salsus aut acidus, aut alius quis intẽperatus & fortis: & propterea turbamur ab ipsis, quemadmodum etiam ab his, quæ ex corpore excernuntur. Omnia autem quę edit, aut bibit homo, talia edulia palàm est minime hoc intemperato, & dissidẽte, ac excedẽte succo participare, velut sunt panis, & maza, & his similia, quibus adsuetus ast homo plurimis & semper vti.

26 Exceptis his, quæ ad voluptatem ac delicias conduntur ac præparantur: & ab his plurimis in hominem ingestis turbatio, ac secretio corporis facultatum minime cõtingit. Verùm robur & augmentũ, ac alimentum præsertim, per nihil aliud contingit, quàm quod probe temperatum est, & nihil habet in temperatum, neque forte, sed totum vnum factum est & simplex, & nõ forte. Et valde sanè dubito ego, quoniam modo hi, qui talẽ sermonem proferunt, & artem ex hac via ad scopum abducunt, curaturi sint homines, quemadmodum proponunt: non.n. est ipsis, velut ego opinor, inuentum quid ipsum in seipso calidum, aut frigidum, aut siccum, aut humidũ, quod nulla alia specie communicaret. Verùm arbitror eosdem potus, ac cibos ipsis esse, quibus omnes vtimur. Apponunt autem alij quidem, quòd sit calidus, alij frigidus, alij quòd siccus alij humidus.

27 Quoniam illud sanè dubiũ est, imperare ægroto calidum quid assumere: statim.n. interrogabit quid sit illud, vt nugas producere necesse sit, aut ad aliquid eorum, quæ fiunt, confugere. Si autem est calidum quoddam acerbum existens, aliud vero calidũ fluidum, aliud calidum tenue (sunt.n. & alia calida etiã alias vires subcontrarias sibiipsis habẽtia) quod igitur ipsorum assumere oportebit? calidũ & acerbum, an calidum & fluidum, aut simul frigidum & acerbum? nam & hoc est, itemq; frigidum & fluidũ. Etenim quod ego scio, totum cõtrarium ab vtroque ipsorum euenit, idq; non solum in homine, sed etiã in corio ac ligno, & alijs multis rebus, quę magis stupidum sensum habent, quàm homo: nõ enim calidũ est, quod magnam vim habet, sed ipsum acerbũ & fluidum, & alia, quæ a me relata sunt, tum in homine, tum extra hominem, siue edantur, siue bibantur, siue forinsecus illinantur, aut quomodocunque formata adhibeantur. Frigiditatem autẽ, & caliditatem ego omnium facultatum minimè potentes esse in corpore existimo, ob has sanè causas. Quo equi-

dem

dem tempore ipsa inter se permixta simul frigidum, ac calidum fuerint, non lædunt.

28 Temperamentum enim & moderatio contingit frigido à calido, & viciſſim calido à frigido. Vbi vero seorsim vtrunq; secretum fuerit, tunc affligit. In hoc itaque tẽpore quum frigidum intus generatur, & cito hominẽ affligit; primum propter hoc ipsum adest calidum, inde adeò ex homine ipso, nullo alio auxilio, neq; præparatione opus habens. atque hoc & in sanis hominibus, & in ægrotis operatur.

29 Itaq; si quis sanus hyeme corpus perfrigerare velit, aut frigidæ lotione, aut alio quopiã modo, quanto id amplius fecerit, si modò non omnino corpus cõgeletur, vbi vestimenta acceperit, & sub tegmen venerit, magis & amplius corpore calescit. Rursus si qs fortiter calfieri velit, aut calido lauacro, aut multo igne, inde verò eandem vestem habens in eodẽ loco cõuersari, in quo perfrigeratus, multo apparebit frigidior, & longè horridior, quã aliquis qui præ æstu ventilationem admisit, & sibiipsi frigus præparauit, atque sic ex hoc modo recreatus est: nam qui hoc facit, decuplo maiorem æstum, ac ardorem percipit, quàm is, qui nihil tale facit. Verum sunt adhuc testimonia multo maiora. Quicunq; per niuẽ, aut aliud frigus iter facientes, excellẽter frigescunt aut pedibus, aut manibus, aut capite, vbi se cõtinuerint in noctem, quum cooperti fuerint, & in tẽpore extiterint, ab æstu, & pruritu vexantur, quibusdam etiam bullę velut ambustis ab igne exurgũt, neque prius hoc patiuntur quàm calfiant: adeò prompte vtrunque ipsorum ad alterũ accedit. possem & alia innumera recẽsere. Cæterùm circa ægrotos, nonne quibus rigor cõtingit, his acutissima febris relucet? sed nõ adeò fortiter, verum pauco tempore quiescens, & aliàs ferè innoxia, & quo tẽpore affuerit, per calida, & per totũ corpus penetrãs, desinẽs maxime in pedes, vbi sanè rigor & frigus validissimum diutissime durauit. Rursus cũ sudor prodierit & febris decesserit, multo magis frigescit ęger, quã sine apprehendisset quidem ab initio. Cui igitur breui adeò contrariũ accedit, cuiq́ue vis adimitur sua spõte, quidnam ab hoc magnum aut graue fiat? aut quid opus est multo ad hoc auxilio?

30 Verum dixerit aliquis. Qui ardenti febre febricitant, itemq́; peripneumonijs, & alijs fortibus morbis, non cito ex calore liberantur, neq; adest hic frigidum aduersus calidum. Atqui ego hoc maximum signum esse puto, quòd non propter calidum simpliciter homines febricitent, neque hoc fit simpliciter afflictionis causa: sed est & amarũ ac calidum idem, & calidũ ac acidum, & salsum ac calidum, & alia infinita, & rursus frigidum cum alijs facultatibus cõiunctum. hęc itaq; sunt quæ lędunt. Simul adest autẽ & calidũ robore participans, nimirũ ducens & exacerbans & augens simul cum illis, verùm nullam potentiam, maiorem quàm conuenit videlicet, habẽs. Atq; hæc quidem sic se habent. Signa porrò primũ quidem manifestissima producemus, quorũ omnes iam sæpe experientiam sumpsimus.

31 Itaq; quibuscũque nostrum grauedo innascitur, & fluxus per nares mouetur, hic vt plurimũ acrior est eo qui prius erat, & quotidie ex narib. prodibat, & tumescere facit nasum, & exurit calentẽ, & extremę ignitum. si verò manũ admoueas, & diutius per seuerauerit, etiam exulceratũr locus minime carnosus, & durus existẽs. Sedatur autem aliquo modo ardor in naribus, nõ quum fluxus prodit, & inflammatio consistit: sed postquã fluxus crassior, & minus acris, concoctusq́ue, & magis permixtus priore fuerit; tunc sanè iam etiã ardor cessat. Rursus autẽ alijs ex frigiditate ipsa sola manifeste grauedo fit, nullo alio accedente. Omnibus autem liberatio hæc est, vt ex frigiditate quidem affecti percalfiant, ex ardore verò perfrigerentur, atq; hæc breui accedunt, & cõcoctione nulla opus habent. Reliquę autem omnes fluxiones, quas propter humorũ acrimonias, & intemperantias ego fieri sentio, restituuntur & curantur, vbi temperatæ fuerint, & concoctæ.

32 Rursus quæcunq; fluxiones ad oculos vertũtur, vt fortes, & omnigenas acrimonias habẽtes, exulcerant quidem palpebras, erodunt autem aliquorũ genas, & sub oculis & partes, ad quascunque tandẽ influxerint, rumpunt etiam, & peredũt eam, quæ oculum ambit, tunicam. dolores autẽ, & ardor, & inflãmatio extrema adsunt aliquandiu, donec fluxiones fuerint cõcoctæ, & crassiores redditæ, & lemę ab ipsis extiterint. Fit autem concoctio ex permixtione, temperaturaq́ue mutua, & quasi coctura.

33 Quinetiam fluxiones in fauces delabẽtes, ex quibus raucedines fiunt, anginę, erysipelata, peripneumoniæ. Omnes hæ primũ quidem salsæ, & humidę, acresq́; descendunt, & in talibus morbi firmantur. Vbi verò crassiores, & maturiores factæ fuerint, & ab omni acrimonia liberatę; tũc iã & febres, & alia hominem lædentia soluuntur. Oportet autem vtiq; causas vniuscuiusq; ea putare, quæ quum adsunt, talem modum fieri necesse est quum permutantur in aliud temperamentum, cessare. Quando igitur ab ipsa caliditate sincera, aut frigiditate fluxiones cõtigerint, & nulla alia facultate participauerint, sic sanè sedabuntur, vbi ex frigido in calidum permutatæ fuerint, & ex calido in frigidum. Permutantur autẽ eo, quem dixi modo.

34 Amplius porrò etiam alia quæcunq; mala homo patitur, omnia à facultatũ potentijs proficiscuntur. Itaq; quum amaritudo quædam diffusa fuerit, quã bilem flauam appellare solemus, quales statim anxietates & æstus, & impotentiæ occupant? Verũ vbi liberati fuerimus ab illa, & purgati, aut spõte, aut per medicamentũ, si modo tempestiuè quid ipsorũ fiat; manifestè & a dolorib. & a calore liberamur. Quanto autem tempore eadem eleuata fuerit, & cruda, & meraca, ac intẽperata, nulla ante neque dolores, neque febres sedare possis. Et quos quidẽ acuta, acrisq́; ac æruginosa bilis affligit, quales mox rabies, & morsus viscerum, ac pectoris, & desperatio? Nõ sedãtur autẽ hæc priusquam eadem expurgetur, & prosternatur, & alijs permisceatur.

35 Concoqui autem, & permutari, attenuariq́ue ac crassescere in humorum speciem, per multas, & omnigenas species contingit. Quapropter & iudicationes, & numeri temporum, in talibus multũ possunt. Hęc verò omnia minime contingit calidum, aut frigidum perpeti: neque enim hoc putrescere, neque crassescere poterit. Quid aũt ipsum esse diceremus? & tẽperamentum ipsorum est, veruntamen inter ipsa mutuo vim habens; quoniam nulli alij permixtũ calidũ, desinit esse calidum, quàm frigido: sic rursus

non

non permutatur alio frigidum,quã calido. Reliqua omnia in homine,quanto pluribus miſcentur,tanto mitiora,ac meliora fiunt. At verò homo omnium optime diſpoſitus eſt,vbi cõcoqui,& in quiete eſt,nullam peculiarem vim præſeferens . De his igitur videor mihi abunde demonſtrationem feciſſe.

36 Porrò Medici quidam,itemq; Sophiſtę dicunt,ꝙ impoſſibile eſt medicinam cognoſcere eum, qui nõ nouit,quid ſit homo, & quomodo primũ factus, & compactus ſit. Ego verò ea,quæ alicui ſophiſtæ,aut medico,de natura dicta ſunt,aut ſcripta, minus cenſeo medicæ arti conuenire,quã pictoriæ. Iudico autẽ de natura aliquid manifeſtum, ac euidens cognoſcere,ex nulla parte aliunde cõtingere,quàm ex Medicina. atque hoc tunc condiſcere poſſibile eſt, vbi quis ipſam Medicinam totã recte comprehenderit. Verum quatenus illi prodiderũt,multi mihi cognouiſſe videntur.cognouiſſe autem dico, narrationem ſcilicet hãc,Quid eſt homo,& ob quas cauſſas naſcitur,& reliqua diligenter. Atqui mihi neceſſariũ eſſe videtur,vt omnis Medicus de natura ſciat,& omni ſtudio annitatur,vt cognoſcat,ſi modo aliquid eorũ quę fieri debẽt recte prẽſtare velit. Quid eſt homo ad ea,quæ comedũtur,ac bibũtur,comparatus,& quid cuiq; ab vnoquoque continget,ac accidet,& nõ ſimpliciter ſic exiſtimare, quòd malũ eduliũ eſt caſeus: dolorem enim affert repletio ex ipſo. Sed quẽ dolorem,& propter quid, & cui parti intra hominẽ exiſtenti incommodum exiſtit:nã & alia multa edulia, ac pocula natura mala ſunt,& afficiunt hominẽ non eodem modo.

37 Proferatur autẽ mihi verbi cauſſa aliquid, velut vinum meracũ multum potũ hominẽ aliquo modo debilem reddit,& omnes,qui viderint, hoc fatẽtur, & cognoſcunt,quòd hæc eſt vis vini,& quòd ipſum eſt cauſſa, & in quas in homine partes maxime poſſit,nouimus. Talem itaque veritatem etiam de alijs oſtendere volo:etenim caſeus(quandoquidem hunc in exemplum adſumpſi)non omnes homines lædit, ſed ſunt,qui ex ipſo repleti,ne tantillum quidem offenduntur,imò gracilibus mirabiliter etiam conferre proditur. Sunt autem qui difficulter ſummouẽtes ipſum ab eo liberantur. Horũ verò naturę differunt, differuntq; etiam iuxta hoc, quod eſt in corpore caſeo contrarium:nam a caſeo excitatur,& commouetur in his,quibus eiuſmodi humor multus in corpore exiſtit,& quo magis hic potẽs eſt, eo magis veriſimile eſt ipſos male affligi. Si verò toti humanę naturę malus eſſet,omnes vtique læderet. Hæc autem ſi quis nouiſſet,non incurreret ea, neque ſanè pateretur. In refectionibus porrò conualeſcẽtium ex morbis,inſuperq; in longis ægritudinibus, multę cõturbationes. & præuaricationes fiunt, partim ſua ſponte,partim a quibuslibet temere admiſſis.

38 Noui autẽ medicos multos velut idiotas, qui vbi illi die aliqua noui quippiam feciſſent, velut ſi lauiſſent,aut deambulaſſent , aut quid alienum comediſſent,atque hæc omnia melius eſſet adhibuiſſe quàm non:nihilominus tamen cauſam alicui ex his contribuebant,veram quidem cauſſam ignorantes, & fortaſſis id quod commodiſſimũ erat damnãtes. Quod ipſum certe facere nõ oportet,ſed ſcire quid balneũ intempeſtiue adhibitũ operetur, quid itẽ fatigatio, & laſſitudo. Nunquam.n.eadem afflictio ab his prouenit,neque ab alio,neque etiã ex repletione, neque ex cibo tali,vel tali. Quiſquis igitur hæc non cognoſcet,quomodo ſingula ſe habeant ad hominem comparata, is neque cognoſcere quæ ab ipſis fiũt poteſt, neque recte vti.

39 Cæterùm & hæc cognoſcere oportere mihi videtur,nimirũ quæ affectiones homini ex facultatibus, ac potentijs,quæ item ex figuris adueniũt. Quod autẽ dico tale eſt,Nempè facultatem quidem eſſe, humorum ſummas vires,ac robur noſſe. Figuras autẽ dico, quæ in ipſo homine in ſunt:aliæ.n.cauæ ſunt, & ex amplitudine in arctũ coactæ,aliæ expaſſæ, aliæ ſolidæ,& rotundæ,aliæ latæ,& penſiles,aliæ extẽtę, alię longę,alię denſę,aliæ raræ,& hiantes,aliæ ſpongiformes,ac molles. Quæ igitur ex his trahere ad ſe ſe,allicereq; humiditatem ex reliquo corpore maxime poſſunt? num cauę,& expaſſę,an ſolidæ,& rotundæ,aut cauæ, & in arctum ex amplitudine coactæ? Equidem puto tales eſſe,quæ ex cauitate,& amplitudine in arctũ ſunt coactæ. Id quod ex manifeſtis forinſecus condiſcere oportet, partim quidẽ quòd ore hians nihil ſanè humoris attraxeris, vbi verò labra foras produxeris,contraxeriſque,ac compreſſeris,in ſuperque fiſtulam admoueris; facile ſanè attraxeris quicquid volueris:partim verò quòd cucurbitę,quę corpori adponi ſolent, ex amplitudine in anguſtiam arctatæ ad hoc factæ ſunt, ad trahendum videlicet, & alliciendum ex carne. Sunt autem & alia multa eiuſcemodi. Verum intra hominem natura & figura talia,ſunt veſica, & caput, & vterus in mulieribus: atq; hæc manifeſte maxime trahunt, & ſemper plena ſunt attractę humiditatis. At verò cauę,& expaſſæ figuræ,influentem quidem humorẽ maxime omnium ſuſceperint, nõ autem ſimiliter attraxerint. Solidæ autem,& rotundę,neque attraxerint, neque ſuſceperint: dilabitur enim, & non habet ſedem in qua maneat.

40 Spongiformes verò,& molles, velut lien, pulmo, & mammæ,vbi admotæ maxime fuerint,& adhæſerint,ebibunt,duraque fiunt,ac augeſcũt humore accedente maxime pulmo: non.n.in ventriculo ineſt, in quo humorem extrinſecus cõtineat ipſe ventriculus,in quo eſt humor, vt quotidie exhauriat:ſed quũ biberit,& ſuſceperit ipſe in ſeipſum humorem,& uacua,& rara,ac parua penitus explentur, & pro raro, ac molli durus,ac denſus euadit,& neq; concoquit, neque dimittit. Atq; hæc patitur propter figuræ naturam. Quæcunque autem flatum,& reuolutiones operãtur in corpore,ea in cauis,ac amplis, veluti vẽtre,ac pectore ſtrepitum, ac ſonitum facere ſolent: etenim quòd non ſic repleãt vt ſtent,ſed habent trãſmutationes,& motus:neceſſe eſt,vt ab ipſis & ſtrepitus,& manifeſtæ commotiones fiant. Quęcunq; verò carnoſa ſunt,& mollia,in talibus torpores,& excreſcentia,velut in trucidatis fiunt.

41 Cęterũ quũ inciderit flatus in latũ,ac renitens,& aliquid ipſi reſtiterit,idq; natura fuerit neq.forte,vt aduerſus violẽtiam durare poſſit, & nihil mali pati: neque molle,& rarum, vt excipere, accedere queat: verũ tenerum,& floridum, & ſanguineũ,ac dẽſum, velut hepar,quod propter dẽſitatẽ quidẽ,ac latitudinẽ reſiſtit,ac nõ cedit, flatus verò ſubiẽs augeſcit,ac fortior euadit,& aduerſum reluctans maxime impetum facit. Propter teneritudinem aũt, & ſanguineitatem

tatem,absque doloribus esse non potest, & propter has causas dolores acutissimi, ac frequentissimi circa eũ locum contingunt, suppurationesq; ac tubercula plurima. Fiũt etiam circa septum transuersum fortiter,sed multo minus:distentio enim septi transuersilata est & renitens, natura autem neruosior, & robustiori quapropter minus dolore affligitur;fiunt tamen & dolores,& tubercula circa ipsum. Multæ verò etiam aliæ & extra,& intra corpus figurarum species sunt,quæ magnopere inter se differũt,quod ad affectiones pertinet,tum ęgroto,tum sano: velut capita parua,aut magna,colla tenuia aut crassa,longa aut breuia,ventres longi aut rotundi,pectoris & costarum latitudines aut angustiæ, & alia infinita, quæ omnia nosse oportet quatenus differant, quò causas singulorum cognitas probe obserues.

42 De potentijs autẽ humorum perspectum habere oportet,quid singuli ipsorum in homine facere possint,quemadmodum etiam prius dictum est,quomodo cogitationes inter se habeãt.Quod dico tale est, An videlicet dulcis humor in aliam speciẽ mutetur, non a contemperamento, sed ipse desciscens & immutatus ab eo,qualis primum fuerat,amarus,aut salsus,aut acerbus,aut acidus. Sit sanè acidus. Ergo acidus humor reliquos præcellens,maxime incommodus fuerit:si vtique dulcis, omniũ commodissimus existit.Id quod si quis forinsecus quærens consequi possit, is semper quod melius est ex omnibus eligere queat.Optimum autem est,quod lõgissime ab incommodo abest.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Medico.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Medici gubernatio quæ.*
2 *Medici officina,& domus situs. Splendor omnis,per quem oculi offenduntur,fugiendus. Oculi debiles à quauis causa facile læduntur.Sellarum structura.*
3 *Chirurgus æreis instrumentis non utatur. Medicamentorum adhibendorum, & diligationis ratio diligenter considerãda.*
4 *Deligatio quæ medicinæ propria. Sectio uelox, aut tarda quando commendetur.*
5 *In sectionibus, gladiolis acutis, ac latio pro partium affectarum differentia utendum. Sectiones quæ, quibus locis conueniant.*
6 *Cucurbitarum figuræ quomodo formandæ.*
7 *Sacrificatio subter cucurbitam quatenus fieri debeat.Venæ secandæ ratio, & modus.*
8 *Tuberculorum, & ulcerum maiorum morborum deprehensio,& dissolutio,magni est ingenij,& artificij.*
9 *Vlcerum uiæ quatuor.*
10 *Cataplasmatum formandorum ratio eorumque vsus.*
11 *Temporum,& uirium cognoscendarum difficultas.Chirurgum militare oportet.*
12 *Telorum extractio,artis chirurgicæ pars præstantissima.*

1 HIc liber Medici gubernatio est,& præceptum quomodo officinam Medicam instruere oportet. Medici equidem gubernationem esse putamus, vt videat quo modo colore, & bona, ac carnosa corporis habitudine præditus sit,iuxta existentem in ipso naturam: vulgus enim existimat eos,qui non sic bene dispositum corpus habent,neque alijs bene prospicere posse. Deinde vt opinionẽ captet apud ipsum vulgus vestitu decoro,& vnguentis odoratis,non suspectum odorem ad omnia habentibus:inde.n.ægrotos iucunde affici cõtingit. Postea animaduertere ipsum oportet,vt animum habeat modestũ,nõ solùm quod ad tacitur nitatem attinet:sed etiam circa reliquam vitam probe compositum:maxime enim ad opinionẽ,ac autoritatem comparandam conducit, bonis ac honestis moribus præditũ esse. Nam quum talis fuerit, omnibus venerandus,ac humanus iudicabitur,Prõptitudo.n.temeraria, & facilitas contemnuntur, etiam si valde commoda existant. Scopum autem præfigere oportet potestatem facultatum suarum;nam eadem ab ijsdem non abundantibus boni consulũtur. Figuram faciei habeat meditabundam,ac subtristem,nõ tamen amarulentæ:contumax.n.esse videbitur, & homines odio habens. Qui verò in risum exolutus est,ac nimiũ hilaris,onerosus iudicatur.Hoc itaque vitandũ est vel maxime. Iustum autẽ ad omnem cõuersationem esse conuenit: iustitia.n.multum auxiliatur.Non exigua autem commercia ægris cũ Medico sunt: nam seipsos Medicis subditos faciunt,& omni hora mulieribus,virginibus, & opibus maximi preci j illi occurrunt. continenter igitur ad omnia hæc se habere oportet. Animo itaque,ac corpore sic dispositum esse conuenit.

2 Porrò præcepta ad artem Medicã,per quæ artificiosus esse videbit,ab initio considerabimus:ex quo primũ homo discere incipit.Quæ igitur in officina medica curantur,ferrè ad discentes pertinẽt. Primũ quidẽ locum domus habere oportet, qui sanè talis sit,vt neq; ventus ad ipsum accedẽs molestus sit,neque sol,neque splendor infestet: Lux enim splendida medentibus quidem non est molesta, non similiter autem ægrotantibus. Itaque talem splendorem penitus fugere oportet, per quem oculos ægrotare contingit. Tale igitur præceptũ de luce obseruetur. Deinde vt nequaquam faciem aduersam splendori habeat:infestat enim visum debilem. Omnis autem occasio sufficiens est ad debiles oculos conturbandos. Luce itaque hoc modo vtendum est.Sellæ autem æquales altitudine sint, quantum eius fieri potest,

test, vt in ipsis ægri collocentur.

3 Aeramento exceptis instrumentis, nullo vtatur; ornatus.n. onerosus mihi esse videtur, talibus vasis vti. Aqua exhibenda est ægris potabilis,& pura. Ex terforijs vtendum est puris, ac mollibus, ad oculos quidem,linteis,ad vulnera verò,spongijs:hæc enim per se probe auxiliari videntur.Omnia autem instrumenta rite fabrefacta ad vsum esse oportet,magnitudine,grauitate,ac tenuitate. Quæ verò adhibentur omnia considerare oportet, vt conferant, maxime si ęgrotæ parti adhibebuntur. Talia autē sunt,ligamēta,& medicamenta,& lintea circa vulnus,& cataplasmata:hęc enim longissimo tempore circa ęgrotantes locos sunt. At vero ablatio horum, refrigeratioque, ac mundificatio, & aquarum affusio,pauco tempore absoluuntur. Diligenter autem considerare,quid horum faciendum sit oportet, & vbi magis, aut minus ea adhibere cōuenit: vtrorūque.n. vsus opportunus, itemque negligentia magnam differentiam habet.

4 Est aūt propria,& genuina medicinæ deligatio,ex qua æger opem sentit. Maxime aūt prosunt duo hęc, quibus vtendū est, cōprimere videlicet vbi oportet, & remisse deligare. Iuxta horæ vero tēpus, quando integere oporteat & non,videndum est,vt neque debili,neque fortiore alterutro horum vtaris.Concinnas autē deligationes ad spectaculum comparatas, & nihil iuuantes, reprobare oportet: onerosæ enim sunt,& omnino petulantes, sępè verò ēt damnum derunt.Quærit autē ęger nō ornatum,sed auxilium. Cęterum in chirurgijs,quę per sectionem,aut vstionem fiunt,velocitas,ac tarditas ęqualem laudem merentur:est enim vtriusque vsus:nā in quibus per vnicam sectionem chirurgia absoluitur velocem dissectionem facere oportet. quum enim contingat eos, qui secantur dolere, id quod dolorem affert, quàm minimo tempore adesse cōuenit, quod ipsum continget veloci sectione facta. Vbi verò multas sectiones fieri necesse est,tarda chirurgia vtendum est: velox enim continuum, & multum dolorem inducit. Tardus uerò,& intermittens,requiem aliquam his,qui curantur,exhibet.

5 Idem de instrumentis quoque dici pōt: gladiolis enim acutis,ac latis vti,non in omnibus similiter prę cipimus.Nā partes quędā sunt corporis,quę celerem sanguinis fluxū habent,& non facile est eum sistere. Tales aūt sunt varices,& quædam aliæ venæ.Itaque in talibus angustas sectiones facere oportet: neque enim possibile est, vt fluxus in his quantum satis est fiat. Conducit autem aliquando à talibus sanguinis detractionē facere. At verò ad locos nō periculosos, & circa quos non tenuis est sanguis, latioribus gladiolis vtendum est: sic enim sanguis prodierit,aliter nequaquam. valde autem turpe est non contingere à chirurgia quod velis.

6 Cucurbitarum porrò duo modi commodi existūt: quando enim fluxus procul ab apparente carne compactus fuerit, circulum ipsius breuē esse oportet, ipsamque non ventrosam, sed prolixam parte ad manum vergente,non grauem.Quę enim talis est,in directum trahet, & serosos humores separatos, ac distantes probe ad carnem adtrahet. Maiore autē dolore per carnē dispersō,in reliquis quidem consimilem cucurbitam esse oportet, sed circulum magnū: sic enim ex plurimis partibus id quod dolorem facit, educere comperies ad locum conuenientem. Neque enim magnum esse circulum putant,si non ex pluribus locis caro comprehendantur,ac contrahatur. At si grauis sit; ad supernos locos repit: inferne autem magis detractionem facit, vt sæpe morbi relinquantur. Lati itaque circuli,vnà cum incumbentibus fluxionibus, & longè distantibus à supernis locis, multa simul adtrahunt de alia carne. Contingit igitur humiditatem inde detractam, apponi collecto inferne sub cucurbita serosō humori, & quæ quidem infestant, relinqui: quæ verò nihil molestant, detrahi. Magnitudinem porrò cucurbitæ quæ commoda sit, iuxta corporis partes, quibus admouere oportuerit, coniectare oportet.

7 Vbi verò sacrificationem subter cucurbitam adhibere velis, sanguinem scarificandorum locorum cōspicuum esse oportet, alias neque circulum adtractū sacrificare, ac pertundere oportet: debilior enim est caro loci dolore affecti. Scalpris autem incuruis, in summo non valde anguſtis vtendum est. Aliquando enim serosi, ac sanioſi humores viscosi, ac crassi veniunt;periculum igitur est ne in fissuris substent,vbi arctæ fuerint incussæ. Porrò venas in brachijs funiculorum apprehensionibus constringere oportet:caro enim contegens in multis non probe coaptata est venę: vbi enim lubrica fuerit caro,non contingit sectiones vtrorumque iuxta seipsas fieri: nam venam contectam insufflari contingit, & sanguinis fluxum impediri. multis verò etiam propter hoc pus congregatur. Quapropter duo nocumenta talis chirurgia inducit,secto quidem dolorem,secanti verò multam ignominiam. Idem in omnibus venis fieri præceptū est. Hæc quidem igitur necessaria sunt in officina medica instrumenta, & circa quorum vsum artificiosum esse oportet addiscentem. Volsellis autem tum dentium,tum vuarum,quilibet vti potest: simplex enim vsus ipsorum esse videtur.

8 Cæterùm de tuberculis, & vlceribus, quæ maiorum morborum sunt,amplius videndum est. Tubercula equidem deprehendere,& dissoluere posse,maxime artificiosum habetur,itemque collectiones ipsorum impedire. Consequens est,ea in conspicuum, & quàm breuissimum locum contrahere,& compagem ipsam æqualem per totum tuberculum facere: vbi enim inæqualiter se habuerit, periculum est,vt rumpatur,& vlcus ægre curabile reddatur. exæquare itaque oportet, similiterque totum maturum facere,& neque prius diducere, neque finere vt sponte rumpatur. Quæ uerò maturum facere æqualiter possint,in alijs libris relata sunt.

9 At uerò ulcera quatuor uias habere uidētur. Vnā in profundum, hæc autem sunt fistulosa,& quæ sanie plena sunt,ac intus excauata. Alteram in altum, quæ uidelicet carne superexcrescunt. Tertia uia est in latitudinem,atque hæc sunt quæ appellantur serpiginosa. Quarta uia est,quæ sola secundū naturam motus esse uidetur. Carnis itaque calamitates hæ sunt, omnes autem communem rationē habent ad hoc quod ipsis conducit: & signa quidem horum in alijs relata sunt, itemque qua utendum sit curatione: per quæ autem concretum dissoluatur,similiterque id quod carne excrescente repletum,aut cauum factum est,aut quod in latitudinem iter fecit, de his omnibus in alijs scriptis nostris abunde dictum est.

10 Amplius verò de Cataplasmatis sic res habet. Linteorũ, quæ imponũtur, ac induntur alicubi in morbo, vsus exactus esse videtur, & est sanè vlceri conueniens linteolorum impositio. Verum cataplasmate per ambitum vlceris vtaris: nam hic vsus cataplasmatis, & artificiosus est, & multum prodesse potest. Videtur enim vlceri opitulari vis eorum, quæ circumponuntur. Linteum autem constringit. Verum partibus extra vulnus circumsitis cataplasma prodest. Talem igitur ipsorum vsum esse oportet.

11 Porrò de temporum occasionibus quando singulis horum vtendum est, & quomodo præscriptorum vires condiscere oporteat, in præsens relictum est: talia enim longe præstantissima in studio Medicinæ sunt, & procul in arte iam progressi existunt. His cõsequens est chirurgia vulnerum in militia acceptorum, circa extractionem telorum: nam in vrbanis conuersationibus modicus horum vsus existit: rarò enim per omne tempus ciuiles ac hostiles expeditiones fiunt. huiusmodi autem sæpe, ac frequentissime circa externas militias fieri solent. Qui igitur hac chirurgia vti volet, eum militare oportet, & externos exercitus sequi: sic enim exercitatus fieri poterit ad eiusmodi vsum, ac necessitatem.

12 Quod verò circa hęc artificiosissimũ esse mihi videtur, referetur. Etenim signa exquirere, ac inuenire telorũ ĩ corpore existẽtiũ, maxima artis & chirurgiæ huc pertinẽtis pars existit: vbi. n. hoc cognitũ fuerit, nõ relinqui põt vulneratus ex ignorãtia neglectus, quũ nõ conuenienter tractetur. Solus aũt is, qui signorum expertus est, hanc chirurgiam rite aggredietur. Verùm de his omnibus in alijs scriptum habetur.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Decenti ornatu.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Sapientiæ in rebus humanis magna vtilitas.*
2 *Medicorum verorum, & falsorum differentia.*
3 *Naturæ præstantia primarium inter hominis virtutes, bonaque locum obtinet. Sapientia ex doctrina accedit. Medicum opere esse oportet, non sermone.*
4 *Opinio in medicina reprehenditur. Artem medicam tempus facilem efficit. Medicinæ sapientia copulanda. Medicus philosophus Deo æqualis.*
5 *In medicina insunt omnia quæ ad sapientiam requiruntur.*
6 *Medicina Deos reuerenter habet.*
7 *Medicum morum comitat decet. Medicus instrumenta omnis generis præparata habeat.*
8 *Chirurgicorum instrumentorum institutio ad peregrinationem. Medicinæ principium, medium, & finis.*
9 *Medicamentorum singulorum effecta experientia prius cognoscenda. Medico in visendis ægrotis, quæ obseruanda.*
10 *Morbi in subiecto humido instabiles. Morbi circa temporis occasionem neglecti, progressu perimunt. Aegrotorum peccata Medico diligenter obseruanda. Decubitus ægrotorum consideratio ex anni tempore, & iuxta genera.*
11 *Strepitus, & odores circa egros maxime fugiendi: Aegri neque de præsentibus, neque de futuris sunt admonendi.*
12 *Circa ægrorum curam discipulis imperitis nihil committendum.*

1 NON sine ratione faciunt, qui sapientiam ad multa vtilem esse prætendunt, eam videlicet, quæ inter homines existit: multæ enim ad superfluam curiositatem factæ apparent, dico autẽ eas, quæ de nulla re vtili disserunt. Assumi autẽ vtique possunt ẽt harum partes ad illas, vel propterea, quòd neque cessatio est, neque malitia: ocium enim, & ignauia malitiã quærunt, & ad eã distrahũtur, vigilantia verè, & mẽs ad aliquid intẽta, trahũt ad se quid eorũ, quæ ad vitę honestatẽ pertinẽt, etiã ex disputationibus nihil vtile spectãtibus: gratiosior est n. sapientia, & ab alijs quibusdã in artẽ constituta, artẽ videlicet ad parandũ honestum ornatũ, ac opinionem: oẽs. n. non cũ turpi lucro, & turpitudine consistunt. Et illis methodus quędam est artificialis, quæ operantur. quod si nõ innocẽter fiat, raptores sunt, adolescentes. n. in ipsos incidunt, verùm in vigore cõstituti, propter verecundiã, videntes ipsos idiotas ducunt. Senes verò propter amarulentiam, legislationem in ipsos constituunt, ex ciuitatibus videlicet expulsionem: hi enim sunt qui fora frequentant, ruditate, ac inscitia sua imponentes, & in circulis ciuitatum versantes.

2 Cognouerit aũt quis ex vestitu, & alijs lineamentis: quamuis. n. fuerint splendide ornati, multo magis fugiẽdi sunt, & à cõcupiscẽtibus odio habẽdi. Qui verò cõtrario modo se gerũt, frugi hoĩes iudicãdi sunt, quibus nõ est excogitatus apparatus, neq; superflua curiositas: ex vestitu. n. cognosces, & decenti in ipso ornatu, ac frugalitate, nõ ad superfluitatẽ parato, sed magis ad bonã opinionẽ, & meditationẽ, animumq; intra se cõpositũ, & ad profectionẽ. Imò quocunque vestitu, ac ornatu, tales sunt minime diffluentes, non curiosi, amarulẽti ad occursus, & obuiã itiones, appositi ad responsiones, graues aduersus resistẽtes, ad sui similes solertes, & familiares, ac affabiles, temperati ad oẽs, ad seditiones taciturni, ad tacendũ animo obfirmato, & continentes, ad tẽpus appositi, & ad occasionem arripiendam accommodati, ad victum frugales, & contenti, patientes ad temporis expectationem, ad sermones expediti, omne demonstratum proferentes, suauiloquentia vtentes, gratijs affecti, & gloria horum omnium corroborati, ac fortificati, ad veritatem, ac demonstrationem audentes, ac confisi,

confiſi. Principaliſſimum quidem igitur horum omnium prædictorum eſt Natura.

3 Nam ſi hæc affuerit his, qui artibus animum applicant, per omnia prædicta penetrare poterunt; incognita enim vtilitas, tum in ſapientia, tum in arte adhibita, ad principium capiendum edoceri poteſt. Natura autem defluit,& confunditur cum ſapientia, ad cognoſcendum ea,quæ ab ipſa natura facta ſunt: etenim in vtriſque ſermonibus multi conuicti, nullatenus vtriſq; rebus vſi ſunt ad demonſtrationem. poſtquam igitur quiſpiam ipſorum expenderit ad veritatem ea,quæ retulimus;nulla tenus naturæ bona ipſis procedent. Comperiuntur itaque hi non conſimili cum illis via progreſſi. quapropter denudati,omnem induunt maliciam,ac ignominiam honeſtus eſt enim ex opere, quod quis edoctus eſt ſermo: quicquid enim artificiosè factum eſt,ex ratione prolatum eſt, ac productum. Quicquid autem artificiosè dictum eſt,non autem factum,methodi inartificialis demonſtratiuum exiſtit. Nam putare quidem, non autem facere, ignorantiæ, & inartificialitatis ſignum eſt.

4 Opinio enim maxime in Medicina in crimen vertitur eam adhibẽtibus:his verò, qui ea in ſe vſi ſunt, perniciem affert: etenim ſi ſibiipſis in ſermonibus perſuaſerunt, & opus ex diſciplina ſe ſcire putauerunt,quemadmodũ aurũ adulterinum in igne iudicatum,tales ſeipſos eſſe demonſtrant: quanquam talis prædictio nihil cõmouet ad prudentiã eos, qui ſunt eiuſdem generis. quòd autem rectus ſit finis, cognitio manifeſtum facit. Tempus porrò etiam artem facilem ac peruiam facit, aut in cõſimilem viam incidentibus proceſſus manifeſtos facit. Quapropter ſingula prædicta ſuſcipere oportet, & ſapientiam transferre ad medicinam, & medicinam ad ſapientiam: medicus enim philoſophus, eſt Deo æqualis: neque enim multa eſt inter ipſas differentia.

5 Nam omnia, quæ ad ſapientiam requiruntur, inſunt in medicina: argenti contemptus, reuerentia, verecundia, habitus ſubmiſſus,autoritas,iudicium, quies, obuiam itio, mundicia, doctrina, cognitio ad vitam vtilium ac neceſſariarum purificationum, alienitas à mercimonijs, alienitas à ſuperſtitione, præeminentia diuina: habent enim quæcunque habent ad coercendam intemperantiam, inſcitiam, auaritiam, concupiſcentiam, rapinasque, ac impudentiam. Hæc enim eſt cognitio accedentium, & vſus eorum, quæ ad amicitiam pertinent, & quomodo ad liberos, ac quaſcunque res ſe gerere oporteat.

6 Quatenus igitur cum hac ſocietatem habet,ſapiẽtia quædam eſt: nam & plurima ex his etiam medicus habet. Etenim ſcientia de dijs vel maxime animo ipſius implexa eſt: etenim in alijs affectionibus, & in ſymptomatis accidẽtibus, Medicina erga deos valde reuerenter ſe habere comperitur. Medici verò deis concedunt: non enim eſt potentia in ipſa redundans:nã & hi multa quidẽ aggrediuntur,multa verò ẽt per ſeipſa ipſis ſuperantur. Quę verò nũc poſſidet Medicina,hinc exhibebit. Quæ enim via ipſius ſit in ſapientia, hactenus dictũ eſt:nã & illis ipſis hoc modo ſe res habet. Quę verò putãt,& cõfitentur,ac profitẽtur,ſic habẽt. Quę circa corpora adſunt,& aduenĩũt,quæ ſanè per oẽm ipſam artẽ procedunt,dũ illa trãsformãtur,aut trãſmutatur. Quæ itẽ p chirurgiã ſanãt. Et quę auxilijs & medelis aut victu curantur. Sũma verò horũ omniũ tendat ad horũ cognitionẽ.

7 Quũ igitur relata oĩa tali modo ſe habeãt,cõuenit, vt Medicus comitatẽ quãdã ſibi adiunctã habeat:auſteritas.n. & ſanis,& ęgris difficilẽ acceſſum prębet. Maxime adſeruare ipsũ ſeipſum cõuenit,vt ne multas corporis partes oſtẽdat, neque cũ imperitis multa fabuletur,ſed neceſſaria: hoc.n. violentia eſſe cõſueuit ad curationis prouocationẽ. Facere aũt nihil horum debet valde curiosè, neque ex imaginatione. Hæc verò omnia cõſiderato,quo tibi præparata ſint ad abundantiã,prout opus fuerit. Sin minus,inſtante neceſſitate ſemper penuria fuerit. Procurare autem oportet hęc in medicina, cũ omni ſubmiſſione,defrictione,& illitione. & perfuſione,ad manuũ cõcinnitatẽ:delinamentis vulſis,de ſplenijs,de ligamẽtis,de his,quæ pro temporis conſtitutione requiruntur,de medicamentis ad vulnera, & ocularia, & ex his ea, quæ ad ſingula genera pertinent: quo tibi prępparata ſint,& inſtrumẽta,et machinę et cõſequẽter ferrũ:nã in his penuria detrimẽtoſa eſt,& artẽ mancam facit.

8 Sit autem tibi alter apparatus ſimplicior ad peregrinationes inſtructus, ad manus prõptus:expeditiſſimus autẽ per methodi rationem: neque enim fieri poteſt,vt Medicus omnia percurrat. Firma item memoria teneto medicamenta,& ſimplices facultates, & deſcriptas,ſi modo tales extant. Sint & in memoria tibi morborum curationes,& harum modi,quotupliciter,& quomodo in ſingulis ſe habent: hoc.n. principium eſt in Medicina,& medium,& finis. Prępparata quoque tibi ſint malagmatum genera ad ſingulos vſus. Potiones, quæ incidere poſſunt ex deſcriptione præparatæ iuxta genera. In promptu ſint & quæ ad medicationem pertinent,ad purgationes, ſumpta de locis congruis, & parata eo, quo conuenit modo, iuxta genera,& magnitudines,ad vetuſtatem ferendam curata. Recentia verò iuxta temporis occaſionem,& alia iuxta rationem. His autem tibi prępparatis hoc commodi erit,vt vbi ad ægrotum introieris, animo incertus non ſis, quum appoſitè habeas ſingula ad id,quod faciendum eſt.

9 Antea verò hoc cognitum habeas quod facere oportet,quàm ad ægrum ingrediaris:pleraque enim neque ratiocinatione,ſed auxilio rerum opus habẽt. Itaque euẽtum ex experientia prius diſcernere oportet:eſt enim hoc glorioſum,& facile cognoſci poteſt. In ingreſſu verò meminiſſe conuenit & ſeſſionis, & habitus ſubmiſſi, amictus compoſiti, auctoritatis, breuiloquentiæ, vt nihil cum perturbatione facias, aſſeſſus, diligentiæ, reſponſionis ad ea, quæ occurrunt,& ad tumultus oboriẽtes cõpeſcẽdos,cõſtantię apud teipſum, increparionis ad turbas caſtigandas, promptitudinis ad miniſteria. Et ad hæc memor ſis primi apparatus. Sin minus,reliqua citra errorẽ fiãt, quæ ad promptitudinem parandam præcipiuntur.

10 Ingreſſu vtere frequenter, viſita diligentius, his, quę à deceptis per errorẽ fiunt occurrens,vt mutentur: facilius enim cognoſces, ſimulque expeditior eris: inſtabilia enim ſunt quę in humidis conſiſtunt. Quapropter ẽt facile & à natura, & à fortuna tranſmutãtur:neglecta enim ea quæ circa temporis occaſionem adminiſtrare oportebat, impetu ſuo progreſſa occupant,ac perimunt: non.n. eſt quod opẽ ferat.

Multa enim sunt, quę simul mali aliquid faciunt: nã quod singulatim iuxta consequentiam fit, magis opportunum, & frequentius est. Obseruare autẽ oportet ægrotorum quoque peccata, per quæ multi sæpe mentiti sunt, in assumendis his, quę ingerenda exhibentur, postquam exosas potiones non accipientes, aut pharmacis datis, aut alia curatione adhibita, perempti sunt. Et factum quidem hoc non ad ipsorum confessionem vertitur, verùm Medico culpa imputatur. Considerare verò oportet etiam decubitus, quosdam ex ipsis iuxta anni tempus, quosdam iuxta genera: quidam enim in altis sedibus, quidam in subterraneis, ac tenebrosis decumbunt.

11 Strepitus quoque, & odores maxime vini; deterior enim hic est, fugere, ac transmutare oportet. Et omnia hæc facere placide, expedite, cum ministerio, ita vt pleraque ægroto occultes, & hilari, ac sereno vultu ipsum consoleris: quò à suis illum cupiditatibus auertas, simul cum amarulentia, & contraria instãtia increpando, simulque cũ commonefactione, ac dexteritate suscipiendo, ac consolando; non tamen vt quicquam futurorum, aut præsentiũ ipsis indices: plerique enim ob hanc causam, in vtrãlibet partem cõpulsi sunt, propter relatã videlicet prædictionẽ præsentiũ, aut futurorum. Sit autẽ ex discipulis aliquis præsens, qui instet, vt præceptis non amarulentè vtatur, & quod mandatum est, faciat. Deligito autem ex ipsis eos, qui iam in arte progressum fecerunt; quo ea, quæ vtilia sunt, addant, aut secure offerant, vt & interualhis nihil te lateat.

12 At verò imperitis nunquã quicquã procurandũ cõmittes. Sin minus, eius, qđ male factũ est, vituperium in te recidet; si nõ ambiguè habeat. ex quibus id, qđ recta methodo tractatũ est, procedet, & vituperationẽ tibi nõ afferet. Sed & qđ factũ fuerit, ad genus referetur. Proinde oĩa hæc prædicito in his, quę fiunt, his, quibus ea cognouisse propositũ est. His igitur ita habẽtibus, ad bonã existimationẽ, ac decentẽ ornatũ, & in sapiẽtia, & in medicina, & in alijs artibus oportet medicum distinctis partibus, de quibus diximus, semper vtrisque amictũ, ea conseruare, ac custodire, & tradere, ac facere: quum enim apud oẽs homines inclyta sint, conseruautur. Et qui per ipsa procedũt, celebres sunt à parentibus & liberis. Et, si quidam ipsorum non multa cognitione prædĩti sint; ab ipsis tamen rebus ad intelligentiam deueniunt.

HIPPOCRATIS COI

Præceptiones.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Tempus, & occasio quid. Medela tempore, aliquando occasione contingit. Ratiocinatio quid. Recordatio quomodo fiat. Ratiocinatio quæ in morbis non reprehendenda.*

2 *Naturam omnigenis rebus moueri, ac doceri. Ratione sola in morborum curationibus vti non licet.*

3 *Occasioni fortuitæ in aggrediendis morbis, quatenus attendendum.*

4 *Cum Aegrotis cur paciscendum. Aegroti qui sint negligendi.*

5 *Curandi qui, & quando gratis. Amor hominis, amor artis. Cura ægrorum, & sanorum quatenus suscipiatur.*

6 *Medici qui præceptionibus Hippocratis percipiendis apti, & qui non. Aegrorum duplex delictum.*

7 *Medici plures quando adducendi. Medicos à contentionibus alienos esse decet.*

8 *Aegri consolationes. Aegri ob doloris magnitudinem desperantes seipsos vita exuunt. Medicus quando suorum laborum remunerationem, & fidem amittat.*

9 *Habitus hominis bonus quis. Medicum apud vulgus differentem non magna laus manet.*

10 *Medico qualis natura optanda. Exercitatio in doctrinæ penuria adhibenda. Dicentibus attendendum, facientibus incumbendum.*

11 *Victus vna, eademque ratio cur non diu seruanda. Aeris repentina turbatio. Aetatis vigor.*

12 *Linguæ obscuritas vnde. Aetatum differentiæ in morborum iudicatione, magni sunt momenti. Morbi tranquillitas. Iudicatio morbi quid.*

13 *Affectio ex consensu. Vociferatio. Exercitia fortiora. Maritimus locus.*

1 TEMPVS est, in quo occasio est: Occasio verò, in qua tẽpus nõ multum. Medela tẽpore, aliquando etiam occasione contingit. Hæc sanè nosse oportet, & non ratiocinationi prius probabili intentum curam aggredi, sed exercitationi cum ratione. Ratiocinatio enim memoria quędam est, quæ componit ea, quę per sensum sunt percepta: imaginatione enim concepta est euidenter. Sensus autem perpessus iam delegator est eorum, quæ subiacent, ac obueniunt ad ipsam cogitationem. Qui verò sensus sæpe mala perpessus est, & suscepit, quibus, quando, qualiter læsus sit obseruans, & in seipsum reponens recordatur. Collaudo quidem igitur etiam ratiocinationem, si quidem ex fortuita occasione initium faciat, & delationem in morbum ex apparentibus persequatur: si enim ex his, quę palàm perficiuntur, ratiocinatio initium fecerit, in mentis potentia esse comperitur, ita vt ipsa ab alijs singula assumat.

2 Proinde statuendum est, naturam à multis, ac omnigenis rebus moueri, ac doceri, ita vt violentia quędam subsit. Mens autẽ vbi ab ipsa accepit, velut dixi, postea ad veritatem perducit. Si verò non ex euidenti aggressione, verùm ex probabili rationis figmento, sæpe grauem, & molestam inuehit affectionem.

Tales

Tales autem in viam arripiunt. Quid enim eandem erat mali, si mercedem auferrent hi, qui medicinæ opera male administrant? Nunc verò ægrotis, qui extra culpam sunt, non sufficiens esse apparet violentia morbi, nisi Medici quoque imperitia accedat. Et de his quidem hæc dicta satis sint. At his, quæ ex sola ratione perficiuntur, frui non datur: verùm his, quæ ex operis indicatione: fallax enim est & ad errorem procliuis affirmatio, quæ fit cum garrulitate. Quapropter in vniuersum his, quæ fiunt, inhærere oportet, & circa hæc vel maxime versari, si quis facilem, ac minime delinquentem habitum, quem sanè Medicinam appellamus, sibi comparare volet: valde enim magnam vtilitatem afferet, tum ægrotantibus, tum horum artificibus. Non tamen cunctandum est & ab idiotis inquirere, si quid conferre visum fuerit ad curationis occasionem: Sic enim arbitror vniuersam artem commonstratam esse; eo quòd ex vnoquoque siue obseruatio facta est, & consonantia in idem concurrerit.

3 Attendere igitur oportet fortuitæ occasioni, quæ plerunque se offert, atque hoc cum vtilitate, ac leni progressione potius, quàm cum promissione, & exultatione ea, quæ fit cum actione. Vtilis est autem & varia prædestinatio eorum, quæ ægroto offeruntur: non enim asseuerare oportet, quod aliquid solum exhibitum proderit. Omnes enim affectiones propter multas casuum circunstantias, ac mutationes, mora quadam diutiore adhærent. Et hoc sanè admonitione opus habuerit, ad diligentem considerationem faciendam.

4 Si enim à mercede inceperis (conducit enim hoc vniuerso negocio) ægroto quidem huiusmodi cogitationem inducis, quòd videlicet non ipso relicto abibis. Si verò non pacisceris, quòd ipsum negliges, & de quibusdam in rem præsentem non admonebis. Curare igitur oportet de constituenda mercede: inutilem enim esse putamus eiusmodi ægroti ipsius cogitationem, multo autem magis in morbo acuto. Morbi autem celeritas temporis occasionem non præbens ad reuersionem, non impellit bonum Medicum ad quærendum suam commoditatem, sed vt magis existimationis suæ rationem habeat. Itaque tunc melius est vt seruatis exprobret, quàm vt lętaliter affectos præconturbet. Quanquam aliqui ęgroti id expetunt, hospitij ius, & facilem mali depulsionem producentes, digni quidem, qui negligantur, non tamen qui affligantur. Quapropter his temerito oppones, cum bolidis iactu in maris turbati fluctibus iter facientibus? qui enim bonus Medicus est, is per Iouem fide magis, quàm duritia medetur. Quare in principio totam affectionem indagare oportet, & quædam suggerere conducentia ad curationē, curaręque ęgrotum, & non negligere. At verò remunerationis exigēdæ acerbitatem, absque prępparante ad disciplinam cupiditate; hortor, vt ne valde inducas, sed & ad opulentiam, & facultates respicias.

5 Quandoque verò etiam gratis cures, ita vt gratitudinis memoriam potiorē, quàm pręsentem existimationē auferas. Si verò occasio ferendæ opis se obtulerit: & peregrino, & egeno, maxime talibus opitu leris: si enim affuerit erga homines amor, adest etiam amor erga artem. Quidam n ęgrotātes vbi perceperunt affectionem circa se non esse in tuto, per Medici probitatem, ac mansuetudinem gloriantur sanitati restitutos se esse. Laudabile est autem ægrorum quidem curam gerere, gratia sanitatis: sanorum verò curam suscipere, ea gratia, vt sine morbis degant. Sed & sanorum cura habenda est gratia boni, ac decori ornatus.

6 Qui igitur in profundo ignorantiæ artis uersantur, prędicta minime perceperint: nam hi quum sint non initiati, miserabileque, ac subito exaltati: fortunæ tamen indigi, à diuitibus quibusdam, ex angustijs remissionem acquirūt, semperque ab opera gloriantes, & in deterius dilabentes deliciātur, artis operum sinceritatem negligentes, ob quam bonus Medicus, qui ab artis coniunctione socius artis appellatur, in vigore esse possit. Hic autem medelas circa delectum facile perficiens, nihil horum transilierit, non præ facultatis inopia: non enim infidus est, velut in iniustitia: nā ad curationē hi non accedunt, vbi affectionem pernicioſam esse vident, vitantes aliorū medicorum superinductionem, laudantes ægrotos propter praui auxilij odium. At ægrotantes afflicti natāt in vtraque improbitate, eo quòd potiori in arte curationi seipsos non cōmiserunt ad finem vsque: remissio enim morbi alicuius magnum ęgroto solatium prębet. Quapropter sanam affectionem cupiētes, eundem vsum semper admittere non volunt, Medici varietati se assimilantes. Sumptuum equidē opulentia ęgroti carent, morum improbitate adorantes, & ingrati euadentes. Quum autem consequi possunt vt ditentur, de mercede asseueranter affirmant, sani esse volentes, quęstum nimirū ex vsura, aut agricultura affore producentes, & postea de ipsis quæstum facere negligētes. Et de huiusmodi quidem declaratione hæc sufficiant: remissio enim, & intensio ęgrotantis, Medicam administrationem requirunt.

7 Nec verò in decore se ille geret Medicus, qui in rei pręsentis angustia circa ægrum aliquem, & imperitia tenebras offundente, alios quoque accersere iusserit, quo ex communi consideratione, res circa ęgrū inquirantur, ac cognoscantur, & illi cooperatores fiant ad auxilij ferendi facultatem: nam in afflictionis assiduitate, augescente affectione, ob consilij inopiam, plurima ad rem præsentem effugiunt. In eiusmodi igitur temporis occasione confidendum est: nunquam enim ego tale quid decerno, quod ars ipsa iudicat. Et de hoc nunquam contendere oportet affirmando, ac mutuis inter se conuicijs decertando: hoc enim iureiurando affirmare possim, quòd Medici ratiocinatio nunquam alteri inuidere poterit: imbecillis enim hoc modo apparuerit. Sed hæc magis expedite faciunt hi, qui circa forensia negotia, ac quæstus versantur: quanquam neque falso hoc cognitum fertur, quòd in omni copia, inopia inest.

8 At verò cum his omnibus magnum signum essentię artis apparuerit, si quis rectè medicās, ab eiusmodi compellatione non destiterit, iubens ęgrotos mēte non turbari, in eo quod ad salutis tempus peruenire gestiunt: hoc enim non inutile esse dicimus, & hoc sanè præcipiens non peccabit: ipsi enim ægroti propter dolorificā affectionē desperantes, seipsos vita exuunt. Qui verò ægrum sibi commissum habet, si artis inuenta demonstrauerit, conseruans, non mutans naturam, præsentem auferet remunerationem, aut contrà, fidem suam statim amittet.

Hominis enim bonus habitus natura quędā eſt, quæ motum non alienum ex natura acquiſiuit, ſed valde congrua eſt, & ſpiritu, & calore, & humorum cōcoctione vndiquaque, & vniuerſa victus ratione, & aliis omnibus compoſita, ac conſtructa: ſi non aliquis ex natiuitate, aut ab initio defectus fuerit. Si verò ēt quis fuerit, is ſi exilis eſt, conandum eſt, vt ſubiectæ naturę aſſimiletur: præter naturam enim eſt id, quod imminutum eſt, etiam per tempus. Porrò fugienda eſt & frictio per lintea ſudaria, propter parandā medendi autoritatē, itemque odor curiosè aſcitus: propter multam enim peregrinitatem, in calumniam incides: propter modicam verò, decentem ornatum conſequeris. In parte enim dolor modicus: in toto, multus Gratiam autem qua hominibus complaceas, non tollo: digna enim eſt Medico præſidio. At verò appoſitionis per inſtrumenta, & indicationis eorum, quæ ſignificant, & eiuſmodi rerum memoriam adeſſe oportet. Si verò etiam vulgi gratia velis diſſertationem ad audiendum te facere; non valde gloriosè id captes: non tamen cum teſtimonio, ac oſtentatione poetica: impotentiam enim induſtrij laboris oſtēdit. Auerſor enim ad alium vſum transferri induſtriam cum labore partam, quæ propterea in ſeipſa ſola gratioſæ ſectæ electionem habet: conſequeris enim inſtar fuci promptam cum comitatus deductione elationem.

10 Optanda eſt & eiuſmodi diſpoſitio, quæ aliena ſit ab eo, quod quis grandis iam natu diſcat: hoc enim præſentium quidem nihil perficit, abſentiū verò tolerabilis memoria exiſtit. Fit itaque omnia tentans infortunium, cum recenti pernicie, quæ negligit decorum, & in præfinitis terminis, & in profeſſione, & in maximis iuramentis deorum gratia factis: dū Medicus præeſt morbo, cum aſſidua lectione, inſtructioneque imperitorum fugitiuorum, ita vt ſermones tranſlationis imitetur, qui etiam antea quàm in morbo incertus animo eſſet, collecti fuerunt. Talium igitur vbi etiam præfectus eſſem, non ſanè in collectitia curatione id facerem, verùm confidenter auxiliū peterem: cognitionis enim decorę ſcientia in his diſperſa eſt. Quum igitur hi neceſſario ſint inſcij, ac imprudentes; hortor eos, vt commodam habeant exercitationem, poſt dogmatum cognitionis penuriam: quis enim multifidam dogmatū ſectionem ſe vere cognoſcere poſſe ſperarit, citra exercitationis conſtātiam?

11 Quapropter hoc admoneo, vt dicentibus quidem attendant, facientibus autem incumbant; & cōtractā victus rationem non diu præſcribant: ægrotantis. n. diuturnam concupiſcentiam erigit indulgentia quoque, in morbo diuturno. Si quis cæco animum aduertat, velut res magni timoris cauendus eſt, & gratia deſperanda, per quam vnitas conſtat. Aeris repentina turbatio vitanda eſt. Vigor ætatis omnia habet gratioſa, decrepita verò ætas, vice verſa.

12 Obſcuritas linguæ non ſatis claræ fit, aut propter affectionem, aut propter aures, ita vt priuſquā priora enunciarit, alia adijciat: aut priuſquam id quod mente concepit dicat, alia inſuper cogitet, & quæ quidem citra affectionem viſibilem appellatam, contingit linguæ obſcuritas, his maxime, qui artium ſtudio tenentur, accidit. Aetati etiam, quum paruum eſt aliquando ſubiectum, valde magna vis inęſt. In morbo tranquillitas, longitudinem ſignificat. Iudicatio verò eſt morbi exolutio. Parua cauſa medelis exſoluitur, niſi quid circa locum principalem affectum fuerit.

13 Quandoquidem affectio per conſenſum à triſtitia inducta vexat, quidam ſanè ex alterius conſenſu vexantur. Vociferatio affligit, Fortis laboris ſtudium ſubterfugiendum eſt. Maritimus locus ad ſanitatem commodus eſt.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Natura hominis.

Argumentum in Librum ſequentem.

1 *Hominem non ex vno aliquo elementorum conſtare. De hominis natura falſas eſſe philoſophorum opiniones.*
2 *Hominem vnum quiddam, vt ſanguinem, pituitam, bilem, eſſe non poſſe.*
3 *Hominem vnum quiddam ſtatuentes in quo fallantur.*
4 *Generationem neque ab vno, neque genere differentibus fieri.*
5 *Qualitates primæ, homine moriente, in ſuam naturam reuertuntur. Animalium omnium, eadem quæ hominis, & generationis & corruptionis ratio cauſaque. Humores in homine quatuor, ſanitatis & ægritudinis ſunt cauſæ.*
6 *Homo quando maxime ſanus.*
7 *Humorum ſecretio.*
8 *Humorum in homine, diſtinctas eſſe ſpecies & nomina.*
9 *Humores quatuor homini congenitos eſſe. Homo cur Medicis & Philoſophis quibuſdam vnum idemque eſſe putatur.*
10 *In ſuperpurgationibus neminem vnquam uno ſolo humore purgato, mortuum eſſe.*
11 *Qualitates ſecundæ, terræ etiam inſunt. Animalibus iugulatis qualis ſanguis profluat.*
12 *Pituita cur hyeme augeatur. Pituitam humorum omnium eſſe frigidiſſimam. Pituita hyeme repleri corpora.*
13 *Sanguis vere ab imbribus ſuperuenientibus augetur. Bilis flaua per æſtatem in corpore eleuatur, manente adhuc ſanguine.*
14 *Bilem per æſtatem & autumnum in corpore dominari. Sanguis autumno cur modicus. Bilis atra autumno plurima & fortiſſima exiſtit. Pituita cur hyeme augeatur.*

Corpus

15 *Corpus humanum ex quatuor humoribus constat.*
16 *Humores pro temporum anni differentijs in homine dominari.*
17 *De morborum circuitu. Humoribus ex anni temporum differentijs resistendum.*
18 *Contrariorum exacta cognitio vel sola morborum est solutio. Morborum homini duplex causa diæta, & spiritus. Morborum popularium spiritus seu aer, non autem diæta, causa existit.*
19 *Diætæ, morbis popularibus grassantibus, non cito permutandæ. Aeris & locorum in morbis popularibus mutatio vtilis.*
20 *Venarum crassissimarum quatuor in corpore paria earumque explicatio. Dorso ac coxendice dolente quæ uenæ secandæ.*
21 *In lumborum ac testium dolore, quæ uenæ sectio conueniat.*
22 *Venæ multæ & omnigenæ ex uentriculo per corpus, alimenti ferendi causa dispersæ sunt. Venæ sectio quam longissimè a locis dolentibus fieri debet.*
23 *Puris sputus, Vrinæ purulentæ, Excrementa cruenta, uelut in dysenterijs, citra febrem.*
24 *Pectoris suppuratio ex seroso ac sanioso humore. Calculi cur pueris in uesica fiant, uiris uerò minimè. Homo primis diebus sui respectu calidissimus, ultimis frigidissimus.*
25 *Quando quis sua sponte, ex sanguinis sputo, vrinis purulentis, & excrementis sanguinolentis curetur. Morbi securissimi qui. Arenosa, & tofi in urinis post tubercula post orassam uenam enata.*
26 *Vrinæ cruentæ. Caruncula in urinis capilliformes. Furfures in urina pura. Febres plurimæ a bile fiunt.*
27 *Febrium quatuor species. Febris continēs a bile plurima ac meraciſſima. Febris quotidiana, eiusque generatio. Febris quotidiana, continente longior.*
28 *Febris tertiana, eiusque generatio. Quartanæ generatio, & cur alijs diuturnior. Bilis atra omnium humorum viscosissima, ac tenacissima.*
Febres quartanæ, atræ bilis participes.
29 *Quartanæ ab anno uigesimoquinto incipiunt, nec ultra quadragesimumnonum, nisi magna causa agente progrediuntur.*
Quartanæ quando non diuturnæ.

1 QVicunque de natura humana amplius differentes audire consueuit, quàm eius ad medicinam pertinet, huic non est commodum hûc meũ sermonem audire: neque enim omnino ex toto aerem dico hominẽ esse, neque ignem, neque aquam, neque terram, neque quicquam aliud; quia non manifestum est vnum in homine esse, sed volentibus tamen hæc dicere permitto. At verò talia dicentes mihi non rectè rem cognoscere videntur: sententiam enim eandem omnes ineunt, verùm nõ eadem dicunt, sententiæ tamen epilogum eundem faciunt. Aiunt enim vnum quid esse, quodcunque tandem est, & id ipsum esse vnum ac totum; iuxta nomina autem non consentiunt: etenim alius ex ipsis aerem esse, hoc vnum ac totum dicit, aliud ignem, alius aquam, alius terram: & addit vnusquisque ad sermonem suum testimonia, ac signa, quæ nullius momenti existunt. Quia enim eadem sententia omnes vtuntur, dicunt autem non eadem, manifestum facit, quòd neque cognoscunt ipsa. quod ex eo vel maxime quis cognouerit, qui ipsorum disceptationibus interfuerit: nam quum iidem viri inter se disceptant, iisdem auditoribus præsentibus, nunquam ter consequenter idem homo vincit in eodem sermone: sed modò hic, modò alius superat, cuicunque fuerit lingua maximè fluida, ac populo grata. Atqui iustum erat, vt is, qui de rebus se rectè cognoscere pronunciaret, semper sermonem suum victorem statueret; si quidem vera cognosceret, ac rectè sentiret, ac iudicaret. Verùm huiusmodi homines videntur mihi seipsos oppugnare in verbis sermonum suorum, præstultitia, & Melissi sermonem approbare. De his igitur sufficiunt mihi, quæ retuli.

2 At verò ex Medicis quidam dicunt, quòd homo sanguis solùm est, alij ex ipsis bilem aiunt hominẽ esse, aliqui pituitam: epilogum autem & ipsi omnes eundem faciunt: vnum enim quid esse dicũt, quodcunq; cuique ipsorum nominare visum est, & id ipsum vnũ existẽs, speciẽ, ac vim trasmutare, coactum a calido, ac frigido. fieriq; & dulce & amarum, & album, & nigrum, & omnigenum quid aliud. Mihi verò neque hæc sic se habere videntur. Plurimi quidẽ igitur talia quædã, & amplius his proxima pronunciant. Ego autem dico, si vnum esset homo; nunquã sanè doleret: neque. n. esset, vnde doleret vnum existens. Si verò etiam doleret; necesse esset & quod mederetur, ac sanaret, vnum esse. Nũc verò plura sunt: multa. n. sunt in corpore existentia, quæ quum mutuo prẽter naturam calfiunt, & frigefiunt, siccãturque, & humectantur, morbos pariunt. Quare multæ quidem species morborum sunt, multaq; etiam medela ipsorum existit.

3 Atque ego sanè cẽseo eum, qui hominem sanguinem solum esse dicit, & nihil aliud, demonstrare debere, ipsum non transmutare speciem, neque omnigenum fieri, vel saltem horam aliquam anni, aut hominis ætatem, in qua sanguis solus in homine inesse appareat: verisimile est enim vnum aliquod esse tempus, in quo appareat ipsum in seipso vnum existens. Eadem censeo etiam de eo, qui pituitam solam esse dicit, & qui bilem. Ego enim demonstrabo ea, quæ hominem esse dixero, & iuxta receptum morem, & iuxta naturam, quòd semper ea ipsa similiter sint, & in iuuene, & in sene, & tempore frigido ęquè, ac calido. Exhibebo insuper signa, & necessitates ostendendam, per quas vnumquodque augescit, ac minuitur in corpore.

4 Primùm quidem igitur necesse est generationem fieri non ab vno. Quomodo enim vnũ existens, aliud quid generarit, si non alicui misceatur? Deinde neque generarint, si non eiusdem generis existẽtia misceantur, & quę eãdem vim habeant, neque sanè nobis similia perficerẽtur. Et rursus, Si non calidum ac frigidum, & siccũ ac humidum, moderate, ac æqualiter inter se haberent, sed alterum alterum multum prȩcelleret, & fortius debiliore prȩstaret; generatio fieri non posset. Proinde quomodo verisimile est, ab vno quid generari, quum neque a pluribus generetur, nisi habuerint temperamentum inter se probe conueniens? Necesse itaque est tali existente natura, cum aliorum omnium, tum humana, non vnum esse

homi-

hominem,ſed ſingula quæ ad generationem eius cõ ferunt,vim quandam in corpore habere,eam videlicet,quam contribuerunt.

5 Et rurſus neceſſe eſt ſecedere ſingula in ſuam ipſorum naturam,homine moriente,humidum nimirum ad humidum,ſiccum ad ſiccum, calidum ad calidum,frigidum ad frigidum. Talis autem & animalium eſt natura, & aliorum omnium, generanturq; ſimiliter omnia,& occidunt ſimiliter omnia: cõſtat .n.natura ipſorum ex his prædictis omnibus, & deſinit iuxta prædicta,in id vnumquodque,vnde eſt cõpactum ſecedens. At verò corpus hominis habet in ſeipſo ſanguinem,& pituitam,& bilem duplicẽ, flauam videlicet,& nigram.atque hæc ſunt ipſi corporis natura,& per hæc & ægrotat,& ſanus eſt.

6 Sanus equidem maxime eſt,vbi temperamentum hęc inter ſe habuerint moderatum, tum facultate, tum copia,& vbi maxime fuerint permixta. Aegrotat autẽ,quum horum quid minus aut amplius fuerit,aut ſeparatur in corpore,& nõ fuerit reliquis omnibus contemperatum: neceſſe eſt enim quum quid horum ſecretum fuerit,& per ſe ſteterit; non ſolùm eum locum,vnde ſeceſſit morbidum fieri,ſed etiam ẽum in quo ſtat,& in quem propter nimiam copiam diffuſum eſt,dolore,ac morbo vexari:etenim quum quid horum extra corpus effluxerit amplius, quàm redundat,euacuatio ipſa dolorem exhibet. Rurſus itaque ſi idem intus fecerit euacuationem, & tranſitionem,ac ab alijs ſecretionem, geminatum dolorẽ exhibere neceſſe eſt, velut dictum eſt,nempe & vnde ſeceſſit,& vbi receptum redundat. Dixi porrò, quæcunque hominem eſſe dixero,ſemper demonſtraturum me eſſe,quòd talia ſint, & iuxta receptum morem,ac opinionem,& iuxta naturam.

8 Et dico ſanè eſſe ſanguinem,& pituitam & bilem flauam,ac nigram:& horum primum quidem iuxta receptam opinionem nomina diſtincta eſſe dico, & nulli ipſorum idem nomẽ eſſe: deinde ſpecies iuxta naturam ſeparatas eſſe, & neque pituitam ſimilẽ eſſe ſanguini,neq; ſanguinem bili,neque bilem pituitæ:quo enim modo hæc inter ſe ſimilia ſint, quorũ neque colores ſimiles videntibus apparent, neq; ad manuum tactum ſimilitudo aliqua eſſe deprehenditur? Neque enim ſimiliter calida ſunt,neq; frigida, neque ſicca; neque humida.Quum itaque intantum inter ſe diſcrepent,tum ſpecie,tum facultate;neceſſe eſt ipſa non vnũ eſſe; quandoquidem neq; ignis, & acqua idem ſunt. Quòd autem hęc omnia nõ vnũ ſunt, ſed vnumquodque ipſorum vim, & naturam ſuam habet,vel hinc cognoſcere licebit:ſi enim homini alicui medicamentum dederis,quod pituitam ducit; pituitam tibi vomet: &,ſi pharmacũ dederis bilem ducens;bilem tibi vomet. Eadẽ ratione & bilem atram purgabit; ſi medicamentum exhibueris, quod bilem atram ducit.Quòd,ſi ipſi partem aliquã ſauciaris,vt vulnus fiat; effluet ipſi ſanguis;atq; hæc omnia faciet tibi totam diem ac noctem, & hyeme, & æſtate,donec ſpiritũ in ſeſe trahere, & rurſus reddere potens fuerit:potens autem erit, donec aliquo horum congenitorum fuerit priuatus.Cõgenita autem ſunt prædicta. Quomodo enim non congenita eſſent. Primùm etenim manifeſtum eſt,hominẽ in ſeipſo hæc omnia ſemper habere,donec vixerit. Deinde nata ſunt ex homine hæc omnia habente. Poſtea nutrita ſunt in homine hæc omnia habente,quę videlicet ego nunc dico,ac demonſtro.Qui verò dicunt,quòd vnum eſt homo,videntur mihi hoc conſilio vſi eſſe:nimirum quum viderint eos, qui medicamenta hauſerunt, in ſuperpurgationibus interijſſe, alios quidem bilem vomentes;alios pituitam,vnumquodque horum hominem eſſe putauerunt, quòd vi diſſent his purgatum interijſſe. Et qui ſanguinem dicunt hominem eſſe, eodem conſilio vtuntur: nam, quum vident iugulatos homines,& ſanguinẽ ex corpore ipſorum effluentem;hunc ipſum animam in homine eſſe putant. atque his teſtimonijs ſanè omnes vtuntur in ſermonibus ſuis.

10 Atqui primùm quidẽ in ſuperpurgationibus, nemo vnquam mortuus eſt bile ſola purgatus.Verum, quum quis pharmacum biberit,quod bilẽ deducit, primùm bilem vomet, deinde pituitam, poſtea per vim etiam atram bilem, poſtremum moribundus etiam ſanguinem purum vomet. Eadem perpetiuntur a medicamentis pituitam ducentibus: primùm .n.pituitam vomunt,deinde bilem flauam,& poſtea atram,morientes autẽ ſanguinem purum, & in hoc mox vitam finiunt: etenim pharmacum vbi corpus intrauerit;primùm quidem ducit id,quod ex omnibus in corpore exiſtentibus, ſibi maxime ſecundum naturam familiare fuerit, deinde verò etiam alia trahit,ac purgat. Quemadmodum ex terra naſcẽtia, & in ipſam plantata,ac ſeminata,vbi in terram peruenerint,vnumquodque trahit id,quod naturæ ſuæ familiare in terra exiſtit.

11 Ineſt autem in terra & acidum,& amarum,& dulce,& ſalſum,& omnigenum. Primùm itaque plurimum eius trahit in ſeipſum,quod ſibijpſi iuxta naturã maxime familiare fuerit; deinde trahit etiam reliqua huiuſmodi ſanè quiddã etiam pharmaca in corpore faciunt:quæcunque.n.bilem ducunt, primùm meraciſſimam bilem purgant, poſtea verò mixtam. Et rurſus pituitæ pharmaca,primùm meraciſſimam pituitam ducunt,poſtea mixtam.Et iugulatis primũ quidẽ ſanguis calidiſſimus, & ruberrimus profluit, deinde pituitoſior,ac bilioſior.

12 Porrò pituita in homine hyeme augetur: hæc.n. hyemi maxime ſecundum naturam conuenit ex omnibus in corpore exiſtentibus:frigidiſſima enim exiſtit.Signa autem,quòd pituita frigidiſſima eſt, hæc ſunt.Si enim pituitam,& bilem,& ſanguinem cõtingere libuerit;pituitam ſanè frigidiſſimam eſſe comperies,quamuis viſcoſiſſima ſit,& per vim maxime poſt bilem atram trahatur. quæ verò per vim trahũtur calidiora fiunt,a violentia coacta, ſed tamen ſupra hæc omnia, frigidiſſima eſſe apparet pituita ex ſua ipſius natura. Quòd autẽ hyems corpus pituita repleat,inde cognoſcere datur,quòd homines pituitoſiſſima & ſpuunt,& emũgunt hyeme, & tumores laxi albiſſimi fiunt maxime hoc tempore, itemq; reliqui morbi pituitoſi.

13 Cęterum verè pituita quidem adhuc fortis in corpore manet,ſed ſanguis augeſcit:nam & frigora remittunt,& imbres ſuperueniunt.Sanguis aũt iuxta hæc augeſcit,ab imbribus videlicet, & calidorũ dierum tempore. Hęc.n.anni pars maxime iuxta naturam ipſi conuenit:eſt enim humidus,& calidus. Signa autẽ hinc colligere licet. Quòd homines vere, & æſtate maxime dyſenterijs corripiuntur, & ſanguis

guis ex naribus ipsis fluit,& calidissimi sunt, ac ruberrimi. At verò æstate sanguis adhuc viget,& bilis in corpore eleuatur,& vsque in autumnum porrigitur. In autumno verò sanguis modicus fit;contrariũ enim eius naturæ id tempus existit.

14 Bilis autem per æstatem,ac autumnũ corpus possidet,id quod inde cognoscere potes;quod homines sua spõte hoc tempore bilem vomunt,& in medicamentorum potionibus biliosiora purgantur. Manifestum fit & febribus,& hominum caloribus. Pituita autem æstate debilior seipsa est: cõtrarium est enim naturę eius id tempus; calidum enim est,& siccum. Sãguis verò autumno paucissimus fit in homine: siccus enim est autumnus,& hominem iam frigefacere incipit. Atra porrò bilis autumno & plurima,& fortissima est. Postquam autem hyems apprehenderit, bilis flaua perfrigerata modica fit, & pituita rursus augetur,tum ob pluuiarum copiam,tum propter lõgitudinem noctium.

15 Corpus quidem igitur humanum hęc omnia semper habet, verùm pro tẽporis circunstantia, aliquando plura seipsis fiunt,aliquando pauciora,singula tũ iuxta partem,ac copiam,tum iuxta naturam: quemadmodum enim annus omnis omnium particeps est & caliditatum & frigiditatum,& siccitatum,ac humiditatum, (Neque enim quicquam horũ ne minimo quidem tempore cõsisteret,ac duraret, citra omnia ea,quę in hoc mundo insunt,verùm si vnum aliquod deficeret, omnia sanè abolerentur: ex eadem .n.necessitate omnia consistunt,& mutuo aluntur:) Sic etiã si quid ex homine deficeret ex his, quæ ipsi congenita sunt,non sanè viuere posset homo.

16 In anno autem aliquãdo quidem hyẽms maxime viget,aliquando ver, modo æstas, modo autumnus: sic etiam in homine, aliquando pituita prævalet,aliquando sanguis,aliquãdo bilis, primùm quidem flaua,deinde etiam nigra appellata. Quorum omnium cuidẽtissimum testimonium hinc habes: Si enim eidem homini id pharmacum quater in anno dare velis; vomet tibi hyeme quidem pituitosissima, vere autem humidissima, æstate biliosissima, autumno nigerrima.

17 Itaque quum hæc sic se habeant,quicunque morbi hyeme augescunt,æstate desinere solent: quicunque verò æstate augescunt, hyeme finire consueuerunt,nisi certo dierũ circuitu discedant. de circuitu autem dierum rursus dicam. Quicunq; autẽ morbi vere fiunt,ad autumnum eorũ discessum forte expectare oportet. Quicunq; postremũ autumnales morbi sunt,eorum discessum necesse est vere fieri. Quicunq; verò morbus hæc tẽpora transgressus fuerit, eũ annũ fore scire oportet. Porrò Medicũ sic aduersus morbos instare oportet, prout vnumquodq; horum in corpore prævalet, iuxta tẽpus,quod sibiipsi maxime natura conueniens existit.

Additicia sunt hæc,non genuina Hippocratis,vt ait Galenus.

Quin & hæc insuper ad illa nosse oportet, quòd quoscunque morbos repletio parit,euacuatio sanat; & quicunque ex euacuatione fiunt morbi, repletio sanat: quicũque verò a labore fiunt,quies sanat: qui autem ab ocio gignuntur,labor sanat.

18 In summa Medicum scire oportet, opponere se contrarium instantibus morbis,& naturis,& temporibus,& ætatibus,& distendentia soluere, & soluta distendere: sic enim vel maxime morbum sedauerit. & mihi sanè hoc ipsum sanatio esse videtur. Morbi partim ex diætis,partim ex spiritu,quem attrahẽtes viuimus,fiunt. Vtrorunque cognitionem sic facere oportet. Quando ab vno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore, causam ad id,quod communissimum est, & quo maxime omnes vtimur, referre oportet. Est autem hoc spiritus,& aer,quem in spirando trahimus. Manifestum est enim iam,quòd diæta vniuscuiusque nostrum,causa non est, quum morbus omnes consequenter contingat & iuniores, & seniores,mulieresque,ac viros, & tam vinolẽtos, quàm aquæ potores,& tam mazam edentes, quã pane vescẽtes,& tam multum laborantes, quàm parũ. nequaquam igitur diæta causa fuerit, quum homines diuersa victus ratione vtentes ab eodem morbo corripiuntur. Quum verò omnis generis morbi fiũt eodem tempore, palam est victus singulos singulis causas esse:& curam sanè facere oportet,ex contrario instando aduersus morbi causam,quemadmodũ & alibi a me relatum est, & victus rationem permutare. Conspicuum est.n.diætam qua homo vti consueuit, non esse ipsi commodam, aut in totum, aut magna ex parte,aut vnum saltem quoddam ex ipsa: quod vbi cognoueris,transmutare oportet:habitaq; consideratione naturæ hominis,& ætatis,& speciei, horæque anni,& modi ipsius morbi,curationem facere,aliquando detrahendo, aliquando apponendo, & quemadmodum iamdudum a me dictum est, ad singulas ætates,& horas,& species,ac morbos respiciendo,tum in exhibendis pharmacis,tum in constituenda diæta.

19 At verò quum vnius morbi popularis grassatio consistit; manifestum est dietam non esse culpabilẽ; sed quem trahimus spiritum in causa esse: palamq; est insuper eum ipsum spiritum, siue aerem morbosam aliquam exhalationem habere. Eo itaque tempore homines in hunc modum commonefacere oportet:nimirum vt diætas non permutent, quia morbi causa non existunt: verùm vt videãt,quò corpus habeant,quàm minimæ molis,ac debilissimum. Detrahendi insuper sunt cibi,ac potus, quibus vti consueuerunt,idq; paulatim facere oportet:nam si quis cito diætã permutet; periculum est etiam a permutatione aliquid in corpore nouatum iri. Quapropter victu solito quidem vtẽdum est, vbi hominem nihil lædere videtur. Prouidẽdum verò vt quàm pauciss imus aeris influxus in corpus ingrediatur, & vt ille ipse quã peregrinissimus existat. Regionum etiã locos, in quibus morbus consistit, quantum eius fieri potest,permutare oportet, & corpora attenuare: sic enim minime multo,ac denso spiritu homines opus habuerint. Porrò quicunque morbi a fortissima corporis parte fiunt,grauissimi existunt:etenim,si isthic vbi initium sumpserint,permãserint; necesse est fortissima parte laborante,totum corpus laborare. Et si a validissima ad quandam debiliorem trãsierint; difficulter soluuntur. Quicunque verò a debilioribus partibus ad fortiores transierint, commodius solui possunt: nam influentia a vi ipsarum facile consumuntur.

Venę

20 Venæ craſſiſſimæ ſic ſe habẽt. Quatuor paria ipſarum ſunt in corpore, & vnum quidem a capite retro per ceruicem, forinſecus ab vtraque ſpinę parte ad coxendices, & in crura progreditur, deinde per tibias, & malleolos forinſecus ad pedes peruenit. Oportet igitur venæ ſectiones, in doloribus dorſi, ac coxendicum, de poplitibus facere, & de malleolis forinſecus. Alterum par principium ex capite iuxta aures habet per ceruicem, & ſphagitides appellantur, hoc eſt, iugulares, deferunturque vtrinque iuxta ſpinam intrinſecus ad lumbos, in teſtes, ac femora, & per poplites ex interna parte, deinde per tibias ad malleolos intrinſecus, & in pedes.

21 Quapropter in doloribus lumborum, ac teſtium, venę ſectionem de poplitibus, ac malleolis facere in trinſecus oportet. Tertium par venarum ex temporibus per ceruicem ſub ſcapulas tendit, & ad pulmonem defertur, altera quidem a dextris ad ſiniſtrã partem, altera verò a ſiniſtris ad dextram, & dextra quidem ſub mammam abit & in ſplenem, & in renem: ſiniſtra verò in dextram partem tendit a pulmone ſub mammam & in hepar, & in renem. vtraque autẽ in rectum inteſtinum, ac podicem deſinit. Quartum par a priore capitis parte, & oculis, ſub ceruicem ad clauiculas deuenit, deinde ſuper brachia ſuperne in flexuras, poſtea per cubitos in manuum iũcturas, ac digitos: deinde a digitis rurſus, per cubitos ac manus ſuperne in flexuras, & per brachiorum infernã partem ad alas: vnde ſuperne a lateribus altera in lienem peruenit, altera in iecur, poſtea ſupra ventrem vtraque in pudẽdum deſinit. Et craſſiſſimæ quidem venæ ſic ſe habent.

22 Sunt autem & ex ventriculo venę per corpus multæ, & omnigenæ, per quas corpori alimentum accedit. ferunt autem a craſſis venis, in vẽtriculum, ac reliquum corpus, & ab externis, & ab internis, & inter ſe mutuo diſtribuũt internæ extrinſecis, ac viciſſim extrinſecæ internis. Venæ igitur ſectiones iuxta prędictum ſermonem facere oportet. Enitẽdum eſt autem vt ſectiones quàm longiſſimè a locis faciamus, vbi dolores fieri, & ſanguis colligi ſolet: ſic enim mutatio minime magna derepente fiet, & conſuetudinem remouebit, vt non amplius in eundem locum colligatur.

23 Quicunque pus multum ſpuunt, citra febrem, & quibuſcũque in vrina pus multum ſubſidit citra dolorem, & quibuſcunque alui recrementa cruenta, velut in dyſenterijs, & tarde, ac diutine prodeuntia, velut in iuuenibus quinque & triginta annorũ, atque etiam ſenioribus, his omnibus ex eadẽ cauſſa morbi fiunt: neceſſe eſt enim hos labori deditos, ac exercitationis ſtudioſos, & corpore operarios in iuuentute fuiſſe, poſtea verò relictis laboribus, molli carne, & multum a priore differente carnoſos reddi tos eſſe, & corpus multum diſcrepans habere; vt id quod prius extitit, cum eo, quod nunc adepti ſunt, nulla parte conſentiat. Quum igitur morbus aliquis corripuerit ſic diſpoſitos; eueſtigio quidẽ effugiunt, poſtea autem a mòrbo progreſſu temporis corpus colliqueſcit, & ſeroſi, ac ſanioſi humoris ſpecies per venas, qua parte maxime amplæ fuerint, fluit. Siquidem igitur in inferiorem ventriculũ proceſſerit; ferè qualis in corpore ineſt, tale etiã recremetum prodit. Quum enim decliuis ſit via, non multo tempore hæret in inteſtino.

24 Quibuſcunque autem in pectus influxerit, ſuppurati fiunt, nimirum purgatione accliui exiſtente, & multo tempore in pectore immorãs putreſcit, & purulenta redditur. Quibuſcunque verò eadem ſeroſi humoris ſpecies in veſicam proruperit, a loci calidi tate, calida, & alba, fit, & ſegregatur: & quod quidem rariſſimũ eſt, ſuperſtat: craſſiſſimum verò infrà mergitur, quod ſanè pus appellatur. Fiunt autem & calculi pueris, propter huius loci caliditatẽ, itemq; totius corporis. Viris autem calculi non generantur propter corporis frigiditatem: nam id probe noſſe oportet, quòd homo primis diebus calidiſſimus eſt ſui reſpectu, vltimis frigidiſſimus: neceſſe eſt enim augeſcens & ad vim procedens corpus calidum eſſe. Vbi autem inceperit marceſcere corpus, delabẽs in ocium, frigidiſſimum euadit. Et iuxta hanc rationẽ, quanto amplius primis diebus homo augeſcit, tanto calidior exiſtit: & quanto plus vltimis diebus marceſcit, tanto frigidiorem eſſe neceſſe eſt.

25 Sani autem fiunt ſua ſponte illi prędicto modo diſpoſiti, ac affecti, plurimi quidem ab hora, qua liquescere incipiunt, quinto & quadrageſimo die. Qui verò hoc tẽpus tranſgreſſi fuerint, anno finito ſua ſpõte cõualeſcunt, niſi quid aliud mali grauioris hominem infeſtet. Quicunq; morbi ſenſim ex modici tẽporis cauſſa fiunt, & quorum cauſſæ cognitu faciles ſunt, ſecuriſſimi fore prædici poſſunt. Curationem itaque ipſorum inſtituere oportet, vt cauſſæ morbi nos opponamus: ſic enim ſoluitur vtique id, quod morbum in corpore fecit. Quibuſcunque are noſa, aut toſi in vrinis ſubſidẽt, his initio tubercula circa craſſam venam enata ſunt, & ſuppurata. Poſtea verò tuberculis nõ cito effractis, toſi ex pure coaliti ſunt, qui per venam foras exprimuntur vnà cum vrina in veſicam.

26 Quibuſcunque verò cruentę vrinę ſunt, his venę laborant. Quibuſcunque autẽ in vrina craſſa exiſtente, carunculæ paruæ ca pilliformes ſimul prodeunt, eas a renibus prodire noſſe oportet, & ab arthriticis. Quibus verò pura vrina eſt, & aliàs atque aliàs velut furfures in vrina innatant, horum veſica ſcabioſa exiſtit.

27 Febres plurimæ a bile fiunt. Species ipſarum quatuor ſunt, prẽter eas quę ab occultis doloribus generantur. Nomina ipſarum ſunt: Continens, Quotidiana, Tertiana, Quartana. Continẽs itaque appellata, a plurimo, ac meraciſſima bile prouenit, & iudicationes quàm breuiſſimo tempore facit; corpus enim nullo tempore perfrigeratũ cito colliqueſcit, nimirum a multa caliditate calfactum. Quotidiana verò poſt continentem a plurima bile generatur, & præreliquis celerrime diſcedit: verùm longior eſt continente, quanto a pauciore bile prouenit: &, propterea quòd requiem habet ſn ipſa corpus; in continente verò non quieſcit vllo tempore.

28 Tertiana autem longior eſt quàm quotidiana, & a pauciore bile gignitur. Quanto verò longiori tempore in tertiana corpus quieſcit quàm in quotidiana, tãto diuturnior hęc febris eſt quàm quotidiana. At verò quartanæ reliquę iuxta eandem rationẽ habent, ſed tertianis diuturniores ſunt, quanto paucio re bilis parte participant, vnde caliditas augetur. &, propterea quòd corpus in ipſis plus perfrigeſcit, id

quod

quod ab atra bile ipſis contingit ſuperflue adeò, vt ægrè frigus depelli poſſit: atra enim bilis inter omnes corporis humores viſcoſiſſima eſt, & ſedes diuturniſſimas facit.

29 Quòd autem quartanæ febres atræ bilis participes ſint, vel hinc condiſcere licet: autumno enim maxime homines a quartanis corripiuntur, & in ętate a quinque & viginti annis, vſque ad quadrageſimum quintum. Hæc autem ætas præ omnibus alijs maxime a bile atra infeſtatur, & autumni tempus omniũ anni temporum ad eandem aptiſſimum eſt. Quicunque autem extra hoc tempus, & ætatem a quartana corripiuntur, pro certo ſcire oportet eam febrem non fore diuturnam, niſi quid aliud grauioris mali hominem infeſtauerit.

DE SALVBRI DIAETA LIBER.

Additicius eſt ad librum De Natura hominis, Polybi Hippocratis diſcipuli, ait Galenus.

Argumentum in Librum ſequentem.

1 *Diæta idiotarum & priuatorum, qualis hyeme, uere, æſtate & autumno eſſe debeat.*
2 *Diætæ ad ætates, ad anni tempus, & ad corporum ſpecies conſtituendæ.*
3 *Ambulandum hyeme uelocius, æſtate tardius, niſi per æſtũ iter facias. Carnoſi gracilibus citius ambulent. Balneis quomodo vtendum. Veſtes pure hyeme induendæ, æſtate ſordidæ, & oleo imbutæ.*
4 *Gracilitatem corporis quo ſtudio conſequaris. Pinguis ex gracili quomodo fias.*
5 *Vomendum ſex menſibus hybernis.*
6 *Quæ infuſa, quibus temporibus, quibuſque naturis conueniant. Infuſa craſſa & tenuia quæ.*
7 *Craſſos & graciles quomodo ad uomitum præpares. Bis in menſe vomere conſueti, ijs melius eſt ut conſequenter in duobus diebus quàm per maiora interualla uomant.*
8 *Cibos reuomere conſuetorum, aut quorum alui non probum tranſitum habent curatio.*
9 *Puerulorum infantium educandi, & cibandi ratio.*
10 *Mulieribus ſiccioris modi diæta conuenit. Exercitiorum ratio iuxta temporum anni differentias inſtituatur.*
11 *Alui profluuij in exercitijs utentibus & excrementis cibo rum ſpeciem referentibus, curatio diætetica. Item quibus temperamentis hic morbus ſit familiaris. Corpora dẽſam carnem habentia, ijs quæ raram habent, a carnium eſu magis læduntur.*
12 *Cibum poſtridie eructantes, longiori ſomno & alijs laboribus curantur.*
13 *Siti correptis cibi & labores detrahendi, uinum uerò aquoſum & frigidiſſimum exhibendum.*
14 *Aquæ aut muci per nares uel aures eruptio, capitis torporem ſoluit. Sanitas res prætioſiſſima.*

1 IDiotas, & priuatos homines hæc diæta vti oportet. Hyeme quidem comedere quamplurima, bibere autem quamparciſſime. Sit potus vinum quàmmeraciſſimum: cibi banis, & abſonia aſſata omnia. Oleribus quàmpauciſſimis hoc tempore vtendum eſt: ſic enim corpus maxime ſiccum, ac calidum reddetur. Vbi verò ver apprehenderit; tunc ſanè potum ampliorem aſſumere oportet, vinum dilutius, & paulatim: cibis quoque mollioribus, ac paucioribus tũ vtendum eſt: & ablato pane, mazam exhibere, & iuxta eandem rationem obſonia detrahere, & ex aſſatis omnia cocta facere. Oleribus verò paucis tunc vti oportet, donec ad æſtatẽ perueniat homo, cibis molioribus vtendo, & obſonijs coctis, & oleribus, tam crudis quàm coctis, ſimiliterque potibus quàm dilutiſſimis, ac plurimis: ita tamen vt paulatim, non derepente his vtatur, ne videlicet magna mutatio fiat. At verò æſtate maza molli nutriatur, & potu aquoſo, ac multo, obſonijs omnibus coctis. Sic autem his vbi æſtas fuerit, vti oportet; vt frigidum ſit corpus, & molle: tempus enim calidum eſt, & ſiccum, & facit corpora æſtuoſa, ac ſqualida. Quapropter tali ſtudio auxiliari oportet. Iuxta eandem verò rationem, quemadmodum ex hyeme ad ver, ſic ex vere ad ęſtatem deducendus eſt, cibo quidem detracto, potu verò aucto. Sic quoque contraria faciendo ex ęſtate ad hyemem perducatur. In autumno verò rurſus cibi plures exhibendi ſunt, & ſicciores, & obſonia iuxta eandem rationẽ: potus verò pauciores, & meraciores, quo etiam hyems bona fiat, & homo in ipſa vtatur potibus meracioribus, ac paucis, cibis verò quàmplurimis, ac ſicciſſimis: ſic enim & maxime ſanus fuerit, & minime frigore impetetur; nã tempus hoc valde frigidum, ac humidum exiſtit.

2 Porrò habitibus corporum carnoſis, & mollibus, ac rubris, plurimo anni tempore ſiccioribus diætis vti conducit; humida enim eſt ipſorum natura. Verũ duros, & graciles, fuluoſque, ac nigros, humidiore diæta maiore temporis parte victitare oportet; corpora enim talia ſicca exiſtunt. Sed & iuuenibus corporibus, mollioribus & humidioribus diætis vti confert; nam ætas ipſorum ſicca eſt, & corpora compacta ſunt. Seniores autem ſiccione victus modo, maiori temporis parte degere oportet: corpora enim in hac ętate humida ſunt, & mollia, ac frigida. Oportet igitur & ad ętatem, & ad tempus anni, & ad corporũ ſpecies, ac habitus, diætas conſtituere, ita vt conſiſtẽtibus & caloribus, & frigoribus nos opponamus: ſic enim maxime ſani fuerint.

Quin

3 Quin & ambulandum hyeme quidem velociter eſt, æſtate autem leniter, niſi per ſolis æſtum iter faciendum ſit. Oportet autem & carnoſos citius ambulares, graciles verò tardius. Balneis . quoque multis æſtate vtendum eſt, hyeme paucioribus. Gracilibus autem magis expedit lauari, quàm carnoſis . Veſtes autem puras induere hyeme oportet: oleo imbutas, ac ſordidas, æſtate .

4 Cæterum pingues, & qui graciles fieri volũt, omnes labores ieiuni facere debent, & cibos aſſumere anhelantes adhuc ex fatigatione, & non refrigerati, præpoto vino diluto, & nõ valde frigido, & obſonia præparata aſſumere ex ſe ſamis, aut condimẽtis hortenſibus, & alijs huiuſcemodi. Sint autẽ obſonia pinguia, quę offeruntur: ſic enim a quàm pauciſſimis impleri poterint. Sed & ſemel in die cibũ ſumere, & illotum manere, & ſtratum durum habere, & nudum deambulare oportet, quantum eius maxime fieri poteſt. Quicunque verò graciles ſunt, & pingues fieri volunt, tum alia his quę dixi contraria facere, tum ie iunos nullum laborem ſubire oportet.

5 At verò vomitibus, & alui per infuſa elotionibus hoc modo vtendũ eſt. Sex menſes hybernos vomendum eſt: hoc enim tempus pituitoſius eſt æſtiuo, & morbi circa caput fiunt, & regionem eam, quæ eſt ſupra ſeptum tranſuerſum. Quum verò ætas, ac calor fuerit infuſus vtẽdum eſt: hora enim hęc ęſtuoſa eſt, & corpus bilioſius, & lumbi, ac genua grauantur, & calores oboriuntur, & in ventre tormina fiunt. Qua propter corpus perfrigerare oportet; & quæ in ſublime eleuantur, inferne ſubducere ex iſtis locis.

6 Sint aũt infuſa pro craſſioribus, ac humidioribus ſalſiora, & tenuiora: pro ſiccis verò & gracilibus, ac debilioribus, pinguiora, ac craſſiora. Craſſa autem, & pinguia infuſa ſunt, quæ ex lacte fiunt, & cicerum decoctum, & alia huiuſmodi. Tenuia verò, & ſalſa, ſunt muria, & aqua marina, & eiuſcemodi.

7 At verò vomitus ſic facere oportet. Quicunque homines craſſi, ac pingues ſunt, & non graciles, ieiuni vomant a curſu, aut ambulatione cita, iuxta meridiem. Sit autem dimidia hemina hyſſopi in aquę cõgio contriti, atque hoc ebibat affuſo aceto, & adiecto ſale, quo iucundius euadat. Bibat autem primum ſenſim, ac lentius; poſtea amplius, & citius. Qui verò graciliores ſunt, ac debiliores, a cibis vomitum faciant, hoc modo. Lotus calida præbibat meri heminam, deinde cibos omnigenos edat, & neque dum cibum ſumit, neque a cibo bibat, ſed contineat ſe, donec quatuor ſtadia quis percurrat: deinde vina tria permixta ipſi in potu offerantur, auſterum, dulce, ac acidum, primum quidem meracius, & paulatim, & per multũ temporis ſpacium, deinde verò dilutius, & citius, & multum. Quicunque autem bis in mẽſe vomere conſueuit, huic melius eſt, vt conſequenter in duobus diebus vomat, quam per quintum & decimum. Verùm aliqui penitus contrarium faciunt.

8 Quibuſcunque verò commodum eſt reuomere cibos, aut quibus alui non probum tranſitum habent, his omnibus conducit ſæpe in die comedere, & omnigenis edulijs vti, & obſonijs varijs modis prępara tis, vinumq; bibere duplex aut triplex. Qui verò reuomunt cibos, aut aluos habent humectas, his omnibus contrarium huiuſmodi facere conducit.

9 Cæterum puerulos infantes per multum tempus in aqua calida madefacere oportet, & vinum bibendum dare aquoſum, & non penitus frigidum. Dãdũ eſt & id vinum, quod minime vẽtrem eleuet, ac inflet. Hæc autem facere oportet, vt & conuulſionibus minus corripiantus, & maiores fiant, ac meliorem calorem adipiſcantur.

10 Mulieres porrò ficcioris modi diæta vti oportet: nam & cibi ficciores ad muliebrium carnium mollitiem commodiores ſunt, & meraciores potus præſtabiliores ſunt ad vteros, ac fętuum nutrimẽta. Qui exercitijs vtuntur, hyeme currere, ac luctari debent: Aeſtate verò luctari quidem parum, currere autem minime, ſed multum deambulare ſecundũ ventum, ac frigus. Quicũque ex curſibus fatigati fuerint, eos luctari oportet. Qui verò ex lucta fatigãtur, eos currere expedit: ſic enim laborans, fatigata corporis parte vel maxime calfieri, componique, ac recreari queat.

11 Quoſcunque exercitijs vtentes alui profluuia corripiunt, & recrementa ciborum ſpeciem referentia, ac cruda habent, his exercitiorum non minus quàm tertiam partem detrahere oportet, & ciborum dimidium ſaltem exhibere (palam eſt enim, quòd ventriculus confouere non poteſt) quo ciborum multitudo concoquatur. Sint autem his cibi, panis quammaxime aſſatus in vino intritus, & potus quàm parciſſimi, ac meraciſſimi, & deambulationibus a cibo nevtantur. Oportet autem ſub hoc tempus ſemel duntaxat in die cibum ſumere: ſic.n. quàmmaxime concaleſcit vẽtriculus, & ea, quæ ingeſta ſunt, ex ſuperauerit. Fit hic profluuij alui modus maxime his corporibus, quæ denſam carnem habent, quum ad carnium eſum homo cogitur, natura eiuſmodi exiſtente: venæ enim denſatę cibos ingeſtus non ſuſcipiũt. Eſt autem hæc natura acuta, & in vtranque partem vertitur, & ad modicum tempus viget bona habitudo in talibus corporibus. At verò rariores, ac hirſutiores corporum ſpecies, ac habitus tum carnium eſum ſuſcipiunt, tum labores magis tolerant, & bonæ habitudines ipſis fiunt diuturniores.

12 Quicunque poſtridie cibos eructãt, & præcordia ipſis eleuantur, vtpotè cibis crudis, & incoctis exiſtẽtibus, his longiori quidem tempore dormire conducit: verum & alijs laboribus corpora ipſorum cogere oportet. Vinum autem meracius, & amplius bibant, & cibis paucioribus ſub id tempus vtantur: palã eſt .n. quod ventriculus præ imbecillitate, ac frigiditate, ciborum multitudinem concoquere non poteſt.

13 Quoſcunque verò ſitis corripuerit, his & cibi, & labores detrahendi ſunt, & vinum bibant aquoſum, & quàm frigidiſſimum. Quibuſcunque autem dolores fiunt ex viſceribus, ſiue ex exercitijs, ſiue ex aliquo alio labore, his quieſcere conducit cibis abſtinentes. potione autem vtantur, quę quàm parciſſime in corpus aſſumpta, plurimam vrinam ducat; quo venæ viſceribus inſitæ non diſtendantur repletę. Ex talibus enim tubercula oboriuntur ac febres. Quibuſcunque verò morbi a cerebro fiunt, torpor primum caput occupat, & frequenter mingit æger, & reliqua velut in vrinæ ſtillicidio perpetitur. atque hæc ſanè ad dies nouem patitur.

14 Et ſi quidem erumpat per nares, aut aures aqua, ſiue mucus; a morbo liberatur, & vrinę ſtillicidium ſedatur. Mingit autem multum, & citra dolorem, idq;

album,

album, donec viginti præterierint dies, & capitis dolor hominem relinquit. Intendenti autem oculos splendor occultatur. Porrò virum prudentem id secum reputare oportet, quòd res preciosissima est sanitas, & proinde scire, vt ex suo ipsius consilio in morbis vtilitatem percipiat.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Genitura.

Hic à Galeno Polybi esse perhibetur.

Argumentum Librum sequentem.

1 *Prouidentis naturæ uis, & genituræ prouentus. Coitus voluptas vnde. Cur genitura spumescat.*
2 *Cur valentissimum Venere excernatur. Sanguis aliquando in genitura profluit. Alius seminis, alius vrinæ meatus. Somnia venerea quomodo fiant, & pollutiones vnde.*
3 *Eunuchi cur non coeant, ac imbecilliores sint, & quòd venæ secundum aures incisa infecundos reddant.*
4 *Quamobrem pueri & puellæ semen non excernant, & menses virginibus iuuenculis non procedant.*
5 *Genituram ab omnibus corporis partibus excerni. Humores corporis quatuor.*
6 *Quid mulieribus in coitu accidat, & Venerem cum vtrorumque, sed maiore viri voluptate fieri.*
7 *Mulieribus frequens coitus expedit. Mensium retentorum incommoda. Nota conceptus, & quòd semen masculum & fœmineum vtrique insit: & cur nunc mares nunc fœminæ gignantur.*
8 *Liberorum varietas vnde, & qui aliqua re parentem referant: & cur imbecilles ex robustis, & non omnes robusti, & nunc item parui, nunc magni ædantur. Exemplum cucumeris ad puerum in vtero. Cur mutili & magna fere ex parte integri ex mutilatis nascantur.*
9 *Fœtus quando perdantur. Simile de terra ad fœtus mutilos. Cur integri & sani ex mutilatis, & mutilati ex mutilatis nascantur.*

1 LEX quidē omnia corroborat. Verū genitura viri prouenit ab omni humido, quod in corpore existit, ita vt id, q̄ robustissimum est, secernatur. Argumentum aūt eius, q̄ robustissimū secernitur, hoc est, quòd à Veneris vsu paucula adeò re emissa, imbecilles reddimur. Habet autē res hoc modo. Venę, & nerui ab omni corpore in pudendū vergūt, quibus dū aliquātulū terūtur, & calescūt, ac implētur, velut pruritus incidit, & ex hoc toto corpori voluptas, ac caliditas accedit. Quū verò pudēdum teritur, & homo mouetur, humidū in corpore calescit, ac diffunditur, & à motu conquassatur, ac spumescit: quemadmodū etiā alij humores omnes conquassati spumescunt.

2 Sic aūt in homine ab humido spumescente, id q̄ robustissimū est, ac pinguissimū secernitur, & ad medullā spinalē venit: tendunt. n. in hāc ex omni corpore viæ, & diffundūt ex cerebro in lūbos, ac in totum corpus, & in medullā: & ex ipsa medulla p̄cedūt vię vt & ad ipsam humidū perferatur, & ex ipsa secedat. Postquā aūt de hāc medullā genitura p̄uenerit, procedit ad renes; hac. n. uia tēdit p̄uenas: & si renes fuerint exulcerati, aliquādo ēt sanguis simul defertur: à renibus aūt trāsit per medios testes in pudendū. Procedit aūt nō quà urina, uerùm alia ipsi uia est illi cōtigua. Et sanè qui somnia uenerea habent, propterea per somnū genitura effundūt; quū humidū in corpore diffusum, & calfactū fuerit, & siue ex labore, siue alia quapiā re spumuerit, dū ab ipso secernitur; coitus imaginē repræsentat: habet. n. humiditas hæc similiter ut in coeūtibus. Sed nō est mihi de his, qui p̄ somnū semen emittunt, & de toto morbo quid est, & quæ operatur, & quare coitus locum expleat, sermo atque hæc quidem de hoc dicta sufficiunt.

3 Cæterū eunuchi propterea nō coeunt, quia genituræ trāsitus ipsis sublatus est. Est. n. per ipsos testes uia eius, & nerui tenues, ac crebri ex testib. in pudē dū tendunt, quibus & eleuatur, demittitur: atque hi nerui in exsectione dū castrantur, rescindūtur, quapropter nō sunt utiles eunuchi: nā neruis ipsorū extritis, genituræ uia obturata est. callus. n. obducitur testibus, & nerui duri, ac torpētes à callo facti, pudēdū neq; tēdere, neque laxare possunt. Quibuscūque uerò iuxta aures uenæ sectæ sunt, hi coeūt quidē, & genitura emittunt, uerùm modicā, & debilem, ac infęcundā; nam plurima genituræ pars à capite iuxta aures in spinalem medullam procedit. Ipse autē trāsitus, cicatrice sectioni inducta, consolidatus est.

4 At uerò pueris uenulæ tenues, & repletæ existentes, genituræ transitū impediūt, & pruritus ipsis non similiter accedit, & propterea neque cōquassatur in corpore humidū ad genituræ secretionē Quin & uirginibus quousq; iuuenculæ fuerint, menses nō procedunt, propter eandē causam. Postquā aūt adoleuerint & uirgo, & puer; uenæ in pudēdū pueri tēdētes; itemque uirginis in uterū, amplæ fiunt præ augmento, & oscula ipsarū aperiuntur, & uia, ac trāsitus per angustias cōtingit, & humidum tunc etiam agitationem habet; nam spatiositas ipsi tunc ab agitatione, ac cōquassatione cōtingit: & puero sanè procedit genitura ubi plene puber fuerit ob hanc causam, itēq; uirgini mēses; atque hæc mihi sic demōstrata sunt.

5 Porrò genituram dico à toto corpore secerni, & à solidis, & à mollibus partibus, & ab humido oī in

toto corpore. Sunt autem humidi ſpecies quatuor, Sanguis, Bilis, Aqua, & Pituita: tot enim ſpecies cõgenitas homo in ſeipſo habet, & ab his morbi fiunt, aut ẽt ex morbis diſcretiones. Et hæc quidem dicta ſunt a me, de genitura, vnde fiat, & quomodo, & quare, & quibus genitura non eſt, & quare non eſt, & de menſibus virginum, & quòd mulieribus in coitu, dum confricatur, ac teritur pudendum, & vteri mouentur, velut pruritus in ipſos incidat, & quòd reliquo corpori voluptas, ac caliditas accedat.

6 Emittit aũt & mulier à corpore genituram, aliquãdo in ipſum vterum, qui ſanè inde humidus euadit: aliquando foras, ſi vterus magis quàm oportunũ eſt, hiarit. Et delectatur mulier vbi coire inceperit per omne tempus, donec vir ſemen emiſerit. Et, ſi quidem appetit viro commiſceri, prius quàm vir emittit; & de cętero non ſimiliter delectatur. Si verò non appetit; ſimul cũ viro delectari deſinit, & habet res hoc modo, quemadmodum ſi quis in feruentẽ aquã, alteram frigidam infundat, illa feruere ceſſat. Sic genitura viri in vterum illapſa, caliditatẽ, & voluptatem mulieris extinguit. Exilit autem voluptas & caliditas ſimul cum genitura in vteros illabente, deinde deſinit, quemadmodum ſi quis in flammam vinũ infundat, primùm quidem contingit flammam exilire, & per modicum tempus augeri ad vini infuſionẽ, deinde deſinere. Ita etiam mulieris caliditas exilit ad genituram viri: deinde deſinit. Cæterùm multo minus delectatur fœmina quàm vir in coitu, & vir etiã tempore longiore. Propterea autem quòd vir magis delectatur, ſecernitur ipſi derepente ab humido, fortiori turbatione, ac agitatione quàm mulieri. Habet autem & hæc res hoc modo.

7 Mulieres ſi cum viris coeant, magis ſanæ ſunt: ſi non; minus: nam & vteri ſimul humidi fiunt in commixtione: qui enim ficci ſunt magis quàm conuenit, fortiter cõtrahuntur. vbi verò fortiter cõtrahũtur, dolorem corpori afferũt: & ſimul coitus ſanguinem calfaciens, ac humectans, viam faciliorem menſibus facit. Menſibus autem non procedentibus, corpora fœminarum morboſa fiunt. Quapropter autem morboſa fiãt, in muliebribus morbis referetur. Et de his quidem hactenus. Poſtquam autem coiuit mulier; ſi quidem conceptura non eſt intra ſeipſam, pro more foras procedet genitura ab vtriſque, vbi fœmina volet. Si verò conceptura eſt; non procedit foras, ſed manet in vtero genitura: nam vteri ſuſceptam, & cõcluſam in ſeſe continent, oſculo nimirum ipſorum præ humiditate contracto, ac cõcluſo, ſimulque per miſcentur, tum quę à viro venit, tum quæ a muliere emiſſa eſt: Quòd, ſi fęmina partus perita ſit, & cognouerit quando genitura non exciderit, ſed intus manſerit; ſciet qua die intra ſeipſam concepit. Habet autem & hoc ſic. Quandoque quidem fortius eſt ſemẽ à muliere emiſſum, aliquando verò debilius. Similiter etiam quod vir emiſit. Et eſt tum in viro fœmineum, itemque maſculum ſemen, tum itidem in muliere. Fortior autem maſculus fœmina eſt, neceſſe igitur eſt ipſum à fortiore ſemine generari, habetque res hoc modo. Si ab vtriſque ſemen fortius prodierit; maſculus erit partus: ſi verò debile; fœmina naſcetur. Vtrum autem multitudine, ac copia præualuerit, iuxta illud ipſum partus naſcetur: ſi enim multo plus fuerit debilis ſeminis quàm fortioris; ſuperatur forte, & debili permixtum, in fœminam tranſit. Si verò plus fuerit fortis ſeminis, quàm debilis; ſuperatur debile, & in marem tranſit. Quemadmodum ſi quis ceram, & adipem miſceat, & de adipe tamen plus conijciat, eaque ad ignem liquefaciat; quandiu quidem liquida fuerint, non apparet vtrum tandem horum ſuperet: vbi verò congelata fuerint; tunc iam conſpicuum eſt, quòd adeps ceram copia exuperat. Sic habet etiam maſculi, ac fęminæ genitura. Quòd verò & in fęmina, & in viro, genitura fęminea ſit, ac maſcula, ex factis manifeſtis coniectare licet: multæ enim mulieres iam fęminas pepererunt ex proprijs viris, verum ad alios viros transgreſſæ, maſculos genuerunt. Et viri illi ipſi, apud quos mulieres fœminas pepererunt, ad aliarum mulierum mixturam progreſſi, maſculos genuerunt: & quibus maſculus ſexus gignebatur, alijs fęminis permixti fęmineam ſobolem genuerunt. Atque hæc ſanè ratio declarat, tum virum, tum fęminam, & fęmineam, & maſculam genituram habere; nam apud quos viros, fœminas pariebant, ſuperabatur fortius ſemen à copia debilioris, & gignebantur fęmellæ. Apud quos verò maſculos pariebant, ſuperabatur debilius, & gignebantur mares. Procedit autem non ſemper ab eodem viro genitura fortis, ſed neque ſemper debilis, ſed aliàs alia: atque ſic etiam in muliere res habet; vt minime mirandum ſit, eaſdem fęminas, eoſdemque viros, ſobolem maſculam, & fęmineam producere. Habet autem & in brutis genituræ fęmineæ, ac maſculæ ratio eodem modo. Et in ipſa genitura ęgreditur & fęmineum, & maſculinum, ab omni corpore, & à debilibus debilis, & à fortibus fortis: & neceſſe eſt ſic in partum diſtribui.

8 Et ex quacunque corporis viri parte plus prodierit in genituram, quàm mulieris, partus ille magis ſimilis erit patri. Vndecũque verò à corpore mulieris plus venerit, magis aſſimilabitur matri. Eſt autẽ impoſſibile, partũ per omnia matri ſimilẽ eſſe, & patri nihil, aut vice verſa, neque alteri quicquã ſimilẽ eſſe: ſed vtriſque neceſſe eſt in aliquo ſimilem eſſe, ſiquidem ab vtriſque corporibus ſemen in partum procedit. Vter autem tandem plus contulerit ad ſimilitudinem, & à pluribus corporis regionibus, illi magis ſimilis eſt. Contingitque aliquando vt filia nata, maiori ex parte, magis ſimilis ſit patri quàm matri, & filius natus aliquãdo magis ſimilis eſt matri quàm patri. Atque hæc tam multa à me relata declarant ſuperiorem ſermonem. Quòd & in muliere, & in viro, tum maſcula, tum fęminea genitura exiſtat. Contingit autem & hoc, Quandoque partus tenues, & debiles generantur ex patre, & matre craſſis, ac robuſtis. Et ſi quidem (multis iam generatis pueris) tale quid cõtingat; manifeſtũ eſt, ꝙ fętus in vtero ægrotauit, & ab vtero quid de ſuo ipſius incremẽto foras prodiuit; vtero nimirũ amplius hiante: & propterea debilis factus eſt. Vnumquodque autẽ animal iuxta proprium robur ægrotat. Si verò omnes pueri nati debiles fuerint, vteri ipſi in cauſſa ſunt, anguſtiores quàm oportet exiſtẽtes. Si enim non habuerint ſpacioſitatẽ, in qua fętus nutriri poſſit; neceſſe eſt ipſum tenuẽ fieri, vtpote qui nõ habeat ſatis amplũ locũ ad incrementum capiendum. Si vero habeat ſatis amplum locum, & nõ ægrotet; veriſimile eſt ex magnis

paren-

parentibus magnam sobolem generari. Habet autem res hoc modo. Quemadmodū si quis cucumerē, qui iam defloruit, sit autē adhuc tenellus, & in cucumerario adhuc adhæreat, ponat, ac immittat in vas angustum; æqualis, ac similis euadet cauitati ipsius vasis. Si verò quis eundē in vas amplū indet, quod verisimile fit cucumeris capax esse, sed non valde multo maius quàm pro cucumeris natura, æqualis itidē, ac similis erit cucumis vasis ampli cauitati: nā in augescendo cū vasis cauitate contendit. & ferme omnia nascētia sic habēt, quo modo quis ipsa cogat. Sic sanè & in puero se res habet: si. n. spatiositas ipsi contigerit in augescendo; maior euadet: si verò angustia, minor. At verò mutilum in vtero puerum, sentio aut cōtusum ex matris vterum gestantis plaga, aut eiusdem lapsu, aut alio quopiam violento affectu matri accidente, mutilatum esse. Qua vero parte mater plagas acceperit, ea puer mutilatur.

9 Si verò amplius contundatur fœtus, ita vt pellicula ipsum continens rumpatur; perditur fœtus. Quin & alia huiuscemodi causa pueri mutilantur. Quum in vtero iuxta locum, in quo mutilatus est fœtus, angustia fuerit; necesse est corpus quod in angustia mouetur mutilari, iuxta illum locum. Quemadmodum etiam arbores quæcunque in terra sunt, & non habent satis amplum locum, verum à lapide, aut aliqua alia re impediuntur, quum emergunt, obliquæ, ac tortuosæ sunt, aut hac parte crassæ, altera tenues. Sic accidit etiam circa puerum; si in vtero iuxta aliquam corporis partem, angustior altera vteri pars altera fuerit. Cæterùm quòd ex mutilatis hominibus sani, & integri gignantur pueri, vt plurimum contingere solet: habet enim mutilatum, numero omnia quæ sanum. Vbi verò morbus aliquis ipsis, & humido ipsorum acciderit, à quo semen prouenit (quatuor sanè quum species sint humidi, quæ naturaliter in corpore existunt) genituram non totam exhibent, debiliorem autem, iuxta mutilatam partem. Quare nihil miri mihi videtur, si etiam mutilentur, quemadmodum parens. Et hæc mihi de hoc dicta sufficiant. Redibo autem rursus retrò ad sermonem, quem dicere reliqui.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Natura pueri, siue fœtus.

Et de hoc Galenus dubitat, Hippocratisne, an Polybi sit.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Genitura in vtero coaceruata & calfacta (vtpote in calido existens) spiritum habet.*

2 *Omne calidum frigido nutriri moderato. Quæcunque calfiunt, spiritum emittunt, & alium frigidum eius loco vicissim attrahunt.*

3 *Genituram non tantum à calido, sed etiam à matre spirante, spiritum habere, eoque frui.*

4 *Spiritus transitus extra ac intro iuxta genituræ medium per pelliculam fit. Genituræ sex dierum foras prolapsæ forma. Vmbilicus spirationi destinatus. Pellicula genituram ambiens ac complectens, tota ex vmbilico tenditur. Genitura à matre sanguine in vterum descendente augescit.*

5 *Menses prægnantibus, si puer sanus sit & permanere debeat, non prodeunt. Pellicularum reliquarum fœtum ambientium eadem quæ primæ ac externæ ratio & generatio. Carnis generatio quomodo fiat.*

6 *Menses vterum ferentes, cur non molestent. Genituræ spiratio modica, sanguinem modicum: amplior, copiosiorem & vberiorem in vtero trahit. Menses retenti, vterum non gestantibus, quare dolorem inducant. Muliebria corpora virilibus sunt humidiora.*

7 *Mulier à sanguine menstruo euacuata in vtero concipit, repleta verò minimè. Mala quæ mulieribus ex lunaribus purgationibus non procedentibus obueniant.*

8 *Pelliculæ, carne generata, ac augescente in vtero sanguine, augentur simul. Secunda, quando post genituram suscepta, appelletur. Corporis totius, carne augescente, à spiritu articulatio. In corporis articulatione, similia semper ad similia transeunt.*

9 *Ossa vnde durescant.*

10 *Genituræ & carnis coarticulatione, simile semper ad simile progredi. Membrorum discretio quot diebus fiat.*

11 *Primiparæ, & quæ rarius pariunt, in partu, & partus purgationibus maximè laborant. Purgationes menstruæ à partu cur fiant.*

12 *Purgationum menstruarum principium. Sanguis à partu, si mulier sana est, aut sana est futura, statim congelatur: sin minus, contra.*

13 *Mulier à partu non purgata, in magnum morbum, aut vitæ periculum, si non cito curetur, incidit. Articulationis dies purgationi à partu pares.*

14 *Sanguinis fluxionem in vteros post semen illapsum, cur primo pauciſſimum ac modicum esse oporteat. Puer paulo ante trigesimum diem perditus, inarticulatus est. Fœmella cur posterius formetur & articuletur. Purgatio menstrua in fœmella diuturnior.*

15 *Ossa quo tempore duriora fiant, & à quo cauentur. Digitorum manuum ac pedum, eadem quæ in arborum ramificatione, ratio. Venæ hominis omnes in manuum ac pedum digitos desinunt. Capitis venæ totius corporis crassissimæ.*

16 *Venæ ac nerui tenuissimi, densissimi ac plurimi in manibus ac pedibus. Vnguium in digitorum manuum ac pedum extremitatibus vsus.*

17 *De pilorum natura & alimento. Pili qui corporis*

parte, & cur in quibuſdam poſterius naſcantur. Caro, genitura prodeunte rareſcit, & cuticula & venæ aperiuntur. Pilorum alimentum vnde.

18 *Pili in rariſſimis cuticulæ partibus enaſcuntur. Eunuchi ante pubertatem facti, cur neque in pube, neque mento pilos producant. Mulieres cur mento & corpore leues. Calui vt plurimum ſunt pituitoſi.*

19 *Eunuchi cur non fiant calui. Canities vnde. Capitis cuticula canorum albidior. Cani ex natiuitate parte aliqua, partem illam albiorem habent. Pili pro humiditate capitis colore inficiuntur.*

20 *Pueri motus in vtero quando. Muſculi quo tempore, & cur citius moueantur. Lac quando matri ſui iudicationem præbeat. Lac quibus mulieribus citius, & quibus poſterius prodeat.*

21 *De lactis generatione. Lactis perſultationem quæ citius percipiant. Pecora prægnantia cur pinguiora. Naturam omnem hominum, & ex terra naſcentium eſſe ſimilem.*

22 *Lac quando in mammas procedat. Coitus multus venerem magis inducit. Puer de matre in vteris viuit, & quali mater ſanitate prædita eſt, talem etiam puer habet.*

23 *Fructus vnde nutriantur & concoquantur.*

24 *Arbores plantandi ratio & modus.*

25 *Germinandi diuerſitas in ijs quæ ex ſemine & ex plantarijs proueniunt.*

26 *Plantæ auctæ, qua neceſſitate ramos ſpargant. Terræ pars inferna, hyeme cur calidior quàm æſtate. Fimum atque alia humectata dentius compreſſa citius concaleſcunt.*

27 *Veſtes pelliceæ fortiter compactæ, à ſeipſis comburuntur. Fontes ac marinæ aquæ cur hyeme auctiores & calidiores.*

28 *Aquam in terra non conſiſtere, ſed ſemper in decliue procedere. Terræ pars inferna, æſtate quàm hyeme frigidior.*

29 *Terra ſemper plus aut minus in ſe aquæ habet.*

30 *Aqua quæ hauritur in puteis, ſpiritum ſemper mouet. Aqua conſiſtens cur denſior & calidior.*

31 *Aqua fontana hyeme quàm æſtate calidior.*

32 *Arbori, neque duo calida, neque duo frigida ſimul accedere debere. Arbores ex ſuperna & inferna parte nutriri.*

33 *Arbor vehementer tenera exiſtens fructus producere nequit. Arbores per tempus ſolidæ factæ & radicibus firmatæ, augeſcere deſinunt.*

34 *Inoculationis in arboribus ratio, & cur arborum rami alijs arboribus inſiti diuerſos fructus producere ſoleant.*

35 *Puer ex matris ſanitate bene vel male valet. De pueri ſitu in vtero. Repetit diſputationem de ſpiratione genituræ per vmbilicum.*

36 *Humanæ naturæ ad oua quæ incubantur, ſimilitudo. Ouis volucrium vmbilicum ineſſe.*

37 *De Partus ratione.*

38 *Pueri, matre violentam aliquam afflictionem patiente, aut alimento difficiente, ante decimum menſem eduntur. Vteri geſtatio vltra decimum menſem (vt mulieribus videtur) quomodo contingat.*

39 *Conceptus cur faciles à menſium purgatione. Vteri geſtatio non vltra decimum menſem, ob alimenti, & augmenti quod à matre deſcendit inopiam.*

40 *Primiparæ ab alimenti defectum, ſæpe ante decimum menſem exactum pariunt. Mulieres paucos menſes dimittentes vt plurimum etiam ſine lacte ſunt.*

41 *Volucres ex oui luteo naſcuntur. Ouum vſque adeo eſt rarum vt ſpiritum tranſmittere poſſit. Pulli viginti diebus excluduntur.*

42 *Animalium eadem quæ hominis & volucrium partus ratio. Partus faciles qui.*

43 *Primiparæ cur ex partu maxime laborent. Vmbilicus poſtremus omnium membrorum in lucem prodit. Mulieribus in partu mammæ & alia membra humidiora rumpuntur.*

44 *Gemelli quomodo vno coitu naſcantur. Animalia quædam, quare plures fœtus ædant. Gemelli vtriuſque ſexus, quomodo generentur.*

45 *Genitura non ſimul & ſemel eiaculatur. Genitura non omnis fortis eſt. Maſculorum gemellorum & fœmellarum generatio.*

1 SI genitura ab vtriſque permanſerit in vtero mulieris; primùm quidem ſimul miſcetur, vtpote muliere non quieſcente, coaceruaturq; ac craſſa per calorem euadit. Deinde ſpiritum concipit, nempe in calido exiſtens, & poſtea matre ſpirante. Deinde vbi ſpiritu repleta fuerit; viam hic ipſe ſibiipſi foras facit, & per mediam genituram ſpiritus erumpit. Quum autem ſpiritui calido via foras facta eſt; rurſus alius frigidus à matre inſpirat, atque hoc facit per omne tempus: caleſcit enim vtpote in calido exiſtens, & frigidum ſpiritum concipit à matre ſpirante. Omnia autem quæ caleſcunt, ſpiritum habent. Spiritus autem erumpit, & ſibiipſi viam facit, ac foras procedit. Id autem, quod caleſcit, rurſus in ſeipſum alium ſpiritum frigidum trahit per fiſſuram, vnde nutritur. Atque hoc contingit etiam in lignis, & in folijs, cibisque, ac potibus, ſi fortiter calefiant. Eius rei notionem ligna ardentia exhibent: omnia enim ligna hoc faciunt, maximè verò ſubuirida: emittunt enim ſpiritum iuxta ſectionem. Spiritus autem quũ foras procedit, circum cæſuram volutatur, id quod ſemper fieri videmus. Manifeſta igitur eſt ratiocinatio de ſpiritu, quod calidus exiſtens in ligno, attrahit alterum frigidum à quo nutritur, & à ſeipſo dimittit. (Nam ſi non altero pro eo, quem à ſe dimittit, attraheret, non volutaretur ſpiritus foras prodiens.

2 Omne enim calidum frigido moderato nutritur.) Et vbi per calfactum fuerit humidum, quod eſt in ligno, in ſpiritum mutatum foras procedit: & qua parte foras exit, ea ipſa calidus qui ineſt adhuc in ligno, alterum frigidum ſpiritum eius loco attrahit, à quo nutritur. Idẽ faciunt & folia viridia: quum enim inceduntur ſpiritum concipiunt, deinde erumpit ſpiritus, & viam facit, forasq; prodit, & circumuolutatur: procedens autem ſtrepitum facit, qua parte inſpirationem præbet. Quin & legumina, & frumẽta, & arborei fructus nucum generis calefacta ſpiritum habent, qui fiſſura facta foras prodit: & ſi humida fuerint, ampliorem ſpiritum emittunt, & rimam maiorem faciunt. Et quid multis verbis opus eſt? Omnia quæcunque calefiunt, ſpiritum emittũt, & alium frigidum viciſſim eius loco attrahunt, à quo nutrimentum ſumunt. Atque hę neceſſitates ea gratia à me productæ ſunt, vt cognoſcatur, quòd genitura in

vtero

3 vtero calfacta ſpiritum habet,& emittit.

Simul autē & à matre ſpirāte,genitura ſpiritū habet:quum enim mater frigidum attraxerit ex aere in ſeipſam,fruitur eo etiam genitura. Calida autem eſt, vtpote in calido exiſtēs, & tum ſanè ſpiritum habet, ac emittit,atque ipſa genitura inflata pelliculā acquirit: circūtenditur enim quod forinſecus circumipsā eſt,continuumque euadit,vtpote viſcoſum exiſtens. Quemadmodum in pane dum torretur, tenue quiddam pelliculæ ſpecie in ſuperficiem abſcedit, ac extat: caleſcens enim panis, & inflatus eleuatur: qua parte verò inflatur, iſthic pelliculæ ſpecies excitatur,& conſiſtit.Genituræ autem calfactæ, ac inflatæ ex toto,pellicula forinſecus circundatur.

4 Verùm iuxta medium genituræ,ſpiritui tranſitus extrà,ac intrò fit per pelliculam, & hac parte tenuitas pelliculæ à genitura diſtat, & pauciſſimum quid de genitura ineſt.Ipſa autem reliqua genitura rotunda eſt in pellicula. Atqui genituram, quæ ſex diebus in vtero māſit,& foras prolapſa eſt,ipſe vidi, & qualis tum animo meo obuerſabatur, ex illis ipſis reliquorum coniecturā facio. Vt verò ego viderim genituram ſex dierum exiſtentem,enarrabo. Mulieris nobis familiaris famula cantrix magnæ exiſtimationis ex virorum conſuetudine erat,quam in vētre cōcipere non conueniebat, vt ne minoris exiſtimationis redderetur. Audierat autem cantrix ipſa, qualia mulieres inter ſe dicunt,quòd,quando mulier cōceptura eſt in ventre;genitura non egreditur,ſed intus manet.Auditis autem his,atque intellectis,hoc ſemper obſeruauit,& quum quandoque ſentiret genituram non exeuntem; dominæ expoſuit, & ſermo ſtatim ad me peruenit. Ego verò quum audiſſem; iuſſi ipſam ad terram ſaltare.&,poſtquam ſepties iam exiliſſet; genitura in terram profluxit, & ſtrepitus factus eſt,atque illa conſpecta ipſa ammirata eſt. Qualis autem erat,ego referam: velut ſi quis ouo crudo externam teſtam circum circa adimat,in interna verò pellicula incluſus liquor pelluceſcat. Modus quidem talis erat,& vt abunde dicam,tuber erat liquor, & rotundus.In pellicula verò fibræ quædam albę,ac craſſæ ineſſe videbantur,cum cruore craſſo,& rubro obuolutæ: circū autem pelliculam foris cruenta veſtigia inſtar ſugillatorum; iuxta medium verò tenue quid eminebat,quod mihi vmbilicus eſſe videbatur, & per illum ſanè ſpirationem extra & intrò primum facere apparebat: quin & pellicula genituram ambiens, ac complectens, tota exillo tendebatur. Talem ſanè ego genituram ſex dierum exiſtentem vidi. Referam autem & aliam dinotionem, omni cupienti de hoc ſcire, quæ mihi paulò poſt hanc manifeſte apparuit, & teſtimonio eſſe poteſt omni meo ſermoni, quòd verus eſt, quantum homini de huiuſmodi redicere datur. Atque hæc mihi de hoc dicta ſunt.

5 Quòd genitura in pellicula eſt, ſpiritum habet intrò,& foras,& augeſcit à matre, ſanguine in vterum deſcendente. Menſes enim nō prodeunt, vbi mulier conceperit intra ſeipſam; ſi puer ſanus fuerit,& permanere debet,niſi in quibuſdam primo menſe modicam ſui indicationem faciant. Verum ſanguis à toto corpore mulieris deſcendens, in orbem forinſecus pelliculam circunſtat, ſimulque cum ſpiritu ſanguis intra per pelliculā trahitur, qua parte perforata eſt, & à genitura diſtat, congelaturque, & futuro animalia augmētum præbet. Quum autem tempus acceſſerit, rurſus aliæ pelliculæ intra primam pelliculam tenues, & multæ circuntēduntur eo modo, quo prima pellicula facta fuit. Sunt autem & hæ ab vmbilico extentæ,& inter ſe mutua ligamenta habent. Quum verò iam hoc factum eſt,ex deſcēdente à matre ſanguine,& congelato,caro fit.Iuxta mediam autem carnem vmbilicus diſtat,per quem ſpirat,& alimentum ac incrementum capit.

6 At verò mulier quú vterum gerit,à menſibus non prodeuntibus propterea non dolet, quòd ſanguis nō conturbatur, aceruatim abire ſolitus ſingulis menſibus;ſed procedit ſenſim,& modice citra dolorem, quotidie in vterum ipſum,& quod ineſt intus in vtero,augeſcit. Singulis autem diebus ea gratia procedit,& non ſemel per menſem,quòd genitura in vtero exiſtens ſemper à corpore trahit, prout vires tum ipſa tum ſpiratio habet. Et primùm quidem modica ſpiratio fit, & ſanguis modicus à matre procedit. Quum vero ſpiratio amplior redditur, magis ſanguinem trahit, & vberior is in vterum deſcendit. Atqui vterum non geſtantibus vbi menſes non prodierint,propterea dolor oboritur. Primùm quidem ſanguis in corpore ſingulis menſibus turbatur ab huiuſmodi neceſſitate, quòd menſis à menſe multum differt,& ſecundum frigiditatem & caliditatem: atque hoc percipit mulieris corpus: humidius enim eſt, quàm virile. Vbi autem turbatus eſt ſanguis, & venas impleuit,ab ipſo deſcendit, qualis ab initio naturæ fuit.

7 Quare ſi quidem euacuatur à ſanguine mulier; in ventre concipit:ſi verò repleta fuerit;non:nā vacuis veteris, & venis à ſanguine factis, mulieres in ſe fœtus concipiunt: etenim poſt menſtrui ſanguinis purgationem mulieres in ventre concipiunt.Cauſa iam dicta eſt. Quando autem conturbatus, & ſecretus ſanguis foras non procedit, ſed in vteros, vteri autem non hiauerint; tunc ſanè à ſanguine diutius immorante vteri caleſcentes, reliquo corpori calorem tranſmittunt, quandoque etiam ſanguinem in venas corporis diſtribuunt,vt & venæ repletæ doleāt, & tumores laxos producant. Quandoque etiam periculum eſt, ne claudicatio ex hoc inducatur. Aliquando & veſicam obſidēt,premuntque,ac claudūt veſicam;& vrinæ ſtillicidium inducunt. Aliquando pleni quoque ſanguinis exiſtentes vteri procidunt, aut ad coxendices,aut lumbos,& dolorem exhibent. Aliquando vbi ſanguis quinque, aut ſex menſe, in vteris moram traxit; putrefactus pus fit, & quibuſdam pus per pudendum exit. Sunt etiam quibus circa inguen velut tuberculum fit, illicque ſuppuratum exit. Sed & alia multa huiuſcemodi mala mulieribus fiunt, vbi lunares purgationes non procedunt. Sed quid opus eſt ea hic recenſere? Referentur enim in multebribus morbis. Verùm iam repetito eo quod reliqui ſermonem abſoluam. Quum autem generatur caro; tunc pelliculæ, augeſcente in vtero ſanguine, etiam ipſæ augentur, ac ſinuantur, & præſertim externæ. Et ſanguis à matre deſcendens, quem ſanè caro ſpirans attraxerit,in incrementum cedit, & ſi vtilis non ſit, in ſinus pellicularum ſecernitur: & vbi ſinuatæ factæ fuerint, ac ſanguinem ſuſceperint; tunc iam ſecunda appellatur. Et tantum de hoc mihi dictum ſit.

Cæterùm caro augescens à spiritu articulatur, & abijt in hac vnumquodque simile ad simile, densum ad densum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, & vnumquodque in propriam regionem abit, iuxta cognationem, ad id, à quo genitum est. & quęcunque à densis genita sunt, densa sunt: & quæcunque ab humidis, humida: & reliqua iuxta eandem rationem fiunt in incremento.

9 Et ossa durescunt à calore conglutinata. Et sanè ramificantur velut arbor, & tum interna, tum externa corporis, adhuc melius articulātur: ipsumque caput distantiam acquirit ab humeris, & brachia, ac cubiti à lateribus: & crura inter se disparātur: & nerui exiliunt circum naturas articulorum; & os per se diducitur, & nasus, & aures eminent in carne, ac perforantur; & oculi implentur humore puro, & pudēdum conspicuum fit vtrum tandem sit: & viscera coarticulantur: & iam etiam supernis partibus spirationem facit, tum ore, tum naribus: & venter inflatur, & intestina inflata supernè, perumbilicum spiritum assumunt, ac disperdunt; & in podicem via fit à ventre, ac intestinis foras, & in vesicam via foras. Atque hæc omnia à spiritu coarticulātur: nam inflata disparantur omnia iuxta cognationem. Etenim si velis fistulam vesicæ alligare, & per fistulā immittere in vesicam terrā, & harenam, & plumbi tenuia ramenta, insuperque infusa aqua in fistulam inflare, primùm quidem illa aquę permiscentur, deinde verò temporis progressu inflata secedent, & abibit plūbum ad plumbum, harena ad harenam, terra ad terram. Et si quis ipsa arefieri permittat, & distracta vesica contempletur, inueniet simile ad simile progressum esse. Sic sanè etiam genitura, & caro coarticulatur, & vnumquodque in ipsa simile ad simile abit.

10 Atque hæc mihi de hoc dicta sunt, & factus iam est puer, & ad hoc peruenit fœmella quidem in quadraginta & duobus diebus vt lōgissime, primā coagmentationem, ac coarticulationem accipiens: Masculus verò vt longissime, in triginta diebus. Vt plurimum enim hoc tempore, aut paulo breuiore, aut paulo longiore, articulatio ipsis contingit: nam & purgatio fit à partu vt plurimum, in fœmellis quidem, diebus quadraginta, & duobus (atque hæc tardissima est, & perfecta. Vacauerit autem periculo, etiam si in viginti quinque diebus purgetur.) In masculo verò purgatio fit diebus triginta: atque hæc tardissima est, & perfecta. Citra tamen periculum fuerit, etiam si in viginti diebus mulier purgetur. Postremo autem tempore purgatio quàm pauciſſima procedit, & in iunioribus paucioribus diebus purgantur, in senioribus verò pluribus.

11 Cæterùm maxime laborant ac dolent in partu, & partus purgationibus mulieres primiparę, & quę rarius pariunt magis dolent, quàm sæpius. Atqui purgationes à partu mulieribus ea gratia fiunt, quòd primo tempore vsque ad dies quadraginta duos in fœmella, in masculo verò ad dies triginta, pauciſſimus sanguis in augmentum pueri descendit. Ab hoc autem tempore copiosior, donec pariat. Oportet itaque purgationem reddi in toto puerperij tempore: & foras exire, ac respondere pro dierum ratione, ac proportione.

12 Principium autē huiusmodi purgationis tale mulieri fit. Dum ex partu laborat, conturbatur sanguis mulieri, & à forti pueri motu vehementer calescit: Conturbatus autem, primus quidem foras prodit: deinde puer: post puerum verò mucus crassus sanguinolentus: & deductio contingit huic, quemadmodum aquæ effusæ in mensa. Postea post illum per omnes dies purgatio procedit, vsque ad prædictum tempus, copia Atticæ heminæ vnius & dimidiæ primùm, aut paulo plus, minusue, pro eius temporis ratione, donec desinat. Procedit autem sanguis velut à victima si sana est, & sana futura est mulier, statim congelatur. Si verò mulier sana non est, neque sana futura est; purgatio paucior procedit, & specie deterior, & non cito congelatur. Id verò hoc modo habet. Si mulier vterum gestans morbum habuerit non cognatum; in puerperij purgatione perit. Si verò non purgatur in prioribus diebus vterum gerens, statim sana existens, aut etiam non, commoueatur autem ipsi purgatio siue à pharmacis, siue sua sponte derepente; iuxta dierum rationem procedet, quibus non vna vice procedit.

13 Si enim nō purgetur mulier à purgationibus partus; morbus magnus ipsam corripiet, & periculum vitæ incurret, nisi cito curetur, & quis conuenientē ipsi purgationem inducat. Hæc propterea produxi, vt ostēderem quòd in pueris membrorum discretio longissima cōtingit, in fœmella in quadraginta duobus diebus, in masculo in triginta. Argumento est purgatio à partu, quæ in fœmella fit in quadraginta duobus diebus, in masculo in triginta, vt tardissime contingat. Repetam autem iterum eandem rem ijsdem verbis, maioris lucis, ac declarationis gratia. dico enim talionem rependi, quòd genituręin vtero existenti pauciſſimus sanguis à matre in vterum venit, si fœmineam genituram habeat, in quadraginta duobus diebus; in his enim coarticulantur puerorū membra; ab hoc verò tempore copiosior sanguis venit: & in masculo rursus iuxta rationem dierum triginta. Quòd verò hæc vera sint, etiam alterum testimonium adest, hoc modo habens.

14 Primis diebus vbi genitura in vteros illapsa est, pauciſſimus sanguis à muliere in vteros venit, deinde copiosior: si enim aceruatim & multus semel veniret, genitura spirationem habere non posset, sed sanguine multo accedente suffocaretur. Rependitur autem in purgatione vice versa: purgatio enim puerperij in primis diebus plurima procedit, deinde paucior, donec desinat. Multæ autem mulieres puerum masculum iam perdiderunt paulo ante trigesimum diem, & inarticulatus apparuit. Qui verò posterius perditi sunt, aut simul cum trigesimo die, omnes articulati appatuerunt. In fœmella itidem iuxta rationem quadraginta duorum dierum habet: nam vbi his absolutis perditur, articulatio membrorum apparet. Siue autem prius, siue posterius perdetur puer, iuxta hanc rationem apparet: nam & secundum rationem, & necessitatem, articulatio contingit in fœmella, in diebus quadraginta duobus, in masculo, in triginta: testimonium enim præbent abortus puerorum, & à partu purgationes. Quòd autem fœmella posterius conformatur, ac coarticulatur, causa hæc est: quòd genitura fœminea debilior est, ac humidior, quàm masculā, & iuxta hanc rationem necesse est posterius conformari fœmellam, quàm masculū, atque ea gratia etiam purgatio diuturnior est in fœmella

mella, quàm masculo. Redibo autem rursus retrò vnde digressu sum.

15 Postquam iam articulatus fuerit puer, speciebus membrorum ipsius augescẽtibus; tunc & ossa duriora fiunt, & cauantur, atque hæc à spiritu fiunt. Caua autem existentia trahunt ad sese à carnibus quod in sanguine est pinguissimum: & progressu temporis remificantur rursus extremitates ossium. Quemadmodum arboris extremitates postremũ ramos spargunt; sic & in puero digiti manuum, ac pedum inter se disparãtur. In ipsis autem extremitatibus vngues enascuntur. Desinunt autem venæ hominis omnes in digitos manuum, ac pedum. Et crassissimæ quidẽ sunt venæ totius corporis, venæ capitis, deinde crurum, & brachiorum, ac cubitorum.

16 In pedibus autem, & manibus tenuissimæ, ac densissimę, & plurimę venę sunt. Nerui item tenuissimi, ac densissimi, & plurimi, & ossa magnitudine minima: atque hæc maxime in digitis manuum, ac pedũ existunt. Verum ex digitis, vtpote ossa densa, ac pauca habẽtibus, venas itidem, ac neruos; sic etiam vngues tenues, ac densi nascuntur, & intercipiũt, ac cõcludunt venarum extremitates, vt ne amplius augescant, neque altera alteri pręmineat: vt nihil miri sit vngues in extrema corporis parte dẽsissimos esse; ex densissimis enim constant. Simul autem cum vngui bus etiam capilli in capite radicantur.

17 Cæterùm pilorum natura hoc modo se habet. Oriuntur equidem maximi ac plurimi, qua corporis partè cuticula rarissima est, & vbi pilus moderatum humorem in alimentum habet: & vbi cuticula posterius rara fit, ibi etiam pili posterius nascuntur, velut in mento, & pube, & sicubi aliàs pili nascũtur: simul enim vt genitura prodit; etiam caro rarescit, & cuticula, & venæ aperiuntur magis, quàm priori tempore. Nam dum adhuc puer est, & venæ tenues existũt; non procedit per ipsas genitura, (eadẽ ratio de mẽsibus virginum est,) Simul autem vt via fit, & genitu ræ, & menstruis virginibus; etiã pilos emittit pubes, tum pueri, tũ virginis, rara nimirum cuticula reddita, simulque pilus moderatã humiditatem in alimentum habet, & non pauciorem. Sic verò & in mento viri contingit: rara enim fit cuticula, procedente in ipsã de capite humiditate: simul enim & in coitu, simulq; interiecto tempore, pilus moderatam humiditatem in alimentum habet, & tũc maxime, quum tempus contingit humiditati de capite descendenti in coitu, ad mentum à pectore distans.

18 Signum autem eius, quod in rarissimis cuticulæ partibus pili enascuntur: si quis velit inurere cutẽ, & pustulam tantum facere, eamque sanare, cutis densa reddita per cicatricem pilos non producet. Quicũque verò Eunuchi dum pueri sunt, fiunt, propterea neque in pube, neque in mento pilos producunt, leuesq; toti existunt, quòd via genituræ non facta, cuticulam non rarefacit per totam superficiem: intercepta est. n. ac concluſa genituræ via, quemadmodũ paulo ante à me relatum est. At verò mulieres leues fiunt & mento, & corpore, quòd in coitu ipsarũ humiditas non similiter agitata velut viri, cuticulam raram non facit. Quicunque autem calui fiunt, hi sane pituitosi sunt, & pituita in capite ipsorum simul cum coitu agitata & calfacta, ad cuticulam allabens pilorum radices exurit, & defluunt pili.

19 Verum Eunuchi propterea calui non fiunt, quòd vehementem motum non faciant, neque pituita in coitu calfacta pilorum radices exurit. Cęterum cani ob id fiunt, quòd longo tempore pertrãseunte in homine humiditate, albissimum eius secernitur, & ad cuticulam allabitur, & pilus albidiorem humiditatem trahẽs albidior fit, quàm priori tempore, itemque ipsa cuticula, præsertim vbi cani sunt, albidior alia euadit. Et quicunque ex natiuitate canum quid in capite habent, etiam illis cuticula summa vbi cani sunt, reliqua albidior existit; illic enim albissima est humiditas. Habet autem res hoc modo. Qualemcũque humiditatem caro attraxerit, siue albam, siue fuluam, seu nigrã, tali colore etiam pilus inficitur. Atque hæc de hoc dicta sunt. Redibo autem rursus ad sermonem relictum.

20 Quum itaque extremitates corporis pueri foras ramos sparserint, & vngues, ac pili radices egerint; tunc iam etiam mouetur, & tempus ad hoc fit, masculo quidem menses tres, fęmellę vero quatuor: sic enim vt plurimum contingit. Sunt aũt aliqui pueri, qui ante hoc tempus mouentur. Mouetur autem primum masculus; quia fortior est, quàm fęmella: & primum quoque conformatur masculus: nam à fortiore & crassiore genitura fit. Quum autem mouetur fœtus; tunc sanè lae indicationem sui, matri prębet; mammę enim attolluntur, & papillę glisc unt, ac turgent, lac verò non prodit. Et in mulieribus densam carnem habentibus, lac posterius significationẽ de se præbet, ac prodit: in raram verò carnem habentibus, prius.

21 Lac autem ob huiusmodi necessitatem fit. Quum vteri tumidi præ puero sunt; ventrem mulieris comprimunt: eius autem pleni vbi cõpressio contigerit; pinguissimum de cibis, ac potibus foras prosilit in omentum, ac carnem. Quemadmodum si quis coriũ illinat multo oleo, & imbibere permittat, & vbi imbibit, corium ipsum premat; oleum vtiq; exilierit foras ex corio compresso: sic etiam si venter pinguitudinem in se habeat à cibis, ac potibus, cõprimaturq; ab vteris pinguitudo; prosilit in omentum, ac carnẽ. Et si raræ carnis mulier fuerit; citius percipit eius persultationem: si nõ; posterius. Quin & pecora pręgnãtia si non ægrotent, ab eodem potu, ac cibo pinguiora propterea fiũt. Similiter autem & mulier. Et à puinguitudine calfacta, ac alba existẽte, quod edulcatum est à caliditate, quæ ab vteris accessit, expressum venit in mammas, & in vteros quoq; parum venit, per easdem venas: tendunt. n. & in mammas, & in vteros venulæ hæ, & consimiles aliæ. Et vbi peruenerit in vteros de lacte; puer ipso paululũ fruitur, mammæ vero susceptο lacte impletæ attolluntur.

22 Et vbi peperit mulier principio motus facto; lac in mammas ipsas procedit, si lactauerit: sic enim res habet. Dum mammæ lactant, ac exuguntur, venulæ in mammas ampliores fiunt; ampliores autem factę, à vẽtre pinguitudinem trahentes, in mammas distribuunt: nam & vir si multum coeat, venæ ampliores redditę, Venerem magis inducunt. Habet autem & hoc eo modo. Alimentum, & augmentum puerorũ fit, vbi ea, quæ à matre veniunt, in vteros processerint, & prout mater habet iuxta sanitatem, aut debilitatem; sic & puer habet.

23 Quemadmodum etiam quæ in terra crescunt, à

terra

terra nutriũtur, & prout terra habuerit, ſic etiam naſcentia in terra habent: etenim ſemen vbi deiectum fuerit in terram, humiditate quadam ab ipſa impletur. Habet enim in ſe terra omnigenum humorem, vt naſcentia nutrire poſſit: impletum autem humore ſemẽ, inflatur, & intumeſcit: & uis, quæ in ſemine leuiſſima eſt, ab humore condenſari cogitur: condenſata autem a ſpiritu uis, & humore folia producẽte, ſemẽ rumpit, & primum folia foras emergunt. Vbi uero emerſerint, quum non amplius ab humore in ſemine exiſtente folia nutriri poſſint, rumpitur inferne ſemen, itemque folia: & ſemen à folijs coactum, vim ſuam ad inferna demittit, quæ videlicet in ipſo reſtat propter grauitatem, & fiunt radices ex folijs diſtentæ. Poſtquam autem planta iam firmiter radices inferne egerit, & alimentum à terra ſumit; tunc ſanè totum euaneſcit, & in plantam cõſumitur præter corticem, qui ſolidiſſimus exiſtit. Rurſus autem cortex in terra putrefactus progreſſu temporis euanidus fit, & quædam folia ramos producunt. Ex ſemine itaque tanquam ex humido nata planta, donec quidem tenera, & aquoſa fuerit, in augmentum ſuperne, ac inferne procedens, fructũ excludere non poteſt: non enim vim habet fortem, ac pinguem, ex qua ſemen condenſari queat. Vbi verò ſolidior facta eſt, & progreſſu temporis radices egerit; tunc iam & venas habet amplas, tum ad ſupernam, tum ad infernam partem: & tunc ſanè non amplius aquoſum ex terra trahit alimentum, ſed craſſius, & pinguius, ac copioſius, quod calfactum à ſole efferueſcit in extremitates, & fit fructus iuxta cognationẽ, ex quali etiã generatus eſt. Multus autem ex modico propterea fit, quòd ſingula ex terra naſcentia maiorem vim ex terra, quàm ex eo, vnde generata ſunt, trahunt, & efferueſcunt non ſecundum vnum, ſed ſecundum multa. Quem autem fructus prodierit; à planta ſua nutritur: planta enim à terra trahens, fructui tranſmittit: Sol autem fructum coquit, & ſolidum facit, quod aquoſius in ipſo eſt, ad ſeſe trahens. Atque hęc mihi dicta ſunt de his, quę ex ſemine naſcuntur à terra, & aqua.

24 Cæterũ ex plantarijs ab arboribus arbores fiunt, hoc modo, ramus vulnus habet, qua parte ab arbore defractus eſt, in infima ad terram parte, vnde radices prodeunt. Pangitur autem, & in terram demittitur, hoc modo. Quum planta, quæ in terra exiſtit, humorem acceperit à terra, tumeſcit, & ſpiritum habet: quæ verò pars ſupra terram eminet, nondum. Spiritus autem, & humor condenſans in inferna plãtæ parte vim, quantũ eius grauiſſimum eſt, in infernam partem erumpit, & ex ipſo radices teneræ fiũt. Poſtquam autem in infernam partem receptus fuerit; tunc iam ex radice humorẽ trahit, & parti ſupra terram eminenti tranſmittit: & tunc ſane rurſus ſuperna pars intumeſcit, ac ſpiritum habet: & quãtum ex ui in planta leue ineſt, idipſum congregatum germinat, ac folia producit, & iam in ſupernam partem augmentum facit, itemque in infernam.

25 Sic itaque cõtrarium contingit circa germinationẽ, in his, quæ ex ſemine, & in his, quæ ex plantarijs proueniunt: ex ſemine enim prius folium emergit, deinde radices in infernam partem dimittuntur. Verum arbor primùm radices agit, deinde folia acquirit; propterea quòd in ſemine ipſo humoris copia ineſt: & in terra quum totum inſit: alimentum ineſt primum folio ſufficiens, vnde folium nutritur, donec radicetur. Verum in ramo non ſic fit: non.n. gignitur ex altero, vnde folium primum alimentũ habeat, ſed ipſe ramus eſt, & velut arbor habet, & multa eius pars ſupra terram eminet. Quare quum ſupra terram exiſtat, humore impleri non poteſt, niſi ex inferna parte magna quædam uis procedens, in ſupernam humorem diſtribuat. Et plantarium primo neceſſe eſt ſibiipſi alimentum ſufficere à terra in radices, deinde vbi ſic à terra atraxit ſurſum diſtribuere, & folia ad germen augmentum concitare.

26 Quum autem augmentum cepit planta, à tali neceſſitate ramos ſpargit, quam referam. Cum plus humoris ipſi acceſſerit ex terra attracti, erũpit præ multitudine, qua parte quamplurimus fuerit, & hac parte planta ramos emittit. augetur autem & in amplitudinem, & in ſupernam, & in infernam partem; propterea quòd inferna terræ pars hyeme quidem calida eſt, æſtate autem frigida. Atque hoc propterea cõtingit, quòd terra humida eſt in hyeme, præ aqua de cœlo delabente, & comprimitur in ſeipſum, vtpote humore grauiore exiſtente: denſior autem ab hoc ipſo eſt, & nullam tranſpirationem habet nõ enim amplius magna raritas ipſi ineſt. & propter hoc inferna terræ pars hyeme calida eſt: nam & fimum dẽſius accumulatum, intus calidius eſt, quàm quod rarum exiſtit: & aliàs humecta, ac compreſſa, à ſeipſis concaleſcunt, & breui à calore valde exuſta putreſcuut: neque enim permeat ſpiritus per ipſa, nimirum quũ denſa exiſtũt. Si verò ſicca fuerint, ac rarè poſita; multo minus caleſcunt, ac putreſcunt. Atque ſic ſanè frumentum, ac hordeum humidum, ac madefactum, intus calidius eſt, quàm ſi ſiccum ſit, & rarè poſitum.

27 Et veſtes pelliceæ colligatæ, ac fortiter compactæ, à ſeipſis comburuntur, velut ego vidi, quemadmodum ab igne exuſtæ. Sed & alia ſi quis velit conſiderare, omnia, quæ comprimũtur à ſeipſis, calidiora reperiet, quàm quæ rare poſita ſunt: non enim habẽt vnde frigiditatem inſpirent à ventis. Sic etiam inferna terræ pars quum plena ſit, & ipſa à ſeipſa comprimatur, nimirum grauis, ac denſa exiſtens, ab humiditate in hyeme caleſcit: nullam enim caliditatis perſpirationem habet. Sed vbi de cœlo aqua cadit in ipſam, quũ ſpiritus prodierit ab ipſa in terra; non vlterius penetrat, vtpote terra denſa exiſtente, ſed ſpiritus retrò ad aquam abit: & propterea fontes, ac marinæ aquæ, hyeme calidiores ſunt, & auctiores quàm æſtate; quia ſpiritus dum exhalat, retrò abit ad aquã, quum terra denſior exiſtat, & per ſe ſpiritum non tranſmittat. Et aqua multa exiſtens, quæ contigerit, ea perrumpens procedit, & uiam ſibiipſi ampliorem facit, quàm ſi modica exiſtat.

28 Aqua enim in terra nõ conſiſtit, ſed ſemper in decliue procedit. Si autem ſpiritum ab aqua prodeuntem terra per ſe hyeme tranſmittat, paucior aqua ex ipſa procederet, & fontes hyeme magni non eſſent. Atq; hæc omnia in hoc dicta à me ſunt, quòd terræ inferna pars calidior eſſe apparet hyeme, q̃ æſtate.

29 Nunc autem dicere volo, quod æſtate frigidior, quàm hyeme; inferna terræ pars eſſe videtur. Terra æſtate rara eſt, & leuis, nimirũ ſole vehemẽtius irruẽte, & ab ipſa humiditates ad ſeſe trahente. Habet autem terra in ſe ſemper aquam plus, aut minus. Spiritus

tus autem omnes nobis sunt ab aqua. Id quod sic se habere, vnde eoniectare possis demonstrabo: etenim ab omnibus fluminibus, ac nebulis spiritus semper procedunt. Est autem negula aqua in aere cohærēs, & continua. Et tunc sanè terra rara est, ac leuis æstate, & aquam in se habet, & aqua in decliue fluit, procedente autem aqua, semper inde alius ex alio spiritus exhalat. Qui verò exhalat, per terram abit leuē, ac raram existentē, & frigiditatem terræ inducit, & ipsa aqua simul perfrigeratur. Habet autē sic. Quēadmodum si quis aquam in vtre existentem fortiter comprimat, & per punctura acus. vel paulo maiorem, perspirationem aquæ faciat, & ipsum vtrem in sublimi suspendat, nullus spiritus perforamen procedat, sed aqua. non enim habet spatiositatem per quam aqua spiritum emittat. Sic sanè se habet etiam hyeme aqua in terra. Si autem aquæ in utre locū satis amplum feceris, & vtrem in sublimi suspenderis, spiritus per foramen procedet: locum enim spiritus habet ab aqua mota, procedendi per vtrem, & propterea per foramen spiritus transit. Sic sanè se habet etiam æstate aqua in terra: satis amplum enim locū habet nimirum terra rara existēte, & sole ab ipsa humorem ad se trahente, & pertransit spiritus, vtpote qui frigidius existit, ab aqua per ipsam raram existētem, ac leuem. Ob hoc itaque inferna ipsius pars æstate frigida existit, & aqua ipsa adhuc magis, quàm spiritus, qui in terra frigidus existit, & ipsa in seipsam, & in terram, spiritum emittit.

30 Sed & aqua quæ hauritur in puteo spiritum semper mouet, velut flabellum, atque hoc ipsum aquæ frigiditatem inducit. Quæ verò non hauritur æstate, sed stans densa existit, non similiter spiritum in se à terra suscipit, neque in terram à seipsa distribuit, & simul à sole, & aere in puteo non dispersō, sed stante, ac firmato, primùm superficies ipsius calefit, deinde alia eius pars ad aliam deorsum caliditatem distribuit, & propterea aqua, quę æstate non hauritur, calidior est ea, quæ hauritur.

31 Quin & fontes valde profundi æstate semper frigidi existunt: & aqua hausta hyeme, terra calida existente, ex tali fonte, statim quidem calida est: vbi vero tempus progressum fuerit; frigida est, ab aere videlicet frigido existente talis facta: perflatur enim à vento, & spiritus per ipsam pertransit. Quemadmodum etiam aqua, quæ æstate hauritur, vbi hausta fuerit, statim frigida est, calida autem fit postea, propterea quòd terra rara existente, & spiritum in ipsa existente, perfrigeratur: vbi autem hauſtæ tempus accesserit; stabilis fit, & calida conspicitur. Calefit enim ab aere calido existēte, quemadmodū & aqua, quæ non hauritur in puteo æstate, ob hoc ipsum calida redditur. Atque hæc à me de hoc dicta sunt. Repetam autem rursus, quòd æstate inferna terræ pars frigida est, hyeme vero calida: superna autem vice versa.

32 Et oportet arbori non duo calida simul accedere, neque duo frigida simul, si sana esse debet. Verum si quidem ex superna caliditas accesserit; ex inferna frigiditatē ipsi accedere oportet: & vice versa, si ex superna parte accedat frigiditas; ex inferna caliditatē ipsi contingere oportet. Et radices vbi attraxerint, arbori trāsmittunt, & arbor vicissim radicibus. atq; sic & frigidi, & calidi conseruatio contingit. Quemadmodum homini ingestis cibis in ventrem, qui dū concoquuntur, calfaciunt, perfrigerationem a potu facere oportet: Sic & arbori cōtrarium repēdi oportet, ex inferna parte ad supernam, & vicissim: & augescit arbor & in supernam, & infernam partē; propterea quòd alimentum ex inferna, & superna ipsi accedit.

33 Et quandiu quidem vehementer tenera fuerit arbor fructū non producit: (Non enim est in ipsa pinguis uis, neque crassa, quæ ad fructum conferre possit.) Progressu autem temporis venæ in ipsa dilatatę, pinguem, ac crassam influxionem ex terra in ipsam faciunt sol autem ipsam diffundēs, ebullire facit vtpote leuem existentem, in extremitates, & fructū producere, & tenuem quidem humiditatem à fructu sol aufert, crassam autem concoquens, & calfaciēs edulcat. At vero arbores non fructiferæ, in se pinguitudinem tantam non habent, quantum eius in fructum est expendendum. Omnis autē arbor quum per tempus solida facta fuerit, & ex inferna parte radices firmarit; iam penitus constanter augescere desinit.

34 Quicūque verò in arbores, ab alijs arboribus oculos indiderunt, & arbores in arboribus enatæ viuūt, & fructificant non similem fructum arboribus, quibus insitæ sunt. Idipsum tali modo cōtingit. Oculus primùm quidem germinat: alimentum enim habet primùm ab arbore, ex qua ablatus est, deinde ab ea, in quam insitus est. Vbi autem germinauerit, sic in arborem radices tenues à se demittit, & primum humore fruitur in arbore, in quam insitus est, existente: deinde tempore accedente, demittit radices in terram per eam, in quam insitus est, & fruitur humore, quem à terra trahit, & alimentum inde ipsi contingit: vt non mirum sit, insitas arbores, alios fructus producere: à terra enim viuunt. Hæc mihi de arboribus, & fructibus dicta sunt ea gratia, quòd indignū mihi factum videbatur, & ne poteram quidem hanc tractationem semiperfectam relinquere.

35 Redibo nūc rursus retrò ad illum sermonem, cuius gratia à me hæc de istis relata sunt. Censeo enim terræ nascentia omnia viuere ex terræ humore, & qualem terra humorem in seipsa habet, talem etiam nascentia ex ipsa habere. Sic etiam puer viuit de matre in vtero, & quali mater sanitate prædita est, talē etiam puer habet. Quòd si quis considerare velit ea, quæ de his dicta sunt, ab initio vsque in finem inueniet naturam omnem consimilem esse, & ex terra nascentiū, & hominum. Et hæc mihi de hac dicta sunt. Cæterum puer in vteris existens manus apud genas habet, caput autem prope pedes: & nō datur probe, ac certo cognoscere, etiamsi puerū in vtero videas, vtrum caput sursum habeat, an deorsum. Verum ex vmbilico pelliculæ tentæ sunt ipsum continentes. Nunc autem referam dinotionem, quam paulo antè me demōstraturum dixi, quātum humanę mēti possibile est manifestam illā, omni, qui de hoc cognosse velit, quòd genitura in pellicula est, & quòd iuxta medium ipsius vmbilicus est, & per illū sanè primo spiritum in seipsam trahit, & foras emittit, & quòd ex vmbilico pelliculæ tantæ sunt. Sed & aliam pueri naturam, quam dixi, sic totam habere vsque in finē reperiet, quomodo videlicet à me in his sermonibus declaratum est: si quis testimonijs, & ocularibus inspectionibus à me producendis vti velit.

Etenim

36 Etenim si quis oua viginti, aut plura, quò pulli ex ipsis excludãtur, gallinis duabus, aut pluribus subijcere velit, & singulis diebus à secunda exordiendo, vsque ad vltimam, qua excludetur pullus ex ouo, subtrahere, confringere, ac videre; inueniet omnia se habere iuxta meum sermonem, quomodo volucris naturam, ad humanam conferre oportet: quòd enim pelliculæ ex vmbilico tentæ sunt, & reliqua, de puero dicta sunt, sic se habere in ouo volucris reperies, ab initio in finem. Atqui si quis nõdum vidit; mirabitur in volucris ouo vmbilicum inesse. Atque hæc sic habent, & sic à me relata sunt.

37 Quando verò mulieri partus appropinquat; tunc puero se mouente, & manibus, ac pedibus calcitrante, pelliculam quandam internam rumpi contingit: rupta autem vna, etiam alię debiliorem vim habent, & rumpuntur primũ quidem illi contiguæ, & cohęrentes, postea extrema. Quum autem ruptæ fuerint pelliculæ; tũc fœtus à vinculo exoluitur, & agitatus foras procedit: neque enim amplius robur habet pelliculis amissis, neque vteri amplius puerum continere possunt, pelliculis, velut dixi, amissis, & ab ipsis abruptis: cohærent enim pelliculæ etiam vteris, vbi circum puerum obuoluntur, non adeo vi valida, ac multa. Quando autem procedit puer; violat, & dilatat vteros in exitu, vtpote teneros existentes. Procedit autem in caput, si secundum naturam prodierit: grauissimę enim sunt ipsi supernæ partes; si ex vmbilico perpendantur. Quum autem in vteris est, magis continens existit vsque ad pellicularum rupturam simul cum decimo mense, quando partus matri propinquat, & adest.

38 Si verò violentam affectionem perpetiatur puer; etiam ante præfinitum tempus ruptis pelliculis prodit. Quin & si alimentum à matre prius puero defecerit; etiam sic partus matri prius aduenit, & ante decimum mensem puer prodit. Cæterùm quæ longius, quàm decem mensium tempus ũterum gestare sibi vsæ sunt (nã hoc iam sæpe audiui) illæ ipsæ hoc modo, quem dicturus sum, deceptæ sunt. Quum uteri spiritum acceperint in seipsos, à ventre flatum exhibente, eleuantur, ac intumescunt, contingit enim hoc. Videntur sanè sibi mulieres tunc concepisse. Preterea si menses non procedentes congregati fuerint in vtero, & diutius manserint; semper perfluunt in vteros, aliquando vnà cum flatu à ventre, aliquãdo etiam calescentes: & sanè tunc quoque in vtero habere mulieres sibi videntur, nimirũm mensibus non prodeuntibus, & uteris eleuatis.

39 Deinde aliquando menses sua sponte erumpunt, aut alijs superuenientibus à corpore in vteros, & priores protrudentibus, & flatus egreditur: & multis iam flatum post mensium purgationem vteri hiant, & ad pudendum vertuntur, & tũc viris permixtę, ad se genituram concipiunt, eadem die, aut omnino in paucis. Existimant autem inexpertæ harum rerum, ac rationum, etiam illo tempore se in vtero habuisse; quando menses non prodibant ipsis, & vteri erãt eleuati, ac tumentes. Quòd autẽ non diutius, quàm decem mensibus contingat vterum gestare, ego demonstrabo. Alimentum, & augmentum, quod à matre descendit, non amplius sufficiens est puero, vbi decem menses præterierint, & fœtus auctus fuerit: trahit enim quod dulcissimum est in sanguine ad se, simulque etiam lacte modice fruitur.

40 Quum autem hæc ipsi rariora, ac pauciora sint, & puer plenus, ac maturus existat; copiosius alimentũ desiderans calcitrat, ac pelliculas rumpens, initium partus matri inducit, & hoc perpetiuntur magis mulieres primiparæ: deficit enim pueris alimentum, vt ad decimum vsque mensem sufficere non possit. deficit autem per hunc modum. Sunt quædam mulieres, quibus sufficientes menses purgantur, quædam, quibus pauciores: hoc ipsum si semper fiat; in natura, & genere, maternum ipsis existit. Quæ verò menses paucos demittunt, hæ etiam pueris postremo tẽpore, vbi iam maturi fuerint, alimentum rarius exhibentes, ipsos calcitrare faciunt, vt & ante decimum prodire festinent: modicus enim sanguis à iuuenculis, ac nouellis matribus procedit: vt plurimum vero contingit tales mulieres etiam sine lacte esse, quæ paucos menses demittunt: ficciores enim sunt, & densiorem carnem habent. Huic autem rationi, q videlicet deficiente alimento prodit puer, etiam si non aliqua violenta affectio ipsi accidat, etiam hoc testimonio esse potest.

41 Volucris ex oui luteo nascitur, hoc modo. Incubante matre ouum calescit, & quod in ouo inest, à matre mouetur: calescens autem id, quod in ouo inest, spiritum habet: & alterum frigidum ab aere per ouum attrahit: ouum enim adeò rarum est, vt spiritum, qui attrahitur, sufficientem ei, quod intus est, transmittat: & augescit volucris in ouo, & coarticulatur modo eodem, ac consimili velut puer, quemadmodum iam antea à me relatum est. Nascitur autem ex luteo oui volucris, alimentum verò, & augmentum habet ex albo, quod in ouo est, atque hoc iam omnibus manifestum factum est, qui animum aduerterunt. Vbi autem deficit alimentum pullo ex ouo, non habens id sufficiens, vnde viuat, fortiter mouetur in ouo vberius alimentum quærens, & pelliculæ circum dirumpuntur, & vbi mater sentit pullum vehementer motum, putamen excalpens ipsum excudit: atque hæc fieri solent in viginti diebus, & manifestum est, quòd ita se habent. Vbi enim excusa est volucris: nullus humor in oui testis inest, qui sanè memorabilis existat; expensus est enim in pullum. Sic etiam ubi auctus fuerit puer, mater non amplius sufficiens alimentum ipsi exhibere potest. Vberius itaque præsente alimentum puer quærens, calcitrando pelliculas dirumpit, & à vinculo exolutus simul foras prodit atque hæc vt longissime in decem mẽsibus fiunt.

42 Et secundum hanc rationem etiam pecoribus, ac feris partus aduenit in tempore, quo singula pariũt, non tardius: etenim vnicuique animali necesse est tempus esse, in quo alimentum fœtui rarius erit, & deficiet, & partus adest. Et quæ quidem paucis alimentum pueris præbent, citius pariunt: quæ verò vberius, posterius. Atq; hęc mihi de hoc dicta sunt. Porrò diruptis pelliculis, si pueri momentum in caput inclinatum prędominabitur; mulier facile parit. Si autem obliquus, aut in pedes procedet: contingit enim hoc sæpe si momentũ huc inclinarit, siue præ vterorum spaciositate, siue si mater in labore ex partu primùm non quieuit: & si sic procedet, mulier difficulter pariet. Multæ autem vel ipsæ perierunt, vel puer, aut simul matres vnà cum fœtibus.

Cæterùm

43 Cæterum ex parientibus,ac puerperis maxime laborant primiparæ,propter inexperiẽtiam dolorum, & dolent quidem totum corpus, maxime vero lumbos, ac coxendices: nam coxendices ipſarum diſparantur. Verum expertæ iam partus,minus primiparis dolent. Quæ vero multoties perpererunt,multo minus dolent. Si porrò in caput proceſſerit puer,caput primùm foras prodit,deinde alia membra conſequuntur; poſtremus autem vmbilicus. Ex vmbilico autem ſecunda tenta eſt. Poſt hæc aquoſitas, & mucus ſanguinolentus tum à capite, tum à reliquo corpore ſecretus,præ violentia, & dolore, ac calore: atque hic viam ſtruit purgationi a partu conſequenti. Poſt exitum autem eius muci cruenti, purgatio fit per tempus antea relatum. Et tum mammæ,tum reliqua membra, quæ humidiora ſunt, mulieribus rumpuntur,minime quidem in primo partu: poſtea verò prout plures pariunt, ita amplius rumpuntur, euacuatis venis præ partus purgatione. Atque hæc à me de hoc dicta ſunt.

44 Gemelli autem fiunt ac vno coitu,hoc modo,Vteri ſinus frequentes, & curuos habent, alios remotiores, alios propinquiores pudendo. Et animalia, quæ multa gignunt, plures ſinus habent, quam ea, quæ pauca. Similiter autem habent & pecora, & feræ,& volucres. Vbi itaque contigerit genituram findi,& in duos ſinus peruenire, & vteri genituram ſuſceperint,& ſinus alter ad alterum non hiauerit,nec dimiſerit; ſegregata genitura in vtroque ſinu pelliculas induit, & viuificatur eodem modo, quo vnus fœtus,quapropter vero id fiat,diximus. Quod vero ab vno coitu gemelli gignantur,hoc teſtimonio cõſtat. Eſt canis,& ſus,& alia animalia,quæ ab vno coitu pariunt & duo,& plura,& vnumquodque animal in vtero,in ſinu,ac pellicula exiſtit;atq; hæc ipſi fieri videmus, & hæc omnia eadem die vt plurimũ pariunt. Sic autem & mulieri ab vno coitu gemelli facti,vterque in ſinu,& pellicula eſt,& eadem die vtrũque parit, & alter prius foras procedit, & pellicula ipſius ſiue ſecunda. Quòd autem gemelli, fœmella, & maſculus generãtur,hoc cauſſæ eſſe ſentio. In muliere,& in viro,& in omni animali,in ſingulis & debilior, & genitura ineſt.

45 Et non ſemel, ac ſimul genitura procedit,ſed & bis, & ter ebullit, ac eiaculatur: & non eſt poſſibile omnem eſſe fortem, tum quæ prius exiuit, tum quæ poſterius. In vtrum autem ſinum, craſſiorem,ac fortiorem genituram ingredi contigerit,illic maſculus gignitur: In vtrum vero rurſus humidiorem,ac debiliorem,illic fœmella generatur. Si vero in vtrunque fortis ingredietur;ambo maſculi fient:ſin debilis; ambo fœmellæ. Atque hic ſermo ſic relatus totus finem habet.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Carnibus.

Argumentum in Librum ſequentem.

1 *Quatenus de Meteoris ſit dicturus. Calidum quid Hippocrati eſſe videatur. Elementorum ſecretio,eorumque ſedes ac qualitates.*

2 *Quomodo ex elementis turbatis & permixtis, ſingulæ corporis partes ſint creatæ. Oſſium generatio vnde. Neruorum generatio. Membranarum generatio.*

3 *Cauarum partium vt ſtomachi ſiue gulæ, ventris,& in teſtinorum generatio. Tunicarum ex membranis generatio quomodo fiat. Veſicæ generatio.*

4 *Oſſium rigidiſſimorum & cauernoſorum generatio. Calidi eſt diffundere, frigidi congelare. Cerebrum metropolis glutinoſi ac frigidi. Calidum pinguis ſedes & metropolis. Cerebrum cur à calido fundi aut liquari nequeat.*

5 *Spinalis medulla quid, & quomodo ab aliis differat. Spinalis medulla ſola membranas habet. De partium diſſimilarium ſeu inſtrumentariarum generatione & temperamento.*

6 *Cordis conſtitutio & ſitus. Cauæ venæ duæ à corde. Venæ cauæ diſtributio. A vena caua & arteria aliæ venæ per totum corpus fixæ ſunt: & quibus hæ locis cauiſſimæ exiſtant.*

7 *In venis ac corde plurimum calidi ineſſe. Cor membrorum omnium calidiſſimum eſſe, ac ſpiritum trahere.*

8 *Puerum in vtero alimentum & ſpiritum trahere.*

9 *Pulmonis generatio. Iecoris generatio. Iecur fibris exemptis non congelatur. Splenis generatio.*

10 *Renum generatio. Carnis eadem quæ renum generatio. Humidum calidum eſſe. Pellicularum generatio.*

11 *De articulorum,neruorum,ſaliuæ,vnguium ac dentium generatione.*

12 *Dentes cur alijs poſterius naſcantur. Dentes primi quando, & quibus de cauſis excidant.*

13 *Venæ ſupra ieiunum inteſtinum exiſtentes, tenuiſſimum ex ventre & inteſtinis trahunt. Corporis partes vniuerſas, item qualitates primas & ſecũdas ab alimento irrigatas. alimentum capere.*
Maxillæ ſolæ venas habent, & nutrimento uberiore vtuntur,

14 *Homo quo tempore & quandiu augeſcat. Dentes ſapientiæ quibuſdam in quarto ſeptennario enaſcuntur.*

15 *De capillorum generatione, & cur pili quibuſdam diuerſis corporis partibus, quibuſdam toto corpore enaſcantur.*

16 *De auditus ratione. Auris pellicula,omnium pellicularũ ſicciſſima. Sicciſſimum maxime reſonat. Celebrum cur ſonum non edat.*

17 *De Olfactus ratione. Aquam non olfacimus. Aqua putrefacta crassior fit, & alia omnia. Nares humectæ olfacere nequeunt. Cerebri in pulmonem & reliquas partes destillatio quomodo contingat.*

18 *De Visus ratione ac constitutione. Album oculi. Pupilla. Oculi tunica quid. Oculorum humores glutinosi ac liquidi. Oculum quæ molestent.*

19 *De sermonis facultate. Muti ex natiuitate cur non differant, & vnam tantum vocem indiscretam ædant. Gutture præfecto vox non æditur.*

20 *Vitam hominis septem esse dierum.*

21 *Mulierum à conceptu affectiones. Fames quatenus necet.*

22 *Partus septimestres, vitales: octimestres, lætales. Partus nouem mensium & decem dierum, cur vitales.*

23 *Morbi acutissimi septenario dierum iudicantur. Vlcerum magnorum in capite & reliquo corpore inflammatio septenario sedatur.*

24 *Quomodo de septimestri partu, certo quispiam cognoscere possit. Dentium completio septimo anno Natura septenario subiecta.*

1 EGO ad hunc vsque sermonem communibus sententijs vtor tum aliorum, qui me præcesserunt, tum etiam meis: necesse enim est cõmune principium sententijs supponere eum, qui velit hanc de arte medica tractationem componere. Verùm de rebus sublimibus in aere, ac cœlo neque opus habeo dicere, nisi quòd quantum ad hominem, & reliqua animantia, quæ sunt, & nata sunt, pertinet, demonstrabo, & quòd anima sunt, & quòd sanitas, & quòd morbus, & quòd in homine malum, ac bonum, & vnde moritur. Nunc autem ipse meas sententias profero. Et videtur sanè mihi id, quod calidum vocamus, immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum præsentia, tum futura. Huius igitur plurima pars, quum turbata essent omnia; in supernam circumferentiam secessit. Et videntur mihi ipsum veteres Aethera nominasse. Altera pars inferna appellatur Terra, frigidum quid, & siccum, & multis motionibus obnoxium, & in hac sanè multum calidi inest. Tertia pars aeris, medium locum occupauit, calidum quid, ac humidum existens. Quarta vero pars terræ proximum locum cepit, humidissimum quid, ac crassissimum.

2 Hæc itaque quum turbata essent, & in orbem circumuoluerentur; multa calidi pars in terra conclusa est, alibi maior, alibi minor, alibi valde pauca, alibi copia multa: & temporis progressu terra a calido arefacta, hæc conclusa in ipsa putredines faciunt veluti tunicolas, & quantum quidem ex putredine terræ pingue fuit, & minimum humoris habuit, id ipsum per multum tempus calescens, celerrime exustum est, & in ossa mutatum. Quæ verò glutinosiora fuerunt, & frigiditate participarunt, ea calefacta exuri non potuerunt, neque verò liquida fieri. propterea speciem alientiorem ab alijs acceperunt, & nerui solidi facti sunt: neque enim multum frigiditatis ipsis inerat. Verum venæ frigiditatis multum habebant, atque eius frigidi quantum circumcirca glutinosissimum erat, à calido exassatum, membrana euasit. frigidum verò, quod erat, à calido superatum dissolutum est, & ob id liquidum factum.

3 Iuxta eandem autem rationem etiam fauces, & stomachus siue gula, & venter, & intestina in podicẽ vsque, caua facta sunt: quum enim frigidum semper calescat, quãtum eius circumcirca glutinosum erat, exassatum est, & membrana tunica facta est. Quod verò intra frigidum erat, colliquatum est, & factum est liquidum: non enim erat in ipso neque pingue, neque glutinosum multum. Iuxta eandem rationem etiam vesica Multum frigidum quod ipsam circumcirca concluserat, à calido calfactum, dissolutum est, & euasit liquidum; quum neque pingue, neque glutinosum in ipso esset: quod verò supererat, tunica euasit. Sed & de alijs quæ caua sunt, eodem modo res se habet: vbi enim plus glutinosi, quàm pinguis erat, membrana tunica facta est. Vbi verò pinguis plus, quàm glutinosi; ossa facta sunt.

4 Eadem ratio & ossium est. Vbi quidem non inerat glutinosi, verum pinguis, & frigidi, citius exusta sunt propter pinguitudinem: atque hæc ossa durissima, & rigidissima existunt. Vbi verò pingue, & glutinosum similia sunt, hęc ossa antrosa sunt. Et de his quidem sic habet. Frigidum quidem congelat, Calidum autem diffundit, in multo verò tempore etiam exsiccat. Vbi autem pinguitudinis aliquid affuerit; sitius exurit, & siccat. Vbi verò glutinosum affuerit frigido, citra pinguitudinem, exuri nõ vult, sed tempore calescens congelatur. Cæterùm cerebrum sedes, & metropolis est frigidi, ac glutinosi. Calidum verò pinguis sedes, & metropolis est: quod enim calescit, primum omnium quum diffunditur, pingue fit. Et propterea cerebrum, quia minimũ pinguitudinis habet, plurimum verò glutinositatis; à calido exuri non potest, sed tempore tunicam, membranam crassam accepit, circum membranam verò ossa, quantum calidum superauit, & in quibus pinguitudo erat.

5 Sed & medulla spinalis appellata, à cerebro descẽdit, & non est in ipsa, neque pinguis, neque glutinosi multum, quẽadmodum & cerebro: & propterea neque nomen medullæ iustè possidet: non enim est alij medullæ similis, quæ in alijs ossibus ineſt: sola enim membranas habet, quas alia medulla non habet. Signa porrò horum manifesta sunt. Si quis enim neruosa, & glutinosa, itemque alia assare velit, aliæ quidem cito assantur: verum neruosa, & glutinosa assari non volunt; minimum n. pinguitudinis habent. Pinguissimum autem, & vnguinosum celerrime assatur. At verò viscera sic mihi constituta esse videntur: nam de venis prius à me dictum est.

6 Cor multum glutinosi, ac frigidi habet, & à calido calfactum, caro euasit dura, & viscosa, & membrana circum ipsum, & cauum factum est, non quemadmodum venæ: & fisum est in capite venæ cauissimę. Duæ enim sunt cauæ venæ à corde, alteri nomen est arteria, alteri vena caua, iuxta quam cor situm habet. Et plus habet calidi arteria, quam vena caua, & spiritum condit, ac cõseruat. Verùm præter has duas venas, etiam aliæ in corpore sunt. Cauissima autem vena, ad quam cor situm est, per ventrẽ omnem trãsit, & per septum trãsuersum, & in vtrunq; renẽ finditur, & in lũbis finditur, & exilit tũ in alias partes, tum in crus vtrunque. Sed & supra cor ad ceruicem,

partim

partim in dextram, partim in sinistram: & tunc in caput ascēdit, & in temporibus finditur vtrinque. Possunt aūt & numero maximę venę dici. Verū in summa, à vena caua, & ab arteria, aliæ venę per totū corpus fissæ sunt: cauissimæ autem sunt prope cor, & ceruicē, ac caput, & infra cor vsque ad coxendices.

7 Et calidū plurimū in venis, ac corde inest. & propterea spiritū cor habet, vtpote quod omnium intra hominem membrorū calidissimum existat. Procliue est autem condiscere, quòd spiritus calidus est. Cor & venæ cauæ semper mouentur, & plurimum calidi in venis inest. & propterea spiritum cor trahit, ex omnibus in homine maxime calidum existens. Potest etiā aliter cognosci. Si quis ignē in domo accendere velit, quum ventus non inspirat, flamma mouetur aliquando magis, aliquando minus. Sed & lucerna accensa, & ardens, eodem modo mouetur, modo magis, modo minus, vento nullo mouente, quem sanè nos spirantem cognoscere possumus, & alimentum calido frigidum existit.

8 Cæterū puer in vtero comprimens labra ex vtero matris sugit, & tum alimentum, tum spiritum, cordi intrò trahit, vbi sanè mater respirarit: est. n. hoc calidissimum in puero, & hoc calidū etiā reliquo corpori, & alijs omnibus partibus motum præbet. Si verò quis interroget, quomodo hoc quis sciat, quòd puer in vtero trahit, & sugit; illi sic respondendum est. Pueri nascuntur stercus in intestinis habentes: & vbi nati fuerint, celerrime ventrem tum homines, tum pecora exonerant. Atqui non haberent stercus; nisi in vtero suxissent, imò neque mammam statim vt natum est sugere nosset, si non in vtero suxisset. Et de motu cordis, ac venarum sic habet.

9 Porrò pulmo iuxta cor ita natus est. Cor ex humido, quod glutinosissimū erat calfaciens cito exsiccauit, veluti spumā, fecitq; antrosū, & venulas multas in ipso. Venulas aūt ideo fecit: quantū enim in glutinoso inerat frigidi, id ipsum quidē à calido colliquatum est, & liquidū euasit. Ab ipso verò glutinoso, tunica facta est. At verò iecur sic cōpactum est. Quum vnà cum calido multum humidi concluſum esset, citra glutinosum, ac pingue, frigidum superauit calidū, & congelatū est. Huius signum hoc est. Quando quis victimam mactat, donec calidus fuerit; liquidus est sāguis: postquā autē perfrigeratus est; cōgelatur. Si verò quis ipsum conquassset, & fibras eximat; non congelatur: fibræ enim frigidæ sunt, & glutinosæ. Splen autem hoc modo cōstitutus est. Cum calido, & glutinoso concluſum fuit, calidum quidem plurimum, frigidi autem minimum, tantum solummodo, quantum ad glutinosi compactionem satis erat: sunt autem id fibræ in splene existentes, & propter has fibras mollis est splen, & fibrosus.

10 Renes porrò sic producti sunt. Parum glutinosi, parum calidi, multum frigidi concluſum fuit, & ab hoc congelatum est, & durissimum viscus euasit, & minime rubrum; quia non multum calidi simul cōstitit. Eadem de carnibus ratio est. Frigidum quidem constituit, & compegit, ac fecit carnem. glutinosum autem in foramina transijt. in foraminibus autem his humidum est, velut in venis magnis. Calidum autem in toto corpore est, plurimum verò & humidi in corpore est, & frigidi multum in humido: tantum autem est frigidi, quantum congelare humidum, ac liquidum potest, sed superatur à calido: quare etiam ab ipso diffunditur. Quòd verò humidum calidum est, hac demonstratione confirmatur. Si quis corpus hominis secet, vbicunque velit; sanguis calidus fluet, & quandiu sanè calidus fuerit, liquidus erit: postquam verò refrigeratus est; tum ab intrinseco frigido, tum extrinseco, pellicula fit, & membrana: & si quis hac pellicula detracta, modico tempore sinat; aliam pelliculam factam videbit: si verò quis hanc semper adimat; alia rursus pellicula à frigido generatur. Cæterùm ea gratia plura dixi, vt ostenderem, quòd extremum corporis ad aerem conuersum, necessario pelliculam induit præ frigido, & ventis impetentibus.

11 At verò articuli sic generati sunt. Quum ossa facta essent, quæcunque quidem ex ipsis pinguia erāt, celerrime exusta sunt, quemadmodum etiam prius dictum est superiore sermone. Quantum autem ex ipsis glutinosum erat, idipsum exuri non poterat, sed medio inter vstum, & siccatum loco contentum, à calido in neruos, & saliuam, ac mucum transiuit. quantum autem ex glutinoso liquidissimum erat, hoc calfactum crassius redditum est, vtpote liquidum existens, & ex hoc saliua facta est. verum ex illo glutinoso vngues producti sunt: etenim ab ossibus, & articulis semper liquidissimum ipsorum discedens, glutinosum redditur, & à calido siccatum, ac arefactum, foras in vngues delegatur.

12 Dentes autem posterius generātur ex hac causa. Ex ossibus capitis, ac maxillarum incrementum fit glutinosi, & quod ex pingui inest, à calido siccatum exuritur, & fiunt dentes reliquis ossibus duriores: quia nihil frigidi inest. Et primi quidem dentes nascuntur à victu in vtero, & postquam natus fuerit; puero lactenti à lacte. Vbi verò hi exciderint, à cibis, & potibus: excidunt autem, vbi ad annos primi alimenti peruenerint, quibusdam etiam prius, si à morbido alimento nati fuerint: plurimis verò quum septem annos impleuerunt. Qui verò postea enascuntur, simul consenescunt, nisi prę morbo perforentur. Cæterùm dentes propterea posterius alijs nascuntur. In maxilla venę sunt, & hę huic ossi soli inter omnia ossa, ex inferno ventre alimentum præbent. Ossauero tale augmentum dant, qualia existunt: sed & alia omnia tale augmentum reddunt, qualia ipsa existunt. Etenim venæ ex ventre, ac intestinis, in quæ cibi, ac potus colliguntur, postquam hi fuerint calfacti, tenuissimum, ac liquidissimum trahunt, crassissimum autem, & fæx isthic relinquitur, computrescitque, & fit stercus in inferioribus intestinis.

13 Tenuissimū verò trahūt venæ ex ventre, ac intenis, quæ supra ieiunum intestinum existunt, atque hoc calfactis iam cibis. Vbi autem ieiunum intestinum trāsierint, & in inferiora intestina collecti fuerint; stercus fiūt. At verò alimētū vbi accesserit; vnūquodque talem speciem vbicuique reddit, qualia sanè erant: singula enim ab alimento irrigata augmentum capiūt calidū, & frigidū, & glutinosum, & pingue, & dulce, & amarum, & ossa, & alia vniuersa, quę in homine insunt. Et ob id dentes posterius nascuntur. Dictum autem à me prius est, quòd solæ ex ossibus maxillæ ipsę in seipsis venas habent: & ob id alimentū amplius in ipsas, quàm in alia ossa trahitur, &

quia vberius alimentum,& denſiorem influxum habent, augmentum ipſæ à ſeipſis tale pariunt, quales ſanè ipſæ exiſtũt,atque hoc donec homo integer augeſcat: augeſcit autem vbi conſpicuus euadit. conſpicuus verò fit maximè à ſeptennio, vſque ad decimumquartum annũ.& in hoc tempore,tum maximi ex dentibus, tum alij omnes naſcuntur; poſtquam exciderint hi,qui ab alimento in vtero nati ſunt.

14 Augeſcit autem & in tertium annorum ſeptenarium, in quo adoleſcens fit, vſque ad quartum, & quintum ſeptenarium. Quin & in quarto ſeptenario dentes enaſcuntur,pleriſque hominibus duo,qui ſapientiæ dentes appellantur.

15 Porrò capilli ſic naſcuntur. Oſſa ſunt,& cerebrũ, à quibus tale augmentum venit, vtpote glutinoſo circumcirca exiſtente, quemadmodum & neruis,& pinguitudinis nihil ineſt: ſi enim pinguitudo affuiſſet;ex calido ſanè exuſta eſſet. Fortaſſis autem mirabitur quis,quòd etiam ſub alis,& in pube pili multi, & quibuſdam in toto corpore exiſtunt. Verùm hic ſermo de eo eſt,quòd vbicunque in corpore glutinoſum eſt,ibi pili à calore fiunt.

16 Auditus autem inde contingit. Foramina aurium ad os durum,& ſiccum lapidi ſimile pertingunt. Iam verò ad ipſum os eſt cauitas antroſa. Strepitus autẽ ad durum firmantur, os autem cauum reſonat per durum. Pellicula verò in aure iuxta os durum tenuis eſt,velut aranei tela,& omnium pellicularum ſicciſſima Quòd autem id,quod ſicciſſimum eſt,maximè reſonat,multa ſigna ſunt. Quum igitur plurimũ reſonuit,maximè audimus. Et ſunt quidam,qui de natura ſcribentes prodiderunt, quòd cerebrum eſt, quod ſonum edit. hoc autem fieri non poteſt: ipſum enim cerebrum humidum eſt,& membrana,ſiue tunica circum ipſa humida eſt, & craſſa, itemque circum tunicam oſſa. Nullum igitur humidum reſonat,ſed ſicca;reſonantia autem auditum faciunt.

17 Olfacit porrò cerebrum humidum exiſtẽs, aridorum odorem vnà cum aere, per corpuſcula cartilagi noſa ipſum trahens: cerebrum enim in cauitatẽ naſi pertingit; atque hac parte non eſt ante ipſum os aliquod, ſed cartilago mollis velut ſpongia: neque caro,neque oſſiculum. Et vbi quidem cauitas naſi ſicca fuerit,ipſum ſeipſo exactius arida olfacit. Aquam.n. non olfacit:humidior eſt enim,quàm cerebrum,niſi ſit putrefacta: putrefacta enim aqua craſſior fit, & alia omnia. Quum verò nares humectę fuerint;olfacere non poſſunt: non.n. aerem attrahit cerebrũ ipſum ad ſeipſum: ſimiliter ẽt vbi cerebrum ipſum de ſeipſo plurimũ liquefecerit,in palatum,& fauces,& pulmonem,ac reliquum ventrem. cognoſcunt autẽ hoc homines,& ex capite deſtillare dicunt. deſtillat aũt & in reliquũ corpus. Et eſt modus eius calidus.

18 At verò viſus propterea cõtingit. A cerebri membrana vena in vtrunque oculũ per os deſcendit: per has duas venulas,quod eſt glutinoſiſſimi tenuiſſimũ de cerebro percolatur & propterea ipſam circum ipſum oculum tunicã talem facit,quale eſt ipſum oculi pellucidum,quod ad aerem vergit,ad quod venti, ac flatus irruunt eadem planè ratione, quemadmodum de alijs membranis,ac tunicis dixi. Sunt autem multæ hæ tunicæ præ oculis pellucidæ, quales ipſi exiſtunt: huic enim pellucido lumen, & omnia ſplẽdida relucent.per hoc igitur relucens videt,quod vero non ſplendidum eſt, neque relucet, per hoc non videt. Verùm reliquum, quod circum oculos eſt album,caro eſt. Quæ verò pupilla oculi appellatur, nigra apparet, ob id quòd in profundo eſt: & tunicæ circum ipſam nigræ ſunt. Tunicam autem appellamus id, quod velut pellicula ineſt. Eſt autem non nigra, ſi quis inſpiciat; ſed alba, ac pellucida. Humidum verò oculi, glutinoſum exiſtit: ſæpe enim vidimus in oculo rupto exire humorem glutinoſum: & ſi quidem adhuc calidus fuerit; liquidus eſt:poſtquam verò perfrigeratus eſt; ſiccus euadit,velut thus tranſparens. Atque hoc & in hominibus,& in brutis ſimiliter habet. Cæterùm oculum moleſtia afficit omne, quod inciderit, & venti irruentes, & alia, quæ ſplendidiora ſunt, quàm ipſe eſt. Et ſi quis interroget,reſpondere licet;propterea quòd conſimilis coloris exiſtunt: quemadmodum os,& lingua,& reliquus venter, humida ſunt.

19 Sermonis porrò facultas inde eſt. Totum corpus ſpiritum intrò trahit, plurimũ verò in cauitates ſibi ipſi accumulat. Is autem,qui per inane foras currit, ſtrepitum facit; caput enim reſonat, lingua verò articulat, occurrens in faucibus, obturansque, ac pellens ad palatum, & dentes, claritatem eius facit. Si autem lingua ſemper occurrens non articularet; non poſſet homo clare differere, ſed ſingula à natura vnam vocem haberent. Huius ſignum eſt. Muti ex natiuitate differere non poſſunt, ſed vnam tantum vocem ſonant,etiam ſi quis ſpiritum efflans ſermonem proferre conetur. Manifeſtum autem hoc eſt. Homines vbi voluerint magnam vocem edere, attrahentes ſpiritum externum, eum foras propellunt,& magnam vocem edunt,prout ſpiritus durat, poſtea verò vox contabeſcit. Sed & citharedi, quum ipſos vocem intendere oportuerit, ſpiritum quàmplurimum intrò trahentes pronunciationem extendunt,& vociferantur,ac vocem magnam edunt;prout ſpiritus durarit. Vbi verò ſpiritus defecerit;deſinunt. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd ſpiritus eſt, qui vocem edit. Vidi autem iam quoſdam, qui ſibiipſis manu illata guttur penitus perſecuerant,atque hi viuunt quidem, verùm nullam vocem edunt;niſi quis guttur conſtringat. hi autem ſermonem proferũt. Manifeſtum verò & hoc eſt,quòd prę ſecto gutture ſpiritum attrahere intrò in cauitates non poſſunt, ſed per præſectam partem exhalat. Sic ſanè res de voce,ac ſermone ſe habet.

20 Porrò vita hominis ſeptem dierum eſt. Primum etenim poſtquam genitura in vteros peruenit, in ſeptem diebus habet quæcũque corpus habere debet. Mirari autem quis poſſit,quomodo id ſciam. Verùm multa ego vidi hoc modo. Meretrices publicæ, quæ ſæpius de ſeipſis periculum fecerunt, vbi cum viris rem habuerint;ſciunt,quando in ventre concipiant, & poſtea conceptum intra ſe perdunt. Poſtquam autem iam perditus eſt; elabitur velut caruncula. Hanc carunculam in aquam coniectam ſi conſpicatus conſideraueris; omnia membra habere reperies, & oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digitos, & crura, & pedes, & pedum digitos, & pudendũ,& reliquum totum corpus manifeſtum.

21 Satis etiam manifeſtum eſt harum rerum peritis, quòd mulier quum in ventre cõcepit;ſtatim horret, & calor,& dentiũ ſtridor conſequitur, & conuulſio

occu-

occupat tum articulos, tum totum corpus, & vterũ segnities, ac torpor. Et quæ puræ sunt, hoc perpetiũtur. Quæ verò crassæ, & mucosæ hoc perpetiuntur, pleræque ex his mulieribus non percipiunt, nec cognoscunt. Certè quatenus mihi ostenderunt, hoc ipsum se cognouisse, eatenus scio, ac prodo. Quòd verò vita hominis septem dierum sit, etiam ex hoc manifestum redditur. Si quis in septẽ diebus nihil edere, aut bibere velit, plerique quidem in ipsis moriuntur. Sunt autem, qui ipsos transmittunt, & tamen moriuntur. Sunt etiam quidam, qui persuasi sunt, vt ne desperarent seipsos fame conficientes, sed comederent, ac biberent: verum venter non amplius suscipit: ieiunum enim intestinum in his diebus concreuit, moriunturque etiam illi.

22 Sed & ex hoc coniectare licet, hominis vitam septem dierum esse. Puer septimestri partu natus, pro ratione natus est, & viuit, & rationem talis habet, ac numerum ad hebdomadas, ac septenarium exactum. Octimestris autem natus nullus vnquam vixit. Nouem verò mensium, & decem dierum partus fit, & viuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum: quatuor enim denarij hebdomadum, dies sunt ducẽti, & octoginta. In denarium autem hebdomadum septuaginta dies incurrunt. Habet autem & septimestris partus tres denarios, siue decadas hebdomadum, & in vnaquaque decade septuaginta dies. Tres verò hebdomadum decades, ex toto sunt dies ducenti, ac decem.

23 Quin & morbi acutissimi sic hominibus fiũt, præteritis diebus hebdomadis dimidię, aut vnius, in quibus iudicantur, & moriuntur, aut sani euadunt: & tertij generis in vndecim diebus, hoc est vna & dimidia hebdomadę: & quarti in duabus hebdomadis, & quinti in duodeuiginti diebus, hoc est duabus & dimidia hebdomadis. At verò alij morbi non habent, vt certa sententia pronuntiari possit, quanto tempore homines ab ipsis sani euadant. Ad eundem modum etiam vlcera magna in capite, ac reliquo corpore, quarto die inflammari incipiunt, in septem autem inflammatio sedatur, aut etiam quatuor & decem, aut duodeuiginti. Si quis autem diligenter medeatur, & vulnera in capite magna in hoc tempore non sedentur, homines moriuntur.

24 Cæterùm inexpertus quispiã mirari queat, quòd septimestris puer nascatur. Ego quidem igitur hoc ipsum vidi, & quidem frequenter. Si quis autem hoc deprehendere vult; facile est obstetrices adire, quæ parientibus adsunt, & ex ipsis percunctari. Est autẽ & aliud signũ. Pueri septẽ annis præteritis dentes explent. Et in septem annis sunt & ratione, & numero exacte hebdomades trecentę, ac sexaginta. Necessitatem autem naturæ, quapropter in septem hæc singula dispensentur, ego alijs locis declarabo.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Septimestri partu.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *De Septimestri partu, & primò, quot diebus nascatur, & qua ratione septimo mense ædatur. Item, cur plurimi ex his pereant, & pauci ex multis superstites maneant.*

2 *Octonos menses difficillime vteros ferre. Partus dies cur cognitu difficiles. Iudicatio octaui mensis in prægnantibus difficilis. Mulieribus de partu loquentibus, tanquam expertis, fides habenda.*

3 *Abortus plurimi, primis quadraginta diebus.*

4 *Octauus mensis mancum aut cæcum gerentibus difficilior: eiusmodi autem fœtus plerunque sunt superstites, cæteri non item.*

5 *Nouimestres partus, qui superuiuant, & qui non. Decimestres cur maxime educentur. Corporis magnitudo ex temporis multitudine contingit.*

6 *Conceptu, abortus, & partus tempus idem quod morborum sanitatis, & mortis. Dies primi & septimi in morbis & fœtibus plurimum valent.*

7 *Mensium eadem quæ dierum in prægnantibus vis & ratio. Septimus mensis fœtus perfectionis principium constituit. Decretoriorum dierum eadem quæ in vtero ferentium ratio.*

8 *Dierum in ægrotis medico habenda ratio. Quadragenarij primùm in fœtibus iudicant: quos si quis transmiserit, abortus ex omni causa contingentes effugit. Masculini fœtus partes omnes post quadragesimum diem completum conspicuæ fiunt, fœmellarum non item. Fœmellæ cur masculis citius pubescant ac sapiant.*

9 *Secundi quadragenarij vis. Tertij quadragenarij completi vis.*

10 *Mortem fatalem Hippocrates existimat. Tempora eadem alijs vitæ, alijs mortis causa.*

1 Septimestres autem nascuntur diebus centum, & octoginta duobus, ac dimidio, & insuper accedente diei particula: si enim primi mensis dies quindecim supputaueris, deinde quinque mensium, dies centum quadraginta septem, ac dimidium: in vndesexaginta enim diebus quàm proxime duo menses perficiuntur, his igitur sic habentibus, ad septimum mensem supersunt dies plus, quàm viginti. Et est tota summa dimidij anni, vnà cum aliquantula diei parte ad partem accedente. Quum itaque ad hoc perfectionis principium partus peruenerit; matureſcente fœtu, & robore multum augeſcente, in perfectione magis, quàm alijs temporibus, pelliculæ, in quibus ab initio nutritus fuit, quemadmodum spicarum membranæ laxantur, ad id coa-

ætæ ante aquam fructus perfecte matureſcat: & fortiſſimi, ac pleniſſimi fœtus violantes, ac dirumpentes pelliculas, partum fieri cogunt, & plurimi ex his pereunt: quum.n. parui ſint, tranſmutatione maiore, quàm alij vtũtur, & quadraginta dierũ afflictionem perferre coguntur, ex vtero egreſſi. id quod etiam ex decimeſtribus multos peremit. Sunt autem ex his ſeptimeſtribus, qui etiã ſuperſtites manent, ex multis pauci: propterea quòd ratio, & tempus, in quod enutriti ſunt in vtero, conſtitit, vt omniũ participes ſint, quorum ẽt perfectiſſimi participes exiſtũt, maxime qui ſuperſtites manent, & proceſſerũt de matre prius pariente, vtpote in octauo menſe ęgrotaturi: ſi.n. in his laboribus ſuccedant, vt in conſpicuum prodeat puer; impoſſibile eſt ſuperſtitem eſſe, ob prædictas affectiones, quas ego octimeſtres perimere dico, immo ẽt multos decimeſtres. Cæterũ multi fętus ſeptimeſtris ætatis, quum pelliculę laxantur, ſecedunt in id, quod cedit, & hic alimẽtum ſumunt, primos quidem quadraginta dies laborantes, alij plus, alij minus. propter permutationem aũt ex locis, & pelliculis, quæ ipſos aluerunt, tranſmutantur, & pro vmbilico, trahunt, & tranſumunt etiam per matrem labores: pelliculæ enim dum tenduntur, & vmbilicus conuulſus, dolores matri inducunt. Et fœtus ex antiquo vinculo exſolutus, grauior redditur. Multæ verò mulieres etiam febricitant his contingẽtibus, quædam etiam pereunt vnà cũ fœtibus: verum omnes in breui ex hoc contaminantur, ac inquinantur.

2 Aiunt autem & octonos menſes difficillime vteros ferre, recte id dicentes. Eſt autem octauus menſis non ſolùm hoc tempus, ſed & dies accedunt à ſeptimo menſe, & à nono, & ab ipſo anno. Verum dies non ſimiliter neque dicunt, neque cognoſcunt mulieres: decipiuntur enim ex eo, quòd nõ eodẽ modo fiunt, ſed aliquando à ſeptimo menſe plures dies accedunt ad quadraginta, aliquando à nono: tunc enim fieri neceſſe eſt, prout contigerit mulierem in vẽtre concipere, tum menſe, tum tempore. Menſis autem octauus minime dubius eſt; ſecundum hunc.n. contingit, vt iudicatio difficilis exiſtat. Et mea ſententia pars etiam in vndecimo menſe, mẽſis eſt, vt hic ſatis memorabilis exiſtat. Porrò mulieribus de partubus fidem derogare non oportet; dicunt enim omnia, & ſemper dicunt, & ſemper proferunt: neque enim aut opere, aut ſermone perſuaſæ ſunt, ſed ex eo quod cognouerunt in corporibus ſuis contigiſſe. Licet autẽ & volentibus aliud dicere. Quę verò iudicio prędite ſunt, & victoriã de hac ſententia pronunciant, ſemper dicunt, ac teſtantur, naſci ſeptimeſtres, & octimeſtres, & nouimeſtres, & decimeſtres, & vndecimeſtres: & ex his octimeſtres non ſuperſtites manere.

3 Dicunt aũt & abortus plurimos in primis quadraginta diebus fieri, ſed & reliqua cõſcripta his accidere, in quadragenarijs, ac in ſingulis menſibus fieri dicunt. Quum autem ſeptimo menſe pelliculę dirumpantur, & fœtus ſeceſſerit; labores, qui circa octauũ mẽſem, & ſextum quadragenarium, in partu fieri traduntur, corripiunt. hoc autem tempore præterito, quibus bene futurum eſt, inflammationes tum fœtus, tum matris exoluuntur, vt venter molliatur, & tumor à præcordijs, & laterum mollitudine deſcendat ad locos inferiores, ad facilem partus tempore progreſſionẽ. & ſeptimo ſanè quadragenario plurimo tempore fœtus iſthic exiſtunt: nam loci ipſis molles ſunt, & trãſmontiones ipſis faciliores, ac frequentiores fiunt, & propterea ad partum magis ſolubiles conſiſtunt, & mulieres per hos vltimos dies ex toto quadragenario facilius vteros ferunt, donec contigerit fœtum verti. Poſtea verò dolores partus, ac labores incumbunt, donec à puero, & à ſecunda mulier liberetur.

4 Quæcunque verò mulieres multos pueros pepererunt, & quidam ex ipſis claudus natus eſt, aut cæcus, aut aliud quoddam malum habens, aiunt in hoc puero octauum menſem ipſas difficillius tranſegiſſe, quàm in his, quos pepererunt nihil mali habentes: fętus enim mancus in octauo mẽſe fortiter ęgrotauit, vt etiam morbus abſceſſum, ac ablationem, ſiue mutilationem alicuius partis fecerit, quemadmodum etiam viris fortes morbi faciunt. Qui verò fœtus in alio tempore fortiter ægrotant, pereunt prius, quàm ipſis abſceſſus eiuſmodi fiat. Quicunque autem octimeſtres fœtus non valde ęgrotant, ſed iuxta vnã aliquam partem, ex ſeceſſu afflictionem pertulerunt, quadraginta quidem dies in imbecillitate trãſigunt, vt plurimum in vtero, propter prædictas neceſſitates: ſani autem fiunt. Quicunque autem natus fuerit in his quadraginta diebus, eũ impoſſibile eſt ſuperſtitem manere: ægrotanti enim adhuc ipſi in vtero tranſmutationes, & afflictiones poſt partũ accedũt.

5 Quicunque verò ægrotans in vtero ad nonũ menſem peruenerit, & in hoc menſe natus fuerit; ſuperſtes erit. Et ſuperuiuunt quidem nõ minus hi, quàm ſeptimeſtres, verùm pauci etiam ex his educantur; neque enim craſſitudinem habent, quam perfectiſſimi habent, & labores in vtero non diu ante tolerauerunt, vt tenues euaſerint. Seruabitur autem vel maxime talis puer, ſi nouem menſium fuerit in exitu; fortior autem euadet etiam is, vt qui plurimum abeſt à morbis, qui octimeſtribus accidere ſolent: qui enim in ſeptem quadragenarijs naſcuntur, decimeſtres appellati, ob id maxime educãtur, quòd fortiſſimi ſunt & plurimum à vulgarium puerorum tempore abſunt, in quo affliguntur quadraginta ægrotantes diebus, circa octauum menſem. Declarant autem de morbis, & afflictionibus octimeſtrium, etiam nouimeſtres tenues naſcentes: iuxta multitudinem enim temporis, etiam magnitudo corporis contingit, ex morborum afflictione progreſſis: & non velut ſeptimeſtres carnoſi gignuntur, & craſſitudinem probe coaltam habentes, vt qui tempus, quo in vtero geſtabantur, ſine morbis tranſegerunt.

6 Verum enimuero conceptus, & abortus, & partus mulieribus in eo tempore, in quo etiam morbi, & ſanitas, & mors omnibus hominibus, fiunt hęc vero omnia partim ſecundũ dies, partim ſecundũ menſes, partim ſecundũ dierum quadragenarios, partim ſecundũ annũ, ſignificationẽ ſui præbẽt: in omnibus enim his tẽporibus inſunt ad vnumquemque, & vtilia multa, & hoſtilia multa. Ex vtilibus igitur, ſanitas, & augmentum contingit: ex contrarijs, morbi, & mors. Dies quidẽ igitur maxime inſignes in plurimis ſunt, primi & ſeptimi, multum potentes in morbis, & multum in fœtibus: nam plurimi abortus in his diebus fiunt, nominantur autem tales effluxus, non abortus. Verùm alij dies intra quadrageſimum inſignes quidem minus ſunt, multi verò iudicant.

7 Cæterùm

7 Cæterùm in mensibus eadē, quæ in diebus fiunt, iuxta rationem insunt: menses enim mulieribus sanis singulis mensibus apparent, tanquam peculiarem in corporibus vim mensis habeat. Vnde sanè septimi mēses his, quę vterū gestāt, fœtus in principiū perfectionis cōstituunt. Pueris verò, vbi septem menses à natiuitate impleuerūt, tum alia vtilia in corporibus fiunt, tum dentes in eo tempore apparere incipiunt.

8 Eadem ratio est etiam in decretorijs diebus; siquidem fortassis vnà cum his quos recensui coniungere quis velit, historiæ, ac cognitionis gratia referentur: etenim Medicum qui ęgrotorum salutem rectè coniectare volet, animaduertere quidem oportet, & cōtemplari omnes dies, ex paribus verò decimum quartum, & vigesimum octauum, & quadragesimum secundum: hic enim terminus ponitur à quibusdam pro harmonię ratione, & integer, ac perfectus numerus: verum ob quam caussam; longius fuerit in præsenti exequi. Contemplari autem sic oportet per ternarios, ac quaternarios, ternarijs quidem omnibus copulatis, quaternarios autem duobus ad duos connexis. At verò quadragenarij primum in fœtibus iudicant: quisquis enim primos quadraginta dies trāsmiserit, abortus effugit ex omni causa contingentes, plures autem fiunt in primo quadragenario abortus, quàm in alijs omnibus. Hoc autem tempore præterito, fœtus fortiores sunt, & ipsorum corporis per singula membra discretio fit: & masculorum quidem partes omnes valde conspicuæ fiunt: fœmellæ vero in hoc tempus, carnes apparent exortus, ac processus solum habentes: similia enim longius tempus in simili sunt, & tardius discernuntur propter consuetudinem, & amicitiam: quamquam aliàs quum à matre segregatæ fuerint, filiæ citius, quam filij pubescant, & sapiant, ac senescant, propter corporum imbecillitatem, & victus rationem.

9 Alter quadragenarius est, in quo circa octauum mensem fœtus in vtero ægrotant, de quibus hic totus sermo institutus est. Tertius est, in quo vbi nascantur pueri etiam male afflicti, si effugerint quadraginta dies, apparent magis robusti, ac sapientes: nam & splendores clarius vident, & strepitum audiunt, quod prius non potuerunt, tanquam incrementum habeat hoc tempus, cum iuxta alia, tum iuxta sapientiam ex corpore eluceścentem. Peculiarem quidem sapientiam in corpore inesse manifestum est, in prima sanè die: nam in somnis, statim vbi nati sunt pueri, ridere, & plorare videntur. Vigilantes quoque sua sponte statim rident, ac plorant prius, quàm quadraginta dies transeant. Non rident autem, etiam si titillentur, ac irritentur, priusquam hoc ipsum tempus transeat: hebetantur enim vires in muccis.

10 Quamquam mors etiam per fatum sit sorte designata, vt hoc exemplo omnibus sit, quòd omnia existentia, quæ naturam ex ijsdem habent, transmutationes per tempora venientia habeant. Declaratur autem in singulis, quum alia nascantur, alia corrumpantur. Porrò anno finiente multi quidem morbi fiunt, multæ etiam sanitates, iuxta temporis rationem ad menses, & ad singulos dies. Septenarijs autem annorum, cum alia multa insignia corporibus fiunt, tum dentes pueris excidunt, & alij nascuntur: Quæ enim in corporibus fiunt, ea scribam.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Octimestri partu.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Octimestres partus cur non superstites maneant. Decimestres cur educentur maxime.*
2 *Fœtus dum in vtero vertitur periculum. In caput æditi, cur securius discedant ijs qui in pedes.*
3 *Pueri quidam, cur à partu statim maiores existant. Alimentorum & respirationum mutationes periculosæ in pueris. Victus, locorum & vestium transmutatio, viris etiam periculosa.*
4 *Vmbilicus per quem puer nutritur ac spiritum attrahit, solus ex omni corpore vtero adhæret. Pueris maturis ac perfectis, vmbilicus qui prius patebat, conniuet ac clauditur: reliquæ partes contra.*
5 *Decimestres & vndecimestres partus, ex septem quadragenarijs nascuntur. Mulieres plurimas, post menstrua purgamenta, concipere. Purgationes menstruas breuissimas trium esse dierum.*
6 *Vndecimus mensis vnde partui contingat.*

1 DE octimestri partu sic sentio: Impossibile esse, vt duas consequenter succedentes afflictiones pueri ferre possint: & propterea octimestres non superstites manere: contingit enim ipsos consequenter affligi, tum ea, quæ in vtero fit afflictione, tum ea, quæ in partu accedit: & ob id nullus octimestris vitalis est. Insuper & decimestres appellatos, in septem quadragenarijs dierum magis in lucem ędi sentio, & maximè contingere vt educentur: nam perfectissimus est fœtus in primis quadraginta diebus: vbi verò plures accesserint; perit: coguntur enim multa in pauco tempore assumentes, ac perferentes, multum ægrotare, ex quibus mors consequitur.

2 Incipit autem laborare puer ante partum, & interitus periculū subit; quum in vtero vertitur: producuntur enim omnes sursum habentes caput. Pariuntur autem multi in caput, & securius discedunt, ac liberantur his, qui in pedes pariuntur: flebiles enim corporis partes non impedimento sunt, puero

in caput exeunte. Verùm quum in pedes prodierit; obturamenta contingunt: versiones scilicet in vtero, & alia pericula, & vmbilici puerorum iam sæpe circa colla apparuerunt: si enim iuxta partem quamcunque vmbilicus fuerit in vtero porrectus; magis hac parte puer vmbilici circumactionem, dum vertitur, faciet, quàm circa ceruicem: si verò iuxta humerum vmbilici circumactionē retrahit, hoc autem vbi fit, etiā matrē magis laborare necesse est, & puerū aut perire, aut difficilius exire. Quare multi iā pueri principiū morbi intus nacti prodiere, & cōsequenter alij perierunt, alij morbidi superuixerunt.

3 Quicunque verò probe ac tuto prodierint, & in conspicuū exierint, de repente ex necessitate in ventre liberati, & crassiores, ac maiores, quàm pro ratione statim existunt, his nō ex augmento, sed laxo tumore id cōtingit, & multi sani ex his pereunt: si enim tumor non residat citius, quàm tertio die, aut paulo serius, morbi ex ipso fiunt. Quare etiam alimenta, ac respirationes periculosè mutantur: si quid enim morbidum induc unt, per os, & per nares in ducunt & pro eo quòd tanta ingerantur edulia, quanta sufficiunt, & ea etiam non superentur, multo plura ingeruntur: vt necesse sit, & cogantur præ ingestorū copia, & præ ipsa adeò affectione, qua pueri corpus afflictū est, alia quidē per os, & nares rursus exire, alia verò per intestinum, ac vesicā inferne transire, antea nullo horū ita contingente. Sed & pro flatibus, ac spiritibus, & humoribus ita cognatis, cū quibus necesse est in vtero consuetudinem, ac beneuolentiam habuisse, omnibus peregrinis vtitur, crudioribus, ac siccioribus, & minus mansuetis, vt necesse sit dolores oboriri multos, plerisque etiam mortes: quandoquidem etiam viris transmutationes locorum, ac victus, morbos faciunt. Eadem ratio est & de vestibus: pro eo enim quòd carne, & humoribus induti fuerunt, ijsque tepidis, ac liquidis, & cognatis, tales vestes pueri induunt, quales ipsi viri.

4 At verò vmbilicus, per quem alimenti, ac spiritus ingressus pueris contingunt, solus ex omni corpore vtero adhęret, & per hunc introitus, ac ingressus ingredientium particeps fit: reliquæ partes cōniuent, & non prius apertæ sunt, quàm vbi in exitu fuerit puer ex ventre. Quum autem in exitu fuerit; reliquę omnes aperiuntur, verùm vmbilicus attenuatur, & conniuet, ac reficcatur. Quemadmodum autē in his, quæ ex terra nascūtur, fructus pleni, ac maturi secernuntur, ac decidunt, iuxta discriminationē, qua parte inhærent: sic etiam pueris maturis, ac perfectis, vmbilicus quidem conniuet, ac clauditur, reliqua verò aperiuntur, vt & ingredientia suscipiant, & exitus habeant secundum naturam, quibus necesse est viuentes vti: singula enim separantur iuxta modum, quo agmina congregantur repentia: optima autem sunt, quæ maxime soli connutrita sunt.

5 Cæterùm decimestres, & vndecimestres partus ex septem quadragenarijs eodem modo fiunt, velut ex dimidio anno septimestres: plurimis enim mulieribus necessarium est in ventre concipere, post menstrua purgamenta, vbi ab his exolutæ fuerint. Oportet igitur mulieri tempus dare mēsis, in quo ipsa purgatio continget: & hoc tempus quibus breuissimū, fit, tres sunt dies, plerisque autem multo plures. Sūt autem & alia multa impedimenta etiam in viris, ex quibus conceptus retardatur. Oportet autem vel maxime hoc considerare, Quòd nouilunium, quod dies vnus existit, exactissime trigesima mensis pars est: duo autem dies, fermè quindecima mensis pars sunt. Tres verò dies, pars mensis decima sunt, & reliqua iuxta horum rationem. & non est possibile in paucioribus partibus fieri, neque menstruorum solutionem, neque fœtuum conceptionem.

6 Ex his igitur omnibus necessarium est pleraſque mulieres circa plenilunium, & vltra in ventre concipere, ut ducenti & octoginta dies, sæpe undecimum mensem apprehendere uideantur: tot enim dies septem quadragenarios constituunt: nam, quum ultra plenilunium mulier concipit; necesse est eum conceptum undecimum mensem attingere, ac apprehendere; quò ad ultimum circuitum perueniat.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Superfœtatione.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *De superfœtatione. Mulieres quæ superfœtent.*
2 *Superfœtatio nondum partium discriminationem habens non intumescit, sed putrescit donec excidat. Secundæ, ante æditum puerum, partum reddunt difficilem. Secundæ cum puero exeuntes, partum facilem efficiunt. Vnguium defectus in pueris recenter æditis.*
3 *Partui auxiliaria. Partus nonnunquam cibis ac potibus promouendi.*
4 *Fœtus mortui, quomodocunque tandem procedat extractio.*
5 *Vnguis instrumentum, infœtu mortuo extrahendo. De Secundæ extractione. Lasanum quid.*
6 *De pueri in vtero mortui signis.*
7 *Fluxus multus sanguinolentus ante puerum prodeuntem. Prægnantibus stomachis vteri prope extat ante partum.*
Prægnans coitu non vtens, facilius à partu liberatur.
Gemelli vno die atque ex vna secunda æduntur.
Puero in genitalibus hærenti, vmbilicus non secetur, priusquam aut sternutet, aut vociferetur.
8 *Prægnantem mulierem quomodo cognoscas. Prægnantium ex fœtu mortuo, aut mox morituro signa*

gna & curatio. Pica prægnantium.

9 *Mammarum & oculorum maiorum in prægnantibus significatio.*

Conceptionis experimentum, ab appositis in uuluam. Mulieres quæ maxime concipiant.

10 *Mulieris quæ facile concipiebat, nec amplius impræg netur, curatio. Coxendici, capitis, manuum aut aliarum partium doloris, in utero conceptio, solutio est. Mulieris ut facile concipiat, curatio. Galbanum ad conceptum facilem.*

11 *Liberis operam daturi, quomodo præparandi. Genituræ in utero conceptæ nota.*

12 *Fœtus bimestres aut uetustiores perdenti quomodo medendum.*

13 *Vteri suppurati, aut post partum, aut ex abortu, curatio. Vteri quomodo indurescant.*

14 *Vteri stomachi præ caliditate genituram non suscipientis, curatio.*

15 *Fomentum ad uteri conceptionem. Specilli stannei & plumbei in corrigendis uteris usus. Specillorum præparatio, Tedæ decoctum.*

16 *Catulorum esus. Calidæ lauacrum siti medetur.*

17 *Mensium, sanis ac recte habentibus vteris, non apparentiũ ex toto, vel pauciorum, aut per longius tempus, prouocatio. Medicamentorum fortium pleraque stomachum exulcerant, & corrodunt.*

18 *Mulier ob pinguedinem non concipiens, attenuetur. Ver conceptui aptum. Coiturorum diæta. Marem aut fœmellam vt generes, quo tempore coeundum, & vter testium obligandus. Vteri stomachus a suffimentis hians redditur.*

19 *Suffimenta ad os vteri hians aut distortum.*

20 *Medicamenta emollientia & ad ciendum idonea, quo fortis fiat, purgatio.*

21 *Medicamenta subditicia, ad vterum purgandum conuenientissima.*

22 *Glandulæ album fluxum purgantes.*

23 *Subditicia omnis generis purgare potentia.*

24 *Menses virgini quomodo euocandi. Febris lenis hepialos Græcis. Zea in suffimentis. Medicamentorum subditicium.*

25 *Puerperæ enixæ. Subditicium medicamentum.*

26 *Subditicium purgans & molliens. Vteri frequẽter prolapsi quomodo reponendi.*

27 *Prægnantis, menses profluos habentis, curatio. Ad secundam expurgandam.*

1 QVum superfœtarit mulier, si primum puerum in medio vteri habuerit; superfœtatio elabitur; à primo, ac veteri expulsa. Si verò in altero cornu superfœtationem habuerit; posterius ipsam insuper parit non vitalem, nimirum vitalitate, vbi vterus laxatus, & humectus fuerit, ex soluta.

2 Si verò non statim secedat superfœtatio; dolores exhibet, & fluxum fœtidum, ac febrem, & facies intumescit, tibiæque, ac pedes; & si pereat; cibum auersatur, donec exciderit. Superfœtant autem mulieres, quarum stomachus, id est, vteri os, post primum conceptum non clauditur ita valde, idque apparentibus signis constat. clauditur autem post superfœtationes, quæ posterius insuper pariuntur. Si superfœtatio nondum partium discrimina-

tionem habeat, sed caro sit; non quidem intumescit, sed putrescit donec ex vtero exeat. Si cui exeat secunda pueri in vtero, priusquam puer foras procedere incipit; ægrè parit: & magis adhuc periculosè; si caput non præcedat. Si verò alicui vnà cum secunda puer foras exierit, & ad stomachum, id est, os vteri progressus, rupta secunda emerserit; magis facilè parit: itemque si puer quidem foras prodit, secunda verò adhæresçit, & seipsam retrahit, atque isthic manet.

3 Quum puer non vitalis futurus nascitur; caro ipsius vngues supereminet, vngues verò tum in manibus, tum in pedibus deficiunt. Quum vitali puero nascente manus præminuerit; primùm retro retrudẽda est, donec retruseris: & si ambę præminuerint: ambas retrudes. Et si crus præminuerit; etiam hoc repelles. Vbi verò ambo crura in propatulo mãserint, neque alio processerint; fomento vti opus est, a quo humectissimus vterus reddatur: habeat autem odorem ipsum fomentum. Et quum caput in propatulo fuerit, reliquum verò corpus intus erit; etiam sic fomento vteris. Et quum pars corporis in vtero, pars in pudendis, pars extra pudenda intumescit, ac manet; etiam sic fomẽtum adhibebis. Et si quidem a fomento processerit, satis est: sin minus; os vteri elaterio crasso aqua diluto oblines; quò partum producat. Sed & a potibus, ac cibis partus promouendus est, & pudẽda ipsa cerato illinenda; si ficciora, quàm ex re est, esse tibi videbuntur.

4 Quum pueri capite ex stomacho apparẽte, reliquũ corpus procedere non vult, puer autẽ mortuus est; digitos aqua madefactos inter stomachum, ac caput immittito, & in orbem circũducito, deinde subditũ sub mentum digitum in os intrudito, ac foras trahito. Quum verò reliquum corpus extra pudenda fuerit, caput autem intus, in pedes videlicet prodeunte fœtu; postquam digitos in orbem circunduxeris, ambas manus inter stomachum, ac caput aqua præ madefactas immittito. ac extrahito. Si verò extra stomachum fuerit, verum intra pudenda; immissis manibus apprehensum capite educito. Si porrò fœtus intus maneat mortuus, & non possit neque sponte, neque per medicamenta iuxta naturam excidere; manu cerato maxime lubrificante uncta, deinde in vterum intrusa, humeros a collo magni digiti conamine deducito.

5 Oportet autem ad huiusmodi etiam vnguem instrumẽtum in magno digito habere, & distractione facta manus educere, deinde rursus immissa manu, vẽtrem diffindere, & ex diffisso intestina sensim eximere: deinde his exemptis latera confringere; quò confidens corpusculũ leuius, ac expeditius fiat, & facilius exeat non tumidum existens. Cæterum, si secunda non facile excidat; maxime quidem ad fœtum appendere sinenda est, & puerpera velut super sella ventri exonerando destinata, lasanum Græci vocant, locanda. Sit autem in altum extructa sella, vel simile quiddam; quò fœtus dependens grauitate sua secundam simul extrahat. Sensim autem hoc faciendum est, non uiolenter, ne prẽter naturã diuulsa, inflammationẽ inducat. Substernere igitur lanas molles quàmmaxime recens carminatas fœtui oportet; quò paulatim remittãt, ac confidant, aut vtres duos copulatos aqua plenos supponere, & supra vtres lanas

nas insternere,& supra has puerum: deinde vtrunq; vtrem stilo perforare,quo paulatim aqua effluat:ef-: fluente autem aqua, vtres remittunt,ac considunt considētibus autem vtribus,fœtus vmbilicum attrahit,vmbilicus verò attrahit secūdam. Si verò supra lasanum, vel simile quiddam puerpera sedere nequeat; super reclinatam sellam perforatam collocetur. Si verò adeò debilis est,vt omnino sedere non possit; lectum quàm erectissimum a capitis partibus struemus,vt deorsum declinet,ac repat:& sic fœtus grauitas quàmmaxime simul secūdam trahat. Verū puerperam sub alijs,foris ad lectum fascia, aut loro lato,ac molli, alligare oportet, vt ne quum erectus sit lectus;corpus ipsius deorsum feratur. Iuxta eundem autem modum etiam si vmbilicus abruptus sit, aut etiam ante tempus recisus; moderate grauibus ponderibus appensis, secundæ eductionem facere oportet: optima enim hæc curatio in talibus existit, & minime lædit.

6 Si cui puer in vtero immoriatur, & non egrediatur humido vtero existente, & quū iam non habeat amplius humiditatem,sed siccatus fuerit vterus;primùm quidem intumescit puer,deinde colliquescūt, ac putrescunt carnes,forasque effluunt, postremùm autem ossa procedunt: & fluxus aliquando corripit; si non prius moriatur. Quum puer immortuus fuerit;tum alijs signis coniectare id licet,tum iubere,vt aliquando in dextro latere iaceat, aliquando in sinistrum transmutet. Translabitur enim in vtero puer eò,quò mulier se vertit, velut lapis,aut aliud quiddam;si mortuus fuerit,& pectinem frigidum mulier habet. Si verò viuat,& pecten calidus est; & venter totus translabitur vnà cum reliquo corpore extentus, & in ipso nihil translabitur absque reliquo corpore.

7 Si cui ex partu laboranti fluxus multus sanguino lentus citra dolorem,ante puerum prodeat; periculum est puerum mortuum exoluendum esse, & non vitalem processurum. Prægnantibus mulieribus pleriſque stomachus vteri prope extat ante partū. Mulier prægnās si non coitu vtatur;facilius a partu liberabitur. Quę gemellos gestat,eadem die parit,velut concepit. habet autem vtrosque pueros in vna secūda. Muliere ęgrè pariēte,si puer in genitalibus locis hæreat,& non facile exeat, sed cum labore,ac medici machinamentis;tales pueri modicę vitæ sunt horum vmbilicum secare non oportet, priusquā mingant,aut sternutent,aut vociferētur,sed sinēdi sunt, & mulier proxime apud puerum permaneat: & si sitierit;aquam mulsam bibat, & si vmbilicus infletur velut stomachus, & moueatur, aut puer sternutet, aut vocem rumpat;tunc sanè secetur, dum puer respirat. si verò non infletur vmbilicus, neque moueatur; tempore accedente viuet.

8 Prægnantē mulierem si aliter non cognoscas, oculi tracti,& cauiores fiunt, & candidum oculorum albedinis naturā non habet,sed liuidius existit. Si qua partui vicina sit,& oculos cauos habeat,& facies intumescat,& ipsa tota,itemque pedes tument, vt velut a pituita alba apprehensa appareat, & habeat aures albas,& summum nasum album,& labia liuida; ea ipsa mortuos gestat,quos pariet,aut viuos praue, & non vitales, & exangues, vtpote morbosos, aut prius peperit nō vitales. Huic sanguis in aquositatē conuersus est. Oportet igitur tali post partum odorata in vuluam apponere,& comedere ipsam, ac bibere odorata.& primùm in facie nasus summus in signis euadit,ac colorem recipit. Si qua prægnans terram edere concupiscat,aut carbones,eaq; edit;in capite pueri vbi natus fuerit,signū a talibus apparet.

9 Mulierem id nosse expedit, vtra mamma ipsi maior est;illic enim fœtus existit. Similiter autē & oculum considerabit: maior enim,& splendidior omnino erit intra palpebram,etiam eius partis, cuius māma maior existit. Si cui ab appositis in vuluam non valde fortibus,dolores in articulos perueniāt,& stridor dentium corripiat,& membris tendatur,ac oscitet; hanc magis concepisse spes est,quàm eam,quæ nihil tale patiatur. Mulier,quæ prętер naturā crassa est, ac pinguis, & pituita repleta,non concipit hoc tempore. Quę verò ex natura talis est,horum gratia concipit;si non aliud quiddā ipsam impediat. Mulieribus pleriſque quum menses apparituri sunt,stomachus vteri in seipsum cōtrahitur magis,quàm aliàs.

10 Mulier, quæ facile concipiebat, si prægnans esse desijt; bis per annum a manibus,ac cruribus venam secari sinat. Si cui dolores in coxendice,aut in capite, aut manibus, aut aliqua alia corporis parte fuerint:quum verò prægnās est desinunt,conceptu autem ab vtero exoluto rursus insunt; odorata & bibere,& ad vteri os apponere conducit. Quum mulieri alicui conceptus gratia medeberis, vbi purgata esse videbit,& os vteri rectè habuerit; lauetur,& caput confricetur,nullo aūt vnguine illinatur. Deinde linteum inodorū lautum circum capillos ipsos circundatum,reticulo loto,aut nihil olenti obliget, ita vt primum linteū ipsum capiti imponatur, postea quiescat galbano ad uteri stomachum appositō, quod coctū,ac mollitum sit ad ignem,& non ad solem. Deinde mane depositō reticulo cum linteo, verticem suum alicui olfaciēdum exhibeat: & si quidem oluerit;probe purgata est:sin minus;male. Hęc autem ieiuna faciat:&,si nō fœcunda fuerit;nūquam olebit, neque purgata,neque alias:& si prægnanti idem medicamētum apponatur;neque sic probe olebit. Quæ verò prægnans futura est,frequenter,& facile concipit, ac sana existit, etiam si non apposueris, neque purgaueris,vertex ipsius olebit,aliud verò nihil.

11 Vbi autem omnia probe videbuntur, & ad virum accedere oportuerit,mulier ipsa ieiuna sit:vir autem non ebrius,frigida lotus, & commodo alimento nutritus. Et si cognouerit mulier genituram se concepisse, eo tempore virum non accedat, sed quiescat. Cognoscet autē,si quidem vir se emisisse dixerit,ipsa verò præ ficcitate ignorauerit. Si verò vterus rursus in pudenda genituram reddat, ipsaque humecta fiant;rursus cum viro coeat,donec concipiat.

12 Mulier quę concipit quidem, perdit autem fœtus bimestres, exacte in eodē tempore, & neque prius, neque posterius,atque hoc iterum atque iterum perpessa fuerit,imò si etiam trimestres, aut quadrimestres,siue vetustiores perdiderit iuxta eundem modum, talibus uteri (puero augescente & bimestre, aut trimestre, aut quantumcunque tempus transgrediente, si quando etiam aliàs augescit) in maiorem amplitudinem non porriguntur, ita ut non amplius sufficiant capiēdo fœtui, sed propterea perditur eodem tempore. Huic cucumerarium medicamentum

in

in vterum dare oportet, ipſumque diſtendere, ac inflare pharmacis appoſititijs hiſce. Cucumeris ſylueſtris medulla contundatur, ac cribretur: deinde modicum de ipſa melle cocto copioſiori miſceatur, addito ſilphio modico: ſit autē velut dixi, mel coctum: hoc circum ſpecillum (ſiue mauis ſpicillum, pro tenta) oblinatur, craſſitudine formata, quātam vteri ſtomachus ſuſcipere poteſt: apponatur autem ad os vteri, & impellatur, quò in internā vteri partem penetret. Quum verò colliquauerit medicamentum; ſpecillum extrahatur. Sed & elaterium hoc modo præparatum apponere potes: ſimiliterque collocynthidem ſylueſtrem. Per hoc autem tempus edat allia quàmplurima, & ſilphij caulem, & quicquid flatum in vētrem inducit. Hoc appoſititiū pharmacum per tertiam diem apponatur, donec probè habere viſa fuerit, copia quātam vterus admittit. Interiectis diebus, mollientibus vtendum eſt. poſtquam autem ex mollientibus præparatum fuerit os vteri, poſt menſium apparitionem vbi ſicca fuerit; cum viro commiſceatur.

13 Si cui vterus ſuppuratus fiat, aut poſt partum, aut ex abortu, aut quomodocunque aliàs, & non in vaſe alio, ac tunica, velut in tuberculo ſolet, pus fuerit; huic conducit ſpecillum vnctorium in vteri os demittere; minus enim opus fuerit vſtura, ſi ad ſpecillum proceſſerit: deinde erucas à tithymalide colliges: habent autem velut aculeos quoſdam, quos leniter reſcindes, ne pabulum internum ex ipſis elabatur: deinde ſiccabis ipſas in ſole, ac teres. Vermes quoque ſtercorarios ſimiliter in ſole ſiccabis, ac teres, & erucę quidem pondus duorū obolorum Aegi næorum, vermium verò duplum miſcebis, modico aniſo addito, aut aliquo eius generis: nam mali odoris medicamentum euadit. Hęc autem leuia facta, ac contrita vino albo odorato diluito. Et poſtquam biberit; grauitas accedit, & torpor in ventrem irruit. Si itaque accedit; aquam mulſam modicum inſuper bibat. Si qua liberis carens, impregnatione, ac puerorū generatione indigeat, atque ea iam prægnans fuit, ac peperit, & hoc ipſi contingat, aut quum ſtomachus vteri ſiccus, aut ſumma parte affectus, aut concluſus fuerit, aut non rectè habuerit, ſed ad coxendicem alterum diſtortus, aut rectum inteſtinum occultatus, aut in ſeipſum contractus fuerit, aut labium ſtomachi ſibiipſi vtcūque incubuerit, aut ſtomachus vteri aſper, & calloſus fuerit: (durus autem fit, & a concluſione, & a calloſitate) his menſes non apparent, aut pauciores, quàm oportet, & per longius tempus apparent.

14 Sunt autem in quibus etiam menſes iuxta corporis ſanitatem, & vterorum exitum reperiuntur, imò conſueto, & iuxto modo, & ſtomacho vteri præ caliditate, ac humiditate menſium non valde læſo: verū genituram non ſuſcipit propter hanc læſionem, quę impedit ſuſceptionem, ſtomacho non rectè habente. Huic per totum corpus fomētum adhibere oportet, & pharmacum bibendum dare, ac corpore primum purgatam, ac mundam reddere, ſiue ſuperne, & inferne opus habuerit, ſiue ſuperne ſolum. Et ſi quidem ſuperne purgans medicamentum dederis; fomentum ante purgationem non premittes: verùm fomentum adhibebis inferne purgaturus. Si verò ſuperne purgante medicamento non egere videbitur; præmiſſo fomēto, inferne purgans bibendum dato.

15 Quum autem probe purgatum corpus eſſe videbitur; poſtea vtero fomentum adhibeto, frequentes inſeſſus ipſis adornans, ſi ita conferre videbitur. Immittes autem in fomentum, cupreſſi ramenta, & lauri folia cōtuſa, lauabisque multa, & calida aqua. Vbi verò recēs lota fuerit, & fomentum admiſerit; vteri os dilatabis ſpecillo ſtanneo, corrigeſque, vbi opus fuerit: potes & plumbeo vti, initio per paruum facto, deinde craſſiore adhibito, ſi ſuſcipere poteſt, donec rectè habere videbitur. Intingens autem ſpecilla in mollitorio quopiam diluto, aut etiam liquido redito, ſi conferre videbitur. Specilla ipſa retro caua facienda ſunt, deinde circum ligna longiora adaptada, ſicque ipſis vtendum. Cæterum hoc tempore bibat in vino albo odorato dulci, & quàmſuauiſſimo decoctam tędam quàm pinguiſſimam, in tenuia ſegmenta conciſam, & apij ſemen contuſum, & cumini Aethiopici ſemen, & thus quàmoptimum. ex hoc bibat ieiuna copia quanta moderata eſſe videbitur tot diebus, quot ſatis habere videbitur.

16 Et edat catulos coctos, & polypum in vino dulci coctum, iuſculumque ipſum bibat, & braſſicam coctam, vinum autem albū inſuper bibat, & ne ſitiat, & calida bis per diem lauet. A cibis autem hoc tempore abſtineat. Ab eo verò tempore ſi quidem proceſſerit per ſtomachum; & quid purgationis foris apparuerit, adhuc de potione bibendum eſt vnum, atque alterum diem, & a ſpecillorum vſu deſiſtēdum, ac conandum, vt vteri appoſititijs medicamentis purgentur.

17 Cuicunque autem (ſtomacho recto, ac magno, & ſano exiſtente, ac probe habente, & in loco vbi conuenit, & oportet ſito) menſes non apparuerint ex toto, aut pauciores, & per longius tempus, & non ſani, morbum ipſum inueſtigabis quemcunque tandem vteri habent, & ſi corpus quoque aliquid conferat, cauſam perſcrutaberis, ob quam nō concipit, & hæc ſic habeāt: & curationem facies ſi medelam ſuſcipere volet, initio a fortioribus facto prout opportunū viſum fuerit, ita vt deſinas in molliorum vſu, donec vterus viſus tibi fuerit probe eſſe purgatus, & ſtomachus recto ſtatu eſſe conſtitutus, & ritè ſitus. Si verò a potu, ac medicamento menſes non proceſſerint, etiam ſi moderato tempore id biberit; nequaquam a potu ceſſandum eſt: vbi verò probe habuerit; ſpecillorum vſu os ſtomachi molliendum eſt, & faciendum vt hiet, ac viam præbeat appoſititio medicamēto. idque pharmacis ſuffitui aptis, ac mollientibus perficies. Quum autem ſatis ſuffitum, ac mollitum eſſe videbitur; appoſito medicamento ſubdititio vteri purgationem facies, donec ritè habere videbitur, a mollibus ad fortiora progreſſu facto, ita vt rurſus in mollibus, ac odoratis deſinas: nam pleraq; ex fortibus medicamentis ſtomachum exulcerant, ac corrodunt. Deinde verò tum ſtomachum ad rectum ſtatum, ac ſanitatem redigito, quò aptus ſit ad ſuſcipiēdam genituram, tum vterum ſiccum reddito, & flatum immittito.

18 Si mulier præ pinguitudine vterum ad concipiendum læſum habere videatur; attenuatio quàmmaxime, & gracilitas inducatur, ſupra reliquam curam. Tempus porrò vernum aptiſſimū eſt ad concipiendum. Vir autem non ſit ebrius, neque vinum album bibat,

bibat, sed quod fortissimum est, ac meracissimum: itemque edulia fortissima, & calida, non lauet: robustus autem sit, & sanus; & a cibis abstineat ad rem nō conferentibus. Et, vbi marem generare voluerit; mē sibus definentibus, aut defectis misceatur, & quàm penitissimè intrudat, donec desæuiat. Vbi verò fœmellā generare volet; quum plurimi menses prodierint mulieri, & dum adhuc eunt, coeat, ac dextrū testē obliget, quantum id tolerare poterit: sed, si marē generare expetat, sinister testis obligandus erit.

19 Stomachus vteri a suffimētis quidem, vbi conclusus fuerit; hans redditur: ab emolliētibus verò molescit. Suffire autē oportet, loti corticem, lauri baccas, & folia eiusdem viridia contusa, thus, myrrham, artemisiæ semen aut folia: item anisum, & adipem, aut ceram simul contusa, sulphur, cupressi semen, peucedani radicē, myrti folia viridia contusa, fibri testem, asini masculi stercus, allia, styracem, adipem suillū: sed & si distortum os vteri fuerit, his suffiendum est. Sic quidē igitur hians redditur, ac conuertitur. Mollire autem per hæc vteri os oportet, sandaracham videlicet, adipem caprinum, fici succum, silphij succū, cyclamini succum, thapsiam, succum tithymalli, cardamomi semen, herbam, quę peplos appellatur, fibri testem, lini semen, nitrum, ari radicem, staphidem sylueſtrem, calaminthæ folia viridia, herbæ lanariæ, siue struthij semen, scillæ internam partem.

20 *Medicamenta emollientia, & ad ciendum idonea; quò fortis purgatio fiat.*

Thapsiæ radicem, medullā bouis, adipem anserinum, rosaceū, hæc trita, ac feruefacta per quatriduū apponat, & bibat porri succum, ac vinum dulce album. Item resinam, & oleum tepidum, cuminum, nitrum, mel, sordida lana excipiat, & per quatriduum vtatur, bibatque apij semen, & thuris nucleos quinque, & cuminum Aethiopicum in vino albo meraco dulci, lauetque bis per diem. Item mirrham, thus, fel bouis, resinam terebintinam, aut netopon, siue metopium vnguentum, horum singulorum æqualem mēsuram misceat, & in lana pura, aut linteo tenui apponat. Intingat autem linteum in vnguento albo Aegyptio odorato, & filo obligatum, a balneo sudet, & polypum plagis mollitum edat, & apij, ac asparagi semen, ac vinum album bibat, ter in die ieiuna existēs. Aut myrrham, casiam, thus, cinamomum, netopum, singulorū æquas portiones lana exceptas, aut in glandes redactas apponat. Aut cucurbitæ sylueſtris interiora, cuminum tostum, anethi semen, cupressi radicem, trita, ac melle cocto subacta in glandes cogito, easque subdendas exhibeto, & bibat pæoniæ radicem, apij semen, ac silphij succum, cum vino. Sed & bulbium ipsum subditum purgat. Item myrrham primariam, & florem æris modicum in vino albo odorato subdat.

21 *Medicamenta subdititia, ad vterum purgandum conuenientissima.*

Accipe æris florem, ac nitri tertiam partem, mellemque cocto subacta in glandulas iustæ magnitudinis, ac crassitudinis redige, atque sic ad vteri osculū appone. si verò fortius facere velis; elateriū ammisce ad florem solum, & hoc modo coactus glandulas subdendas præbe. Potes & ramulorum fici corticem derasum, ac tenuiter tritum ammiscere, quum os vteri siccius esse videbitur, dimidia portione eodē modo.

Aliud. Elaterium, & æris florem trita, duabus floris partibus, vna elaterij acceptis, dilue, & cyclaminum tritum prout opportunum videbitur ammisce, & in lana simul coacta subde.

22 *Glandulæ album fluxum purgantes.*

Artemisiam herbam, nitrum, cyclaminum semiaridum, cuminum, subde.

Alia. Artemisiam herbam viridem tritam, & myrrhæ tertiam partem, ammixto vino odorato, in lana alba obuolue, eamque vino tinctam apponendam præbe. Vbi verò hiauerit vterus, nitrum, cucumeris sylueſtris medullam, cyclaminum semiaridum, in lana appone.

23 *Subdititia omnis generis purgare potentia.*

Staphidem sylueſtrem viridem tritam, artemisiæ herbæ folia trita, melle cocto excipe, & in umbra sicata in glandulas coge, ac subdendas exhibe.

Aliud. Florem æris, & alumen Aegyptium cum cyclamino dilue, & velut priora melle cocto excipe, aut in caricam inde, cum modica myrrha.

Aliud. Cyclaminam tritam vino albo odorato ammixto, in linteo tenuissimo puro obliga, & subdē dam præbe.

Aliud. Cyclaminum semiaridum, nitrum, cantharidas, adipem, sandarachen, subde.

24 *De virgine.*

Si virgini menses maturi non prodeant; multū & febricitat, & dolet, & sitit, & esurit, & vomit, & furit, & rursus resipiscit: vterus mouetur, & quū ad viscera vertitur; vomitus, ac febris, & deliriū accedit. vbi verò sedatur vterus, & hæc quiescunt, esurit, ac sitit, & febris lenis, hepialon Græci dicūt, tenet. Huic pelles agninas calidas ad ventrem apponere oportet, & suffitū facere in ipsa pudenda quàm penitissime, ita vt super amphorę collo desideat, & fumū admittat. Fiat autem suffitus ex myrrha magnitudine fabæ, & thuris dupla portione, ammixta etiam zea fresa; hæc simul suffire debet, & in ignem immittere, maxime dum ieiuna est, & multa calida lauare.

Medicamentum subdititium.

Alumen Aegyptium emollitum lana inuolutum subdat.

Aliud. Artemisiam tritam, & vino albo subactam, apponendam præbe.

25 *Puerperæ recèns enixæ.*

Rosaceum, myrrham, ceram, mixta in lana apponenda præbe. Vbi autē vterus ipsi prociderit; acida, & acerba offerenda sunt, tum potanda, tum foris adhibēda. Itē ficcum nigram, allium, nitrū, cuminum, hæc omnia tenuiter trita in lana apponenda dato.

Aliud. Sepiæ testam tusam, & vino imbutam, cum leporinis pilis, lana excipe, & apponendam præbe. Si verò post partum vterus doleat; ptisanam, & porrum, ac adipem caprinum coquat, indeque modicum sorbeat.

Sub-

Subditi tium medicamentum.

Nitrum, cuminum, ficum, omnium æquas portiones subde.

26 *Subditi tium purgans, & molliens.*

Netopum, rosaceum vnguentum, adipem anserinum, linteis tenuibus excipe. Si menses multi prodeunt; pæoniæ grana nigra bis septem numero, in vini cyathis duobus bibenda præbe. Si verò vteri frequenter prolabãtur; vteros aqua tepida madefacies, ipsam verò mulierem supinam reclinabis, miscebisque malicorium, gallam, & rhoem rubram, hisq; in vino albo tritis vteros illines, ac immittes. Postea lauri folia in vino austero bibenda dabis.

27 Quum autem mulier prægnans menses profluos habet; stercus asini siccum, & rubricam, ac sepiæ testam, trita, simulque linteo illigata apponat. Si verò secunda non purgetur; elaterij oboli Attici pondus in vini albi cyathi mensura tritum bibendum præbe, & purgabitur.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Exectione fœtus.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Fœtus obliquè prolapsi, ac manum extensam habentis exectio.*
2 *Capitis extractio. Diæta. Fœtum qua ratione in vtero verti, & non in caput ædi contingat. Manus in fœtu extra pudendum exerta quid significet.*
3 *Fœtus prolapsus quomodo retrudendus.*
4 *Vterorum foras prolapsorum curatio.*
Phocæ oleum, siue adeps.

1 DE his, qui non iuxta naturalem modum pariuntur, sed excinduntur, hoc modo se res habet. Primùm quidem sindone supra mulierem iniecta, eam supra mammas circundato, & caput obuelato; ne videns quod facturus est, timeat, ac exhorrescat. Si itaq; fœtus oblique prolapsus manum portensam habuerit, manu apprehensa foras producere quàmmaximè conare, & brachium ipsum excoriato: atque, vbi os brachij denudaueris; squatinæ pellem circum duos manus digitos obligato, ne caro lubricitate sua elabatur. Deinde verò carnem circa humerum rescinde, ipsumque iuxta iuncturam eximè. postea caput iuxta naturam protrusum foras producere tenta. fœtum verò ipsum intrò protrudito, feramento per latus, & costas, aut per clauiculam adacto; quò flatum emittat fœtus, & concidat, ac contrahatur, atque ipsi facilior exitus pateat.

2 Cæterùm caput si fieri potest iuxta naturã extrahe; sin minus; confringe: atque sic fœtum vnà subextrahe. Postea calida large perfusam, & oleo illitam decumbere iubeto, pedum situ alternatim variato. Bibat autem vinum dulce album, meracius temperatum. Sed & resina melle tritã, ac vino ammixta, in potu præbeatur. De cætero verò curanda est, velut dixi, iuxta ea, quę relata sunt. Quũ verò pariẽti mulieri fœtus oblique prolapsus fuerit (id quod contingit, dum vertitur puer) & vmbilicus circum collum obuoluitur, & exitum fœtus impedit, & caput in coxendicẽ incumbit, & manus vt plurimum foras prominet, quod ipsum mortui fœtus signum est. Quibus autem manus non exerta est, vt plurimum viuũt fœtus: periculum autem etiam hoc modo est. Aliquæ enim purgamenta ante partum mittunt, & necesse est cognoscere ex eo partum siccum, & cum dolore laborioſum esse. Quibus autem purgamenta ante partum non prodeunt, hæ in pariendo facilius liberantur.

3 Cõcutere porrò oportet hoc modo. Sindone substrata mulierẽ reclinabis, & aliam superinijcies, quo pudendum ipsius sit obuelatum, obuoluesque sindonem circum vtranque manum. Mulieres autem duæ vtrunque crus apprehendant, & aliæ duæ vtranque manum, deinde concutiant valide ipsam tenentes, non minus quàm decies. Postea in lectum reclinetur mulier in caput, ita vt crura sursum vergãt, & mulieres omnes ipsam pedibus corripiãt, manibus dimissis, sæpeque concutiant, ac reiectionem in humeros faciant in lecto, quo fœtus in spacioſiorem locum retrusus vertatur, & naturaliter prodire possit. Et si dictamnum Creticum habueris; ipsum bibendum dabis: sin minus; fibri testem in vinum Chium derades.

4 Si verò vteri foras prodierint, siue ex dolore, siue ex partu, si quidem iuuenculę fuerint: aggressionem facito: sin minus; sinito. Aggressio autem hoc modo fiat. Pellĩculam vteri iuxta naturalẽ modum, & obliquè incisam, linteo confricato, donec inflammetur, & illinito phocæ oleo, siue adipe, aut pice, aut mali Punici flore integito, & molles spongias vino respersas apponito, & ex humeris ipsas alligato. Mulier verò decumbat cruribus quàmmaximè sursum versus porrectis. Moderatis autem edulijs vescatur.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Dentitione.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *De dentitione. Pueri carnosi minus lactis, minus carnosi multum lactis sugunt.*
Pueri qui saniores, qui minus.
2 *De dentientium puerorum statu iudicia.*
Hyeme dentientium melior conditio.
Plus mingentes, & bene dormientes pueri, habitiores.
Ablactantur facile qui sugentes interim cibum adsumunt.
3 *Vlcera in tonsillis infantium, quæ periculosa, quæ non.*

1 PVeri natura habitiores, non pro carnositatis ratione etiam lac sugunt. Voraces verò, & multum lactis trahentes, non pro ratione carnosi fiunt. Pueri sugentes si multum mingant; minime anniculi fiunt. Quibus aluus multum profluit, & bene concoquunt, hi saniores sunt. Quibus modicè profluit, & voraces sunt, & non pro ratione similiter nutriuntur, morbosi. Quibus multum lactosum reuomitur, his aluus supprimitur.

2 Quibus in dentitione aluus amplius subducit, minus conuelluntur, quã quibus parum. Quibus in dentitione febris acuta accedit, parum conuelluntur. Quicunque dentientes habitiores manent, & altiore somno vtuntur, periculum est, ne conuulsione corripiantur. Qui hyeme dentiunt, reliquis similibus existentibus, melius liberantur. Non omnes in dentitione conuulsi moriuntur, sed multi etiam seruantur. Qui cum tussicula dentiunt, tardius dentes producunt, in perpunctione autẽ magis gracilescunt. Quicunque in dentiendo hyemem habent, si attentè tractentur, dentitionem facilius ferunt. Qui plus mingunt, quàm egerũt, pro ratione habitiores sunt. Qui non pro ratione mingunt, verùm aluus frequenter cruda à pueris egessit, morbosi sunt. Qui bene dormiunt, & habitiores sunt, multum alimentum adsumunt, idque adiacet, non sufficienter distributum. Qui dum sugunt, interim cibum adsumunt, facilius ablactationem ferunt. Qui sepe cruẽta, ac cruda per aluum egerũt, plurimi in febre somniculosi sunt. Vlcera in tonsillis citra febrẽ facta, securiora sunt. Quibus infantibus in sugendo tussis instat, vuam maiorem habere solent.

3 Quibus cito in tonsillis vlcera serpentia considũt, febribus, ac tussi permanentibus, periculum est rursus generanda esse vlcera recurrentia. Vlcera tonsillarum in infantibus periculosa. Pueris memorabilis magnitudinis, si vlcera in tonsillis sint, & deglutire possint, salutis signum est. Quum verò maiores prioribus deglutire in tõsillarum vlceribus non possunt, his multam bilem reuomi, aut per aluum prodire, periculosum est. In vlceribus tonsillarum si quid araneosum ineſt, non bonum. In tonsillarum vlceribus post prima tẽpora, pituitam per os effluere, si prius non fuit; commodum est, & tamen reducenda est. Si vero incipiat, & omnino remittat; gaudendum est. Si autem non sic effluat; vereri oportet. Qui tonsillas destillatione vexatas habent, his aluus amplius subducta, siccas tusses soluit. Verũ pueris si quid cõcocti superne prodierit; amplius soluit. Vlcera multo tempore in tonsillis citra augmentum manentia, ante quintum, aut sextum diem periculosa nõ sunt. Sugẽtes, qui multum lactis adsumunt, vt plurimum somniculosi sunt. Sugentes, qui non probe aluntur, macilenti fiunt, & ægrè vires recolligunt. Vlcera in tonsillis çstate facta, peiora sunt, quàm alijs temporibus: citius enim proserpunt. Vlcera in tonsillis circa vuam proserpẽtina, in his, qui seruantur, vocem alterant. Vlcera proserpentia circa fauces, grauiora, & magis acuta, vt plurimum spirandi difficultatem inducunt.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Corporum resectione.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Arteriæ asperæ, pulmonis, positio, structura, forma, & substantia.*
Lobi quinque. Cordis, arteriæ chartilaginosę, venæ magnę, positio, & structura.
2 *Hepatis, vasorum emulgentium, renum, vrinariorum meatuum, vesicæ, gulæ, positio, ac forma.*
3 *Septi transuersi, lienis, ventris, coli, intestini recti positio, structura, forma, & substantia.*

ARTE-

1 ARteria ex vtraq; faucium parte exortum faciēs, in ſummitatem pulmonis definit, circulis compoſita cōſimilibus rotūdis, in ſuperficie ſe mutuo contingentibus. Ipſe autem pulmo teſtitudinem coadimplet, in ſiniſtram conuerſus, quinque apices habens, quos lobos, & ſummitates vocant, cinereo colore præditus, notis caſuernoſis compunctus, naturaque antroſus exiſtēs. Ad medium verò ipſius coſitum eſt, rotundius, ac oblongius, quàm in omnibus animalibus. A corde verò ad hepar multa chartilaginoſa arteria procedit, & cum ipſa vena magna appellata, per quam totum corpus nutritur.

2 Hepar autem ſimilitudinem quidem cum omnibus alijs habet, uerum ſanguinolētius, quàm alia exiſtit, apices habēs duos, quos portas appellāt, in dextris locis ſitas. Ab hoc verò obliqua vena inferne ad renes tendit. Renes autem conſimiles colore, malorum ſpeciem præ ſe ferunt. Ab his canales obliqui, ac fermè triangulares in ſummum veſicæ apicē tendunt. Veſica autem tota neruoſa eſt, magnaque, ac latè ſe extendens capacitas intra eam a natura diſpoſita eſt. Et has ſex partes intus per medium corpus natura diſpoſuit. Gula autem à lingua principium faciens, in ventrem deſinit, quam ſanè Græci etiā œſophagum, & ſtomachum, id eſt os ventris, ſignificanter appellant. Cęterum a ſpina retro hepar, ſeptum tranſuerſum productum eſt.

3 Ex latere verò notho, ſiniſtro videlicet, lien initio ſumpto extentus eſt ad humani veſtigij ſimilitudinem. Venter autem hepati adiacens iuxta ſiniſtram partem, totus quidē eſt neruoſus. A ventre vero extat inteſtinum ventri conſimile, longum cubitorum non minus duodecim, pampino formiter in ſinibus inuolutum, quòd aliqui colum vocant, per quod alimenti delatio contingit. A colo autem ſitum eſt rectum, ac princeps inteſtinum poſtremum, carnem copioſa habens, & in ſummum annum deſinens. Reliqua porrò natura ipſa ordinauit, ac diſpoſuit.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Corde.

Argumentum in Librum ſequentem.

1 *De cordis figura, colore, ac ſtructura. Cordis tunicæ, ſeu veſicæ vſus. Cordis humoris tanta eſt copia quanta in medelam eſt ſatis. Cordis humor vnde, Gula ſiue ſtomachus, velut infundibulum, potum & quæcunque volumus excipit. Potus in guttur ac arteriam, quantum epiglottis ſiue lingula permiſerit fertur.*

2 *Epiglottidis vſus.*

3 *Quomodo tuſſis, potu aceruatim irruente excitetur. Cor humorem per arteriam ad pulmonem illapſum cum aere ad ſe trahit, non tanquam alimentum, ſed vt medelam. Cordis humoris & ſpiritus attracti vacuatio.*

4 *Cor muſculus eſt valde fortis, non neruo, ſed denſitate ac carnis conſtrictione. Cordis ventriculi duo eorundemque forma & poſitio.*

5 *Pulmo natura frigidus, & inſpiratione perfrigeratur. Cordis ſiniſter ventriculus, receptaculum eſt ſpiritus. Cordis ſiniſter ventriculus, cur craſſior ac aſperior. Cordis orificia quatuor, & quomodo deprehendantur. Cor caloris inſiti fons & principium. Cordis fontes reſiccati, mortis cauſa exiſtunt.*

6 *Cordis aures quæ vocentur. Cordis aurium ſubſtantia. Cordis aurium vtilitas. Cor follibus ſimile quid habet. Cor ex toto ventilari, aures verò priuatim, tum inflari, tum conſidere ac contrahi.*

7 *Venæ in ſiniſtrum cordis ventriculum, arteriæ in dextrum reſpirationem operantur. Cordis ſiniſter ventriculus plus aeris attrahit. Cordis pelliculæ. Aliæ in ipſius cordis pelliculis. Cordis ventriculorum pelliculæ, nerui & vaſorum principia aortis eſſe videntur.*

8 *Cordis oſculis ſingulis tres pelliculæ ſunt ſubornatæ. Mentis ſedes in ſiniſtro cordis ventriculo reliquæ animæ imperat. Animæ ſeu mentis nutrimentum.*

9 *Arteriæ magnæ alimentum. Arteriam magnam ſanguine quē nos videmus non nutriri. Cordis pelliculæ ob arteriam venoſam ſunt productæ.*

10 *Pulmonis vaſorum nutrimentum. Sanguis non eſt natura calidus.*

1 COR figura, velut pyramis eſt, colore autem abundè puniceum, & tunicam leuem circùndatam habet, & eſt in ipſa humor modicus velut vrina; vt putare poſſis in veſica cor diuerſari. Facta eſt autem ea gratia, vt ſanum in cuſtodia floreſcat. Habet autem humiditatem tantam, quanta ſatis eſt æſtuanti in medelam. Cęterùm hunc humorē cor emingit, bibendo ipſum aſſumens, ac conſumens, pulmonis nimirum potum lambens: etenim homo multo maximam partem in ventrē bibit: gula enim, ſiue ſtomachus velut infundibulum, potus copiam, & quæcunque volumus excipit. Bibit autem & in guttur ac arteriam, minus verò & quantum latere poſſit per rimam illapſum.

2 Operculum enim exactum epigloſſis, lingula ſiue minor lingua appellata; ne permiſerit quidem aliquid amplioris potus penetrare. Signum autē huius rei hoc eſt. Si quis enim aquam cęruleo colore, aut rubrica temperatam, ſitienti valde bibendam dederit, maxime ſui (hoc enim pecus non eſt curioſum, neque mundiciei deditum:) deinde dū adhuc bibit, ipſius guttur reſecet, hoc colore ipſum tinctum reperiet: ſed non eſt cuiuſuis hæc chirurgię aggreſſio.

Nequaquam igitur fides noſtra ſuſpecta eſſe debet de potu, quòd homini in guttur vergat.

3 Sed quomodo aqua aceruatim irruens, turbationem ac tuſſim multam exhibet? propterea inquam, quòd contra reſpirationem fertur. Quod enim per rimam illabitur, tanquam iuxta parietem delabens, aeris elationi non inſtat, ſed leuem, ac lubricam quandam viam humectatio ipſi præbet. Hunc itaque humorem cor de pulmone vnà cum aere abducit. Aerem quidem igitur vbi in medelam ceſſit; neceſſario oportet retrò per eandem viam, qua adduxit reijcere. Verùm humorem partim in culeum, ac vaginam ſuam expuit, partim rurſus vnà cum aere foras propellit. Quapropter etiam palatum eleuat, quum ſpiritus recurrit. Meritò autem recurrit: non enim humanæ naturæ alimenta hęc ſunt. Quomodo enim hominis alimentum ſint ventus, & aqua cruda? ſed ſunt magis cognatæ affectionis caſtigatio, & medela.

4 Porrò vt ad inſtitutum ſermonem reuertamur. Cor muſculus eſt valde fortis non neruo, ſed denſitate, ac conſtrictione carnis, & duos ventriculos habet diſcretos in vno amiculo, ab vtraque parte vnũ: mihi autem inter ſe ſimiles ſunt: alter enim in dextris ad oſculum ſitus eſt, contingens alteram venam, alter in ſiniſtris: totum enim cor in his ſedem ſuam firmauit. Sed ille etiam omnino amplioris ventris, & magis inanis, quàm alter eſt, neque extremitatem cordis attingit, ſed caudam eius ambit: ſolidus item eſt, veluti extrinſecus affutus. Alter autem ſubter ſiniſtram mammam maxime in directum ſitus eſt, vbi etiam ſaltus ipſius ſignificationem ſui præbet. Amiculum autem habet craſſum, itemque foueam: foueæ enim ſpeciem præ ſe fert ſimilem mortario.

5 Sed enim hic etiam pulmonem ſubit cum manſuetudine: & circumiectu ipſius, caloris intemperãtiam caſtigat: etenim pulmo natura frigidus eſt, ſed & inſpiratione perfrigeratur. Ambo autem denſi, ac aſperi ſunt interna ſui parte, & velut ſub corroſi, magiſque ſiniſter, quàm dexter: nam in ſitus à natura ignis non eſt in dextro. Quare mirum eſt ſiniſtrũ aſperiorem fieri, vbi intemperatũ aerem inſpirauerit. Quapropter etiã roboris caloris cuſtodiendi gratia craſſius intus conſtrictus eſt. Oſcula autem ipſis nõ ſunt aperta; niſi ſi quis cordis auriculas præſecet, aut caput cordis præcidat. Si autem quis præſecet; apparebunt duplicia oſcula in duobus ventriculis: craſſa enim vena ex altero excurrens viſum decipit, ſi fuerit reſecta. Hi fontes ſunt humanæ naturæ, & hic flumina ſunt, quibus totum corpus irrigatur: atque hi etiam vitam homini conferunt, & vbi reſiccati fuerint, homo moritur.

6 At verò prope exortum venarum, corpuſcula circum venericulos conſurgunt, mollia, cauernoſa, quę auriculæ appellantur. Non ſunt autem foramina aurium; non enim clamorem exaudiunt. Verùm ſunt organa, quibus natura aerem rapit. Et ſanè videtur mihi boni, ac præſtantis artificis opificium eſſe. Quum enim conſideraſſet figuram ſolidam futuram ipſius viſceris, propter ſanguinis ex venis effuſi collectionem ac concretionem, deinde attractorium ipſum eſſe totum vidiſſet, folles ipſi appoſuit, quemad modum fabri ferrarij fornacibus ſolent; quò per ipſos ſpiritum apprehenderet. Signum autem ſermonis hoc eſt. Etenim cor videas ex toto ventilari, aures verò priuatim, tum inflari, tum conſidere, ac contrahi.

7 Et propter hoc etiam dico, quòd venæ quidẽ operantur reſpirationem in ſiniſtrum ventriculum, arteria autem in alterum: molle enim magis attrahit, & incrementum capit. Oportebat autem nobis magis incumbentia cordis tegmina perfrigerari: eſt enim calor non indextris: quare propter hanc affectionẽ, non acceperunt amplum organum; vt ne in totum ab ingrediente aere ſuperarentur. Reſtant dicendæ cordis pelliculæ latentes, opus digniſſimum cognitione: ſunt enim & aliæ quædam in ventriculis pelliculæ, velut araneorum telę extentę, quæ vndiquaq; oſcula cingunt, & ſtrias, ac ſegmenta in ſolidum cor inſerũt. Hę mihi nerui ipſius viſceris, & vaſorũ principia aortis eſſe videntur: eſt aũt ipſarum par vnum.

8 Cæterùm oſculis ſingulis tres pelliculę ſubornatę ſunt, rotundę in ſummo, velut circulus ſemiſectus. Et qui rei intelligentes ſunt admirantur, quomodo oſcula, & aortarum fines claudũt. Et ſi quis veteris, eximendi cor mortui, moris gnarus, aliam auferat, aliam reclinet, neque aqua, neque flatus immiſſus in cor penetrarit: atque hæ magis in ſiniſtri ventriculi oſculis exactius, & meritò ſanè ſubornatę ſunt. Mẽs enim hominis in ſiniſtro ventriculo inſita eſt, & reliquæ animæ imperat. Nutritur autem neque cibis, neque potibus a ventre, ſed pura, & illuſtri ſubſtantia ex ſanguinis diſcretione nata. Adſumit autem alimentum ex proxima ſanguinis ciſterna, radios ſuos eò immittens, & depaſcens, velut ex vẽtre inteſtinorum alimentum non naturale exiſtat. Quo verò non in mora ſit, qui in arteria eſt in fluctuatione conſtitutus cibus, viam in ipſam occludit.

9 Magna enim arteria vẽtrem depaſcitur ac inteſtina, plenaque eſt alimento non principali. Quòd autem non nutritur ſanguine apparente, & quem videmus, arteria ipſa magna, ex hoc manifeſtum exiſtit. Mactato.n.animali, & ſiniſtro vẽtriculo diſſecto, tota deſolata apparet, modico ſeroſo humore excepto, flauaque bile, ac pelliculis, de quibus iam mihi dictũ eſt. Arteria autem altera ſanguine non eſt deſtituta, neque ventriculus dexter. Hoc quidem igitur vas cauſſa fuit, mea ſanè ſententia, vt pelliculæ produce rentur. Id verò quod ex dextro fertur ventriculo, etiam ipſum quidem commiſſura pellicularum clauditur, verum non valde ſalit imbecillitate.

10 Sed aperitur quidem in pulmonis vaſa, ſanguinem exhibens ipſis in alimentum: clauditur autẽ in cor, non tamen confeſtim, quo ingrediatur quidem aer, non autem multus: debilis enim eſt hic calor, frigiditatis facultate ſuperatus. Sanguis enim non eſt natura calidus, (neque enim alia aliqua aqua) ſed caleſcit. Multis autem videtur natura calidus eſſe. Et de corde ſanè talia dicta ſint.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Glandulis.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *De Glandularum natura, & substantia. Glandulæ venas habent. In Glandulis oleosus humor. Glandulæ non valde per se, sed cum reliquo corpore ægrotant. Glandulæ cur fluxionibus maxime sint obnoxiæ. Febris ex glandularum copiosa fluxione.*

2 *De duplici glandularum genere ac vsu. Glandulæ corporis humiditatem suscipiunt. Glandularum alimentum, & in corpore situs. Glandulæ & pili eadem vtilitate participant. Pili ex glandulis nascuntur & augescunt. Quibus corporibus neque glandulæ neque pili insint. Item quæ glandulas & pilos, & quæ glandulas tantum habeant. Glandulæ inguinum.*

3 *De cæteris partibus quæ glandulas tantum habent, & cur glandulæ intestinorum depiles existant. Glandulæ intestinorum maiores.*

4 *Glandulæ renum, etiam maiores quàm alijs partibus. Glandulas alias præter commemoratas esse in corpore.*

5 *De tota glandularum colli natura. Tonsillæ. Caput humiditatem ex reliquo corpore complectitur. Corpus vapores omnis generis in caput retro retrudit. Caput humores quã do retineat. Glandulæ quando & a quibus fluxionibus infestentur, & a quibus non.*

6 *Strumarum pessimi colli morbi, generatio vnde. Alarũ tubercula vnde. Inguinum humor ac inflãmatio. Glandulæ intestinorũ vnde. Intestinorũ humiditas morbos nõ facit.*

7 *Glandulæ capitis, sunt ipsum cerebrum: Cerebri substantia, glandularum substantiæ persimilis. Capillorum in capite ob cerebri multitudinem, maior est copia. Cerebrum ob sui magnitudinem morbos maiores & minores alijs partibus facit.*

8 *De capitis fluxionib. Capitis fluxiones secundũ naturam, tres sunt; præter naturam, quatuor. Ex fluxionibus intra corpus abeuntibus abscessus, ex abscessibus morbi.*

9 *Apoplexiæ generatio. Lippitudinis generatio. Capitis per aures fluxiones. Capitis fluxio pituitosa per palatum in ventrem.*

10 *Voluuli generatio & tabis. Ex capitis fluxionibus per venas in spinalem medullam morbi. Cerebri affectiones præter iam commemoratas, esse plures.*

11 *De glandulis in pectore. Glandulæ pectoris, mammæ dicuntur, & quibusdam lac faciunt, quibusdam non. Viri cur lac non faciant. Glandulæ pectoris in viris, cur magnæ non sint. Mulierum corpora laxa ac mollia.*

12 *Mammarum tubercula ac inflammationes. Mulieres quomodo post mammas ablatas affectæ. Ex mammarum ablatione suffocatio consequitur.*

1 DE Glandularum tota natura sic habet. Natura ipsis est spõgiosa: sunt.n. rarę, & pingues, & neq; carnes sunt reliquo corpori similes, neq; aliud quid simile corpori. Sed friabiles sunt, & venas multas habent. Si verò disseces; sanguis largus erũpit, specie albus, & velut pituita. Tangenti autem velut lanæ apparent. Et si multa vi ipsas digitis compresseris; glandula humorem oleosum remittit, qui & ipse conteritur vt plurimũ, ac disperit. Aegrotant autem non valde, sed vnà cum reliquo corpore. Quũ verò proprio morbo ægrotant (nam parum etiã cum reliquo corpore ægrotant) morbi tubercula fiunt, & strumæ resultãt, & febris corpus occupat. Perpetiuntur autẽ hæc, vbi humiditate repletæ fuerint, ex reliquo corpore in ipsas influẽte. Influit autem ex reliquo corpore per venas, quæ per ipsas extentæ sunt multæ, & cauæ, vt humor quemcunque tandem traxerint, facile in ipsas sequatur. Et si multa, ac morbosa fuerit fluxio; glandulæ reliquum corpus in se distendunt, atque sic febris incenditur, & eleuantur, ac inflammantur glandulæ.

2 Cæterũ glandulę in corpore sunt plures, siue maiores, in cauis ipsius partibus, quàm in articulis, & quecunque in alijs humectis, ac sanguinolentis locis consistunt: atque illæ quidem, vt quod suprà in cauas partes influit, suscipientes in se trahant. hę verò vt rursus nascentem præ laboribus humiditatẽ in articulis, si quam articuli remittãt, eius multitudinem susceptent: & sic nimia humectatio in corpore non inest. Nam si etiam quid gignatur humiditatis, non statim nimia humectatio inde successerit: reflectitur enim, & consumitur tum multa, tum modica, in ipsas glandulas. atque sic reliqui corporis redundantiam glandulę sibi lucrifaciunt, & alimentum hoc est ipsis coalescens. Quare vbi cœnosę partes sunt, & humectæ, ibi etiam glandulę. Cuius signũ est. Quòd vbi est glãdula, ibi etiam pili: natura enim facit glandulas, & pilos, vtraque eadem vtilitate participãtes: illas quidem vt quod influit (velut antea dictũ est) suscipiant. Pili vero ex glandulis opportunitatẽ habentes nascuntur, & augescunt, colligentes id, quod in extremitates redundat, ac efferuescit. Vbi autem corpus siccum est; neque glandula, neque pilus inest. At verò tenerę, & exercitijs deditę, & humectę partes, glandulosę sunt, ac pilosę. Glandulę porrò sunt ab vtraque aurium parte iuxta iugulares, colli venas, & pili etiam ibidem. Item sub alis vtrinque & glandulę, & pili sunt. Inguina, & pubes similiter vt alę, & glandulas, & pilos habent. Et hę quidem cauę corporis partes sunt, & ad humoris redundantiam expositę: nam & laborant hę, & ex omnibus corporis partibus maxime mouentur.

3 Reliquę verò glandulas tantum habent, velut intestina: habent enim & hę glandulas in omentũ maiores: pilos autem non habent: nam & in cœnosis, ac humectis terrę locis, semen non nascitur, neq; suprà terrã ascẽdere conatur, sed per redũdantiã putrescit, ac suffocatur: violat.n. semen. Violat aũt & in intestini copia, ac multitudo humoris, & pilos enasci non

finit. Glandulæ autem in inteſtinis maiores ſunt, quam alibi in corpore. & paſcuntur humectationem nimiam ex inteſtinis exprimentes. Inteſtina verò ex vaſis in omentum ſuſcipiunt, ac remittunt humiditatem: omentum autem in glandula diſtribuit.

4 Habent præterea etiam renes glandulas, nam & hi multa humiditate exſatiantur. Maiores verò etiã hac parte, quam aliæ glandulæ exiſtunt: influens. n. humor in renes non imbibitur, ſed perfluit infra in veſicam. Quare quicquid eius lucrifaciunt de canalibus, hoc ad ſe trahunt. Sed & aliæ in corpore glandulæ ſunt paruæ valde. Verùm non volo hunc ſermonem longius euagari permittere: nam earum, quę alicuius momenti ſunt gratia, hoc ſcriptum inſtitutum eſt. Nunc itaque ſermone progreſſum faciam, & dicam de tota natura glandularum colli.

5 Collum ab vtraque ſui parte hinc, & hinc glandulas habet, & vocantur hæ glandulæ tonſillæ, in hunc vſum, atque vtilitatem. Caput ſuprà ſitũ eſt, ſurſum cauum, ac rotundum exiſtens, & humiditatem ex reliquo corpore complectens, & corpus ſimul vapores omnis generis ſurſum in caput demittit, quos caput rurſus retro dimittit. Non enim immorari, ac manere poteſt id, quod influit, non habens vbi ſedem firmet, niſi ſanè caput ęgrotet: tunc enim non remittit, ſed iſthic retinet. Poſtquam verò attractionem remiſerit, in glandulas fluxio vergit: & nihil moleſtat, donec pauca, & moderata fluxio fuerit, & ipſæ glandulæ validæ, ac potentes extiterint. Si enim multa, & acris influxerit, manſeritque acris, & glutinoſa; inflammatur, ac intumeſcit, & collum diſtenditur, atque ſic ad aurem progreditur. & ſi quidem in vtramque partem proceſſerit; vtraque auris: ſin ad alteram; altera tantum ægrotat.

6 Si aũt pituitoſa, & multa, ac lẽta fuerit fluxio; etiã ſic inflammatur. & inflammatio, quũ ſtabilis humor exiſtat; ſtrumas peſſimum colli morbum generat. In alas autem etiam tunc quid confluit. Sed vbi copioſi fuerint acres, & ferofi humores; etiam ſic in ipſis tubercula producuntur. Sed & in inguinibus glandula à partibus ſuprà ſitis humiditatẽ trahet: ſed vbi multitudo eius occupauerit; inguina iutumeſcunt, & ſuppurantur, ac inflammantur, ſimiliter vt alæ, ac collum. Atque hæc ſanè tum bona, tum mala glandulæ exhibere videntur. & de his quidem hæc ſufficerint. Porrò inteſtina multam ſatietatem ex cibis, ac potibus habent; & præterea humiditatem ſub cuticula habent. Sed & hæc tota reflectitur, ac conſumitur in glandulas, ſimiliter velut ſuperior. Morbos autem non facit ferè, quemadmodum in articulis contingit: frequentes enim glandulæ, & expaſſæ, ac non cauæ ſunt, & altera alterius multitudine non multum fruitur, & aliàs ſi qua etiam plus habere velit; copiam eius habere non poteſt. Sed quod in paucas, ac ſingulas confluit in articulis, id in multas hic diuiditur, & æqualitas ipſis exiſtit.

7 Caput etiam ipſum glandulas habet, cerebrũ nimirum ſimile glandulæ: eſt enim cerebrum album, ac friabile, quemadmodum etiam glandulæ. Et ob id in commoditatem capitis glãdulas facit, & per relatas a me cerebrum auxilium ferens humiditatem aufert, & in extremitates foras ablegat, per fluxiones ex magna parte. Maius autem eſt cerebrum, quàm aliæ glandulæ, & capilli etiam maiores, quàm alij pili: maius enim eſt cerebrum, & in amplo ſpacio in capite ſitum eſt. Facit autem morbos & minores, & maiores, quàm aliæ glandulæ. facit autem quum in infernas corporis partes redundantiam, ac ſuperfluitatem ſuam ablegarit.

8 Fluxiones porrò de capite vſque ad ſecretionem contingunt, per aures ſecundum naturam, per oculos, per nares. atque hæ tres ſunt, & aliæ per palatũ in guttur, & in gulam, & alia per venas in medullam ſpinalem, & in ſanguinem. Quę omnes ſeptem numero exiſtunt. hæ fluxiones cerebri ſordes, ac purgamenta diſcedentes exiſtunt: & ſi non diſceſſerint: morbus ipſi inde oboritur. Sic autem & reliquo corpori aliqui morbi accedunt; ſi introrsùm abierint, ac diſceſſerint hæ fluxiones, & non foras. Et rurſus turbatio multa oboritur; ſi hianter, ac affatim attrahat, & acrem quidem fluxionem cerebrum demittat, quæ influxiones corrodit, & exulcerat. Et ſi id, quod cerebro influit, copioſum fuerit; fluxio deſcendens non deſinet, donec multitudinem influentis exhauſerit: atque ſic id, quod influit foras demittens, & aliud ſuſcipiens, ac ſemper in conſimili ſtatu conſiſtens, & humores trahit, & morbos facit. Ambo autem magno tædio, ac moleſtia naturam frangunt, quæ ſi fuerit effecta; doloroſa afflictio exiſtit. Affectiones enim naturæ ſunt prædictæ fluxiones, & multitudinem moleſtè ferunt, & morſum, ac roſionem perceptãt; ex eo quod præter rationem & non conſuetum exiſtit.

9 Cerebrum autem cladem perfert, etiam ipſum non ſanum exiſtens. ſed ſi quidem rodatur; turbationem multam ſuſtinet; & mens deſipit, & cerebrum conuellit, ac diſtrahit totum hominem, qui in ſeipſo vocem non edit, ac ſuffocatur, & hæc affectio ſideratio, ac Græce apoplexia appellatur. Aliquando vero acris quidem non eſt fluxio, ſed copioſa in cerebrum irruens, ipſum affligit, & mens perturbatur, & homo circum ambulat, aliena cogitans, & aliena videns, perferens morbi mores, viſis, riſu, & peregrinis imaginationibus. Alia fluxio ad oculos ophthalmia Græcis, Latine lippitudo appellatur, & oculi in ipſa intumeſcunt. Si verò ad nares defluxio fiat; arroduntur nares, & nihil aliud graue accedit: nam viæ ipſarum amplæ ſunt, & ſibi auxiliari poſſunt, inſuperque non compactum eſt, quod ab ipſis diſcedit. At verò aures intortus quidem meatus, & anguſtus, cerebrum autem prope ipſum ipſis auribus apprimitur. Aegrotans verò hoc morbo, plurima excernit: & auris a frequenti fluxione per tempus vexatur, & pus graueolens effluit. Sic etiam fluxiones ad oculos foris conſpicuæ ſunt, & non lethales in totum. Si verò fluxio retrò proceſſerit per palatum, & in ventrem pituita perue nerit; fluunt quidem horum ventres, non autẽ ægro tant. Si verò inferne maneat pituita; affectiones voluuloſæ fiunt diuturnæ.

10 Alij autem ſi per palatum in guttur multa fluxio contingat, vt plurimum morbi tabis oriuntur; replentur enim pulmones pituita, atque ea ipſa pus fit, id quod pulmones exedit; & ægroti non facile ſuperſtites manent, & mens medici (ſi bonus, & prudens eſt) vt plurimum cauſſam intelligit. Alius morbus oritur ex defluxione capitis per venas in ſpinalem medullam. Inde autem in ſacrum os impetum facit;

facit: quò medulla ipsa fluxionem perducit, & in coxendicum acetabula, siue iuncturas deponit. & si tabem fecerit; homo marcescit, atque hoc modo contabescit, & viuere non expetit: statim enim scapulæ dolent, amboque pedes, ac crura consequuntur, & semper tandem pereunt multo tempore curati. atque sic defloresçit homo, ac moritur. Hæc mihi defluxionibus capitis dicta sunt. Sunt autem affectiones cerebri, etiam alij morbi, deliria, insaniæ, omnia periculosa, & ægrotat cerebrum, & aliæ glandulæ: habet enim & dolorem, & alius eongressus corporis hinc contingit.

11 Quin & glãdulæ in pectoribus mammæ appellantur, & attolluntur, ac lac faciunt, aliquibus verò lac faciunt, aliquibus verò lac non faciunt. Et faciunt quidem lac mulieres, viri verò non faciunt: mulieribus enim rara est glandularum natura, quemadmodum etiã reliquum corpus rarum habent, & alimẽtum, quod in se trahunt, in lac permutant. Et ab vtero accẽdit ad mammas, quod post partum puero cessurum est in alimentum, quod ipsum sanè exprimit, ac sursum mittit omentum, ad supernas partes ab ipso fœtu coarctatum. Verùm maribus locorum angustia, & corporis insuper densitas conducit ad hoc, vt glandulæ non sint magnæ: mas enim plenus est, & velut pallum densus, tum ad visum, tum ad tactum: fœmina verò rara, & laxa, & velut fluida, tum ad visum, tum ad tactum. Quare humiditatem non remittit, id quod est rarum, & molle. Mas autem non amplius quid eius susceperit, quum densus existat, ac cohærens, & compactus, sed & labor corpus ipsius corroborat, vt non sit locus, vbi redundantia, ac superfluitates recipiat. Atque hoc modo cogit, ac cõcludit hæc ratio, & pectora, & mammas, & reliquum corpus mulieribus laxa, ac mollia esse, tum ob ocium, ac segnitiem, cũ ob alia prædicta: viris autẽ vice versa.

12 Porrò faciunt etiam mammæ tubercula, ac inflãmationes, lac ipsum putrefacientes. Commoda autẽ habent superioribus similia, & reliqui corporis redundantiam auferunt. testimonium abunde prębent mulieres, quibus morbus, aut alia quædam calamitas mammas adimit: nam & vox ipsarum aspera redditur, & humores in gulam feruntur, & multo sputo vexantur, & caput dolent, & ab his ægrotant: lac enim proficiscens, ac influens ab vtero, quemadmodum etiam antea in superna vasa transibat, quum propria vasa non habeat, nec reperiat, vtpote ipsis per mammarum ademptionem priuatum, in principales corporis partes incurrit, cor videlicet, ac pulmonem, atque sic suffocantur.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Ossium Natura Mochlicus, ideſt Vectiarius.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Digitorum ossa & articuli, simplicia sunt: Manus autem & pedis, & multa alia, alioque modo coarticulata. Calcanei os vnum. Tibiæ consideratio.*

2 *De femore. Coxa. De Spinæ natura. De Musculis lumbaribus. Cruicis articulus repandus est.*

3 *De Verticulis. Verticulorum coarticulationis consideratio. Costarum coarticulationis consideratio. De Pectoris ossibus. Clauicularum natura.*

4 *De Humero. De Scapulis. Scapularum curatio facilis. De Brachio seu cubito.*

5 *De ossium humani corporis numero. Ossa manus vigintiseptem sunt, pedis vigintiquatuor. Colli vsque ad magnum verticulum, septem: Lumbi, quinque: Spinæ, viginti: Capitis vnà cum oculorum ossibus, octo. ossium in vniuersum 91: cum vnguibus verò centum & vndecim. Verticula supra clauiculam vnà cum magno septem.*

6 *De Semine & renum venis. Potus, per fauces ac gulam via. Hepatis extremitates quinque. De Fellis situ. Cor pellicula est inuolutum. Intestina hominis crassa, quàm in cane sunt maiora. Mesocolon. Renes ex neruis dependent. Arteriarum, cor fons est.*

7 *Venarum magnarum (quarum duæ) in corpore situs. Neruorum exortus ab occipitio.*

8 *De Venis in renes tendentibus. Renum constitutio. Renes ventriculos habent. Renes vrinam percolant. Renum corpus ad vesicam spongiforme. Vrina cur rubra.*

9 *De Venis circa costas. De clauicularum venis.*

10 *De Vena sanguiflua.*

11 *De venis crassis. De Venarum crassissimarum quatuor paribus. Primum par.*

12 *Dorso ac coxendice dolente, venæ sectio à poplitibus & malleolis forinsecus est facienda. Secundum par. Sphagitides seu iugulares. In lumborum ac testium doloribus venæ sectio à poplitibus ac malleolis intrinsecus facienda. Tertium par. Quartum par.*

13 *De Venis ventris, per quas corpori alimentum venit. De Venæ sectione in diuersarum partium affectionibus. Venæ sectio quàmlongissime à loco dolente, & vbicunque sanguis colligi solet, facienda.*

14 *De Hepatis venis, earumque distributione.*

15 *De Septo tranuerso eiusque positione, & venis idipsum tum transeuntibus, tum illi innascentibus.*

16 *De Neruis qui ex cerebri substantia propagantur.*

17 *Ossium, Neruorum, Carnis, Venarum, Cutis substantiæ vsus. Venarum germina vnde dependeant, & qua corporis parte desinant, & quòd vna his consentit, & in quibus locis corporis sint extentæ.*

18 *Vena crassa vltra aures. Linguæ venarum processus. Vena humeralis. Vena humeralis sanguiflua*

: flua est & plena, & ægre curatur si rumpatur aut conuellatur.

19 *De vena principali, quæ cordi inserta, venam magnam & arteriam asperam producit. Quare insueta in pulmonis viam delata, non educantur. Callosarum in pulmone duritierum caussa.*

20 *Spirandi difficultas vnde. Anhelationum & tabis siccæ generatio. Suppurati ac tabidi vnde. Quomodo vena principalis pulmonem & partes vicinas occupet. Vena sub septum transuersum extenta qualis. Venæ in spinalem medullam tendentes.*

21 *Venæ omnes in corpus distributæ, ex omnibus partibus spinam petunt. Vena principalis in renes radices suas agit. Vena crassa in caulem seu pudendum transit.*

22 *Venæ pudendum transeuntes, in viris, in mulieribus in vteros tendunt. Vena hæc cur genitura ac spiritu referta, eiusque substantia. Seminis collectio vbi fiat.*

23 *Voluptas ex coitu vnde. De Vena per dorsum & iugulum iuxta spinam sparsa.*

24 *De Venæ iuxta inguina processu.*

25 *Ex Venæ iuxta patellæ partem cauam dolore, bilioſi, serosi, ac sanioſi humoris collectio.*

26 *De duabus venis, inter duas latas extremitates.*

27 *Vena ex sinistris partibus, in reliquis iuxta eandem naturam, velut ea quæ in dextris radices agit, præter quàm quòd hepati non inseritur. Venæ splenis. Sensus, maxime circa thoracem.*

28 *Colorum in vultu mutationes vnde fiant.*

1 SSIVM natura hæc est. Digitorum quidem ossa, ac articuli simplicia sunt: Manus autē, & pedis multa alia, alio modo coarticulata: maxima vero suprema parte. Calcanei verò vnum, velut extra apparet. Ad ipsum autem posteriores tendines tendunt. Tibiæ verò duo sunt, quæ superne, ac inferne cohærent; iuxta medium verò distant. Paruum est, quod extrinsecus est, iuxta paruū digitum paulo tenuius. Plurimum autem hac parte distant, & minore momento iuxta genu: & tendo ex ipso enascitur, qui circa poplitem foris est. Habent autem inferne communem appendicem, ad quam pes mouetur. Aliam verò superne habent appendicem, in qua femoris articulus mouetur simpliciter, & expedite in longitudinem, specie nodosa, patellam habens.

2 Ipsum autē femur foras, & in anteriore parte incuruum est. Caput autem eius appendix est rotunda, ex qua neruus, qui in coxæ acetabulo est, nascitur. Subobliquus autem etiam hic annexus est, minus verò quàm brachium. Coxa verò magno verticulo, quod iuxta os sacrum est, ex ligamento chartilagineo, ac neruoso adhæret. Spina verò à sacro osse, vsque ad magnum verticulum gibbosa est: & vesica, & genitura, & recti intestini pars inclinata, in hac parte est. Inde verò vsque quò ad septum trāsuersum peruenit, in directum repanda est. & musculi lumbares hac parte existūt. Hinc verò vsque ad magnum verticulum, quod supra supernas humeri partes est, è directo gibbosa est: immo magis esse videtur, quā est: nam posteriores ossium propagines hac parte altissimæ sunt. Ceruicis autem articulus repandus est.

3 Verticula verò intrinsecus inter se æqualia sunt: ab externis autem chartilaginibus, ac neruis cōtinentur. Coarticulatio verò ipsorum in posteriore medullæ spinalis parte est. A posteriore autem parte exortum acutum habent, qui appēdicem habet chartilaginosam, vnde neruorum propago prona fertur: quemadmodum etiam musculi à ceruice ad lumbos adnascuntur, costarum, ac spinæ medium explentes. Costæ verò iuxta discriminationes verticulorū, neruo annexæ sunt, à ceruice vsque ad lumbos intrinsecus. Ab anteriore autem parte, iuxta pectus, laxam, ac mollem summam partem habentes, specie præcunctis animalibus maxime obtorta: hac enim parte angustissimam mollem homo habet. Qua verò parte costæ non sunt, exortus obliquus, breuis & latus, ad singula verticula neruo annexus est. At verò pectus cohærens ipsum sibiipsi, discriminationes habet obliquas, qua parte costæ annexæ sunt. laxum autem est, & chartilagineum: clauiculæ vero rotundæ sunt ad anteriorem partem, ad pectus quidem breues motus habentes, ad summum vero humerum frequentiores.

4 Summus autē humerus ex scapulis nascitur, in plerisque dissimiliter. Scapula ad spinam chartilaginea est, reliqua parte laxa, inæqualem partem foras habens, ceruicem vero & acetabulum habet chartilagineum, ex quo costæ motum habent. Facile autem vt inter ossa exoluitur, brachio excepto. Huius autē caput ex neruo, & acetabulo dependet, chartilaginis laxæ rotundam appendicem habens. Ipsum verò brachium incuruum foras, & anteriore parte obliquum non rectum est ad acetabulum. Pars verò ad cubiti gibbum lata est, & nodosa, & repagulo similis, & solida, posteriore parte caua, in qua cornix inest ex cubito, quum manus fuerit extenta. Ad hāc etiam torpidus neruus, qui ex cubiti ossium discriminatione media enascitur, perficitur, ac terminatur.

5 Ossa manus, viginti septem sunt: pedis, viginti quatuor. Colli vsque ad magnum verticulum, septem. Lumbi, quinque spinæ, viginti. capitis vnà cum oculorum ossibus, octo. In vniuersum nonaginta vnum: cum vnguibus verò, centum ac vndecim. Cæterum, vt nos ipsi ex hominis ossibus didicimus, verticula supra clauiculam vnà cum magno, septem sunt. Iuxta costas autem tot, quot costæ sunt, duodecim videlicet. Iuxta laterū mollitudinem vero forinsecus, vbi coxendices, in lumbo quinque.

6 Semen porrò velut fauus ab vtraque vesicæ parte est. Ex ipsis autem renibus venæ ab vtraque meatus vrinæ parte, in pudendum tendunt. Potus per fauces, ac gulam; (larynx enim qui caput arteriæ est, in pulmonem, ac arteriam tendit) ab his in summā vesicam. Hepatis extremitates quinque sunt. super quarta autem extremitate fel incumbit, quod osculū ad septum transuersum, & cor, ac pulmonem profert. Circum cor pellicula est. Intestina crassa homo maiora, quàm canis habet, dependent autem ex mesenterij membrana, quæ Mesocolon hac parte vocatur, Mesocolon autem ex neruis de spina sub ventrem; Renes ex neruis de spina.

7 Arteriæ fons cognatus cor est. Vena tendit per septum transuersum, hepar, splenem, renes ad coxendicem, circa suram ad summum pedem. Altera autem ex corde sub alas, clauiculas, iugula, caput, nasum, frontē, iuxta aures, humeros, dorsum, pectus, ventrem,

trem, per cubitum. Aliæ verò per alias ad cubitum, ad summam manum. Neruorum exortus ab occipitio vsque ad spinã, ad coxendicem, in pudenda in femora, pedes in tibias, in manus. Alij in brachia, partim in carnes, partim ad fibulã, in magnũ digitũ, partim ex carnibus in alios digitos. Alij ad scapulas, pectus, ventrem, ossa, ligamenta. A pudendo verò ad prineeps intestinum ac podicem, acetabula coxarũ, partim supra femur, partim ĩfra ad genua. Inde alius ad genu extentus ad tendinem, pernam, pedes, alius ad fibulam, alius in renes.

8 Ipsæ porrò venæ in vtranq; partem bifariam maxime finduntur, partim ab vna vtriusq; renis parte, partim ab altera: & perforatæ sunt in renes. Habent autem cordis formam ipsi renes: nam etiam ipsi ventriculos habent. At vero Ren cauam sui partem ad venas magnas habens situs est. Vnde enascuntur ex ipso venæ in vesicam, qua parte potus trahitur per venas in renes, & per ipsa intestina, per quæ procedit. Deinde vero velut per qualum, per renes aqua percolatur: Spongiforme enim est ipsorum corpus ad vesicam, & hic percolatur, ac secernitur à sanguine urina, quapropter etiã rubra existit. Neque enim in renes aliæ procedunt venę, quàm quæ dictæ sunt, neque est alius locus, vbi potus colliquescat, quantum ego noui.

9 Venæ circa costas tendentes, subter vnamquamq; costam sunt, à capite, inferius etiam ab arteria. Arteria quidem igitur subtermeans in costas distribuit. A crassa vero vena à corde recurrit vna in sinistram partem inclusa. Deinde hæc quidem per medias vertebras vsque ad summas costas meat, nõ ex æquo distribuẽs costis à dextris, ac sinistris ramos, ac segmẽta sua. Alia verò æquos quidem, verum su perne in dextris finditur. Cæterum iuxta vtranque clauiculã duæ venę sursum, duę sub pectus, partim ad dextras, partim ad sinistras, ramos siue segmenta spargunt: illæ quidem magis ad ceruicem, duæ verò alteræ magis ad cor, partim ad dextras, partim ad sinistras, ab vtraque parte iuxta costas: & sub ipsis velut inferiores scinduntur donec recurrenti inferne à corde cõmiscentur.

10 At verò sanguiflua vena ab arteria hac propterea finditur, quòd sublimis hic est per cor means. Infra verò costas uena sanguiflua crassa appellata, verticulis rursum seipsam ingerit, & hic adhæret, & non amplius pendet, velut superne per hepar means. Est autem iuxta lumbum quidem superne arteria, infra autem sanguiflua, ab hepate per sepum transuersum sublimis veniens, & ad dexteram cordis fertur usq; ad clauiculas simplex, præter quàm quantum cũ cor de communicat, iuxta uasa quidem in ipso magis in superficie fissa. verum iuxta uasa in ventriculo cordis penetrans, postea à corde ad sinistram se demittit, & simplex ad spinã rursus currit, ad superna quidem corporis usque ad supremas costas: & ramos à seipsa habet iuxta vnamquanque costam extentos iuxta naturam vsque ad pectoris commissuram, & in sinistram, & in dextram: & rectitudo ipsius magis ad uerticulum est, quàm arterię extensio, itemque venę ab hepate venientis. Ad inferiorem vero cordis partem recta extensio ab ipsa magis ad verticulum est, quàm arteriæ extẽsio altera, quę iuxta cor & in infernas partes septi transuersi ad spinam appensas conuersa est. Inde verò rami in vnamquamque rectitudinẽ inferũtur, per ossa, & carnes mutuo transeuntes.

11 At verò uenæ crassæ sic habent. Ex oculo iuxta supercilium per dorsum, iuxta pulmonem sub pectore, altera ex dextra in sinistram, altera ex sinistra in dextram transit, & quę quidem ex sinistra venit, per hepar in renem, ac testiculum descendit. Quæ vero ex dextra, in splenem, & renem, ac testẽ. his autem oscu lum est ipsum pudendum. A dextera uerò mamma in sinistram coxendicem, & in crus descendit, & rursus à sinistra in dextram. Oculus uerò dexter, ex sinistro ueram susciput, itemque testiculus. Iuxta eundem modum rursus sinister ex dextro. Crassissimæ porrò uenæ in hunc modum se habent. Quatuor paria sunt in corpore. & aliquæ quidem ex ipsis, à capite retrò per ceruicem foris iuxta spinam ab vtraque parte ad coxendices perueniunt, & ad crura, deinde per tibias ad malleolorum partes externas, ac in pedes procedunt.

12 Oportet igitur venæ sectiones in dolorib. in dorso, ac in coxendicibus, à poplitibus facere, & à malleolis forinsecus. Alteræ vero venæ ex capite iuxta aures per ceruicem, sphagitides, id est iugulares appellatę, intrinsecus iuxta spinam, ab vtraque parte iuxta lumbos procedunt in testes, & in femora, & per poplites ab interna parte, deinde per tibias ad malleolos intrinsecus, & ad pedes. Oportet igitur venæ sectiones facere ad dolores lumborum ac testium, à poplitibus ac malleolis intrinsecus. Tertiæ venæ ex temporibus per ceruicem, in scapulas procedunt, deinde in pulmonem deferuntur, & perueniunt altera quidem à dextris in sinistras sub mammam, in splenem, & in renem: altera vero à sinistris in dextras ex pulmone sub mammam in hepar, & in renem. desinunt autem ambæ hæ in intestinum rectum, ac podicem. Quartæ autem venæ ab anteriore capitis parte, ac oculis, sub ceruicem, & sub clauiculas procedunt: deinde à brachijs superne sub curuaturas, postea per cubitos, ad manuum iuncturas, ac digitos: postea rursus à digitis, per manuum pectora, hoc est, volas, & per cubitos in curuaturas, & per brachiorum infernam partem ad alas & ex costis superne, altera quidem in splenem procedit, altera in hepar, deinde supra ventrẽ ambæ in pudendum desinunt. Et crassæ quidem venæ hoc modo se habent.

13 Sunt autem & à vẽtre venæ per corpus multæ, & omnigenę, per quas alimentum corpori venit: procedunt autem & à crassis venis in ventrem, ac reliquũ corpus, & ab extremis, & ab intimis, & inter se mutuo distribuunt, internæ foras, externæ intro. Venæ igitur sectiones facere oportet iuxta hos modos: operamque dare oportet, vt quàm longissimè à locis, vbi dolores fieri solent, ac sanguis colligi, secemus: sic enim minime mutatio magna derepẽte fiet, & consuetudinem transtuleris, ut ne amplius in eundem locum colligatur.

14 Cęterùm Hepatitis vena in lumbo vsque ad magnum verticulum, inferne etiam verticulis se ingerit, inde sublimis eleuata per hepar, & per septum transuersum in cor: & hęc quidem recta ad clauiculas procedit. Inde vero alię quidem ad collum, aliæ ad scapulas, aliæ deorsum reflexæ iuxta verticula, ac costas declinant, à sinistris quidem vna prope clauiculas, ex dextris autem in quendam ipsarum locum.

Alia

Alia verò vtrinq; deflexa. Alia paulo in ferius deflexa, vbi quidem illa deficit, costis se ingerit, donec ad uenam in ipsum cor acceſſerit ad ſiniſtras deflexa. Infra autem decuruata ad vertebras deſcendit donec perueniat, & inde incipit eleuari, ingerens ſe coſtis reliquis omnibus, & hinc, atque hinc ramos iuxta ſingulas ſpargens quum vna exiſtat, à corde quidem in locum quendam in ſiniſtris magis exiſtens, deinde infra arteriam, donec conſumatur & perueniat eò, vbi hepatitis eleuata eſt. priuſquam autem eò venit, iuxta extremas duas coſtas bifida fit, & altera pars hinc, altera inde ad vertebras progreſſa conſumitur. Altera verò recta à corde ad clauiculas tendens, ſupra arteriam eſt, & ab hac (quemadmodum & ea, quæ iuxta lumbum infra arteriam eſt) in hepar exilit, partim in portas, & extremitatem, partim in reliquum cõſequenter procedit paulo infra ſeptum tranſuerſum. Septum autem tranſuerſum hepati adnatum eſt, vt non facile ſeparari poſſit.

15 Duplices autem venæ a clauiculis, alteræ hinc, alteræ inde, ſub pectus ad pubem, ac pectinem tendũt, quò verò inde, nondum noui. Septum vero tranſuerſum iuxtò verticulum infra coſtas, ea parte, qua ren ex arteria, conſurgit. Arteriæ vero ex rene oriuntur hinc, & hinc ab arteria neruum habentes. Et hac parte in recurrente à corde hepatitis deſinit. Ab hepatitide verò per ſeptum tranſuerſum maxime duæ, altera hinc, altera inde ſublimes feruntur. Multifidæ autem per ſeptum ſunt, & circum ipſum innaſcuntur. Verùm ſupra ſeptum hæ magis conſpicuæ ſunt.

16 Duo autem claſſi nerui, a cerebro ſub os magni uerticuli ſuperne, & magis ad gulam, ab vtraque arteriæ parte vterque progrediens, inter ſe committũtur, vt uni ſimiles exiſtant. Deinde verticula, ac ſeptum tranſuerſum hic ſunt ubi deſinunt. Et quidam dubij, ad hepar, & ſplenem ab hac ſocietate tendere ipſos putauerunt. Alius neruus vtrinque ex verticulis iuxta clauiculam ad ſpinã tendit, ex obliquo verticulorum, & ſe in coſtas ingerit: atque hi quemadmodum venæ per ſeptum tranſuerſum meſenteriũ mihi tendere videntur, vbi autem hæ deficiunt, rurſus hinc vbi ſeptum exoritur, ab eo continui, ac cohærentes exiſtentes, iuxta medium infra arteriã, de cætero ad verticula ſe ingerunt, quemadmodum venæ, donec totum ſacrum os pergreſſi conſumuntur.

17 Oſſa corpori ſtabilitatem, & rectitudinem, ac ſpeciem exhibent: nerui flexionem, & contractionem, ac diſtentionem: carnes, & cutis omnium colligationem, ac conſtructionem. Venæ per corpus diffuſæ ſpiritum, & fluxum, ac motum exhibẽt, ab vna multæ germinantes. atque hæc vna vnde oriatur, & vbi deſinat, non ſcio: circulo enim facto principium non inuenitur. Cæterũ rami, ac germina ipſius, vnde pendeant, & qua parte corporis deſinant, & quòd vna his conſentit, & in quibus locis corporis extẽtæ sũt, ego declarabo. Circa caput iuxta medium ex obliquo circumſita eſt vena lata, & tenuis, non multi ſanguinis: in cerebrum enim iuxta commiſſuras multę tenues venulæ radices egerunt, & circum totum caput extentæ ſunt vſque ad frontem, ac tempora. Ipſa autem in rectum extendit retro caput forinſecus iuxta ſpinæ cutẽ, inde verò circa externam, ac internam venam ex his, quæ in iugulis ſunt, demittitur.

18 Vltra aures autem ſubfiſſa à gena forinſecus tendit craſſa. Ab hac in linguam multæ, & tenues procedunt, excepta ea, quæ ſub linguam, & ſub maxillares dentes fertur. Ipſa autem craſſa per clauiculam deſcendit ſub ſcapulas: & hac parte ab ipſa germinat per neruũ ſubter ſummam humeri partem, ſiue cuticulam, Vena humeralis appellata. Ipſa autem ſanguiflua eſt, & ſanguine plena, & ægre curatur; ſi rumpatur, aut conuellatur. Ab altera enim parte neruus latus ipſam ambit, ab altera chartilago, medium verò locum ipſa tenet, & pellicula ſpumoſa. Quum igitur locus non ſit carnoſus; facile rumpitur, & carnẽ circum naſci non contingit. & ſi ſanguis in hanc partem ſubtercurrat, nactus ſpacioſum locum nõ diſcedit, ſed induratur: induratus autem morbum, & dolorem exhibet. Atque hæc quidem finit, vbi prius dixi. Illa verò ſub ſcapulas germina emittit ſub mammas denſarum, & tenuiũ, ac uarie implicatarum inter ſe uenularũ, & per humeralem venam, prætergrediẽs, chartilaginem, ipſam ſubter ſubattingens ad brachium tendit, muſculum in ſiniſtra habens. Dextra autem ipſa finditur circa humerum, & cubiti ſupernam partem. Inde verò cubitum vtrunque penetrans, poſtea manus iunctũram, inde autem defluens per totam manum varie vagans radices agit.

19 Cæterùm principalis vena iuxta ſpinam ſparſa, per dorſum, & iugulum, ac guttur, in cor inſeritur, & de ſeipſa uenam magnam multorum oſculorum in corde producit: inde verò in os procedens fiſtulã facit, quæ ſanè arteria appellatur. per pulmonem trãſiens, pauci ſanguinis, ac multi ſpiritus exiſtens: propter ſpacioſitatem enim, ac raritatem viſceris, multis locis per pulmonem deriuatur, cætera verò chartilaginoſa facta eſt. Quapropter ſanè etiam ſi quid in has vias pulmonis delatum fuerit ex inſuetis, vel in potu, vel in ſpiritu, ac ſanguinis trãſitu, vtpote venis talibus exiſtentibus, & viſcere ſpongiformi, ac multum humorem ſuſcipere potente, & ſurſum procedente, tum humorum ingreſſorum lex cõſtituta eſt, tum ſanguis amplius per has venas non multos continetur, neqne multum conſtringitur, & nõ cito procedens illabẽtia non educit. Ipſis autem non ſubeductis, ſed intus manentibus, calloſa concreſcit duricies. Sic autem deſtruitur alimenti acceſſio, ac ingeſtio; quum hac parte arteriæ capitis acceſſus ad externas partes exiſtat.

20 Interceptis verò tranſitibus per calloſam duriciẽ, velocitas, ac difficultas ſpirandi oboritur, quum neque emittere, neque attrahere ſpiritum facile poſſint. Ex huiuſmodi autem tales morbi fiunt, velut ſunt anhelationes, & tabes ſicca. Si verò humor amplior in ipſis conſiſtens præualuerit, vt craſſefactus ſpiſſari non poſſit: & pulmonem putrem facit, & vicinas ipſi partes, fiuntq; ſuppurati, ac tabidi. Fiunt autem hi morbi etiam ob alias cauſſas. Inde porrò hæc vena pulmonem occupat, & per extremitates duas magnas intrò conuerſas, ſub ſeptum tranſuerſum extenta eſt ad ſpinam, alba, ac neruoſa, venulas per reliquum condenſatum corpus ſpargens. hinc autem per ventricula denſis venulis in ſpinalem medullam inſeritur, ac inſtar hederæ implicatur.

21 Et aliæ quidem venæ in corpus diſtributę ex omnibus partibus ad ſpinam tendentes, vnaquęque, quod tenuiſſimum, ac ſinceriſſimum eſt colligens, hic eructat. Hęc uerò uelut pręſes impoſita per demiſſas

missas plicationes in idem cogit Inde verò etiam in renes radices agit,tenuibus, ac fibrosis venulis iuxta spuriam costam, hinc autem tendens condensatur, posteaque etiam neruosa fit ad princeps intestinum, ac podicem, comprimensq; musculos adstrictorios ipsi inferitur. In vesicam etiam, & testes,ac adstites radices agit.multiplicibus implicatis, tenuibusque, ac solidis,& fibrosis venis. Inde verò crassissima,ac rectissima ipsius pars rursus conuersa in caulem transit,hoc est,pudendum. In reflexu autem in illa ipsa adaptatur. Et per pectinem supra subter cutem ventris,& ipsius venæ,procedunt venæ ad eas,quę deorsum tendunt,quæ in seipsas mutuo deriuantur.Pene trant autem & per pudēdum venæ crassæ;& tenues & densæ,& curuæ.

22 At verò in fœminis illa ipsa in vteros tendit,& in vesicam,ac vrinæ meatum. hinc autem rectà procedit,& mulieribus quidem circa vteros pēdet,masculis verò circa testes disseminatur. Ob hanc autem naturam ipsa vena etiam plurima fœcunda, ac genitalia cōcipit:à plurimis enim,ac sinceriſſimis partibus connutrita,pauciq́ue sanguinis existens, ac caua, & densa instar nerui,ac spiritu referta,intentaque à pudendo,demissas ad spinam venulas cogit:hę verò velut cucurbita medicinali in seipsas coactæ,omnia in supernam venam emittunt.Cōfluit autem & ex alijs corporis partibus in hanc,verū multo maxima pars, velut dictum est,de medulla hac colligitur.

23 Voluptas verò accedit, vena hac genitura expleta.Quum igitur soleat reliquo tempore modici sanguinis.ac multi spiritus esse,repleta, & calfacta,& semine deorsum confluente,ea,quæ in seipsa habet,cō stringit. Spiritus autem in ipsa existens, & præsens violentia, & caliditas,& venarum vndiquaque cōcitatio,titillationem inducit. Illa autem, quæ à seipsa germinauit,per dorsum, & iugulū iuxta spinā sparsa,multis venulis costas intertexit, & verticula, per carnes alternatim condensat, vt & probe nutrita,& sanguine plena existat. Ipsa autem iuxta coxendicē, ac nates meat,per musculum sub fœmore submersa, à natibus verò iuxta acetabulum fęmoris iuxta caput in venam perforata est,quæ fęmori respirationē exhibet;trans fęmur autem,iuxta flexuram ad genu.

24 Alteram verò iuxta inguina demittit frequētibus radicibus,& ægre transeuntē.Hæc verò per musculum tendens,& circa genu disseminatur, & per ossis tibialis summitatē venam de se fistulam cauat, quæ medullam nutrit,& deriuatur per infimam tibiam, iuxta pedis illigationem,ac connexionem. Ipsa autē per patellam genu ad interna per tibiæ musculū submersa extēditur,& per malleolum implicatur,intus crassa,& sanguine plena,atque hic circa malleolum, & tedinem,venas ægre cognobiles producit,ac inuoluit. Ipsa verò infra ad pedem,sub summum pedem decurrit, & hic se implectens, & in magnum digitū innitens,duplam sanguine refertam venam superne sub cutem ex summo pede reflectit, & apparet sanè crassefacta iuxta externam malleoli partem, ac sursum spargitur iuxta oppositum tibiæ radium. Iuxta suram autem velut fundam facit. Inde extenditur iuxta internam genu partem.

25 Immittit etiam patellæ venas, & iuxta internam patellæ partem,quæ caua est, venam implicat:quam si quis doleat; celerrime bilioſum serosum,ac sanioſum humorem colligit.procedit autem ipsa iuxta internam genu cauitatem. Distribuit etiam de se in poplites multas implicatas venas, quæ inde tendentes iuxta neruos sub femore, radices agunt in testes, & in rectum intestinum,ac podicem,& circa os sacrum attenuatæ vnitæ circuntenduntur. Illa verò procedens iuxta internam femoris partem,in inguen transit,& per coxendicem vltra ad spinam,& lumbum foras veniens,crassa, & lata,ac sanguine plena sursum porrigitur ad hepar,& vbi bifidam produxit sanguine refertam venam,dextram hepatis extremitatem, ad renem occupat:rursus verò subter hepar disperſa in venam crassam finditur.Fissa verò in crassitudinē hepatis inseritur, & altera quidem ipsius pars in superficie visceris extat, in qua est fel,habetq́; multas radices instar cirrorum,ac plicationum per hepar disperſas.altera verò pars per internas ipsius partes deriuatur.

26 Duæ autem uenæ inter duas latas extremitates explicātur,& vna quidem per vertices, ac cutem penetrans ex vmbilico effertur. Altera uero premens spinam,in renem,ac vesicam,& pudendum,velut an coris iactis inseritur. Verum ex coxendice incipiens ascendere ad pubem multas vagabundas producit venas,& costas,ac verticula ad spinam illigat,& propagines suas multipliciter per venas transmittit, & intestina,ac ventrem inuoluit. Et aliæ quidem à pube ad mammas,& supra mentum,& summos humeros exporrectæ diuagantur. Alia verò procedens iuxta crassitudinem hepatis, vbi fel in fistulam coegit, sursum sub spinam dispergitur,per septum transuersum itinere facto.

27 Cæterū uena ex sinistris partibus,in reliquis quidē iuxta eandē naturā, velut ea, quæ in dextris, radices agit.Verum ex sinistris emergens in hepar non se ingerit, sed in splenem inseritur, iuxta caput,quod in crassitudine ipsius consistit. Inde uerò internas splenis partes subit,ipsasq́; venulis sanguinolentis instar aranearum telæ intertexit.Hic uerò totus ex omento eleuatur, uenulis ex seipso sanguine plenum ipsum reddens.Quę uerò à capite splenis ad spinam accedunt,per septum transuersum penetrant. Inde uerò sursum & dextra,& sinistra sub pulmonem extenduntur. Quæ autem sanguine plenæ sunt ipsum, & in ipsum corriuantur. Quę uerò pauci sanguinis,& tenues à pulmone intrinsecus procedentes,qui natura existit, utpote ab ipso emulctæ, in cor frenantur circa auriculas ipsius, & in cauitates internas diffluunt. Ingerunt autem se,& priores ipsum:etenim in anguſtia transitus sitū est, uelut ex omni corpore habenas habens. Quapropter ex omni corpore maxime circa thoracem sensus existit.

28 Colorum quoque mutationes corde adstringente uenas,ac laxante fiunt.Laxante quidem igitur rubicundi colores fiunt, & bene colorati,ac pellucidi: constringente uerò, uirides cum pallore,& liuidi. Verum tales euariant iuxta prę sentes in unoquoque colores.

HIPPO-

HIPPOCRATIS COI

Liber de Locis in homine.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Corporis principium nullum, sed omnia similiter principium & omnia finis. Morborum in toto corpore principium nullum. Corpora sicciora, morbos magis recipere ac magis dolere à natura, atque in eiusmodi corporibus esse longissimos*

2 *Partes corporis singulæ, aliæ alijs quomodo morbos faciãt. Quomodo ex egestione moderata impedita, morbi fiant.*

3 *In curandis morbis, morborum causſæ quomodo tollendæ. Corpus sibi ipsi esse simile, ac ex ijsdem componi. Corporis minima aliqua parte affecta, cur totum corpus affici contingat. Medicinæ artis principium.*

4 *Auditus, Olfactus, Visus ratio.*

5 *Visus vnde nutriatur, & qua ratione extinguatur. Oculorum membranæ tres, & quomodo ex his læsis morbi fiãt. Cerebri membranæ duæ.*

6 *De venarum ex capite distributione. Vena à capite ad nasum. Venæ temporales. Venæ temporales solæ sanguine nõ irrigantur. Venæ temporales cur solæ pulsatiles.*

7 *Visus vnde turbetur. Venæ aurium. Venæ in renes ac testes desinentes. Sanguinem mingere qui soleant. Venæ humerales. Venæ aliæ a vertice iuxta aures.*

8 *Venæ cauæ distributio. Venarum sectio quæ hominem infecundum facit. Venæ splenis. Venæ vtriusque minus à vena caua producuntur. Venarum communicatio.*

9 *Venarum quàm neruorum morbi leuiores. Natura venis in humore est, in carnibus. Neruorum substantia, eorumque in corpore situs. Neruorum morbi curatu difficiles. Neruis qui morbi familiares. Nerui premunt articulos, & per totum corpus sunt extenti. Nerui in quibus robusti & crassi. Circa faciem & caput nõ sunt nerui, sed fibræ.*

10 *De Suturis capitis, & quòd alia tres, alia quatuor habẽt. Suturarum multitudo ad sanitatem vtilis. D. Verticulis. Costæ septem:*

11 *De Clauiculis. De Scapulis.*

12 *De Cubito seu manu. Digitorum articulos faciunt ossa omnia quæcunque inter se committuntur.*

13 *De Coxendicis articulis, qui acetabula dicuntur. De Femore. De Tibiæ osse. Molæ seu patellæ munus:*

14 *In pedibus & in manibus articuli multi. Ossium & articulorum idem numerus. Mucus in articulis. Articuli pro muci qualitate vel sani sunt vel ægrotant.*

15 *Claudicatio quo à muco in articulis fiat. De Tribus fluxionum causſis. Fluxiones propter frigus & caliditatem.*

16 *Humor omnis calfactus fit tenuior, omneque cedens fluit.*

17 *Fluxiones aliquando fiunt partibus infernis siccis, supernis verò humidis.*

18 *De capitis septem fluxionibus. Fluxiones cur frequenter in thoracem fiant. Lassitudine cur affligantur, qui à bilis fluxione infestantur. Suppurati, & tabidi ex bilis in thoracem fluxione. Fluxio in medullam tabis occultæ generatio. Fluxionis in vertebras & carnes notæ. Hydrops à capitis fluxione ad vertebras & carnes.*

19 *Coxendicum & articulorum ex fluxionibus affectiones.*

20 *De Pituitæ in nares fluxione. De Fluxione in aures. Aures fluxiones quomodo curandę.*

21 *De varijs in oculis fluxionibus, earumque curatione. Oculi post fluxionem statim inflammati. In oculorum fluxione velut lapilli subtercurentes. Fluxio lenta cũ pruritu.*

22 *Caput & oculos purgantia medicamenta. Fluxus mucosi à carne & osse ad oculos curatio. Fluxus mucosi ad oculos notæ, & curatio.*

23 *Capitis in fluxu mucoso ad oculos secandi ratio. Humoris in visum seu humorem purum fluxus curatio.*

24 *De fluxione capitis in thoracem biliosa, notę. Peripneumonię, Pleuritidis generatio, à capitis fluxione biliosa.*

25 *Peripneumonia morbus periculosus. Suppurati experipneumonia aut pleuritide, non moriuntur.*

26 *Suppuratio quibus de causſis contigat. Suppuratio ab vlcere leuior. Suppuratio aliquando extra pulmonẽ à ruptura & carne contusa. Pulmonis aortæ.*

27 *Tussis & pruritus in pulmone in tabidis vnde.*

28 *Suppurati quomodo cognoscantur.*

29 *De capitis fluxione in spinam notæ. Bilis fluxio periculosa, si icterus in oculis accedat. Icterus quomodo in oculis cognoscatur.*

30 *Pleuritidis curatio. Acetum mulsum, aut acetum & aqua in pleuritide.*

31 *Suppuratis quomodo caput purgandum. Tabidorum curatio.*

32 *De fluxione per gulam in ventrem, & eius curatio.*

33 *Quomodo ex fluxione retro ad vertebras & spinam medullę, hydrops contingat, & eius curatio. Fluxiones ad loca vicina deriuandæ.*

34 *De coxendicum dolore à fluxione capitis.*

35 *Tabis ex fluxione retrorsum curatio. Lactis infusum. De splene aucto. Splen ex ijsdem floreſcit, & corpus contabeſcit, curatio.*

36 *Crustarum circa vmbilicum & in ipso vstarum vsus in splene floreſcente. De pueri hydropici curatione.*

37 *De Pleuritidis siccæ citra fluxum curatione. Pulmo natura siccus, & quando gracileſcat.*

38 *Febrium à bile & pituita concluſarum generatio & curatio. Pharmacum bilem ducens in febribus recentibus, præterquam in quartanis.*

39 *Febrienti cibus non offerendus, neque sorbitionibus subtus aluum ducas. Febrientium potus. Gracilis ac macilentus à febre vstus quomodo cibandus & curandus. Ex Cammaro in febrientibus potio.*

40 *De Icteri siue regij morbi curatione. Cucumeris syluestris radix in balneo Ictericorum. Medicamentis bilem ducentibus in Ictero non vtendum.*

41 *De vlceris ferini curatione & generatione.*

42 *De Anginæ seu Cynanchæ generatione & curatione. Quòd morbi à principio curandi.*

43 *De Capitis fracturis, earumque curatione. Ossium capitis periculosæ fissuræ.*

44 *Febricitantibus caput non purgandum. Pharmaca purgatiua calfaciunt. Atræ bilis vomitus in vulnere lætalis. Tenuis existens & derepente subsidens ab euacuatione detentus moritur. Vlcuscula in debilibus erumpentia lætalia. Vlcuscula liuida in debili enata, mortale.*

45 *A medicamenti potu ægrotantes quomodo curandi. Bilis fluxus spontaneus difficulter sedatur. Vomitus in vinoso non sedandus. Sanguis morbum faciens, dolorem: pituita, vt plurimum grauitatem facit.*

46 *Morbi incogniti quomodo aggrediendi. Morbi in ægrotis fortibus, debilibus autem morbis & contra quomodo curandi. Gymnastica Medicinæ contraria.*

47 *Vlcerum & quæcunque supra corpus eminent curatio. Fluxioni à capite fluenti vomitus conducit.*
Antiqui morbi recentibus difficilius curantur. Vlceris callosi curatio. Pharmacorum tumefacientium, & attenuantium vsus. Vlcerum nondum maturorum constrictio.

48 *Tristes, anxios, & se strangulare volentes mandragoræ radix sanat. Conuulsionis curatio. Febris à conuulsione & à ruptura. Distortio manuum & pedum insaniam facit.*

49 *Venam vrendi ratio. Vena perusta sanguinem non emittit. Sanguinis è vena fluxus quomodo auertitur. Coaceruata diuctis difficilius curantur. Doloris in capite curatio.*

50 *Medicinæ studium longè difficillimum. Medicamentorum facultates non semper ex sua natura æstimandæ.*

51 *Natura in singulis permutata ac corrupta, dolores facit. Contraria contrarijs curantur. Similia morbos faciunt, ac eosdem sedant. Tussis & vrinæ stillicidium.*

52 *Vomitus quomodo per vomitum sedetur. Medicamentorum exhibendorum ratio diuersa. Corporis debilitas quomodo contingat.*

53 *Calidæ vsus quatenus conducat. Corpus transmutatum parum efficax ac potens est. Occasio in Medicina præceps est.*
Item quæ Medico sint cognoscenda.

54 *Ex cibis superatis neque morbi, neque contrarietas fit, ex his quæ offeruntur. Medicamenta omnia præsentem statum transmouent.*

55 *Medicamenta fortia & debilia pro ægrotorum viribus sunt exhibenda. Vacuationis modus à figura partis affectæ.*

56 *Aluum subducentia. Salsuginosa calida. Aluum sistentia. Flatus facientia.*

57 *Acida etiam pituitosa. Aluum subducentia. Repletionem facientia maxime pituitosa. Medicina constans ac firma, fortuna non eget. Fortunam sui esse iuris. Scientia imperata facere cogitur, & facile ab industrijs æquitur.*

58 *Medicinæ, Fortuna non est opus. Morborum medicamenta manifesta ac clara esse. Fortuna ex Medicina, aut alia qua piam arte non pellenda. De Morbis muliebribus.*

59 *Vteri omnium morborum caussæ. Menses quando non prodeant.*

60 *Mensium fluxus infra descendens, & sursum ascendens. Coxendicum & capitū dolores. Coxendicum, inguinum & capitis doloris, ex impletis ac tumidis vteris curatio. Vteri descensus curatio.*

61 *Vteri ascensus curatio. Vterorum auersorum notæ.*

62 *Glandulas subditicias fortes ad vteros formandi modus. Vterio osculum humore plenum ac tumidum. Vterus in anteriorem partem aduersus procedens.*

63 *Fluxus muliebris nimius, quomodo sistendus. Coloris menstruorum ratio. Menstrua iuniorum & seniorum in quo differant.*

1 MIHI quidem videtur principium corporis nullum esse, sed omnia similiter principium, & omnia finis: circulo enim scripto principium non reperitur. Similiter etiam morborum in toto corpore: quod enim siccius est, morbos magis recipere, ac magis dolere, à natura solet: humidum verò minus; morbus enim qui in sicco est, stabilitur, & non cessat: qui verò in humido, diffluit, & aliàs aliam corporis partem occupat, semper transmigrans, requiem facit, & citius quoque sedatur, vtpote non stabilitus.

2 Corporis autem singulæ partes altera alteri, vbi hinc, aut illinc processerit, morbum statim facit, venter capiti, caput carnibus, ac ventri, & reliquæ omnes iuxta eandem rationem, quemadmodum venter capiti, & caput carnibus, ac ventri: etenim quum venter egestionem moderatam non fecerit, & in ipsum cibus ingeratur; humiditate ciborum ingestorum corpus irrigat. Ipsa autem humiditas à ventre obstructa, aceruatim ad caput viam facit, & vbi ad caput veruenerit, a vasis in capite non recepta, fluit quocunque contigerit, & circum circa caput, & in cerebrum per os tenue, & partim quidem os ipsum subit, partim uerò circum cerebrum per os tenue. Et si quidem in uentrem rursus peruenerit; ventri morbum inducit. Si verò ad aliam aliquam partem incubuerit; illi ipsi morbum facit. Ita etiam reliquæ partes altera alteri morbum inducit.

3 Et optimum fuerit sic curare ægrotas per has, quę morbos faciunt: sic enim quàm optime principium ægrotantis qui sanauerit. Corpus porrò ipsum sibiipsi idem ac simile est, & ex iisdem compositum est. Similiter autem habet & paruas, & magnas partes, itemque infernas, ac supernas. Et, si quis minimam corporis partem acceptam male afficere velit; totum corpus affectionem sentiet, qualiscunque tandem ea fuerit propterea quòd minima corporis pars omnia habet quæcunque, & maxima. Insuper quicquid tandem minima pars pertulerit, ad gentilitatem refert, ac transfert, vnaquæque ad suam, siue bonum, siue malum id fuerit: & propterea corpus & dolet, & lætatur, cum minima gente, quia in minima omnes insunt partes, & hę ad gentiles sibiipsis singula transferunt, & omnia denunciant.

4 Cæterùm natura corporis, principium sermonis in arte medica, primùm perforata est, qua parte audimus; etenim vacua circum circa aures, non aliud inaudiunt, quàm strepitum, & clamorem. Quicquid autem per membranam in cerebrum peruenerit, id liquido, & clare auditur. Ob id etiam foramen solum per membranam circum cerebrum extentam est. In nares autem non inest foramen; verùm mollis laxitas velut spongia. & propterea per longiorem distantiam audit, quàm olfacit;

odor

odor enim ab olfactu longe dispergitur.

5 Et in oculos venulæ tenues ad visum ex cerebro per ambientem membranam feruntur. Hæ autem venulæ visum alunt humore de cerebro puriſſimo, qui etiam in oculis apparet. Eædem venæ etiam visum extinguunt, vbi fuerint reſiccatę. Membranæ autem tres sunt, quæ oculos custodiunt. Superna quidem crassior, media tenuior, tertia tenuis, quæ humorem conseruat. Ex his superna, & crassissima si lædatur, ac mutiletur; morbos facit. Media verò etiam ipsa periculosa est, & vbi rupta fuerit prominet foras, velut vesica. Tertia autem tenuissima omnino periculosa est, quæ humorem conseruat. Membranæ cerebri duæ sunt, altera superna crassior, altera tenuis cerebrum attingens, nō amplius eadem permanens, postquam fuerit vulnerata.

6 Venæ autem transeunt ad verticem per carnem venientes ad officulum: feruntur & per carnem duę ex uertice recta, qua parte supercilia clauduntur, & desinunt ad angulos oculorum. Vna autem à vertice ad nasum fertur, & in utranque nasi chartilaginem finditur. Aliæ verò duæ venæ iuxta tempora feruntur, in medio temporum, & aurium, quæ premunt oculos, & semper pulsant: solæ enim hæ ex venis sanguine non rigantur, sed auertitur ex ipsis sanguis. Qui autem auertitur influenti occurrit, & qui quidē auertitur volens discedere, qui verò supernæ influit volens infra procedere, hic impelluntur, ac diffunduntur, ac mutuo circumagitantur, & pulsum venis exhibent.

7 Visus humore de cerebro nutritur. quum autem quid eius de venis acceperit; fluxione turbatur, & humor ipse non apparet, & ob oculos moueri ipsi videntur, aliquando velut auicularum imagines, aliquando uelut lentes nigræ, & nihil exacte iuxta rei veritatem videre potest. Aliæ duæ venæ in medio aurium, & aliarum venarum, quæ feruntur ad aures & premunt aures. Aliæ duæ venæ ex ossis conclusione in aures feruntur. Quædam verò infra ad corpus conuertuntur. Duæ quidem venæ iuxta tendines colli feruntur & iuxta verticula, & desinunt in renes. hæ autem etiam in testes penētrant: & quum hæ affectæ fuerint; homo sanguinē mingit. Aliæ duę venæ à vertice ad humeros feruntur, & sanè humerales vocantur. Aliæ duæ venæ à vertice, iuxta aures, ab anteriore colli parte vtrinque ad cauam appellatam venam feruntur. Caua autem vena finitur quidem velut gula, consistit autem inter gulam, & guttur, siue arteriam, fertur que per septum transuersum, & per cor, & inter septum, & finditur ad inguina, & ad femora intrò, & disparationes in femorib. facit, & ad tibias intus fertur ad malleolos. Hæ & in fœcundum faciunt hominem; quum fuerint sectæ, & in magnos digitos desinunt. Ex caua autem vena producitur quædam in sinistram manum, fertur autem subter splenem ad sinistri lateris mollitudinem, vnde splen propagatur per omentum, & finem sortitur ad thoracem. Producitur autem iuxta septum, & cum humerali committitur subter cubiti articulum, atque hæc splenis gratia secatur. Alia etiā ad dextram manum eodē modo à caua producitur. Communicant autem omnes venæ, & confluunt inter se mutuo, & aliæ quidem sibiipsis per se committuntur, ac coincidunt: aliæ verò per venulas à venis extentas. Quę autem carnes nutriunt, ea parte inter se confluunt.

9 Et quicunque morbus à venis oritur, leuior est, quàm qui à neruis: diffluit enim vna cū humore, qui in venis inest, & non quiescit. Et natura venis in humore est, in carnibus. Nerui autem sicci sunt, & ventriculos, siue cauitates non habent, & ad ossa consistunt, & maxima ex parte ab ossibus nutriuntur. Nutriuntur & à carnibus, & colorem, ac robur inter ossa, ac carnem medium habent: & humidiores quidē sunt, ac carnosiores, quàm ossa: sicciores autē, ac magis ossei, quàm carnes. Quicunque autem morbus in ipsos peruenerit, roboratur, & quiescit in eodem loco, & difficile est ipsum educere. Maxime verò impetunt ipsos distentiones, & alij morbi, à quibus tremor corpus occupat, & qui tremere ipsum faciunt. Nerui autem premūt articulos, extentique sunt per totum corpus. Robusti autē maxime, & semper crassissimi sunt in illis corporis partibus, in quibus pauciſſimę carnes sunt. Et corpus quidem omne neruis plenum est. Verum circa faciem, & caput non sunt nerui, sed fibrę consimiles neruis: inter ossa, & carnes tenuiores, & solidiores.

10 Capita futuras habent, alia tres, alia quatuor. Et quę quidem quatuor habent, his sunt vtrinq; iuxta aures. & tertia ab anteriore, quarta à posteriore capitis parte. Sic quidem in capite quod quatuor habet. In eo vero quod tres, iuxta aures utrinq; sunt, & ab anteriore parte tertia: posteriore verò parte futura nulla est, velut in eo, quòd quatuor habet. Saniores autem capite sunt, qui plures futuras habent. Inter supercilia os descendit, ac transit, & mandibularum clausura in medio mento, & superne ad caput est. Verticula alij plura, alij pauciora habent. Qui pauciora habent, his duodeuiginti sunt: horum alia sursum ad caput, alia deorsum ad sedem tendunt. Costę septem à posteriore corporis parte, ad verticula connectuntur, anteriore parte in pectore inter se committuntur.

11 Clauiculę articulos habent, alios in medio pectoris iuxta guttur, atq; hic coarticulatæ sunt, alios verò ad humeros, reclinatos ad scapulas, qui humeris semper adhęrent. Scapulę verò ad membra brachij, siue totius manus coarticulantur, incumbentes in ipsum os: quod in membro est. Iuxta os autem appēdices duę prodeunt, altera intrinsecus, altera forinsecus, quę ad scapulas ossi adnascentes, infra coarticulatę sunt. Quę verò in cubiti flexura sunt, infra quidem radio coarticulatę sunt, iuxta os natura cauū existens, supra autem radiū paululum, in cubiti gibbum. & tunc tum os, tum radius in idem commissa, articulum in cubiti gibbo faciunt. Iuxta vlnam verò appendices prodeunt tenues valde quatuor, duę sursum, duę deorsum: & ad cubiti gibbum quidem duę appendices consistentes, supra ex osse hęrent, hę cū osse cohęrentes, iuxta ossis articulum in cubiti gibbum coarticulantur.

12 Quę verò infra sitę sunt, & ītus inclinatę, hę vtrę que committuntur ad radium ex supernis à mēbro procedētem, & intus ad membrum coarticulantur, & radium appellatū faciunt hę sibiipsis intus in cubito commissę. Infra autem ad manum os articulum habet. Appendices verò hac parte tenerę existentes duę quidem non exeunt in articulum. Superna autē,

&

& inferna cum osse coarticulantur ad manum. Cęterùm manus articulos multos habent. Quæcunque enim ossa inter se committuntur, omnia articulos faciunt. Digiti articulos habent multos, vnusquisque tres. Vnum ad vnguem, in medio vnguis, & nodosæ prominentiæ: alterum in ipsa nodosa prominentia, qua parte etiam digitos conflectunt: tertium qua parte digitus à manu exoritur.

13 At verò in coxēdicibus articuli duo sunt, quę acetabula appellātur, & femora in hos inarticulata sunt. Iuxta femora autem appendices duę protenduntur, altera intus, altera foris, & in articulū neutra procedit, neque ab altera parte, sed ad os ad femur inseruntur. Femur autem superne vbi in acetabulū ingruit, bifidum est huiuscemodi bicipitate. In ea quidem parte, quæ intro inclinata est, in summitate rotundū est, ac leue, quæ etiam in acetabulum ingreditur. Altera autem bicipitatis pars exterior, magis foras, prominet, & inferius apparet ad nates, & coxendix appellatur. Ad genu verò os femoris taliter biceps est. Bicipitio autē huic os tibia appellata, velut in cardine adaptatum est, supra adaptatum autem Mola, siue patella incumbit, quæ humiditatem a carne in articulum expassum descendere prohibet. Iuxta tibiam autem appendices duæ procedunt, quæ inferne ad malleolos pedis finiunt, superne ad genu, non autem perueniunt ad articulum.

14 Ad pedem verò tibia iuxta malleolos articulum habet, & alium infra malleolos. Et in pedibus articuli multi, quemadmodum & in manibus sunt: quot enim ossa, tot sunt articuli, & in digitis pedum eodē numero sunt, ac pari modo habent. Articuli insuper multi in corpore parui sunt, non similiter omnibus, sed alij alijs. Hi autem qui scripti hic sunt, omnibus similiter habent. Aliæ etiam venæ alijs sunt, sed non memorabiles. Mucus omnibus à natura est, & quum hic purus fuerit, articuli sani sunt, & bene moueri possunt, vtpote lubrici inter seipsos. Labor autem, & dolor fit, vbi à carne humiditas fluxerit vitiosa. Primum enim articulus stabilitur, non enim lubrica est humiditas, quæ de carne influxit. Deinde vt multa, & valde sparsa, & ex carne non irrigata, semper resiccatur, & vt multa existens, & articulo ipsam non capiente, effluit: & male stabilita eleuat neruos, quibus articulus colligatur, ipsosq; inconnexos, ac dissolutos facit. Et propterea claudi fiunt, quum hoc magis fit magis: quum minus; minus.

15 In ventrem porrò ea, quæ comeduntur, ac bibuntur; procedunt. Ex ventre autem, fibræ in vesicam, qua parte humorem percolat, extentæ sunt. Fluxiones, & perfrigerata valde carne, & percalfacta fiunt, ac super inflammata. Fluxiones propter frigus fiunt, quū caro in capite. & venę tensę fuerint. Hę.n. horrēte carne, & ad angustias peruenięte, adstrictaq; ac excludēte, humiditatē exprimunt. Et simul carnes ipsæ contra exprimunt, ad angustias peruenientes: & capilli sursū erecti fiūt, vtpote simul vndiquaq; fortiter cōpressi. Quicquid igitur inde expressū fuerit, id ipsum quocūq; cōtigerit, fluit. Fluit aūt ēt p̄p calidita tē, quū carnes rarefactæ transitus præbuerint, & humor calefactus tenuior redditus fuerit: oīs.n. humor calefactus tenuior fit, & omne cedēs fluit: maxime verò vbi valde fuerit inflammatū, p̄p hāc fluit causam.

16 Carnes valde plenæ factæ quū capere nō possint; fluit humor, qui capi nō potuit: fluit aūt quocūq; cōtigerit. Vbi verò semel fluidæ factę fuerint fluxiones; diffluunt ad locū, quo tādē cōtigerit, donec transitus fluxionis cōpressi fuerint propter gracilitatē. Quū aūt corpus fuerit resiccatū, & alioqui corpus ipsum sibiipsi cōicans sit, ēt quum siccum est; diducit, & concipit, ac ducit, vbicunq; humor tandem obtigerit: ducere autē ipsum non difficile est, vtpote corpore vacuo, & non intumescente, præ gracilitate.

17 Aliquando aūt infernæ partes siccæ fiunt, supernæ verò humidę. Magis autem superna vasa humida sunt: venæ.n. plures supra sunt, quàm infra, & carnes in capite minori humiditate opus habēt. Ducit itaq; ficca corporis pars humiditatē ex capite: & simul trā situs magis ducenti patent, quàm ei, quæ ducitur: nā ipsi transitus, vtpote sicci existentes, eam sibi lucrifaciunt, & simul humores à natura deorsū procedere solent; si vel modica quædam necessitas contingat.

18 Fluxiones de capite septē sunt, in nares, in aures, in oculos, atq; hę ex capite fluxiones ob oculos conspicuæ existunt. Postquam aūt in thoracem fluxerit præ frigore; bilis fit. Magis aūt in thoracē præ frigore fluit; propterea quod facilis est fluxio ad guttur, vtpote non contectū. Præ frigore verò à bile infesta ti, propterea lassitudine affliguntur; quia carnes quū bilem habuerint, nō quiescunt, sed concutiuntur, & concussę laborant, ac delassantur, vtpote velut in itinere faciēdo cōcussę, & suppurati fiunt; quum in thoracē fluxerit, itemq; tabidi. Quū verò in medullā fluxio cōtigerit: tabes occulta, ac inconspiua oboritur. Quū aūt retro ad vertebras, & in carnes defluxerit; hydrops fit. Id quod ex hoc cognoscere datur. Siccæ .n. anteriores partes sunt, caput videlicet, & nares, ac oculi: & oculis amplius hebetudo accedit, fiuntq; cū virore pallidi, itemq; reliquū corpus: & nihil expuit hō, etiamsi multum fluat: fluxus.n. per mediā carnē retro fluens, & ab anteriore auersus, anteriores partes siccas facit, posteriorum verò carnē irrigat, & magis eā, quę intus est ad ventrē, quàm quę foris est ad nasum. Et propterea corpus foris magis solidum est, quā intus, & angustiores meatus, ac foramina habet. Quare sanè quū tenuia sint foramina; cōstringuntur, ipsaq; sibiipsis medētur, & fluxus nullus hac transire pōt. Intus verò foramina ampliora sunt, & intermedia tenuiora habēt: fluxus verò vtpote ab altioribus procedēs, & tenuia impedimēta contra se habens, in fluit, & carnes humiditate replet. Sed & humiditas à cibis in idē procedēs corrumpitur. corrupta aūt ipsa præammixtione, & simul cū ipsa ea, quæ à capite defluit, corpus nutriūt. Carnes verò multo humore nutritæ, & morboso augescentes, hydrope plenæ sunt.

19 Si aūt modicus fluxus fuerit; coxendicū, & articulorū diuturnā affectionē facit, vbi fluere cessauerit: nā vt modicus, & vndiquaq; ab oīb. fortiorib. depulsus, ad articulos refugiū facit. Fiūt præterea articulorū, ac coxendicum affectiones, à talibus morbis sanatis quū morbū quidē efficiens sanatur, in carne verò q̄d relictū fuerit, cui nō fit exitus, neq; rursus intrò, neq; foras, sed ad cutē egressum tuberculū vtiq; facerit, fugit aūt in id, quod cedit, articulos videlicet, & aut articulorū, aut coxendicum affectiones inducit.

20 Si porrò intumuerint nares, & pituita plenæ fuerint, atq; ea cōpacta; oportet pituitam cōpactam, ac congelatam attenuare aut fomentis, aut medica-

mento,& nō auertere:si enim fluxus auersus aliò ꝓcedet;omnino maiorem morbum faciet. Quum verò in aures fluxerit;primùm dolorem exhibet:violēter enim procedit,dolorem autem exhibet, donec in fistulam redactus fuerit. Vbi autem fluere consueuerit;non amplius dolorem facit. Si verò,quem dolor affligit,medicamentum natura calidum,tepidum factum & netopo dilutum,infundendum est; & retrò cucurbita medica affigēda, si sinistra auris doluerit; ad dextram:sin dextra;ad sinistram;non autem scarificando p ertundere oportet, sed vt trahatsolum sinenda est. Si verò per hoc dolor nō sedetur;frigefacientia à natura frigida infundantur,& medicamentum potandum præbeatur, quod secessum deorsum faciat, sursum autem non; quandoquidem vomitus non auxiliatur.& de cætero frigidis vtendum est,& semper non sanantem variare oportet modum. & si quidem peius reddiderit malum; ad contrarium te conuerte:si verò ad sanitatem tendat: omnino nihil ab his,quæ adhibentur auferre oportet,neque quicquam aliud addere, aut apponere. Si verò iam in fistulam redactus fuerit, & multa purulenta sanies fluxerit,quæ graueolens sit;sic facere oportet. Spongiā siccante quopiam sicco medicamēto imbue, & in aurem quàm penitissime inde;& in nares purgatorium medicamētum mitte,quò ea,quæ prius in aures fluebant,in nares ferantur, & non id, quod morbosum est,in caput rursus recedat.

21 Cæterū vbi in oculos fluxio processerit; oculi inflammantur,& tument. Sic autem affectum hominē medicamēto liquido,aut sicco inspesilli curare oportet.Si verò statim inflāmati fuerint;nihil omnino illine, sed aut fortissimo quam infime vrito, aut alio quopiam aluum subducente medicamento attenuato,vitando ne vomitum facias. Si verò velut lapilli subtercurrerint;medicamentum illines quod plurimam lachrymam ducere potest, & reliquum corpus humectabis,ac tumidum facies; quò oculi humidiores fiant,ac colluantur;vt lachrymam adstrictam,ac compactam decurrere facias. Quum autem in oculos paulatim fluxerit, & pruritum fecerit;sic affectū molli medicamento illines, quod siccare potest, simulque modicam lachrymam ducere, & ad nares medicamētum adhibebis,aut singulis diebus,aut alternis eodem vtens. Sit autem tale medicamentum, quod nō plus, quàm acetabulum per nares deducat, idque paulatim: quod verò oculis adhibetur, reficcet,vt quod oculorum pharmacum reficcarit, ac obstruxerit,id ipsum ad nares feratur. Medicamēta caput purgantia,quæ quidem fortia sunt,a toto capite ducunt: quæ verò debilia,ab oculis,& hinc à vicinis naso partibus.

22 Si autem à carne,& osse, muco inter os,& carnem subsistente,fluxus ad oculos fiat; ex hoc manifestum fit,quòd inde profluit. Cutis in capite compressa cedit,& vlcera in capite enascūtur,& oculi lachrymātur, & palpebræ non exulcerantur, nec mordax est fluxus,nec uisum hebetat,sed homo ipse acutius videt;fluxus enim non est salsus, vtpote non de cerebro,sed magis mucosus. Hunc,vtpote non de cere-Medicamēto caput purgandum est non forti,& corpus attenuandum, & cibis & medicamentis infra corpus subducentibus;donec attenuato corpore fluxos resiccetur,aut medicamēto in nares indito emoueatur. Verùm ad ipsos oculos nullum pharmacum adhibendum est.

23 Si verò neque sic sanus fiat: caput secare donec ad os perueneris oportet,non superficialibus, neque trāsuersis, aut obliquis fissuris,incussis vsquequo ad os ipsum pertigeris: frequenter autem secare oportet, vt compactus humor citius prodeat per ulcera effluens: & simul ut frequentes sectiones, extensionem carnis ad os faciant. Sic mederi oportet:si huic hoc modo res succedat. Si verò hæc non commoda fuerint,& fluxus nō eluitur,ut elutus acutè cernere faciat, semper ab incumbente oculi magis splendescētes fiunt,& acutus visus hominis extinguitur. Si in visum, in humorē purum cruentus aliqui humor ingrediatur: huic visus intra oculū non rotundus esse apparet;propterea quod in quocunq; inest cruentus humor, id ipsum non apparet. huic itaq; deficit, vt visus rotundus appareat,& ante oculos aliqua moueri ipsi vidētur, & nihil reuera videt. Huius venas visum premētes exurere oportet,quæ videlicet sem per pulsant,& inter aurē,ac tēpora consistunt.& vbi has obturaueris: ocolis pharmaca, quæ humectant adhibe,& lachrymam quàm plurimā prolecta: quo id,quod in oculis compactū est.& morbū facit,eluatur.Si verò oculus rumpatur. mollibus medicamentis, & acerbis vtendū est; ut ulcus adstrictum in angustum coeat,& cicatrix tenuis fiat.Si aūt adhuc humoribus plenus fuerit:lachrymare oculo conducit.

24 At verò quum in thoracē fluxerit, & bilis fuerit; ex hoc manifestum fit.dolor lateris mollitudinē occupat,& clauiculà eiusdem partis,& febris adest, & lingua superne pallida,ac viridis fit,& excreat compacta.huius morbi periculum septima, aut nona die instat.Alia bilis. Quum ambo latera doluerint,reliqua autem similia velut in priore fuerint: hæc quidem peripneumonia est,illa verò pleuritis. Hæ autē propterea fiunt.Quum in pulmonem fluxerit ex capite, per guttur, & aortas appellatas appendentes partes pulmonis, pulmo tanquam natura rarus, & siccus trahit in se humorem quantum eius capere potest,& ubi influxerit maior fit; & ubi quidē in totum fluxerit extremitas eius maior reddita utrunq; latus contingit,& peripneumoniam pulmonis appellatum morbum, facit, quum verò alterum tantum, pleuritis,idest,costalis morbus fit.

25 Peripneumonia multo periculosior est, & dolores multo fortiores sunt, qui ad laterum mollitudinem, & ad clauiculas tendunt, & lingua multo viridior, ac pallidior, & fauces prę fluxione dolent, & lassitudo fortis occupat, & spiritus sexta, aut septima die corripit.hunc si non septima die febris dimiserit; moritur,aut suffocatur,aut vtrunque. Si verò nona die, duabus diebus interpositis, corripiat,ut plurimū etiam hic aut moritur, aut suppuratus euadit. Si uerò duodecima die,suppuratus fit. Si quarta & decima,sanus fit.Et quicunque præperipneumonia aut pleuritide suppurati fiunt, non moriuntur, sed sani fiunt.

26 Suppurati ut plurimum fiunt,quum fluxus in idē velut in bile contingit, sed in bile quidem multum defluit; &, ubi defluxit; sedatur. Suppuratis verò minus defluit, & non sedatur. Fiunt etiam suppurati, quum minus excreant, quam influit in pulmonem; hoc enim, quod im pulmone consistit,

& quod influit, pus fit. Pus in pulmone, & in thorace consistens, ac congregatum vlcerat, & putrefacit. & postquam exulcerata fuerint; ab vlcerato influit, & quum excreat, caput simul concussum magis fluit, simulque ex vlcerato in thorace, ac pulmone magis fluit, & vlcera agitata refringuntur: aut etiam si fluxus à capite cesset, is, qui ab ipsis vlceribus venit: sufficiens sit morbum facere. Fit præterea etiam ab vlcere suppuratus, & leuior hic morbus existit. Fit etiã extra pulmonem, maxime quidem à ruptura, & vbi caro contusa fuerit: iuxta hanc enim pus congregatur, & congregatum fluctuat, si quis corpus concutiat, & strepitum facit: & hæc vruntur.

27 Tabes autem fit, quum in idem velut in suppurato, fluxio fit per guttur, & appendentes pulmonis partes, appellatas aortas, quæ pulmonem, & guttur continen, ac coniungunt. Fluit autem in pulmonem frequenter, & paulatim, & humiditatem in pulmone non multam facit: resiccatum enim id, quod influit, & in gutture compactum, vtpote quod nõ eluitur, sed paulatim influit, ac detinetur, tussim excitat, & in aortis, id quod influit detentum, vtpote quum angusta foramina aortæ habeant, angustum spiritui locum exhibet. & talem spiritum habere facit, qui velut defectus semper respirare concupiscit. Et in pulmone velut non vehementer humido existente, pruritus contingit. Quum verò multum de capite fluxerit; pruritus in pulmone nõ fit: multum enim est, quod in ipsum influit, & suppurati ex his tabidis siue phthisicis Græcè appellatis fiunt, vbi corpus humectius factum fuerit: & cõtra vbi siccius fuerit factum, est suppuratis tabidi.

28 Suppuratis hoc modo cognoscuntur. Lateris mollitudinẽ à principio dolor occupat. Quum verò iam pus collectum est, & dolor similiter habet, & tussis fit, & pus excreat, & spiritus corripit. Si verò nondũ erupit pus, in lateris mollitudine nõ concutitur, & velut in vtriculo strepitum facit. Si verò horum nihil adsit, suppuratus autẽ sit, ex his coniectare oportet. Spiritum multum habet, subraucosiusque loquitur, & pedes, ac genua intumescũt, magis autem ab ea lateris mollitudinis parte, in qua pus est, & thorax concuruatus est, & membrorum dissolutio fit, & sudor per totum corpus difluit, & aliquando sibiipsi videtur calidus esse, aliquando frigidus, & vngues circuntensi sunt, & aluus calida fit: ex his suppuratos cognoscere oportet.

29 Porrò quum retrò in spinã fluxio processerit; huc tabes fit eiusmodi. Lũbos dolet, & anteriores capitis partes vacuę videntur ipsi esse. Bilis autẽ periculosa est: si icterus siue regius morbus in oculis accedat, & in vnguibus liuiditas si fiat: & si corpus vlcera habeat, & partes circa vlcera liuidæ sint, & quum sudor non toto corpore erumpit, sed una aliqua corporis parte, & quum febre adhuc existente excreat æger pallidum viride, aut si dum adhuc in pulmone inest pallidum viride, excreatio cesset. Sic autem quum inest, & non inest, cognoscere oportet. Quum inest: in faucibus respirantis strepit, & spiritus periculosus est, & singultus adest? & febris, discedit excreatione adhuc in pulmone hærente, & aluus debili iam existenti secessum facit. Hæc pleuritidis, & peripneumoniæ periculosa indicia existunt.

Cæterũ pleuritidẽ hoc modo curare oportrt. Febris sedanda non est per septem dies. Potu vtendum aut aceto mulso, aut aceto & aqua. hæc autem quam plurima offerre oportet; quò humectatio fiat, eaque facta excreationem faciat: & dolor sedandus est calfactorij medicamentis, & absorbendum dandum est quicquid excreationem facit, & balneis vtendum quarta die. quinta autem, & sexta oleum illinendũ est. septima lauandum est; si febris dimittere non velit; quo prę balneo sudor cõtingat. Insuperq; & quinta, & sexta fortissimis vtendũ est excreatorijs medicamentis; quò septimam diem quàm facillime transigat. Si verò neq; septima die febris cesset; nona cessabit, si nõ aliud quid periculosum accedat. Postquã autẽ febris dimiserit, sorbitiones quàm debilissimæ offerantur. Si verò euacuatio oboriatur, si quidem iuuenile adhuc est corpus; potus auferendi sunt. Si verò febris dimisit: triticeis sorbitionibus vtaris. Et eodem modo peripneumoniam curato.

31 At verò suppuratis, caput purgare oportet, nõ forti bus medicamẽtis, sed paulatim auertere in nares, & simul edulijs ventrem subducentibus vti. Et quũ principium morbi nondum est; sed eò fluxus vertitur, ac vergit, excreationem facere, & tussim excitare, & medicamentis infusilibus in nares vti, & cibis simul ingestis. Quum autem excreationem facere oportet; pluribus cibis, & salsis, ac pinguibus vtẽdũ est & vino austero. & quũ sic habet tussis inducẽda. Tabidos item eodẽ modo, quod ad reliqua attinet, curabis: præterquam quod cibi non multi simul ingerendi sunt, & obsonia nõ plura, quã cibaria frumẽtacea, & vino interedendum vtendum est aquoso, vt ne calfaciat, & corpori debili existenti caliditatẽ exhibeat, & simul ambo calfaciant in eodem tempore, & caliditate multum fluxum inducant.

32 Quum porrò per gulã fluxus in ventrem processẽrit, morbus infrà fit, aliquãdo ẽt superne. Huic si quidẽ in vẽtre dolor inerit; subducẽdus est primũ medicamẽto, aut succo: deinde pharmaco fortiore vtendũ est, cibis verò aluũ subducẽtibus, donec dolor persedeat. Vbi verò dolor sedetur: cibis validioribus vtatur. Eodem modo, vbi morbus multos dies hæserit, curabis. Si verò debilis fuerit, & præ imbecillitate hæc offerri non possint; primũ quidem ptisanæ succo per clysterem infuso, aluus eluenda est, pòst vbi per hunc purgaris, aliquo ex adstringentiũ numero.

33 Quum autem retrò in carnem iuxta vertebras fluxus illapsus hydropẽ fecerit; sic mederi oportet. Caro in collo inter venas crustis tribus vratur. &, vbi vsseris: constringatur, & cicatrices quamtenuissimę inducantur. &, vbi fluxum obturaris; medicamentũ in nares adhibe; vt eo vertatur, & aliud rursus, donec auertatur. & anteriores quidem capitis partes calfacito: posteriores verò perfrigerato. Et, postquam anterioribus capitis partibus ex calfactus fuerit; cibos edat quampituitosissimos, ac minime ventrẽ subducẽtes; quo fluxionũ meatus in anteriore capitis parte, quàm maxime dilatentur. Postea, vbi obturaris, & auerteris influxionem, si quid prius quã curaris fluxũ, in corpus peruenerit; sic mederi oportet. Si quidem magis ad cutem secesserit; externis partibus fomentum adhibebis: si verò intrò ad ventrem, foris autem non conspicuum sit; medicamentum bibẽdũ dabis: si verò in vtranque partem; ab vtraque detrahes. Verùm hoc studio habere oportet, vt proximũ

exitum facias, siue inferne, siue superne, aut etiã alia aliqua corporis parte, vbi exitus sunt.

34 Quum coxendicum morbus à fluxione fiat; cucurbitam medicam affigere oportet, & foras trahere, & non scarificando pertundere: & calfactorijs medicamentis in potu exhibitis intus calfacere; quò exitus fiat tum foras ad cutem per cucurbitæ tractionẽ, tũ intus ad ventrem per caliditatem: nam quum obturatus fuerit fluxus, & non habeat, quò iter faciat; viam ad articulos facit, & in id, quod cedit, influit, & sic coxendicum morbum inducit.

35 Tabes ex fluxione retrorsum. Qui hac affectus est, ei caput est purgandum debili medicamento, donec fluxus auertatur. diæta autem vtere, velut in tabe superiore. Medicamentum potandum præbe Elaterium deorsum purgans, & inferne aluum lacte infuso elue. de cætero fomentis vtere.

36 Quum splen præ febre magnus factus fuerit: fit autem, quum corpus attenuatur: ex ijsdem enim, & splen floreſcit, & corpus contabescit. Quum autem corpus tenue fuerit, & splen floruerit, & omentum simul cũ corpore attenuatum fuerit; pinguitudo in omento colliqueſcit. Vbi verò vasa pinguitudine vacua facta fuerint, & à splene florente, ac augeſcente in omentum defluxerit, vtpote vicinum valde existens, & vt vasa habens, eaque vacua excipit. & vbi morbus semel in corpore factus fuerit; ad id, quod est morbosum, vertitur; nisi quis probe disponat, ac curet: nã etiam si quis bene tractet, periculo nõ vacat. Hunc sic sanare oportet. medicamenta in potu exhibenda sunt, quæ aquam purgent, & edulia quã pituitosissima offerenda. Si verò neq; sic leuior fiat inurendæ sunt crustæ quàmtenuissimę, & quãmaxime in superficie; quò aquam continere possis, circũcirca vmbilicum, & vna in vmbilicum, & emittere singulis diebus: quum n. morbus periculosissimus sit, in his periclitari oportet. Si enim succesſerit; sanũ facies: sin minus; quod etiã aliàs futurũ erat, idipsum perpetitur. Cęterum in puero hydropẽ sic curare oportet. Partes tumidæ, & aqua plenæ aperiendæ sunt scalpello, & frequenter, ac parum educẽdũ est. Educendum autem est à singulis corporis partibus, & fomentis vtendum, & semper locum apertum vnde eduxeris calfactorio medicamento illines.

37 Pleuritis sicca citra fluxum fit; quum pulmo valde exsiccatus fuerit præ siti neceſſaria: pulmo. n. natura siccus existens, vbi amplius quid, quàm pro natura siccatus fuerit: gracilis fit, & impotẽs redditus & ad latus præ impotentia reclinatus, latus contingit. &, postequam contigerit ipsum humidum existens; cohæret, & adglutinatur, & pleuritidem, hoc est, lateris morbum facit. Tunc verò & dolor fit in latere, & in clauicula, & febris, & album excreat. hunc multis potibus curare oportet, & lauare, & doloris medicamentum præbere, & alia, quæ ex creationem faciunt. hic in septem diebus sanus fit, & morbus minime periculosus est, & cibos præbere non oportet.

38 Febres porrò propterea fiunt, quum corpore superinflammato carnes intumuerint, & pituita, ac bilis concluſa quieuerint, & neq; refrigeretur quicquam, neque exeat, neque moueatur, neque aliud quid subeat. Quum itaque laſſitudo occuparit, & febris, ac repletio; lauare multa aqua oportet, & oleo illinere, & quàmmaxime calfacere; quò caliditas aperto corpore præ sudore egrediatur. conſequenter autem hæc facienda sunt per tres, aut quatuor dies. &, si non sedetur, ac ceſſet; pharmacum in potu exhibendum est, quod bilem educat, & febris perfrigeranda est, præterquam si quartana existat. Medicamentum tamen, donec corpus floridum est, ne propinato; non enim vacuantur, nisi parum, vt pote corpore turgente. Quum autem gracile, ac macilentum fuerit; tunc bibendum exhibe, & euacuabitur.

39 Febrienti cibum ne offeras, neque sorbitionibus subtus aluum ducas. In potu dabis aquam calidam, & aquam mulsam, & acetum cum aqua. hæc autem quàmplurima bibat: si enim non frigidus ingreſſus fuerit potus, calidus existens, ac manens; ex corpore ægroto detrahet, & vel per vrinam ejiciet, vel esudabit. Vndiquaq; autem apertum, & respirãs, ac motum corpus, id quod conducibile est, faciet. Quum verò gracilem existentem febris vrat; manifeſtum est, quòd non propter corporis tumorem febris occupet: &, si non ceſſet; nutrire oportet, ac tumidum facere. &, si neque sic conducat; palàm est; quòd non oportuerit febrem inducere. Hunc itaque medicamentum potare oportet, quod educat, qua parte febris magis hęret, siue superne, siue inferne. &, si quidem superne hęreat; superne: sin inferne; inferne. Nihilo autem minus oportet etiam debiles fortia medicamenta potare, sed similiter: aut solum sic, vt fortibus quidem forte, debilibus verò debile exhibeas. Ardores verò potionibus, & sorbitionibus quemadmodum febrem frigefactorio medicamento exoluere oportet, cammaro videlicet, aut alio quopiam huiuscemodi. &, si nauseam contrahat à frigefactorio; calfactorijs vtere conſequenter. Vbi verò non ceſſet: frigefactorijs rursum vtere.

40 Ictęrum, siue regium morbum sic curare oportet. Quum susceperis: nutrito, & balneis, & pinguefaciẽtibus, potibusque, ac cibis humectato per tres, aut quatuor dies. Postquam autem humectatum fuerit corpus; purgato, & reſiccato ipsum, pinguitudinemque derepente exhaurito, & vndiquaque, si possibile sit, medicamentum adhibens, humiditatem educito. ad caput verò purgatorio debili vtitor. & vrinam cientia bibenda dato, eaque ante cibos hoc tempore, quo turbatam humiditatem purgaueris, in potu præbe; ne ab eo tempore còrpus nutriatur. Quum verò attenuatum fuerit; etiam balneis purgato, & contusa cocumeris syluestris radice, eaque in aquam coniecta, inde lauato. Cæterũm medicamenta bilem ducentia ne propinato; ne corpus magis cõturbes. Vbi verò siccum fuerit id, quod conturbatum fuit; nutrito, nullo aluum subducente medicamento, neque vrinam ciente vtens, sed vino vinoso, & his, quæ rubicundiorem hominem faciunt. Si verò viridis, ac luteus fit; rursus exhaurito, nequaquam verò siccato: vt ne is color stabilis reddatur.

41 Vlcus ferinum in corpus propterea venit. Postquam caro tumida, & inflãmata circumcirca fuerit, & margines vlceris magni extiterint, & vlcus ipsũ humidũ, & in vlcere sanies reſiccata inerit, aut vlcus cõstrictũ fuerit; sanies cõputrefaciens ab vlcere defluens, foras prodire à conſtricto ad carnem vlcere prohibetur. Caro autem susscipit, utpote eleuata exi-

stens

stens ab inflammatione. &, quum in ipsam peruenerit sanies subterfluens; putrefacit, & attollit. Hunc medicamentis humectantibus ipsum vlcus illinire oportet; vt ex humectato vlcere fluxus foras effluat, & non subter carnē. Influentia etiam in vlcus frigefacientibus pharmacis illinenda sunt; quò perfrigerata caro existat, & non dirupta rursus fluxionem immittat. Sed & alia vlcera frigefaciētibus oblinenda sunt, & super ipsa humectantia imponenda.

42 Angina, quam cynanchen Græci vocant, à sanguine fit; quum sanguis in venis, quæ in collo sunt, cōpactus fuerit. Sic affectis à venis, quæ in brachijs sunt, sanguinem detrahes, & simul aluū inferne subduces; quò id, quod morbū exhibet, detrahatur. Lingua quoque quum magna vlcera habuerit, similiter curanda est. Morbos à principio curare oportet, &, si quidem a fluxionibus fiunt; primum fluxiones sedare: si verò ab alia causa; principium morbi sedare, ac curare: deinde id, quod influxit, si quidem multum fuerit; educere: sin modicum; per diætam moderari, ac componere.

43 Capitis fracturæ. Siquidem os fractum fuerit, ac contritū, periculo vacat, & curare oportet hunc humectantibus medicamentis. Si verò rūpatur, & fissura fiat; periculosum est. Huic serram adhibere oportet ne in ossis scissuram sanies influens membranam cerebri putrefaciat: nam vt per angustum intrans, non autem exiens, affligit, & furere hominem facit. Huic itaque serram adhibere oportet; vt sanies exitum habeat, non solum ingressum, ampla serratura facta. Medicamentis autem vtendū, quæ humorem in sese trahunt, & lauandum.

44 Febricitanti caput ne purgato; vt ne furiosus fiat; calfaciunt enim caput pharmaca purgatiua: & sanè ad caliditatem febrilem accedens ea, quæ in medicamento est, insaniam facit. Ex quacunque causa male affligente quis atrā bilem reuomuerit, moritur, qui vulnus habet. Et qui ab euacuatione detinetur, & debilis est, & tenuis existens derepente siccus subsidit, moritur. Quum a caliditate detento, vlcuscula erupe rint debili existenti circum circa liuida; moritur. Quum à morbo quopiam detento, debili iam existenti, liuida vlcuscula enata fuerint; mortale.

45 Quum quis à medicamenti potu superægrotarit, & inferne, ac superne ab ipso secesserit; vinum sorbeat primùm quidem dilutum, deinde meracum frequenter; & sanabitur. Medicamentum autem neque euacuatiuum, neque vomitoriū sumat. Bilis vbi sua sponte eruperit, aut inferne, aut supernæ; difficilius sedatur: quæ. n. sponte procedit, prę violentia corpori facta impellitur. Si verò à medicamento fluat; non à gentilitatis cognatione violatur. Quum susceperis vinosum, & vomentem; vomitum ne sedato: vomitus enim euacuationem sedat. facilius autem vomitus postea sedabitur. Si vero debilis fuerit, qui hæc patitur; somnificum medicamentum à vomitu prębebis. Sanguis quum morbum facit, dolorem exhibet: pituita autem: grauitatem vt plurimum.

46 Morbū si quis non cognoscat; medicamentum bibendū prębeat non forte. Si itaq; leuior inde fiat; demonstrata via est, & gracilitatē inducendo curandus est. Si verò non leuior reddatur, sed prius habeat; cōtraria faciēda sunt. Si non profuerit gracilē facere; tumidum facere conducet, & frequēter permutare, ita vt hoc consilio vtaris. Si quis in morbis quid permutaturus est; forti quidē ægroto, debili autē morbo, tū quidē cōfidenter fortiore quàm morbus est, medicamento vtendū est: nam etiamsi quid de sano abducat vnà cum debili, ac ęgroto; nullum detrimentum est. Si vecò morbum fortiorem, ægrotum autē debilem acceperis; debilibus pharmacis curabis, quæ ipsum morbum superent, & abducant: verùm ægrotum nihilo debiliorem reddant. Ars exercitandi corpora, & Medicina contrariæ sunt: ars. n. exercēdi corpora (gymnastice Græcis appellata) non opus habet permutatione; sed Medicina: sano enim non auxiliatur transmutato ex præsenti statu, verùm ægroto.

47 Morbi quicunque vlcera sunt, & super reliquum corpus eminent, eos simul cum medicamentis etiam fame curare oportet. Fluxione ex capite fluente vomitus conducit, Antiqui morbi difficilius curantur, quam recentes. verum morbos antiquos primum recentes facere oportet. Vlcus callosum factum ejecta primùm duritia per putrefactorium medicamētum, constringere deinde oportet. Pharmaca, quæ tumefacere maxime solent, ea pura vlcera adstringunt: quæ verò attenuant, ea purgant. Si verò quis constringat vlcera nondū matura; corpus ægrotum nutrit, quod vlcus habuerit. Et si quidem adstringere oporteat vlcus, ac implere; tumefacere prodest, etiamsi in capite carnem velis: renutrita enim à cibis caro propulsat eam, quæ à medicamento putrefacta est, simul cum natura debellat. Verum eleuatam, aut leuem, carnem cibis gracilem reddere oportet.

48 Tristes, anxios, & ęgrotos, ac se strangulare volentes, mandragoræ radice mane in potu data minore pondere, quàm quod insanire facit, curabis. Conuulsioni sic mederi oportet. Ignis ab vtraque lecti parte succendatur, & mandragoræ radix in potu præbeatur minore pondere, quàm quod insaniam facit. Et ad tendines posteriores sacculi imponantur. A conuulsione si febris inuaserit; sedatur eadem die, aut sequenti, aut omnino tertia. A ruptura febris nō corripit amplius, quā tres, aut quatuor dies. Si verò corripiat, & quis putat se à ruptura habere; ab alia sanè quapiam causa corripitur, & non oportet ipsam velut à ruptura curare. Quum homo manibus, ac pedibus distentus, ac totus fuerit; insaniam sibijpsi facit.

49 Venam porrò sic vrere conuenit commodam ad morbum, ex quocunque tandem quis ægrotarit. Si vstus fuerit homo, & fluxerit sanguis, ita vt hoc non periculosum sit ipsi; ambo hæc facere licet. Si verò perusseris ipsam in dolore, cuius gratia vrebatur; non coalescit, verum fluxui prodest: si enim perusta fuerit; non fluit: nam postquàm perusta est, extremitas vtraque venæ recurrit, qua parte perusta est, & exarescit. Si verò quid relictum fuerit: prę relicto perfluente fluxum humectatur. At, si sanguis ex vena fluit; per transuersum perurito. Si verò non cesset; ad hęc supra, ac infra vtrinque dissecato; quò sāguinis fluxus auertatur: diductum enim facilius est medicamento sedare, quàm coaceruatum. Doloris in capite gratia, sanguinem de uenis detrahito. Si uerò non sedetur, & diuturnus sit; perure uenas, & sanus euadit. Si uerò caput purgaueris; magis affliges.

50 Medicinam cito discere non est possibile; propterea quòd impossibile est statā, ac certam doctrinam

in ipſa fieri, velut verbi gratia. Qui ſcribere didicit, iuxta vnum modum, quem omnes docent, nouit, & ſcientes omnes ſimiliter nouerunt, propterea quòd idē & ſimiliter factum, & nunc, & non nunc, non poteſt fieri contrarium, ſed ſemper exacte ſimile eſt, & non opus habet occaſione. Medicina verò & nunc, & ſtatim, non idem facit, & ad eundem contraria facit, & hæc etiam contraria ſibiipſis. Primùm aluum ſubducentia non ſemper hoc faciunt, & aluum ſubducentia vtrunque faciunt. Fortaſſis autem neq; ſic ſe habent aluum ſubducentia, velut aluū ſiſtentibus contraria: reſtitante enim aluo, propter vehemētem ſtabilitatem corpus intumeſcit: pituita in ventrem perueniente, ſic ſtabilitas ſeceſſum facit: vbi.n. pituita in ventrem ingreſſa fuerit; euacuatio contingit. Inſuper verò aluum ſubducentia ex natura, ſtabilitatem faciunt in ventre; ſi quidem non ſubducentia feceris. Si autē exoluatur, & humectetur id, quod morbum facit, poſtquam exolutum fuerit; ſanus euadit. Et ſic ventrem ſiſtentia, ſubducentibus ſtabilitatem ventris faciunt, & viciſſim ſubducentia ventrem, ſiſtentibus. Eodem modo res ſe habet circa rubicundos, & pallidos. Nam & pituitoſa, ac tumefacientia & pallidos faciunt, & boni coloris, itemque attenuātia. vtriuſque autem medicamentum ſunt contraria contrario. Verbi cauſſa. Quum in tumuerit pallidus exiſtens; exoluitur ſanè, ſi quod medicamentum attenuans adhibitum fuerit. atque hic tumenti attenuās opitulatur. Rurſus autem quod aliquando vtilitatē cœpit, nunc hic opitulanti opitulatur; quum ſanè præ gracilitate decolor, & pallidus factus fuerit: ſi quis enim pituitoſum, ac tumefaciens medicamentum exhibuerit; pallor ſedatur.

51 Inſuper verò etiam dolor & propter frigiditatem fit, & propter caliditatē, & propter valde exuperās, & propter imminutum. Et in perfrigeratis quidem natura extra corpus ad cutem, propter calfaciēs valde, dolor fit: in calidis verò natura, propter frigidū: & in ſiccis natura, ſi humectētur; & in humidis natura, ſi reſiccētur: in ſingulis.n. quorum natura permutatur, ac corrumpitur, dolores fiunt. Sananturq; dolores contrarijs, idque etiam vnicuique morbo proprium eſt: nam in calidis natura propter frigiditatem ægrotantibus dolores calefiunt: & reliqua iuxta hanc rationem fiunt. Alius porrò modus hic eſt. Per ſimilia morbus fit, & per ſimilia adhibita ex morbo ſanantur. Velut vrinæ ſtillicidium idem facit; ſi non ſit: & ſi ſit; idem ſedat. Et tuſſis eodem modo. velut vrinæ ſtillicidium ab ijſdem fit, & ſedatur. Alius rurſus modus hic eſt. Febris, quæ propter tumefactionem ex pituita fit, aliquando quidem ab ijſdem fit, & ſedatur, aliquando autem à contrarijs: aliquando enim, ſi quis vult aqua calida lauare, & multum potum exhibere; ſanus ęger fit, & febris, quę propter tumefactionem facta eſt, pituitoſis, ac tumefactionē facientibus oblatis, & adhibitis ſaneſcit. Et, ſi quis vult medicamentum bibendum dare aluum ſubducens, & vomitorium; eodem modo & à facientibus ſedatur, & à ſedantibus fit: nā, ſiquis homini vomenti aquam multam bibendam dare velit; eluentur ea, propter quæ vomit vna cum vomitu. Et ſic quidem per vomitum vomitus ſedatur. Rurſus autem, propterea quod ſedatur, quia inferne procedere ipſi fecit, ex illo id, quod intus eſt, vomitū facit, & ambobus contrarijs modis homo ſanus fit.

52 Et ſi quidem ſic in omnibus haberet; ſtata ſanè, ac certa medicina eſſet. Ita alia quidem contrarijs curare oportet, qualia tandem ſint, & à qua cauſa fiant: alia verò ſimilibus, qualia tādem ſint; & à qua cauſa fiant. Huius aūt rei cauſa corporis debilitas exiſtit: corpus.n. à cibis æqualibus æqualiter nutritur, à corpore verò cibi ſuperantur. Poſtquàm verò plus, aut minus in ipſum ingeſtum eſt, aut alia quępiam tranſmutatio facta eſt; ſuperatur, ſuperant autem cibi. Et, quum ſanè ſuperatur corpus ab his, quæ ipſi offerūtur; florere hæc ipſa facit; & ſuperant hæc ſimul corpus, & contraria ipſi faciunt.

53 Et calida lauari, donec quidem corpus ſuperat eius exhibitionem; florere corpus facit. Quum verò ſuperatum fuerit; gracile corpus facit. Et conuiuari ſimiliter, vt lauari facit: hæc enim donec ſuperātur; florere corpus faciūt. Vbi verò ſuperauerint; & alui ſeceſſus, & varia vitia inducunt. Quū autē id, quod offertur, tranſmutatur; neceſſe eſt & id cui offertur, tranſmutare: etenim corpus tranſmutatùm parum efficax, ac potens eſt, & ab omnibus offenſiones percipit. Hoc autem faciunt, & aluū ſubducentia & florere ipſum faciētia, gracile corpus faciūt & reliqua omnia cōtraria his facientia. At verò medicina breuem occaſionem habet. & qui hoc nouit, illa ſtata, ac certa habet, & ſcit, quæ conſueta ſint, & quæ non conſueta, (ad quæ cognoſcenda non eſt occaſio in medicina,) & quòd aluū ſubducentia, non ſubducenda fiunt, & reliqua quod contraria ſunt, & contrarijſſima non contrarijſſima.

54 Occaſio autem hæc eſt, vt cibos offera mus ea copia, quantam corpus, cui offerūtur, ſuperare valeat: nam, ſi quis ſic fecerit; omnino neceſſe eſt cibum aluum ſubducentem oblatum, ſubducentē eſſe, & pituitoſum, pituitoſum. Si igitur ſuperauerit corpus ipſos cibos; neque morbus, neque contrarietas fit ex his, quę offeruntur. & hęc eſt occaſio, quam medicū noſſe oportet. Quum uerò occaſionem ſupergreſſus fuerit; contrarium fit; &, antequā ei exceſſum factū eſſe putant; conſequens eſt, ut caleſcat: donec enim corpus id, quod oblatum eſt ſuperauerit; corpus nutritur. Vbi uerò hanc occaſionem tranſmiſerit; contrarium fit: nā attenuatur, & gracileſcit. Sed & alia omnia, & quę tumefaciunt, donec quidem ſuperauerit corpus, ampliusque pro occaſione offeruntur; etiam iuxta naturam ſuam ſingula faciūt: & pituitoſa, ſiue tumefacientia tumefaciunt: ubi uerò occaſionem tranſmiſerint; cōtraria ſunt. Medicamēta ſunt omnia, quæ pręſentem ſtatum tranſmouent. Omnia autem fortiora tranſmouēt. Licet autem ſi velis medicamento tranſmouere, & rurſus ſi velis alimento, ac cibo. Omnia verò ex præſenti ſtatu tranſmouere, ægrotāti opitulatur: ſi enim id quod morbum facit, non tranſmoueris; augeſcit.

55 Medicamēta fortia à natura in debilibus morbis dare non oportet, neq; paucitati medicamenti, debilitas ipſis facienda eſt: ſed fortibus natura, fortibus pharmacis vtendum eſt: debilibus verò, pharmacis non fortibus. Neq; partiendum eſt medicamēium, ſed ſingulis ſecundū naturam, debilibus quidem debilia à natura, fortibus verò morbis, fortis naturæ pharmaca exhibenda ſunt. Cæterū morbi ea parte, qua proximi ſunt, educēdi ſunt: & qua parte ſingu-

lis

lis exitur quàm proximus est,extrahendi.

56 Aluum autem subducentia talia sunt, quæcunque lubrica, & incisiua sunt, & quæcunque in calidis attenuãtur,(Venter enim calidus est:)& reliqua, quæ salsuginosa sunt,& quæcunque ex talibus plurimum participant. Contrà aluum non subducentia, sed sistentia sunt, quæ flatum exhibent;humida enim reficata flatum faciunt: & quæ adstringunt,& quæ à calore compacta sunt, & friabilia, & sicca. oĩa autem quæ foris extenuant,intra corpus assumpta tumefactionem inducunt, eadem autem & ventrem sistentia,& pituitosa,ac tumefacientia existũt, & quæ aluum subducunt,ac extenuant, cum calefacientibus eadem sunt.Insuper autem etiam acida pituitosa sunt.

57 Omnia verò, quę frigefaciunt ea, quæ in ventre sunt,talia aluum subducunt.Item quæ frigida sunt, & quæ humida. Quum autem non aluum subducentia fuerint;calfaciunt. frigefaciunt autem & calida in ventrem assumpta, & cito secessum faciunt. Si verò secessum non faciant; calida in ventre existunt. Ex his quæcunque repletionem faciunt,maxime pituitosa sunt. Quæ verò plurima assumpta repletionem non faciunt, aluum subducunt. Medicina itaque mihi iam tota inuenta esse videtur, quæ sic habet, & quæ docet singulas & consuetudines, & occasiones.

58 Qui enim sic Medicinam nouit,minime fortunam respicit,aut expectat; sed & citra fortunam, & cum fortuna, recte faciet: constans enim, ac firma est tota medicina, & doctrinæ optimæ in ipsa compositæ, minime fortuna egere apparent: nam fortuna sui iuris est, & nullius imperio subest, neque optãtis est ad ipsam peruenire. Scientia vero impetrata facere cogitur, & facile est ipsam feliciter assequi; si quis sciens vti velit. Deinde verò quid opus est Medicinæ fortuna? Si enim morborum medicamenta clara sunt, & manifesta, velut equidem arbitror; non expectant sanè fortunam ad sanandos morbos, si quidem sunt medicamenta. Si verò cum fortuna exhibere ipsa prodest, non magis medicamenta, quàm ea,quæ non sunt medicamenta, vna cum fortuna adhibita sanos faciunt. Quicunque verò fortunam ex Medicina, aut alia qua piam arte expellit, dicitque eos,qui probe rem aliquam sciunt, fortuna non vti,is contrarium mihi iudicare videtur: mihi enim soli hi fortunate assequi, itemque infortunate non assequi videntur,qui recte quid, & male facere sciunt: fortunate enim assequi est recte facere. hoc autem qui sciunt, faciunt. Non assequi autem hoc est, si quis non sciat; hoc non rectè faciat. Indoctus autem qui est, quomodo fortunate assequi possit? Si quid enim etiam assequatur; non memorabilem sanè successum habebit. Qui enim non rectè quid facit,non fortunate assequi poterit; quum reliqua, quæ æquum est facere, non faciat.

59 Morbi Mvliebres. Vteri omnium morborum causæ sunt: hi enim vbi ex natura transmoti fuerint; morbos exhibent, siue ascenderint, siue descenderint. Et quum quidem vteri osculum suum non demittentes, & pudendi eminentias, non contingentes, transmoti fuerint foras, leuissimus morbus est. Quum verò in anteriorem partem promoti fuerint, & osculum in pudendi eminentias, ac labra immiserint; primum quidem ipsp contactu dolorem vterus percipit, ac exhibet: deinde obturatus. & velut operculo contectus,ex eo quod pudendi eminentijs incumbit, fluxus non contingit, qui mentium nomine venit. Hic verò fluxus congregatus tumorem, ac dolorem exhibet.

60 Et si quidem infra descendens, & auersus in inguen se immiserit; dolorem exhibebit. Si verò sursum ascendens auersus,& obturatus fuerit;etiam sic propter raritatem, ac coarctationem dolorem exhibet. Quum verò propter hoc ægrotarit; coxendicum, ac capitis dolorem facit. Vbi verò vteri impleti intumuerint; nihil fluit, & pleni fiunt. quum autem pleni facti fuerint,coxendicesque contingũt; dolores exhibent, & in coxendices,& in inguen,& velut pilæ in ventre discurrunt, & caput dolore affligunt,modò altera ipsius parte,modò totum,prout contingit ipsi morbus.Hæc itaque sic curanda sunt. Si quidem descenderit solum, & illini possit; vtere quocunque libet ex graueolentium genere, aut cedro, aut alij intrito myttoto Græcis appellato, aut aliquo alio ex grauiter, & male olentium numero, eoque suffitum facito. & fomenta ne adhibeto, neque cibo,neq; potu vrinam ciente hoc tempore vtitor, neque calida lauato.

61 Si autem sursum ascenderit, & non auersa fuerit; medicamentis appositijs bene olentibus,& quæ simul calfaciunt vtere: velut sunt myrrha,aut unguẽ tum,aut aliud quoddam odoratum, simulque calfactorium. Et his quidem subditijs vteris, fomentum autem ex infernis ex vino adhibebis, & calida aqua lauabis,& vrinam cientibus vteris. Ex hoc autem manifestum fit auersa sit,necne:si enim sursum progressa auersa non fuerit; fluxus procedit. Si verò auersa sit; fluxus,menstrua appellata,non contingit. Hunc morbum fomento primum tali curare oportet. In vinum grossos immittito, ipsumque vinum calfacito,& cucurbitam circũ osculum vasis,in quo calefit, addito hoc modo. Cucurbitam per medium dissectam euacuato, & summitate ipsius modice recisa,velut in ventriculis fieri solet, hanc ipsam vasi velut operculum circundato; quò odor per angustiam meanş ad vterum perferatur. Insuper autem & calida aqua fouere,& calfacientibus medicamentis subditijs vti oportet. Calfacientia autem sunt ea,quæ ducunt ex superius relatis,itemq; hæc:Stercus bubulum, fel bubulum,myrrha,alumen,galbanum,& si quod aliud eiusmodi est. Plurimis etiam ipsarum per purgantia inferne medicamenta aluus subducenda est, & per debilia,quæ vomitũ faciunt; ne euacuatio ex superuacuatione fiat.

62 Cęterum subdititias glandulas sic facere oportet; si fortes facere velis. Mel semicoctum facito, & ex præscriptis subditijs pharmacis ea, quæ valde efficacia sunt,immittito. &,vbi immiseris; glandulas formato instãr earum, quæ in sedem induntur,verũ longas facito,ac tenues.Mulierem verò supinam reclinato, locis à pedibus lecti altius instratis, deinde apponito,& paniculo intecto,aut alia quadam re cõsimili calfacito,donec colliquescat. Si verò debiliorem glandulam subdere velis,in linteolum illigato. Sed, & si humore pleni vteri osculum tumidum habuerint,& non fluxerint; fluxionem facere oportet, & subditijs pharmacis sanare,itemq; fomentis velut

lut scriptum est, ita faciendo velut in priore fluxione suppressa. Quin, & si in anteriorem partē proceedens vterus auersus fuerit; fluxionem facere oportet, velut in superiore fluxione suppressa.

63 Quum verò fluxus nimis fuerit; neque calida aqua, neque alio quopiam calfacere oportet, neque vrinam cientibus vti, neque cibis aluum subducētibus. Lecti autem partes à pedibus altiores esse oportet; vt ne declinatio fluxui facilitatē prębeat. Vtere autem simul etiam subdititijs adstringentibus. Fluxiones porrò, quum confestim venerit purgatio; statim subcruētæ fiunt: quum verò tardius prodierit; purulentæ. Et iunioribus subcruēta magis prodeūt: teniores verò magis mucosa menstrua habent.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Aere, Aquis, & Locis.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Anni temporum ratio, Ventorum, Aquarum, Ciuitatum situs, Terrarum differentiæ, Diæta hominum diligenter à Medico obseruanda.*

2 *Astronomiæ cum medicina cognatio. De Ventorum ratione in genere. De ciuitatum Meridionalium situ, earundē ventis, aquis, & morbis, singulis ætatibus, atque anni temporibus vernaculis.*

3 *Vrbium bene sitarum commoda. Æstate sicca morbi citius sedantur. Phagedænæ hyeme humida oriuntur Hyems frigida quos morbos faciat. Boni potores qui. Crapula.*

4 *Morbi in hac constitutione mulieribus, pueris, & viris familiares. Conuulsiones, & anhelationes pueris familiares morbi. Morbus sacer conuulsionis species Aluo liquida morbi acuti non proueniunt. Lippitudines humidæ non graues, nec diuturnæ. Se misiderati ex cerebri defluxionibus.*

5 *De Ciuitatum septentrionalium situ, aquis, ventis.*

6 *Morbis acutis obnoxij qui. Lippitudines duræ, ac vehementes. Sanguinis è naribus fluxiones. Morbi sacri. Longæ vitæ homines: Moribus feris.*

7 *Morbi mulieribus familiares. Sterilitatis causæ. Lac, aquarum duritia, & cruditas extingunt. Tabes à partu frequentes. Morbi pueris familiares. Hydrops testium.*

8 *De ciuitatum Orientalium situ, & accidentibus. Aquæ Orientalium omnes splendidæ, odoratæ, molles, & amabiles. Sol aquas illustrat, & castigat. Corporum eorum constitutiones. In ciuitatibus Orientalibus morbi pauciores, ac debiliores. Mulieres in Orientalibus facile pariunt.*

9 *Ciuitatum ad occasum sitarum consideratio. Aquæ. Occidentales cur decolores, infirmi, ac voce graui plerunque præditi. Venti occidentales autumno similes.*

10 *De aquarum differentijs in genere. Splenes magni, ac pleni: ventres duri, ac calidi ex aquis lacustribus. Humeri, clauiculæ, & facies attenuata ex aquis palustribus.*

11 *Aquæ palustres edaces, ac siticulosos faciunt. Hydropes plurimi, ac letalissimi. Morbi æstiuales occidentalibus familiares. Dysenteriæ. Alui profluuia. Febres quartanæ.*

12 *Morbi hyemales in occidentalibus. Peripneumoniæ. Insaniæ morbi. Febres ardentes propter ventris duritiem. Tumores in mulieribus. Pituita alba. Herniæ puerorum. Varices virorum. Vlcera in tibijs. Mulieres cur in se in vtero habere sæpe falso credant. Aquæ palustres ad omnem rem improbæ.*

13 *De Aquis fontanis. Aquæ duræ quæ. Aeris, argenti, auri, &c. generationis causa.*

14 *Aquæ optimæ. Aquæ salsæ crudæ, ac duræ. De aquis quibusdam, morbis, & naturis commodis.*

15 *Aquæ pessimæ. Aquarum discrimina sanis non obseruāda.*

16 *Quæ aquæ aluum soluant aut sistant. Cur aquæ salsæ aluum (vt vulgo putatur) non soluant.*

17 *De Aquis pluuialibus, & cur hæ leuissimæ, dulcissimæ, tenuissimæ, ac splendidissimę. Sol quod tenuissimum est in aqua, item in hominum corporibus, educit, & sursum rapit Partes corporis soli expositæ cur non exudent.*

18 *Aqua pluuialis cur cito putrescat, & odorem malum habeat. Coctura omnia dulcia fiunt.*

19 *Pluuiæ generatio. Aquæ pluuiales cur coquendæ & excolandæ.*

20 *De aquis ex niue, & glacie generalis. Aqua congelata.*

21 *Aquæ à niue, aut glacie eliquatæ. Aquarum omnigenarum & de magnis fluminibus, & stagnorum, qui morbi peculiares. Aquæ inuectitiæ. Aquam aquæ haud quaquam esse similem.*

22 *Aquis, ventorum differentiæ sæpe robur exhibent. Vrinā qui facile, & difficulter eijciant:*

23 *Calculi generatio. Cur pueri calculosi pudenda fricent, ac trahant. Calculosorum vrina cur splendidissima.*

24 *Quale lac pueris calculum generet. Vinum aquosum lacte pueris salubrius. Mulieres cur non fiant calculosæ. Mulieres cur pueris plus bibant. De anni salubris aut morbosi prænotione.*

25 *Annus saluberrimus qui sit. Hyems sicca, & borealis: ver autem pluuiosum, & australe quos morbos adferat. Febres pituitosissimæ quando omnibus, maximè verò pituitosis accidant.*

26 *Dysenteriæ viris, & mulieribus, quando. Tempestas ex aqua, & Etesiarum spiratione circa caniculam. Hydrops ex quartanis. Hyemis australis, & pluuiosæ morbi. Mulieres abortiunt. Pueri tenues, ac debiles eduntur.*

27 *Dysenteriæ, & Lippitudinis causſæ. Defluxiones in valde senibus, qua de causſa contingant. Intestinorum leuitates, & aqua intercus.*

28 *Aestatis*

28 *Aestatis pluuiosæ,& australis morbi peculiares. Hyemis morbida. Febres ardentes. Costarum inflammationes. Pleuritis. Peripneumonia. Aestas sicca,& Borealis. Capitis dolores. Cerebri corruptiones.*

29 *Autumni borealis, & sicci constitutio. Pituitosi quando salubriter degant. Biliosis quod anni tempus inimicum. Lippitudines aridæ. Febres acutæ ac diuturnæ. Bilis atra.*

30 *In magnis temporum mutationibus,neque Medicinæ exhibendæ, neque chirurgica administranda. Sol stitia, & Aequinoctia periculosa. Astrorum obseruatio ad morborum iudicationem necessaria.*

31 *Quantum Europa, & Asia inter se differant. Asiam ab Europa secundum naturas omnium plurimum differre. Cur Asiani mansuetiores, benigniores, & cultiores.*

32 *Regiones in medio solis exortu sitæ cur omnium fertilissimæ. Homines pulchriores, & minime differentes, quantum ad formam, & corporum proceritatem attinet, in Asia.*

33 *Asiam ad naturam regionis optimè temperatæ proximè accedere.*

34 *De ijs qui ad dextram Hyberni ortus solis vsque ad Mœotidem paludem habitant. Europæ, ac Asiæ terminus. Temporum magnæ, ac frequentissimæ mutationes,regiones agrestes,& inæquales:varias item,& multiplices hominum formas producunt. Homines regionum naturas referunt.*

35 *De Gentibus quæ plurimum legibus, ac consuetudinibus inter se differunt, ac primum de Macrocephalis. Macrocephali vnde.*

36 *Semen ex omnibus corporis partibus procedere.*

37 *De Phasidis incolis, earum regione, consuetudine, moribus ac vita. Phasis fluuiorum stagnantissimus. Fructus.*

38 *Phasianorum corpis status. Aeris obscuritas. Venti. Cenchron.*

39 *Asiani cur imbelles. Mutationes temporum mentem semper excitant,nec quiescere sinunt.*

40 *Leges,iuraque cur homines imbelles reddant.*

41 *Viriles,ac animosi leges auersantur. Grecorum,& Barbarorum in Asia qui fortes,& bellicosi credantur. Asiani multum ipsi inter se differunt.*

42 *De Europæis,ac primo de Sauromatis,eorum victu,moribus,anni temporibus,ac formis. Sauromatarum fœminæ sunt equites. Mœotis palus.*

43 *Scytharum forma. Solitudo Scythica. Scythæ cur Nomades vocentur. Scythicorum curuum descriptio.*

44 *Boues in Scythia cornibus carent, præ regionis ipsius frigore. Victus Scytharum ratio. Hippace quid. Scytharum quemadmodum & Aegyptiorum gens inter se similis existit. Scytharum fœminæ infœcundæ.*

45 *Scythicæ regionis situs. Scythis hyems ferè perpetua.*

46 *Feræ in Scythia cur paruæ. Scytharum ventriculi omnes, maxime verò inferior aluus humida.*

47 *Scytharum corpora humida,fluida,ac lata esse.*

48 *Scythicarum mulierum corpora, præter modum fluxa. Scytharum gens fului valde coloris. Scythicæ gentis viri cur infœcundiores. Scytharum mulieres cur infœcundæ.*

49 *Cur famulæ apud Scythas fœcundiores diuitibus. Eunuchi plurimi Scytharum,& quomodo fiant.*

50 *Articulorum dolores diuturni ab equitatione.*

51 *Sterilitas est venarum retro aures incisione. Equitatio continua quomodo Scythis sterilitatem inducat. Eunuchorum affectionem diuinitus Scythis non contingere.*

52 *Scythæ cur omnium ad coitum impotentissimi. Anaxyrides,braccarum genus.*

53 *De reliquis Europæis. Temporum mutationes circa generationem sentiri, & sæpe seminis corrupti causas esse.*

54 *Europæi cur feri, magnamini, & bellicosi. Timiditas à desidia, & otio augetur. Leges quomodo plurimum ad magnanimitatem conferunt.*

55 *De Europæis qui animo,& corpore plurimum inter se differunt. Montani maiora corpora gignunt. Corpora,& pili nigri à bile copiosiore.*

56 *Regionem altam, & planam, ac ventis expositam habitantes quales. Tempora naturas permutant.*

57 *Formæ ac mores hominum regionis naturæ plerunque compares. Regio pinguis, mollis,& aquosa.*

58 *Regionum nudarum, & asperarum natura. Ex terra nascentia,terram resipiunt.*

1 QVicunque artem medicam integre adsequi velit,primùm quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat:non enim simile quicquam in illis existit,verùm differũt inuicem propter varias,quæ in eis fiunt,mutationes. Deinde vẽtorum calidorumque, & frigidorum maxime, qui ex his omnibus hominibus sunt communes, & mox qui in vnaquaque regione sunt indigenæ,& proprij. Neque verò negligentiorem se circa aquarum facultates cognoscendas exhibere conuenit:quemadmodum enim gustu differunt,& pondere,ac statione;sic quoque virtute aliq̃ alijs longe prę̃stant. Quare,si quis ad vrbem sibi incognitam perueniat;circunspicere oportet eius situm,quo modo scilicet ad ventos,& solis exortus iaceat:nõ enim ęquales vires sunt ad Septentrionem sitæ,& vergentis ad Austrum:neque eius quæ solem exorientem,& quæ eundem occidentem spectat. Hæc itaque diligenter oportet perscrutari, ac simul quo modo habeant circa eam aquæ: num ne paluſtribus vtantur, & mollibus,aut duris, & ex sublimi loco prolabentibus, & scaturientibus,ex petris, siue salsis,& crudis. Terra etiam ipsa consideranda, nudane sit,& aquis carens, aut densa, & aquosa,& an concaua sit,& æstuosa,vel alta,& frigida. Hominum insuper diæta perquirenda,qua maxime capiantur:an bibuli sint,& lurcones, & ocio dediti,aut exercitijs varijs vtentes,& tolerãtes laborum,ciborumque plus adpetentes,quàm poculorum. Ex his enim singula sunt inuestiganda. Nã qui hæc omnia probe, quantum fieri potest, cognouerit, aut horum plurima; eum non latere possunt, quum in vrbem etiam ignotam sibi peruenerit,neq; morbi regioni peculiares, & patrij, neque communis regionis natura,quæcunque tandem ea fuerit,vt non possit in cognoscendis morbis dubius hærere, aut errare;sicubi ad morborum medicationem adhibeatur. Quæ ambo illis euenire solent,qui non prius prouidi hæc diligenter cognouerunt. Quare qui ea studiosè rimatus fuerit, vniuscuiusque temporis, ac

anni

anni futuri constitutionem prædicere poterit, qui videlicet morbi communi affectione ciuitatē sint inuasuri tum æstate, tum hyeme, & quæcunque pericula vnicuique sint timenda ex diætę, ac victus immutatione: quum enim temporum mutationes, & astrorum ortus, ac occasus obseruauerit, quemadmodum singula horum eueniant; prænoscet vtique & de anno, qualis hic sit futurus: hoc nanque modo si quis rimatus fuerit, ac prægnouerit temporum occasiones; maxime de singulis sciet, vt plurimumque sanitatem adsequetur, & recta via procedet, non minima artis suæ gloria.

2 Quòd si cui hęc sublimiora videātur; is si ab hac sētentia discedat, discet sanè non minimā partē cōferre ad rem medicam ipsam Astronomiam; sed omnino plurimam; quum vnà cum temporibus & ventriculi in hominibus mutentur. Quomodo autem singula, quæ diximus scrutari, ac explorare oporteat, deinceps dicam manifeste. Quęcunque quidem ciuitas ad ventos sita est calidos, (puto autem eos, qui intra brumalem solis exortum, itidemq; occasum perfluant,) huic hi venti sunt peculiares, a Septentrionalibus autem vētis tuta, ac protecta ea ciuitas existit. Aquæ verò eius multę, & subsalsę sunt, & necessariò non sublimes, ęstate quidem calidę, hyeme frigidæ.

3 Et quæ quidem vrbes bene sitæ sunt ad solem, & ad ventos, & aquis bonis vtuntur, hę minus à talibus mutationibus afficiuntur. Quæ verò aquis palustribus, ac lacustribus vtuntur, & non bene sitę sunt aduentos, & ad solem, hę magis. Et si quidem æstas sicca fuerit, citius se dantur morbi: si verò pluuiosa; diuturni fiūt: & phagedenas adedētes ex omni occasione oboriri verisimile est, si vlcus fiat. Si verò hyems frigida sit; homines capita humida, ac pituitosa habere par est: & ventres ipsorum frequenter exturbari; pituita à capite influente: & formas ipsorum, vt plurimum debiliores esse: ipsosque ad edendum, ac bibendum non appositos esse: nam qui capita debilia habent, non fuerint boni potores: Crapula enim magis grauat.

4 Morbi verò hi ipsis vernaculi sunt. Primùm quidem mulieres morbosæ, ac fluxionibus obnoxiæ sunt: deinde multæ steriles sunt ex morbo, non à natura, & frequenter abortiunt. Pueris verò incidunt conuulsiones, ac anhelationes, quę morbus puerorum, & sacer esse putantur: Viris autem dysenteriæ, & alui profluuia, & febres lenes, diuturnæ, hybernæ, & pustulæ nocturnæ multæ, & hęmorrhoides in sede. Pleuritides autem, & peripneumoniæ, & febres ardentes, & quicunque acuti morbi putantur, non multum proueniunt: non enim fieri potest, vt isti morbi vigeant, vbi alui liquidæ existunt. Lippitudines verò oboriuntur humidæ, non graues, nec diuturnæ; si non ex mutatione temporum morbus aliquis omnibus communis occupet. Et, vbi quinquagesimum annum transgressi fuerint; defluxiones ex cerebro accidentes, homines semisyderatos faciunt, vbi caput derepente insolatum, aut frigore correptum fuerit. Atque hi quidem morbi ipsis vernaculi sunt; præterquam si morbus aliquis omnibus communis ex temporum mutatione oboriatur: nam & huius participes fiunt.

5 Quæcunq; verò ciuitates his ex opposito sitę sunt ad ventos frigidos, inter occasum solis ęstiuum, & orientem æstiuum: etiam ipsis hi venti vernaculi, ac indigenę sunt: ab austro verò, & calidis ventis protectæ sunt. Et de his vrbibus sic se res habet. Primum quidem aquæ & duræ, & frigidæ vt plurimum dulcescunt. Homines autem vegetos, & siccos esse necesse est: & plures ventres infernos crudos, ac duros habere, supernos verò fluidiores; bilioso sque magis, quàm pituitosos esse. Capita verò sana, ac dura habent, & plerunque vasa ipsis rumpuntur.

6 Morbi autem populares ipsis hi sunt, pleuritides, & quos acutos esse receptum est. Necesse est autem ita habere; quum alui duræ existāt. Et supprati multi ex omni occasione fiunt. Huius autem caussa est, corporis extensio, ac ventris duritia. Siccitas enim, & aquæ frigiditas facit, vt vasa rumpantur. Edaces autem tales naturas esse necesse est, & non multum bibaces: non enim fieri potest, vt simul multū edant, ac bibant. Lippitudinesque his fieri ex temporis interuallo necesse est, duras autem, ac vehementes, & statim oculos rumpi. Sanguinis item ex naribus fluxiones vehementes ęstate fieri iunioribus triginta annis: morbos etiam sacros appellatos, paucos quidem verùm vehementes. Longæ verò vitæ magis, quàm alios, hos homines esse par est: & vlcera non pituitosa oboriri, neque efferari: Mores verò magis feros, quàm mansuetos. Ac viris quidem hi morbi vernaculi sunt: præterquam si quis omnibus communis ex temporum mutatione ingruat.

7 Ex mulieribus verò primum quidem multę steriles fiunt, propter aquas, quæ duræ sunt, ac crudæ, & frigidæ: purgationes enim mensium non contingūt commodę, sed paucę, ac prauę. Deinde pariunt difficulter, & non valde abortiunt. Vbi verò pepererint, pueros nutrire non possunt: lac enim ab aquarum duricia, ac cruditate extinguitur. Et tabes frequentes à partu fiunt: prę violentia enim ruptiones, ac vulsuras habent. Pueris autem hydropes in testibus fiunt, quādiu parui fuerint: deinde ęstatis progressu euanescūt. Pubescunt autem serò in hac ciuitate. Et de calidis quidem ventis, ac frigidis, & vrbibus ad hos sitis, hoc modo velut dictum est, res se habet.

8 Quæcunque verò ciuitates sitę sunt inter ęstiuos, ac hybernos solis ortus, & quæcunque ex oppositio harum, de his ita habet. Quæ quidem ad orientē solem sitæ sunt, eas par est esse salubriores his, quæ ad septentrionem conuersæ sunt, & his, quæ ad calidos ventos sitæ sunt; etiamsi stadium solum interfit. Primum enim moderatior est caliditas, ac frigiditas. Deinde aquas, quæ ad solis ortus sunt, omnes splendidas esse necesse est, & odoratas, & molles, & amabiles oriri in hac ciuitate: Sol enim emergens, ac illustrans ipsas castigat: matutinū enim tempus ipse aer vt plurimum semper occupat. Et hominum formæ boni coloris sunt, & magis floridæ; si non quis alius morbus prohibeat. Et clara voce prędīti sunt homines, & ad iram, ac intelligentiam præstātiores septētrionalibus: siquidem & alia, quæ in ipsa nascuntur meliora existunt. Et ciuitas, quæ hoc modo sita est, veri maxime similis est, iuxta caliditatis, ac frigiditatis moderationem. Et morbi pauciores fiunt, ac debiliores, similesque sunt morbis, qui in ciuitatibus ad ventos calidos conuersis oriuntur. Et fœminæ isthic valde fœcundę sunt, ac facile pariunt. Et de his quidem ita habet.

Quę

9 Quæ verò ad occasus sitæ sunt, & ipsæ à ventis ab oriente spirantibus protectæ sunt, & tunc calidi venti leuiter afflant, tũ frigidi ab Vrsis præterflant: eas vrbes necesse est situ morbosissimo positas esse. Primum enim aquæ non sunt splendidæ. Causa verò est quòd aer matutinum tempus vt plurimum occupat, qui aquæ immixtus claritatem eius disperdit; sol enim priusquàm eleuetur; non illustrat. Aestate verò mane quidẽ auræ frigidæ spirant, & ros decidit. De cætero verò sol ad ipsas occidens, quàm maxime homines percoquit. Quapropter etiam decolores, ac infirmos ipsos esse par est, & ex omnibus prędictis morbis participare: nulla enim re ab ipsis separantur. Verisimileque est ipsos graui voce præditos, ac raucosos esse propter aerem; eo quòd impurus plerunque isthic est, & morbosus. Neque enim ab aquilonaribus valde expurgatur: non enim perseuerant venti. Qui verò perseuerant ac ipsis incumbunt, aquosissimi existunt: nam venti occidentales similes sunt autumno. Et huiusmodi ciuitatis situs est ad diei mutationes; eo quòd multum temporis inter matutinum, ac vespertinum intercedit. Et de ventis quidem qui commodi sunt, ac incommodi, ita se res habet.

10 Cæterũ de aquis deinceps narrare volo, quæ morbosæ sint, & quæ salubes rimæ; & quæ mala ab aqua fieri verisimile est, itemque quæ bona; plurimam. n. partem conferunt ad sanitatem. Quæcunque igitur palustres sunt, & stabiles, ac lacustres, eas necesse est æstate esse calidas, ac crassas, & olentes: quum enim non defluãt, sed aqua pluuia semper noua inferatur, & sol vrat; necesse est ipsas decolores esse, & prauas, ac bilioſas: Hyeme verò glaciatas, & frigidas, ac turbatas præ niue, ac glacie, vt pituitosissimę, ac raucosissimę existant. Bibentibus autem splenes semper sint magni, ac pleni: & ventres duri, tenues, ac calidi. Humeri verò, & clauiculæ, & facies attenuata: in splenem enim carnes colliquantur, quapropter graciles existunt.

11 Edaces autem esse tales, ac sticuloſos par est, ventresque tum supernos, tum infernos calidissimos habere, vt etiam fortioribus medicamentis opus habeant. Atque hic morbus ipsis & æstate, & hyeme familiaris est. At hæc etiam hydropes plurimi, ac letalissimi fiunt. Aestate enim dysenterię multę, ac alui profluuia incidunt, & febres quartanę diuturnę. Hi autem morbi prolongati tales naturas ad hydropas deducunt, ac occidunt. Et hi quidem morbi ipsis æstate fiunt.

12 Hyeme verò iunioribus quidem peripneumonię, & insanię morbi; senioribus uerò febres ardẽtes, propter ventris duriciem. Mulieribus autem tumores oboriuntur, & pituita alba, & vix in ventre concipiunt, ac difficulter pariunt, & fœtus magnos, ac tumidos: deinde ex alimentis tabescentes, ac depraua ti fiunt. Et purgatio commoda póst partum mulieribus non contingit. Pueris verò hernię accedunt, & viris varices, & vlcera in tibia. Quare fieri non potest, vt tales naturę longęuę sint, sed ante temporis aduentum senescunt. Prętereà fœminę se in vtero habere putant. &, vbi partus tempus adest ventris moles illa, ac plenitudo euanescit. Hoc autem contingit ex aqua; quũ vteri ex aqua concepta laborant. Atque has quidem aquas ad omnem rem improbas esse censeo.

13 Secundo verò loco eas, quarum fontes è petris scaturiunt: Duras enim esse necesse est; aut isthic, vbi calidæ aquę existunt, aut ferrum nascitur, aut æs, aut argentum, aut aurum, aut sulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum; hęc enim omnia prę violentia caloris nascuntur. Nõ itaque ex hmõi terra aquę bonæ prodeunt; sed durę, & æstuosæ, quę & difficulter minguntur, & ad alui egestionem contrarię sunt.

14 Optimę verò sunt quæ ex sublimibus locis, ac terreis collibus fluunt: hę enim & dulces sunt, & albę, & vinum modicum ferre possunt; & hyeme calidę fiunt, æstate verò frigidę; tales enim fuerint ex profundissimis fontibus. Maxime verò laudare eas oportet, quarum fluxiones ad solis exortus erumpunt, & pręsertim ad æstiuos; necesse est enim odoratas esse, ac leues. Quęcunque verò salsę, & crudę, ac durę sũt ad hoc quidem vt eas omnes bibant; non bonę sunt. Sunt tamẽ aliquę naturę & morbi, quibus tales aquę in potu commodę sunt, de quibus statim dicam. Habet autem & de his hoc modo. Quę quidem aquę fontes suos ad orientes habent, hę prę omnibus optimę sunt. Secundum ab his locum habent, quę inter æstiuos solis exortus, ac occasus emergunt, & magis hę quę ad orientes. Tertio loco sunt, quę inter occasus æstiuos, ac hybernos scaturiunt.

15 Pessimę verò, quę ad austrum, & quę inter æstiuum ortum, & occasum. Et hę quidem ad australes partes valde prauę sunt, ad boreales verò meliores. His autẽ hoc modo vti conuenit. Quisquis sanus est, ac valet, is nullum discrimen faciat, sed semper eam, quę pręsens est, bibat. Quicunque verò morbi gratia, eam quæ commodissima est, bibere volet, is si ita fecerit; maxime sanitatem assequi poterit. Quorum quidem ventres duri sunt, & idonei ad hoc, vt ambulent, his dulcissimę, & leuissimę, ac splendidissimę conducunt. Quorum verò molles ventres, & humidi, ac pituitosi sunt, his durissimę, & crudelissimę, ac subsalsę aquæ conferunt: sic enim maxime reficcari poterint.

16 Quæcunque enim aquę optimę coctu sunt, ac facillime liquescunt, eas par est & ventrem maxime exoluere, ac eliquare. Quę verò crudę sunt, & minime coctu bonę, hę magis constringunt ventres, ac reficcant. At enim mentiuntur homines de salsis aquis propter imperitiam; in eo quòd per alium secedere, eamque soluere putantur; maxime enim contrarię sunt ad alui egestionem, ac secessum, sunt enim crudę, & coqui non possunt. Quare venter magis ab ipsis adstringitur, quàm eliquatur. Et de fontanis quidem aquis hoc modo res se habet. De pluuialibus autem, & quę à niue sunt, vt habeat, deinceps dicam.

17 Aquæ igitur pluuiales leuissimę, & dulcissimę, & tenuissimę, ac splendidissimę suut; primùm enim sol quod tenuissimum, ac leuissimum est in aqua, educit, ac sursum rapit. Clarum autem hoc, ipsum mare facit; quod enim salsum est, isthic relinquitur, prę crassitudine, ac grauitate, & fit mare. Quod uerò tenuissimum est, sol sursum rapit, prę leuitate. Rapit autem tale non solum ab aquis stagnantibus, sed etiam ex ipso mari, & ex omnibus, in quibus aliquid humoris ineſt. (Ineſt autem in omnibus rebus.) Et ex ipsis hominibus tenuissimum, ac leuissimum humorem ducit. Eius rei maximum signum inde sumere licet,

ubi

vbi homo vestibus indutus in sole iter fecerit, aut sederit; quascun que enim corporis partes sol aspicit, hæ non exudant: Sol enim quicquid comparet subdoris, sursum rapit. Quę verò sub veste contectę sūt, aut sub aliqua alia re, hæ exudant: educitur enim, ac domatur à sole sudor. Seruatur autem ex tegmentis; vt ne disperdatur à sole. Quum verò in vmbrā deuenerit: totum corpus similiter sudore perfluit: non enim amplius sol affulget.

18 Quapropter etiam ex omnibus aquis hę citissime putrescunt, & odorem malum pluuialis aqua habet; eo quod ex plurimis congregata est, ac permixta, vt citissime putrescat. Adhæc verò, vbi rapta est, & in sublime eleuata, dum circunfertur, & ad aerem permiscetur; quod turbidum est in ipsa, ac noctē refert, id excernitur, ac decedit, & fit aer, & nebula. Quod verò tenuissimum, ac leuissimū in ipsa, hoc relinquitur, ac dulcescit, dum à sole vritur, ac coquitur. Fiūt autem & alia omnia, quæ coquuntur, semper dulcia.

19 Quandiu igitur dispersa fuerit, & nondum cōgregata, fertur sublimis. Vbi verò coaceruata fuerit, ac simul congregata derepente à ventis inter se aduersarijs; tunc deorsum prorumpit, qua parte plurima collecta fuerit: tunc enim hoc magis fieri verisimile est, quum nebulas à vento stabilitatem non habente concitatas, ac procedentes, derepente ventus contrarius, ac aliæ nebulæ reliserint: atque tunc quidē prima ipsius pars congregatur, quę verò à posteriore parte sunt, insuper accedunt, & sic crassescunt, & nigrescunt, ac simul congregantur, & prę grauitate deorsum prorumpunt, & pluuię fiunt. Atq; hæ quidem aquę optimę sunt secundum hanc rationem; verùm opus habent; vt decoquantur, ac excolētur. Sin minus; odorem prauum habent, & raucedines, & vocis grauitatem bibentibus inde accedere par est.

20 At verò aquę ex niue, ac glacie productæ, omnes malę sunt: quum enim semel concretę fuerint; non amplius in pristinam naturam restituūtur. Sed quod quidem in ipsa clarum, ae leue, & dulce est, excernitur, ac disperditur: quod verò turbidissimum est, ac ponderosissimum relinquitur. Hoc verò cognoueris hoc modo. Si enim volueris hyemis tempore vasculum certa aquę mensura infusa, sub dio exponere, quo maxime congeletur: deinde postridie in locum calidum deportatum sinere, quo maxime glacies liquescat, & vbi exoluta fuerit, aquam metiri: reperies aquam multo pauciorem. Atque hoc signū est, quòd a congelatione id, quod leuissimum, ac tenuissimum est, disperditur, & nō quod grauissimum, & crassissimum existit: non enim hoc disperdi poterit. Hac igitur de causa has aquas, quę niue, ac glacie eliquantur, pessimas esse puto ad omnes res: itemque eas, quę ad has sequuntur. Atque sic quidem de pluuialibus, & niualibus, ac glacialibus aquis res se habet.

21 Calculo verò maxime laborant homines, & ex renum affectionibus, & vrinę stillicidio, & coxēdicum morbo corripiuntur, & hernię fiunt, vbi aquas omnigenas bibūt, & de magnis fluminibus, in quę alia deferuntur; & de stagno, in quod fluxiones multę, ac omnis generis deueniunt; & qui aquis inuectitijs vtuntur, quę ex longo, & non breui locorū interuallo afferuntur; non enim fieri potest, vt alia aqua similis sit alij. Sed alię dulces sunt, alię salsę, & aluminosę, alię de calidis fluunt. Vbi verò hę simul inter se miscentur; dissident: & quæ fortissima est, semper superat. Præualet autem nō semper eadem, sed alias alia.

22 Sed & ex ventis, alij quidem Boreas robur exhibet, alij verò Auster: & de reliquis eadem ratio existit. Talibus igitur necesse est limum, & arenā in vasis subsidere: & ab his, si potentur; morbi prædicti fiunt. Quod autem non omnibus, consequenter declarabo. Quorū quidē aluus satis fluida est, ac sana, & vesica non ardens, neque stomachus vesicæ valde coardescit, hi facile vrinam eiiciūt, & in vesica nihil ipsis congregatur. Quorum verò aluus ardens, ac feruida fuerint, in his necesse est etiam vesicam idē perpeti: quum enim magis, quàm pro natura fuerit calefacta, stomachus ipsius inflammatur. Vbi verò hæc perpetitur; vrinam non dimittit, sed in seipsa concoquit, & adurit: & quod quidem tenuissimum in ipsa est, excernitur: & quod purissimum est, transit, & emingitur.

23 Quòd verò crassissimum, ac turbidissimum est, coaceruatur, & concrescit, primùm quidem parum, deinde maius fit: dum enim voluitur ab vrina, quicquid crassum compactū fuerit, ad seipsum adaptat, atque sic augescit, & in totum concrescit. Et quum vrinam emittit, ad vesicæ stomachum allabitur ab vrina impulsum, & vrinę emissionē impedit, & dolorem vehementem exhibet. Quare pueri calculosi fricant, ac trahunt pudenda: videtur enim ipsis caussa mictionis eo loco esse. Signum autem eius, quòd hæc ita se habent, hoc est. Vrinam splendidissimam calculosi mingunt ad similitudinem seri; eo quòd id, quod crassissimum est, ac biliosissimum, isthic manet, & coaceruatur, ac cōcrescit. Et pleriq; sane hoc modo lapidem, & calculum contrahunt.

24 Fit autem pueris etiam ex lacte, si non salubre id fuerit; sed valde calidum, ac biliosum: uentrem enim percalefacit, & vesicam. Quare vrina dum aduritur; hæc patitur. Et sanè censeo melius esse pueris uinum quàm aquosissimum dare: minus enim uenas adurit, ac resiccat. Muliebribus autem pudendis non similiter cōtingit: meatus enim vrinæ in vesica breuis est, & amplus, vt facile urina impellatur. Neque enim manu pudendum fricat, veluti masculus, neque vrinæ in vesica meatum contingit: ad pudēda enim perforatus est. &, quia meatus sunt ampli; etiam plus bibunt, quàm pueri. Et de his quidem sic res se habet, aut his quàm proxime.

25 Cæterùm de annis hoc modo consideratione facta, quis cognoscere possit, qualisnam annus sit futurus, salubrisne, an morbosus. Si enim secūdum rationem fiant signa in astris occidentibus, ac orientibus: & in autumno aquæ fiant: & hyems sit moderata, & neque valde clemens, neque modum excedens frigiditate: & in uere, ac in æstate tempestiue pluat: sic sanè saluberrimum esse annum par est. Si verò hyems quidem sicca sit, & borealis, ver autem pluuiosum & australe: necesse est æstatem febriculosam fieri. & lippitudines inducere; quum enim æstus derepente accedat; terra humida existente à vernis imbribus, & ab austro; necesse est ęstum duplicatū esse, & à terra irrigua, ac calida, & a sole vrente: quum ventres in hominibus nondum constricti sint, neque cerebrū resiccatum: nō. n. fieri pōt, quum ver tale existat, vt corpus, & caro nō humore fluida fiāt, adeò ut febres acutissimæ in omnes irruant, maxime aūt in pituitosos.

At

At dysenterias par est fieri & mulieribus, & viris humidioribus.

26 Et, si quidem circa Canis exortum accedat aqua, ac tempestas, & Etesiæ spirauerint; spes est cessationis, & vt autumnus salubris fiat. Sin minus; periculũ est, ne & pueri, & mulieres moriantur; minime verò senes, & ne qui superstites euadunt, in quartanas desinant, & ex quartanis in hydropas. Si verò hyems australis fiat, & pluuiosa, & clemens, ver autem boreale, & siccum, & tempestuosum; primùm quidem mulieres, quæ vterum gestant, & partus ipsis ad ver instat: abortum facturas esse verisimile est; quæ vero etiam pepererint, impotentes, ac morbosos pueros parere, ita vt aut statim pereant, aut tenues, & debiles, ac morbosi viuant. Atque hæc quidem mulieribus reliquis verò dysenterias, & lippitudines siccas; & aliquibus defluxiones à capite in pulmonem.

27 Pituitosis igitur dysenterias fieri verisimile est, & mulieribus, pituita de cerebro defluente, propter naturæ humiditatem: biliosis verò lippitudines siccas, propter carnis caliditatem, ac siccitatem: valde autem senibus defluxiones, propter raritatẽ, ac eliquationem venarum, adeò vt aliqui quidem derepente pereant, aliqui verò semiliderati, aut dextra, aut sinistra parte fiant. Quum enim hyems sit australis, & pluuiosa, ac calida, & corpus nõ adstringatur, neque venæ: vere accedente boreali, & sicco, ac frigido, cerebrum postquam ipsum dissolui, ac purgari cõtigit à grauedine, ac raucedine, tunc simul cum vere stabilitur, ac constringitur. Quare derepente æstate accedente, & ardore, ac mutatione contingente, hi morbi incidunt. Et intestinorum leuitates, & aqua intercus ferè reliquis morbis desinentibus superueniunt; quum non queant facile ventriculi à concepta humiditate exsiccari.

28 Si aũt æstas pluuiosa sit, & austro multum perfletur, similisque sequatur autumnus; necesse est hyemem morbidam esse; & his, qui pituita abundant, & qui quadragesimum annum excesserunt, febres ardentes fieri verisimile est: qui verò bile abũdant, costarum inflammationes, & pulmonis, pleuritidas, ac peripneumonias dictas. Si verò æstas sicca existat, & borealis, sequens verò autumnus pluuiosus, & australis; capitis dolores ad hyemem expectare conuenit, & cerebri corruptiones, ampliusque raucedines, grauedines, & tusses, aliquibus etiam tabes.

29 Quòd, si borealis sit autumnus, ac siccus, & neque sub Cane, neque sub Arcturo pluuiosus; confert pituitosis natura, & maxime qui natura sunt humida, & mulieribus. Biliosis autem infestissimum hoc tempus existit: valde enim exsiccantur, acciduntque eis lippitudines aridæ, & febres acutæ, ac diuturnæ, & quibus bilis atra: siquidem quod liquidissimum, ac aquosissimum in bile est, consumitur, densissimum verò, & acerrimum relinquitur. quod idem accidit secundum eandem rationem & circa sanguinem, vnde hi morbi his accidunt. Pituitosis autem hęc omnia commoda sunt: exsiccantur enim, & in hyemem perducuntur, minime humecti, sed resiccati. Hęc igitur si quis mente concipiet, & considerabit; is pręcognoscet plurima omnino, quæ ex huiusmodi mutationibus sint futura.

30 Maxime autem obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libentes exhibeamus, neq; vramus quę circa vẽtrẽ, neq; fecemus, priusquã prętereãt dies decẽ, aut plures, & non pauciores. Periculosissima sunt ẽt ambo solstitia, maxime verò æstiuũ. Periculosũ ẽt ęquinoctiũ vtrunq; magis verò autumnale. Oportet autem & astrorum exortus considerare, pręcipue Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occasum; morbi enim in his maximè diebus iudicantur, alijque perimunt, alij verò desinunt, aut in aliam speciem, aliumque statum trãsmutantur. Et circa hæc quidem sicut dixi, habet.

31 Volo autem & de Asia, & Europa demonstrare, quantum differant inter se per omnia, & de gentium formis quid distent, & nihil inuicem simile habeãt. Verùm de omnibus si quis dicere velit; in immẽsum excresceret sermo. Quare de maximis, & plurimum differentibus diuersitatibus dicam, quantum saltem mihi in ea re est compertum. At dico quidem plurimum differre Asiam ab Europa secundũ naturas omnium ex terra nascentium, itemque hominum: longe enim pulchriora, & maiora omnia nascũtur in Asia. Estque regio ipsa, hac nostra multo mansuetior, sunt etiam hominum mores benigniores, & cultiores. Caussa verò horum est, temporum anni temperata mistura: siquidem in medio solis exortu sita est ad auroram, à frigiditate, ac caliditate omni remotior. Incrementum autem, & benignitatem inde proficiscì omnibus in confesso est: quum nihil sit pręcellens, & cogens violenter, sed per omnia ęqualitas vigeat; quanquam non habeant vbique per omnem Asiam, omnia secundum eundem modum.

32 Quęcunque enim in ea regio in medio sita est calidique, & frigidi, ea omnium fertilissima existit, & arboribus refertissima, & maxime serena, aquisque vtitur, & cœlestibus, & ex terra promanantibus neque enim à calore combusta est valde, neque à squalore, & aquarum inopia exsiccatur, neque à frigore oblęditur. Verùm austris perflatur, & irrigua est, tum propter imbres multos, tum propter niues. Fructus autem suo tempore maturos multos, in ea nasci par est, siue ex sparsis seminibus hi proueniant, siue terra ipsa per se sponte producat eorum plantas, quarum fructibus vtuntur homines, eas ex agrestibus cicures, & domesticas facientes, & pro commoditate sua transplantantes. Pecora etiam ipsa pleniora proueniunt, quę & pariunt sępius, & pulcherrime educantur. Quin & homines habitiores esse, ac specie pulcherrimos, & magnitudinis eximię, minimeque differentes, quantum ad formam, ac corporum proceritatem attinet, constat.

33 Certumque est hanc regionem proxime accedere ad naturam, ac temperaturam optimę constitutionis. verùm virilitatem, laboris tolerantiam, ac audaciam non verisimile est huic naturę innasci, sicut neque eiusdem, neque diuersi generis constãtes, ac perpetui sunt amatores: vincit enim in ipsis voluptas, quę ratio est multiformes generari partus, pręcipue in feris. Atque sic quidem de Aegyptijs, ac Libycis mihi habere videtur.

34 Qui verò ad dextram hyberni ortus solis vsque ad Męotidem paludem habitant. (hic est enim Europę, & Asię terminus) sic habent. Multò maior diuersitas est inter illas ipsas gentes, quàm de quibus iã dixi, cum propter varias tẽporũ mutationes, tũ ob regionis naturam. Habet autem eodem planè mo-

do, quemadmodũ & circa aliorum hominum terras accidit: vbi enim tempora magnas mutationes faciunt,& frequentissimas;illic & regio agrestis,& maxime inæqualis existit, inueniasque & montes plurimos,& densos,itemque campos,& prata. Vbi autẽ non valde variant tempora; illic æqualissima regio est. quòd idem & de hominibus ipsis est intelligendum. Si quis enim recte consideret, videbit quorundam naturam, montanis, syluosis, ac asperis locis similem esse,aliorum verò aquosa,ac exilia loca referre:sicut quidam pratorum,ac paludum naturam præ se ferunt atque alij sunt,quorum planitiebus,nudisque,ac siccis terris constitutio similis existit: tempora enim quæ formarum naturam variant, sunt diuersa. quum ergo inter sese fuerint maxime diuersa; varias,& multiplices formas producunt. Porrò quæ parum inter se differunt gentes,relinquam.

35 Quæ autem plurimum nõ natura solum;sed & legibus,ac consuetudinibus discrepant,de illis referam quomodo habeant. Ac primùm omnium de Macrocephalis,quum nulla omnino alia gens sit,quæ similia capita habeat. A principio quidem consuetudo in causa fuit, vt tam longis capitibus essent. Nunc autem natura ipsa cum consuetudine conspirauit. Si quidem generosissimum apud eos putatur,caput habere quàmmaxime longum. Consuetudinis autem hoc initium fuit. Quum recens infans natus est;caput eius adhuc tenerum,ac molle existens, quàm celerrime constringunt manibus, coaptãtesque cogũt in longitudinem augeri,quin & vinculis connectũt, ac aptis instrumentis colligant; quò rotunditas capitis prohibeatur,ac longitudo augeatur. Ea consuetudo tantum effecit, vt eiusmodi natura capitum existeret. Temporis verò progressu natura quoque tales produxit, vt non esset necesse consuetudine priore cogere.

36 Quum enim semen genitale ab omnibus corporis membris procedat, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum,fiatque,vt ex caluis calui gignãtur,ex cęsiis cæsij, & vt plurimum distortus distortum generet,eademque ratio sit circa reliquas formas;quid prohiberet vt non ex Macrocephalis Macrocephali gignerentur? Nunc autem non nascuntur ita magnis capitibus,quemadmodum prius;quum consuetudo non amplius duret, per incuriam hominum intercepta. Et de his quidem hæc sufficiant.

37 De illis autem,qui Phasim accolunt,adijciã. Regio eorum palustris est, calida, aquosa, & densa, imbresque in eam decidunt omnibus tẽporibus & magni, & impetuosi. homines verò ipsi vitam agunt in paludibus, domosque ligneas, & ex arundinibus in ipsis aquis habent extructas, neque multũ inde prodeunt, vt adeant vel emporia, vel vrbes: verùm nauiculis ex vno ligno fabrefactis permeant sursum,ac deorsum;habent.n. fossas,ac ductus aquarum plurimos. Bibunt autem aquas calidas,& stagnantes,quæ & à sole sunt putrefactæ, & ab imbrium casu auctæ. Ipseque fluuius phasis omnium fluuiorum stagnãtissimus est,& qui lentissimo cursu profluat. fructus autem, qui illic nascuntur,omnes insalubres sunt, euirati,imperfectique præ multitudine aquarum,neque vnquam maturescunt. Atque quum multus aer ab aquis regionẽ occupet; ob hanc ipsam causam, quod ad formam, ac corporum speciem attinet, Phasiani sunt à reliquis hominibus longe diuersi.

38 Sunt.n.magnitudine ingenti,ac corpulentia valde excellenti, neque iuncturæ eorum vllæ, neque venę cõparent:pallidumq; prę se ferunt semper colorem, quemadmodũ,qui regio sunt obnoxij morbo.loquũtur autem vt si qui alij omnium hominũ grauissime, nimirum aere vtẽtes non sereno,sed obscuro,& maxime humectato. Sunt insuper ad laborem à natura ipsa segniores;annique tempora non varias habent, neque ad ęstum,neque ad frigus permutationes. Vẽti autem eis sunt plurimi austrini omnes,pręter vnũ eius regionis proprium & indigenam, qui aliquãdo violentior, ac molestior calidus existens spirat, quẽ Cenchrona patrio vocabulo appellant. Verùm boreas non valde ad eos pertransit. quòd si aliquando spiret;debilis tamen existit,ac valde lenis. De natura ergo,ac diuersitate & forma eorum,qui Asiam,& Europam incolunt, ita habet.

39 Quòd autem timidiores, effœminatiores, ac imbelles prę Europęis Asiani existant, moribusq; mansuetiores,tempora ipsa anni in causa sunt, quę non magnas permutationes faciũt, neque caloris, neque frigoris,sed semper ęqualia permanent. Vnde neque mentes stupore percelluntur,neque corpora fortem transmutationem incurrunt: à quibus verisimile est iram exasperari,cognitionemque,& calorẽ amplius excitari, quàm si semper in eodem statu quis persistat: mutationes enim sunt, quę hominis mentem semper excitant, neque sinunt quiescere. Propter quas sanè causas imbelle vniuersum Asianorum genus existit,atque adhuc amplius propter leges; multo maxima enim Asię pars sub regibus est.

40 Vbi autem non in sua potestate viuunt homines, neque sui iuris sunt,sed dominis subiecti;ibi nõ multum curiosi sunt, quo modo se ad bellum adparent, imò magis hoc curant,vt ne bellicosi videantur;pericula n.eis non ęqualia instant. Nam hi in militiam proficisci, laboresque perferre, ac mortem oppetere pro dominis suis coguntur, relictis interim domi liberis,vxoribus,ac reliquis amicis. atque siquidem viriliter,& feliciter bellum gesserint; dominis inde commoda accedunt, eorumque facultates inde augentur; verùm ipsis pręter pericula, & cędes nihil demetitur. Proinde neque his hominibus regionem frequenter habitatam esse necesse est, imò eam propter inertiam bellicam,ac otium à plerisq; relinqui.

41 Vt.n. quisque maxime à natura virilis, & magnanimus est, ita plurimũ eius animus leges auersatus; cuius rei magnũ inditiũ,vel inde habere licet. Quòd quicunque in Asia Gręci, itemque Barbari dominis non subsunt, sed iure suo degunt, sibijpsisque omnes labores lucrifaciunt, illi bellicosissimi omnium existunt; periclitantur enim ipsi sibi, virilitatisque prędmia ipsi reportant, sicut timiditatis, ac ignauię pœnam luunt pariter. Inuenias autem & Asianos ipsos inter se plurimum differentes,generosiores alios, alios degeneres, quorum oĩum causa ad temporum mutationes est referenda, quemadmodum & in prędcedentibus dixi. Atque sic quidem habet in Asia.

42 In Europa verò genus hominũ est Scythicũ,circa paludẽ habitans Mędotim,quod à reliquis gẽtib. maxime differt,Sauromatę appellantur. Horum fœminę equites sunt, arcubus utũtur, ac sagittas iaculantur ex equis,cum hostibus cõgredientes, dum uirgi-

nes

nes exiſtunt. neq; deuirginantur prius, quàm hoſtiũ tres confecerint, neque prius maritis cohabitant, quàm ſacra Deo patrio more fecerint. Quòd, ſi qua ſibi virũ acceperit; ab equitatu libera eſt, niſi neceſſitas cogat communi expeditione omnes arma ſumere. Dexteram autem mammam non habent: nã puellis adhuc infantibus matres æreo inſtrumento in hunc vſum parato, igneq; candefacto eam auferũt, ac exurunt; ne iterum ſuccreſcere contingat, atque vt omnis vis, ac robur in dextrum humerum, & brachium deferatur.

43 Cæterùm reliqui Scythæ quod ad formã attinet, ipſi ſibi ſimiles ſunt, aliis diſſimiles. Sicut quoque Aegyptij ipſi inter ſe: præter quàm quòd hi à vehementi calore, illi ab intenſo frigore ſunt compreſsi. Verùm ſolitudo, quæ Scythica dicitur, in planicie ſita eſt, pratis abundans, ſublimis, & mediocriter aquoſa: ſunt enim fluuij inea magni, in quos aquæ ex campis per riuos deducitur.

44 In hac itaque Scythæ degunt, qui Nomades vocantur; propterea quòd nullas habeant domos, ſed in curribus habitant. Sunt autem currus, ex quibus minimi quatuor rotis, reliqui ſex circumaguntur. Sunt ẽt luto obturati, ac inſtar domorum fabrefacti, aliqui ſimplici, aliqui etiã triplici tabulato: vnde robur illis ineſt aduerſus omnes iniurias aquarum, niuis, ac ventorum propellendas. Trahunt currus aliquos quidem boum paria duo, aliquos tria, atque hi cornibus carent; quum præ frigore regionis cornua eis non enaſcantur. In his itaq; curribus degunt mulieres. In equis aũt vehuntur viri. Sequuntur autem ſimul oues, boues, & equi. Tandiu deinde in vno ſub ſiſtunt loco, dum ſufficit ipſis pecoribus pabulum, quo deficiente in aliam regionem commigrant. Veſcuntur autem ipſi carnibus coctis: bibuntque lac equinum. comedunt etiam Hippacen, id autem eſt caſeus equinus. Hactenus ergo de victu, & moribus diximus, temporibuſque anni; ac formis, quæ à reliquis hominibus longiſſime ſunt Scythiæ gẽti diuerſæ: ipſa. n. ſibi inter ſe gens ſimilis exiſtit, quemadmodum & gens Aegyptiorum. Minime autem fœcunda ea gens eſt: regioque ipſa minimas feras enutrit, neque numero, neque magnitudine inſignes.

45 Sub ipſis enim Vrſis, Riphæisque montibus ſita eſt, vnde Boreas ſpirat, Solque ipſe ſupremo æſtiuo ſolſtitio deficiens proxime accedit, ac tum quidem exiguo tempore calefacit. Neque verò venti à calidis locis ſpirantes valde ad eam regionem penetrãt, niſi parumper & debiles. Verùm ab Vrſis venti procedente ſunt illic perpetui frigidi, à niuibus, glacie, imbribusque condenſati: qui nunquam à mõtibus, decedunt, vt propterea etiam ægrè habitari poſſint. Aerque ipſe totum ferè diem nubilus campos occupat. Ipſi verò in humidis locis degunt. Et ferè perpetua eſt ipſis hyems, æſtas autem pauciſſimis diebus, atque illis non valde multa: ſunt enim planities eminentiores, & nudæ, neque vllis montibus circunſeptæ, ſed ferè ſub ipſis Vrſis accliues.

46 Neq; feræ naſcuntur illic magnæ: ſed quales poſſibile eſt ſub ipſa terra contegit: prohibet. n. hyems, & nuditas terræ, quæ & diuerticulis, & vmbraculis caret, propter tẽporũ anni mutationes, neq; multas, neque fortes, ſed ſimiles ſemper, vel parũ admodũ diuariantes. Vnde & formas corporum inter ſe ſimiles habẽt; quũ eodẽ vtãtur victu, & amictu, æſtatis, & hyemis tẽpore: attrahuntq; aerẽ aquoſum; cõdenſatũ, aquã inſuper bibẽtes à niuibus, & glacie reſolutam, nullo etiam corporis exercitio accedente; quum non veriſimile ſit corpus, aut animum vllis exercitationibus apta fieri; vbi nõ mutationes temporũ fiunt fortes. Propter quas cauſas formę eorũm ſunt craſſę, & carnoſę; iuncturę verò humectę, & ineffi caces, ventriculique humidi oẽs, maxime oĩum tamen inferior aluus; nequit. n. ipſa exſiccari in eiuſmodi cum regionis, tum naturę, & temporis conſtitutione. Sed pinguedine, & nuditate carnis formæ inuicẽ ſunt ſimiles, maſculorũ maſculis, & fęminarum fęmellis; tempora. n. quũ ſint inter ſe ſimilia; nullas corruptiones, neq; malignitates inferunt in ſeminis genitalis mixturã, ac compactionem; niſi quiddam aliud fortuito, vel caſu contingat, aut à morbo.

47 Magnum aũt argumẽtum humiditatis corporum Scytharũ hoc exhibebo. Multos. n. ipſorũ, præcipue. qui Nomades ſunt, reperias exuſtos humeros, ac brachia habẽtes, manuumq; iuncturas, pectora, coxas, & lũbos, nullam ſanè aliam ob cãm, niſi ob humoris, & molliciei naturę; detractionẽ; nã neque arcus intẽdere, neque telũ torquere poſſunt præ impotentia humiditatis humerorum. quum autem vruntur; humor ipſe à iuncturis exoluitur, fiuntq; corpora ipſorum validiora, melius nutriuntur, & magis reddũtur articulorũ vſu potentia. Fluuida verò fiunt, ac lata primũ; propterea quòd faſcijs nõ colligãtur: quẽadmodum fieri ſolet in Aegypto: deinde quòd non animaduertunt, quomodocunq; inter equitandum equis inſideant: poſtremum ẽt propter deſidiam perpetuam. Maſculi. n. eorum antequã potentes fiant equos conſcendere, atque in illis vehi; plurimum temporis deſident in curribus, raroque prodeunt, vt inambulẽt, propter exilia, ac perpetuas circulationes.

48 Muliebrium autem corporum formæ ad miraculum vſque fluxæ exiſtũt. Porrò Scytharum gens fului valde coloris exiſtit propter frigus ingens: non. n. vehemens accedit ad eos ſol, à frigore verò albedo exuritur, & fit fulua. Neq; verò poſſibile eſt fœcundam eſſe eorum naturam; quum viri minime cupidi ſint cum fœminis commiſceri, ob nimiam corporis liquiditatem, vẽtrisque mollitiem, ac frigiditatem: quæ cauſæ apparent minime viros ad coitum incitari. Accedit his laſſitudo ex cõtinua equitatione contracta, quæ eos ad commiſtionẽ reddit impotentiores. atq; hæ ſunt cauſæ, cur viri infœcundiores putẽtur. Mulieres pinguedo carnis, & humiditas ſteriles facit, præ quibus vteri earũ genitale ſemen nequeũt continere: lunares nanque purgationes eis non eueniunt, quemadmodũ eſt neceſſe, ſed minus. & intempeſtiue per longius tempus. Ipſumque amplius vteri os præ pinguedine concluditur, vt nequeat ſemen ſuſcipere: ſunt enim otioſæ, & pingues, ventresque earum frigidi, & molles. Vnde neceſſario ſequitur, non multum fœcundum Scytharum gentem eſſe, cuius rei famulæ earum indicium exhibent.

49 Nam hæ viris miſceri plurimũ gaudent, in vteroque conceptum continent, propter corporis exercitium frequens, carnisque gracilitatem. Amplius autem plurimi Scythæ Eunuchi fiũt, & muliebria officia obeunt, inſtarque fęminarũ omnia faciunt, & loquuntur, vocanturq; hi effœminati. Et regionis qui

dem incolę cauſam ad Deum referunt,coluntq; hos ipſos homines,& adorant,ſibiipſis timentes nequid tale accidat. Mihi verò hi affectus diuini quidē eſſe videntur, ſicut & reliqui omnes,neq; vllum aliquē alio eſſe diuinorem, aut humaniorem, ſed diuinos omnes.verùm vnuſquiſque eorum ſuam propriā habet naturam, neque aliquis citra naturam accidit. Quare quomodo hic affectus contingat, vt mihi videre videor,narrabo.

50 Ab equitatione ipſa diuturni eos corripiunt articulorū dolores, nimirum propendētibus ſemper ex equis eorū cruribus:deinde claudi fiunt,contrahunturque coxendices,quum inualuerit morbus. Medicātur aūt ſibiipſis hoc modo à principio morbi vtrāque venam retro aures incidūt, quo facto ſanguine multo promanante, ſomnus eos corripit præimbecillitate;ſicq; obdormiſcunt.quorū quidem aliquid depulſo ſomno ſani exurgunt, aliqui verò minime.

51 Atque mihi ſanè videtur ea medicatione ſeipſos perdere: venæ enim retro aures ſunt,quas ſi quis ſecet ſterilitatem inferat his,quibus ſecātur: quare id etiam ipſis ex earum inciſione accidere certum eſt. Quando igitur poſtea vxores adeunt, impotentesq; ſe factos vident cum illis coire; primùm quidem nihil moleſtius cogitantes quieſcunt. quū autem bis, aut ter, aut amplius frūſtra opus tentarunt, neque quicquam proficiunt;mox putant ſe Deum offendiſſe,in quē culpam reijciunt. Induuntque ſe veſte muliebri,palàm ſe euiratos eſſe confitentes, ad mulierumque contuberbia tranſeunt,earum opera tractātes. Hoc itaq; malo ditiſſimi Scytharum afficiūtur, minime verò infimi. Imò qui maxime & genere,& potentia prævalent,ex nulla alia,quā continuę equitationis cauſa hoc perpetiuntur: pauperes verò minus,quum non multū equitent. Vnde ſi hęc affectio alijs diuinior cenſenda eſſet;non nobiliſſimis,nō ditiſſimis Scytharū ferè ſolis accideret:ſed eſſet omnibus æqualiter peculiaris. Imò magis inuaderet pauperes circa cultū deorum negligentiores;ſi ſaltē gaudent dij in hominū admiratione cōſtitui,& pro hoc beneficia hominibus retribuunt. Diuites.n.ſæpius dijs ſacra faciunt,dictimas offerunt,ſtatuas erigunt, coluntq; quum pecunijs abundent.pauperes autem minus id faciunt;quum non habeant. quinetiam aliquando deos deteſtantur,qui eis opes non ſuppeditent,vt veriſimilius eſſet,pauperes,ac parū abundātes hoc malo propter crimina ſua puniri, quàm diuites,& qui opibus abundāt.Verùm(ſicut & prius dixi)diuinus quidem hic affectus eſt,ſecundumq; naturam accidit ſimiliter, vt alij omnes:neq; alia eius cauſa,quàm ea,quam dixi,Scythis exiſtit.Simili autem modo & reliquis hominibus euenit.

52 Vbi.n.frequenter, & continue homines equitāt; ibi plurimi à diuturnis doloribus articulorum, coxendicumque maxime, & pedum corripiuntur, ad coitumq; fiunt impotētes. Quæ omnia mala Scytharum genti adſunt. Atq; propterea Scythæ omnium hominum minime ſunt ad coitum valētes. Et quod anaxyridas (braccharum, ſiue fęminalium id genus eſt) ſemper habent,& plurimum temporis in equis deſides degunt,vt neque manu tractare pudenda liceat,atque præ frigore,& laſsitudine voluptatis,ac iucunditatis coeundi obliuiſcantur,neq; prius aliud ſibi faciendum putent,quàm vt euirati fiant.Hactenus ergo de Scytharum gente recenſui.

53 Reliquum autem in Europa hominum genus valde inter ſe diſſimile eſt, & diuerſum, tum quod ad magnitudinem attinet,tum quod ad formam,atque id propter temporum mutationes contingit apud eos magnas,& frequentes: ſunt enim eis calores vehementes,& hyemes fortes,pluuiæ multæ,rurſumque ſiccitas diutina,& venti plurimi,ex quibus multæ,& omnimodæ fiunt tranſmutationes. Neq; à verò diſcrepat circa generationem,has ipſas mutationes ſentiri,inque ſeminis genitalis coactione aliam, neque ex eodem etiam eandem, æſtatis pariter vt hyemis,pluuioſo,vt ſicco tēpore,progigni. Eaque cauſa eſt, cur putem Europæos magis, quàm Aſianos, ſecundum corporum formas inter ſe diſcrepare, & magnitudines diuerſiſſimas in ſingulis adeò vrbibus prouenire:plures enim corruptiones cōtingunt in ſeminis coactione; quum tempora frequenter variāt,quàm ſi eadem ſunt,& ſimilia. Eadem autem motuum ratio in vtriſque exiſtit. Feritas,integritas,& audacia à natura Europæis innaſcitur: frequentes.n.mentis perculſiones feritatem inducunt, manſuetudinem contrà,& benignitatem extirpant.

54 Quare etiam magnanimos magis eos, qui Europam incolunt Aſianis iudico: Siquidem ſimilitudo, & æqualitas ſegnitiem parit.Mutatio autem & animum, & corpus ad exercitationem excitat. Augetur itaque à deſidia, & ocio timiditas: ab exercitio verò,& laboribus creſcit virilitas. Vnde bellicoſiores quoque Europæi extant,non ob hanc ſolum cauſam, ſed & propter leges: non enim regibus obediunt,quemadmodum Aſiani. Vbi enim ſub regibus viuitur,ibi neceſſe eſt homines timidiſſimos eſſe,quemadmodum & ſuprà oſtendi: ſeruitute nanque animi eorum preſſi non libenter, neque volentes temere pro alijs ſe periculis exponunt. Europæi autem ſuo iure viuentes, quum pro ſeipſis pericula belli ſubeant; magna cupiditate feruntur, volentesque, ac alacres difficultates omnes adgrediuntur,ipſique ſibi ex re bene geſta prędmia reportāt: vt certum ſit leges plurimum ad magnanimitatem cō ferre. Tota itaque,& vniuerſa res de Europa,& Aſia ſic,vt retuli,habet.

55 Cæterùm Europa ipſa adhuc habet gentes inuicem differentes, non magnitudine, & forma ſolum ſed & magnanimitate,ac fortitudine. Quæ verò in eis hāc diuerſitatem faciant,in præcedentibus dixi, dicamque amplius magis manifeſtè. Quicunque regionem montanam, aſperam, nudam, & non aquoſam incolunt, his mutationes temporum contingunt magnæ, & diuerſæ. vnde & hominum formas magnas progigni conuenit, qui & ad laborem, & ad viriliter agendum à natura præſtent, quibuſque feritas, & immanitas non mediocriter à natura ſint congenita. Qui verò loca concaua,pratenſia,& æſtuoſa habitant, ventosque calidos plus ſentiunt, quàm frigidos, & aquis vtuntur calidis, hi magni quidem eſſe non poſſunt, neque bene compoſiti, & longi, ac erecti; ſed in amplitudinem à natura producti carnoſi ſunt, & capillis nigris. Imò & ipſi toti nigri magis,quàm albi,& qui minus de pituita habeant,quàm de bile. Virilitas autem & tolerantia laboris non æquè ipſis à natura ineſt; niſi conſuetudo accedat,& hęc in eis efficiat. Quòd,ſi flumina extent

in

in ea regione,quæ ſtagnantes,& pluuias aquas euehant; homines ipſi in columes, ac ſplendidi uiuent. Si verò flumina deſint,aquasque puteorum ſtagnantes,& olentes bibant; neceſſe eſt ab ipſis illi aquis & ventrem lædi,& ſplenem.

56 Quicunque autem altam habitant regionem, planam,vētis expoſitam,& aquoſam,eorum formæ magnæ,ac inuicem ſimiles,& rectæ. Animi quoque eorum exiſtunt manſuetiores. Qui verò macra, aquis carentia,& nuda loca tenent, & quæ temporum mutationibus non ſunt permixta,horum formas neceſſe eſt eſſe aſperas,& vegetas,flauas magis, quàm nigras. mores etiam eorum rigidi ſunt, pertinaces, & contumnces: vbi enim mutationes temporum contingunt frequentes, & plurimum inter ſe diuerſæ, ibi & formas,& mores, & naturas reperias plurimū differentes.

57 Temporum itaque varietates potiſſimæ ſunt,quę naturam ipſam permutant: deinde etiā regio, in qua quis nutritur:poſtremum autem aquæ. Inuenias.n. ferè ſemper & formas hominum, & mores regionis naturæ compares:nam,vbi terra pinguis eſt,& mollis,& aquoſa,aquæ autem valde ſublimes, ita vt eſtate calidę ſint, & hyeme frigidæ, & temporum ratio aliàs probe conueniat;ibi & homines carnoſi,articulis non adparentibus.humidi,laboris intolerantes,& vt plurimum maligni naſcuntur. ſegnititieſque,& ſomnolentia eis ineſt multa:ſuntque ad artes tractādas craſſi,non acres,aut ſubtiles.

58 Vbi autem regio eſt nuda,natura munita,& aſpera,quæque & à frigore hyberno prematur, & à ſole æſtiuo exuratur; ibi duros,& robuſtos, & articulis probe diſiunctis, vegetosque,& hirſutos reperias homines,& in quibus à natura laboris tolerantia,& vigilantia inſit: quique mores habeant pertinaces, ad iram procliues, & contumaces, magisque feritate participant, quàm manſuetudine: inſuper ad artes etiam acutiores,& plus ſolertes, & ad res bellicas gerendas aptiores. Quin & omnia,quæ è terra proueniunt terræ ipſius naturam reſipiunt, & ſequuntur. Atque hactenus quidem maxime contrarias corporum naturas, & formas diximus:è quibus coniectura facta,ſi quoque reliqua conſideraueris; nunquam à vero aberrabis.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Flatibus.

Argumentum in Librum ſequentem.

1 *Medicina ex quo artium numero. Quæ in Medicina vilia vulgo putantur, cognitu ſunt difficillima. Vſus egregius manuum exercitator,& magiſter.*

2 *De quibus morbis opinio,& de quibus ars iudicet. Morborum cauſſæ. Medicina maximè ſecundum naturam eſt.*

3 *Contraria contrariorum medicamina. Medicina quid.*

4 *Morborum omnium vnus modus, ſpecies, & cauſſa eadem. Corpora omnia triplici nutrimento ſuſtentari. Quid Spiritus in corporibus. & quid extra vocetur, & quantum alijs commodet.*

5 *Ventus aeris fluctus. Sine ſpiritu,aut aeris vi,nihil eſſe,aut fieri. Aer igni nutrimentum præbet. Animantia aquatica quomodo ſpiritu,ac aere in aquis participent.*

6 *Aer mortalibus ſolus vitæ,& morborum eſt autor.*

7 *Febris omnium morborum comes. Febrium duo genera.*

8 *Febris communis quæ,quare,quomodo,quibus, & vnde gignatur. Febris,communis cur non omni animantium generi accidat:*

9 *Quomodo propter malam diætam febres accidant,& quid mala diæta. Cibi varij,& diſſimiles cur noxij. Spiritus cū alimentis itra corpus aſſumitur.*

10 *Fructationes poſt cibos,& potus à ſpiritu.*

11 *Horrores vnde,& cur ante febres corpus concutiant. Horrores maiores, vel minores pro flatuum in corpore qualitate,& quantitate. Tremores,cur,cum horroribus ſimul ingruant. Partes quædam ſanguine plenæ,quædam exangues. Tremor quas partes occupat.*

12 *Hiatus cur febres præcedant. Articulorum ante febres exolutio unde.*

13 *Sudoris ante febres in corpore generatio. Similitudo. capitis dolores ante febres vnde. Pulſuum circa tempora ratio.*

14 *Agitationes inteſtinorum,tormina,oppilationes,quomodo à flatibus cauſentur. Fomenta calida foris ad mota quavis ratione dolorem mitigent.*

15 *Quomodo fluxus per ipſos flatus generentur, & ſanguinis rupturarum circa pectus & autor,& cauſa exiſtant.*

16 *Oculorum,aurium dolores,Grauedinis, Raucedinis, Tuſſis generatio. Quomodo ex pituita exulceratio. Faucium exulceratio,& inflammatio vnde.*

17 *Fluxus ruptura ſine ſpiritu circa pectus. Humori non eſt facilis via ad ardua prodire. Fluxus ruptura ſpontanea.*

18 *Quomodo rupturæ,& ex rupturis aqua intercus fiat. Intercutem morbum à flatibus generare. Spiritus corpus breui implent.*

19 *Quòd ſtupor attonitus,ſeu ſyderatio, à flatibus,& quomodo fiat. Quòd morbus ſacer etiam à flatibus generetur.*

20 *Quomodo ſanguis inter omnia, quæ in corpore ſunt,maxime ad prudentiam conferat. Somno ſanguis frigeſit. Grauia omnia natura deorſum feruntur. In ſomniorum ratio, Ex ſanguinis per ebrietatem repentina auctione animi perculſio.*

21 *Affectus,& cognitiones à conſuetudine. Morbus ſacer. Ex ſanguinis peruerſione,totius corporis ſubuerſio.*

22 *Sacro morbo laborantes,cur ſenſibus priuentur. Spuma in ſacro morbo vnde. Spumæ omnes cur albæ.*

23 *Quo tempore nonnulli,& quomodo à morbo ſacro liberentur. Epilogus.*

1 SVnt quædam artes, quæ illis, quibus earum cognitio contingit, multum laboris, ac moleſtiarum exhibent: illis verò, qui earum vſu indigent, iucundæ, ac vtiles exiſtunt. Imò ignaris etiam, ac plebeis hominibus commune quoddam ſunt bonum: his verò, qui eas exercent, planè moleſtæ. Ex harũ artiũ numero eſt & ea, quæ medicina appellatur: medicus.n. oculis perluſtrat ſingula pericula, contrectat etiam nulla voluptate, & ex alieno malo proprias ſibi demetit moleſtias. Aegrotantes autem artis beneficio, à maximis malis liberãtur, à morbis, à dolorib. à triſtitia, à morte: omnibus.n. his euidens Medicina auxiliatrix reperitur. Huius autẽ artis, quæ vilia vulgo putantur, cognoſcere difficile eſt: quæ verò alicuius precij exiſtunt, facile. atque vilia quidem ſoli Medici norunt, vulgus ignorat: non.n. corporis, ſed animi opera exiſtunt. Quæcunque quidem manuum operã exigunt, ad ea conſuetudine perueniendum eſt: eſt.n. vſus ipſe egregius manuum exercitator, & magiſter.

2 Verùm de non adparentibus, & difficillimis ægritudinibus planè opinio magis, quã ars ipſa iudicat. In his ergo plurimum refert, expertuſne ſit quis, an omni experientia carens. Vnum autem eſt horũ omnium iudicium, hoc, ſcilicet, Quæ tandem cauſa ſit morborum, & quod principium, ac quaſi fons ſit, ex quo corporis mala omnia ſcaturiant. Si quis.n. cauſas corporis affecti probe cognouit; potens eſt valde ea adferre, quæ corpori commodent, nimirũ contraria corporibus morborum natura perſpecta: eſt .n. maxime ſecundum naturam ipſa Medicina. Quare ſtatim vbi fames moleſtat; morbus fit: quicquid.n. homini moleſtiã, ac triſtitiam infert, hoc morbus vocatur. Quod ergo eſt famis remedium? hoc ſcilicet, quod famem ſedat, id autem facit cibus. eo ergo malum illud medicandum. Amplius autem vbi ſitis vrgeat; bibere competit: & rurſus, repletioni euacuatio, euacuationi repletio, labori quies ſuccurrit, & quietis medelam ex labore reperias: atq; vt breuiter dicam, contraria contrariorum ſunt medicamina.

3 Medicina.n. nihil aliud eſt, niſi adpoſitio, & ablatio. Ablatio quidem eorum, quæ excedunt, adpoſitio verò eorum, quæ deficiunt. qui autem iſtud optime facere poteſt, is optimus Medicus cenſebitur, quantumque quis ab hoc præſtando deficit, tantum deficit quoq; ab ipſa arte. Atque hęc quidem pręter inſtitutum futuri ſermonis à me dicta ſunt.

4 Morborum autem omnium vnus, & idem modus eſt Locus verò ipſe eorum differentiam facit. Quare videntur quidem morbi inter ſe nihil ſimile habere propter diuerſitatem ſcilicet locorum; quũ ſit tamẽ vna morborum omnium & ſpecies, & cauſa quoque eadem. Quæ autem hæc ipſa ſit, in ſermonis huius progreſſu manifeſtum facere conabor. Corpora enim omnia tum hominum, tum reliquorum quoq; animantium à triplici nutrimento ſuſtentantur. Horum autem nutrimentorũ nomina hæc ſunt, cibus, potus, ſpiritus. Ac ſpiritus quidẽ, qui in corporibus ſunt, flatus vocãtur: qui verò extra corpora exiſtũt, aer. Qui ſanè maximus eſt in omnibus, quæ corpori accidunt, & autor, & dominus. Quare operæ preciũ eſt eius potentiam diligentius perſpicere.

5 Ventus enim ipſius aeris fluctus, & vnda exiſtit. Quando igitur multus aer fortes fluctus facit; tũ & arbores radicitus euellũtur, & mare vndis exęſtuat, ſpirituum potẽtiam ita cogente, & naues onerarias etiam & ingentes in altum diſijciente. Talem itaq; vim in iſta exercet; etiam ſi oculis minime ſit cõſpicuus, & tantùm conſideratione cognoſcatur. & effectu ſuo fiat manifeſtus. Quid autem ſine hoc fit tandem? aut cui rei non adeſt? Omne enim quod inter cęlũ, & terram eſt, ſpiritu repletum eſt. Hic & hyemis, & æſtatis cauſa eſt: in hyeme quidẽ frigidus, & condenſatus: in æſtate autem mitis, & tranquillus. Quin, & ſolis, & lunę, & aſtrorũ omniũ curſus per ſpiritum procedunt: etenim igni ſpiritus nutrimentum præbet, quo ſi ignis priuetur; viuere nõ poſſit. Et ſolis perpetuum curſum aer perpetuus, & tenuis conſeruat. Verum neque mare ipſum ſpiritus exors eſſe omnibus manifeſtum eſſe puto: non.n. viuere tantia animantia poſſent; ſi non ſpiritu participarẽt. quomodo autem participarent; ſi non per aquam, & ex aqua ſpiritum attraherent? Et Lunę hic fundamẽtum eſt, & terrę vehiculum, neq; quicquam vſquam eſt ſpiritu vacuum. Atque hactenus quidem quantũ aer alijs commodet, diximus.

6 Mortalibus autem vitę, & morborum ægrotis, ſolus is eſt autor. Tantaq; omnibus corporibus ſpiritus neceſſitas extat, vt, ſiquidem omnibus alijs abſtineat homo, neque cibum ſumat, neq; potum; poſſit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere. Si cui verò ſpiritus in corpus viæ intercipiantur; in breui parte vnius diei intereat, vt vel hinc quanto vſui ſpiritus corpori ſit liceat æſtimare. Amplius autẽ ab omnibus operibus aliquando immunes quieſcunt homines: (multę.n. ſunt mutationes in vita) verum ab hoc opere nulla omnibus mortalibus animantib. requies contingit, vt ceſſent ſpiritũ adducere, ac rurſum exhalare. Vides ergo ex his, quæ dixi, quanta communio omnibus animantibus in fruẽdo aere exiſtat. Subijciam igitur mox & illud, quòd non aliunde vnquam veriſimile ſit morbos euenire, quàm inde, ſi is aut plus, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis ſordibus inquinatior in corpus ſe ingerat. Sed hæc de vniuerſa ac redicta ſufficiãt. Ad ipſa nunc opera ſermonem conuertens demonſtrabo, omnes morbos ex hoc oriundos corporibus innaſci ac generari.

7 Primùm autem à communiſſimo morbo febrili exordium ſumam, & qui omnium morborum comes eſt: præcipue tamen ex inflammatione, & tenſione abſceſſuum. Quod ſatis indicãt ſequentia offendicula; ſtatim.n. cum inflammatione inguinum abſceſſus, & febris conſequitur. Sunt autem febrium genera duo, vt hoc quoque nunc attingam, quorum alterum commune omnibus peſtis adpellatur, alterum propter malam diætam priuatim his contingit, qui ea vtuntur. vtriuſque autem generis aer autor, & cauſa exiſtit.

8 Communis ergo febris propterea omnibus accidit, quòd eundem ſpiritum omnes adtrahunt, fitque vt ſimili corpori ſimiles ſpiritus ſimiliter permixti, ſimiles gignant febres. Sed eſt fortaſſe qui dicat, Vt quid ergo non omnibus animantibus, ſed alicui eorum generi incidunt hi morbi? Cui ego ſic reſponderim. Differt corpus à corpore, natura à natura, & nutrimentum à nutrimento: non.n. omni animantium generi eadẽ aut non conferunt, aut commoda ſunt;

ſed

sed sunt alia alijs magis conuenientia. Quãdo igitur aer eiusmodi inquinamentis plenus est, quibus humana natura offenditur, homines ægrotant. Quãdo verò alteri cuipiam animantium generi aer inconueniens est; tum morbus illud genus corripit. Qui ergo populares sint morbi hactenus dictum sit, & quare, & quomodo, & quibus, & vnde gignantur.

9 Quomodo autem propter malam dietem febris accidat, deinceps exponam. Est autem mala dieta hęc. Primum quidem quum quis plures cibos liquidos, aut siccos ingerit in corpus, quàm ipsum corpus ferre queat, neque laborem aliquem ciborum saltem multitudini parem adiungit. Deinde quum varios, & dissimiles inter se cibos adsumit; seditionem enim mouent, quæ sunt inæqualia, aliquaque citius, alia difficilius concoquuntur. Cum multorum autem ciborum ingestione necesse est & multum spiritũ ingredi: omnia enim, quę eduntur, & bibuntur, spiritus in corpus inferunt, aliquando plures, aliquando etiam pauciores. Id autem inde manifestum fit, quòd plurimis eructationes post cibos, & potus euenire solent, discurrente nimirum aere incluso, vbi perrupe rit bullas, quibus fuerat incluſus.

10 Quando igitur corpus cibis expletum est, ac spiritus quoque multitudo vehementer excellit, dum cibi & ventri diu immorantur. (immorantur autem cibi quũ præ multitudine exire nequeant) & inferior venter, vel aluus ipsa sit obturata; per vniuersum corpus permeant flatus, sanguineque plenas corporis partes maxime petentes eas, frigefacinnt; frigefactis autem his locis, vnde fontes, & radices sanguinis prodeunt, per vniuersum corpus horror cõsequitur. vniuerso aũt sãguine frigefacto, totũ corpus horret.

11 Quæ ratio est, cur primum horrores ante febres corpus concutiant, quantoque maiore impetu multitudinis, & frigiditatis ipsi flatus præcelluerint, tantò maior fit, & horror, à pluribus videlicet, & frigidioribus fortior, à paucioribus, ac minus frigidis, minus etiam fortis. Cum horroribus autem & tremores corporis accidunt secundum eundem planè modum; sanguis enim præsentis horroris timore perculsus concurrit, ac penetrat per omne corpus ad locos maxime calidos: hi enim sunt eius saltus. Decedente itaque ab extremis corporis partibus sanguine, viscera contremiscunt, & carnes. Sunt autem quędam corporis partes sanguine plenę, quędam verò exangues. Exanguens itaque propter frigus non tremunt, sed parum per commouentur, ac palpitant; quum calor ex eis defecerit. Sãguine autem abundantes propter sanguinis multitudinem & tremunt, & inflammationes suscitant: nequit enim fieri, vt sanguinis multitudo conquiescat.

12 Hiatus etiam pręcedere solet febres; siquidẽ multus aer coaceruatus, cumulatim superna petens commouet, ac diducit os; quum per hoc facillimus ei exitus pateat. Quemadmodum enim ab aquis in lebete feruentibus vapor multus eleuatur; sic & corpore calefacto penetrat per os aer conuolutus, & quadam vi erumpens. Amplius autem & articuli exoluuntur ante febres; calefacti enim nerui diducuntur. Quando autem congregatus fuerit cumulatim plurimus sanguis; calefit rursus ipse aer, qui antea sanguinem infrigidauit. Nimirum à calore multo victus, accensusque, ac velut igneus factus, per omne corpus calorem spargit, cooperante ei in hoc etiam ipso sanguine. Liquefit ergo quicquid ignea vis illa attigerit, fitque inde spiritus.

13 Qui quũ ad meatus corporis irruerit. sudores fiũt. Siquidem spiritus compactus in aquam transmutatur, & per meatus penetrans extra prorumpit eodẽ planè modo, quo à feruentibus aquis vapor eleuatus; si obstaculum habeat, ad quod impingere oportet, pinguefit, ac condensatur, guttæque destillãt ab his corporibus, quibus vapor ipse fuit impactus. Insuper autẽ & dolores capitis simul cum febre accidunt, cuius rei hæc causa est. Sanguinis transitus in capite magna angustia coarctãtur; repleti enim sunt multo aere: cuius abundantia, ac conclusio dolorem excitat i capite: sanguis enim ipse natura calidus existens, vi coactus per angustam viam tranfire celerrime non potest; quum multa impedimento sint obstacula, & oppilationes, quapropter etiam pulsus fiunt circa tẽpora. Hoc ergo modo, vt dixi, febres fiunt, & cum febribus dolores, ac aliæ quædam ægritudines.

14 Porrò sunt aliquæ aliæ infirmitates; vtpote uoluuli; agitationes intestinorum tormina, atque oppilationes; quod autem hæ ipsæ omnes a flatib. causam habeant, nemini puto non manifestum esse; omnium enim horum causa est spiritus transitus. Nam is quũ contingit locos teneros, inconsuetos, ac prius intactos; quemadmodum spiculum infixum penetrans per carnem perrumpit; aliquando pręcordia petens, aliquando ilia, imò quandoque vtraque simul adfligens. Quare solent quidã calida fomenta extra adhibentes dolorem mitigare; rarefacto enim corpore a calore, fomẽtum spiritus inde exhalat, vt quies inde aliqua, & mitigatio contingat dolorum.

15 Sed dixerit fortassis quispiam. Quomodo ergo fluxus generãtur per ipsos flatus? Et quonam modo sanguinis rupturarũ circa pectus flatus autor, & causa existit? Opinor autem ego me ista per hæc manifeste declaraturum. Quum igitur venæ circa caput aere repletæ sunt, primùm quidẽ caput ipsum propter flatus inclusos aggrauatur; deinde conuoluitur spiritus cum sanguine propter angustiam uiarum, tenuissimum autem ipsius sanguinis per venas excluditur, atque idipsum tenuissimum liquidum quum coacer uatur; per alios meatus fluit; &, vbi tãdẽ cumulatim progrediens constiterit; ibi constituitur & morbus.

16 Si itaq; ad oculos peruenerit; sequitur eorum dolor; si ad aures; morbus & illas occupat; si ad nares; grauedinem generat; si ad pectus, raucedinem; pituita enim ipsa acribus humoribus permixta, quocunq; proruperit, maxime in non cõsuetos locos, eos exulcerat. Quod si fauces teneras aliàs fluxus petiuerit; eas exasperat; spiritus enim, qui fauces ingreditur, ad pectus vsq; procedit, ac rursus effertur per eandẽ uiam. Quum autem spiritus ingrediens in fluxum, qui intus est inciderit; tussis gignitur, & repellitur sum pituita. Quæ quum sic habeant, fauces exulcerãtur, exasperantur & inflammãtur, adtrahuntq; calefactę humorem de capite. caput autẽ rursus ab alijs corporis partibus adtrahens his transmittit.

17 Quum igitur hic fluxus consueuit sic manare; implentur meatus, & transmittunt in pectus. Acris autem quum sit pituita carnem penetrans: exulcerat, ac perfringit venas. Ex quibus sanguis effusus in alienos sibi locos ubi moram traxerit; putrescit, acin

pus

pes conuertitur,& neq; ſurſum poteſt conſcendere, neque infra exire. Surſum non; nã non facilis eſt via humori ad ardua prodire, ſicut neq; alijs rebus, quæ aliquam admixtam ſecum habent grauitatem. Infra autem procedere prohibet ſeptũ tranſuerſum. Quare ſanè contingit fluxum aliquem citra ſpiritum rũpi,& aliquando quidẽ ſua ſponte; quandoq; etiã propter dolores. Ac ſpõte quidem; quum aer in venas vltro receptus ſanguinis meatus coarctat: multitudine nãque ſua cõpreſſus ſanguis meatus perfringit, qua eius copia maximè prorumpit. Effuſione aũt eius facta, venę rurſus ſpiritu complentur,& ex eo dolor ſequitur: neceſſe eſt enim affectum locum ſpiritu occupari, aliaq́ue dictis ſimilia fieri.

18 Rupturæ autem omnes fiunt hoc modo. Quũ vi olentia quadã inuicem diſcedunt,& finduntur carnes fiſſuram ſubtercurrit ſpiritus, ac dolore adfligit. quũ autẽ ipſi flatus carnes pergreſſi, meatus corporis rarefecerint: ſequitur poſt flatus humiditas, cui viã iã antea aer præſtrauit. Irriguo itaq; corpore ab humiditate facto, liquefiunt carnes, tumoreſq́; in ſuras deſcendunt, atq; morbus fit, qui aqua intercus ad pellatur. Maximum autẽ ſignum eſt, morbum hunc à flatibus generatum eſſe, ꝙ iam ſæpe aliqui hoc malo affecti exoluti ſunt,& ab aqua euacuati. Atq; his quidẽ ſubito aqua ex ventre prorumpens multa adparet, poſt moram autẽ paucior fit. Cur verò hoc fiat ſatis manifeſtum eſt. Nam primũ ſubito prorũpens aqua aere plena eſt, is tumorem, ac aceruum prę ſe fert ingentem. quum autem aeris ſpiritus euanuerit: remanet planè eadẽ aqua,& adparet quidem paucior, verùm penitus eadem exiſtit. Adiiciã autẽ aliud adhuc ſignum. Si quis vniuerſum vẽtrem penitus euacuet; non tres procedũt dies, rurſus plenus fit. Quid ergo aliud, quod impleat, putandum eſt, quàm ſpiritus? Quid enim aliud tam repente impleſſet? nam neque tãtum potuum in corpus ingeſtum eſt, neque carnes in cauſſa eſſe poſſunt, vtpote antea liquefactæ. Superſunt autem oſſa, nerui, chordæ, fibræ, à quorum nullo ullũ aliquod aquæ augmentum poteſt prouenire. Ergo quomodo aqua intercus fiat, iam ſit dictum, ꝙ verò ſtupor attonitus vel ſyderatio à flatibus fiat, deinceps demonſtrabo.

19 Quum ergo flatus frigidi multi penetrent, ac inflent carnes; partes corporis ſtupidæ fiunt,& ſiquidẽ plurimi flatus per vniuerſum corpus diſcurrant; totus homo ſyderatur; ſi per partẽ; pars illa percutitur. atque, vbi abierint flatus; ceſſat & morbus. quamdiu aũt permanſerint; conſiſtit & morbus. idq́; ſic habere indicat perpetuus ſyderatorum hiatus. Videtur autẽ mihi amplius & ſacrũ adpellatum morbum ab ipſis flatibus gigni; quibus autẽ rationibus ego perſuaſus ſum, illis ipſis & auſcultaturos perſuadere conabor.

20 Opinor autẽ inter omnia, quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam cõferre, quàm ſanguinem. Hinc ergo quum in conſtanti habitu perſiſtit; cõſiſtit & prudẽtia; ſanguine verò permutato, cõcidit ſimul & prudentia. Quòd aũt hęc ita habeãt, multa ſunt teſtimonia. Ac primum quidẽ, qui omnibus animantibus cõis eſt, hęc confirmat ſomnus; quum. n. corpus inuaſerit ſomnus, ſanguis frigeſit, à natura. n. ſomno frigefaciẽdi uis eſt. Infrigidato aũt ſanguine, langui diores fiunt eius meatus. quod hinc palàm fit, ꝙ corpora aggauata reclinanẽ, Omnia. n. grauia natura ad fundũ deferuntur,& oculi ardent,& prudẽtia permutatur, opinionesq́; peregrinę mentẽ occupãt,& exercẽt, quę ſanè inſomnia appellantur. Quin & in temulẽtis per ebrietatẽ aucto repẽte ſanguine, percellitur aĩus,& in animo prudẽtia, fiuntq́; præſentiũ malorũ obliuioſi, ac futurorum bonorum fœcunda ſpe beantur. Poſſem autẽ plurima eiuſmodi congerere, in quibus ſanguinis permutationes, animi quoquè prudentiã permutant. Siquidẽ igitur penitus totus conturbatus eſt ſanguis; penitus & prudentia proſternitur.

21 Affectus enim, & cognitiones à conſuetudine cõtingunt. quum aũt à conſuetudine ſolita recedimus; aufertur nobis prudentia. Dico itaq; & ſacrum morbũ tum fieri; quum plurimus ſpiritus per omne corpus vniuerſo ſanguini fuerit permixtus: tum enim multæ oppilationes fiunt multifariã per omnes venas. quumq́ue in craſſiores,& pleniores ſanguine venas aer prodierit, progreſſusq́ue diutius maneat; prohibet ſanguinis curſum, atque alio quidem loco conſiſtit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius. Qua ſanè inæqualitate tranſitus ſanguinis per corpus facta, omnigenæ inæqualitates per omne corpus contingunt: omne enim corpus vndiquaque contrahitur, ac turbatur, nimirum corpore partes ſuas ad tumultum, ac conturbationem ſanguinis adminiſtrante, contingunt́que ex ſanguinis peruerſione, totius omnino corporis ſubuerſiones.

22 Eo enim, quo corripiuntur à morbo, tempore neque ſentiunt quicquam, neque audiunt, quæ dicuntur, neq; vident, quę fiunt, neq; vllos aliquos dolores percipiunt: ſic nanque aer conturbatus ſanguinẽ turbauit, ac conſpurcauit. Spumaq́; etiam per os illis excurrit, neq́; id ab re eſt: nam per iugulares venas aer tranſiens, penetrat quidem ipſe, adducit autem ſimul ſecum quod tenuiſſimum eſt in ſanguine. idipſum quum humidum ſit; multa permixtione albeſcit: tenues enim membranas purus permeans aer pellucet. quapropter & albæ ſpumæ omnes adparent.

23 Porrò liberantur aliquando huic morbo obnoxij, maxime accedente hyeme. Quomodo autẽ id fiat, dicam. Quãdo varijs laboribus exercitatum corpus calefactum eſt, calefit & ſanguis, qui calefactus rurſus calefacit & flatus: hi verò calefacti, diſſoluũtur & ipſi,& compactum ſanguinem diſſoluunt ſimul, proceduntq́; è corpore partum cum ſpiritu, partim cũ pituita electi. Deferuente itaq; ſpuma,& cõſiſtente ſanguine, tranquillitateq́; per omne corpus facta, quieſcit etiam morbus. Quare, vt dixi, flatus ipſi verè omnium iſtorum morborum omnimodæ exiſtũt cauſæ. Cæteraq́ue omnia, quæ cauſæ videri queant, vel hos adiuuant, vel conſequenter poſt hos in corporibus morbos penetrant. Hactenus ergo morborum omnium cauſas flatus eſſe demonſtraui. Id enim à principio receperam me fracturum. Recenſui autem ſpiritum ipſum, quum in alijs omnibus rebus potentem, tum maxime in animantium corporibus plurimum poſſe. Deduxi autem ſermonem vſque ad morborum cognitionem, atque adeò ægritudinum ſingularum, in quibus verùm argumentum huius ſermonis eſt à me manifeſtatum. Quòd, ſi pergerem ſingula ægritudinum genera recenſendo amplius corroborare; longius quidem ſermo ipſe extenderetur: verus autem nihilominus futurus eſſet, & qui fidem ſuam omnibus probaret.

HIPPO-

HIPPOCRATIS COI

Liber de Medicamentis purgantibus.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Medicamenta purgantia non temere exhibenda. Cibi seu alimenta, medicamenta putanda.*
2 *Quæ quibus medicamenta danda.*
3 *Quæ præmittendæ interrogationes.*
4 *Quibus morbis, quove tempore exhibendæ medicinæ purgatoriæ.*
5 *Clysteres febricitantibus etiam quoquo tempore conueniunt.*

1 MEdicamentorum purgantium res non ita se habet, quemadmodum vulgo putatur. Eodem enim medicamento purgãtur, & non purgantur. Quandoque verò alia purgat, quàm quæ purgare solet: aliquando nimium purgat: aliquando ea, quæ debet, facit. Quare fieri non potest, vt quis medicamentis confisus, ea temere exhibeat: nam & cibos nos alẽtes, medicamenta esse putandum est, verùm minus, quàm illa: homines enim, qui his rectè in cibo vtuntur, sani sunt: qui non rectè, ęgrotant. qui verò modum excedunt, purgantur quidem velut à finceris medicamẽtis, verùm minus, & tardius, quàm à finceris medicamentis. Clarum igitur est, quòd & hi medicamenta existunt. At verò hi tardiores, qui & familiares nobis sunt, & quotidie in corpus ingrediuntur: si temere, & negligenter exhibeantur, temere homines turbant, & quõdammodo morbos inducũt. Quin & finceros, & acidos cibos si quis citra delectum, ac inconsiderate exhibeat, nihil commodi perficient.

2 Oportet igitur primum biliosis dare quod bilem purgat, pituitosis quod pituitam, hydropicis quod aquam, atrabiliarijs quod bilem atram. Si verò extra hæc purgaueris; quæ quidem purgari debent, non purgabis: quæ verò non debent, ea euacuabis. Quare in vtranque partem peccabis.

3 Quum itaque pharmacum alicui dare voles, siue deorsum, siue sursum purgãs; interrogare ipsum oportet, an prius biberit medicamentum, & an aluus ex deorsum purgantibus cita sit, & celeriter obediat, aut dura. Et, si citam, ac facilem solutu esse dixerit; mollioribus, & paucioribus medicamentis opus habet. si verò dura fuerit; fortioribus indiget. Idem modus in sursum purgantibus requiritur. At, si nũquam neque sursum, neque deorsum se purgatum esse dixerit, neque medicamentum bibisse; cognoscere oportet, an ad ea, quę sanus in corpus ingessit, aluus deorsum solutu facilis fuerit, aut sursum versus apposita ad vomitionem, & an ad repletionem aliquam alui profluuium ipsi successerit. Hæc omnia interrogare oportet, quo recte consulere possis: turpi enim est calamitas, medicamento purgante dato hominem occidere.

4 Quicunque igitur à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris: sin minus; saltẽ nõ intra quatuordecim dies: carnes enim ipsorum, & vẽtres quũ calidi sint; medicamentum assumunt, & nihil depurgantur, & febris maior fit, & color euertitur, & morbi regij speciem præ se ferunt. Commota enim bile, & non purgata, non sorbere vult æger, neque bibere; sed omnia abominatur, & plerunque perit.

5 Si verò detinet medicamẽtum; ante meridiem nihil purgatur: à meridie verò, nimium purgatur, & perit. At si hac die superstes maneat, & vnà cum purgatione remittat febris; sanus fit. Quapropter in febribus vehementibus medicamẽta purgatoria exhibere non oportet. Verũm, si alicui opus fuerit; infusum per clysterem adhibere potes, quotiescunque volueris: hoc enim minoris periculi est. Iuxta eandẽ rationem etiam tempore æstatis, à canis ortu, per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum, sed infusis per clysterem vti: idem enim periculum imminet.

HIPPOCRATIS COI

De Diæta, siue victus ratione. Liber I.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Quæ de victu humano scripturum nosse, ac dijudicare oporteat. Ciborum, ac potuum facultas.*
2 *Cibi, & labores contrarias habent facultates. Laborum, seu exercitiorum tum naturalium, tum verò quæ per vim fiunt, &c. cognitio. Astrorum ortus, & occasus obseruatio, ac cognitio.*
3 *Ciborum mensura inuenta, & laborum ad vnamquamque naturam numerus (quod tamen fieri nequit) sanitatis exacta inuentio est. Morbi non derepente fiunt. Morborum causæ, seu excessus, priusquam sanitas à morbo superetur.*
4 *Animantium omnium, & hominis constitutio ex duobus, igne, & aqua. Ignis omnia mouet: aqua omnia nutrit. Aquam neque ab igne, neque ignẽ ab aqua penitus superari.*

Igni,

5 *Igni, & aquæ quatuor qualitates primas ineſſe. Corpora nulla perire, neque fieri, quæ prius non erant: verùm permixta, & diſcreta alteri. Generatio, corruptio, auctio, diminutio, ac ſecretio idem putantur. Naturæ opera vel volentibus, vel nolentibus nobis diuina neceſſitate perficiuntur.*

6 *Corruptio omnibus inter ſe mutata eſt. Naturæ opera diuerſa.*

7 *Simile tranſire ad ſimile. Locus vnicuique proprius.*

8 *Animam in ſolo homine augeri.*

9 *Auctio, & nutritio partium corporis ex diæta. Similitudo de fabris lignarijs ad alimenta corporum.*

10 *Mixtio fit per harmoniam.*

11 *Fœtus generatio ex igne & aqua.*

12 *Humor in ventre plurimus. Ignis in reliquo corpore circuitus tres, & quod in illo humidiſſimum eſt, in venis cauis exiſtit.*

13 *Natura, & lex, quid differunt.*

14 *Artes omnes licet diuerſas, ac diſcordes, cum natura humana communicare. Venter non intellecta nouit.*

15 *Fabri ferrarij, Fullones, Sutores ſimiles medico.*

16 *Medicinæ officium, ſeu finis. Fabri lignarij, Aedificatores cum natura comparati.*

17 *Muſica. Quæ plurimum diuerſa ſunt, maxime concordant, ac delectant. Pellium tinctores. Plicatores, Aurifices. Piſtores. Statuarij. Figuli.*

18 *Grammatica quid. Notitiam & ſenſus per ſeptem figuras homini contingere.*

19 *Palæſtritæ, & pædotribæ. Artes omnes cum humana natura communicare.*

20 *Anima hominis non ſimiliter in omnibus augeſcit. Corpora quæ nutriri, ac augeri poſſint. Corpora fortiora, & imbecilliora quæ.*

21 *Partium humani corporis diſcriminatio, & auctio ſimul contingit.*

22 *Fœmellæ, & maſculi à quibus maxime augeſcant. Maſculum, aut fœmellam vt generes, qua diæta vtendum.*

23 *Maſculus & fœmella cur conſiſtere poſſint. Anima ſemper in quolibet corpore ſimilis. Qui viri animis ſplendidi, & qui non. Viriles qui. Androgyni quomodo naſcantur.*

24 *Fœminoſiſſimæ, ac ingenioſiſſimæ quæ mulieres. Viragines quomodo naſcantur. Animam animæ ammiſceri.*

25 *Gemini quomodo naſcantur. Gemelli maſculi, aut fœmellæ quomodo naſcantur, & cur ſibi ſimiles.*

26 *Superfœtationes quomodo fiant. Quomodo de naturæ cognitione à prima conſtitutione cognoſcere oporteat. Aeris & ignis variſſimæ partes in hominis corpore commiſtæ ſaniſſimum habitum conſtituunt.*

27 *Naturarum robuſtarum conſtitutio, ex quibus elementis. Frigidæ & humidæ conſtitutiones.*

28 *Naturæ humidæ & calidæ conſtitutio. Calidi & ſicci temperamenti conſtitutio.*

29 *Naturæ ſiccæ & frigidæ conſtitutio.*

30 *De Puerorum, Adoleſcentium, Virorum, Senum, temperamento. Maſculi fœmellis cur calidiores & ſiccio-res.*

31 *De temperamento animæ ſapientis, aut deſipientis. Anima ſapientiſſima, & memoria valentiſſima in quo temperamento, & cur. Deſipientiſſima quæ.*

32 *Sapientes ſecundo ordine & conſtantes cum manſuetudine.*

33 *Victus eorum ratio. Exercitia. Meatus corporis cauiores redditi, animæ motum grauant. Deambulationes matutinæ, veſpertinæ, ab exercitijs. Vomit quibus conferat. Vnctio. Coitu quando vtendum.*

34 *Stolidi ex quo temperamento: & cur hi tardiores exiſtant. Victus eorundem ratio.*

35 *Deſipientes, & ſtupidi, qui, & vnde. Veratri purgatio à fomentis.*

36 *Sani, ac ſapientes ex qua elementorum permixtione. Diæta. Exercitia. Corpus ſanum nec ab alijs perturbatum, animi ſapientis cauſa eſt.*

37 *Inconſtantes ex qua elementorum mixtione, & cur. Diæta. Labores. Actiones quibus, & cur à cibis obeundæ.*

38 *Subfurioſi natura qui. Victus eorum ratio. Somnus meridianus quibus æſtate conferat. Veratri purgatio poſt fomenta.*

39 *Ignem, vel aqua in temperamento aliquo prævalente, fieri nequit, vt tales ad ſymmetriam aliquam perduci queant. Iracundi, ſegnes, doloſi, ſimplices, infeſti, beneuoli, vnde, & cur ex diæta immutari non poſſint.*

40 *Vocum differentiæ ex meatibus.*

SIquis mihi ex prioribus, qui de diæta humana ad ſanitatem conferente ſcripſerunt, recte cognouiſſe, ac omnia per totum, quantum humanæ menti poſſibile eſt, conſcripſiſſe videretur; ſatis eſſet mihi aliorum laboribus, quos noſſe recte habere, vti, prout ſingula vtilia eſſe viderentur. Nunc verò multi quidem iam ſcripſerunt, nullus autem recte nouit, quidnam fuerit ipſis ſcribendum. Et alij quidem aliud aſſequuti ſunt: verùm totum nullus adhuc ex prioribus. Immerito autem vllus aliquis ipſorum reprehendatur; propterea quòd inuenire nō potuerunt. Imò laudandi potius omnes, quòd inueſtigare conati ſunt. Itaq; redarguere ea, quæ non recte dicta ſunt, minime inſtitui. Verùm his, quæ ſufficienter cognita ſunt, teſtimoniū præbere animus eſt. Quæcunque quidem igitur rectè à prioribus dicta ſunt, vt non ſit poſſibile me aliter conſcribere, rectè conſcribam. Quæcūque verò non rectè dixerunt, ſi quidem redarguam hæc quòd non ſic ſe habent; nihil perfecero: verùm exponēdo qua de cauſſa ſingula ipſorum rectè mihi habere videntur, declarare volo. Propterea verò hunc ſermonem præpono, quòd multi homines ybi audierint aliquem prius de re aliqua expoſuiſſe, eum, qui de his poſterius diſſerit, non recipiunt, non cognoſcentes, quòd eiuſdem intelligentiæ eſt, ea, quę rectè dicta ſunt, poſſe iudicare. Ego igitur, velut dixi, rectè quidem dictis teſtimonium præbebo: quæ verò non rectè dicta ſunt, ac cognita, qualia ſint, declarabo. Quæ autem nullus ex prioribus explanare tentauit, ea etiam ipſa qualia ſint demonſtrabo.

1 Porrò eum, qui de victu humano ſcripturus eſt, cenſeo primum quidem totius hominis naturā noſſe, ac diiudicare oportere. Noſſe quidem ex quibus ab initio conſtitutus eſt, diiudicare verò quæ in ipſo partes dominium obtineant: ſi enim conſtitutionem ab initio non cognoſcet, & id, quod in corpore dominatur; non poterit ea, quæ homini conducunt offerre. hęc igitur ſcriptorē cognoſcere oportet. Deinde verò ciborum, ac potuum omnium, ex quibus victum

ctum habemus, facultatem, quam tandē ſingula habēt & ſecundū naturam,& ſecundum neceſſitatem, ac artem humanam: oportet enim ſcire, quomodo fortiū natura vim detrahere oporteat,& quomodo debilibus robur per artem addere oporteat, prout ſingulorum occaſio ſe obtulerit.

2 Et, ſi relata iam etiam cognouerit: nondum ſufficiens eſt hominis curatio: propterea quòd homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret: contrarias enim inter ſe uires habent cibi,& labores. Verùm inter ſe mixti conferunt ad ſanitatem: labores enim ea,quæ inſunt conſumere ſolent:cibi autem,& potus ea,quæ euacuata ſunt,explent. Oportet autē velut par eſt laborum uim pernoſcere, tum naturalium,tum eorū, qui per vim fiunt,& qui ex ipſis carnes in augmentum præparant,& qui in defectum:& non ſolum hęc,ſed etiam menſuram,ac proportionē laborum ad multitudinem ciborum, & hominis naturam,& corporum ſtaturas,ac ætates,& ad tempora anni,& ad mutationes ventorum,& ad ſitus regionum,in quibus degūt, & ad anni conſtitutionem,ac ſtatum. Sed & Aſtrorum ortus,& occaſus cognoſcere oportet,quo mutationes, & exceſſus ciborum, ac potum,& ventorum,& totius mūdi, ex quibus ſanè morbi hominibus oriuntur, obſeruare ſciat.

3 Quum autem hæc omnia cognouerit: nondum ſufficiens inuentum eſt:ſiquidem enim ſupra hęc inuenta fuerit ciborum menſura,& laborum ad unam quanque naturam numerus, ita vt exceſſus neque ſupra,neque infra modum fiat;inuenta ſanè exactè fuerit hominibus ſanitas. Nunc verò prædicta quidem omnia inuēta ſunt,qualia ſint. hoc verò inuenire impoſſibile eſt. Si quidem igitur præſens quis ſit,& inſpiciat,cognouerit vtique hominem exuentem ſe,& in gymnaſiis exercitantem; vt cuſtodire ſanum poſſit,alia detrahendo,alia apponendo. Verùm non prę-ſenti impoſſibile eſt cibos, ac labores exacte præſcribere; nam quantum poſſibile eſt inuenire à me iam relatū eſt. At enim,etiam ſi valde parum defectuoſiora,quàm alia fiant:in multo tempore neceſſe eſt corpus ab exceſſu ſuperari,& ad morbū peruenire. Alij itaque hucuſque inquirere conati ſunt,& neque hęc dixerunt, ac prodiderunt. A me verò hæc inuenta ſunt priuſquam homo ægrotet;vt ab exceſſu in vtrā tandem partem factus fuerit, prænotio contingat: non enim derepente morbi hominibus accedūt, ſed paulatim collecti, aceruatim apparent. Priuſquam igitur in homine ſanitas à morbo ſuperatur:quæ petiuntur homines à me inuentum eſt, & quomodo hæc in ſanitatē reſtituere oportet. Hoc autem vbi ac ceſſerit ad ea,quæ ſcripta ſunt;ratiocinationum huius doctrinæ conatus perficitur.

4 Conſtituuntur quidem igitur tum animantia alia omnia, tum homo ipſe ex duobus differentibus quidem facultate,concordibus verò, & commodis vſu. igne inquam,& aqua. Hæc autem ambo ſimul ſufficientia ſunt,tum alijs omnibus,tum mutuo ſibiipſis: vtrumuis verò ſeorſum, neque ſibiipſi,neque ulli alteri ſufficiens eſt. Vim igitur,ac facultatem vtrumq; ipſorum talem habet. Ignis.n.oīa per oīa mouere poteſt,aqua verò omnia per omnia nutrire. Particulatim verò vtrumque ſuperat,& ſuperatur ad ſummū, ac minimum, quantum eius fieri poteſt. Neutrum enim ſuperare penitus poteſt, ob hanc ſanè cauſam. Igni quidem, vbi ad extremitatem aquæ peruenerit: deficit alimentum; auertitur igitur eò,vnde nutriri poteſt Aquæ verò,vbi ad extremitatem ignis peruenit:deficit motus. Siſtitur itaque in hac: quum uerò ſteterit, non amplius potens eſt, ſed ab illabēte igne in alimentum conſumitur, & propterea neutrum penitus ſuperare poteſt. Si verò etiam alterutrum ſuperetur; nihil ſanè ex his, quæ nunc ſunt, fuerit velut nūc habet. Quum autem ſic ſemper ſe habeant,erūt & eadem,& neutra,& neque ſimul deficient. Ignis igitur,& aqua(velut à me dictum eſt)ſufficiētia ſunt omnibus per oīa ad ſummum, ac minimū ſimiliter.

5 Cæterùm vtrique horum hæc adſunt; Igni quidē caliditas,& ſiccitas,aquæ verò frigiditas,& humiditas. Habent aūt inter ſe mutuo,ignis ab aqua humiditatem (ineſt enim ab aqua humiditas) aqua verò ab igne ſiccitatem: ineſt enim in aqua ab igne ſiccitas. Quum autem hęc ſic habeant,multas,& omnigenas formas,ac ſpecies tum ſeminum,tum animalium;inter ſe ſecernunt,quæ nihil inter ſe ſimile habent,neque viſu,neque facultate,etenim,quum nunquam ſimul in eodem conſiſtant,ſed ſemper alterentur; neceſſarium eſt etiam ea, quæ ab ipſis ſecernuntur, ac producuntur,diſſimilia fieri. Equidem nullum omnino corpus perit,neque fit quod prius non erat; verū permixta,& diſcreta alterantur. Homines autem putant hoc quidem ex orco in lucem auctum generari, illud verò ex luce in orcum imminutum perire, ac corrumpi. Oculis autem magis credere oportet,quā opinionibus. Ego verò hęc ex ſententia exponam. Animalia enim ſunt & illa,& hæc;& neque animal mori poſſibile eſt nō cum omnibus, (vnde enim moriatur?)neque quod non eſt generari,quum non ſit, vnde generetur. Sed augentur omnia,ac minuuntur ad ſummum,& ad minimum,quantum eius fieri poteſt. Quid verò dicā generari, & perire, vulgi gratia interpretabor: hæc autem commiſceri, & diſcerni ſignificare declaro. Habet autem res hoc modo. Generari & perire, ſiue corrumpi, idem eſt. Idem eſt commiſceri,& ſecerni. Generari idem eſt, quod cōmiſceri. Perire,corrūpiąue,ac minui idē eſt,quod ſecerni,vnumquodq; ad omnia,& omnia ad vnūquodque idem ſunt; conſuetudo enim in his naturæ contraria eſt. Seorſum autem omnia & diuina,& humana ſurſum,ac deorſum viciſitudinem habent,àc trāſeunt,dies,& nox ad ſummū,ac minimum, ſic & Luna ad ſummū,ac minimū ignis acceſſus eſt,& aquę: Sol ad longiſſimum,ac breuiſſimum. Rurſus hæc,& non hæc. Lux loui,tenebræ orco. Lux orco,tenebræ loui. Accedūt & trāſmutātur illa huc,hæc illuc. Omni tempore trāſigunt illa res horum,hęc autem illorum, & quæ quidem faciunt, non ſciunt, quæ verò faciunt, ſcire ſibi videntur, & quæ quidem vident, non cognoſcunt. Attamen omnia ipſis fiunt per diuinam neceſſitatem, & quæ volunt, & quæ non volunt accedentibus autem illis huc,his verò illuc,& inter ſe per mixtis vnumquodq; deſtinatum fatum explet,& ad maius,& ad minus.

6 Corruptio autem omnibus mutuo inter ſe eſt, maiori à minore,& minori à maiore. Et augeſcit maius à minore. Reliqua autem omnia,& hominis anima, & corpus,velut anima,ornantur,ac gubernant. Irrepunt autem in hominem partes partiū,tota totorum tēperaturam habentia, ignis videlicet, & aquæ,partim

tim acceptura,partim datura:& quę quidē accipiunt plus faciunt,quæ verò dant,minus. Secant homines lignum per ſerram,alter trahit,alter protrudit. Idem autem hoc faciunt: & minus facientes, plus laborant,ac faciunt. Sic & hominis natura, aliud protrudit,aliud trahit, aliud dat,aliud accipit,& alij dat, ab alio accipit, & alij quidem tanto plus dat, ab alio verò nihil minus accipit.

7 Locum aut vnumquodque ſuum ſeruat, & quæ quidem ad minus eunt,ad minorem locum ſecernūtur: quę verò ad maius vadunt,permixta in maiorem ordinem mutantur. Peregrina verò non eoſdem mores habentia,ex aliena regione protruduntur.

8 Semper autem anima & maiora,& minora habēs, ſuas ipſius partes circumambulat, non appoſitione, neque detractione partium indigens; verùm augmēto,& decremento earum,quę iam ſunt,opus habēs. Locum verò vnicuique perficit,ad quem peruenīāt, & allabentia ſuſcipiant: non enim poteſt,id quod nō ſimiles mores habet, in diſcordibus locis permanere; oberrant enim velut ignota,permixta verò inter ſe cognoſcuntur: concors enim concordi adhæret, ac aſſidet: diſcordia autem rebellant, & pugnant, atque inter ſe diſſident. Quapropter anima hominis, in homine augetur,in alio verò nullo,& aliorū magnorum animalium ſimiliter. Quæcūque verò aliter ab alijs per vim ſecernuntur,de alijs quidem animalibus prætermittam,de homine verò declarabo. Irrepit in hominem anima,ignis, & aquæ temperamentum habens,partem corporis humani.

9 Fœmellę autem,& maſculi,& multi,& omnigeni nutriuntur. Nutriuntur autem,& augeſcunt per dięta,qua homo vtitur. Neceſſe eſt autem omnia,quę ingrediuntur,partes habere: cuiuſcunque enim pars non inerit a principio,augeri nō poterit,neque multo, neque modico alimento ingrediente: non enim habet,quòd augeſcere faciat. Id verò, quod omnia habet,augeſcit, vnumquodque in ſuo loco. Alimento autem ingrediente ab aqua,& igne: ſicco,& humido,alia quidem intro coguntur, alia verò foras protruduntur. Quemadmodum fabri lignarij lignū ſerra diſſecant, & alter quidem trahit, alter protrudit, idem ſanè facientes,& qui deorſum premit,ſuperiorem trahit, neq; enim alias admitteret deorſum ire. Si verò violenter cogant; toto opere aberrabunt. Similiter & circa hominis alimentū ſe res habet: aliud trahit, aliud protrudit: intrò autem coactum, foras repit. Si verò importune, & violenter cogatur: omni ſucceſſu priuabitur. Singula autem tanto tēpore eūdē ordinem habent, donec locus non amplius ſuſcipiat, neque alimentum aquarum, ac ignis ſufficiens ad ſummum habeat. Poſtea ad externam regionem tranſeunt & fœmellæ,& maſculi eodem modo præuiolentia,& neceſſitate impulſi. Quæcunque autem deſtinatum fatum expleuerint,ea primum ſecernuntur, ac ſimul commiſcentur ſingula enim ſecernuntur,omnia autem hæc commiſcentur.

10 Poſtquam verò regionem permutauerint, & nacti fuerint harmoniam recte habētem ſymphonias tres comprehenſim penetrantes per omnia: viuunt, & augeſcunt ijſdem,quibus etiam antea. Si verò harmoniam non aſſequuti fuerint, neque grauia acutis conſona fiant: prima ſymphonia perit. Et,ſi etiam ſecunda generetur, propterea quod vnus per omnia corruptus eſt; omnis tonus vanus eſt. non enim concētum habuerit, ſed tranſitio fit ex maiore ad minus ante deſtinatum fatum,quod qui faciunt,nō ſciunt, quid faciant. Cur autem vtrique tum maſculus,tum fœmina fiant,in ſermonis progreſſu declarabo. Vter autem ipſorum harmoniam aſſequetur.

11 Humidus exiſtēs mouetur ab igne, motus autem viuificatur, & alimentum attrahet ab ingredientibus in mulierem cibis,ac ſpiritu,primum quidem vnąquaque ſimiliter, donec recenter rarus eſt. a motu autem,& igne ſiccatur,ac conſolidatur: cōſolidatus autem, & firmatus circum circa denſatur. Et ignis incluſus non amplius ſufficiens alimentum attrahere poteſt,neq; ſpiritum expellit, propter ambientis corporis denſitatem: cōſumit enim humorem intus exiſtentem. Quæ igitur ſolida natura ſunt in compacto,ac ſicco,ea non conſumuntur ab igne in alimentum: ſed ualida ac robuſta fiunt,& conſiſtunt humore deficiente, atque hæc ſanè oſſa,ac nerui nominantur. Ignis autem ex commixto,ac moto humore corpus ſecundum naturam ordinat,ac diſponis propter talem neceſſitatem; nam per ſolidum, & ſiccum non poteſt diutinos tranſitus facere; quia alimentum nō habent: per humida verò,& mollia poteſt; hæc enim ipſius ſunt alimentum. Ineſt autem & in his ſiccitas, quæ ab igne non conſumitur. Hæc autem inter ſe congregantur mutuo.

12 Ignis igitur penitiſſime ad intima obturatus, & plurimus eſt,& maximū exitū facit: plurimus. n. humor in ea parte ineſt,quæ venter appellatur,& excidit inde, vbi alimentū nō habet foras, & exitū facit. Plurimus aūt humor in vētre ineſt,tum ꝑ alimenti ingeſtionē tū ꝑ cōcoctionē. Qui verò in reliquum corpus cōcluſus eſt ignis, triplices circuitus facit; eſt enim quod humidiſſimū eſt in igne,in his locis,quę venæ cauæ appellātur,exiſtit. In media autem horū id,quod reliquum eſt aquæ congregatum ſtabilitur. atque ea vocātur carnes. In ſumma, ignis omnia,quę in corpore ſunt, ſecundum ſuum ipſius modum exornauit,ad vniuerſi imitationem, parua ad magna, & magna ad parua. Ventrem quidem maximum,ſicco, & humido promptuarium; vt det omnibus,& accipiat ab omnibus,iuxta maris facultatē,quod eſt animalium in ipſo nutritorum,ac nutriri ſolitorum alimentum,diſcordium verò pernicies. Circum hunc autem aquæ frigidæ, & humidæ congregatio,tranſitus ſpiritus frigidi, & calidi, ad terræ imitationem, omnia,quę in ipſam incidunt alterantis. Et alia quidē conſumens,alia verò augens,aquę tenuis,ac ignis diſperſionē fecit,inſuperque non obſcuri,& apparētis a compacto ſecretionem; in quod delata omnia in apertum perueniunt, ſingula iuxta deſtinatum fatum. In hoc verò triplices circuitus ignis fecit,inter ſe mutuo intro, ac foras terminantes, alios quidem ad cauitates humorum lunæ facultate, alios verò ad externam circumferentiam,ad ambientem ſoliditatem aſtrorum facultate. Medij verò & intrò,& foras terminantes,calidiſſimum,ac fortiſſimum ignem habent,qui ſanè omnibus dominatur, omnia ſecūdum naturam gubernans,ſine ſtrepitu, tum ad viſum, tū ad tactum. In hoc anima,Mens,Prudentia,Augmentum,Motus,Imminutio,Permutatio,Somnus,Vigilia. Hic omnia per omnia gubernat, & hæc, & illa, nunquam quieſcens.

At

13 At verò homines ex manifestis obscura cõsiderare non nouerunt: quum enim artibus vtantur similibus humanę naturæ, idipsum ignorant. Diuina enim Mẽs edocuit ipsos sua ipsorum imitari, ita vt cognoscant, quæ faciunt, & non cognoscant, quæ imitẽtur: omnia enim similia sunt, dissimilia existentia, & omnia concordia, discordia existẽtia: quæ cõprobamus, nõ cõprobamus: æquitatẽ habentia, iniqua sunt: contrarius est modus singulorum ei quẽ cõfitentur. Lex enim, & natura, quibus omnia transigimus, non confitentur quæ confitentur. Legem enim posuerunt, ac tulerunt homines ipsi sibi ipsis, non cognoscentes, de quibus tulerunt. Naturam verò omnes dij exornauerunt. Quæ igitur homines sanciuerunt, nũquam eodem modo habẽt, neq; rectè, neque non rectè. Quæ verò dij sanciuerunt, semper rectè habent. Et recta, ac non recta intantum differunt.

14 Ego verò Artes hominis manifestas affectionibus & manifestis, & obscuris, similes esse declarabo. Vaticinatio tale quid est: Ex manifestis quidem cognoscere obscura, ex obscuris verò manifesta, & ex præsẽtibus futura, & ex mortuis viuentia. Et ea, quæ intelligi non possunt, vates intelligunt: qui quidẽ doctus est, semper rectè, qui verò non doctus est, alias aliter. Naturam hominis etiam hæc quantum possibile est imitantur. Vir mulieri concumbens puerum facit. Hoc manifesto obscurum cognoscere datur, quod sic futurũ est. Mẽs hominis obscura, cognoscẽs manifesta, ex puero in virum transit, hoc præsenti futurum cognoscit. Non simile à morte vllum aliquod animal existit, neque mortuo animal viuum. Venter quod intelligi non potest, nouit: per hunc enim intelligimus, quod sitit, aut esurit. Hæ artis vaticinandi, & humanæ naturæ affectiones, cognoscentibus quidem semper rectè habent, verùm non cognoscentibus aliàs aliter.

15 Artis fabrilis ferrariæ instrumenta ferrum circum liquant, flatu ignem fabri cogunt, & alimentum iam præsens auferunt. vbi uerò rarefecerint; feriunt, ac tundunt. Aquæ autem alimento ferrum rursus roboratur. Eadem patitur homo à pædotriba: præsens. n. alimentum igne detrahitur; quum præ spiritu homo cogatur, rarefactus autem tunditur, atteritur, subuertitur. Aquæ autem aliunde accessione corroboratur, ac fortis euadit. Et fullones idem transigunt, calcitrant, feriunt, destruentes tundunt, trahunt destruentes, robustiora faciũt, detrahẽtes su pereminentia, & attexentes pulchriora reddunt. Eadem etiam homo perpetitur. Sutores coriarij tota in partes dissecantes, scindentes, & pungentes, marcida, ac lacera, sana, & integra faciunt. & homo idem patitur. Ex totis partes secantur, & ex partibus compositis tota fiunt. Punguntur, & secantur à medicis marcida, sanantur q̃ue, ac uiuit homo.

16 Medicina id, quod molestat, tollit, & id, à quo homo ægrotat auferens, sanum facit. Natura eadem sua spõte nouit. Desidens conatur resurgere, currẽs conatur requiescere, & alia eiusce modi natura habet, quę medicinæ sunt. Fabri lignarij serra secantes, alter trahit, alter protrudit. Idẽ autẽ uterq; facit, & in utrãq; partẽ tẽdit. Ijdem terrebrãt, alter trahit, alter protrudit: & qui premit, superiorẽ deorsũ trahit, & minus facientes plus faciunt, naturam q̃ue hominis imitantur. Spiritus alter trahit, alter ptotrudit. Idem autem vterque facit, & in vtranque partem tendit. Cibi partim deorsum premũtur, partim sursum vergunt. Ab vna anima diuisa, plures, & maiores, & minores, & pauciores fiunt. Aedificatores ex diuersis rebus vnã concordem facientes, sicca quidem humectantes, humida verò siccantes. & tota diuidentes, diuisa verò componentes (si enim non sic contingeret, nihil priuatim, ac proprium constitui posset) diætam humanam in hoc imitantur: nam & in hac sicca humectantes, & humida resiccantes, tota quidem diuidũt, diuisa verò componunt. Hæc omnia diuersa, ac discordia existentia, cum natura concordant.

17 Musices autẽ organum primum producere oportet, in quo harmonia, quæ vult, declarabit. Constructiones ex ijsdem non eædem sunt, ex acuto, ex graui, nomine quidem similibus, sono autem non similibus. Quæ plurimum diuersa sunt, maximè concordant, & quæ minimum diuersa sunt, minimè concordant. Si verò quis similia omnia faciat; non inest delectatio. Plurimæ, ac multiformes transmutationes maximè delectant. Coci obsonia hominibus parant, omnis generis diuersa commiscentes, ex ijsdem non eadem, ad hominum cibum, ac potũ. Quòd, si omnia similia facerent; non haberent delectationem; &, si in eodem etiam omnia construerent; non utique rectè haberent. Pulsantur toni in musica partim supernè, partim infernè. Lingua musicam imitatur, cognoscens quidem dulcedinem, & acorem eorum, quæ allabuntur, itemque dissonantia. pulsat autem sonos supernè, ac infernè, & neque ea, quæ supernè pulsantur, si infernè pulsentur, rectè habent, neque quæ infernè, si supernè. Quum autem lingua probe fuerit attemperata; symphonię delectatio contingit: si verò discors fuerit, ac incongrua; molestia. Pellium tinctores tendunt, terunt, pectinant, lauant. Eadem est puerorum curatio. Plicatores, ac textores ducentes in orbem, fila plicant, à principio in principium desinunt. Idem circuitus in corpore est: vnde incipit, in hoc desinit. Aurum operantes, tundunt, lauant, molli igne liquant: forti autem non conflatur: Vbi verò elaborarunt, ad omnia vtuntur. Homo frumentum tundit, lauat, molit, &, vbi igne coxit: vtitur, & forti quidem igne in corpore non conflatur, verum molli, ac lento. Statuarij imitationem corporis faciunt, anima excepta, mentem autem habentia non faciunt. ex aqua, & terra humida siccantes, & sicca humectãtes, ab his, quę superabundant, detrahunt, & ad ea, quæ deficiunt, apponunt, ex minimo ad maximum augentes. Eadem patitur homo, augescit à minimo ad maximum, ex superabundantibus detrahens, & deficientibus apponens, sicca humectans, & humida siccans. Figuli rotam versant, & neque retrorsum, neque antrorsum procedit; sed simul in vtramque partẽ. Vniuersi hęc imitatrix circularis existit. In eadem autem quum iam circumfertur, omnis generis opera efficiunt, vt alterum altero in nulla re simile existat. Ex ijsdem homines eadem patiuntur, itemque reliqua animalia in eadem circumferentia omnia operantur, & ex ijsdem nihil simile, ijsdem instrumentis ex humidis sicca facientes, & ex siccis humida.

18 Grãmatica tale quid est, figurarũ cõpositio, quę signa, ac notę sũt humanę vocis, facultas reuocãdi i mę

moriam præterita, & quæ facienda ſunt declarandi. Per ſeptem figuras notitia contingit. Eadem omnia homo tranſigit, ſiue ſciens literas, ſiue literarum rudis. Per ſeptem figuras etiam ſenſus hominibus contingit, Auditus ſonorum, Viſus manifeſtorũ, Naſus odoris, Lingua voluptatis, & iniucunditatis, Os ſermonis, Corpus tactus calidi, aut frigidi, Spiritus trãſitus intro, ac foras. Per hæc cognitio hominibus contingit.

19 Paleſtra, & pædotribæ tale quiddam docent, preuaricari ſecundũ leges, iniuriam facere iuſtè, defraudare, furari, rapere, violare honeſtiſſima, ac turpiſſima. Qui hęc non facit, malus; qui hæc facit, bonus eſt. Oſtentatio multorũ, ac vulgi eſt, deſipientiæ hęc eſſe vident, & vnum ex vniuerſis bonum iudicant, reliquos verò malos. Multi mirantur, pauci cognoſcunt. Homines in forum progreſſi eadem perpetrant, defraudant vendentes, & ementes. Qui plurimum defraudauit, in admiratione eſt. Bibentes, & inſanientes eadem perpetrant, currunt, luctantur, pugnant, furantur, defraudant. Vnus ex omnibus prefertur. Simulatores, & deceptores alia ad ſcientes dicunt, & alia ſentiunt, ijdem ereptant, & irrepunt nõ ijdem. Ineſt autem homini alia dicere, alia facere, & eundem non eſſe eundem, & nunc aliam habere mẽtem, nunc rurſus aliam. Sic quidem artes omnes cũ humana natura communicant.

20 Cæterùm anima hominis, quemadmodum etiam antea à me dictum eſt, ignis, & aquę temperamentũ habens, partes autem hominis irrepit in omne animal, quod ſanè ſpirat, itemque in omnem hominem, & iuniorem, & ſeniorem. Non autem ſimiliter in omnibus augeſcit, ſed in iuuenibus corporibus, vtpote celeri circumuolutione exiſtente, & corpore auctili, expaſſæ, & attenuatæ partes illæ animæ, in corporis augmentum conſumuntur. In ſenioribus autem, vtpote tardo exiſtente motu, & corpore frigido, in decrementum hominis conſumuntur. Quæcunque autem corpora in vigore ſunt, & in ætate fœcunda, eas nutrire, & augere poſſunt. Potentes autem homines, vt quiſque plurimos homines alere poteſt, ita fortis iudicatur, ac potens. vbi verò defecerint quos alat; imbecillior cenſetur. Sic etiam circa ſingula corpora res ſe habet. Quæcunque plurimas animas nutrire poſſunt, ea fortiora ſunt; vbi verò hę diſceſſerint; imbecilliora.

21 Quicquid igitur in aliud corpus ingreſſum fuerit non augeſcit. Quicquid verò in fœminam, augeſcit, ſi ea, quæ ipſi congrua ſunt, contingant. Diſcriminantur autem partes, & augeſcunt ſimul omnes, & neque prius alteræ alteris, neque poſterius. Verùm maiores natura priores apparent minoribus; quum non priores exiſtant. Non autem in æquali temporis ſpatio omnes fœtus exornantur, ſed alij citius, alij tardius, prout ſinguli & ignem, & alimentũ fuerint nacti. Aliqui itaque in quadraginta, ac tribus diebus ſcaturiunt, ac formantur aliqui in quatuor menſibus. Similiter etiam vitales fiunt, ac patiuntur, aliqui citius, ſeptimo menſe perfectè: aliqui tardius, perfectè nono mẽſe in lucem prodeunt, & oſtẽdunt ſe temperamentum habere, quod ſemper habebunt. Maſculi igitur, & fœmellæ hoc modo gignuntur, quantum eius fieri poteſt.

22 Cęterùm fęmellę ab aqua magis, & à frigidis, ac humidis & mollibus augeſcunt, tum cibis, tum potibus, itemque ſtudijs, ac exercitijs. Maſculi verò magis ab igne, à ſiccis videlicet, ac calidis cibis, & reliqua diæta. Si igitur fœmellam parere velit; dięta ad aquam vergente vtẽdum eſt: ſi verò maſculum; exet citijs, ac victu ad ignem tendente vtetur. Et non ſolum virum hoc facere oportet, ſed etiam mulierem: non enim ſolum quod à viro ſecernitur, auctile eſt, ſed etiam quod à muliere, ob hanc ſanè cauſſam. Vtraque quidem pars ſufficientem motum non habet ad humoris multitudinem, vt quod influit, conſumat, & propter ignis debilitatem coaugmentantur. Quum verò ambæ in idem coinciderint; mutuo inter ſe incurrunt, & obuoluuntur, ignis ad ignẽ, & aqua ſimiliter. Si quidem igitur in ſiccо loco circum uoluitur ignis; collapſam aquam ſuperat, & ab hoc ignis augeſcit, ne ab illabente vnda extinguatur, aliãque accedentem prior illa ſuſcipiat, ac ſibi cõſocíet. Si verò in humorem inciderit; ſtatim ab initio extinguitur ab illabente vnda, & in minorem ordinẽ diſſoluitur. In vna autem die vniuſcuiuſq; menſis cum ſociare, ac ſuperare ea, quæ accedunt poteſt, & hoc ſi coinciderint ab vtriſque in vnum locum.

23 Conſiſtere autem poſſunt inter ſe & fœmella, & maſculus; propterea quod anima quidem idem eſt in omnibus animatis: corpus autẽ vniuſcuiuſque differt. Anima quidem igitur ſemper ſimilis, & in maiore, & in minore: non enim alteratur neque per naturam, neque per neceſſitatem. Corpus autem nũquam idem in vllo aliquo eſt, neque ſecundum naturam, neque ex neceſſitate; propterea quod partim ſecernatur in omnia, partim permiſceatur ad oĩa. Si quidẽ igitur maſcula corpora ab vtriſq; ſecreta fuerint; augeſcunt pro re preſenti, & fiunt hi viri animis ſplẽdidi, & corpore fortes; ſi non à diæta poſtea detrimentũ ſentiant. Si verò à viro quidem maſculum ſecernatur, à muliere verò fœmineum, & ſuperauerit ſi ita contingat maſculum, (Genitura enim ammiſcetur ad fortiorem, aut debiliorẽ; non.n. habet ex præſentibus aliquid ad quod familiarius ſecedere poſſit: ſuſcipit enim parua maiorem, & maior minorem. in commune autem ſuper hæc, quæ adſunt, dominium exercent,) corpus ſanè maſculum augeſcit, fœmineum verò minuitur, & in aliam ſortem ſecernitur. Et hi quidem minus prioribus ſplendidi fiunt; tamẽ, quia maſculum viro ſuperauerit; viriles euadũt. & hoc nomen merito habent. Si verò a muliere quidẽ maſculum ſecretum fuerit, à viro autem muliebre, ſuperauerit autem maſculum; augeſcit eodem modo ſicut prius, fœmineum verò minuitur. Et fiunt hi Androgyni, id eſt, viri effœminati, atque ſic rectè appellantur. Tres quidem igitur hæ ſunt generationes maſculorum, differentes in eo, quod magis aut minus tales ſint, propter partium aquæ temperamentum, & alimenta, & inſtitutiones, ac conſuetudines. declarabo autem in progreſſu ſermonis etiam de his.

24 Cæterùm fœmella eodem modo gignitur. Si enim ab vtriſque fœmineũ ſecretum fuerit; fœminoſiſſimę, ac ingenioſiſſimę fient. Si verò à muliere quidem fœmineum, à viro autem maſculum, ſuperauerit autem fœmineum; audaciores quidem prioribus fient; veruntamẽ ornatæ, ac moderatæ etiam ipſæ. Si verò à viro quidem fœmineum, à muliere verò maſculum ſecretum fuerit, & fœmineum ſuperauerit;

augeſcit

augeſcit eodem modo, & fiunt hæ audaciores adhuc prioribus,& viriles,ac viragines nominantur. Si aũt quis nõ credat animæ ammiſceri;demens eſt:ſi quis .n.carbones ardentes ad ardentes adijciat, fortes ad debiles,& alimentum ipſi præbuerit; ſimile corpus omnes exhibebunt;& alter præ altero nõ cognoſcitur, ſed in qualicunque corpore ignem ſuſceperint, tale in omnibus eri t.vbi verò preſens alimentũ conſumpſerint; ſecernuntur,ac obſcurantur. idem hoc anima hominis patitur.

25 At verò quomodo gemini naſcãtur, hoc ſermone declarabo. Equidem natura vterorum in fœminis vt plurimum in cauſſa eſt. Si.n.ſimiliter in vtranq; partem iuxta oſculum diſpoſiti à natura fuerint,& ſimiliter hiauerint,& à purgatione ſiccantur; alere poſſunt,ſi ſemẽ viri conceperint,ita vt ſtatim diſcindatur:ſic.n.neceſſe eſt diſpergi in vtrunq; vterum ſimiliter. Si quidem igitur multum ſemen ab vtriſq; & forte ſecretum fuerit;in vtriſque locis augeri poteſt dominiũ.n.habet in alimentum,quod accedit. Si verò aliter contingat,gemini non fiunt. Quum itaque maſculum ab vtriſq; ſecretum fuerit; neceſſariũ eſt in vtriſque maſculos gigni: quum verò fœmineum ab vtriſq; fœmellæ fiunt.quum autem alterum ſemineum,alterum maſculũ fuerit;vtrum altero præualeſcet,id ipſum augeſcet pro ea ratione. Similes porrò inter ſe fiunt gemelli,ob hanc cãm. Primùm quidem quod æquales ſunt loci,in quibus augeſcũt. Deinde quod ſimul ſecreti ſunt:poſtea quòd ijſdem alimentis augeſcunt,uitaleſque in lucem prodeunt.

26 Cæterùm ſuperfœtationes hoc modo fiunt. Quũ uteri calidi,& ſicci natura fuerint,ipſaq; mulier eiuſmodi, & ſemen calidum, ac ſiccum illapſum fuerit; non fit amplius vlla aliqua humiditas in vteris,quæ ſemen ſuperillabẽs contineat. Quapropter conſiſtit ab initio,ac viuit, perſeuerare autem non poteſt,ſed etiam id,quod iam adeſt inſuper corrumpit;quia nõ eadem utriſque conferunt: etenim quod tenuiſſimũ eſt in aqua,& quod rariſſimum in igne,ſi in hominis corpore temperamẽtum acceperint; ſaniſſimum habitum conſtituunt: propterea quod neque in temporum anni maximis mutationibus, neque in regionũ permutationibus,neque in ciborum,ac potuum alterationibus,aqua denſiſſima euadit in aquæ impetuoſis incurſibus, neque ignis in ignis impetu: poſſunt enim ambo & generationem, & ſatietatem plurimã ſuſcipere. Aes molliſſimum,ac rariſſimum,plurimũ tẽperamentum ſuſcipit, ac optimum euadit: eodem modo etiam quod tenuiſſimum eſt in aqua,ac rariſſimum in igne,vbi temperamentum acceperint. Qui igitur hanc naturam habent, ſani perſeuerant omni tempore vſque ad quadrageſimum annum, aliqui verò etiam vſque ad extremam ſenectutem. Qui verò à quadrageſimo anno à morbo aliquo correpti fuerint,nunquam fermè euadunt.

27 Quæcunque autem corpora ignis fortiſſimi, & aquæ denſiſſimæ temperamentum acceperint, fortia,& robuſta fiunt: verùm multa cuſtodia opus habent: magnas enim tranſmutationes in vtranque partem habent, & in aquæ incurſibus in morbos incidunt,& in ignis conſimiliter. Qui igitur eiuſmodi naturam habet,eum victu vti conducibile eſt temporibus anni contrario. Et aquæ quidem incurſu contingente,vti oportebit eum ab his,quę ab aqua ſunt, paulatim pro temporum ratione diſcedendo. Porrò,vbi aquæ craſſiſſimæ,& ignis tenuiſſimi in corpore mixtura facta ev,talia contingunt,ex quibus frigidam, & humidam naturam cognoſcere oportet: talia enim corpora in hyeme morboſiora ſunt, quàm in æſtate,& in vere,quàm in autũno. Cęterùm quod ad ætates attinet, ſaniſſimi ex talibus pueri ſunt, deinde adoleſcentes, morboſiſſimi autem ſenes, & his vicini,& hæ naturæ cito ſeneſcunt. Talibus in victu conferunt,quæ calfaciũt; & ſiccant,tum in cibis,tũ in exercitijs: & externas corporis partes magis,quã internas exercere conducit. Si verò humidiſſimum in igne, & denſiſſimum in aqua, in corpore mixturã acceperint:ex his humidam,ac calidam naturam cognoſcere oportet. Laborant quidem ex morbis huiuſmodi maximè in vere,minimè in autumno; quia in vere exceſſus eſt humiditatis, in autumno verò ſymmetria,& moderatio ſiccitatis. Ex ętatibus verò morboſiſſimæ ſunt iuniores. Corpora autem cito augeſcũt,& tales deſtillationibus obnoxij ſunt. His cõducit exhibere quæcunque ſiccant, ac frigefacinnt; & in cibo,in potu,ac laboribus. Verùm labores intra corpus his facere maxime confert.

28 Si verò mixturam acceperint, fortiſſimũ in igne, & tenuiſſimum in aqua; ſicca & calida eſt natura, & talibus morbus in ignis acceſſionibus contingit,ſanitas verò in aquę. Et in ætatibus vigentibus ad carnis bonam habitudinem, morboſiſſimi ſunt, ſaniſſimi autem ſenes. Ita etiam vtriſque proximi. Diætæ quę frigefaciunt,ac humectant,& ex laboribus,qui minimè excalfaciunt, ac colliquant, plurimam frigiditatem exhibebunt. Huiuſmodi naturæ viuaciſſimæ,ac ſaniſsimæ exiſtunt.

29 Si autem mixturam acceperint corpora ignis rariſsimi,& aquæ ſicciſsimæ; ſicca, & frigida talis natura eſt: morboſa quidem in autumno; ſana verò in vere,& vicinis tẽporibus. Similiter ætates ad annos quadraginta morboſæ,pueri ſaniſsimi,ita & vtriſq; proximi. Diætæ his conferunt,quæ calidæ exiſtẽtes humectant, & labores ſenſim adhibiti, leniter calfacientes, & non multum ab his, quæ adſunt auferentes. De naturæ igitur cognitione ſic à prima conſtitione cognoſcere oportet.

30 Cæterùm ætates ipſæ ad ſeipſas hoc modo habent. Puer itaque ex calidis, & humidis temperatus eſt; quia ex his cõſtitutus eſt, & in his augmentum accepit. Humidiſsima igitur, & calidiſsima ſunt corpora proxima generationi, & augeſcunt quàm plurimum, & quæ his proxima ſunt eodem modo. Adoleſcens autem calidus quidem eſt; quia ignis impetus aquæ dominatur; ſiccus autem, quia humidum ex puero conſumptum eſt, partim in augmentum corporis, partim in motum ignis, partim præ laboribus,ac exercitijs. Vir, quum ſteterit iam corpus; ſiccus eſt, & frigidus; quia caliditatis impetus non amplius dominatur, ſed ſtat corpus ab augmento quieſcens, ac perfrigeratum. verùm ex adoleſcenti ætate,ſiccitas ineſt: ab inſequẽti autem ætate,& aquæ acceſſu, humiditatem non habet. quapropter ex ſiccis,& frigidis exuperatus eſt. Senes autem frigidi ſunt,& humidi: quia ignis quidẽ receſſus contigit,aquæ autẽ acceſſus,& ſiccorum quidem ſublatio, humidorum autem ſtatus. Ex omnibus autem maſculi calidiores ſunt,& ſicciores;

fœminę verò humidiores, ac frigidiores: propterea quod ab initio vtrique in talibus geniti sunt, & à talibus augescunt. Vbi verò in lucem editi sunt masculi, victu, ac diæta laboriosiore vtuntur, vt excalescant, ac resiccentur. Fœminæ verò humidioribus, ac pigrioribus diætis vtuntur, & caliditatis purgationem ex corpore singulis mensibus faciunt.

31 Porrò de animæ sapientia, ac desipientia, hoc modo se res habet. Quod humidissimum est in igne, & siccissimum in aqua, si in corpore temperamentum acceperint, sapientissima sunt: quia ignis quidem habet humiditatem ab aqua, aqua aũt siccitatẽ ab igne: vterq; autem sic sufficientissimus est. Neq; ignis alimenti indigẽtior multum procedit, neque aqua motus indiga multum leuis redditur. Sic itaque vtraque & per se sufficientissima sunt, & inter se permixta: quod enim minime vicinis indiget, hoc maxime præsentibus obtemperat, velut ignis, qui minime, mouetur, non præ necessitate: & aqua, quæ maxime, non præ violentia. Ex his aũt anima temperata, sapientissima est, & memoria valẽtissima prædita. Si verò aliquo ascitamento vtens, alterutrum horum augescat, aut contabescat; desipientissima redditur; propterea quòd quum sic habeant, sufficientissima existunt.

32 Si autem ignis sinceriſſimi, itemq; aquæ temperamentum anima sortiatur, sit autem ignis paulò inferior, ac defectuosior, quàm aqua; sapientes quidem sunt etiam hi, verùm defectuosiores, quàm in priore temperamento: propterea quod ignis ab aqua superatus, & tardiorem motum faciens, segnius sensibus allabitur. constantes autem cum mansuetudine sunt eiusmodi animæ, ad quamcunque tandem rem animum applicuerin.

33 Si verò recto victu vtantur; & sapientiores, & acutiores præter naturam fieri queant. Talibus confert victu vti ad ignem magis tendente, & nõ repletionibus, neq; ciborum, neq; potuum. Cursibus itaq; vtẽdũ est velocibus; quò & corpus humore euacuetur, & humor amplius citius sistatur. Luctis autem, & fricationibus, & eiusmodi exercitijs vti non conducit; vt ne meatus cauiores redditi repleantur: à talibus enim animæ motum grauari necesse est. Confert & deambulationibus vti tum à cœna, tũ mane, itemq; à cursibus. A cœna quidem, quò alimentum siccius anima susciplat ab ingredientibus, ac ingestis: mane verò; quò transitus humoris euacuentur, & meatus animæ non obturentur. Ab exercitijs verò, vt ne in corpore relinquatur, quod secretum est à cursu, neq; animæ commisceatur, ne quid trãsitus obturet, neq; alimentum conturbet. Confert & vomitibus vti; quò corpus depurgetur, si quid defectuosius labores transegerunt; a vomitu autem paulatim adijciendo cibus offerendus est, minimum ad quatuor dies. At verò vngi conducibilius est, quàm lauari. Coitu vtẽdum est, aquæ accessibus contingentibus, frequentiore: in ignis autem impressionibus pauciore.

34 Porrò, si in aliqua anima defectuosiorẽ vim ignis accipiat, quàm aqua; eã tardiorẽ esse necesse est: & appellantur tales stolidi: nã & tardiore existente circuitu, sensibus paulatim allabuntur. & qui acuti existũt, parum commiscentur, propter circuitus tarditatem: sensus enim animæ, qui per visum, ac auditum contingunt, acuti sunt: qui verò per tactum, tardiores, & facilius percipiuntur. hos quidem igitur percipiunt etiã tales nihilominus, velut sunt frigida, & calida, ac consimilia. Quæ verò per visum, aut auditum percipere oportet, quæ non prius sciunt, percipere non possunt: si enim non commota fuerit anima ab igne allabente; non percipere poterit quale quid tandem sit. Tales igitur animæ nõ perpetiuntur hoc ob celeritatẽ. Si autem recta diæta vtatur; etiam talis homo melior fieri possit. Conferunt itaq; huic eadem quæ priori; verũ siccioribus, ac paucioribus cibis vtetur; laboribus autem pluribus, & acutioribus, ac velocioribus. Confert & fomentis vti, & vomitibus à fomentis, & exhibitionibus ciborum à uomitibus ex lõgiori tempore; si defectuosius contigerint vomitus. Et sanè hæc faciens, sanior, ac sapientior fuerit.

35 Si verò amplius adhuc superetur ignis à præsenti aqua; hos iam alij desipiẽtes, alij attonitos, siue stupidos appellãt. & hæc insaniæ quædam species tardior existit. hi plorant nemine molestante, aut verberãte, formidantque non formidanda, & tristantur in rebus nihil ad se pertinentibus, & sentiunt ea, quę non conueniunt sapientibus. Confert itaque his fomentis vti, & à fomentis veratris expurgari, ac dieta vti, quam prius dixi. indigetque talis homo attenuatione pulmonis, ac siccitate.

36 Si autem aqua defectuosiorẽ vim accipiat quàm ignis, quum aliàs sincerũ temperamantum habeant; sani sunt homines corporibus, & sapientes. Talis autem anima cito percipit allabentia, & non sæpe ab vna re ad aliam transit. Natura quidem igitur talis, animæ bonæ est. Melior autem reddetur rectæ dietę vsu, & peior prauę. Confert huic, diætę vsus ad aquã magis vergentis, ita vt excessus vitet & ciborum, & potuum, & laborum. Vtetur & cursibus curuis, & rectis reuertẽtibus, luctisque, ac reliquis exercitijs, ita vt in nullo excessum faciat: si enim sanum fuerit corpus, & non ab aliquo alio perturbetur; animi temperamentum sapiens existit.

37 Si verò amplius aquę vis ab igne superetur, tali homini necesse est tantò acutiorem animam esse quantò citius mouetur, & ad sensus citius allabi verũ minus constantẽ priore; propterea quod iudicat ea, quę obueniunt, & in pulmonem procedit ob celeritatẽ. Confert tali homini dieta vti magis ad aquã vergente, quàm priori, & maza magis, quàm pane, & piscibus magis, quàm carnibus, & potu aquosiore, & Venere rarius vtetur, & laboribus, qui sunt maxime secundum naturam quàmplurimis: violentis autem vti nõ est necesse. Vtetur & vomitus paucioribus ex repletionibus; quò corpus quidem euacuetur, quàm minime verò calescat. Conducit etiam talibus ad sapientiam, vt minime carnosi sint: nam ad carnis bonam habitudinem, ardoris inflammationem fieri necesse est. Quum autem tale quid huiusmodi anima perpetitur: ad insaniam adigitur, ex superata aqua adacta. Talibus confert actiones obire, ac transire à cibo accepto magis, quàm ieiunis: stabilior enim redditur anima alimento commodo ammixto, quàm alimenti indiga.

38 Si uerò adhuc amplius superetur aqua ab igne; talis anima ualde acuta est, & tales necesse est somnia uidere: uocant autem ipsos subfurioſos: nam res ualde propinqua insaniæ est: etenim à breui & incommoda inflammatione insaniunt, & in ebrietatibus, & carnis bona habitudine, & præ carnium esu.

Verùm

Verùm talem oportet ab his omnibus abſtinere, itemque a reliqua repletione, ac exercitijs violentis. In victu vtendum eſt maza vino dulci non ſubacta: & oleribus coctis, ſed non purgantibus, & piſciculis ex muria, & aquam bibere præſtantiſſimum eſt; ſi fieri poſſit: ſin minus; vinum molle, & albu m, quod aquæ ſit proximum. Deambulationibus quoque multis mane vtendum, à cœna verò ſatis eſt exſurgere; quò cibi quidē non reſiccentur à deambulationibus poſt cœnam, corpus autem euacuetur à matutinis. Lauare autem magis conducit aqua tepida circumaffuſa, quàm vngi. Confert & in æſtate interdiu ſomno vti breui non multo; vt ne corpus ab anni tempore reſiccetur. Conueniens eſt etiam vere veratris purgare, fomentis antea præparatos, deinde ſenſim ad diætam inducere, & neque hunc ieiunium actiones obire oportet. Et ex hac ſanè cura huiuſmodi anima ſapientiſſima fuerit. Sapientis quidem igitur, ac deſipientis animæ hoc temperamentū cauſſa eſt, quemadmodum à me ſcriptum eſt, poteſtque ex diæta & melior, & deterior fieri.

39 Cæterùm curſus impetu igne prævaleſcente impoſſibile fortè fuerit aquæ aliquid apponere: ſimiliterq; aqua prævalente in temperamento, ignem augere. Ex his verò & ſapientiores, & deſipienttores animæ fiunt. At verò talium non amplius temperamentum eſt, qualis eſt, Iracundus, Segnis, Doloſus, Simplex, Infeſtus, Beneuolus. Talium omnium natura meatuum, per quos anima meat, cauſſa eſt: per qualia enim vaſa ſecedit, & ad qualia allabitur, & qualibus ammiſcetur, talia ſapiunt. Ob id itaq; impoſſibile eſt talia diæta tranſmutare: naturam enim obſcuram transformare eſt poſſibile.

40 Similiter autem & vocis qualiſcunque tandem fuerit, meatus ſpiritus cauſſa ſunt: per qualeſcunq; enim aer mouetur, & ad qualeſcunque allabitur, talem neceſſe eſt eſſe vocem: & hanc quidem tum deteriorem, tum meliorem facere poſſibile eſt; quia leuiores, ac breuiores meatus ſpiritus facere poſſibile eſt. Verùm illa ex diæta alterare, impoſſibile exiſtit.

HIPPOCRATIS COI

De Diæta, ſiue victus ratione. Liber II.

Argumentum in Librum ſequentem.

1 *Quomodo regionum ſingularum uaturæ, & ſitus cognoſcendi. Regio ad meridiem. Locorum iuxta ſeipſa differentia. Alta, & ſqualida ad meridiem. Locuſtria, & paluſtria. Caua, & non aquoſa. Montes ab Auſtro, & Aquilone. Caua ab Aquilone. Inſulæ ad continentem, & mare.*

2 *De ventorum natura, & facultate.*

3 *Boreas. Auſter. Auſter cur natura humidus, plantarum ac hominum corpora in Libya, reſiccet.*

4 *De Ventorum natura iuxta ſingulas regiones. Venti à mari, niue, glacie, ſtagnis, terra, montibus.*

5 *Quomodo de ciborum, ac potuum ſingulorum vi, tum ea quæ ſecundum naturam eſt, tum ea quæ per artem acceſſit, cognoſcere oporteat. Qualitates ſecūdas licet in eodem genere, non tamen ſemper ſimiles eſſe.*

6 *De Ordeo. Polentarum facultas. De Maza. Maza, qua ratione per aluum ſecedat, & quando reſiccatoria. Mazæ ſiccæ dulci vino emollitæ ac tritæ facultas. Cyceon, quid. Lac.*

7 *De Tritico. Panis triticei farina, & ex pura tantum collata facultas. Panis fermentatus. Panis, ſucco ſubactus. Maximi panes cur maxime alant. Panes furnacei, focarij, veruarij, clibano cocti, ſubcinericei, ſimilaginei. Panes ex alica. Furfurum ſuccus coctus.*

8 *Similago. Tragus ſiue olyra. Auena. Polentæ & farinæ, quæ ſiccior es. Panes calidi. Fabæ. Piſa. Ochri ſiue Eruiliæ. Dolichi. Siliquæ. Cicer album. Milium. Lentes. Eruum. Lini ſemen. Hormini ſemen. Lupini. Irio. Cucumeris ſemen. Cnicus. Papauer. In medicamentorum præparatione quæ obſeruanda.*

9 *De animalibus quæ in ciborum vſum veniunt: & primò de alimento quod à quadrupedibus ſumitur. Carnes bubulæ, caprinæ, ſuillæ. Animalium lac tenue, carnis tenuioris indicium. Carnes agninæ, vitulinæ, porcinæ, aſininæ, æquinæ, caninæ, catulinæ, ſuis ſylueſtris, ceruinæ, leporinæ, vulpinæ, erinaceorum.*

10 *De alimento, quod à volucribus animalibus ſumitur: & cur aues neque mingant, neque ſputum fundant. Carnes palumborum, columbarum, perdicum, gallorum, turturum, anſerum, anatum.*

11 *De nutrimento quod ab aquatilibus animalibus ſumitur. Ex piſcibus ſicciſſimi, ſcorpius, draco, callionymus, cuculus, glaucus, perca, thriſſa. Leues ſunt petroſi ferè omnes, vt turdus, phuca, elephetis, gobio. Errones autem & laboribus fracti ſolidior carnem habent. Leuiores autem ſunt torpedines, ſquatinæ, rhombi. Grauiores, capitones, mugiles, anguillæ, & quicunque in lutoſis, & aquoſis locis alimenta habent. Fluuiatiles, & paluſtres grauiores. Polypi, ſepiæ, Conchylia, pinæ, purpuræ, patellæ, buccina, oſtra. Salſamenta.*

12 *De Agreſtium, ac domeſticorum animalium differentia. Animalia ſylueſtria, & domeſtica. De animalium carnis differentia, & primum de partibus exanguibus. Carnes fortiores, & leuiores. Exanguium partium aliæ robuſtiſſimæ, aliæ leuiſſimæ. Piſces. Oua volucrium. Caſeus.*

13 *De Aqua, De Vino: nigra, & auſtera vina. Mollia nigra. Dulcia nigra. Alba auſtera. Noua. Tenuia dulcia. Muſtum. Vina acida. Acetum. Sapa. Mel. Vinum dulce pituitoſis aluo magis ſecedit.*

14 *De alimento quod à plantis ipſis agreſtibus ſumitur. Allium, Cepa, Porrum, Raphanus, Naſturtium, Si-*

napi, Eruca. Coriandrum, Lactuca, Anethum, Apium, Ocymum, Ruta, Asparagus, Saluia, Solanum, Portulaca, Calamintha, Mintha, Rumex, Atriplex, Blitum, Brassica. Beta, Cucurbita, Rapum, Pulegium, Origanũ, Thymbra, Thymum, Hyssopum. Olera os calfacientia, & odorata. Olera acerba, & austera. Olera acria & odorata. Olera acria, & sicca in ore. Olera acida. Succi vrinam cientes. Aluum mouentia.

15 *De Fructibus, qui ab arboribus colliguntur. Poma, Mora, Pira, matura, syluestria, cruda. Mala. Cydonia, Sorba, Mespila, Corna. Malum punicum. Nuclei, cucumeres. Botri vuarum. Ficus, & vuæ passæ. Caricæ. Amygdalæ. Nuces rotundæ. Acyli.*

16 *Carnium differentiæ, secundum varios præparationis modos, & quomodo earum coctura vires augendæ & minuendæ.*

17 *Exigne, & aqua omnia constitui, & ex his augeri, & in hæc secerni, ac resolui. Tosta, & assata.*

18 *Alimenta siccis, & æstuosis locis nascentia. Alimentum sorte, & leue quod.*

19 *Alimenta calfacientia, siccantia, & humectantiæ, excalfacientia, siccantia. Dulcia, pinguia. Acida, acria, austera, acerba. Recentia, Antiqua, cruda. Obsonia ex varijs intritis. Edulia ex muria præparata.*

20 *De Balneis. Aqua potabilis, salsa. Balnea calida, frigida.*

21 *Illuuies. Vnctio. Sol. Ignis. Vmbra. Frigus.*

22 *Sudores. Coitus. Vomitus. Vomitus ventrem soluit, & sistit.*

23.24 *Somnus. Vigilia. Otium. Labor.*

25 *Semel in die cibum sumere attenuat, siccat, & aluum sistit. Aquæ potus. Calfacientia corpus, & alimentum non præbentia, frigiditatem exhibent.*

26 *De Laboribus. Labores naturales, & violenti scilicet. Visus. Auditus. Curarum, & vocis exercitijs, & deambulationum vis.*

27 *Deambulationis à cœna facultas. Matutinæ deambulationes, item post exercitia.*

28 *Cursus longi, ac curui, in veste, recti reuerentes, circulares, quam vim habeant, quibus, & quo potissimum tempore conueniunt.*

29 *Concussiones. Commotiones. Lucta, & Fricatio, Volutatio in puluere, Micatio. Follis, & manus ad rythmum motus.*

30 *Sipitus detentio. Exercitia in puluere & oleo. Oleum cur copus hyeme magis auget, æstate cõtra. Puluis inter exercendum. In puluere morari post exercitia. Frictio ex oleo, & aqua.*

31 *De Lassitudinis tribus speciebus. Lassitudinis generatio, & vis. Inexercitatorum lassitudo, & curatio. Exercitatorum ab insuetis laboribus lassitudo, & curatio. Lassitudo à consuetis exercitijs, & eorum curato.*

1 REgionum singularum situm, & naturam hoc modo cognoscere oportet. & in summa res hoc modo se habet. Regio ad meridiẽ sita calidior est, & siccior, quàm ea, quæ ad septentriones iacet; propterea quòd soli propinquior est. Et in his regionibus necesse est & hominum genera, & nascentia ex terra sicciora, ac calidiora, & fortiora esse, quàm in contrarijs: velut Libyca gens ad Ponticam, & vtrisque vicinæ. Ipsa autem loca iuxta seipsa hoc modo habent. Alta, & squallida, & ad meridiem sita, sicciora sunt, quàm cãpestria, & æqualiter sita; propterea quòd pauciores humores habẽt: illa enim stationem pro aqua pluuia non habent; hæc habent. At verò lacustria, ac palustria humectant, & calfaciunt. Et calfaciunt quidem; quia caua sunt & circundata, & non perflantur: humectant autem; quia nascentia ex terra, quibus homines aluntur, humidiora sunt. & spiritus, quem attrahimus crassior est propter aquæ stationem, ac immobilitatem. Verùm caua loca, & non aquosa siccant, & calfaciunt. Et calfaciunt quidem, quia cauasunt, & circundantur: siccant autem tum propter alimenti sic citatem, tum quòd spiritus, quem inspiramus, siccus existens humorem ex corporibus trahit in alimentum sibiipsi; quum non habeat alium humorem, ad quẽ allapsus nutriatur. Vbi autem regionibus montes adiacent ad austrum; in his squallidi austri, & morbosi afflãt. Vbi autẽ ab Aquilone montes adiacent; in his Aquilones perturbant, ac morbos faciunt. Vbi verò ab Aquilone caua loca vrbibus adiacent; ab æstiuis ventis calida, & morbosa hæc regio existit; propterea quòd neque aquilo perflans puram spiritus inductionem exhibet, neque ab æstiuis ventis perfrigeratur. Cæterùm insulæ propinquæ continenti tempestuosiores sunt, & ægre in ipsis hybernamus. Marinę verò hyeme tepidiores sunt; propterea quòd niues, & glacies in continenti stationes habent, & ventos frigidos in vicinas insulas mittunt. Verùm insulæ intra pelagus positæ non habent in hyeme niuium stationem.

2 Porrò de ventis quàm naturam ac facultatem singuli habent, hoc modo cognoscere oportet. Naturã quidem habent omnes venti humectandi, ac frigefaciendi tum animalium corpora, tum nascentia ex terra, ob hanc causam. Necesse est omnes ventos spirare à niue, à glacie, & gelu vehementi, & fluminibus, & stagnis, terraque humecta ac perfrigerata: & fortiores quidem ventos à maioribus, & fortioribus: debiliores verò à minoribus, & debilioribus: quemadmodum enim animalibus spiritus ineſt; sic etiam alijs omnibus, alijs quidem minor, alijs verò iuxta magnitudinem. Naturam quidem igitur habent humectandi, ac frigefaciendi omnes venti verùm propter situm regionum, ac locorum, per quæ venti ad singulas regiones accedunt, diuersi inter se fiunt, frigidiores, calidiores, humidiores, sicciores, morbosiores, salubriores.

3 Singulorum aũt causam sic cognoscere oportet. Boreas, siue aquilo frigidus spirat, ac humidus; quia progreditur à talibus regionibus, meatque per tales locos, ad quos non accedit sol ipse, neq; aerem resiccans humorem ebibit, ac exhaurit. Quare ad terram habitabilẽ accedit suam ipsius vim habens; vbi non per regionis situm corrumpitur, & his quidem, qui proxime habitant frigidissimus est: qui verò remotissime, minime. Auster autem à similibus aquiloni natura regionibus spirat. Ab Australi.n. polo spirans, & à niue multa, glacieśq; ac gelu fortibus procedens, necessario his, qui prope ipsum illic habitant, talis spirat qualis nobis est Aquilo: verum omnem non itẽ similis accedit regionem. Nam, quũ per solis iter, & in meridiem spiret; humiditas ipsius à sole ebibitur, & resiccatus rarescit. quapropter necesse est ipsum calidum, ac siccum huc accedere. In proximis

igitur

igitur regionibus neceſſe eſt ipſum talem vim calidam, ac ſiccam exercere. & hoc ſanè in Libya facit: nam & terræ naſcentia exareſcunt, & homines latenter reſiccat: quum enim non habeat nec mare, nec fluuim, vnde humiditatem accipiat; ex animantibus, ac plantis humorem exhaurit. Vbi verò pelagus tranſit, tanquam calidus, & rarus exiſtens multa humiditate regionē, in quam illabitur, implet & neceſſe eſt ipſum calidum, ac humidum eſſe; vbi non regionum ſitus alterius qualitatis cauſa exiſtat. Eodem modo etiam aliorum ventorum facultates ſe habēt.

4 Cæterùm iuxta ſingulas regiones vēti hoc modo ſe habent. Venti ex mari in regiones illabentes, ſicciores quodammodo ſunt. Qui verò à niue, aut glacie, aut ſtagnis, aut fluminibus procedunt, omnes humectant, ac frigefaciunt tum plantas, tum animātia, & ſanitatem corporibus exhibent, qui non frigiditate ſuperexcellunt. Hi enim lædunt; propterea quòd magnas mutationes calidi, ac frigidi in corporibus inducunt. Hæc autem perpetiuntur, hi qui in regionibus habitant paluſtribus, ac calidis prope flumina magna. Reliqui verò venti, qui à prædictis ſpirant, vtiles ſunt, tum aerem purum, ac ſincerum exhibentes, tùm animę calori humiditatem præbentes. Quicunque verò venti ex terra accedunt, eos neceſſe eſt ſicciores eſſe tum à ſole, tū à terra reſiccatos. Quum autem non habeant venti, unde alimentum trahant, à viuentibus humorem trahentes, & plantas, & animalia omnia lædunt. Et quicūque venti relictis mōtibus ad vrbes accedunt, non ſolum ſiccāt; ſed etiam turbant ſpiritum, quem inſpiramus, & corpora hominum morboſa faciunt. Naturam quidem igitur, & vim ſingulorum ſic cognoſcere oportet. Quomodo autem ad ſingulos ſe prēparare oporteat, in ſermonis progreſſu declarabo.

5 At verò ciborum, ac potuum ſingulorū vim, tum eam, quę ſecundum naturam eſt, tum eam, quę per artem acceſſit, hoc modo cognoſcere oportet. Quicunque igitur in ſumma dicere aggreſſi ſunt, aut de dulcium, aut pinguium, aut ſalſorum, aut alterius cuiuſdam conſimilis facultate, non recte iudicant: non enim eandem vim habent, neque dulcia inter ſe, neque amara, neque vlla aliqua eiuſmodi: multa enim ex talibus ſunt, quę & aluum emolliunt, & ſiſtūt, ſiccantque, & humectant. Similiter autem etiam in reliquis omnibus. Sunt quæ adſtringunt, itemque aluum mouent, & vrinam cient. Sunt quę neutrum horum faciunt. Similiter & ex calfacientibus, ac reliquis omnibus, alia aliam facultatem habent. De omnibus quidem igitur impoſſibile eſt, qualianam ſint, declarare: verùm quam uim ſingulatim habeant, docebo.

6 Ordeum natura quidem frigidum eſt, & ſiccum. Ineſt & purgatorium quiddam à ſucco palearum. Eius ſignum habebis, ſi uoles ordeum nō purgatum coquere: purgat enim is ſuccus fortiter. Si verò decorticatum coxeris; perfrigerabit magis, ac aluum ſiſtet. Quum autem toſtum fuerit; humor quidē purgatorius prę igne perit: frigiditas autem, & ſiccitas relinquitur. Quęcunque uerò perfrigerare, ac ſiccare oportet, id ipſum polentæ tranſigunt. Maza omnis generis ſic utimur, facultatem autem habet maza hęc talem. Farinę ex toto collatę alimentum quidem minus habent; uerùm magis per aluum ſecedunt. Puræ autem magis nutriunt, minus verò per aluum ſecedunt. Maza prius ſubacta, reſperſa, vino dulci non emollita, leuem facit, & per aluum ſecedit, ac frigefacit. Et frigefacit quidem; quia frigida aqua madefacta eſt: per aluum autem ſecedit; quia cito concoquitur: leuem verò facit; quia multum alimenti cum flatu foras excernitur. quum enim tranſitus alimenti anguſtiores ſint, aliud inſu per accedens non ſuſcipiunt: & quod quidem cum flatu attenuatum eſt, foras excernitur: quòd verò intus manet, flatum inducit, & partim ſuperne eructatur, partim inferne ſecedit. Multum itaque alimēti à corpore diffiatur. Si verò velis mazam ſtatim vt ſubacta eſt exhibere; talis reſiccatoria eſt: quum enim polenta ſicca exiſtat, & aqua ſit madefacta, atque ſic præparata in ventrem illabatur; humorem ex ipſo trahit calidū exiſtentem: ſolet enim calidum attrahere frigidum, & rurſus frigidum calidum. Conſumpto autem humore de ventre, neceſſe eſt ſiccari. Aqua verò, quæ vnà cum maza ingreſſa eſt, frigefacit. Quæcunque igitur ſiccare oportet, aut frigefacere, aut vētris profluuio diffuſum, aut alia quapiam eiuſmodi caliditate, maza efficax exiſtit. At verò ſicca, vino dulci emollita, ac trita maza, ſiccat quidem non ſimiliter; propterea quòd vehementer eſt adſtricta, alimentum verò plurimū corpori præbet; nam vt leniter liqueſcentis alimentum tranſitus ſuſcipiunt. Per aluum quidem igitur tarde ſecedit, flatum autem non inducit neque eructatur. Quæ verò & aqua, & vino dulci emollita, ac prius ſubacta eſt, nutrit quidem minus, per aluum autem ſecedit, & flatum magis inducit. Cyceon autem ſolum in aqua quidem frigefacit, ac nutrit: in vino verò calfacit, ac nutrit, & aluum ſiſtit. In melle autem calfacit quidem minus, ac nutrit; per aluum verò magis ſecedit, ſi non meracum mel fuerit: ſin minus; non ſecedit, ſed aluum ſiſtit. In lacte verò bene alunt omnes Cyceones. Veruntamen ouillum aluū ſiſtit: caprinum verò magis per aluum ſecedit: bubulū verò minus: equinum autem, & aſinum magis ſecedunt.

7 Triticum fortius eſt ordeo, & magis nutrit, minus autem per aluum ſecedit tum ipſum, tū ſuccus. Panis autem ex tota farina collata ſiccat, & per aluū ſecedit. Purus autem magis nutrit, minus verò ſecedit. Ex ipſis porrò panibus, fermentatus quidem leuis eſt, & ſecedit. Et leuis quidem eſt; quia à fermenti acore humiditas conſumpta eſt, quæ ſanè alimentum exiſtit. ſecedit autem; quia cito concoquitur. Non fermentatus ſecedit quidem minus, nutrit autem magis. Qui ſucco ſubactus eſt, leuior eſt; & multum nutrit, ac per aluum ſecedit. Nutrit; quia purus eſt: leuis eſt; quia leuiſſimo ſubactus eſt, & fermentatus ac toſtus ab eodem eſt. per aluum ſecedit; quia paſſo, & aluum mouēte tritici parte; permixtus eſt. Ex ipſis autem panibus maximi maxime alunt; propterea quod minime exuritur humiditas ab igne. Et furnacei panes magis alunt, quàm focarij, & veruarij; propterea quòd minus exuruntur ab igne. Clibano autē cocti, & ſubcinericij ſicciſſimi ſunt, hi quidem propter cinerem, illi verò per teſtam humore priuati. Similaginei omnium horum fortiſſimi ſunt, & adhuc magis, qui ex alica fiunt, valdeque nutriūt, verùm non ſimiliter ſecedunt. Farina pura in aqua pota frigefacit, & lotura pollinis tritici. Furfurum

ſuccus

succus coctus, leuis per aluum secedit. Verùm farinę in lacte datæ magis per aluũ secedunt, quàm in aqua propter serum, & maximè inter aluum mouentia numerantur. Quæcunque verò farinæ cum melle, & oleo coquuntur, aut asantur, omnes æstiuosæ sunt, & ructum cient. Et ructum quidem cient; quia probe alentes non secedunt. Aestuosę autem sunt; quia pinguia, & dulcia, & inter se discordia, non eadem coctura indigentia, in eodem sunt.

8 Similago, & alica cocta fortia sunt, & alunt; non tamen per aluum secedunt. Trygis, idest, tragus, siue olyra leuior est tritico, & quæ ex ipsa fiunt similiter, vt ea, quæ ex tritico parantur, & magis per aluũ secedunt. Auena comesta humectat, ac perfrigerat, itemque in sorbitione accepta. Polentæ, ac farinæ recentes sicciores sunt vetustis; quia igni, & præparationi propinquiores existunt. Vbi verò vetustæ fiũt: calor exhalat, & frigiditas inducitur. Panes calidi siccant, frigidi minus, gracilitatem autem quandam inducunt. Fabæ alunt, aluum sistũt, & inflant. Inflãt; quia meatus aliud insuper accedens alimentum nõ suscipiunt. Aluum sistunt: quia totam alimenti fecẽ habent. Pisa inflant quidem minus, per aluum autẽ magis secedunt. Ochri, siue eruiliæ, & dolichi siue phasioli, ac siliquæ, his magis per aluum secedunt, minus inflãt, & probe alunt. Cicer album per aluum secedit, & per vrinam ejicitur, & alit. Et alit quidem carnosum in ipso. Per vrinam verò eiicitur, dulce: per aluum autem secedit, salsuginosum. Milij grana, ac paleæ siccant, & ventrem sistunt, & cum sicubus, fortibus doloribus conferunt. Ipsum autem milium coctum alit; non tamen aluo secedit. Lentes æstuosæ sunt, & turbatiuæ, & neque per aluum secedunt, neque ipsam sistunt. Eruum aluum sistit, & robustũ est, & crassefacit, & explet, & boni coloris hominem facit. Lini semen comestum aluum sistit: habet & quiddam frigefactorium. Hormini semen cõsimilia lini semini facit. Lupini natura robusti sunt, & calidi; verùm per præparationes leuiores, ac frigidiores fiunt, & aluo secedunt. Irio humectat, & aluo secedit. Cucumeris semen per lotium magis abit, quàm secessum. Explet autẽ, & crassefacit. Et secedit quidẽ per aluum propter paleam externam: explet autẽ, & crassefacit propter carnem. Lotum verò secedit quidem: verùm minus, crassefacit autem, & explet magis: humectat autem, & vrit propter pingue, & oleosum. Cnicus aluũ mouet. Papauer aluum sistit, magis autem nigrum hoc facit, sed & album idem agit, alit autem, & robustum est. Horum porrò omnium succi carnis aluum mouent. Oportet itaque in præparatione id obseruare, vt quæ siccare velis, ab his succos detrahas, & carne utaris: quæ verò aluum mouere velis, vt succo copiosiore, carne uerò pauciore, & succulentiore vtaris.

9 Cęterùm de animalibus, quæ in ciborum vsum veniunt, sic cognoscere oportet. Carnes bubulæ robustæ sunt, & aluum sistunt, & ægrè in ventre coquuntur; propterea quòd crassi, ac multi sanguinis est hoc animal, & carnes graues, itẽque sanguis, ac lac. Quorum autem animalium lac tenue est, & sanguis similiter, eorum etiam carnes consimiles sunt. Caprinæ carnes his leuiores sunt, & magis aluo secedunt. Suillæ quidem robur magis, quàm hæ corpori inducunt: multum autem aluo secedunt: propterea quòd tenues, & modici sanguinis venas sues habent, carn verò multam. Agninæ leuiores sunt ouillis, & hędinæ caprinis; quia exanguiores sunt, & humidiores. quũ enim sicca, & robusta natura sint animalia, dum quidẽ teneræ sunt; aluo secedunt: vbi verò augmentum sumpserint; non similiter. Et vitulinę carnes eodem modo se ad bubulas habent. Verùm porcinæ suillis grauiores sunt: quum enim animal sit natura carnosum & exangue; humiditatis excessum in tenella ætate habet. Quum igitur meatus superaccedens alimentum nõ suscipiant; intus manens calefacit, ac perturbat ventrem. Asininæ carnes aluo secedunt, & pullorum adhuc magis. Equinæ leuiores sunt. Caninæ calfaciunt, ac siccant, & robur inducunt; nõ tamen aluo secedunt. Catulinæ verò humectant, & secedunt. Suis syluestis caro siccat, & robur exhibet, ac secedit. Cerui siccat, minus aũt secedit, magisque vrinam prolicit. Leporinæ siccæ sunt & aluũ sistunt; vrinæ autem citamentum quoddam faciunt. Vulpinæ humidiores sunt, & vrinam cient. Et erinaceorũ terrestriũ carnes humidiores sunt, ac vrinam cient.

10 Porrò de volucriũ generibus sic res res se habet. Omnia ferme volucrium genera sicciora sunt, quàm quadrupeda: quæcunque enim vesicam non habent, neque mingunt, neque sputum, aut saliuam fundũt, omnino sicca sunt: propter caliditatem. n. ventris humiditas ex corpore consumitur in alimentum calidi tatis: quare neque mingunt, neque sputum, aut saliuam fundunt. Cui autem tales humiditates non insunt; id ipsum necessario siccat. Siccissima igitur caro est palumbis, deinde columbæ; tertio loco perdicis, ac galli, & turturis: humidissima verò anseris. Seminileges autem volucres prędictis sicciores sunt. Verùm anatis carnes, & reliquarũ auicularũ, quæ in paludibus degunt, aut in aquis, omnes humidæ sunt.

11 At verò ex piscibus siccissimi sunt hi, scorpius, draco, galliony mus, cuculus, glaucus, perca, thrissa. Leues autẽ sunt petrosi fermè omnes, velut turdus, phuca, elephetis, gobio. Tales aũt & prædicti itidem leuiores sunt erronibus: nam hi vt quiescẽtes raram, ac leuem carnem habent. Errones autem, & vndas verberantes laboribus fracti, solidiorem carnem habent. Torpedines autem, & squatinæ, ac rhombi, & huiusmodi sunt leuiores. Quicunque verò pisces in lutosis, & aquosis locis alimenta habent, velut capitones, mugiles, anguillæ, & reliqui eiusmodi grauiores sunt, propterea quòd ab aqua, & luto, & in his nascentibus, alimenta habent, a quibus ẽt spiritus in hominem ingrediens ipsum lædit, ac grauat. Fluuiatiles autem, & palustres his adhuc grauiores sunt. Polypi verò, & sepię, & eiusmodi pisces, neque leues velut videntur sunt, neque per aluum secedunt. quapropter etiam oculos comesti grauant, iuscula tamẽ horum aluum mouent. Cæterùm conchylia, velut sunt pinę, purpurę, patellę, buccina, ostrea, ipsa quidem sicca sunt, succi autem ipsorum aluum mouent. Mituli verò, & pectines, ac tellinę magis aluo secedunt. Vrticę autem, & chartilaginosi generis pisces, maxime humectant, ac aluum mouent. Cęterùm erinaceorum oua, & locustarum humor, & masculi, & vrsę, ac cancri, magis quidem fluuiatiles; sed & marini aluum mouent, & vrinam cient. Salsamenta siccant, & attenuant, pleraque etiam aluum leniter mouent. Ex salsamentis sicciissima sunt marina, deinde

fluuia-

fluuiatila. Humidissima autem sunt palustria. Ex ipsis autem salsamentis pisces percæ appellati, valde sicci sunt.

12 Animalium porrò cicurum ea, quæ in syluis, & agris pascuntur, sicciora sunt his, quæ intra ædes nutriuntur; quia labore resiccantur, itemque præsole, ac frigore, & spiritu sicciore nutriuntur. Verùm syluestria sicciora sunt mansuetis, & crudiuora, ac syluarum materie pasta, itemq; parum edacia, sicciora sunt edacibus. Et frugiuora herbiuoris sicciora sunt & frugiuora non frugiuoris, & paucibiba multibibis, & sanguine referta exanguibus, ac paucum sanguinem habentibus, & quæ in vigore sunt vetustis valde, ac iuuenculis, & mascula fœmineis, & castrata non castratis, & nigra albis, & hirta nudis: contraria verò his, humidiora sunt. Ex ipsis autem animalibus carnes hæ fortiores sunt, quæ optimè exercētur, ac sanguinolentissimæ sunt, & in quibus recūbunt. Leuissimæ autem carnes sunt, quæ minimè exercentur, & in vmbra degunt, & in intimis animalis partibus sitæ sunt. Exanguium autem partium robustissimæ sunt, cerebrum; & medulla. Leuissimæ verò carnium partes sunt capitales, & sub ventre, musculi, pectines, pedes. Et piscibus siccissimę sunt supernæ partes, leuissimę sub ventre. Et capita ipsorum humidiora sunt propter pinguedinem, ac cerebrum. Oua volucrum robustum quid habent, & alunt, & inflant. Robustum quid habent; quia generatio est animalis: alunt; quia hoc est pulli lac: inflant; quia ex parua mole in multam diffunduntur. Caseus robustus est, & æstuosus, & alit. Robustus quidē; quia proximus est generationi: alit autē; quia carnosæ reliquæ sunt lactis: æstuosus est; quia pinguis. aluum autem sistit; quia succo, & coagulo compactus est.

13 Aqua frigefacit. Vinum calidum est, & siccū. Habet & purgatoriū quiddam à materia. Vina nigra, & austera sicciora sunt, & aluum non mouent, neque vrinam cient, neque saliuam faciunt. Siccant autem, & calfaciunt, humiditatem ex corpore consumētia. Mollia verò nigra humidiora sunt, & inflant, atque aluum magis mouent. Dulcia nigra humidiora sunt, calfaciunt autem, & inflant humiditatem inducentia. At verò alba, & austera calfaciunt, magisque vrinam cient, quàm aluum mouent. Noua vina aluum magis mouent; quia propriora musto sunt, itemque alunt, & odorata magis, quàm inodorata eiusdē ætatis; quia magis concocta sunt: & crassa magis, quàm tenuia. Verùm tenuia dulcia magis vrinam cient, & aluum mouent, & humectant corpus, & sanguinem debilem faciūt, & aduersarium corporis sanguinem in corpore augent. Mustum inflat, & subducit, ac cōturbat feruens in ventre, & aluo secedit. Inflat quidem; quia calfacit: subducit autem ex corpore; quia purgat: conturbat autem; quia feruet in vētre, atque ita aluo secedit. Vina acida frigefaciunt, attenuant, & humectant. Frigefaciunt quidem, & attenuant humiditatis euacuationem à corpore facientia: humectant autem per aquam vnà cum vino ingrediētem. Acetum frigefacit; quia colliquans humiditatem in corpore consumit. Sistit autem magis, quàm mouet aluum; quia non alit, & acre est. Sapa calfacit, & humectat, ac subducit. Calfacit; quia vinosa est: humectat; quia alit: subducit; quia dulcis est. Vinum recens sub torculari expressum, & nondum excolatum, humecta, subducit, & inflat; quia etiam mustum idem facit. Mel calidum est, & siccum; si meracum sit: cum aqua autem humectat, & aluum mouet bilioſis: pituitosis verò sistit. Dulce verò vinum pituitosis magis aluo secedit.

14 De oleribus porrò hoc modo res se habet. Allium calidum est, & aluum mouet, & vrinā ciet corpori, oculis verò non est commodum: multam enim corporis purgationem făciens visum hebetat: aluum autem, & vrinam mouet propter vim purgatoriam. coctum debilius est, quàm crudum. flatum autem inducit propter spiritus intentionem. Cepa visui commoda est, corpori verò mala; quia calida, & æstuosa est, & aluo secedit, & alimentum quidem nullum corpori præbet. neq; vtilitatem, calfaciens autem siccat propter succum. Porrum calfacit quidem minus, vrinam verò ciet, & aluum mouet: habet & quid purgatorium. humectat autem, & ructum acidum sedat. Præstat à reliquis cibis postremum ipsum edere. Raphanus, siue radicula humectat, pituitam diffundens sua acrimonia: folia minus prosunt, præterquam ad articularem morbum. radix vitiosa est, innatans, ac ægrę concoctilis. Nasturcium calidum est, & carnē liquat: sistit autem pituitam albam. quare vrinę stillicidium inducit. Sinapi calidum est, & aluum mouet; sed & hoc vrinæ difficultatem facit. Quin & Eruca idem facit. Coriandrum calidum est, & aluū sistit, & ructum acidum sedat, & somnum conciliat, si postremum edatur. Lactuca frigidissima est prius, quàm succum habeat, debilitatem autem quandam corpori inducit. Anethum calidum est, & aluum sistit, & sternutamenta sedat olfactu. Apium magis vrinam ciet, quàm aluum mouet: & radices magis, quàm ipsum, aluum mouent. Ocymum siccum est, & calidum, & aluum sistit. Ruta vrinam magis, quā aluum mouet Habet & vim quandam condensandi, & ad medicamenta noxia commoda est præpotata. Asparagus siccus est, & aluum sistit. Saluia sicca est, & aluum sistit. Solanum frigefacit, & semen in somnis effundere non permittit. Portulaca fluuiatilis frigefacit; sale verò condita, ac seruata calfacit, & purgat. Calamintha calfacit, & purgat. Mintha calfacit, & vrinam ciet, & vomitus sistit: &, si quis sæpe comedat; semen genitale colliquefacit, vt diffluat, & arrigere prohibet, & corpus debile facit. Rumex calfacit. ac aluum mouet. Atriplex humida est; non tamen aluum mouet. Blidum calidum est, non mouēs aluum. Brassica calfacit, ac aluum mouet, & bilioſa ducit. Betæ succus quidem aluum mouet, ipsum autem olus comestum sistit: radices verò magis aluum mouent. Cucurbita frigefacit, & humectat, & aluum mouet. Rapum æstuosum est, humectat autem, & conturbat corpus; non tamen aluo secedit, & vrinæ difficultatem inducit. Pulegium calfacit, & aluum mouet. Origanū calfacit, & bilioſa subducit. Thymbra similia origano efficit. Thymum calidū est, per aluum secedit, & mingitur, ducit & pituitosa. Hyssopum calidum est, & pituitam ducit. Porrò syluestria olera, quæ os calfaciunt, & odorata sunt, ea calfaciunt, & mingūtur magis, quàm per illum secedūt. Quæ verò humidam habent naturam, frigidamque, ac fatuam, & odores graues, magis per aluum secedunt, quàm per vrinam. Quæ autem acerba, & austera sunt, aluum sistunt. Quæ acria, & odorata sunt,

vrinam

vrinam cient. Quæ acria, & ficca in ore ſunt, ea omnia ſiccant. Quæ acida ſunt, frigefaciunt. Cęterùm ſucci vrinam ciẽtes ſunt, crethmi, apij, allij cremor, cytiſi, fœniculi, porri, adianti, ſolani, qui & frigefacit. Item ſcolopendrium, mintha, ſeſeli, caucalides, hypericum, vrticæ. Aluum autem mouent, & purgant, cicer, lenticula, ordeum, beta, braſſica, mercurialis, ſambucus, cnicus. Hęc omnia aluũ magis mouent, quàm vrinam.

15 At verò de pomis hoc modo ſe res habet. Quę quidem ſeminibus referta ſunt, ea magis aluum mouent. Item viridia magis, quàm ſicca. Verùm vis, & facultas ipſorum referatur. Mora calfaciunt, & humectant ac aluo ſecedunt. Pira matura calfaciunt, & humectant, ac aluum mouent: dura verò ſiſtunt. Pira ſylueſtria, hyberna, matura, aluum mouent, ac purgant: cruda verò ſiſtunt. Mala dulcia ęgrè concoquuntur: acida verò, & matura, minus. Cydonia adſtringunt, & non mouent aluum. Succi autem malorum vomitus ſiſtunt, & vrinam cient: & ante vomitum odores ipſorum idem præſtant. Mala ſylueſtria aluum ſiſtunt. cocta comeſta magis aluum mouent. Verùm ad reſpirationem quę erecta ceruice fit, & ſucci ipſorum, & ipſa quoque hauſta proſunt. Sorba, Meſpila & Corna, & quęcunque alia huius generis poma aluum ſiſtunt, & acerba ſunt. Mali Punici dulcis ſuccus aluum mouet: habet autẽ quid ęſtuoſum. Mala Punica vinoſa, minus ęſtuoſa ſunt. acida verò magis frigefactoria. Nuclei autem omniũ aluum ſiſtunt. Cucumeres crudi, frigidi ſunt, & ęgrè concoctiles. Maturi autem, & pepones minguntur, & per aluum ſecedunt: verùm flatuoſi ſunt. Botri vuarum calidi ſunt, & humidi; ac aluum mouent, maximè albi. Dulces quidem igitur calfaciunt fortiter; propterea quòd multum iam caliditatis habent. Immaturę verò minus calfaciunt, magis autem purgant potatę. Ficus, & vuę paſſę ęſtuoſę ſunt; ſed aluum mouent. Ficus viridis humectat, & aluum mouet, ac calfacit: humectat; quia ſucco plena eſt; calfacit propter ſuccum. itidem aluum mouet propter ſucci dulcorem. Primę ficus peſſimę ſunt; quia ſucculentiſſimę; optimę autem ſunt poſtremę. Ficus aridę ęſtuoſę ſunt; ſed aluo ſecedunt. Amygdalę ęſtuoſę ſunt; verùm probe nutriunt. Aeſtuoię quidem ſunt propter pinguitudinem, nutriunt autem propter carnoſitatem. Nuces rotundę ſimiles his ſunt. Latę verò maturi probe alunt, & aluum mouent. Depuratę verò etiam flatum inducunt. Tunicę verò ipſarum aluum ſiſtũt. Acyli ilicis glandes, & quercinę, ac fagineę glandes aluum ſiſtunt crudę, & aſſatę, coctæ verò minus.

16 Pingues carnes ęſtuoſę ſunt, ſed aluum mouent. Carnes conditę, ac aſſeruatę in vino quidem ſiccant, & alunt: & ſiccant quidem propter vinum, alunt autem propter carnem. In aceto autem aſſeruatę calfaciunt quidem; verùm minus propter acetum: multum autem nutriunt. At verò ſale ſeruatę minus quidem alunt, humiditate per ſalem priuatę; attenuant autem, & ſiccant, ac ſufficienter aluum mouent.

17 Cęterùm vires ſingulorum detrahere, & addere, ac augere, hoc modo oportet. Ex igne, & aqua omnia conſtituuntur, & animalia, & terra naſcẽtia, & ex his augeſcunt, & in hęc ſecernuntur, ac reſoluuntur. Fortium quidem igitur eduliorũ vim ſępe coquendo, ac frigefaciendo detrahere oportet, & vice verſa augere hoc modo; huiuſmodi, torrendo, ac aſſando humiditatem eximere; ſiccorum verò, rigando, ac madefaciendo; ſalſorum, rigando, & coquendo; amarorum, & acrium, dulcium mixtura; acerborum pinguium temperamẽto; & de reliquis omnibus ex prędictis iudicium facere oportet. Quęcunque toſta, aut aſſata ſunt, aluum magis ſiſtũt, quàm cruda; propterea quòd humiditas, itemq́; pinguitudo per ignẽ ablata ſunt. Quum itaque in uentrem inciderint; humiditatem ex ventre trahunt, & oſcula uenarum concludunt, ſiccantque, ac calfaciunt. quare tranſitus humiditatis ſiſtunt.

18 Quę uerò ex inaquoſis, ac ſiccis, & ęſtuoſis locis ueniunt, ea omnia ſicciora, ac calidiora ſunt, & robur amplius corpori exhibẽt; propterea quòd parimole, ac copia grauiora ſunt, & denſiora, & maiorem redditum tribuunt, quàm quę ex humidis, & riguis, ac frigidis; hęc enim humidiora ſunt, & leuiora, ac frigidiora. Non igitur ſolùm ipſius cibi, & potus, & animalium ipſorum uim noſſe oportet, ſed etiam patrię, unde ſunt. Quum igitur forte alimentum corpori offerri uoles, & ex ijſdem cibis; his, quę ex inaquoſis locis ueniũt, utendum eſt, & cibis, & potibus, & animalibus; ubi uerò leuiore, & humidiore; his, quę ex riguis ueniunt uteris.

19 Dulcia, & acria, & ſalſa, & amara, & auſtera, & carnoſa, calfacere ſolent, tum quę ſicca ſunt, tum quę humida. Quęcunque igitur de ſicca parte plus in ſe habent, ea ſiccant, & calfaciunt. Quę uerò humidę partis plus habent, ea omnia calfacientia humectant, & aluum magis mouent, quàm ſicca; nã, ubi alimentum amplius corpori prębuerunt; reuulſionẽ in uentre faciunt, & humectantia aluo ſecedunt. Quę autẽ ex calfaciẽtia ſiccant tum edulia, tum pocula, neque ſaliuam, neque urinam, neque ſeceſſum facientia, corpus ſiccãt, idque ob hanc cauſſam. Corpus calfactum humore uacuatur, & pars eius ab ipſis cibis, pars in alimentum caloris ipſius animę conſumitur; pars ẽt calfacta, & attenuata per ipſum corpus expellitur. Dulcia, & pinguia, ac oleoſa replent; quia ex modica mole multum diffunduntur. Calfacta autem, & diffuſa caliditatem in corpore replent, ac tranquillam eſſe faciunt. At uerò acida, & acria, & auſtera, & acerba, & ex toto collata, & ſicca, non replent; propterea quòd oſcula uenarum aperiunt, & expurgant, & partim ſiccantia, partim mordentia, ac adſtringentia, humiditatem carnis horrere, ac conſidere, & in modicã molem contrahi faciunt, atque ita uacuum multum in corpore fit. Quum igitur uoles à modicis implere aut à plusibus euacuare; talibus utaris. Recentia omnia maiorem, quàm alia fortitudinem habent; propterea quòd propinquiora uiuo ſunt. Verùm antiqua, & marcida, magis quàm recentia aluum mouẽt; quia propriora putredini ſunt. At uerò cruda alunt, ructus cient; propterea quòd quæ ignem coquere oportebat, ea uenter tranſigit, debilior, quàm ea, quæ ingeſta ſunt exiſtens. Cęterum obſonia ex uarijs intritis præparata æſtuoſa, & humida ſunt: propterea quòd pinguia, & toſta, & calida, & inæquales inter ſe uires habentia, in eodem cohærent. Verùm quæ in muria præparantur, meliora ſunt, & non æſtuoſa.

20 Porrò de balneis hoc modo habet. Aqua potabilis humectat, & frigefacit; exhibet enim corpori humiditatem. Salſum autẽ balneum calfacit, ac ſiccat;

quum

quum enim natura calidum sit, trahit à corpore humiditatem. Calida autem balnea ieiunium attenuãt, ac frigefaciunt: per caliditatem enim humiditatem de corpore auferunt. euacuata autem de carne humiditate, corpus perfrigeratur: à cibo accepto eadem calfaciunt, ac humectant, ea, quæ supereminent in corpore, diffundentia in maiorem molem. Balnea autem frigida vice versa, vacuo quidem corpore prębent quandam caliditatem: vbi autem cibus ingestus est; ab humido existente detrahunt, & frigidum existens siccitate replent.

21 Illuuies siccat; quum humiditas consumatur. Similiter etiam vnctionis neglectus. Vnctio verò calfacit, humectat, ac mollit. Sol, & ignis siccant; propterea quod, quum calida sint, & sicca; humiditatem ex corpore trahunt. Vmbra, & frigus moderate humectant; dant enim magis, quàm accipiunt.

22 Sudores omnes abeuntes siccant, & attenuant, humore ex corpore deficiente. Coitus attenuat, humectat, & calfacit: calfacit quidem propter laborem, & excretionem frigiditatis: attenuat autem propter euacuationem: humectat propter colliquationis reliquias in corpore præ labore. Vomitus attenuant propter cibi euacuationẽ, non tamen siccant; si quis postride rectè curet, sed humectant, propter repletionem, & colliquationem carnis præ labore. Si verò quis sinat hæc postridie consumi in alimentum caliditati, & diætam sensim adhibeat; siccant. Ventrem autem compactum vomitus soluit, & egerentem magis, quàm oportet, sistit: illum quidem humectans, hunc verò siccans. Quum igitur aluum quis sistere volet; auidè deuoratum cibum euomere oportet, priusquam humescat, & infra detrahatur: & magis acerbis, & austeris edulijs vti. Vbi verò soluere aluum quis velit; plurimo tempore cibis immorari confert, & acribus, ac salsis, & pinguibus, ac dulcibus tum cibis, tum potionibus vti.

23 Somni ieiunum attenuant, & frigefaciunt; si non longi fuerint, præsentem humiditatem euacuantes. Qui verò magis calfaciunt, colliquant carnem, & corpus diffundentes exoluunt, ac debiles faciunt. à cibo verò sumpto calfacientes humectant, alimentum in corpus diffundentes: à matutinis autem deambulationibus somnus maxime siccat. Vigilia in exsatiatis cibo noxia est, non permittens cibum liquari, ac concoqui: ieiunos autem attenuat quidem, verùm minus lædit.

24 Segnicies, ac ocium humectat, & corpus debile facit, anima enim quiescens humiditatem ex corpore non consumit. Labor siccat, & corpus robustum facit.

25 Semel in die cibum capere attenuat, & siccat, & aluum sistit; propterea quòd per animæ caliditatem humiditas ex ventre, & carne consumitur. Prandium contraria facit. Aquæ potus calidus attenuat, similiter & frigidus. At verò & spiritus, & cibus, & potus, humiditatem in corpore congelant; si excellenter frigida fuerint, & per congelationem, ac frigiditatem aluos sistunt: nam animæ humiditatẽ superant. Rursus autem etiam caliditatis excessus eandem congelant, in tantum vt diffundi nequeat. Quæcunque verò calfacientia corpus, & alimentum non prębentia, carnem humiditate euacuant etiam excessum non facientia, ea frigiditatẽ homini exhibẽt: nã pręsente humiditate mota, flatu ab ipsa repletur, ac perfrigerat.

26 Cæterùm quam vim labores habeant, nunc exponam. Sunt enim alij naturales, alij violenti. Naturales igitur sunt, Visus labor, auditus, vocis, curarum. Visus quidem igitur talis vis est. Anima in id, quod videtur intenta, mouetur, & calescit. Calfacta verò, euacuata humiditate siccatur. Per auditum verò allabente sono, anima concutitur, & laborat, laborans autem calescit, & siccatur. Quæcunque fiunt hominibus in cura, anima etiã ab his calescit, ac siccatur, & humiditatem consumens laborat, & carnes attenuat, & hominem euacuat. Quicunque labores vocis sunt, velut sermo, aut lectio, aut cantus, omnes hi animam mouent. mota autem siccatur, & calescit, & humiditatem in corpore consumit. At verò deambulationes etiam ipsæ maximè præ reliquis naturales sunt. Habent autem quid violentum. Vis ipsarum talis est.

27 Deambulatio à cœna, & aluum, & corpus, & ventrem siccat, ipsumque amarum fieri non sinit, ob hãc causam. Quum mouetur homo; calefit corpus, itemque cibi. Attrahit igitur humiditatem caro, & aluũ amaram fieri non sinit. Corpus quidem igitur repletur, aluus verò attenuatur. Siccatur autem eadem, ob hanc causam. Quum corpus mouetur, & calescit, quod tenuissimum est alimenti, consumitur partim per insitum calorem, partim verò vnà cum flatu foras excernitur, partim etiam per lotium eijcitur. Quod verò siccissimum est de cibis, relinquitur. Quare vnà cum aluo etiam caro resiccatur. Matutinæ deambulationes attenuant, & partes circa caput leues, & agiles, ac promptas reddunt, & aluum soluunt. Attenuant quidem; quia motu corpus calescit, & humiditas attenuatur, ac purgatur, partim per spiritum, ac flatum: partim verò emungitur, & excreatur: sed & aliqua pars in alimentum caliditatis animæ consumitur. Aluum autem soluunt; quia quum calida sit; frigido spiritu supernè allabente, caliditas frigiditati cedit. Leues autem partes circa caput faciunt, ob hanc causam. Quum euacuata est aluus; ex reliquo corpore, & capite humiditatem in seipsam attrahit, nimirum calida existens. Euacuato autem capite, & visus, & auditus depurgantur, & homines agiles fiunt. Deambulationes autem post exercitia, corpora pura reddunt, & attenuant, non permittentes carnis colliquationem fieri præ labore, sed ipsam depurgant.

28 Cæterùm cursus longi, ac curui sensim facti, calfacientes carnem, concoquere, ac diffundere possunt, & vim ciborum in carne concoquunt: verùm corpora tardiora, ac crassiora reddunt, quàm cursus circulares. Et multa comedentibus commodiores sunt, & hyeme magis, quã æstate. Qui verò in veste fiunt, eandem vim habent, magis autem excalfaciunt, & corpora humidiora faciunt, & decoloratiora: quia sincerus spiritus allabens ipsa non depurgat; sed in eodem spiritu exercentur. Conferunt itaq; & siccis, & carnosis, qui carnem demoliri, & abolere volunt, itemque senioribus, propter corporis frigiditatem. Cursus autem recti reuertentes, & equestres indefiniti, carnem minus diffundunt, attenuant autem magis; propterea quòd externis animæ partibus hi labores sunt, & humiditatem ex carne reuellunt, & corpus attenuant, ac siccant. Circulares verò cursus carnem minime diffundunt. attenuant, autem & distendunt

dunt carnem,& ventrem maximè ; propterea quod acutissimo spiritu vtentes, humiditatem in seipsos celerrime trahunt.

29 At verò concussiones siccant quidem derepente, non sunt autem idoneæ,neque commodæ:nam conuulsiones inducunt : quia excalfactum corpus, cutē quidem fortiter attenuat, carnem verò minus coagmentat,quàm cursus circulares, carnem autem humore euacuant. Commotiones,& alleuationes carnem quidem minimè excalfaciunt,corpus autem,& animam irritant,& spiritu euacuant. Lucta,& fricatio externis corporis partibus magis laborem exhibent. calfaciunt autem carnem, & corroborant, ac augeri faciunt,ob hanc causam. Quæ ex natura solida sunt,confricta consident,ac coagmentantur:quæ verò caua sunt,augescunt. Quod itaque densum est in carne,in confrictum coagmentatur, caua verò augescunt,itemque vene:nam carnes calfactæ,ac siccatæ alimentum in seipsas per venas trahunt, deinde augescunt. Voluratio in puluere consimilia luctæ efficit. Magis autem siccat propter puluerem,& minus incarnat. Micatio per summas manus attenuat, & carnes sursum trahit. Pollis,& manuum ad rythmum motus,consimilia faciunt.

30 Spiritus detentio,meatus disparare,& cutem attenuare, & humiditatem sub cutem extrudere potest. Exercitia in puluere, & oleo in tantum differunt, quod puluis quidem est frigidus,oleum autem calidum. In hyeme igitur oleum corpus magis auget; propterea quòd frigus prohibet à corpore quid auferre:in æstate verò caliditatis excessum faciens,carnem liquat : quum & à tempore, & oleo,ac labore, corpus calefiat. At verò puluis,qui inter exercendum accedit,in æstate quidem magis auget:nam frigefaciens corpus in excessum calfieri non permittit:in hyeme verò frigus,& algorem inducit. Morari in puluere post exercitia in æstate,modico tempore,confert frigefaciendo. Verùm longior mora superresiccat,& corpora dura, ac lignosa efficit. Frictio ex oleo, & aqua mollit, & non vehementer excalfieri sinit.

31 Porrò de lassitudinibus,quæ in corpore fiunt,hoc modo res se habet. Homines inexercitati ab omni labore lassantur : nulla enim corporis pars exercitata est ad vllum aliquem laborem. Corpora aūt exercitata,ab insuetis laboribus delassantur. Aliqua verò etiam à cōsuetis exercitijs lassantur;si modum excesserint.Species quidem igitur lassitudinem eiusmodi sunt.Vis autem ipsarum sic habet:etenim inexercitati humidam carnē habentes,quum laborauerint;corpore calefacto, multam colliquationem remittunt. Quicquid igitur exsudauerit, aut cū corpore depurgatum fuerit,non exhibet magis laborem in corporis parte prēter consuetudinem euacuata. Quicquid verò ab excretione intus remanserit,non solum huic laborem exhibet,sed etiam ei parti,quæ humiditatē susceperit:non.n.commoda est corpori,sed infesta. Et in carnes quidem corporum non similiter congregatur,verùm in carnosas partes:quare his laborem exhibet,donec exiuerit:tanquam.n.circuitum non habens,quiescēs calefit tum ipsa,tum quæ allabuntur. Si igitur multum fuerit quod excretum est; etiam sanū corpus exsuperat, vt totum concalescat,& febrē fortem inducit:calefacto enim sanguine,& attracto, celerem circuitum faciunt ea, quæ in corpore sunt, & tum reliquum corpus præ spiritu purgatur, tum quod compactum est calescens attenuatur, & simul ex carne foras sub cutem extruditur, atque hoc sudor calidus vocatur. Hoc autem excreto,& sanguis in naturalem statum restituitur,& febris remittit,& lassitudo sedatur,maxime tertia die. Cæterùm eiusmodi lassitudinem sic curare oportet,vt fomentis,& balneis calidis id,quod compactum est,dissoluamus, & deambulationibus vehementibus depurgemus,& modico cibo, ac attenuationibus carnis euacuationem cogamus,ac coagmentemus,& oleo sensim multo tempore fricemus; vt ne violenter excalescat. Vnguentis etiam tum exsudatorijs, tum mollientibus vngere,ac mollire conducit. At verò exercitatis,ab insuetis laboribus propterea lassitudo contingit. Quum corpus non fuerit laboribus exercitatum;necesse est carnem humidam esse ad eum locum, ad quem non est adsuetus se laboribus exercere, quemadmodum etiam ad singula exercitationum genera. Carnem igitur necesse est colliquari,& excerni,confidereque,ac contrahi, velut priori. Confert autem hoc modo curari. Exercitationibus vtendum est consuetis, quo id, quod compactum est calescens extenuetur,ac depurgetur,& reliquum corpus non humectetur,neque inexercitatum maneat. Vtile est & hunc balneis calidis vti, itemque frictione similiter, vt priorem. Verùm fomentis nihil habet opus: labores enim calfacientes sufficientes sunt attenuare, & depurgare id,quod compactum est. Lassitudo autem à consuetis exercitijs hoc modo fit. A moderato quidem labore lassitudo non mouetur. Quum verò maior,quàm oportet,labor fuerit;carnem superresiccat, euacuata autem humore caro,calefit,& dolet,& horret, & ad febrem perducitur longiorem; si non quis rectē curet. Oportet autem primum quidem ipsum balneo non valde multo, neque nimis calido lauari : deinde exhibito à balneo molli vino,in cœna offerre plurima, & omnigena edulia, & potu aquoso vino verò molli, ac multo vti. Postea longo tempore his immoretur,donec venæ repletæ attolantur. Deinde verò vomat, & post modicam stationem, molliter dormiat. Postea per dies sex sensim ad cibos, & labores consuetos adhibeatur,atque ita ad consuetum cibum, ac potum perducatur. Vim autem habet hæc curatio talem. Resiccatum excellenter corpus, humectare potest citra excessum. Si quidem igitur possibile esset, laboris excessum nosse, quantus is esset; commodum foret ipsi per moderatum cibum mederi. Nunc verò illud impossibile est, hoc verò facile: corpus enim resiccatum, ab ingestis omnigenis edulis id,quod conducibile sibiipsi est,sumit,vnaquęque pars de singulis cibis : repletum autem, & humectatum, aluo per vomitum euacuata, rursus excessum remittit. Aluus autem vacua existens reuellit. Excedentem itaque humiditatem caro eructat, moderatam verò non remittit, nisi per vim, aut labores, aut medicamenta,aut aliam quandam reuulsionem. Qui autem additione cibi sensim crescente vtitur, is corpori diætam placidè constituit.

HIPPOCRATIS COI

De Diæta, siue victus ratione Liber III.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Cur diæta laborum commensurationi per omnia respondens, præscribi nequeat. Medicamentis quædam sanari non posse.*

2 *De multitudinis, ac vulgi diæta, qui ex necessitate vitam transigunt.*

3 *Victus hyeme. Potus. Labores. Deambulationes ab exercitijs, matutinæ. Stratum durius. Quæ exercitia extenuent. Nauigationes. Lauandi ratio. Vomitus quando & quibus hyeme conducat. Excessus in exercitijs vitandus. Corpori hyemem ferre melius est, quàm exerceri hoc tempore. Corpora cur hyeme tarde, & modicè calfieri debeant. Diæta circa solstitia diligenter obseruanda.*

4 *Quomodo diæta verno tempore instituenda, & corpora ad æstatem sint præparanda. Cibi sub æstatem molliores, & potus aquosiores. Deambulationes. Maza. Olera. Obsonia. Venus.*

5 *De diæta æstatis tempore instituenda. Maza. Potus. Somni à prandio. Olera. Vomitus. Venus. Balnea. Poma fortiora sunt quàm pro natura humana. Laboris. Volutationes in puluere.*

6 *De diæta per autumnum instituenda. Motus. Cibi. Epilogus.*

7 *De diuitiorum diæta, & quibus sanitatis studium præcipuè curæ esse solet. Prænognitio quid.*

8 *Nares citra causam apertam impletas habentis curatio. Mucus è naribus exercitato corpore cur educitur. Mucus & saliua repletionis indices, & signa. Curatio. A vomitu os & fauces vino austero colluantur. Vomitus in repletionibus etiam tertio repetendus.*

9 *Repletionis futuræ signa. Somni longi ac dulces. Somni in repletionibus quando incundi esse desinant. Anima corporis passionibus obnoxia.*

10 *De alijs repletionis signis. Corporis doloris velut lassitudinis curatio. Febris ex corporis totius, vel alicuius partis lassitudine diæta, & curatio.*

11 *De ijs, quibus à repletione caput dolet, ac grauatur, palpebræ à cœna concidunt, & in somnis turbantur, & eorum curatio.*

12 *De ijs, quorum venter cibum quidem concoquit, carnes autem non suscipiunt: & alimentum intus manens flatum inducit. Alui profluuium quid proprie dictum. Dysenteria quando dicatur. Curatio.*

13 *Cibum crudum postridie eructantes citra ructum acidum. Curatio.*

14 *De faciem decolorem post cibum habentibus & acida eructantibus, cum acoro in nares procedente. Facies cur decolor post cibos fiat. Curatio.*

15 *De ijs quibus ructus acidi postridie fiunt curatio.*

16 *Corpora densa carne prædita. Inexercitati derepente laborantes. Micatio per summas manus. Vocis exercitatio à cœna quibus commoda.*

17 *De ijs, quibus cibus liquidus & incoctus per aluum secedit, & quibus hoc frequenter accidat. Curatio. Piscium partes quæ humidiores, & quæ solidiores. Carnes sale, & aceto inueteratæ. Caro caninæ assata.*

18 *De ijs, quibus secessus non putrefactus, per aluum secedit, tabescente corpore, curatio.*

19 *De ijs, quibus secessus liquidi, & putrefacti per aluum abeunt. Item quorum venter carnes attrahit, cibos excludit, ac exulceratur. Curatio. Maza vino dulci emollita. Leporinæ carnes in aqua coctæ.*

20 *De ijs, quibus secessus siccus, & peruflus fit, os siccum, & progressu temporis etiam amarum, & aluus sistitur, item que vrina. Stercus vomentes. Curatio Locustæ, mityli, hirinacei, cancri, conchyliorum succus.*

21 *De ijs, quibus horrores à deambulationibus matutinis accidunt, & caput granatur. Curatio.*

22 *De horrentibus ex gymnasijs curatio. Molliter cubare. Inebriari. Venere vti. Segnem esse ad labores.*

1 DE diæta humana exactè quid conscribere, vt ad ciborum copiam, laborum commensuratio, ac symmetria fiat, non est possibile quemadmodum etiam antea à me relatum est: multa enim sunt impedimenta. primum quidem hominum naturæ diuersæ existentes: Nã & siccæ ipsæ ad seipsas, & ad alia collatę magis, ac minus siccæ sunt, & humidæ: similiter etiam aliæ omnes: Deinde ætates non ijsdem indigentes: insuper & regionum situs, & ventorum mutationes, & temporum alterationes, & anni constitutiones. Est & inter ipsos cibos multa differentia: triticum enim à tritico differt, & vinum à vino, & reliqua omnia, ex quibus victũ facimus diuersa existentia, impediunt, quo minus possibile sit exacte de diæta conscribere. At enim prænotiones inuentæ sanè à me sunt, eorum quæ in corpore dominantur, siue labores cibos, siue cibi labores superent, & quomodo singulis mederi oporteat, prædisce reque sanas naturas, & vt non accedant morbi, nisi quis valde multum deliquat, ac sæpe: hæc autem medicamentis iam opus habent. Sunt autem quæ neque per medicamenta sanari possunt. Quantum quidem igitur inueniri possibile est quæ maxime ad rem faciunt, à me inuentum est: verùm exacte à nullo.

2 Primum igitur multis, ac vulgo hominibus cõscribam, ex quibus maxime vtilitatẽ capere possint, qui sanè cibis vulgaribus vtuntur, ac laboribus necessarijs, profectionibusque necessarijs, ac operis marinis ad vitam degendam repertis: quique calescunt plus, quàm expedit, perfrigerantur; præter commoditatem, & reliqua dieta inconstanti vtuntur. His itaque

ex præsentibus sic victum facere conducit. Annum equidem in quatuor partes diuidunt, quas plerique omnes nouerũt, hyemem, ver, æstatem, autumnum; Et hyemem quidem à pleiadum occasu, vsq; ad æquinoctium vernum; Ver autem ab æquinoctio vsque ad pleiadum exortũ: Aestatem vero à pleiadum ortu vsque ad arcturi exortum; Autumnum ab arcturi ortu, vsque ad pleiadum occasum.

3 In hyeme quidem igitur tempori frigido, & compacto se opponendo, hoc victu vti conducit. Primũ quidem semel tantum in die cibum capere conuenit; nisi quis valde siccum ventrem habeat. Id verò si fieri non possit; modicum prandere. Victu autem vtendũ est sicco, & austero, & calfactorio, & ex toto collato, ac meraco. Pane autem magis uti expedit, & obsonijs assatis potius, quàm coctis. Et potionibus nigris meracioribus, ac paucioribus. Oleribus minimum, prẽterquam calfacientibus & siccis. Succis itẽ, ac sorbitionibus minime vtendum est. Laboribus autem multis omnibus, cursibusque curuis sensim crescente accessione, & lucta in oleo longa, à leuibus orsiendo, ac sensim addendo. Et deambulationibus ab exercitijs, acutis, ac celeribus, à cœna verò tardis in tepore. Matutinis autem multis, leni initio facto, ac sensim crescente accessione, ita vt placide rursus desinas. Vtendum est & strato duriore, & nocturnis itineribus; & funambulationibus, ac cursibus per funẽ vti confert. Omnia enim hęc attenuant, ac calfaciũt. Vtendum etiam nauigatione. Vbi autem quis lauari velit, si quidem in palestra se exercuerit; frigida lauetur. Si verò alio quopiam exercitio vsus fuerit; calida commodior existit. Vtendum & vomitibus, si humidiores sint; ter in mense; sin sicciores; bis à cibis omnis generis, à vomitibus sensim perueniendũ est ad consuetum cibum per tres dies, eoq; tempore laboribus leuioribus, ac paucioribus vtendum: à bubulis autem, & porcinis carnibus, aut alijs, quicquid tãdẽ modum excesserit, repletus vomat; & à caseosis, & dulcibus, ac pinguibus, cum qui non est adsuetus repleri, vomere conducit, & ab ebrietate, ac ciborum mutatione, & regionum alteratione vomendum est. Oportet aũt frigori seipsum purum exhibere, prẽter quã à cibis, ac exercitijs. Sed & in matutinis deãbulationibus vbi corpus calefieri cęperit, itemq; in cursibus etiã in alio tẽpore; excessum uitare oportet; Melius est. n. corpori hyemem ferre, quàm exerceri hoc tẽpore, nam neq; arbores, quæ hyemem non pertulerunt hoc tempore, fructum ferre possunt, neque ipsæ sanæ esse. Vtendum est & laboribus hoc tẽpore multis vsque ad excessum, nisi lassitudines succedant. Signum autẽ docebo idiotas, ostendamq; quapropter hæc ita se habent. Tempore existente frigido, ac cõpacto, consimilia patiuntur: etiam animalia ipsa. Necesse igit est corpora tarde calefieri à labore, & modicam quãdam humiditatis præsentis partem excernere. Deinde modicum tempus concessum est quo laborent, multum autem quo quiescant: Dies n. breuis est, nox verò longa; propterea igit neque tẽpus, neque labor excessum habet. Ob hanc itaque causam hoc tẽpore sic diætam instituere oportet à pleiadum occasu vsque ad solstitium hybernũ diebus quadraginta quatuor. Circa solstitium autem maximè in custodia, ac tutela esse, & à solstitio alios totidem dies eadem dięta vti. Postquam autem tempus adduxerit fauonium, & mollius factum fuerit; oportet etiam cum tẽpore diætam sequi, diebus quindecim, quum arcturus oritur, & hirundo volat. Sequens verò tempus magis varie transigere oportet vsque ad æquinoctium diebus triginta duobus. Oportet igitur etiam diæta vti hoc tempore variegatiore, molliore que, ac leuiore, & cibo, & potu, & labore, atque ita sensim ad uer perducere.

4 Quum autem æquinoctium iam factũ fuerit mollius, & dies longiores, ac noctes breuiores, & tempus calidum, ac siccum constiterit; etiam præsens victus probe nutriens, ac meracus sit. Quemadmodum igitur arbores rationem non habentes, hoc tempore præparant sibi ad æstatis commoditatem, tum incremẽtum, tũ vmbram; sic oportet hominem, quum sanè mente, ac ratione præditus sit, carnis incrementum salubræ sibi præparare. Oportet igitur, vt ne de repente diæta transmutetur, tempus in sex partes diuidere per octo dies. In prima itaque parte & labores detrahere oportet, & reliquis quoque velocioribus vti. Cibis autem mollioribus, & potibus aquosioribus ac albioribus, & lucta cum oleo in sole vtẽdum est. In singulis autem temporibus singulas dięta pauiatim transmutare oportet, & deãbulationes detrahere à cęna plures, matutinas pauciores: & mazam pro pane offerre, & olera cocta exhibere, & obsonia cocta assatis adæquare, & balneis vti, & parum prandere, & re venerea pauca vti, & vomitibus primũ quidem quarto quoque die, deinde per longius tempus, quo & corpus pura carne incarnatum constituas, & diætam in hoc tempore mollem, vsque ad pleiadum exortum. Et in hoc iam æstas adest, & ad hanc nunc diætam instituere oportet.

5 Quum itaque Pleias exorta fuerit; cibis mollioribus, ac paucioribus vti oportet: deinde maza magis, quàm pane, atque ea prius subacta, & vino dulci non emollita: potibus autem mollibus albis aquosis, prandio modico, & somnis à prandio breuibus, & repletionibus ex cibis, ac potibus quàm minimis. Potu inter edendum vtendum est sufficiente, per diem verò minime bibendum, nisi necessaria aliquam siccitate corpus vtatur. Vtendum est & oleribus coctis, exceptis æstuosis, ac siccis. Vtendum etiam crudis, & exceptis calfacientibus; ac siccis. Vomitibus, nisi si qua repletio contingat; vtendum non est. Re autem Venerea minime. Balneis autem tepidis vti licet. At verò poma fortiora sũt, quàm pro humana natura. Melius est igitur à pomis abstinere. Si verò quis cum cibis vtatur; minime deliquerit. Laboribus quoque, ac cursibus circularibus exerceri oportet, & cursibus rectis reuerẽtibus modicis multo tempore, & deambulationibus in vmbra, lucta autem in puluere; quo quàm minime excalescat. Verùm volutationes in puluere meliores sunt, quàm cursus circulares: frigefaciunt enim corpus humore euacuantes. A cœna deambulandum non est, sed saltem surgendum. Mane verò deambulationibus vtẽdũ. Soles vitandi sunt, itemq; frigora, tum mane, tum vespere, quę flumina, aut stagna, aut niues exhalant. Hanc autem diætam tolerare oportet vsque ad solstitium æstiuum; quò in hoc tempore adimas omnia, quæ sicca sunt, & calida, & nigra, ac meraca, itemque panes, prẽterquam si parũ quid voluptatis gratia concedere velis. Sequenti verò tempore vtetur mollibus, & humidis, &

perfri-

perfrigerantibus,ac albis,vſque ad arcturi exortum, ac æquinoctium per dies nonaginta tres.

6 Cæterùm ab æquinoctio ſic diætã inſtituere oportet, per autumnum ad hyemem adducendo, ita vt mutationes frigorum,ac teporis vites veſtitu craſſo. Vtendum autem hoc tempore motu in veſte,frictioneq́ue,ac lucta in oleo,ita vt ſenſim acceſſio creſcat. Deambulationes quoque in tẽpoee faciendę ſunt,& calidis lauacris vtendum,& ſomni diurni detrahendi. Cibis autem vtendum eſt calidioribus,ac minus humidis,& puris,& potibus nigrioribus; verũ mollibus,& nõ aquoſis: oleribus verò minus. Reliquam item diætam omnẽ ſic conſonam adhibere oportet, vt ab æſtiuis detrahas, hybernis autem vtaris nõ ad ſummum,quò hybernum victum quàm proxime cõſtituas,in diebus duodequinquaginta vſque ad pleiadum occaſum ab æquinoctio. Hæc porrò multitudinis commonendæ gratia,ac vulgi hominũ cauſa prodo,qui ex neceſſitate vitam temere tranſigunt, neq; licet ipſis aliorum negligentes eſſe, ac ſuam ipſorũ ſanitatem curare.

7 Quibus verò iam hoc certũ, ac percognitum eſt, q̃ neque diuitiarum,neque corporis, neque vllius alterius rei vlla vtilitas eſt, citra ſanitatem,ad hos inuenta eſt à me diæta, quantum poſſibile eſt,ad veritatem ac certitudinem poſſibilium rerum adducta i Hanc itaque in ſermonis pregreſſu declarabo. Inuẽtum autem hoc honeſtum quidem mihi repertori, vtile verò diſcentibus, nullus adhuc priorũ ne attentauit quidem componere,quòd ad omnia alia magni æſtimandum duco. Eſt autem præcognitio antequã ægrotent cognitio,quid corpora perpetiãtur,vtrum cibus ſuperat labores,aut labores cibos,aut moderate inter ſe habeant. vtrum.n.tandẽ ſuperetur,morbi fiunt ab æqualitate autẽ inter ipſa motua, ſanitas ad eſt. Ad hæc ſanè commemoranda accingor,& demõſtrabo,qualia fiunt hominibus,qui ſani ſibi eſſe vidẽtur,& iucunde comedunt, laborareq́ue poſſunt,& corporis, ac caloris ſatis habent.

8 Nares citra cauſam apertam à cœna implentur,& repletæ eſſe videntur,emungũt autem nihil. Vbi autem deambulare mane incipiunt, ac exerceri; tunc emungunt,ac ſpuunt:& progreſſu tẽporis etiam palpebras graues habent, & pruritus frontem occupat, & à cibis abſtinent,& bibere minus poſſunt,& color fit de color,& aut deſtillationes mouẽtur, aut febres horridæ, iuxta quodcunque tempus repletio fuerit mota. Quicquid autem eo tempore fecerit, in id ipſum culpam,ac cauſam reijcit, quum idipſum cauſa non ſit. Huic.n.cibi ſuperant labores,& repletio paulatim collecta in morbũ ipſum adduxit. Sed non huc vſq; differre oportet,verùm vbi prima ſigna cognouerit,ſcire,q̃ cibi labores ſuperant, & paulatim collecta repletio exiſtit. Mucus enim, & ſaliua repletionis indices ſunt,ac ſigna,& quieſcẽte quidem corpore,meatus ſpiritus obturant,multa repletione exiſtente: vbi verò calefactum eſt præ labore; attenuata excernuntur. Valem autem ſic curare oportet. Exercitatum in conſuetis exercitijs citra laſſitudinem,calidaq́ue lotum, cibis omnigenis expleto, ac vomere facito. à vomitu verò os, & fauces colluat vino auſtero;quò oſcula venarũ conſtringantur,& nihil attrahant,velut à vomitu fieri ſolet: deinde ſurgens modice deambulet in tepore. Poſtridie verò deambulationibus quidem vtendum eſt: exercitijs autem paucioribus,& leuioribus,quàm prius:&,ſi æſtas fuerit: impranſus degat. ſin minus;parum comedat,& de cęna,quàm ſumere ſolebat,dimidium detrahat. Tertia autem die labores quidem obeat omnes conſuetos, ac deãbulationes, verùm cibos ſenſum ingerat; quò quinta die à vomitu cõſuetum cibum aſſumat. Et,ſi quidem ab hoc ſatis bene habuerit; de cætero cibis quidem paucioribus, laboribus autem pluribus curetur. Si verò ſigna repletionis non quieuerint;interpoſitis duobus diebus ab ea, qua conſuetos cibos aſſumpſit,rurſus vomat,& eodem modo ſenſim ad cõſuetos cibos redeat. Quod ſi non ſucceſſerit; etiam tertium eadem repete, donec à repletione liberetur.

9 Sunt autem homines, qui, vbi labores ſuperantur à cibis;talia patiuntur. Incipiente quidem repletione ſomni longi,& dulces ipſis cõtingunt,& interdiu etiam dormiunt. Somnus autem contingit carni,& ſanguis funditur, & ſpiritus diffuſus tranquillus eſt. Quum verò non ſuſcipiat amplius corpus repletionem; ſecretionem iam remittit intro,præ circuitus violentia; quæ ſanè ſecretio contraria alimẽto à cibis, animam perturbat. Quo tempore non amplius iucundi ipſis ſunt ſomni;ſed neceſſe eſt hominem perturbari, & videtur ſibi cum aliquo pugnam committere: qualiacunque enim patitur corpus, talia videt anima, viſu iam concluſo. Quum igitur ad hoc peruenerit homo; prope iam eſt, vt ægrotet. Quod autem veniet morbus, valde manifeſtum eſt: qualis enim ſecretio venerit,& quamcunque partem ſuperauerit, eam ipſam morbo affligit. Verùm non oportet ita deſipientẽ eſſe, & hucuſque differre,ſed ſtatim,vbi prima ſigna cognouit;curam contingere, & hunc velut priorem curare; longiori autem tempore,ac fame opus habet.

10 Sunt præterea etiam talia repletionis ſigna. Dolet corpus aliquibus totum,aliquibus pars quædam, quæcunq; tandem. Dolor autem eſt,velut laſſitudo, & delaſſati eſſe ſibi videtur, ſegnicieq́ue,ac repletione curantur,donec ad febrem perueniant; & adhuc nondum hoc cognoſcunt, ſed balneis, ac cibis utentes,ad pulmonis inflammationem,peripneumoniam Græcis dictam,morbum deducunt,& ad extremum periculum deueniunt. Verùm oportet prouidere, antequam ad morbos perueniant, & hoc modo curare, ut maximè mollibus fomentis hominem foueamus;aut,ſi id fieri nequeat;multa calida laueamus,ac corpus diſſoluamus, & à multis ingeſtis cibis, primùm quidem acribus,ac plurimus,deinde ſalſis,probe uomere faciamus; quo facto exurgat, ac modico tempore deambulet in tepore; deinde dormiat. Mane verò deambulationibus ſenſum creſcentibus vtẽdum eſt, & exercitijs leuibus, & ciborum exhibitionibus ſenſim creſcentibus,velut prius. Attenuatione autem plurima opus habet,itemque deambulationibus. Si verò prouidentia non adhibita ad febrem peruenerit;nihil aliud offerre oportet prẽterea aquã per dies tres. Si quidẽ igitur ex hac ſedetur;bene eſt; ſin minus;ptiſanæ ſucco curandus eſt,& aut quarta, aut ſeptima die decedet febris,ſi exſudabit. Bonum autem eſt & vnguentis exſudatorijs uti, ſub iudicationes exſudare enim cogunt.

11 Quidam verò ẽt talia à repletione perpetiunt. Caput ipſis dolet, ac grauat̃,& palpebrę ipſis à cęna cõ-

cidunt,& in somnis turbantur,& calor inesse ipsis videtur,& aluus aliquando sistitur. Et talis,vbi venere vtitur;leuior statim esse sibi videtur,postea verò magis grauatur. His caput repletionem reuellens,& aluum sistit,& ipsum grauatur. Periculum autē subest, vt,quò erumpat ipsa repletio; id ipsum corrumpat. Verùm prouidere hoc modo oportet. Si curam celerem facere velit,veratro purgandus est:deinde exhibendi cibi leues, ac molles ad dies decem, atque hi aluum mouentes; quò venter inferior superet,& de capite reuellere valeat. Vtendum & cursibus tardis, ac matutinis,& deambulationibus multis; itē lucta in oleo,& prandio,& somno à prandio non longo: à cœna verò exurgere satis est,& partim balneis,partim vnctione vtendum,balneis verò tepidis,à venere autem abstinendum. Hæc quidem velocior cura est. Si verò medicamentum bibere nolit; multa calida lotus, à cibis dulcibus, ac salsis vomat; à vomitu verò satis est,vt exurgat. mane autem deambulationibus adhibēdus est,& exercitijs præscriptis ad dies sex. die septima repletione corporis facta à similibus cibis vomitum faciat,& eodem modo cibi rursus sensim adijciendo exhibeantur: atque his hoc modo ad quatuor hebdomadas vtatur; in tanto enim tempore maxime sedatur. Deinde cibi exhibendi;quò corpus reficiatur, & diæta paulatim ad consuetum morem redigenda est.

12 Fiunt etiam talia repletione. Quibusdam venter quidem concoquit cibum, carnes autem non suscipiunt. Alimentum autem intus manens flatum inducit. Vbi verò pransi fuerint; sedatur; nam à fortiore id,quod leuius est,expellitur,& videntur sibi liberati esse. Verùm malum multò maius postridie accedit. Quum autem quotidie augescēs fortius inualuerit,id quod prius inest superingesta superat.& calfacit,ac perturbat corpus,& profluuium ventris facit; sic enim nominatur,quandiu ipsum solum alimentū putrefactum secedit. Vbi autem corpore calefacto purgatio acris fiat; tunc & intestinum raditur, ac exulceratur,& sanguinolenta egeruntur. hoc autem dysenteria, à mala intestinorum affectione appellatur, morbus grauis,& periculosus Sed ,uidere oportet,& prandium detrahere,& cœnę tertiam partem; cursibus autem pluribus,& luctis,ac deambulationibus vti,tum ab exercitijs, tum mane. Quum verò dies decem præterierint; dimidium cibi detracti apponere, ac vomitu vti, atque sic ad dies quatuor cibum augendo exhibere. vbi autem alij decem dies præterierint;etiam reliquum cibum apponere,ac vomitum facere. Atque sic ad consuetum cibum reducens,& talem laboribus confidenter premens,ac urgens,in hoc tempore sanum facies.

13 Fit etiam talis repletio. Postridie cibum eructant crudum,citra ructum acidum. Aluus aūt egerit,pauciora quidem, quàm pro ratione ciborum;attamen multum. Dolor verò nullus intus est. His ventriculus frigidus existens cibos in nocte concoquere non potest. Quum igitur motus fuerit;cibum crudū eructat. Oportet itaque huic præparare vētriculi caliditatem,tum ex uictu,tum ex laboribus. Primùm quidem igitur vtendum est pane ex tota farina collata, fermentato,diffracto in vinum nigrum,aut in iusculū suillæ carnis; piscibus verò coctis in muria acri. Vtendū etiam carnosis,velut extremitatibus percoctis,& suillis carnibus coctis pluribus,& porcinis nō multis,& catulorum,ac hœdorum; ex oleribus verò porro,& allio cocto, ac crudo, blitoque cocto,& cucurbita. Potionibus verò meracioribus, somnisque longis citra prandium prima die, itemque somnis ab exercitijs, cursibus autem curuis sensim accessione augescente,luctaq; molli in oleo, balneisque modicis,& vnguentis pluribus. Mane etiam deambulationibus pluribus, à cœna paucis. Est & ficus cum cibis bona, & meracum vinum ab ipsa. Ex hac autem curatione alijs citius, alijs tardius repletio sedatur.

14 Alij porrò quidam talia patiuntur. Faciem decolorem habent,&,ubi comederint;paulò post eructāt acida, & acor in nares proserpit. His corpora pura nō sunt,& plus est, quod de carne colliquatur prę labore,quàm quod depurgatur præ circuitu. Et hoc sanè intus manēs alimento contrarium est, ipsumq; violat,ac acidum facit. Alimentum quidem igitur eructatur,illud ipsum verò sub cutem expellitur, & hominem decolorem facit, & morbos similes aquæ inter cutē parit. Verùm prouidere oportet hoc modo. Velocior quidem curatio est poto veratro, exhibere cibos, quemadmodū à me scriptum est; verùm tutior à diæta;hoc modo. Primùm quidem calida lotus vomitum faciat;deinde septem à vomitu diebus cibum consuetum capiat; decima autē à vomitu die rursus vomat,& similiter cibum assumat,& tertium similiter faciat. Et cursibus quidē circularibus paucis,ac velocibus vtatur, & motibus,ac frictione, & mora longa in gymnasio,ac exercitio. Vtatur,& volutatione in puluere,& deambulationibus multis,ac exercitijs,sed & à cęna. Plurimis autem matutinis in puluere utatur. Quum autem lauari vult; calida lauetur,& eo tempore impransus degat. Et si quidem vno mense restituitur; de cętero conuenientibus curetur. Si verò quid reliquum fuerit;medela utatur.

15 Sunt autem quidam,quibus postridie ructus acidi fiunt. His in nocte secretio præ repletione fit. Quum igitur motum fuerit corpus ex somno densiore spiritu usum, calidum, ac acidum vnà cum spiritu foras expellit.& ex hoc morbi fiunt; nisi quis prouidentia vtatur. Conducit autem etiam his facere velut priori. Verùm laboribus pluribus hoc uti oportet.

16 Quibusdam etiam talia fiunt. In corporibus densa carne prędi tis,quum cibi concalescunt, ac diffunduntur,& à primo somno,& prę cibis carne calescēte,secretio per somnū fit à carne multę humiditatis. Deinde caro densa existens alimentū nō suscipit. Id verò,quod à carne secretum est alimento contrariū, ac foras protrusum, hominem suffocat, ac calfacit, donec euomuerit. Postquàm autē leuior factus est; dolor nullus in corpore manifestus inest, sed decoloratur. Progressu verò temporis,& dolores,& morbi fiunt. His cōsimilia patiuntur etiam,qui in exercitati derepente laborauerunt, & colliquationem carnis violentam, ac multam fecerunt. Hos autem sic curare oportet. De cibo detrahenda est tertia pars. Vtēdum autem cibis acribus, & siccis,& austeris,ac odoratis,& vrinam cientibus. Cursibus verò plurimis curuis in vestitu; rectis autem reuertentibus,& circularibus, exutis vestibus,frictione, & lucta modica. Micatio per summas manus commodior est, quàm follis. Vtēdum & deambulationibus ab exercitijs

citijs multis,itemque matutinis. A cœna verò etiam vocis exercitatio valde commoda est: humiditatis enim euacuationem faciens rarefacit carnem. Conducit & impransum degere. His autem cibis vtendum est per dies decem, deinde dimidium ablati apponendum est ad dies sex, & vomitus faciendus: ab vnoquoq; verò vomitu,ad dies quatuor sensim adijciendo exhibendus est cibus. Quum autem dies decem à vomitu transierint;omnem detractum cibum assumat,laboribusque,ac deambulationibus deditus sit,& sanus euadet. talis autem natura copiosiore labore,quàm cibo opus habet.

17 Quidam etiam talia perpetiuntur. Secedit ipsis cibus per aluum liquidus incoctus, velut ex intestinorum læuitate,& dolorem nullum exhibet.patiũtur autem hoc ventres maxime,qui humidi, ac frigidi sunt, & propter frigiditatem quidem non concoquunt:propter humiditatem verò secessus fit. Corpus igitur contabescit,alimentum conueniẽs,ac debitum non accipiens,ventresq corrumpuntur,& in morbos incidunt: verùm prouidere oportet. Confert huic de cibis tertiam partem auferre. Sint autem cibi,panes non fermentati ex tota farina collata,cliba no cocti,aut subcinericij calidi, in vinum austerum tincti,& piscium partes ex dorso,ac cauda. Verùm capitales,& sub ventre sinendæ sunt,velut humidiores:& coctos quidẽ pisces in muria edere oportet,assatos autem in aceto. Vtendum etiam carnibus sale, & aceto inueteratis, & caninis assatis, & de palumbe,ac reliquis eiusmodi volucribus,assatis,ac coctis. Oleribus verò minime. Vino vtendum est nigro,& deambulationibus,à cœna,ac matutinis: à deambulatione autem dormiat. Cursibus verò curuis sensim accessione augescente vtatur. Sit & frictio multa,& lucta tarda,& in oleo,& in puluere; quò caro concalescẽs reficcetur,& humiditatem ex ventre reuellat. Vngi autem magis conducit,quàm lauari,imprãsus. verò degat. Quum autem dies septem transierint;dimidiũ cibi apponatur,& ad quatuor dies exhibeatur & vomat. Post alios verò septem dies,omnẽ cibum assumat: & vomitu rursus facto,cibus eodem modo exhibeatur.

18 Quibusdam verò alijs talia fiunt. Secessus non putrefactus per aluum abit,& corpus contabescit cibis non fruẽs,hi verò progressu temporis in morbos incidunt. His ventres frigidi ac ficci sunt. Quum itaq; neq; conuenientibus cibis,neque exercitijs vtuntur; talia perpetiuntur. Conducit autem sic affecto,panibus puris furnaceis vti,& piscibus coctis cũ intritis, & carnibus coctis suillis, & extremitatibus percoctis,& plurimis assatis,& ex acribus,ac salsis his,quę humectant,& salsuginosis. Vinis autem nigris mollibus: & inter cibos vuis,ac ficubus impleri confert. Oportet & modicum prandere, & exercitationibus pluribus vti, cursibusq; curuis sensim crescentibus, postremum autem cursibus circularibus,& post cursum lucta cum oleo: deambulationibus verò nõ multis ab exercitijs,à cœna verò satis est exurgere. Matutinis autem pluribus deambulationibus vtatur. Lauetur calida,& vtatur laboribus,ac vnctionibus, somnoque longiori indulgeat, molliter cubet. Oportet & venere aliquo modo vti. Verùm de cibis quarta pars detrahenda est, & post dies decẽ rursus ad consuetos cibos reducendus est.

19 Sunt etiã quibus secessus liquidus, ac putrefactus per aluum abit,& qui aliàs sani sunt,ac exercentur, nullum dolorem res exhibet. Quibusdam verò excluduntur ea,quæ conueniebant,progressuque temporis venter per caliditatem carnes attrahit,& dolorem exhibet,& cibi excluduntur,& venter exulceratur,& ipsum sistere iam operosum,ac difficile est. Verùm prius prouidere oportet, ac nosse ventrem calidũ, ac humidum magis, quàm debet esse, laborumque incommodorum excessum factum esse. Per diætam igitur frigefacere,ac siccare oportet,& primùm quidem exercitia ex dimidia parte detrahere, & de cibis tertiam partem. Vtatur autem maza antea subacta,ac vino dulci emollita,& piscibus siccissimis coctis, & neque pinguibus, neque salsis. Vtatur,& carnibus assatis volucrium, coctis quidem, palumbis,ac columbę;assatis autem perdicum & gallorum, citra condimenta: Leporinis verò coctis in aqua, itemque ferinis omnibus. Ex oleribus autem quę frigefactoria sunt,velut beta cocta acida. Vino verò nigro austero. Gymnasijs autem,cursibus circularibus: verùm frictio non multa adhibeatur;sed modica,neque lucta. Micatio per summas manus, & manuum ad rythmũ motus, & follis, & volutatio in puluere, commoda sunt: sed non multa. Deambulationibus ab exercitijs vtatur sufficientibus iuxta laborem, & à cœna pluribus,iuxta cibum,& mane moderate,iuxta habitum. Lauet autem tepida,ac quiescat. Sic vbi in hac diæta transegit dies decem;apponatur cibi dimidium,& laborum tertia pars,& vomitũ faciat à cibis siccis,& acerbis,& in cibo ne moretur,sed quã celerrime vomat:à vomitu ad dies quatuor,& cibus,labor partitus exhibeatur. Vbi autem dies decem præterierint; reliquum cibi apponatur,& vinum potabile, verùm labores pauciores. &, vbi vomitum fecit: cibus,velut scriptum est,exhibeatur. Hoc uerò tempore semel tantum in die cibum capere conducit,donec malum sedetur.

20 Alijs porrò quibusdam siccus, & peruſtus secessus fit, & os siccum, & progressu tẽporis etiam amarum fit,& aluus sistitur. itemq; vrina:quum.n.nõ habeat intestinũ humiditatẽ circa excrementũ, intumescẽs transitus obturat,& dolorem exhibet, & calor occupat,& quicquid biberit,aut ederit hõ, id ipsum reuomit. Postremũ uerò ẽt stercus uomit. Atq; hic nõ superueniet;quum ad hoc peruenerit. Verũ prouidere oportet, ac nosse, ꝙ caliditas, & siccitas in hoïe præ dominantur. Victũ igitur ipsi constituere oportet ex maza prius subacta resperſa,& pane ex tritico trimestri,succo furfurum fermentato. Oleribusq; vtendũ, exceptis acribus,& siccis, atque illis coctis, & piscibus leuissimis coctis, & partibus capitalibus tum piscium, tum locustarum, & mitylis, & herinaceis, & cancris, & conchyliorum succis, ipsisque liquidissimis: Carnibus autem suillis,& extremitatibus anterioribus coctis,& hœdorum,& agnorum, ac catulorum coctis: Piscium uerò fluuiatilium,ac in stagnis degentiũ coctis: Vino molli aquoso. Laboribus autem utendum est non multis,neque uelocibus,sed omnibus, quietis. Deambulationibus uerò mane utatur, iuxta habitũ sufficientibus,& ab exercitij laboribus, moderatis:à cœna uerò ne deãbulet. Balneis utatur,& somnis mollibus,& prandio, & somno à prãdio non longo. Pomis etiã humectantibus unà cum cibis uta-

tur, & cicere viridi, ac ficco in aqua macerato. De laboribus verò prioribus dimidium detrahat etiam hic à principio, & vomitum faciat à dulcibus, & pinguibus, ac salsis, hisq; plurimis mouetur autem plurimum tempus in cibis vsque ad vomitum. Deinde cibum exhibeat ad triduum, & non maneat impransus. Quum verò dies decem præterierint, labores sensim adijciendo augeat &, si quidem repletio inerit à cibo, aut ventris vitio; vomat: sin minus; sic reliquo tempore curetur.

21 Fiunt insuper etiam talia. Horrores à deambulationibus matutinis accedũt, & caput grauatur. Huic plures fiunt deambulationes, quàm modus requirit: corpus. n. & caput humore euacuatum horret; ac grauatur. Progressu verò temporis ad febrem perueniũt horrores. Sed non hucusque differre oportet, verùm prius curare hoc modo. Quàm primum aliqua signa apparuerint; vnctus, ac fictus modice prandium amplius solito faciat, & vinum multum bibat molle, deinde somno vtatur à prandio sufficiẽter. ad vesperam verò vbi exercitijs leuibus vsus est, calidaque lotus; consueto more cœnet. deambulationibus autem à cœna ne vtatur, verùm ad tempus differat. Postridie in aqua lauetur, & somnis mollibus tempus transigat. Et per dies quinque paulatim ad consuetos cibos, ac labores procedat.

22 Sunt autem quidam, qui horrent ex gymnasijs; & quum se exuhuũt, donec decertẽt: vbi verò perfrigerati sunt; rursus horrent, & stridor dẽtium tremulus corpus occupat, somnoque talis grauatur. Vbi autẽ expergiscitur; sæpe oscitat, & à cœna palpebræ ipsi graues sunt: progressu verò temporis etiam febres malignæ accedunt. Verùm cauere oportet, & non hucusque differre; sed prius curare hoc modo. Primũ quidem ab omnibus exercitijs dimidium auferatur. Cibis verò omnibus humidioribus, ac frigidioribus vtatur, & potibus mollioribus, ac dilutioribus. Vbi verò præterierint dies quinque; tertia pars laborum ablatorum apponatur. Cibis verò ijsdẽ vtatur. Post alios autem quinque dies, dimidium reliquorum laborum apponatur. Et rursus post alios quinque, omnes labores, & leuiores, & pauciores reddito, vt ne rursus excessus fiat: nam his, qui hæc signa perpetiũtur, labores maiores sunt, quàm cibi. Adæquare igitur hæc oportet. Quidam verò non hæc patiuntur; sed aliqua ex his, aliqua verò non. In omnibus autẽ his signis, labores superant cibos, & curatio eadem est. Et confert his calida lauare, ac molliter cubare, & semel atque iterum inebriari; verùm non vsq; ad excessum, & venere vti, vbi excessus contigerit, & segnum esse ad labores. Deambulationes autem in totum non sunt faciendæ.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Insomnijs.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Somniorum iudicia, seu præsagia, quanti momenti.*
2 *Anima corporis munia omnia per somnum obit.*
3 *De actionibus diurnis per somnium occurrentibus, & cur hæc bona. Insomnia diurnis actionibus aduersaria quid significent. Curatio.*
4 *Quomodo de Astrorum significationibus iudicandum. Solem, Lunam, Astra, in somnis pura atque agilia videre, quid homini significet. Astrorum, Solis, Lunæ, cum partibus humani corporis cognatio. Aquæ, aut grandinis per somnium imaginatio, quid in corpore denotet, & quomodo curandum.*
5 *Quomodo qui Lunam aliquid pati per somnum vident curandi. Repulsionibus intro cur vtendum. Solem aliquid pati videre, quid, & quos morbos significet. Astra, serenitate existente, premi, & debilia videre, quid.*
6 *Igneum ac calidum aliquod astris oppositum videre. Astrorum fuga quid. Curatio.*
7 *Astra errantia videre, quid. Curatio.*
8 *Astra ex circumferentia excidere videre. Astra nigra & obscura ad occasum ferri videre, quid. Curatio.*
9 *Astra pura & candida in cœlo videre.*
10 *Astra nigra & non pura videre.*
11 *A Deo aliquid parum accipere videre. Compluisse videre clementi cœlo, & aqua molli, & contrà quid. Quibus dijs in aduersis, & quibus in secundis rebus supplicandum. Sensum actio per somnum libera, bona.*
12 *De alijs somnis sanitatem significantibus. Visum, ac auditum per somnum læsum habere, quid. Crurum affectio. Terra aspera.*
13 *Arborum sterilitas. Folia ex arboribus decidentia. Arbores floridæ, verùm infructuosæ. Fluminum varios cursus per somnium videre. Fontes & puteos commotos videre. Mare turbatum.*
14 *Terram aut domum moueri videre. Terræ inundatio.*
15 *Terram nigram & combustam videre. Natare per somnium sibi videri, quibus malum aut bonum.*
16 *De insomnijs quæ quis circa seipsum solito more fieri videt. Vestitus albus & niger. Calceamentum pulcherrimum. Membris aliquid maius vel minus videre. Nigra. Noua. Mortuos videre in vestibus albis, & purũ aliquid ab eis accipere, vel contrà.*
17 *Corpora formæ peregrinæ.*
18 *Edere, aut bibere per somnum consuetos cibos. Aquam puram bibere videri.*
19 *Familiaria, ac consueta videre, quid significet. Fugere perterrefactum.*
20 *Pugnare & pungi per somnium videri. Oberrationes & afcensus.*
21 *Fluminum transitio, hostium, & monstrorum formæ peregrinæ. Curatio.*

Quisquis

1 QVisquis de his, quæ in somnis obueniunt, recte coniectat, is magnam habere vim ad oĩa, ipsa reperiet: Anima.n. vigilat, &, quum quidem corpori inseruit, in multas partes distributa, non sui iuris est; sed partem aliquam singulis corporis partibus, siue sensibus distribuit, auditui, visui, tactui, gressui, actioni, ac oĩ corporis facultati. Ipsa autem animæ cogitatio sui iuris nõ est. Quum autem corpus quiescit; anima in motu est, & corporis partes perreptans, domum suam gubernat, & omnes corporis actiones ipsa perficit: nã corpus dormiens non sentit, ipsa verò vigilans cognoscit, ac visibilia videt, & audibilia audit, vadit, tãgit, tristatur, animaduertit. In summa, quæcunque corporis, aut animæ munia, ea omnia anima ipsa in somno obit. Quicunque igitur hæc recte iudicare nouit, magnam sapientiæ partem nouit.

2 Quæcunque quidem igitur somnia diuina sunt, & quædam euentura significant, aut vrbibus, aut populo priuato, siue bona, siue mala, non ob ipsorum delictum, de huiusmodi sunt, qui iudicant certam artem habentes. Quæcunque autem corporis affectiones sunt, & anima per ipsas repletionis, aut euacuationis rerum à natura insitarum excessum, aut cõsuetorum mutationem præmonstrat, de his quidem itidem iudicant, & partim assequuntur, partim aberrant, & de neutris recte sentiunt, cur nam fiant: neque sciunt, quando assequuntur, neque quando aberrant, cauere admonentes, ne quid mali accidat. Atque hi non docent, quomodo cauere oporteat; verùm dijs supplicare iubent. Et supplicare quidem decorum, ac valde bonum est. Oportet autem etiam ipsum opitulari, & Deos inuocare. De his igitur res hoc modo se habet.

3 Quæcunque insomnia mens hominis in noctem per somnum offert de diurnis actionibus, & reddit, quomodo facta sunt, ea quæ seria, ac iusta in re per diem facta sunt, aut de quibus consilium initum est; hæc homini bona sunt: sanitatem enim significant; propterea quòd anima in diurnis cõsilijs perseuerat, neque repletione, neque euacuatione aliqua alia forinsecus allapsare, victa. Quum aũt insomnia diurnis actionibus aduersantur, & de ipsis pugna oboritur; quum sanè hoc contigerit, turbationem in corpore significat. Et si quidem fortis fuerit; forte est malum si verò leuis; debilius. De actione quidem igitur, an auertenda sit, siue non, nihil decerno. Verùm corpus hominis curari consulo: repletione enim aliqua intus facta, secretio quædam cõtigit, quę animã perturbauit. Si igitur fortis fuerit contrarietas; vomitũ facere conducit, & cibos leues exhibere sensim adijciendo aliquid ad dies quinque, & de ambulationibus multis, ac velocibus sensim augescentibus vti, & exercitijs exerceri moderatis, pro ciborũ assumptorum ratione. Si verò debilior fuerit contrarietas; detracto vomitu, tertiam cibi partem adime, atq; hanc sensim rursus ad dies quinque adijce, & deambulationibus preme. Sed & vocis exercitijs vtatur, & Dijs supplicet, & turbatio ipsi sedabitur.

4 At verò solem, & lunam, & cœlum, ac stellas, pura, atque agilia solito more videre, singula bona sunt: sanitatem enim corpori significant ab omnibus præsentibus. Verùm talem habitum præsenti dieta conseruare oportet. Si verò quid contrarium his fiat; morbum quẽdam corpori significat: à fortibus quidem, fortiorem: à debilioribus verò, leuiorem. Et astrorum quidem exterior est in corpore circuitus, solis verò medius, lunę autem ad cauitates. Quodcũque igitur horum astrorum extingui, aut lædi, aut disparere, aut fistia circuitu suo videtur; iuxta illam ipsam partem morbum redundare significat; & si quidem ab aere, aut nebula, aliquod ex ipsis astris pati quid horum videt; debiliorem: si verò ab aqua, aut grandine, fortiorem. Significat autem secretionem in corpore humidam, ac pituitosam factam esse, & in externam circumferentiam illapsam esse. Conducit itaque huic & cursibus in omni uestitu uti multis, sensim augescentibus, ut quàm maximè exudet. Item deãbulationibus ab exercitio multis circa prandium uti, & detracta ciborum tertia parte, ad dies quinque sensim adijciendo rursus exhibere. Si uerò fortius uideatur malum esse; etiã formentis uti: nam per corporis cuticulam purgationem facere expedit; propterea quod in extrema circũferentia offensa, ac læsio existit. Cibis verò utẽdũ est siccis, acribus austeris, meracis, & laboribus maxime siccantibus.

5 Si uerò quid horum luna patiatur; reuulsionẽ intro facere conducit, utique uomitu ab acribus, & salsuginosis, ac mollibus cibis, cursibus autem circularibus celeribus, & deambulationibus uelocibus. Vtẽdum & uocis exercitijs, & prandium auferendum, cibiq́ue detractione, ac rursus appositione, eodẽ modo vtendum est. Ob id autem intro reuellendum est; quia ad cauitates corporis offensa apparet. Si autem sol tale quid pati uideatur; fortius iam malum est, & difficilius exigi potest. Oportet autem in utranque partem reuulsiones facere, & rectis cursibus, & curuis, & circularibus uti, & deambulationibus, & alijs laboribus omnibus. Ciborum autem detractione, ac rursus appositione, eodem modo: deinde uomere, & rursus sensim cibos augere, ad dies quinque. Si uerò serenitate existente premantur hæc, & debilia esse uideantur, & præ siccitate à circuitu suo impediri; periculum significant delabendi in morbum. Verùm oportet labores detrahere, & diæta humectiore, ac molli uti, & balneis, ac ocio ampliori, & somno longo, ac multo, donec malum sedetur.

6 Si autem igneum, ac calidum esse uideatur, quod se illis opponat; bilis secretionem significat. Si uerò superata hæc dispareant, ac euanescant; periculũ est ad mortem perueniendi ex morbo. Si uerò uersa, ac mutata hæc esse uideantur; prẽsentem statum in fugam uerti significant. Fugere autem ipsa celeriter, esseq́ue, qui ea persequantur, periculum denunciant futurę insanię hominis; si non curatus fuerit. Omnibus autem his cõducit, ut ueratro purgati, optimam uictus rõnem instituãt: sin minus, ut uictu ad aquam tendente utantur. Vinum uerò non bibant, aut omnino album, tenue, molle, & aquosum. Abstineant autem ab acribus, reficcantibus, calfacientibus, ac salsuginosis. Laboribus secundum naturam plurimis utãtur, & cursibus in uestitu plurimis. Frictio uero ne fiat, neque lucta, neque uolutatio in puluere. Somnis utatur mollibus, & in ocio degat, exceptis laboribus naturalibus, à cœna deambulet. Bonum est & fomentis uti, à fomẽtis uerò uomere: per triginta uerò dies non repleatur. Quum autem repletus fuerit; bis in

mense

menſe vomat à dulcibus, & aquoſis, ac leuibus.

7 Quæcunque autem ex his aliàs aliò præ nulla neceſſitate errant, animæ turbationem quandam præ cura ſignificant. Confert autem huic ocium, & animum conuerti ad ſpectacula, maximè riſum mouentia; quod ſi fieri non poſſit; ad id, ex quo ad biduum, aut triduum maximè voluptatem capiat, & ſedabitur. Sin minus; periculum eſt delabendi in morbum.

8 Quæcunque aſtra ex circumferentia excidere videntur, ſuntque pura, & ſplendida, & vltra, ac prorſum ferri videntur; ſanitatem ſignificant; quicquid enim in corpore parum ex circuitu excernitur ſecũdum naturam, à veſpera in auroram, id ipſum rectè habet; nam & quæ in ventre ſecernuntur, & quæ in carnem eructantur, omnia ex circuitu, ac circumferentia excidunt. Quæcunque verò nigra, & obſcura ſunt, & ad veſperam, ac occaſum ferri videtur, aut in mare, aut in terram, aut ſurſum. ea magis morbos ſignificant. Et quę quidem ſurſum feruntur, fluxũ capitis ſignificant; quæ verò in mare, ventris morbos: quę in terram, tubercula maximè ſignificant ex carne enaſcentia. His conducit tertiam cibi partem detrahere & à uomitu, ad dies quinque eandem rurſus ſenſim adijciendo exhibere; in alijs autem quinque diebus cibos omnes aſſumere, & uomitu facto, rurſus eodem modo cibus ſenſim auctus exhibeatur.

9 Quæcunque verò ex his pura, & candida in cœlo hęrere videbuntur, ſanum eſſe ſignificant; quia quod in hominem deſcendit, ex ętere eſt. Tale autem videt anima, quale ſanè deſcenderit. Quę autem nigra fuerint, & non pura, neque conſpicua, morbum ſignificant, non propter repletionem, neque euacuationem, ſed forinſecus inductum. Huic cõfert curſibus circularibus velocibus vti, quo quàm minima corporis colliquatio fiat, & ſpiritu quã denſiſſimo vtẽs, id quod inductum eſt, excernat; à curſibus aũt deambulationibus celeribus vtendum eſt. Victus autem mollis, & leuis ad dies quatuor offeratur.

10 Quicquid porrò à Deo accipere quis ſibi videtur purum, bonum eſt ad ſanitatem; ſignificat.n.ea, quę in corpus ingeſta ſunt, pura eſſe. Quicquid verò huic contrarium videre quis putat, non eſt bonum: morbum enim in corpus veniſſe ſignificat. Oportet igitur velut priorem etiam hunc curari.

11 Si quis ſe complui putet clemẽti cœlo, aqua molli, & non valde madefieri, neque vehementem tempeſtatem ingruere; bonum eſt; ſignificat enim moderatum, ac purum ſpiritum ex aere ingreſſum eſſe. Si verò vice verſa valde complui quis ſibi videatur, & tempeſtatem, ac turbinem eſſe, idque aqua nõ pura; morbũ deſignat à ſpiritu, qui ĩ ipſo eſt. Verùm oportet ẽt hunc ſimili diæta vti, & omnes hos pauco cibo ali. De ſignificationibus quidem igitur aſtrorum ſic iudicare oportet, prouidereque, ac diætam ſtatuere, & dijs ſupplicare, in ſecundis quidem rebus Soli, Ioui cœleſti, Ioui poſſeſſori, Mineruę opulẽtæ, Mercurio, Apollini; In contrarijs verò, dijs malorũ auerſoribus, & terræ, & heroibus: quò mala, ac grauia omnia auertant.

12 Cæterùm & hęc ſanitatem pręſignant; nimirum ea, quę in terra fiunt, acute videre, & ſecure iter facere, & ſecure, ac citra timorem currere, & videre terram leuem, ac probe cultam, & arbores florẽtes, fructuoſasque, ac ſatiuas, & flumina ſolito more fluentia, & aqua pura, neque copioſiore, neque pauciore, quàm conueniens eſt; Item fontes, & puteos eodem modo. Hęc omnia ſic viſa ſanitatem homini deſignant, & corpus rectè habere, omnesque circuitus, & exhibitiones ciborum, ac ſecretiones, integras eſſe. Si verò quid his contrarium videatur; detrimẽtũ aliquod in corpore ſignificat. Et viſus quidem, ac auditus lęſus, morbum circa caput ſignificat. Itaque matutinis deambulationibus, itemque à cœna pluribus vtendum eſt, ad ſuperiorem diætam. Cruribus verò læſis, vomitibus reuellendum eſt, & lucta ampliore vtendum, vltra ſuperiorem diętam. Terra autem aſpera, carnem non puram ſignificat: quare deambulationibus ab exercitijs pluribus utendum eſt. Arborum verò ſterilitas, ſeminis humani corruptionem indicat.

13 Si igitur folia arboribus decidant: ab humidis, ac frigidis corpus lędi tur. Si verò floridæ ſint arbores, verùm infructuoſæ, à calidis, & ſiccis: hęc igitur per diętam frigefacere, ac humectare oportet: illa verò ſiccare, ac calfacere. Flumina autem non ſolito more fluẽtia, ſanguinis circuitum ſignificant: & auctiora quidem fluentia, exceſſum: imminuta verò, defectum. Oportet itaque per diętam hũc quidẽ augere, illum verò imminuere. Nõ pura autem fluentia, turbationem ſignificant: quę à curſibus circularibus, & deambulationibus, corpore per denſum ſpiritum moto, purgatur. Fontes verò, & putei commoti conſpecti, flatus circa ueſicam ſignificant, quos medicamentis vrinam cientibus expurgare oportet. Mare perturbatum, vẽtris morbum ſignificat, ſed oportet aluũ mouẽtibus, leuibusque ac mollibus expurgare.

14 Terram aut domum moueri videre, ſano quidem viro debilitatem ſignificat: ęgrotanti verò ſanitatẽ, & ex pręſenti ſtatu tranſmotionẽ. Sano itaque tranſmutare diętam conducit. Itaque primùm vomat, & rurſus, vbi paulatim cibum aſſumpſit: à pręſenti.n. dięta totum corpus mouetur. Debili verò eadẽ dięta vti conducit: nam corpus ex pręſenti ſtatu tranſit. Terrã ab aqua aliqua, aut mari inundatã videre, morbum ſignificat, humiditate multa in corpore exiſtente. Verùm oportet vomitibus, & prandij detractione, & laboribus, & ſicco victu vti, deĩde ſenſim adijcendo, ac modico cibo renutrire.

15 Sed neque nigram, neque combuſtam terram videre bonum eſt, ſed periculum eſt delabendi in fortem, ac lethalem morbum: ſiccitatis enim exceſſum in carne eſſe ſignificat. Verùm oportet & labores detrahere, & cibos, qui ſicci, & calidi, & acres, ac vrinam cientes ſunt: nutrireq; ptiſanę ſucco decocto, & omnibus mollibus, ac leuibus modicis; & potu uti aquoſo, albo, copioſiore; & balneis multis calidis: ſed ieiunus ne lauet, molliter cubet, ac dormiat, & in ocio degat. frigus, & ſolem uitet. Supplicet aũt terrę, & Mercurio, & Heroibus. Si verò in ſtagno, aut in mari, aut in fluminibus natare quis ſibi videatur; non eſt bonum, humiditatis enim exceſſum ſignificat. Confert autem huic & dięta ſicca, & laboribus vti; febricitanti verò id bonum eſt. extinguitur enim caliditas ab humoribus. Quicquid porrò quis circa ſeipſum videt ſolito more fieri, ad naturã ſuiipſius, neque maius, neque minus, bonum eſt ad ſanitatem. Et veſtimentum album indutum eſſe, & calciamentum pulcherrimum, bonum eſt.

Quicquid

16 Quicquid verò membris maius fuerit, bonum nō est: sed neque quodcunque tandem fuerit minus: & oportet hoc quidem per dietam augere, illud verò minuere. Nigra autem morbosiora sunt, & periculosa. Mollire itaque oportet, & humectare. Noua quoque transmutationem significant. Mortuos videre puros in vestibus albis, bonum est, & accipere aliquid ab ipsis purum, bonum est: sanitatem enim significat corporum, & salubritatem ingestorum: à mortuis enim nutrimenta, & incrementa, ac semina fiunt. Hęc autem pura in corpus irrepere, sanitatem significant. Si verò contrà quis videat ipsos nudos, aut nigris vestibus indutos, aut non puros, aut aliquid accipientes, aut ex domo portantes; non est cōmodum; morbum enim significat; quæ enim in corpus ingerūtur, nociua sunt. Verùm oportet cursibus circularibus, & deambulationibus depurgari, & alimento molli, ac leui à vomitu sensim nutriri.

17 Quęcunque verò formæ peregrinæ corpora in somnis apparent, & hominem perterrent, ciborū incōsuetorum repletionem, & secretionem, & bilis superne, ac inferne eruptionem, & morbum periculosum significant. Verùm oportet vomitum facere, & ad dies quinque cibos quàm leuissimos non multos, neque acres, neque siccos, neque calidos sensim adijciendo accipere, & laboribus naturalibus maxime vti, exceptis deambulationibus à cœna. Vtendum etiam balneis, ac calidis lauacris, & ocio. Solem verò & frigus vitet.

18 Si verò quis per somnum edere, aut bibere consuetos cibos, ac potus sibi videatur; inopiam alimenti significat, & animæ tristitiā. Et si carnes robustissimas quis edere se putet; maximum alimenti excessum designat: si verò debilissimas; minorem: quemadmodum enim id, quod editur, bonum est; sic etiā id, quod videtur. Cibos igitur detrahere cōducit; nā alimenti excessum hoc significat. Sed & panes ex caseo, ac melle facti per somnum comesti, similiter significant. Aquam autem puram bibere bonum est, reliqua omnia nociua sunt.

19 Quęcunque homo ex consuetis, ac familiaribus se videre putat, ea animæ concupiscentiam significant. Quęcunque verò fugit perterre factus, sanguinem sisti, ac prę siccitate coerceri significant. Confert itaque frigefacere, ac humectare.

20 Quum verò quis pugnat, aut pungitur, aut ab alio ligatur; secretionem circuitui cōtrariam corpori cō tigisse significat. Cōducit igitur uomere, & attenuare, ac deambulare, & cibis leuibus uti, & a uomitu ad dies quinque sensim renutrire. Quin & oberrationes, & ascensus in somnis nisi, grauia significant.

21 Fluminum transitiones, & hostes armati, mōstra formę peregrinæ, morbum, aut insaniam significāt. Confert itaque his, qui talibus insomnijs vexantur, cibis modicis uti, leuibusq;, ac mollibus, itaq; uomitibus, atq; sic sensim rursus ad dies quinq; cibū exhibere. Vtēdū & laboribus naturalibus multis, prętерquam à cœna. Calida lauacra, & ocium, frigusque, ac solem vitent. Qui igitur his quemadmodum cōscripta sunt utetur, vitam sanus deget. & inuenta est sanè à me hęc ipsa dieta, quantum possibile est humano ingenio excogitare, dijs auxiliantibus.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Alimento.

Hunc librum Galenus Hippocratis esse negat. Sed tamen non alicuius plebei, ac vulgaris hominis esse dicit, & fortassis ipsius Thessali. Quidam Herophilum autorem putant.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Alimentum, & alimenti species quatenus vnum, & multæ, & quæ eius facultas. Assimilatio quando contingat. Alimentum exile fit. Alimentum quando destruat.*

2 *Alimenti distributio in omnes corporis partes. Alimentorum omnium principium vnum, & finis omnium vnus.*

3 *Alimentorum succos coloribus & viribus, item pro temperamentorum differentijs discrepare. Caussæ manifestæ, obscuræ, possibiles, & impossibiles.*

4 *Natura omnibus subuenit forinsecus, & intrinsecus.*

5 *Morborum differentiæ. Morborum magnitudo, & signa.*

6 *Raritas & densitas corporis. Probe, & male perspirantes. Pulmo contrarium corpori alimentum trahit. Alimenti principia.*

7 *Venarum, & arteriarum radicatio, hepar, cor. Lac, & vinum quibus nutrimentum, & quibus non.*

8 *Dispositio athletica. Lac, & sanguis, alimenti redundantia. Natura sine doctore. Sanguis. Humores. Lac.*

9 *Cibus. Fœtus quot diebus formentur, & quot absoluantur.*

10 *De ossium ratione. Sanguis qui bonus, & qui malus. Via sursum, & deorsum una. Alimenti potentia melior, quàm moles. Sanitatis, & morborum signa.*

11 *Alimentum etiam spiritus est. Alimentum humidum, & alimentum siccum. Alimenta ægrè alterata, ægrè consumuntur. Nutriendum cito, & tarde, quomodo. Musculi ægrè magis, quàm alia colliquescunt.*

12 *Denudatæ partes ægrè transmutantur. Pus, & purulentum vnde. Medulla alimentum ossis. Facultas, & potentia. Humiditas.*

Ali-

1 ALimentum,& alimenti ſpecies, vnũ, & multæ:vnum quidem, quatenus vnum genus eſt:ſpecies verò humiditate,ac ſiccitate finitur. Et in his formæ, ac quantitas eſt, & ad quædam,& ad tot. Auget autem, & corroborat, & incarnat, & aſſimilat, & diſſimilia facit, quæ in ſingulis ſunt, iuxta vniuſcuiuſque naturam, ac facultatẽ,quę ab initio adeſt. Aſſimilat autem pro viribus,quum id,quod ſuper ingeritur,ſuperatur:id verò,quod prius ineſt, ſuperat. Exile autem fit aliquando quidem prius, in tẽpore diſſolutum, aut inſuper appoſitum: aliquando verò poſterius, in tempore diſſolutum,aut appoſitum. Deſtruit aũt vtrunque in tempore,& poſt tempus, id quod extrinſecus aſſiduo ſuperingeſtum eſt, & per multum tẽpus omnibus membris ſolide implicatum eſt, & propriam quidem formam producit,priorem verò, aliquando autem & priores deſtruit.

2 Facultas porrò alimenti peruenit & ad oſſa, & ad omnes partes,& in neruum,& in venam,& in arteriam,& in muſculum,& in pelliculam,& carnem,& pinguedinem,& ſanguinem,& pituitam,& medullã & cerebrum, & medullam ſpinalem, & interanea. omnesque ipſorum partes,& ſanè etiam in caliditatem,& ſpiritum,& humiditatem. Alimenti verò & id quod hoc nutrit,alimentum eſt,& quod velut nutrimentum eſt, & quod nutrimentum futurum eſt. Principium autem omniũ vnum eſt, & finis omniũ vnus,& idem finis eſt,atque principium: & quæ particulatim in alimento probe, & malè diſtribuuntur. Probe quidẽ,quæ prædicta ſunt:malè verò,quæ cõtrarium his ordinem habent.

3 Succi varij,& coloribus,& viribus,& in detrimentum,& in vtilitatem, & neque lædentes,neque commodantes, & multitudine, & exceſſu,& defectu,& implicatione, aliquorum quidem, aliquorum verò non. Et omnium caliditatem lædunt, ac iuuant,& frigiditatem lædunt,ac iuuant,& facultatẽ lædunt, ac iuuant. Facultatis autem variæ naturæ ſunt. Succi corrumpentes,& totum, & partem,& forinſecus, ac intrinſecus,ſpontanei,& nõ ſpontanei:nobis quidem ſpontanei, cauſæ verò non ſpontanei:rurſus autem cauſę,aliæ manifeſtæ,aliæ obſcuræ,& alię poſſibiles,aliæ impoſſibiles.

4 Natura omnibus ſubuenit. Ad hanc verò forinſecus quidem cataplaſma, Illitio, Vnguentum. Nuditas & totius,& partis. Caliditas & frigiditas, iuxta eandem rationem & adſtrictio,& vlceratio,& morſus,& corroſio. Intrinſecus verò & quædam ex prædictis,& ſupra hæc cauſa obſcura & parti,& toti,& alicui, & non alicui, excretiones ventris ſecundum naturam,item vrinarum,ſudoris,ſaliuę,muci,vteri, iuxta hæmorrhoidas,verrucam, lepram, tuberculũ, carcinoma,ex naribus,ex pulmone,ex ventre, ex ſede,ex cole, ſecuncum naturam, & præter naturam: diſcrimina horum alijs iuxta aliam rationẽ,aliquando etiam aliter. Vna natura ſunt hæc omnia; & non vna: Multæ naturę ſunt hęc omnia,& non una. Medicina ſurſum,& deorſum,& neque ſurſum,neque deorſum. In alimento medicina, optimum. In alimento medicina malum. Malum & optimũ ad aliquid. Vlcus,cruſta,ſanguis,pus,ſanies,lepra,furfur,vlcera capitis manantia,impetigo,vitiligo, lentigo,aliquãdo lædit,aliqnando prodeſt: aliquando neque lędit, neque prodeſt. Alimentum,non alimentum. Si nutrire non poteſt, nomen eſt alimentum, non opus. Opus & res eſt alimentum,non nomen. In pilos alimentum,& in vngues, & in extremam ſuperficiẽ intrinſecus peruenit. Forinſecus alimentum ex extrema ſuperficie,ad intima peruenit. Cõfluxio vna,conſpiratio vna. Conſentientia omnia. Iuxta totius quidem corporis naturam omnia, iuxta partem verò, partes in vnaquaque parte ad opus. Principium magnum ad extremam partem peruenit. Ex extrema parte ad magnum principium peruenit. Vna natura, eſſe,& non eſſe.

5 Morborum differentiæ,in alimento, in ſpiritu,in calore, in ſanguine, in pituita,in bile,in humoribus, in carne,in pinguedine,in vena,in arteria, in neruo, muſculo, pellicula, oſſe, cerebro, medulla ſpinali, ore,lingua,ſtomacho,ſine gula,ventre,inteſtinis,ſepto tranſuerſo, peritonęo membrana aluum ac inteſtina amplectente, hepate, ſplene, renibus, veſica, vtero,cute. Hæc omnia & ſingulatim & particulatim. Magnitudo ipſorum magna,& non magna. Signa,titillatio, dolor, ruptura,mens,ſudor,vrinarum ſubſidentia,quies,iactatio,viſus.imaginationes,morbus arquatus, ſingultus, morbus comitalis, ſanguis integer, ſomnus: & ex his, & ex alijs naturalibus,& quæcunque alia huiuſmodi ad detrimentum, & vtilitatem procedunt. Labores totius & partis. Et magnitudinis ſigna, alterius ad maius, alterius ad minus, & ab vtriſque ad maius, & ab vtriſque ad minus. Dulce non dulce: dulce ad potentiam, velut aqua: Dulce ad guſtum,velut mel. Signa vtrorũque, vlcera,oculi,& guſtus: & in his magis & minus. Dulce ad viſum,& in coloribus,& in alijs mixturis. Dulce magis & minus.

6 Raritas corporis ad perſpirationem, quibus amplius aufertur, ſaniores ſunt. Denſitas corporis ad perſpirationem, quibus minus aufertur, morbidiores. Qui probe perſpirant,debiliores,& ſaniores ſũt, & à morbis facile reconualeſcunt. Qui malè perſpirant,priuſquam ægrotent,fortiores ſunt. Vbi autem ægrotarunt;difficilius à morbis recõualeſcunt. Hæc autem, & toti, & parti. Pulmo contrarium corpori alimentum trahit,reliqua verò omnia idem.

7 Principium alimenti ſpiritus,nares,os,guttur,pulmo,& reliqua reſpiratio. Principium alimenti & humidi,& ſicci,os,gula,venter. Verũ antiquius & primordiale alimentum, per abdomen vmbilicus.

8 Radicatio venarum hepar. Radicatio arteriarum cor: ex his aberrant in omnia ſanguis, & ſpiritus, & calor per hæc meat. Vis vna,& non vna,qua omnia hæc & alia gubernantur, alia quidem ad vitam totius,& paſtis,alia ad ſenſum totius,& partis. Lac nutrimentum, quibus videlicet ſecundum naturam alimentum eſt alijs verò non. Alijs autem vinũ alimentum eſt, & quibuſdam non alimentum. Et carnes,& aliæ multæ alimenti ſpecies, & iuxta regionem, & iuxta conſuetudinem alunt, partim ad augmentum, & ad eſſe: partim ad eſſe ſolũ,velut in ſenibus. Quędam uerò ſupra hęc etiam ad robur.

9 Diſpoſitio Athletica non eſt à natura. Habitus ſanus melior in omnibus. Magna res eſt quantitas ad vires ſolerti ratiocinatione adaptata. Lac,& ſanguis alimenti ſunt redundantia. Circuitus ad multa conſoni

soni sunt,ad fœtum,eiusque alimentum. Rursus autem sursum repit in lac,& in alimentum, & ad infantem. Viuificantur non animalia, viuificantur animalia, Viuificantur partes animalium. Naturę omnium nullo doctore vsę sunt. Sanguis alienus vtilis. Sãguis proprius vtilis: Sãguis alienus nociuus. Sanguis proprius nociuus. Humores proprij nociui. Humores alieni nociui. Humores alieni conducibiles. Humores proprij conducibiles. Consonans dissonans est. Dissonans consonans est. Lac alienum bonum. Lac proprium nociuum. Lac alienum nociuum. Lac proprium commodum.

9 Cibus iuuenibus facile, ac leuiter putrefactus, Senibus verò ad summum transmutatus: his, qui in vigore ætatis consistunt impermutabilis. Ad figurationem, soles triginta quinque: Ad motum, septuaginta: Ad perfectionem, ducenti & decem. Alij tradunt: Ad formam, quadraginta quinque: ad motum, septuaginta sex: ad exitum, ducenti & decem. Alij sic: Ad formam, quinquaginta: ad primum saltum, centum: ad perfectionem, trecenti. Alij sic: Ad discriminationem, quadraginta: ad transitum, octoaginta: ad elapsum, ducenti quadraginta. Non est, & est. Gignuntur autem in his & plures, & pauciores, secundum totum, & secundum partes. Non multo autem plures, aut pauciores, pauciores verò tot, & quęcunque alia his similia.

10 Ossium alimẽtum ex confractione. Naso bis quinque. Maxilla, & clauiculæ, & costis duplicia: cubito triplicia. Tibię, & brachio quadruplicia: fęmori quintuplicia. Et si quod in his plus aut minus potest. Sanguis humidus, & sanguis solidus. Sanguis humidus, bonus: Sanguis solidus malus. Ad aliquid omnia mala & bona sunt. Via sursum deorsum vna. Potentia alimenti melior quàm moles. Moles alimenti melior quàm potentia. Et in humidis, & in siccis detrahit & apponit idem: & alteri quidem ãufert, alteri verò apponit idem. Venarum pulsationes, & respiratio spiritus, iuxta ætatem, & consonantia, & dissonantia sunt, & morbi, & sanitatis signa: & sanitatis magis quàm morbi, & morbi magis, quàm sanitatis: alimentum enim etiam spiritus est.

11 Humidum alimentum magis facile transmutatur quàm siccum. Siccum alimentum facilius transmutatur quàm humidum. Alimentum quod ægre alteratur, ægrè consumitur. Quod facile apponitur, facile consumitur. Et quicunque veloci appositione opus habent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum. Quicunque verò adhuc velociori indigent, per olfactum. Qui autem tardiore appositione opus habent, solido alimento vtantur. Musculi solidiores ægre magis, quàm alia colliquescunt, excepto osse, & neruo.

12 Quæ denudata sunt, ægre transmutantur. & secũdum genus ipsa seipsis fortiora sunt, quàm pro re ipsa: propterea ipsa seipsis ęgrius colliquescunt. Pus ex carne, purulentum ex sanguine, & ex alia humiditate. Pus vlceris alimentum. Pus alimentum venę, arterię. Medulla alimentum ossis: propterea callo obducuntur. Facultas, & potentia omnia auget, & nutrit, & germinare facit. Humiditas alimenti vehiculum est.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Humidorum, siue Liquidorum vsu.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Aqua potabilis cur in officina medica optima, & eius facultas. Aqua potabilis oculis vtilissima. Aquæ calidæ potabilis facultas.*

2 *Madefactionem, & humectationem debile quiddam esse: frigefactionem verò, & calfactionem, forte. Qui ægroti de aquæ qualitate iudicare nequeant. Pedes perfrigerati ex calidæ perfusione deciderunt. Aquæ tam calidæ, quàm frigidæ paucitas debile quid est, multitudo verò forte.*

3 *Aqua vtraque lædit, calida autem magis, quàm frigida. Quæ partes calida, & quæ frigida magis gaudeant. Partes verendæ.*

4 *Cerebrum & quæ ab hoc oriuntur. Frigus dentibus, ossibus, &c inimicum: Illecebræ, & voluptates à calidis. In animi deliquijs cur frigida affundenda.*

5 *Cur posteriores corporis partes prioribus calidum magis perferunt. Partes extremæ. Venæ aliæ prius, aliæ posterius frigidam molestè ferunt. Vlcera cur calida gaudeant. Thorax & ventriculus cur frigoris impatientes. Desquamata & aubusta in superficie cur frigidam molestè ferunt. Imus venter calida delectatur.*

6 *Vesica, partes genitales, & virilis membri glans cur natura frigidior. Corpus post frigidam incalescit ac indurescit magis: post calidam contrà. Oculi post frigidæ vsum indurescunt.*

7 *Mare quibus prosit, & quibus non. Vlcerum ambustorum, desquamatorum, piscatorum, cuniculosorum, depascentium curatio.*

8 *Aceti frigidi & calidi vsus. Aceti fæx.*

9 *Vini dulcis & austeri vsus. Lanæ frigiditatis aut astrictionis gratia adhibere, quibus humoribus imbuendæ.*

10 *Aqua frigida papulis rubicundis prodest. Furunculorum generatio. Tumoribus in articulis, doloribus sine vlcere, podagricis ac conuulsionibus plurimis frigida prodest.*

11 *Aquæ calidæ in alijs affectibus vsus. Articuli indurati,*

vati, quomodo ſanandi. Calida acutis doloribus, ſuppurationibus, lacrymis mordacibus, ſiccis omnibus conueniunt. Frigida quibus partibus aut affectibus præterea amica aut inimica. Calida quibus præterea affectionibus amica.

AQua potabilis, ſalſuginoſa, mare. Potabilis quidem in officina medica optima: nam & ferramentis, & æramentis optima, & medicamentis plurimis inueteratis communiſſima. Verùm ad corpus noſſe oportet, quòd hæc aut madefacit, aut frigefacit, aut calcit. Aliter verò nulli commodat, aut detrimento eſt potata. Vbi modica potabili in ſpongia veteris; optimum oculis eſt. Cutis ipſa ſuperne exulceratur calidæ aſperſione. Fomentum corporis totius, aut partis. Cutis duræ mollitio, diſtentæ laxatio, neruorum, carnium, humorum ſub cutem effuſio, ſudoris ſecretio. Humectare prolutione, velut nares, ueſicam, flatus. Incarnare, attenuare, liquefacere, minuere, colorem reuocare, colorem diſpergere. Somniferum & in caput, & in alia: conuulſionum, tenſionum, mitigatiuum dolores ſtupefacit auris, oculorum, & quæcunque talia: frigida calfacere, velut pix vlceribus, præterquam à quibus ſanguis erũpit, aut erupturus eſt, fractis, luxatis, reliquis quibus linteola ſunt medicus, capitis grauitati. Moderatio in vno quoque; ne vltra torqueamus: velut calida corpori, ex exceſſu in vtranque partem, vt ab vtraque non aberret, coniectatione ex detrimento, aut inutili facta, velut intepida: oportet enim detrimentis, aut vtilitatibus etiam ſi ſint uti, vſquequo iuuent, aut do nec lædant.

2 Madefactio itaque, & humectatio, debile quid eſt: Frigefactio verò, & calfactio, forte: velut ex ſolè. Verùm frigida calida exiſtens, velut potabilis aqua; debile quid eſt. Calida autẽ ne vlterius pergat, vt urat. Iudicat autem de his ipſe ægrotus, exceptis mutis, aut leuiter ſyderatis, aut ſtupefactis, aut velut in vulneribus perfrigeratis, aut nimio dolore vexatis: his enim hæc ſenſu non percipiuntur: nam non ſentiunt hi peruſti. Itemque profundæ, ac magnæ luxatienes. Iam verò etiam pedes deciderunt perfrigerati, ex calidæ perfuſione. Sed his corpus perfuſi iudex eſt, ſimiliter etiam frigidæ. Harum aut vtrarunque pauci tas, debile quid eſt: multitudo verò, fortè. veruntamen ſinere oportet, donec fiat id, cuius gratia fiunt: antea verò quàm poſtremum fiat, ceſſandum eſt.

3 Harum porrò vtraque lædit; & calida quidẽ amplius ea utentibus has læſiones inducit, carniũ effœminationem, neruorum debilitatem, mentis ſtuporem, ſanguinis eruptiones, animi deliquia, hæc ad mortem. Frigida verò conuulſiones, tẽſiones, nigrores, rigores febriles. Mediocritas quidem extra noxam eſt. Reliqua verò lædunt, ac proſunt, velut relatum eſt. Voluptatibus, & iucunditatibus, & doloribus, ac moleſtis, prout ſingula ex ipſis conueniunt, ita ſani apparent. Corpus tegi, ac velari adſuetum, quicquid inſuetum eſt, quicquid longiſſime à familiari calore abeæ, & peregrino frigori propinquiſſimum, id ipſum auerſatur: & propterea ſane calida gaudet, & ferre poteſt.

4 Cerebrum & quæ ab hoc oriuntur, frigida quidẽ triſtantur, calida verò gaudent; ſi ſanè frigidius, & ſolidius à natura fuerit. Propterea oſſibus, dẽtibus, neruis frigida inimica, calida verò amica: quia ab illa conuulſiones, tenſiones, rigores febriles, quæ ſanè frigida facit, calida verò ſedat. Obid etiam à calida voluptates, & illecebræ, à frigida verò dolores, & auerſationes. Ideòque ſpina, pectus, dorſum, præcordia, magis frigida aggrauantur, calida verò gaudent & ferre ipſam poſſunt: propterea ſanè ſpina, pectus, dorſum, præcordia, contraria perpeſſa ſunt; quia sũt contraria. Propterea ſanè in hoc loco anxietatem ex calida obortam, frigida ſedat; propterea ſanè frigidę potu gaudet: propterea ſanè cibis calidis delectatur propterea ſanè & in animi deliquiis frigidam extremis partibus affundere prodeſt.

5 Quòd autem poſteriores partes calidam magis ſuferunt, quàm anteriores, quæ relata ſunt in cauſa, ſunt. Quòd verò etiam frigidæ, recte habet; nam & extremæ partes anteriores ſunt, & tegi non adſuetę: velut etiam interna pars ſe habet ad externam. Cogitandum autem, quòd vtraque in vnoquoque corpore potior eſt externa cute, quæ & ſibiipſi, & neruo ſanguineo cõtinua, ac cohærens; eo quod extra proprium calorẽ, in externo frigore eſt, ab vtriſque frequenter ſuperatur, & vtriſque frequenter opus habet, frequentius autem calida ad voluptatem. Perpetiuntur autem & extremæ partes tale quid. quare cito multa percipiunt, tarde autem primum attolluntur. Et venæ quoque aliæ prius, aliæ poſterius. Atq; ſic omnia apparent, & vbi frigefiunt extremæ partes, & ubi calefiunt, in vaſorum euacuationibus, in animi deliquijs. Et iuxta rationem merito etiam venas ſequuntur ea, quæ ab his eueniunt. Et calefacit primum calida, velut in manibus, internas partes. At vlcera calida gaudẽt ex cõfeſſo, quia tegi adſueta ſunt. meritò itaq; ex altera grauatur. Meritò igitur & ipſæ uenæ; quia ſunt in calido. Meritò etiam ipſæ thorax, & ventriculus ipſe à frigida ſuperatus, moleſte fert, & mortem minatur; quia maxime deſuetus eſt. Verùm plurimum abeſt ab eo, vt patiatur: propin quiſſima autem inter ſe ſunt, egere, & pati. Meritò igitur frigidę potu delectatur. Et ſic conſentiunt inter ſe omnia hæc. Quòd verò omnia deſquamata, & ambuſta in ſuperficie, non valde tegi adſueta, maxime frigidam moleſte ferunt, par eſt: citiſſimè enim ſuperantur. Et profundiſſima ſi ſuperentur, maxime utique grauentur: deinde etiam natura neruoſa participant.

6 Quoniam imus venter calida delectari videtur, conſiderandus locus eſt; & poſtea extremæ partes, & veſica, & genitales partes; & virilis membri glans natura frigidior eſt, quàm quis putat; ſurſum enim, non deorſum exilit caliditas; & propterea calida delectatur. Conſiderandum etiam, quòd poſt calidam frigeſcit corpus magis perfrigeratum poſt frigidam verò recaleſcit magis contractum: velut etiam aquę frigi faciendæ, & calefaciendæ ſunt, propter tenuitatem; Et quòd poſt calidam dureſcit corpus magis reſiccatum, uelut oculi poſt frigidam: altera enim ſimilis eſt aeri ambienti, altera non.

7 Mare pruriginoſis, & qui ab acribus humoribus vellicantur prodeſt, vt & lauent, & foueant ex calido. Qui verò non adſueti ſunt, aliquantum lædũntur. Verùm ad vlcera, & ambuſta, ac deſquamata,

& quæ-

& quæcunque talia, contrarium est. Aptum est autem puris. Bonum est & ad attenuandum, & ad piscatorum vlcera: hæc enim neque suppurantur, si non velices: & ad vlcera cuniculosa, & depascentia proserpendo sedat, ac sistit, velut sal, salsugo, nitrum. Omnia autem hæc, si quis parum vtatur; irritant: si excellenter; bona sunt. Melius autem est calidum ad plurima.

8 Acetum ad corpus, & articulos, simile est mari, & potentius, ad perfundendum, & ad fomentum: & ad vlcera recens vulneratis, & ad sanguinis grumos, vbi nigredines sunt in pudendis, collutio est ad aures, & ad dentes. Calido autem hæc fiunt, & alia, sed & ex tempore coniecturam facere oportet. Eliquat velut sal, & vt alia, quæ impetigini, lepris, ac vitiliginibus conducunt, affusum ad calidum solem: maxime verò conducit vnguibus leprosis: superat enim post tempus. verrucas formicarias attenuat, & sordes in auribus sanat. Mollit autem & corpus, & multos alios locos; si non odor offenderet, & maxime mulieres. Valuerit & ad podagram, si non corpus vulneraretur. Eadem etiam fex aceti facit.

9 Vinum dulce ad diuturna vulnera commodum est assidue vtenti. Sed & ad medicamentorum potionem. Austerum autem, & album, & nigrum vinum, frigidum ad vlcera commodum est, frigidum propter caliditatem. Lanæ, quæ frigiditatis gratia, aut perfunduntur, aut induuntur, aut intinguntur, aquam frigidissimam postulant. Quæ verò adstrictionis gratia, vinum nigrum etiam lanas aspergere potest, velut etiam betarum folia, aut linteola intingun tur; in plurima quibus adstrictio inest, velut sunt hederæ albæ folia, & quæ acerbiora sunt, aut friabiliora, velut hedera, & rubus, rhus coriarius, saluia: & in ea, quæ mollire oportet, velut farina cocta.

10 Aqua frigida prodest papulis rubicundis, quales alia, atque alia parte sublatæ erumpunt, quales per splenia attractoria emergunt. In carnosis verò & tenera carne præditis subrubicundæ sunt: in nigris autem rotundæ, dothienes, hoc est, furunculi appellati, & quales in ipsis calidis lauacris oboriuntur, & mulieribus ex mensium sub cutem recursu fiunt, & ab irritamentis cutis, aut insolita vestimentorum asperorũ gestione, & ex sudoris exitu, aut vbi quis ex frigore, derepente ad ignem, aut calida lauacra accessit: nam, si hęc posterius fecerit; nequaquam amplius erumpunt. Alioqui quę ex frigore fiunt, aut quę exasperantur instar milij; deinde exulcerantur, eas frigida lędit: calida verò prodest, Tumores in articulis, & dolores sine vlcere, ac podagricos, & conuulsa, pluri ma ex his frigida multa affusa leuat, ac extenuat, & dolorem torpefacit; torpor autem moderatus dolorem soluit.

11 Sed & calida aqua attenuat, ac mollit. Podagricis resolutis, ante, ac retro distentis, conuulsis, talia accedunt, distentiones, tremores, leues sideratione; Talibus laxatis, claudicationes, torpores, uocis interceptiones, ad talia, excretiones per infernas partes suppressæ. Cauendum autem est in frigidę vsu, ne modum excedamus. Articulos induratos, aut ab inflammatione aliquando oborta, aut à distortione, operę precium est sanare, aqua calida in vtriculum infusa. Manum deligare, & oculos, lachrymas lenit, ita vt ad acres, stillamentum lene infundat quis; vt ne salsuginosa contractu lędat. Et fossulis vlceribus oculorum elotio prodest, & repletio ad naturam reducens. Calida oculis conuenit, doloribus, suppurationibus, lachrymis mordacibus, siccis omnibus. Frigida doloris exortibus, valde rubicundis, & qui collectiones tuberculorum iuxta venas habere solent, qualia sunt vlcuscula capitis manantia, circa thoracem; & alia dura. Verùm podici, & vtero, non valde commoda est, neque sanguinem in frigore mingentibus. Vlceribus, quidem frigida mordax, cutem obdurat, dolorosa non suppurari facit, liquefacit, nigrefacit, rigores febriles facit, conuulsiones, ante, ac retro distentiones. Quandoque verò in hac distentione, sine vlcere iuueni carnoso, media æstate, multæ frigidæ aquæ affusio, caloris reuocationem facit. Calor autem hæc soluit. Calida suppuratoria est, non in omni vlcere, maximum signum ad securitatem, cutem mollit, attenuat, dolorem eximit, rigores, conuulsiones, ante, ac retro distentiones lenit, capitis grauitatem soluit: plurimum autem conducit ossium fracturis, magis autem denudatis, & ex his maxime his, qui in capite vulnera habent voluntaria, & inuoluntaria, & quæcunque præ frigore, aut moriuntur, aut vlcerantur: itemque in vlcerationibus voluntarijs, ac inuoluntarijs, qualia sunt desquamata: herpetibus serpendo adedentibus, denigratis, aut in gingiuis, aut in aure, aut in sede, aut vtero. His omnibus callida amica est, ac iudicatoria. Frigida verò inimica, & occidens, præterquam in quibus sanguinem fluxurum esse timor est. Atque hoc modo vtendum est liquidorum perfusionibus, inunctilium illitionibus, foliorum impositionibus, aut linteorum cataplasmatis, quæcunque aut frigiditate, aut caliditate prosunt, aut nocent.

HIPPOCRATIS COI

De Humoribus Liber.

Genuinum Hippocratis librum hunc esse Galenus dicit, verùm quædam insunt ad extremam dictionis breuitatem contracta: quædam rursus vltra modum extenta.

1 *Medico quæ considerauda. Celeritas in medicina. Humorum inconstantium consideratio. Tormen infra vmbilicum.*
3 *Egestionum alui consideratio. Animæ & corporis molestiæ vnde. Serpens derepente conspectus, pallorem cum virore inducit.*
4 *Terra similis ventriculo. Ventriculus alimentum transmittit, fecem retinet.*
5 *Morborum modi qui. Morbi temporibus anni pares. Tempora quæ morbos iudicatu faciles pariant.*
6 *Temporum inæqualitas morborum iudicationem difficiliorem reddit. Tempora etiam recidiuas faciunt.*
7 *Morbos ex temporibus, & ex morbis aquas & ventos dijudicari.*
8 *Aquæ intercutem prænotio. Colores pro temporum ratione variant.*

1 IMpetus, & ferocitas humorum, vbi non reciprocatio humorum est, velut florum, ducendus est, quà repit per conuenientes, ac commodas regiones, exceptis his, quorum maturitas tempore contingit. Maturationes extra, aut intro repunt, aut aliò, quò oportet. Cautio, infinita magnitudo, experiendi difficultas, pilorum nuditas, viscerum vacuitas, infernis repletio, superuenis alimentum, mutatio sursum, mutatio deorsum. Spontanea sursum, & deorsum quæ prosunt, & lædunt. Cognata species, regio, mos, ætas, tẽpus, constitutio morbi, excessus, defectus: Quibus quantum deficit, aut nõ, medela, declinatio, derivatio, in caput, in obliqua, quàm maxime repit: aut reuulsio, in supernis deorsum, in inferius sursum: aut siccare, aut aliquibus inferna, aut aliquibus superna, aut eluitur, aut quibusdam mitigabitur: humores effusi ne intro reuellantur, sed secretiones siccentur. Turbatio, infusio per sedem, pelluuium, quibus abscedit ad sedem, vnde exoluitur aut medicamẽtum, aut vlcus, aut humor aliquis compactus, aut eruptio pustulosa, aut flatus, aut cibus, aut animalculum, aut æstus, aut alia quædam affectio.

2 Considerauda hæc, spõtanea desinentia, aut velut ab exustione excitatæ bullæ, in quibus qualia lędũt, aut prosunt. Figuræ, motus, eleuatio, & rursus subsidentia, somnus, vigilia. Quæ facienda, aut impediendа, cito assequi. Castigatio per vomitum, inferne per exitũ, aut sputum, mucum, tussim, ructũ, singultum, flatum, vrinam, sternuationem, lachrymas, pruritus, euulsiones, cõtactus, sitim, famem, repletionem, somnos, labores, ocium, corpus, mentem, disciplinam, memoriam, vocem, silentium, veteri purgationem. Quæ superne erumpunt, ac torquent, pinguia, intemperata, acmeraca, spumosa, calida, mordacia, æruginosa, varia ramentosa, feculenta, cruenta, flatus expertia, cruda, cocta, sicca. Quæcunque circumfluunt, ferendi facilitatem contemplari oportet, itemq; difficultatẽ priusquã periculum veniat. Item quæ sedare non oportet: maturatio, descensus eorum, quę infra sunt, redundantia, & fluctuatio eorum quæ supra: & quæ ex veteris, & in auribus sordes, concitatio, ac permixtio, apertio, euacuatio, calfactio, perfrigeratio, intrinsecus, forinsecus: horum quidem, horum verò non. Quum infra vmbilicum fuerit id, quod torquet; tardum, & molle est tormen: vice versa, contrà.

3 Quæ per aluum egeruntur quà repunt, non spumosa, matura, cruda, frigida, fœtida, sicca, humida. Quæ olfactum male afficiunt. Sitis quæ prius nõ adfuit, neque æstus, neque alia causa. Vrina, nasi humectatio. Iactationem. Siccitatem: & non esse contractum, ac arefactum, & spiritum turbulentum: præcordia, extremitates, oculos male affectos: coloris transmutatio. Pulsus, frigiditas, palpitationes, cutis duricies, neruorũ, articulorũ, vocis, mẽtis, figura voluntaria, pili, vngues: facile ferre, aut non, qualia oportet. Signa hæc. Odores corporis, oris, secessus, auris, flatus, vrinæ, vlceris, sudoris, sputi, nasi. Corpus salsugi nosum, aut sputũ, aut nasus, aut lachryma, aut alij humores. Penitus similia, iuuantia, lędentia. Insomnia qualia videat, & in somnis qualia faciat, an acute audiat, & obedire paratus sit aĩo: an magis fortia sint, ac plura, quæ cõmoda sunt, ac seruant, quàm alia: an sentiant oĩa omnibus sensibus, & ferant, veluti odores, sermones, vestitus, figuras, & huiusmodi patienter, quę sanè, & sua sponte comparentia prosunt, & quãdo ẽt talia iudicationẽ inducũt. Itẽ tot, & talia, veluti sunt, flatus, vrina, qualis, & quanta, & quãdo. Quæ verò cõtraria sunt auertere, ipsisque aduersari. Quæ propinqua, & cõia sunt affectionibus. prima, & maxime affligũtur. Constitutionẽ aũt ex primis incipientibus, quicquid tandẽ excernatur ex vrinis, qualesnam fuerint: & qualis sit corporis collapsio, coloris immutatio, spiritus imminutio, & reliquæ cũ his victus rõnes. Scire ẽt oportet, an similia sint, quæ decedunt, transitus, vrinę, per vteros, sputa, per nares, oculi, sudor, ex tuberculis, ex vulneribus, ex pustulis quę sua sponte, quę arte. Quòd similia sunt inter se oĩa, quę iudicant, & quę prosunt, & quæ nocent, & quę perimunt; quò hęc quidem fugiens auertat, illa verò accersat, & ducat, ac suscipiat. Sed & alia eo-

dem

dem modo, cutis, extremarum partium, præcordiorum, articulorum, oculorum, oris, figurarum, somniorum, qualia iudicant, & quando; talia machinari. Insuperque qui tales abscessus fiunt. Qualia prosunt cibis, potibus, odoribus, visu, auditu, cogitatu, secretionibus, humoribus, calefactione, frigefactione, siccitatibus, humectando, siccando; vnguentis, illitionibus, cataplasmatis, emplastris, insperſionibus, denique & epithematis, quę imponuntur. Figurę, defrictio, curatio, labor, ocium, somnus, vigiliæ: spiritus superne, inferne, communibus, proprijs, arte paratis. In exacerbationibus neque præsentibus, neque futuris, neque pedum frigiditate, sed in declinante deorsum morbo. In exacerbationibus per circuitus contingentibus, ciborum oblationes dandæ non sunt, neque cogere oportet, sed auferre de appositionibus ante iudicationes. Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neque mouere oportet, neque nouare, neque medicamentis, neque alijs irramentis, sed sinere. Concocta medicamentis aggredi oportet, & mouere non cruda, neque in principijs, si non turgeant. Multa verò non turgent. Quæ ducere oportet, quò maxime repunt per conuenientes locos, eò ducere oportet Quæ prodeunt non multitudine ęstimare oportet, sed quādiu prodeant, qualia oportet, & facile æger ferat. Vbi verò opus est, debilitare etiam, aut animi deliquium inducere oportet, donec hoc feceris, cuius gratia hoc fit: interim aliò vertere, aut siccare, aut humectare, aut reuellere, si sufficiat æger, id quod ex his coniectabis. Sicca quidem calida erunt, humida verò frigida. Quæ verò aluum mouent, plerunque contraria. Hæc imparibus diebus, sursum, si & circuitus, & constitutio talis sit ex exacerbationibus. Fiunt autem plurima paribus diebus, deorsum: sic enim & sua sponte prosunt: si non circuitus faciant exacerbationes in paribus. In talibus autem, in paribus sursum: in imparib. deorsum. Tales autem pauci sunt. Et tales constitutiones etiam difficilius iudicantur. Quin & vlterius tempore progressa sic fieri necesse est, velut ad decimamtertiam, ac decimamquartam diem: Decimatertia quidem deorsum, decimaquarta verò sursum; ita enim ad iudicationem conducit. Et quæ ad vigesimam: Cæterùm quæ infra prodeunt, multum purgare oportet, & hæc non prope iudicationem, sed longius ab ea. Raro autem in acutis, multa ducere oportet, in delassatis, totum. In febribus ad articulos, & circa maxillas maxime abscessus fiunt, prope sanè dolores vniuscuiusque, ad supernam partem magis, & in totū. Si verò lentus fuerit morbus, & deorsum tendens; inferne etiam abscessus fiunt. Maxime autē pedes calidi, inferne significant; frigidi superne. Quibus verò ex morbis se erigentibus statim in manibus, aut pedibus dolores fiunt, in his abscessus contingunt. Sed & si quid doluerit quis, antea quàm ægrotet; ad eas partes is firmatur. Quemadmodum etiam tussientibus, & anginosis in Perintho: faciunt enim tusses abscessus, velut etiam febres. Iuxta eandem rationem contingit ab humorum, aut corporis colliquatione, & frigiditate. Proinde nosse expedit, in quibus temporibus humores florent, & quales in singulis morbos faciunt, & quales in vnoquoque morbo affectiones: & reliquum corpus ad quem morbum maxime natura repit: & quale quid splen intumescens facit. Horum sanè & natura, & ferm colores deteriores sunt, & corpora tument. Et si quid aliud est, in his exercere se prodest, velut est, Animi intemperantia circa cibos, ac potus somnum, vigilias, aut ob amores quosdam, velut tesserarum, aut propter artes, aut propter necessitates: tolerantia laborum, & quorum ordinata est, aut inordinata; mutationes ex qualibus ad qualia: ex moribus animæ industria, aut quęrens, aut meditans, aut videns, aut dicens, aut aliud quid, velut tristitiæ, iracundiæ, cupiditates, quæ ex casu contingunt. Molestiæ animi, aut per oculos, aut per auditum. velut etiam corporum: Malis quidem ad seipsas attritis, dentes stupescunt: Ambulanti verò circa cauum locum, crura tremunt: quum autem quis manibus ea, quibus opus habet, leuat, hæ tremunt: Serpens derepente conspectus pallorem cum virore inducit. Timores, pudor, mœror, voluptas, ira, aliaque huiusmodi quomodo obediunt. Vnicuique autem pars corporis ad actionem pertinens, in his obedit. Sudores, cordis palpitatio, & eiusmodi potentiæ. Quæ extrinsecus prosūt aut nocent, vnctio, perfusio, illitio, cataplasmatum vsus, dehgatio: lanarum, & talium rerum: & internæ partes talibus obediunt, non solum externæ his, quæ intro assumuntur: sed & quæ in lanis ab ouilli succidis adhibentur, & quod à rege nomen habet cuminū videntibus, & olfacientibus. Quæ de capite ducunt, turbant, sermones, vox, & huiusmodi, mammæ, genitura, vterus, & quæ signa in ætatibus, & in suffocationibus, & tussis, & quæ ad testiculos.

4 Quemadmodum arboribus terra, ita animalibus ventriculus: & nutrit, & calefacit, & frigefacit: Frigefacit, dum euacuatur calefacit, dum impletur. Quemadmodū terra stercorata hyeme calida est; ita etiam ventriculus. Arbores corticem tenuem siccum habent, intrinsecus autem carne sicca, sanæ, non putridę, diuturnę. Ita & ex animalibus testudines, & quicquid eiusmodi est. Ætatibus, temporibus, annis, similia animalia, non deteruntur, si moderate melioribus vtantur. Quemadmodum hydria, quod recens est, transmittit, quod inueterātum retinet; sic & ventriculus transmittit alimentum, & fecem retinet, velut vasculum.

5 Modi morborum hi sunt; partim quidem cognati sunt, de quibus interrogando discere oportet; partim à regione, (familiares enim sunt per multas, & multi ipsos nosunt;) partim ex corpore, & victus ratione, ac temperiei constitutione, aut à temporibus. At regiones ad tempora male dispositæ, tales morbos pariunt, quali tempori similes fuerint; Verbi gratia, inæqualis calor, aut frigus eadem die, quum talia fuerint; morbos autumnales faciunt. Et in alijs temporibus secundum rationem, alij ab odoribus cœnosis aut palustribus; alij ab aquis, calculosi, splenici; alij à ventis bonis; & malis incipiunt. Qualia verò sunt tempora, tales erunt etiam morbi, & constitutiones ex ipsis. Si tempora tempestiue, & ordinatè se habuerint; morbos iudicatu faciles faciunt. Vernaculi autem temporum morbi indicant mutationes, & prout euariauerit tempus, similes, aut dissimiles erunt morbi, qui in hoc tempore oriūtur. Si verò similiter procedat; eiusmodi quoque fuerint morbi, & ad talem modum tracti, veluti est morbus regius autumnalis; frigora enim ex

caloribus, & calor ex frigore. Et si æstas bilioſa fiat, & bilis aucta intus relinquatur; etiam aliquantum splenici fient. Quum igitur & ver sic processerit; etiam vere fit morbus regius: proximus est enim hic motus tempori, iuxta hanc speciem. Quum verò æstas fiat veri similis; sudores in febribus, & febres faciles, & non peracutæ, neque linguis obaridæ fiēt. Si verò hybernum fiat ver, & postremum hyemis tēpus; hyberni etiam morbi, & tusses; & peripneumoniæ, & anginę. Et autumnus si nō in tempore, ac derepente hybernarit; non assidue, tales morbos facit; eo quòd non in tempore incepit, sed inæqualiter fit. Quapropter etiam tempora à iudicatione aliena, ac inconstantia fiunt: quemadmodum etiam morbi; si præerumpant, aut præcernantur, aut intus relinquantur. Recidiuas enim etiam tempora faciunt, quemadmodum & morbos ita inducunt. Itaque insuper considerandum est, quomodo habentia se corpora tempora suscipiant.

6 Austri auditum grauant. caliginem inducunt, caput grauant, torpidi sunt, dissoluunt. Quum hic pręualuerit; talia in morbis patiuntur, vlcera glabra, maxime os, pudendum, & aliæ partes. Si verò aquilo, tusses, faucium affectiones, ventres duriores, vrinæ difficultates, horrores, dolores laterum, ac pectoris: Quum hic dominatur; tales morbos magis expectare oportet. Si magis redundauerit, ad squalores sequūtur febres, itemque ad pluuias. ex qualibus tandem redundantiæ trāsmutatæ fuerint, & quomodocunque habentia se corpora ex alio tempore susceperint, & quocunque tādem humore in corpore domināte. Cæterùm siccitates & austrinæ sunt, & aquilonares: differunt enim & alia hoc modo. Magnum enim & hoc est: nam alius in alio tempore, ac regione magnus est; veluti æstas bilem parit, ver sanguinem, reliqua prout singula. Mutationes maximè pariunt morbos, & præsertim maximæ: & in temporibus magnæ mutationes, & in alijs. Quædam sensim contingente progressu fiunt. Tempora huiusmodi sunt securissima, velut etiam diætæ, & frigus, & calor maxime sensim facto progressu. Et ætates sic transmutantur. Naturæ quantum ad tempora attinet, alię ad ętatem, aliæ ad hyemem, bene, aut male dispositæ sunt. Quantum verò ad regiones, & ætates, & victus rationem, & alias morborum constitutiones, aliæ ad alias bene, aut male se habent: Et ætates ad tempora, & regiones, & victus rationem, & morborum constitutiones. Et in temporibus, victus, & cibi, & potus, qualitatem suam requirunt: nam hyems ab operibus ocium habet, & quæ in corpus ingeruntur, matura, ac simplicia postulat. Magnum enim & hoc est. Autumnus autem laboribus deditus. Sub insolationibus potus frequentes sunt, cibi inconstantes, vina, arborum fructus.

7 Quemadmodum autem ex temporibus morbos coniectare datur; ita quandoque etiam ex morbis aquas, & vētos, & siccitates prēnoscere licet, & aquilonares, & austrinas. Licet autem ei, qui probe, ac recte didicit, vnde sint hęc considerare, velut & lepræ quædam, & circa articulos dolores, aquæ vbi futurę sunt, pruriginosi sunt, & alia huiusmodi. Et quę pluuię alternis, aut singulis diebus, aut per alios circuitus, aut assiduę fient. Et venti aliqui per multos dies flant, & contrario inter se modo flant, alij per pauciores. Et ijdem per circuitum. Hæc habent cum temporum constitutionibus similitudines. Verùm breuius talia. Si verò annus diutius talis fuerit qualem constitutionem fecerit, tales etiàm morbi diutius erunt. Et si magis fortes fuerint, maximi quoq; morbi sic fient, & communissimi, & ad plurimum tempus.

8 Ex primis aquis, vbi post multam siccitatē, aqua futura est, de aqua inter cutem prędicere licet: & vbi talia parua signa apparuerint in ventorum quiete, in transmutatione. Colligenda igitur sunt, quę in qualibus aquis, aut ventis morbi significant, & audiendus est, si quis nouit, quòd tali hyeme prægressa, tale ver, aut ęstas erit. Colores non sunt similes in temporibus, neque in aquilonaribus, neque in austrinis, neque in ętatibus, neque in vno quoque ad seipsum, neque in alio ad alium. Considerandum autem est ex his, quæ presentia, ac quiescentia nouimus de coloribus, & quòd ętates temporibus similes sunt, & colore, & mutatione.

9 Qui hęmorroidas habent, neque pleuritide, neq; peripneumonia, neque phagedęna, neque furunculis, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus corripiuntur: Fortassis autem neque lepris, fortassis, neque vitiliginibus. Multi tamen intempestiue curati, non tarde talibus correpti sunt, & sic pernicioso fuerunt. Et quicunque alij abscessus, velut fistulę, aliorum medela sunt. Quæ vbi insuper comparent sedare solent, ea prius oborientia impedimenta ab his liberant. alterius loci morbos loca excipientia, aut dolore, aut grauitate, aut ob aliud quiddam liberant, aut quòd alijs sunt communicationes. Propter inclinationem non amplius sanguis prodit, sed iuxta humoris cognationem talia spuunt: conuenit quibusdam sanguinem detrahere tempestiue in talibus, in alijs autem, velut in his, non hoc conuenit. Impedimentum in spuentibus cruenta: tempus anni, pleuritis, bilis. Tubercula circa aurem quibus circa iudicationem exorta, non suppurata fuerint, his disparentibus recidiua fit, & pro ratione recidiuarum, recidiua contingente: rursus intumescunt & permanent quemadmodum febrium recidiuæ, in simili circuitu: in his spes est ad articulos abscedere. Vrina crassa, alba qualis Archigenis familiari erat, in lassitudinosis febribus quarta die aliquando prodit, & liberat ab abscessu. Si verò vltra hoc, etiam sanguis è naribus large eruperit; etiam valde. Cui intestinū in dextra parte dolebat, & articulari morbo correptus est; quiętior erat. Postquam autem hic curatus fuit; magis dolebat.

HIPPOCRATIS COI

De Morbo sacro.

Non genuinum Hippocratis, sed memorabilis tamen viri, hunc librum Galenus esse dicit, tum quod ad dictionem, tum quod ad sententiam attinet: Hippocratis autem neque dicendi modum, neque sententiarum acumen in ipso esse.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Morbum sacrum aliis morbis neque diuiniorem, neque sacrotiorem esse: sed omnes diuinos, & humanos.*

2 *Magos ac homines quosdam arrogantes, hanc affectionem sacram appellasse.*

3 *Carnes aluum turbantes. Morbum sacrum expiationibus curantes, cur medicamenta non propinarint. Cur morbus sacer illis ipsis quibus sic vocatur, neque sacer, neque diuinus existat. Deus quis sit.*

4 *Quòd morbus sacer naturam habet, quam etiam alij morbi, & cuusam vnde singuli gignuntur.*

5 *Morbus sacer hæreditarius. Morbus sacer bilioſis naturis non accidit. Cerebrum huius effectionis autor & causſa.*

6 *Morbus sacer quomodo & ex qua causſa fiat. Cerebrum hominis, vt aliorum animalium, duplex. Venæ capitis. Venæ respirationis. Spiritum nunquam consistere.*

7 *Quomodo morbus sacer, fœtu in vtero existente, incipiat. Caput saniſſimum & morboſiſſimum, qui fœtus habeant. Capitis vlcerum in pueris commoda. Qui pueri huic morbo obnoxij. De affectionibus à pituitæ defluxu in cor, pulmonem, ventrem & venas.*

8 *Muti ac desipientes homines fiunt, vbi aer præ pituita à venis excluditur. Manus qua de causſa in comitialibus impotentes reddantur, oculi distorquentur: ſpuma, stercus, calcitratio.*

9 *Qui pueri ex comitiali morbo superuiuant, & qui non. Partes corporis, nota à comitiali morbo impressa debiliores redduntur: sed non amplius apprehenduntur.*

10 *Qui pueri ex comitiali morbo citra notæ impressionem superuiuant. Cur comitialis morbus, si senioribus accidat, eos, neque distorqueat, neque occidat: antiquiſſimos verò occidat, & semiſideratos faciat.*

11 *Dextræ partes cur in comitialibus facilius succumbant.*

12 *Quomodo & qua de causſa senes, hyeme & vere morbo sacro corripiantur, non autem æstate.*

13 *Cur viginti annos nati à morbo comitiali sint tutti. Capræ plerunque comitiales.*

14 *Morbus sacer cur diuturnus. Morbo comitiali assueti, tempus quo corripiendi sunt, præcognoſcunt.*

15 *Cur ventorum mutationes, maxime autem Austrinæ, comitialis morbi sint causſæ. Aquilo cur ventorum omnium saluberrimus. Venti ex omnibus rebus atque adeò ex ipsis hominibus humiditatem ac tenebroſitatem excernunt. Auster aerem compactum liquat ac diffundit.*

16 *Cerebrum plurimam in homine vim habere. Voluptates, lætitiæ, riſus, & cæt. ex cerebro contingunt. Quæ à cerebro non sano patiamur. Quomodo humiditas inſaniæ causſa exiſtat. Cerebri corruptio, vnde & quomodo cognoſcatur. Qui cum clamore inſaniunt, & qui minime. Terrores ac timores in inſanientibus vnde. Angor & inquietudo in inſanis vnde. Obliuioſi vnde fiant. Clamores nocturni, in inſanientibus tantum à bile.*

17 *Partes corporis cerebro subiectæ, eius nutu ac imperio reguntur. Cerebrum intelligentiæ, ac prudentiæ internuncius. Spiritus primum in cerebrum attractus per reliquũ corpus distribuitur, non vice versa.*

18 *Quòd neque præcordia, neque cor, sapientia participent. Cerebrum cur primo sentiat. Epilogus. Medico in morborum curatione, quæ obseruanda. Quomodo morbum comitialem citra expiamenta & incantationes curare possit.*

1 DE morbo sacro appellato sic se res habet. Nulla re videtur mihi alijs diuinior esse morbis, neque sacratior. Verùm naturam habet, quam etiam reliqui morbi, unde fit. Homines verò naturam, & causſam eius diuinam esse putauerunt, præ inexperientia, & admiratione: propterea quòd reliquis morbis nulla re similis est. Et per inopiam quidem quòd non cognoſcunt, diuinitas ipſi conſeruatur per abundantiã verò, & parabilem modum sanationis medentur: exoluuntur enim aut expiationibus, aut incantamentis. Si verò propter admirationem diuinus censetur; multi morbi sacri erunt, & non vnus: quẽadmodum ego demonſtrabo etiam alios nihil minus admirabiles, neque minus mõſtruoſos, quos nemo sacros esse censet. Primùm etenim febres quotidianæ, & tertianæ, & quartanæ, nihil minus mihi sacri esse videtur, nec minus à Deo fieri, quàm hic morbus: etiamſi nihil admirabile habeant. Deinde video inſanos homines, & delirantes à nulla manifeſta causſa, & multa, & simul importuna facere, vidiq́ue multos in somno plorare, ac vociferari, alios verò suffocari, alios exilire, & foras fugere, atque ita delirare, donec expergiſcuntur: poſtea autem ẽt sanos esse, ac sapientes velut prius, esseq́; ipſos pallidos, ac debiles: atq; hæc nõ semel, sed sæpe. Alijq́; multi sunt, ac omnigeni morbi,

in quibus singulis recẽsendis in longum sermo extenderetur.

2 Cæterùm qui primi hunc morbum sacrum esse pronunciauerunt, tales homines mihi fuisse videntur, quales etiam nunc sunt magi, & expiatores, & circulatores, & quidam arrogantes, qui se vehementer pios esse simulant, & amplius quid scire. Hi itaque cõsilij, ac mentis inopiæ obuelantes, ac prætexentes diuinitatem, quum nihil haberent quod exhibitum prodesset, vt ne manifesta fieret ipsorũ ignorantia; sacram hanc affectionem esse pronunciarũt; & rationibus idoneis collectis.

3 Curationem constituerunt sibijpsis securam, expiamenta offerentes, & incantamenta, & à balneis abstinere iubentes, & à cibis multis, ac ineptis ad hominum ægrotorum esum, velut ex marinis quidem à mulo, & melanuro, mugilique, ac anguilla; hi enim pisces periculosissimi esu sunt. Ex carnibus verò, à caprina, cerulna, suilla, ac canina: hæ enim carnes maxime aluum turbant. Ex volucribus autem, à gallo & turture ac otide, insuperque ab his, quæ robustissimæ esse censentur. Ex oleribus, à mentha, allio, ac cepa: nihil enim acre infirmo conducit. Pallium præterea nigrum habendum non esse præcepere: niger enim color mortalis est. Neque in caprina pelle decumbendum esse, neque eandem gestare oportere: neque pedem supra pedem habendum esse, neque manum supra manum: hæc enim omnia curationis impedimenta esse. Omnia autem hæc diuinitatis gratia apponunt, velut amplius quid scientes, & alios prætextus proferentes, quos si sanus æger euadat; ipsis gloria, & dexteritas adscribatur: sin moriatur; in toto positæ sint ipsorum excusationes, habeantq; prætextum, quòd non ipsi sint in caussa, sed Dei: neque enim medicamentum aliquod edendum, aut bibendum exhibuerunt, neque balneis incoxerunt, vt ipsi in caussa esse videri possint. Mihi autem videtur nullũ ex his, qui mediterranea Africæ inhabitant, sanũ esse posse; propterea quòd caprinis pellibus, ac carnibus vtuntur, quum neque stratum, neque pallium, neque calceamentum habeant, quod non sit caprinum: non enim alia vlla ipsis sunt pecora, præter capras, & boues. Si autem hæc ad mota, & comesta morbum augent, & non comesta sanant; non est sanè Deus alicuius autor, aut caussa, neque prosunt expiamenta, sed edulia sunt, quæ & sanant, & lædunt. Numinis verò vis dissipatur. Sic igitur mihi videntur hi, qui hoc modo hos morbos curare aggrediuntur, neque sacros ipsos putare, neque diuinos. Vbi.n. præ talibus expiamentis, ac tali curatione transmutatur; quid vetat etiam præ alijs artibus similibus illis, & discedere ab hominibus, & accedere? Quare non Deus autor est, sed aliquid humanum: Quisquis enim lustrationibus, & magicis incantamentis talem affectionem abducere potens est, is etiam alijs artibus abduxerit: & ex hac ratione diuinitatis opinio penitus pessum it. Talia itaque dicentes, ac excogitantes, amplius quid se scire simulant, & homines decipiunt, proponẽtes his lustrationes, ac purificationes; quum verba ipsorum magna ex parte sead Deum, ac dœmonium extendant. Atqui mihi sanè non de pietate verba facere videntur, velut ipsi putant, sed potius de impietate, & quod Dei non sunt, pietasque, ac diuinitas ipsorum impia est, ac sceleſta, velut ego docebo. Si enim & lunam abolere, & solem obscurare, tempestatemque, ac serenitatem facere, pluuias item, ac siccitates, & mare sterile, itemque terram, & alia huiuscemodi omnia; se scire profitentur, siue ex sacrorum mysterijs, siue ex alia quadam professione, aut meditatione, hanc potentiam iactent, qui talia studio habent; impij sanè mihi esse videtur, & Deos non esse putare, neque si sint, aliquid posse, neque vllum aliquod etiam extremum malum prohibere. Quod quum faciãt, quo modo non ipsis infesti sint? Si enim homo incantamentis, ac sacrificijs vtens, & lunam abolebit, & solem obscurabit, & tempestatem, ac serenitatem faciet; non vtique ego horum aliquid diuinum esse putauerim, sed humanum, si sanè diuinitatis potẽtia ab humana voluntate superatur, & in seruitutem redacta est: fortassis autem hæc non hoc se modo habẽt, sed homines victus indigui multa, & omnigena moliuntur, & euariant, tum in alia omnia, tum in hunc morbum, in singulis affectionis speciebus caussam Deo adscribentes: non enim semel, sed sæpius eorũdem mentionem faciunt. Si quidem.n. capras imitentur, & si balatum edant, & frendant, & si dextris partibus conuellantur; Matrem deorum caussam esse aiunt. Si verò acutiorem, & concitatiorem sonum emittant; equo assimilant, & Neptunum autorẽ esse dicunt. Si verò etiã aliquid stercoris emittant, quod sæpe quibusdam contingit præ morbo coactis, Hecates enodiæ appellatio additur. Si autem tenuiorem, & densiorẽ vocem edant, velut aniculæ; Apollo Nomius, ideſt. pastor: si verò spumam ex ore remittant, ac pedibus calcitrent; Mars caussam habet. Quicunque porrò pauores noctu ingruunt timoresque, ac deliria, & exaltationes è lecto, terroresque, ac fugæ foras; Hecates insidias esse dicunt, & heroum insultus, expiamentisque vtuntur, ac incantamẽtis, & sceleſtissimum, ac impijssimum, meo sanè iudicio, faciunt numen: expiant enim morbo correptos sanguine, itemque alijs sceleribus inquinatos, aut iniustos, aut ab hominibus intoxicatos, aut qui sceleſtũ aliquod facinus perpetrarunt, quos contraria his facere oportebat, sacrificare nimirum, ac precari, & ad templa progressos dijs supplicare. Nunc verò horũ quidem nihil faciunt; verùm expiant, & alia expiamenta terra occultant, alia in mare proijciũt, & alia ad montes deferunt, vbi nemo attingat, neque conculcet. Oportebat autem ea ad templa deferre, ac Deo contribuere; si quidem Deus est autor. Non tamen ego puto hominis corpus à Deo inquinari, sordidissimum scilicet à purissimo: verùm etiamsi contingat ab alio inquinari, aut quid perpeti, cupierit vtique a Deo purgari, ac purificari magis, quam inquinari. Deus itaque est, qui maxima, ac sceleratissima peccata purgat, ac purificat, & liberatio nostra existit, ipsique terminos templorum, ac delubrorum dijs designamus, vt nullus, qui non purus sit eos transcendat, & ingressi respergimur, non velut qui inquinemur; sed si quod etiam prius scelus habemus, purificemur. Et de expiationibus quidem sic se res habere mihi videtur.

4 Hic verò morbus nulla re diuinior reliquis mihi esse videtur. Sed naturam habet, quàm etiã alij morbi, & caussam, vnde singuli gignuntur. Naturam aũt & caussam, ab eodem Deum fieri, à quo etiam alia

omnia

omnia. Et sanabilis esse mihi videtur, nihilominus quàm alij, nisi iam præ temporis longitudine inualuerit, vt fortior sit medicamentis, quę adhibentur.

5 Incipit autem velut etiam alij morbi secundum genus. Si.n. ex pituitoso pituitosus, ex bilioso biliosus gignitur, & ex tabido tabidus, & ex splenico, siue lienoso lienosus; quid prohibet, vt cuius pater, & mater hoc morbo correpti fuerint, etiam posterorum, ac nepotum aliquis eo corripiatur? Semen enim genitale ab omnibus corporis partibus procedit, à sanis sanum, à morbidis morbosum. Aliud porrò signum magnum est, & nihilo diuinior reliquis sit morbis: pituitosis enim natura oboritur, biliosis verò nõ accidit. Atqui si diuinior est reliquis; similiter omnib. morbum hunc fieri oportebat, & non discrimen facere inter biliosos, ac pituitosos: Sed enim ipsis cerebrum autor est, & causa huius affectionis, velut etiã aliorum maximorum morborum.

6 Quo verò modo, & ex qua causa fiat, ego manifeste docebo. Cerebrum hominis duplex est, quemadmodum etiam alijs omnibus animalibus: Medium autem ipsius diuidit membrana tenuis. Quapropter non semper eandem capitis partem dolet; sed particulatim vtramuis, aliquãdo verò totum. Sed & venę in ipsum tendunt ex vniuerso corpore, multę, & tenues: duę verò crassę, altera ab hępate, altera de liene. Et quę quidem ab hepate venit, hoc modo se habet. Altera quidem venę pars deorsum tendit, per partes ad dextram, iuxta ipsum renẽ, ac lumbum, ad internam femoris partem, & descendit in pedem, & vocatur vena caua. Altera verò sursum tendit per venas dextras, ac pulmonem. Finditur autem & in cor, & in brachium dextrum. Reliquum verò sursum fertur per clauiculã in dextram ceruicis partẽ, ad ipsam cutem. ut conspicua fiat. Iuxta aurem verò occultatur, atque hic finditur. Et crassissima quidem, ac maxima, & cauissima ipsius pars, in cerebrum desinit: alia verò pars in aurẽ dextram, quę sanè venula tenuis est: alia autẽ in oculum dextrũ, alia in ipsum nasum. Atque sic quidem venę ab hepate habent. Tendit autem & aliene vena in sinistra sursum, ac deorsum, velut ab hepate; verum tenuior, & imbecillior. Cęterum in has venas etiam spiritus copiam inducimus: hę enim corporis nostri respirationes sunt, aerem in seipsas trahentes, & in reliquum corpus, ac venulas deriuantes, refrigerantque, ac rursus dimittunt: non enim possibile est spiritum stare, sed procedit sursum, ac deorsum. Si enim alicubi constiterit, ac interceptus fuerit; impotẽs redditur illa pars, vbi constiterit. Cuius rei signum hoc est: Quum enim desidenti, aut decumbati venulę compressę fuerint, vt spiritus à vena non discurrat; statim torpor occupat. Et de venis quidem reliquis sic habet.

7 At verò morbus ipse fit in pituitosis, in biliosis verò nõ. Incipit autem fieri in fœtu adhuc in vtero existente; purgatur enim, & floresçit cerebrum, velut etiam alię partes, prius quàm gignantur. In hac autem purgatione; si quidem probe, ac moderate purgatum fuerit, & neque plus, neq; minus, quàm oportet defluxerit; hic fœtus saniissimum caput habebit. Si autem amplior colliquatio à toto cerebro facta fuerit; morbosum caput augescens fœtus habebit, & sonitu splenum, & neque solem, neque frigus tolerabit. Si verò ab vna aliqua parte colliquatio contigerit, aut ab oculo, aut ab aure, aut vena aliqua simul gracilis facta fuerit; ille sic afficitur, qualiter sanè colliquatio contigerit. Si verò purgatio non contingat, sed in cerebro spissetur, ac cogatur; sic necesse est fœtus pituitosos esse. Et quibuscunque quidem pueris existentibus erumpũt vlcera in caput, & in aures, ac in reliquũ corpus, & qui saliuosi fiunt, ac mucosi, hi ipsi progressu ætatis facillime degunt: hic enim abit, ac purgatur pituita, quam in vtero purgari oportebat. & qui sic purgati fuerint, comitiali, siue sacro morbo ferè non apprehenduntur. Qui verò mundi sunt, & neque vlcus vllum, neque mucus, neque saliua vlla prodit, neque in vteris purgationem fecerũt; talibus periculum imminet, vt ab hoc morbo corripiãtur. Si porrò ad cor progressum fecerit defluxus; palpitatio apprehendit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur, aliqui verò etiam incurui fiũt: quum enim descenderit pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor perfrigerantur sanguis. Venæ autem violenter perfrigeratæ, ad pulmonẽ, & cor assiliunt, & cor palpitat, vt præ hac necessitate anhelationes incidant, & spiratio ceruice erecta: non enim spiritum suscipere potest, donec id, quòd influxit, à sanguine fuerit superatum, & calefactũ in venas fuerit diffusum. Deinde & palpitatio, & anhelatio sedatur, sedatur autem prout copia eius fuerit: si enim amplius influxerit tardius: sin minus; citius. Et, si quidem densiores, ac crebriores fuerint defluxus; crebrius comitiali morbo corripitur: sin minus; rarius. Hæc itaque perpetitur homo; si ad pulmonem, à cor fluxus processerit. Si verò in ventrẽ; profluuia alui apprehendunt. Si verò ab his vijs excluſus fuerit, & in venas, quas dixi defluxum fecerit, multus fit, & suffocatur, & spuma ex ore effluit, & dentes constringuntur, & manus conuelluntur, & oculi distorquentur, & nihil sapiũt, aliquibus etiam stercus inferne secedit. Atque hæc aliquando in siniſtra, aliquando in dextra, aliquando vtrinque.

8 Quomodo verò singula hæc perpetiatur, ego narrabo. Mutus quidem est, quum pituita derepente in venas delapsa, aerem excluserit, & nõ admiserit, neque in cerebrum, neque in venas cauas, neq; in ventriculos, sed occuparit respirationem: quũ enim accipit homo per os, & nares spiritum; primùm quidem ad cerebrum venit, deinde verò in ventriculum magna ex parte, pars etiam ad pulmonem, & pars ad venas. Ex his verò ad reliquas partes in venas dispergitur, & quantum quidem eius ad ventriculum venit, perfrigerat, & nihil aliud confert. Idem præstat & qui ad pulmonem venit. Qui verò ad venas peruenit aer, confert ad ventriculos ingressus, & ad cerebrum. Atque sic sapientiam, & motum membris exhibet. Quare vbi fuerit excluſus à venis aer præ pituita, eumque non susceperint; mutum, ac desipientẽ hominem reddunt. At verò manus impotentes fiunt, ac conuelluntur, sanguine quiescente, & dũ non diffunditur, velut solebat. Oculi quoque distorquentur aere à venis excluſo, & commouentur. Spuma verò ex ore prodit ex pulmone: quum enim spiritus nõ ingrediatur in ipsum; spumescit, & ebullit velut moriens. Stercus verò subit; dum violenter suffocatur. Suffocatur autem, hepate, & ventre sursum ad septum transuersum irruentibus, & stomaco ventris concluso. Irruũt autem, quum tantum spiritus in os

non

non ingreditur, quãtum ſolebat. Calcitrat autem pe dibus; quum aer in membris concluſus fuerit, & foras penetrare nõ poterit præ pituita: verum exiliens per ſanguinem ſurſum, ac deorſum, cõuulſionem, ac dolorem inducit, & propterea ſanè calcitrat. Porrò omnia hæc perpetitur; quum pituita frigida defluxerit in ſanguinẽ calidum exiſtẽtem: perfrigerat enim, & fiſtit ſanguinem. Et, ſi quidem fluxus multus fuerit, ac craſſus; ſtatim occidit: (Dominatur enim ſanguini per frigus, ipſumq; congelat.) ſi verò paucior fuerit; in prętens quidem dominatur, obturans reſpirationem: Deinde temporis progreſſu, quum diſperſus fuerit per venas, & ammixtus ſanguini, multo exiſtenti, ac calido, ſi ſic ſuperatus fuerit; venæ aerẽ ſuſcipiunt, atque ita ægri reſipiſcunt.

9 Et quicunque quidem pueri parui hoc morbo corripiuntur, vt plurimum moriuntur, ſi multus fluxus continuat, iſque humidus exiſtat: venæ enim tenues exiſtentes pituitam prę craſſitudine, ac multitudine ſuſcipere non poſſunt: ſed perfrigeratur, ac congelatur ſanguis, & ſic moriuntur. Si verò modica exiſtens pituita in vtraſque venas defluxum fecerit, aut in alterius partis; ſuperuiuũt, nota ex morbo impreſſa relicta: aut enim os conuellitur, aut oculus, aut ceruix, aut manus, vbicunque ſanè vena pituita repleta ſuperata fuerit, & gracilis reddita. Hanc itaq; venã neceſſe eſt debiliorem eſſe, & hãc corporis partem lęſam defectuoſiorem. Verùm ad lõgius tempus plerunque prodeſt: non enim amplius morbo apprehenditur, ſi ſemel notam impreſſam ſuſceperit. Quapropter neceſſario etiam reliquæ venæ affliguntur, ac partim ſimul gracileſcunt, vt aerem quidem ſuſcipiant, pituitæ autem defluxus non amplius ſimiliter illabatur. Debiliora tamen ſimiliter membra eſſe veriſimile eſt venis afflictis.

10 Quibuſcunq; autem imperfectis, & valde modica pituita defluxerit, & ea in dextras partes; hi citra notę impreſſionem ſuperuiuunt: verùm periculum eſt, ne morbus connutriatur, ac ſimul augeſcat ſi nõ his, quæ commoda ſunt, curentur. Pueris quidem igitur ſic fit hic morbus, aut quàm proxime huic modo. Seniores verò nõ occidit ſi accedat, neque diſtorquet: nam & venę ſunt cauæ, & ſanguine calido refertę. quapropter neque ſuperare poteſt pituita, neq; perfrigerare ſanguinem, ut congelet ipſum: ſed ipſa ſuperatur, ac ſanguini cito ammiſcetur: atque ſic venę aerem ſuſcipiunt, & ſapiẽtia contigit, ſignaq́ prędicta minus inuadũt propter fortitudinem. At verò antiquiſſimis ſi hic morbus accedat; propterea ipſos occidit, aut leuiter ſideratos facit, quia venæ ipſis ſunt euacuatæ, & ſanguis modicus eſt, ac tenuis, & aquoſus. Si igitur multum defluxerit, & hyemis tẽpus fuerit; occidit: ſuffocat enim reſpirationes, & sãguinem congelat; ſi in vtrãque partem defluxus fiat. Si verò in alteram tãtum; leuiter ſideratum facit: nõ enim poteſt ſanguis pituitam ſuperare; quum tenuis ſit frigidusq́, ac modicus, ſed ipſe ſuperatus congelatur, vt impotẽtes fiãt illæ partes, iuxta quas sãguis fuerit corruptus. Ad dextras autem magis defluit, quam ad ſiniſtras: quia venę ſunt cauiores, & plures quàm in ſiniſtris: ab hepate enim tendunt, & liene.

11 Defluit autẽ, & eliquatur pueris maxime, quibus ſanè caput fuerit percalefactum, ſiue à ſole, ſiue ab igne, ſiue etiam derepẽte inhorruerit cerebrum, etiã tunc pituita ſecernitur: eliquatur etenim per calorẽ, ac cerebri diffuſionem; ſegregatur autem à frigore, ac concretione, & ſic defluit. Et quibuſdam quidem defluxionis cauſa hæc eſt. Alijs verò etiam vbi derepente poſt aquilonares ventos auſter flare cœperit; compactum, ac debile cerebrum derepente ſoluit, ac laxat, vt pituita redũdet: & ſic defluxum facit. Defluit inſuper & ex ignoto timore, ſi quidẽ timuerint aut aliquo vociferante, aut inter plorandũ ſpiritum cito reuocare non potuerint. id quod pueris frequenter contingere ſolet. Quicquid ſanè horum ipſorum acciderit, ſtatim horret corpus, & æger mutus factus ſpiritum nõ trahit, ſed ſpiritus quieſcit, & cerebrum compingitur, & ſanguis conſiſtit, & ſic ſecernitur, ac defluit pituita. Et pueris quidem hæ ipſæ cauſſę sũt, vt ab initio à ſacro morbo corripiantur.

12 At verò ſenibus hyemis infeſtiſſima eſt: quum.n. ad multum ignem ſenex caput, & cerebrum per calfecerit, deinde in frigore verſatus fuerit, ac inhorruerit, & ex frigore ad temporem acceſſerit, & ad ignem deſederit; idem hoc patitur: ac ſic à morbo ſacro apprehenditur iuxta prædictum modum. Periculum verò multum eſt, vt & vere patiantur idem hoc; ſi caput fuerit inſolatum. Minime autem æſtate; nõ enim fiunt repentinæ mutationes.

13 Poſtquam verò viginti anni præterierint; non amplius hic morbus corripit, præterquam paucos, aut nullum, niſi ex puero connutritus fuerit: venę enim plenæ sũt, & cerebrum cõpactum eſt, & adſtrictum. quare non defluit in venas: ſi verò defluxerit ſanguinem non ſuperat multum, ac calidum exiſtentem. In quo verò à puero augmentum cepit, ac connutritus eſt, in eo per conſuetudinem facit, vt in mutationibus ventorum patiatur, & vt plurimum morbo ſacro corripiatur. præcipue auſtrali, ac humida aeris conſtitutione. Et liberatio difficulter contingit: cerebrum enim humidius quàm ex natura fit, & prę pituita inundat, vt defluxiones quidẽ frequentiores fiant, nõ autem amplius poſſibile ſit pituitam excerni, neque cerebrum reſiccari; ſed perrigatur, & humidum exiſtit. Cognouerit autem hoc ipſum quis & maxime ex ouibus hoc morbo correptis, & præſertim capris: hæ enim frequentiſſime corripiuntur. Si enim caput ipſarum diſſecueris; reperies cerebrum humidum eſſe, & ſudore refertum, ac male olẽs. Et in hoc nimirum cognoſces, quòd non Deus corpus affligit, ſed morbus. Sic verò ſe res habet etiam in homine. Quum enim ætatem adeptus fuerit morbus; nõ amplius curabilis eſt: cerebrum enim eroditur à pituita, ac colliquatur. Id verò, quod colliquatur, aqua fit, & foris cerebrum ambit, & circumalluit & propterea frequentius ac facilius à morbo hoc corripiuntur. Propterea verò diuturnis eſt morbus; quia id, quod influit venis, tenue eſt præ multitudine, & ſtatim ſuperatur à ſanguine, ac caleſcit.

14 Quicunque verò iam aſſueti ſunt morbo, præcognoſcunt ſe corripiendos, & ex hominum frequentia fugiũt, ſi domus ipſorum in propinquo fuerit; ad domum: ſint minus; in locum deſolatiſſimum, vbi quam pauciſſimi ipſos lapſos ſint viſuri, ſtatimq́ ſe obuelant, idq́ue faciunt præ pudore affectionis, non præ timore, velut multi putant, demonij. At verò pueri primum quidem cadunt vbicunq; tandem contigerit præ inaſſuetudine. Quum autẽ ſępius à morbo

bo corripiantur, postquam præsenserint; confugiunt ad matres aut ad alium maxime notum, præ timore, ac formidine affectionis; verecũdari enim pueri non dum sciunt.

15 Cæterum in mutationibus ventorum propterea morbo sacro corripi censeo, maxime quidem austrinis, postea verò etiam aquilonaribus, deinde etiam reliquis ventis: hi autem sunt qui fortissimi ex ipsis existunt, & inter se tum statione, tum viribus cõtrarijssimi. Etenim aquilo compingit aerem, & turbatum, ac nubilosum excernit, & illustriorem, ac pellucidum facit. Eodem modo etiam alij omnes venti ex mari, ac alijs aquis proficiscentes. Ex omnibus enim rebus, atque adeò ex ipsis hominibus humiditatem ac tenebrositatem excernunt. Quapropter saluberrimus omnium ventorum aquilo existit. Auster autem contraria huic operatur: primum enim incipit aerem compactum liquare, ac diffundere, quapropter etiam non statim magnus spirat, sed primũ lentus, ac lenis est; quoniam aerem statim superare non potest, qui prius densus est, & compactus, sed temporis progressu ipsum dissoluit. Idem porrò hoc etiam in terram operatur, & in mare, fluuiosque, ac fontes & puteos, & quæ ex terra nascuntur, & in quibus humor inest. Est autem in omni, in alio plus, in alio minus. Omnia autem hæc ventum hunc sentiunt, & ex splendidis tenebrosa fiunt, & ex frigidis calida, & ex siccis humida. Et quæcunque in domibus vasa iuxta terram sunt cum vino, aut alio quopiam liquore, ea omnia austrum sentiũt, & formam in aliam speciem transmutant. Solem verò, & lunam, ac sydera multo hebetiora, quàm ex natura sunt, reddit. Quum igitur etiam his, quæ adeò magna sunt, ac fortia intantum dominetur, & corpus sentire faciat, vt ex horum ventorum alterationibus transmutetur; necesse est ab austris quidem solui, ac humectari cerebrum, & venas laxiores reddi: ab aquilonis verò flatibus, quod saniſsimum est in cerebro compingi, quod verò morbosissimum, ac humidissimum est, excerni, & forinsecus circumalluere, atque sic defluxus in horũ ventorum mutationibus succedere. Hoc modo hic morbus fit, & floret, tum ab accedentibus, tum à decedentibus, & nullatenus difficilior aut cognitu, aut curatu est, quàm alij, neque etiam diuinior alijs.

Porrò expedit homines nosse, quòd ex nulla alia 16 nobis parte voluptates contingunt, & letitiæ, & risus, & lusus, quàm ex cerebro: itemque mœrores, & anxietates, tristitiæq; ac eiulatus, & querelæ. Et hoc sapimus maxime, ac intelligimus, & videmus, & audimus, & cognoscimus turpia, & honesta, mala, & bona, iucunda, & iniucunda, partim consuetudine discernentes, partim vtilitate percipientes. Eodem voluptates, & iniucunditates pro opportunitate dinoscimus, & non eadem nobis placent. Eodem & insanimus, & deliramus, & terrores, & timores nobis accedũt, partim noctu, partim interdiu, & insomnia, & errores intempestiui, & curę inanes, & vt non noscamus adstantes, & desuetudo, & inexperientia. Atque hæc omnia perpetimur à cerebro; quum sanum non fuerit: sed aut calidius, quàm ex natura fiat, aut frigidius, aut humidius, aut siccius, aut aliud quid perpetiatur prȩter naturam, & consuetudinẽ. Et insanimus quidem præ humiditate. quum enim humidius fuerit, quàm pro natura necesse est moueri. vbi verò mouetur affectio. necesse est neque visum quiescere, neque auditum, sed alias aliud videre, & audire, & linguam talia dicere, qualia semper, ac singulis vicibus viderit, ac audierit. Quanto vero tempore cerebrum quieuerit, tanto etiam homo sapit. Fit autem corruptio cerebri à pituita, & bile. Vtriusque cognitio sic contingit. Qui enim à pituita insaniunt, quieti sunt, & non vociferantur, neque tumultuantur. Qui verò à bile, vociferatores sũt, & malefici, & non quieti, semper aliquid intempestiuum facientes. Si quidem igitur assidue insaniũt; hæ ipsis sunt caussæ. Si uerò terrores; ac timores accedant; à cerebri transmutatione id cõtingit. transmutatur autẽ, dum calescit. calescit autem præ bile; vbi ad cerebrum impetũ fecerit ex corpore peruenas hæmatitidas, hoc est, sanguinarias appellatas: & timor adest, donec rursus redierit in venas, ac corpus, deinde quiescit. Angitur autẽ homo & inquietudine multa iactatur intempestiue, dum cerebrum perfrigeratur, & præter cõsuetudinem compingitur. Hoc verò à pituita perpetitur: ab hac autem affectione etiã obliuiosus euadit. Noctu verò clamat, & vociferatur; quum derepẽte cerebrum percalefiat. hoc autem perpetiuntur bilioſi: pituitoſi enim non percalefiunt. quum sanguis multus ad cerebrum peruenerit, & efferbuerit, venit autem per venas prædictas. Quum contigerit, vt homo videat insomnium horrendum, & in timore fuerit, etiam si vigilet; tunc magis facies igneſcit, & oculi rubeſcunt, quum timuerit, & mens meditatur aliquid mali operari, sic etiã in somno patitur. Vbi verò expergefactus fuerit, & resipuerit, atque sanguis rursus in venas prædictas dispersus fuerit; quiescit.

17 Et propterea iudicio cerebrum vim plurimam in homine habere. Hoc enim est nobis eorum, quæ ab aere fiunt, interpres; si sanum fuerit. Sapientiam autẽ ipsi exhibet aer. Oculi verò, & aures, & lingua, & manus, & pedes, qualia cerebrum statuit, ac cognoscit, talia subministrant: sapientia enim toti corpori contingit, prout aere participarit. Ad intelligentiam verò inter nuncius est cerebrum: quum enim homo spiritum in seipsum attaxerit; primùm quidem ad cerebrum peruenit, & sic ad reliquum corpus aer dispergitur, relinquens in cerebro suum ipsius vigorem, & quicquid prudens, ac sapientia prędituм fuerit: si.n. in corpus primum peruenirent, & posterius in cerebrum, relicta in carnibus, ac venis dinotione, ac iudicio, ad cerebrum calidus iam existens peruenirent, & non sincerus, ac purus, sed ammixto humore à carnibus, & sanguine, vt nõ amplius exacte sincerus esset. Quapropter dico cerebrum intelligentię, ac prudentiæ internuncium, ac interpretem esse.

18 Cæterùm præcordia aliàs fortuitum nomen apud Græcos per consuetudinem habent, quum phrenes à sapientia dicta videantur, reuera autem non, neque ex natura. Neque ego sanè noui, quam vim habeant præcordia, vt sapiant, & intelligant, præterquam si homo ex improuiso nimio gaudio perfundatur, aut tristitia afficiatur, tunc sanè exiliunt, & anxietatem exhibent præ tenuitate, & quòd distenta sunt maxime in corpore, & ventriculum non habent, ad quem suscipiant, aut bonum, aut malum allabens, sed ab vtrisque his turbantur, proprer naturæ debilitatem: nam nullo sanè prius sentiunt ex his, quę in corpore insunt, sed frustra hoc nomen, & causam habent:

quem-

quemadmodum quæ ad cor sitæ sunt, aures appellantur; quum nihil conferant ad auditum. Porrò dicunt quidam, quòd corde sapimus, & quòd hoc est, quod angitur, & quod curam gerit. Verùm hoc non ita se habet sed conuellitur quidem velut præcordia, & magis etiam propter easdem causas: Ex omni enim corpore venæ ad ipsum tendunt, & conclusiones habet, vt sentiat, si quis dolor, aut collectio homini contingat: necesse est enim & dum angitur, inhorrere corpus, ac distendi, & si quis nimio gaudio perfundatur; idem pati. Quapropter cor quidē, & præcordia maxime sentiunt; sapientia tamen minime participant, sed omnium horum cerebrum causa est. Quemadmodum igitur etiam prudentiam, ac aerem omnium primùm ex his quæ in corpore insunt percipit cerebrum; sic etiam si qua mutatio fortior in aere contingat, præ temporibus anni etiam ipsum à seipso diuersum redditur in aere: Etenim cerebrū propterea primùm sentit; quia etiam morbi in ipsum irruunt acutissimi, & maximi, ac præcipue lethales & qui difficilem iudicationem habent apud inexpertos. Hic verò morbus sacer appellatus, ex ijsdem causis oritur, à quibus etiam reliqui, ab accedentibus nimirum, ac decedentibus, velut frigore, sole, ventis, quę & transmutantur, & nunquam quiescunt. Hęc autē sunt diuina. Quare nequaquam hunc morbum ab alijs discriminare oportet, neque reliquis morbis diuiniorē putare; sed omnes piuinos, omnesque humanos. Naturam autem vnusquisque habet, & vim in seipso, & nullus nec auxilij, nec remedij expers est, & pleriq; his ipsis curantur, à quibus etiam nascuntur; alterum enim alterius nutrimentum est, alterius verò pernicies, ac afflictio. Hoc itaque Medicum nosse oportet, & temporis occasionem in singulis pernoscere, quòd alterum quidem per alimētum absoluet, & augebit: alterum verò detrahet, & minuet. Oportet autem tum in hoc morbo, tum in reliquis omnibus, non augere morbos, sed festinare, vt ipsos exteramus, id quod aduersissimum est morbo exhibēdo, non quod amicum, & familiare: à familiari enim, & consueto floret, ac augescit, ab aduerso verò & hosti li perit, & dissipatur. Quisquis autem talem mutationem in hominibus nouit, & humidum, ac siccum facere potest hominem, calidum item, ac frigidum per diætam, hic vtique & hunc morbum sanauerit; si oc casionem eorū, quæ conferunt pernoscet, citra expiamenta, ac incantationes, citraque omnem aliam huiuscemodi machinamentorum absurditatem.

HIPPOCRATIS COI
De Morbis Liber I.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *De ijs quæ Medicum in sanatione animaduertere decet.*
2 *Vnde morbi omnes hominibus fiant, & qui longi sint aut breues.*
3 *Qui ex vulneribus claudi fiant. Quæ vulnera mortalia. Morbi qui lethales, qui dubij, qui non lethales. Tenasmus quid. Siderati ab atra bile. Claudi à coxendicum morbo. Oculi & auditus vnde mutilentur. Morbi longi & morbi breues. A quibus morbis, ad quales transitus fiat. Quando & in quibus morbis, mala supra mala fiant, & quid temporum occasio. Rigori ardor igneus superuenit. Nerui dissectio, conuulsionem facit. Cerebrum concussum, quæ symptomata consequantur. Cerebrum saucitatum, quæ symptomata comitentur. Omentum elapsum putrefit. Sanguinis è vena aut vulneribus in supernum ventriculum fluxio.*
4 *Temporum occasiones multæ. Occasiones quæ repentinæ. Occasio. Occasionem fermè in omnibus alijs esse morbis. Quibus morbis aut vulneribus auxilia à medico adhibita, non prosint. Intempestiuitas in curandis morbis, quid.*
5 *De ijs quæ recte à medico circa sententiam & chirurgiam fiunt. Circa chirurgiam, quæ recte fiant. Quæ circa ea, quæ ægrotis offeruntur, sint obseruanda.*
6 *Casu ac sponte in morbis contingentia.*
7 *Quæ medici per fortuitum successum in curatione bona aut mala faciant. Mala supra mala in morbis aut vulneribus contingentia, medico non necessitati imputantur. Quæ partes dissectæ non coalescant.*
8 *Artis vniuersæ, sanandi morbos principium nullum esse.*
9 *Artis facilitas & promptitudo in quibus consistant.*
10 *De Suppuratorum signis. Pulmonis suppuratio, ex peripneumonia. Pulmonis suppuratio ex pituita de capite destillante. Pulmonis suppuratio à venula rupta. Qui ex hoc morbo superstites maneant, & qui non. Pulmonis suppuratio ex acuto venæ pulmonis tractis. Curatio. Venarum in latere affectio.*
11 *Suppurati superiore ventre quibus modis fiant. Suppuratorum superiore ventre ex pituita de capite curatio. Suppuratorum ex pleuritide curatio. Suppurati ex pituita ad latus agglutinata. Item præ labore aut exercitijs. Suppuratio ex pure, quando moram in ventre trahit.*
12 *Quomodo & à quibus causis ventre inferiore suppurati fiant. A pituita aut bile inter cutem & carnem coacernata. A conuulsionibus. Pus diffusum inferiori ventriculo non innasci. Terra figulina.*
13 *Quomodo Erysipelas in pulmone nascatur, & à quibus pulmo resiccetur. Signa erysipelatis in pulmone. Curatio.*
14 *Tuberculorum in pulmone generatio.*
15 *Tubercula in latere ab ijsdem causis, quibus in pulmone fiunt. Tubercula à laboribus.*
16 *Ruptiones quid & quomodo in carne fiant.*
17 *Quomodo tubercula in venis nascentia se habeant. Conuulsio-*

uulsiones à laboribus & lapsibus, &c.

18 *Quomodo suppuratio à vulnere, aut ex hasta, aut à pugione contingat. Parte externa sanata, interna verò non. Cicatrix intus debilis. Si quid amplius laborarit, & attenuatus fuerit, rursus exulceratur cicatrix.*

19 *Sanguis intro fluens ex crassarum venarum valnere, putrescit ac suppuratur. Ex venarum intus sauciatarum secunda ruptione mors.*

20 *In eiusmodi morborum aut vulnerum curatione, quæ circunstantiæ & differentiæ considerandæ. Seniores cur suppurationibus minus, aut non adeò fortibus obnoxij.*

21 *Cur in iunioribus sputi purgationes difficiliores, & febres acutiores & frequentiores fiant.*

22 *Febris à quibus generetur, & quando febris vocetur. Rigores vnde & quando vehementiores fiant: & quid rigor, & quomodo ab horrore differat: Pituitæ, Sanguinis & Bilis temperamenta. Homo sanguine densiore aut multis modis seipso frigidiore facto, moritur. Rigores necessario febres minores aut maiores consequuntur. Sudoris in febrientibus caussæ. Sudor cur quandoque calidus, quandoque frigidus. Sudores frigidi, longorum morborum, calidi verò, breuiorum signa.*

23 *De Pleuritidis generatione. Qui superstites maneant, & qui pereant. Iudicatorij eorundem dies. Doloris ad humeros & clauiculas in pleuritide caussa. Vena Splenitis & Hepatitis.*

24 *De Peripneumoniæ generatione. Quando superstites euadant, & quando non. Suppurati ex peripneumonia.*

25 *Peripneumoniæ & Pleuritidis sine sputo caussa eadē. Pleuritidis sine sputo, per venæ sectionem curatio.*

26 *Peripneumonia. Pulmo resiccatus, neque bilem, neque pituitam putrefacit, aut per sputum reddit. Peripneumoniæ sine sputo, curatio.*

27 *Febres ardentes quos potissimum & quomodo corripiant Febres ardentes, homines resiccando interimunt. Febre ardenti correpti, internis quidem partibus à febri exuruntur, externis autem sunt frigidi, Linguæ & faucium aridarum, febre ardenti laborantium caussa. Febre ardenti laborantis, cur primis diebus bilioſa vomant. Quomodo ex febri ardenti & pleuritide ad peripneumoniam fiat transmutatio. Bilis in vesicam confluens, vrinam crassam efficit. Alui egestio bilioſa.*

28 *De Phrenitidis generatione, & cur phrenitici ijs qui ab atra bile delirant sint similes. Sanguis maximam partem ad prudentiam confert.*

29 *Insania tanto minor sit, quanto paucior ac debilior est bilis quàm pituita. Sanguinis & puris subcruenti ac liuidi in peripneumonia, & pleuritide primis diebus sputum vnde.*

30 *Ex pleuritide, peripneumonia, & febre ardenti ac phrenitide, qui moriantur.*

1 QVi de sanatione recte inquirere velit percunctantique respondere & contradicere recte, eum hæc animaduertere oportet. Primùm quidem à quibus omnes morbi hominibus fiunt. Deinde verò qui morbi necessario, vbi facti fuerint, aut lōgi sunt, aut breues, aut lethales, aut nō lethales, aut aliquā corporis partē mutilet, aut non mutilent: & qui postquā orti sunt dubij sint, an mala ab ipsis euētura sunt, aut bona. Et à quibus morbis ad quales trāsitus fiat. Et quæ per fortuitum successum medici ægrotos curantes faciunt. Et quæ bona, aut mala ægrotantes in morbis perpetiuntur. Et quæ importune aut dūr, aut fiunt à medico ad ægrotū, aut ab ægroto ad medicū. Et quę exacte fiunt, ac dūr in arte. Et quæ recta. Et quod ipsius principium, aut finis, aut medium, aut aliud qd eiuscemodi demonstratum, quod recte habet, vt in ipsa sit, aut non sit. Et quæ parua, & magna, & multa, & pauca. Et quod omne in ipsa vnum est, & omnia quod vnum. Et quæ fieri possunt intelligereque, ac dicere: &, si opus sit; neque intelligere, neque dicere, neque facere. Et quòd facilitas in ipsa sit, & difficultas: quòd opportunitas, & quòd intempestiuitas; & quibus alijs artibus simils sit, & quibus nihil simile sit. Et de corpore, quod calidum sit, aut frigidum; aut siccum, aut humidum. Et quòd forte, aut debile, aut densum, aut rarum. Et quæ multa, pauca fiunt, aut in peius, aut in melius. Et quod honeste, aut turpiter; aut tarde, aut cito, aut recte, aut non recte. Et quòd malum supra malum fieri necesse est. Hæc animo versantem obseruare oportet in sermonibus, quantum quis ab his delinquat, aut in dicendo, aut percunctando, aut respondendo. Et an quæ multa sunt, pauca dicat, & an quæ impossibilia sunt, possibilia esse asserat. Et quicquid sanè etiam aliud dixerit, ac aberrarit, hac ratione obseruare oportet, & in contradictione aggredi, & impetere.

2 Morbi quidem igitur vniuersi fiunt ex his quidē, quæ in corpore insunt, tum à bile, tum à pituita. Ab externis verò, à laboribus, & vulneribus; sed & à calido, & supercalefaciente, & à frigido, ac superfrigefaciente, & ficco, ac superresiccante, & ab humido, ac superhumectante. Et bilis quidem, ac pituita vna cū nascentibus gignuntur, & sunt in corpore aut plus, aut minus. Morbos autem exhibent, partim à cibis, & potibus, partim à calido supercalefaciente, & à frigido superfrigefaciente.

3 Necessitatem autem talia habent, vt fiant hæc, quum ipsa fiūt, velut verbi causa. In vulneribus eos, qui crassos neruos sauciatos habent, necesse est claudos fieri. itemque si musculorum capita saucia sint, præsertim eorum, qui sunt in femoribus. Moritur autem, si qs cerebro sauciatus fuerit, aut spinali medulla, aut hepate, aut præcordij, siue septo transuerso, aut vesica, aut vena sanguiflua, aut corde. Non moritur autem vulneratus in his partibus, in quibus hæc membra non insunt; sed ab his longissime absunt. Ex morbis verò tales necessitatem habent, vt ab ipsis perimātur, quum fiāt, Tabes, Aqua inter cutem, ac subter carnem nascens, & si mulierem fœtum in vtero habentem peripneumonia, id est. pulmonis inflammatio corripiat, aut febris ardens, aut pleuritis siue lateris inflammatio, aut phrenitis, id est membranarū cerebri inflammatio, aut Erysipelas ignis sacer appellatus, in vtero fiat. Dubij autem morbi, ut & perdant, & non, tales sunt, peripneumonia, febris ardēs, phrenitis, pleuritis, angina, vua, hepatitis, splenitis, nephritis, dysenteria, in muliere fluxus sanguinolentus. Tales verò non lethales sunt, nisi quid ipsis accedat, affectiones fluidæ circa articulos, atra bilis,

lis,podagra, coxendicum morbus, tineſmus qui eſt voluntas egerendi ineuitabilis, quartana, tertiana, ſtrangulatus vrinæ, lippitudo, lepra,impetigo,morbus articularis. Multi autem frequenter ab his mutili fiunt,ſideranturq; manibus,ac pedibus, & linguę impotentes redduntur. Et ab atra bile quidam leuiter ſiderantur. Claudi verò à coxendicum morbo fiunt. Oculi autē,& auditus mutilātur à pituita obſirmata. Longos autem neceſſe eſt eſſe, tabem,dyſenteriam, podagram, affectiones fluidas circa articulos,pituitam albam, coxendicū morbum,vrinæ ſtrāgulatum, in ſenioribus verò nephritim : mulieribus verò fluxum ſanguinolentum,hæmorrhoidas ani,fiſtulas. At verò febris ardens,phrenitis,peripneumonia,angina,vua,pleuritis,cito decernunt. Tranſitus autem fit in his, ex pleuritide in febrem ardentem, ex phrenitide in peripneumoniam. Verùm ex peripneumonia febris ardens non fit, ad dyſenteriam tineſmus tranſit,& à dyſenteria lienteria ſiue lęuitas inteſtinorum,ſequitur: ex lienteria in aquam intercutē tranſitus fit,& ex pituita alba in aquam inter cutem, & ex peripneumonia, ac pleuritide in pectoris ſuppurationem. Mala porrò ſupra mala fieri neceſſe eſt: velut ſi rigor corripuerit,ardor igneus ſuperuenit. Et ſi neruus diſſectus fuerit,conuulſionem facit, & ut diſſectus neque coaleſcat, & fortiter inflammetur. Et,ſi cerebrū concuſſum fuerit,ac doluerit eius, qui percuſſus ſit;neceſſe eſt eueſtigio mutum fieri,& neq; videre,neque audire. Si verò ſauciatum fuerit; febrem neceſſe eſt ſuperuenire, & bilis vomitum,& aliquam corporis partem ſideratam fieri, ac perire. Si verò omentum exciderit;neceſſe eſt putrefieri. Et ſi ſanguis ex vulnere, aut vena effluxerit in ſupernū ventriculum;neceſſe eſt ipſum in pus conuerti.

4 Temporum autem occaſiones, vt in ſumma dicā, multæ ſunt,& variæ in arte, quemadmodum etiam morbi,& affectiones,& horum curationes. Maximè verò repētinæ ſunt in his quibus animo defectis opitulari oportet,& qui neque vrinā,neque ſtercus egerere poſſunt,& qui ſuffocantur, & ſi mulierem patiētem, aut ſauciatam liberare oportet, & quæcunque eiuſcemodi. Et hæ quidē occaſiones repentinę ſunt, & paulò poſterius non ſufficiunt. plerique enim paulò poſterius pereūt. Occaſio verò eſt,ſi horū aliquid perpetiatur homo,& quis antequam animam efflet, opituletur, hoc totum ex occaſione opitulatur. Eſt quidem igitur fermè hęc occaſio etiam in omnibus alijs morbis. Semper enim in quocunque ſanè quis opituletur tempore, ex occaſione opitulatur. Quicūque verò morbi,aut vulnera non ad mortem tendūt ſed periculoſi ſunt, doloresque in ipſis fiunt,verùm poſſibile eſt, ut ceſſent; ſi quis recte medeatur; his ſanè non proſunt auxilia à medico adhibita, quum adhibeantur: nam & nō præſente medico vtique ceſſaſſent. Alij verò morbi ſunt, quibus occaſio eſt,vt curentur matutina diei hora, nihil autem refert, an valde mane, aut paulò poſterius. Alij morbi ſunt, quibus occaſio eſt, vt ſemel in die curentur, nec refert,quo tempore id fiat. Alij per tertium, aut quartum diem curantur,& alij ſemel per menſem,& alij per tertium menſem, nec refert, an id ipſum tertij augmento, uel fine fiat. Tales itaque occaſiones ſunt in quibus non aliam, quàm hanc certitudinem habent. Intempeſtiuitas autem hæc eſt, ſi quæ mane curari oportebat,in meridie curentur. Propterea verò intempeſtiue curantur; quia inclinationem ad peius habent,propter curationem non in tempore factam. Quæcunque etiam citius,ſiue in meridie,ſiue veſperi,ſiue noctu curentur, intempeſtiuę curantur: & ſi vere curari oporteat; curentur autem hyeme: aut,ſi hyeme oporteat;curentur autem æſtate: aut,ſi quod iam curari oportet; id ipſum differatur: aut quod differre oportet,id ipſum iā curetur: talia omnia intempeſtiue curantur.

5 Recte porrò,& non recte in ipſa hæc fiunt. Non recte quidem fit,ſi morbum alium exiſtentem,alium eſſe pronuncies, & magnum exiſtentem,paruum dicas,& viciſſim paruum,magnum:& ſi ſuperuicturū; non ſuperuicturum pronuncies, & periturum nō periturum. Et ſi ſuppuratum exiſtentē non cognoſcas, nec morbum magnum in corpore nutriri cognoſcas: & ſi medicamēto,aut potione quis opus habeat,quo ipſi opus ſit non cognoſcas:&,ſi quæ ſanari poſſunt, non ſanes,& quæ ſanatu impoſſibilia ſunt,te ſanaturum recipias. Atque hæc quidem circa ſententiam non recte fiunt. Circa chirurgiam verò hæc. Pus in vlcere,aut tuberculo exiſtens non cognoſcere:& fracturas,ac luxationes non cognoſcere, & ſpecillo admoto ad caput non cognoſcere,an os fractum ſit:& fiſtulam in veſicam immiſſam demittere non poſſe, & lapidē in veſica exiſtētem non cognoſcere:& ſuppuratum exiſtentem ex concuſione non dinoſcere, & ſecando,aut vrendo,aut à profunditate,aut à longitudine aberrare:aut vrere,& ſecare,quę non oportet. Et hæc quidem non recte. Recte autē fiunt hæc. Morbos cognoſcere qui ſint,& à quibus, & qui ipſorum longi,& breues,& lethales, & non lethales,& qui tranſmutantur,& qui augeſcunt,& qui minuuntur,& qui magni,quique parui;& dum curas poſſibiles quidem curare, impoſſibiles verò ſcire,cur curatu ſint impoſſibiles : &, dum curas eos, qui tales habent, per curationem quantū poſſibile eſt opitulari. Quæ verò offeruntur ægrotis,ea ſic obſeruare oportet,rectene,an ſecus fiant: veluti,ſi quis quæ ſiccare oportet; humectet : aut,ſi craſſefacere oporteat,non exhibeat,à quibus craſſitudo inducitur:aut,ſi quæ attenuare oportet;non attenuet : quæ frigefacere,non frigefaciat : quæ calfacere, non calfaciat : quæ putrefacere, non putrefaciat, & reliqua iuxta eandem rationem.

6 Talia autem ſua ſpōte, ac caſu hominibus in morbis fiunt,tum bona,tum mala. Febrīēti,ac bilioſo, in tempore foras diſperſa bilis, bonum : diffuſa verò, ac diſperſa ſub cutem, toleratu leuior eſt habenti, & curatu facilior ſananti,diffuſa autem, ac diſperſa,& ad vnam aliquam corporis partem allapſa,malum. Aluus turbata in pleuritico,aut peripneumonico,aut ſuppurato,malum. Febrienti,aut vulnerato aluus reſiccata,malum. Subaquoſo,ac lienoſo ab alba pituita detento, aluus fortiter turbata, bonum. Eryſipelas ſi extra diffuſum intro vertatur; malum: ſi verò intra diffuſum foras vertatur;bonum. A profluuio alui forti correpto,vomitus ſuperueniens, bonum. Mulieri ſanguinem vomēti menſes erumpere, bonum. Afluxione verò infeſtatæ,ad nares,aut os fluxionem tranſire,bonum. Mulieri à conuulſione preſſæ ex partu,febrem ſuperuenire,bonum. Et tetano, ac conuulſione occupante,igneum ardorem ſuperue

uenire,

dente, bonum: talia enim per nullam medicorum ignorantiam, aut scientiam, fiunt, & non fiunt; sed sua sponte, ac fortuito casu contingentia, & prosunt, & nocent, iuxta eandem rationem.

7 Cæterùm Medici talia per fortuitum successum bona in curatione faciunt, nimirum si medicamẽto sursum purgante dato; & sursum, & daorsum probe purgant. Et si mulieri medicamento dato, quod bilem, aut pituitam deorsum purgat; menses alias non fluentes erumpant. Et si lienem suppuratum habenti medicamentum dederint, quod bilẽ, ac pituitam deorsum purget, & sic pus deorsum à liene expurgent, & à morbo liberent. Et, si medicamento exhibito calculoso; calculum in urinarium meatũ præ pharmaci uiolentia protrudant, ut per urinam eijcia tur. Et, si medicamentum dederint quod pituitã sursum purgat, ei, qui pus in supertore uentriculo in tuberculo habet, non scientes, quòd habet, isque pus uomat, ac sanus fiat. Et si eum, qui ex medicamento sursum purgante superpurgat; sua sponte aluo sub ter erumpente, à uomitu sanum facian. At uerò mala operantur. Medici præ infortunio hęc. Si pharmaco bilis, aut pituitę sursum ductiuo dato; uenã in pectore præ vomitu rumpant ei, qui prius nullũ manifestum dolorem in pectore habuit, atque sic fiat mor bus. Et si mulieri in utero habenti medicamẽtum superne purgans exhibeant; aluus autem inferne erum pens fœtum expellat. Et qui suppuratum curat, si aluus profluat fiat; ipsum perdit: & qui oculos curat, ac sublinit, si dolores incidant acutiores, & si ita con tingat, rumpantur oculi, & destruantur; accusant me dicum quòd oculos subleuit. Et, si puerperæ in ventris dolore medicus aliquid det, & male habeat, aut pereat; medicus in culpa est. Fermè autem quęcunque necessitatem habent, vt fiant in morbis, ac vulneribus mala supra mala, ea ubi fiunt; in medicũ culpam reiiciunt, & necessitatem talia fieri cogentem non agnoscunt. Et, si febricitantem, aut vulnus habentem ingressus, admotis quàm primum remedijs non opituletur, sed postera die æger peius habeat; medicũ accusant; si verò opituletur: nõ ęqualiter laudãt: oportere enim ipsum perpeti putant, vlceraque inflammari, & in morbis quibusdã dolores fieri oportere, neque tales esse, vt ne fiant. Neruus prȩcisus, ac dissectus non coalescit, neque vesica, neque aliquod extenuibus intestinis, neque vena sanguiflua, neque tenuis genæ pars, neque pudendi pellicula.

8 Porrò principium sanationis demonstratum quidem non est, quod sanè recte principium sit vniuersæ artis, neque secundum aliquod, neque medium, neque finis. Sed incipimus ab ea aliquando dicẽtes, aliquando operantes, & definimus eodem modo. Et neque dicẽtes ex ijsdem sermonibus incipimus, neque si de ijsdẽ dicamus, neque in ijsdem desinimus, & operantes iuxta eandẽ rõnem, neq; ex ijsdem operibus incipimus, neque in ijsdem desinimus.

9 At verò facilitas, ac promptitudo in his est. Quum quis secans, aut vrens, neque neruum secet, neque venam: & si suppuratum urat; pus consequatur: &, si secet; eodem modo; & fracturas recte componere: &, si qua pars corporis ex natura excidat; ut ipsam recte ad naturam retrudat: item apprehendere fortiter ea, quæ oportet, & apprehendendo premere: & apprehendere leniter ea, quæ oportet, & apprehendendo non premere: & in obligando tuortuosa non facere ex rectis, neque premere quæ non oportet, & in contactu vbicunque tandem contigerit, dolorem ex superfluo non exhibere. Hæc quidem igitur facilitatis, ac promptitudinis existunt. At verò digitis decenter attingere, aut probe, aut non probe, aut longis, aut breuibus, aut probe deligare omnes deligaturas, non ad artem pertinere iudicatur de facilitate, ac promptitudine; sed seorsim.

10 Quicunque suppurati fiunt pulmone, aut superiore, vel inferiore ventre, aut tubercula habent, siue in superiore ventre siue inferiore, aut in pulmone, aut vlcera intrinsecus, aut sanguinem vomunt, aut spuunt, aut dolorem aliquem habent vel in pectore, vel in dorso; hæc omnia habent ex his quidem, quæ in corpore insunt, à bile & pituita: ab externis verò ab aere insito calori ammixto: sed & à laboribus, ac vulneribus. Et quicunque quidem pulmone suppurati fiunt, ab his fiunt. Si peripneumonia correptus in iudicatorijs diebus non purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum, ac pituita; suppuratus fit. Et, si quidem statim curatus fuerit; vt plurimum effugit: si verò neglecta fuerint illa in pulmone: corrumpitur, illis & inhærentibus, & putrescentibus vlceraturque pulmo, & suppuratus fit, & non amplius intro ad seipsum nutrimentum memorabile trahit, neq; quicquam depurgatur ab eo sursum; sed suffocatur, & semper amplius difficulter spirat, & respirando stertit, & respirat illinc sursum ex pectore, tandem verò obturatur a sputo, & moritur. Fit autem & suppuratus, si pituita ex capite ad pulmonem destillet: & primum quidem vt plurimum latenter defluit, tussimque tenuem exhibet, & sputum paulo amarius solito, & aliquando tenuis adest calor. Temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus exulceratur à pituita inhærente ac putrescente: & grauitatem exhibet pectori, & dolorem acutum ante, & retro, caloresque acutiores in corpus incidunt, & pulmo à calore trahit ad se pituitam ex toto corpore, & maxime ex capite: Caput verò calefactum ex corpore, & hanc putrescentem subcrassam spuit. Quantò verò magis tempus progreditur, tantò magis pus sincerum spuit, & febres acutiores fiunt, & tussis frequens, ac fortis, & inedia vexat, & tandem aluus inferne turbatur. Turbatur autem à pituita, pituita verò de capite descendit. Hic quum ad hoc peruenerit, perit, quemadmodum dictum est in superioribus, purulento, ac putrido pulmone facto, aut ventre infra erumpente. Fit præterea & ab his pulmo suppuratus. Quum venula videlicet aliqua in ipso fuerit rupta, (rumpitur autem à laboribus:) & vbi rupta fuerit: sanguinẽ fundit, si quidem crassior fuerit; amplius; sin tenuior, minus. & sanguinem quidem ipsum partim confestim spuit, partim verò nisi vena adstringatur, in pulmonem funditur, & in ipso putrescit; &, vbi putrefactus fuerit, pus facit, progressu verò temporis aliquãdo pus sincerum, aliquando pus subcruentum, aliquando sanguinem. & , si magis repleta fuerit vena; ipsam sanguinis copiã aceruatim à seipsa reuomit, spuiturque pus crassum ab accessoria, & intus putrescente pituita. Hic si anticipetur incipiente morbo, priusquam uena sanguinem fundat, ac fortiter laxetur, & priusquam attenuetur, & in lecto decumbat, & caput corrumpi

incipiat, & reliquum corpus colliquari; superstes ab hoc morbo euadit. Si verò neglectus fuerit; & hæc occuparint, vt ea perpetiatur, aut omnia, aut plurima; perit. perit autem hic aut ex ijsdem, quæ superius dixi, aut à vomitu, sãguine multo multoties per vomitum reiecto. Si verò vena omnino quidem rupta non fuerit, verùm acutus tractus in ipsa fiat, sit autem maxime velut varix, qui etiam statim vbi factus fuerit, dolorem quendam tenuẽ inducit, ac tussim aridam. Si verò diu durauerit, & neglectus fuerit; primum quidem sanguinem modicum, ac subnigrum dimittit, ac reijcit: deinde verò adhuc copiosiorẽ, & sinceriſſimum, deinde pus, patiturque quæcunque in superioribus dicta sunt. Conducit autẽ talibus, si ab initio curãdos suscipias; vt & venæ de manibus sanguinem emittant, & diæta, è qua quàm sic ciſſimus, & exanguiſſimus fiat. Eodem porrò modo etiam venæ in latere afficiuntur, quæ intus in superficie sitæ sunt. Quũ igitur affectæ fuerint, varicosęq; factæ, & intus eleuatæ, & neglectæ fuerint; hæc perpetiuntur. Erumpunt, & spuunt à se sanguinem, & aliquando etiam vomunt, & supporati fiũt, & vt plurimum pereunt. Si verò curentur incipiente morbo; rursus in loco venæ consident ad latus, humilesque fiunt. Et pulmo quidem ab his suppuratus redditur, & ab ipso etiam talia perpetiuntur, & sic moriuntur.

11 Cæterùm superiore ventre suppurati multipliciter fiunt: nam, quum pituita de capite copiosa, & aceruatim in superiorem ventrẽ fluxerit; putrescit, & in pus vertitur. Putrescit autem maxime in diebus viginti vna. Hoc igitur pus concutitur, & intus fluctuat ad latera allabens. Hic si vratur, aut secetur priusquam diuturnum fiat pus; sanus plerunque euadit. Fiunt autem & superiore ventre suppurati ex pleuritide, quum fortis fuerit, & in iudicatorijs diebus neque putruit, neque sputo reiecta est; sed latus exulceratum fuerit à pituita affixa, & bile: &, quum vlcus factum fuerit; reddit de se pus, & ex vicinis locis prę caliditate in seipsum pituitam adducit, & hęc vbi compatruit; pus spuitur. Aliquando verò etiam ex venis sanguis se in vlcus ingerit, & putrefactus pus fit. Hic si eueſtigio assumatur: sanus plerunque fit: si verò negligatur; perit. Fiunt præterea suppurati etiam; si pituita de capite delapsa, ad latus adglutinata fuerit, & putruerit; tũc enim latus vt plurimũ inflammatur, & patitur eadẽ, quæ ex pleuritide suppuratus. Fiũt & quum præ labore, aut exercitijs, aut alio quopiã modo, vena ante, aut retro fuerit rupta, & sic rupta, vt non statim spuatur sanguis; sed in carne acutus tractus, siue varix fiat; & caro tracta, ac cõuulsa humiditatẽ modicam traxerit, & subluuida facta fuerit: & statim quidem sic affectus non percipit præ robore, ac bona habitudine, aut si etiam sentit; nihil molesti esse putat. Hic vbi deprehẽderit, quum iam præ febribus, aut potu, aut venere, aut aliqua alia re correptus fuerit attenuatus; caro sauciata sub reſiccatur, & subcalescit, & humiditatem in seipsam à vicinis tum uenis, tum carnibus trahit. Vbi autem attraxerit; intumescit, & inflammatur, & dolorẽ exhibet tenuem, & tussim raram, & siccam primùm. Deinde adhuc magis trahit in seipsam, & dolorem induceit vehementiorem, & tussim frequentiorem. Et primum quidem subpurulentum spuit: aliquando verò luidum, & subcruentum. Et quantò magis tempus progreditur, amplius in seipsam trahit, ac putrefacit & de ipsa carne quantum ab initio liuidum erat, hoc pus fit, & dolorem acutum exhibet, & febrem, & tussim multam, ac frequentem, & per sputum sincerum pus expuit. Si verò pus in ventre moram traxerit; totum corpus ab ipso calescit, maxime uerò uicinissimæ partes. Calescente autem corpore, humiditas maxime eliquatur. Et quæ quidem à supernis partibus eliquatur, in supernum vẽtriculum maxime confluit, & pus fit, ad hoc quod iam in ipso est. Pars uerò eius etiam in infernum ventriculum fluit, & quandoque aluus ab ipsa turbatur, & hominem perimit: nam cibi ingesti secedunt in concocti, & alimentum ab ipsis corpori non accedit. Et sputi sursum purgatio non ęqualis contingit, aluo nimirum calefacta, & omnia deorsum trahente in seipsam. Et à sputo quidem suffocatur, & stertit, dum non purgatur: à uentre uerò fluente debilitatur, & plerunque perimitur In huiusmodi autem morbis hunc fluxum maxime exhibet caput, utpote quod cauum est, & superne situm: quum enim ab aluo fuerit calefactum: tenuissimam pituitam de corpore in seipsum trahit. Vbi uerò hæc in ipso fuerit collecta, reddit rursum aceruatam, & crassam, uelut dictum est: & pars quidem ipsius in supernum uentriculum defluit: pars uerò in infernum. Quum igitur caput fluere inceperit, & reliquum corpus colliquari; non amplius ęqualiter, ne usti quidem, superstites euadunt: superant enim supra pus influentia mala, ea quę defluunt: & carnes liquescunt magis à malis, quàm nutriuntur ab ingestis. Qui uerò huiusmodi morbos habent, partim ab his breui pereunt, partim diutius tempus extrahunt: differt enim corpus à corpore, & ætas ab ætate, & affectio ab affectione, & tempus à tempore, in quo ægrotarint: & aliqui maiorem tolerãtiam in morbis habent, alij omnino ad tolerandum impotentes sunt. Proinde certitudo exacta temporis, in quo pereunt non est, an longum, aut breue futurum sit: neque. n. hoc tempus certum est, quod quidam definiunt: & plerunque neque hoc ipsum suppurat: differt enim & annus ab anno, & tempus à tempore. At si quis de ipsis rectè cognoscere, ac dicere velit; is cognoscet omni tempore, & perire, & superstites euadere, & pati quæcunque tandem patiantur.

12 Cæterùm inferno ventriculo suppurati fiunt, maximè quidem quum pituita, aut bilis aceruata inter carnem, & cutem collecta fuerit. Fiunt autem & à conuulsionibus; quum venula conuulsa rupta fuerit, sanguis effusus putrescit, & suppuratur. Si verò caro conuulsa fuerit, aut contusa; sanguinẽ ex venis sibiipsi propinquis trahit, atque hic putrescit, ac suppuratur. His si quidem foras de se significationẽ prębuerit, & eruperit pus; sani fiunt: si verò sua spõte intro proruperit; pereunt. At verò diffusum pus in ventriculo inferno, veluti in superno dictum est, generari haud quaquam poterit, sed velut à me dictum est, in tunicis, & in tuberculis innascitur. Et si quidem intro notas habuerit; cognitu difficile est: neque enim ex concussione cognoscere licet. Cognoscitur autem maxime ex dolore, ubi fuerit, & si terram figulinam, aut aliud quid huiuscemodi impo fuerit; breui id reſiccat.

13 Erysipelas aũt in pulmone fit: vbi pulmo fuerit ni mirũ reſiccatus, id & contingit ab ardore, & à febri-

bus,

bus,& à labore,ac intemperie. Et quum superreficcatus fuerit; plurimum sanguinis in seipsum trahit, maxime quidem,& plurimum ex magnis venis: hæ enim ipsi viciniſſimę sunt,ac ipsi incumbunt. Trahit etiam ex alijs vicinis. Et tenuiſſimum, ac debiliſſimum trahit. Postquam autem traxit; febris ex ipso fit acuta,& tussis sicca, & repletio in pectoribus, & dolor acutus in anterioribus, ac posterioribus partibus. maximà circa spinam: nimirum magni venis per calefactis, & vomunt aliquando subcruentum, aliquando liuidum. Vomunt item pituitam, & bilem, & frequenter animo linquuntur, propter sanguinis transmutationem derepente contingentem: atque hoc maximum signum est Erysipelatis in pulmone generati,& si assidua febris inuasio contigerit. Huic siquidem duobus,aut tribus,aut quatuor ad summũ diebus,id quod intus est diffusum fuerit, ac transierit foras; plerunque sanus euadit. Si verò non diffundatur,ac foras trãseat, intus putrescit,& suppuratus fit,ac perit. Perit autem breui, vtpote pulmone toto suppurato,ac putrido. Si verò foras diffusum, intro vertatur, & pulmonem corripiat; huic nulla vitæ spes reliqua est: quum enim antea reficcatus pulmo traxerit in seipsum; non amplius dimittit,sed statim ab ardore,& siccitate,nihil amplius suscipit, neque quicquam sursum distribuit,sed corrumpit.

14 Tuberculum in pulmone fit hoc modo, quum pituita,aut bilis coacta putrescit. Et quandiu quidem adhuc crudius fuerit; dolorem exilem, ac tussim siccam inducit. Postquã aũt maturum factum fuerit;dolor & ante, & retro acutus fit, & calores corripiunt, ac tussis vehemens. Et si quidem quàm citiſſime maturuerit,& eruperit,& pus sursum vertatur, ac totũ expuatur,& ventriculus,in quo fuerat pus,contrahatur,ac reficcetur: penitus sanus euadet. Si verò ruptum quidẽ fuerit quàm celerrime, & maturatũ, ac repurgatum,verùm penitus reficcari nõ poterit,sed ipsum turberculũ à seipso pus produxerit, & à capite sanà tunc, itemque reliquo corpore pituita ad tuberculum defluens putrescit, & pus fit,ac expuitur, per quod homo perimitur. Perimitur autem à venter fluente,ab his quæ antea relata sunt:& loquente ipso,ac intelligente omnes res, æque vt in priori tẽpore,reficcatur, ac perfrigeratur: conniuentque venæ in corpore omnes, vtpote sanguine ex ipsis à febre exusto:quandoque verò etiam præ temporis longitudine,ac morbi magnitudine,tum malorũ iã prę sentium,tum eorum,quæ insuper accedunt. Quòd, si multo tempore rumpi non possit,neque sua sponte neque è medicamentis;consumitur debilitatus à doloribus vehementibus,& inedia,& tussi,& febribus, & vt plurimum perimitur. Si uerò iam attenuato,& in lectum reclinato,pus eruperit;neque sic valde reualescunt,sed tali modo perimuntur. At si eruperit quidem quàm celerime, & maturuerit, maturatum autem multà sui parte ad septum transuersum effundatur;statim quidem melius habere sibi videtur: Verùm progressu temporis si quidem totum per sputũ reiecerit,& ventriculus,in quo pus inerat,consi dat, ac reficcetur; sanus euadit. Si verò & tempus lõgius protrahatur,& ipse debilior fiat,& per sputum reijcere nequeat,sed vstus fuerit,aut sectus,& pus exeat; statim quidem & sic melius habere sibi videtur, verum tempore procedente perimitur ab iisdem quæ prius relata sunt.

15 Porrò in latere fiunt tubercula & à pituita,& bile eadem ratione,qua in pulmonè. Fiunt etiam à laboribus, quum vena aliqua tracta rupta fuerit; non tamen penitus rupta, sed ita vt acutus tractus in ipsa factus sit. Si quidem igitur rupta fuerit, statim sanguis è vena effusius putrescit & suppuratur. Si verò acutus tractus in vena fiat; principio quidem dolorem exhibet, ac pulsat: progressu verò temporis distribuit vena sanguinem in carnem,atque hic in carne putrescens, pus fit. Eodem modo & caro,si quidẽ magis doluerit, & sanguinis plus in seipsam trahit ex viciniſſimis venis;& statim suppuratur:si verò minus doluerit; tardius & trahit,& suppuratur.

16 Quibusdam autem quum debiles facti fuerint tractus,siue vulsuræ in carnibus,aut venis,nõ suppuratur; sed fiunt dolores diuturni, & vocantur Ruptiones. Et quæ quidem in carne fiunt, hoc modo fiũt: Quum caro afflicta fuerit, aut conuulsa, aut percussa, aut aliud quid perpessa; liuida velut antea dixi, fit, non sincero sanguine, sed tenui, & aquoso, coque modico; Quum autem plus solito fuerit reficcata, percalescit, & dolorem exhibet, & à venis, ac carnibus vicinis humiditatem in seipsam trahit. &,vbi nimium fuerit humectata,atque ea ipsa humiditas vbi à carne fuerit super calefacta; per totum corpus dispergitur, qualis est attracta; magis tamen in venas dispergitur, quàm in carnes: venæ enim magis trahunt,quàm carnes. Trahunt tamen etiam carnes. Quando verò ad multam in corpore humiditatem, modica de carne attracta fuerit; obscura iam fit, & doloris exors, & pro morbida cum tempore sana euadit. Si verò caro magis fuerit percalefacta,& ampliorem humiditatem traxerit; dolorem exhibet: & ad quancunque corporis partem ab ipsa processerit, ac firmata fuerit, dolorem inducit acutum,& aliqui putant ipsis ruptionem transmutatam esse, verùm hoc fieri non potest. Propinquissima verò vlceri sunt quæcunque talia, & alia. At humiditas de carne exilit per venas. quum autem percalefacta,& crassa,& copiosa facta fuerit: dolorem exhibet, donec similis fiat reliquæ humiditati in tenuitate, ac frigiditate.

17 Quæcunque verò in venis fiunt,sic habent. Ipsa quidem vena inquantum tracta est, in loco manet. Quum autem tracta fuerit (trahitur autem, ac conuellitur a labore,& violentia)fit veluti uarix. Percascit autem,& trahit in seipsam,liquidam quandã humiditatem,quæ est à bile, ac pituita. Et, vbi mixta fuerint sanguis,& humiditas de carne; crassescit sanguis, & multipliciter ipse seipso,ea parte, qua vena conuulsa est, & morbosior fit, & amplius stabilior. Et quũ copiosior factus fuerit;plenitudo ipsa trãsmigrat, quocũque tandẽ contigerit,& dolorem inducit acutum,ut aliquibus videatur ruptio locum permutasse. Etsi contigerit, vt ad humerum transferatur,& grauitatem in manu inducit, & torporem, ac segniciem. Et si quidem ad venam proruperit, aut ad humerum, & dorsum tendat; dolor plerunque statim quiescit. Fiunt porrò conuulsiones & à lobaribus,& lapsibus, & à plaga, & si quis onus maius leuet, & à cursibus,& lucta,& eiusmodi omnibus.

18 Quicunque verò à vulneribus suppurati fiunt, aut ex hasta, aut pugione, aut iaculo, intro sauciati

fuerint, quandiu quidem habuerit vlcus respirationem foras per antiquum vulnus, & hac parte frigidum in seipsum adducit, & calidum à seipso hac parte emittit; & sanè facile tum pus, tũ si quid est aliud expurgatur. Et siquidem & interna, & externa pars simul fuerint sanatæ: sanus penitus homo euadit. Si verò externa quidem sanata fuerit, interna verò nõ; suppuratus fit. Et si etiam sanatæ simul sint interna, ac externa pars, cicatrix autem intus debilis fiat, & aspera, ac liuida; reulceratur quandoque, atque sic suppuratus fit. Rursus exulceratur etiam; si quid amplius laborarit, & si attenuatus fuerit, & si pituita, aut bilis ad cicatricem affixa fuerit, & si alio morbo correptus attenuatus fuerit. Vbi verò vlcus factum fuerit, siue hoc modo, siue vbi externa pars priusquã interna coaluit; dolorem acutum inducit, & tussim & febrem: & frigiditatem ipsum sibiipsi vlcus inducit; eo quòd amplius calidũ existat: & ipsum à seipso caliditatem efflat, & pus expurgatur, & per longius tempus curatur, & tardius sanescit. Quandoque verò neque sanescit; nam caro, & vlcus ab ardore, qui est in corpore coquitur, & nimium humectatur, vt non possit neque siccari, neque carnem producere, neque sanari. Sed cum temporis progressu moritur patiens talia, quæ etiam prius dicta sunt.

19 At, si contingat, vt crassarum venarum aliqua saucietur, & sanguis intro fluat, ac putrescat; suppuratus fit. Et si quidem hoc pus totum per sputum reiectum fuerit, & vena sauciata coaluerit, & vlcus intus, ac foris sanatum fuerit; penitus sanus euadit. Si verò neque vlcus intus coalescere poterit, neque vena constringatur; sed aliàs, atque aliàs sanguinem remittat, & si statim vomatur, & spuatur, aut etiam putrescat, & pus expuatur, plerumque perimitur, aut statim sanguinem vomens, aut posteriori tempore; dum perit ab ijsdem, quæ antea dicta sunt. Sæpe verò hi, quibus venarum aliqua intus sauciatur à vulneribus, aut quibusdam laboribus, aut exercitijs, aut alia quadam caussa, quum coaluerit, & sana esse videtur vena, alio tempore iterum rumpitur; idque ab ijsdem contingit causis, à quibus etiam prius patiebatur. Vbi verò iterum rupta est, sanguinem fundit, & statim pereunt sanguinem multum, te sæpe vomentes (aut alias, atque aliàs sanguinem recentem vomunt) pus autem spuentes per omnem diem multum, ac crassum; tali aut consimili modo pereunt, velut etiam in alijs morbis dictum est.

20 At verò in his, ac simjlibus morbis multũ refert, quantum ad facilem, ac difficilem curationem, vir sit, an mulier, qui morbum habet, iuuenis, an senex, mulier iuuencula, an anicula. Et præterea tempus à tempore differt, in quo ægrotant. Interest item, an ex alio morbo ægrotent, aut non ex alio. Differt etiã affectus ab affectu, maior à minore, & corpus à corpore, & curatio à curatione. His autem sic inter se differentibus, necesse est etiam tempus diuturnitatis differe: & alijs longius fieri, alijs breuius: & alios perire, alios non; & morbos alijs durabiles esse, & maiores, alijs minores, & breuis temporis: alijs permanere vsque ad senectutem, & cõmori, alios perire ab ipsis breui. Et qui quidem iuniores patiuntur eas affectiones, quæ à laboribus fieri dictæ sunt, hi & ampliores, & vehementiores ipsas patiuntur, & magis quàm alij dolent, & statim in ipsis manifestæ fiunt, vt sanguinem aut spuant, aut vomant. Sed & quædam contingentia ipsis fallunt ipsos, præ bona corporis habitudine. Seniores autem raro quidem patiuntur, & si patiantur; debiles ipsas perpetiuntur, vtpote ipsi debiliores existentes, & remittunt magis ipsis, & affectionum maiorem curam gerunt. Fiunt igitur ab initio omnino minus seniori, quàm iuniori, &, vbi factæ fuerint; seniori debiliores fiunt, iuniori vehementiores. Et iuniori quidem, vtpote qui habet corporis vigorem, & siccitatem, & carnem densam, ac robustam, & ab ipsa ossa assidentem, cute circum ipsam circumtenta, quum aliquid amplius laborarit, solito magis, & derepente, conuulsiones vehementes fiunt, & ruptiones multæ, ac omnigenæ venarum, ac carnium. Et horum aliqua statim manifesta fiunt, aliqua posteriori tempore comparent. At senioribus vigor fortis non ineſt, & carnes circum ossa diffluunt, & cutis circum carnes; & ipsa caro rara est, ac debilis, & neque tale quid pati possit similiter senior, veluti iunior. Et si quid patiatur; leuiter patitur, & statim manifestum redditur. Atque intantum quidem in affectionum principio, iuniores senioribus difficilius liberantur.

21 Quum verò morbus conspicuus factus fuerit, & aut pus, aut sanguinem, aut vtrumq; expuerint; qui quidem iuniores sunt, quum corpus ipsorum sit robustum, ac densum, non æqualiter depurgari possunt ab vlceribus, quorum pus in superno ventriculo existit: nam & pulmo non valde trahit ad arterias, vt qui densior sit: & arteriæ quum tenues, & arctæ sint, pus non suscipiunt, nisi modicum, & rarò. Quare necesse est pus in thorace, & in vlceribus coaceruari & crassum fieri. At seniori & pulmo rarior, ac cauior est, & arteriæ ampliores, ut pus non diutius in ventriculo, & vlceribus moretur, & quicquid eius insuper generatum fuerit; hoc totum necessariò sursum attrahitur à pulmone ad arterias, & statim expuitur. In iuniore igitur, vtpote quum sint affectiones vehementiores, & purgatio pro sputi ratione non fiat, & febres acutiores, & frequentiores fiunt, & dolores acuti incidunt, tum in ipso affectionis loco, tum in reliquo corpore: nimirum quum venæ sint robustæ, ac sanguine plenæ. Vbi verò hæ percalescunt; dolores ab ipsis transiliunt aliàs ad aliam corporis partem. Ac hi quidem plerunque breui perimuntur. Senioribus verò quum affectiones sunt debiliores, & sputum ab ipsis purgetur; & febres mitiores, ac paucæ fiunt, & dolores adsunt quidem, verùm exiles. Et ab huiusmodi affectionibus, ne senes quidem penitus liberantur; sed longo tempore afflicti pereunt. Et aliquando pus spuunt, quandoque sanguinem, quandoque neutrũ, tandemque cum his moriuntur. Moriuntur autem hoc modo. quum ipsos morbus aliquis huic, quem antea habent, consimilis apprehendit, ita ut & hunc habeant, & is, quem prius habent, vehementior fiat; & ut plurimum pereunt. At verò morbi, qui nos morbos efficiunt, maximè sunt pleuritis, & peripneumonia.

22 Febris porrò ab his fit. Quũ bilis aut pituita calefacta fuerit, totũ reliquũ corpus ab his calescit & vocatur hoc febris. Calescit aũt bilis, & pituita, ĩtrinsecus quidẽ à cibis, & potius, à quib. ẽt nutriĩ, ac augetur extrin-

extrinsecus autem à laboribus,ac vulneribus,& à calido nimiũ calefaciente,& à frigido nimium frigefaciente. Calescit item à visu, & auditu: verùm minimum ab his. Rigor autem in morbis fit quidem & ab externis, ventis, aqua, serenitate, sub dio degentibus,& alijs huiusmodi. Fit autem & ab ingestis cibis, ac potibus. Maximè verò,& vehementior fit; quum bilis,& pituita sanguini fuerint permixta,aut altera ex his, aut vtraque: magis tamen si pituita sola permixta fuerit: est enim pituita frigidissima ex natura. Calidissimus autem sanguis. Frigidior est ēt aliquanto bilis sanguine. Quum igitur hi humores ambo,aut alter solum,permixti fuerint ad sanguinẽ; ipsum congelant, non tamen omnino: neque enim viuere posset homo, si sanguis densior, & frigidior seipso multis modis fieret. Frigescente igitur sanguine, necesse est & reliquum totum corpus perfrigerari:& vbi huiusmodi quid factum fuerit, rigor appellatur. Et si quidẽ vehemẽs fiat rigor; vehemẽtior est ēt tremor: nam, dum contrahuntur venæ, sanguine & coacto,& congelato corpus & contrahunt, & tremere faciunt. Si verò minus aliquãto sanguinis coactio fiat;hoc rigor appellatur. Horror autem dicitur debilissimus rigor. Quòd autem post rigorem necessariò corripiat febris, aut maior, aut minor, sic habet. Quum sanguis percaluerit, & vim depulerit, ac rursus ad suam naturam redierit; concalescit simul & pituita,& bilis sanguini permixta: & sanguis ipse seipso multipliciter calidior euadit. His igitur percalefactis, necesse est febrem succedere post rigorem, præ sanguinis caliditate. Sudor verò fit hac de causa. Quicunque morbi in iudicatorijs diebus iudicantur,& febrilis ignis dimittit, in his de pituita,& bile quod tenuissimum est,eliquatur, & secernitur, & secedit partim extra corpus,partim intus,& isthic in corpore relinquitur,partim prę caliditate attenuatur,& vapor fit,& cum spiritu permixtum foras procedit. Atque hæc quidem huiusmodi sunt,& ab his sudor generatur. Quare verò quandoque calidus, quandoque frigidus est,ita contingit. Calidus quidem de percalefacto malo, & exusto, & attenuato, & debili,& non valde multo secernitur,& necesse est ipsum calidiorem ex corpore excerni. Frigidus autem de ampliore malo secernitur, & de eo, quod reliquum est,& adhuc validum, & nondum putrefactum, neque attenuatum, neque exustum, & frigidior, ac crassior, & graueolentior prodit. Manifestum autem hoc ex hac re fit. Qui frigidum sudorem exudant, e longis morbis plerunque ęgrotant, inualescente malo eo, quod in corpore relinquitur. Qui verò calidum sudorem excludunt,citius à morbis liberantur.

23 Pleuritis & Peripneumonia fiũt hoc modo. Pleuritis quidem, quum potiones aceruatæ, & fortes valde corripiunt: percalescit enim totum corpus, ac humectatur à vino. Maxime autem & bilis,& pituita percalescit,ac humectatur. Et sanè his commotis,ac humectatis,continget, ut rigor inuadat ebriũ, siue sobrium. Et, quum latus natura carne nudum sit præ omnibus corporis partibus, & non sit quicquam in ipso quod renitatur, præter ventriculi cauitatem: maxime rigorem percipit. Et,quũ riguerit,ac perfrigeratũ fuerit;tũ caro,quę est in latere,tũ venę, cõtrahũtur,ac cõuellũtur. Et quantũ ipsa carne inest bilis,ac pituitæ,aut in venis,quæ in ipsa carne sunt? id magna ex parte,aut totum secernitur introq; compellitur ad caliditatem,carne extrinsecus condensata: atque id ad latus affigitur, & dolorem vehementem exhibet,& percalescit, & per caliditatem trahit ad seipsum à vicinis venis, ac carnibus, pituitam,ac bilem. Atque hoc sanè modo fit. Vbi verò ad latus affixa putruerint,& per sputum reiecta fuerint; sani fiunt. Si verò & antiquum multum affixum fuerit ad latus,& aliud insuper accesserit; statim pereunt,præ saliuæ copia expuere nequeuntes: aut suppurati fiũt, & partim pereunt,partim euadunt. Indicium autem hæc de se præbent in septem diebus,aut nouem,aut undecim,aut quatuordecim: dolorem quoque inducunt ad humerum,& ad clauiculam, & ad alas, hac de causa. Vena,quæ splenitis appellatur,tẽdit à splene ad latus, à latere verò ad humerum, & sinistram manum: hepatitis autem ad dexteras partes eodem modo. &,quum huius in latere pars à rigore contracta fuerit,& sanguis in ipsa horruerit; ad alas,& clauiculã, ac humerum concedit, & conuellit, ac dolorem inducit. Eodem modo & loci circa dorsum, ab affixo ad latus humore pituitæ, ac bilis percalescũt: & quandoque dolorem locis infra latus exhibent. Sæpe verò si ad infernas partes conuertatur; dolorẽ per venas ad vesicam distribuit, multumque,ac bilio sum æger mingit. Arbitrantur autem huius morbi causam,a principium rigorem esse.

24 Peripneumonia fit, quum commota, ac calefacta pituita, ac bile, pulmo præ caliditate traxerit in seipsum de vicinis locis ad ea, quæ iam sunt in ipso. Et percalfacit quidem totum corpus, ac dolorem exhibet,maxime autem deorso, & costit,& humeris ac spinæ: nimirum ab his in seipsum attrahens pluri mam humiditatem, & superresiccantur hæ partes, & nimium calescunt. Postquam autem attraxit in seipsum,& tum bilis,tum pituita;sedem in pulmone occupauit,putrescit,ac suppuratur. Et si quidem in diebus iudicatorijs putrefacta per sputũ reiecta fuerint;eger superstes euadit. Si verò & ea,quæ ab initio aduenerũt,susceperit, & alia insuper accesserint, & neque spuens, neque putrefaciens superarit: præ copia eorum, quæ insuper accedunt, vt plurimum moriuntur. Si verò ad dies perueniant duos,& viginti,& febris remittat, & in his per sputum purgati non fuerint;suppurati fiunt. Fiunt autem maxime ex his, quibus & pleuritis & peripneumonia vehementissima existit.

25 Fit autem & peripneumonia, & pleuritis sine sputo, ambę ex eadem causa, & prę siccitate. Siccant autem & calida,vbi nimium frigefaciunt. Congelatur autem latus, & quę sunt in ipso uenę, & conuellitur; & quantum in ipso inest pituitę, aut bilis, id à caliditate resiccatur, & dolorem inducit, & à dolore febrem. Huic venam secare conducit in manu splenitidem appellatam,aut hepatitidẽ, iuxta vtram sanè fuerit morbus. Atque sic dolor mollior fit,& lateris,& aliarum partium; nam vena & quantum in ipsa inest bilis, ac pituitę, & ipsius sanguinis ęgrotantis vna cum his magnam partem foras dimittit. Pars verò ex carne per medicamenta,& potiones diffunditur, & à calefactorijs forinsecos adhibitis. ita vt morbus per totum corpus dispergatur. Vocatur autem hęc pleuritis sine sputo.

26 Peripneumonia verò quum pulmo ẽt ipse superesiccatus fuerit, & quantum in ipso inest bilis, aut pituitæ, neque putrefacit æqualiter, neque per sputum reddit: & quantum in ipso est humiditatis, aut à potu, aut à sorbitione, aut à vicinis locis: hoc totũ exurit præ nimia siccitate, ac caliditate. Huic potiones bibere conducit, à quibus pulmo humectatur, ac sputum reijcit: si enim sputum non reiecerit; & durior fit, & coaresçit, & hominem perimit.

27 Febris ardens corripit magis bilioſos, corripit itẽ pituitoſos. Corripit autem hoc modo. Quum bilis commota fuerit per corpus, & contigerit, vt venæ, & sanguis attrahant bilem, eamque plurimam ex carnibus, ac ventriculo, ad eum, qui prius inest, vtpote quum etiam natura calidissimus sanguis in corpore existat. Quum itaque percaluerit ex carnibus, & ventriculo, supra eum, qui iam inest, adhuc magis à bile, percalfacit etiam reliquum corpus. Et quædam sanè partes præ multa humiditate, penitus resiccari non possunt. Si verò resiccatæ fuerint; homo moritur. Extremæ verò corporis partes, vtpote natura siccæ, resiccantur, & plurima humiditas ex ipsis exuritur: & si ipsas contingere velis, frigidas comperies, ac siccas. Quapropter hi, qui à febre ardente corripiũtur, internis quidem partibus à febri exuruntur, externis autem frigidi sunt. Et lingua, ac fauces ab interno spiritu ac caliditate exasperantur, & arescunt. Quantum autem in ventriculo, & in vesica inest bilis, quod quidem in ventriculo est, aliquando deorsum exturbatur, plerunque verò in primis diebus vomitur, aut in quatuor, aut quinque. Vomitur autem hac de causa. Quum supernus ventriculus supercalefactus fuerit, attrahit in seipsum, & fit vomitus. Et ob hoc ipsum etiam ex febre ardẽte, & ex pleuritide, ad peripneumoniã maxime morbi transmutantur: vbi enim supernus ventriculus supercalefactus fuerit; trahit in seisum, & suscipit pulmo, & fit peripneumonia: & plerunque pereunt, nimirum debiles iam existentes, & morbo alio nouo insuper generato, dies transigere nequeuntes, donec sputum in pulmone concoquatur. Verùm vt plurimum pereunt præ debilitate: aliqui tamen euadũt. At quibus in vesicam confluit quid bilis, his crassa vrina mingitur, crassa autem à pituita. Bilioſa verò alui egestio prodit; eo quod combusta sint ea, quæ sunt in ventre.

28 Phrenitis hoc modo se habet. Sanguis, qui est in homine, maximam partem ad prudentiam confert, quidam dicunt totum. Quum igitur bilis commota ad venas, & ad sanguinem ingressa fuerit; sanguinem ex consueta compage, ac motiune dimouet, & serosum facit, ac calfacit. Calefactus autem, etiam reliquum corpus totum percalefacit, & desipit homo, & non sibi constat, præ febris copia, & sanguinis ad serositatem transmutatione, & motione non solita contingente. Assimiles autem sunt maxime hi, qui phrenitide tenentur, his, qui ab atra bile delirant; nã & hi vbi sanguis ex bile, & pituita corruptus fuerit; morbum habent, & dementes fiunt: aliqui verò etiam insaniunt: & qui phrenitide correpti sunt, eodem modo. Tantò autem minor insania, ipsumque delirium fit, quantò paucior, ac debilior est bilis, quàm pituita.

29 Porrò subcruẽtum, & liuidum est sputum in pleuritide, ac peripneumonia, idque ob hanc causam. Principio quidem plerunque neutrum spuunt, neque liuidum, neque subcruentum: vnde nosse conuenit morbum vehementem esse. Quum autem sputum subcrassum spuere cœperint; tunc maxime purgantur. Spuitur autem id à distentione venarum, in pleuritide quidem earum, quæ sunt in latere: in peripneumonia verò earum, quæ sunt in pulmone: & caliditatem ad seipsam affectio trahit. Si verò ægro absceſſus fuerit ruptus, ac purulentus fuerit; prima mox die sanguinem, & pus subcruentum, ac liuidũ cum saliua spuit. Liuidum autem fit à sanguine; si modicus ad multam saliuam ammixtus fuerit, & nõ statim spuatur, sed semiputrefactum, & effœminatum in corpore manet.

30 Moriuntur autem ex pleuritide, vbi & multum pituitæ, ac bilis ab initio lateri fuerit affixum, & multum insuper ex reliquo corpore affluxerit, & neque spuens, neque putrefaciens superarit, præ materiæ affluentis copia. Implentur autem arteriæ ab his, quæ insunt pituita, ac pure. Deinde stertit, & frequenter, & illinc statim respirat, tandem verò omnia obturantur, & moritur. Eodem modo ex peripneumonia pereunt. Quicunque verò ex febre ardente moriuntur, omnes præ siccitate moriuntur. Et resiccantur primum quidem extremę ipsorum partes, manus ac pedes; deinde partes sicciores. Vbi autem humiditas ex corpore penitus fuerit exusta, ac resiccata; sanguis quidem congelatur penitus, ac perfrigeratur: reliquum verò corpus exsiccatur, ac sic homo moritur. At ex phrenitide ita perit. Desipiunt in hoc morbo semper, nimirum sanguine corrupto, & ex consueta motione emoto, & quum desipiant, nihil eorum, quæ ipsis exhibentur, accipiunt, quod saltem memoratu dignum sit. Quum verò progressum fuerit tempus, marcescunt, ac imminuti cõsumuntur, tum ex febre, tum quòd nihil alantur. Et primum quidem extremæ partes consumuntur, ac perfrigerantur: deinde ipsis proximæ. Sed & frigiditatis, & febris, & dolorum principium hoc habet. Quum sanguis, qui est in venis, perfrigeratus fuerit à pituita; transmutatur, & conuellitur acerua tim aliàs alia parte, & tremit: tandem verò omnia perfrigerantur, & moritur.

HIPPOCRATIS COI

De Morbis Liber II.

Argumentum in Librum sequentem.

1 De Capitis morbis. Quomodo, capite calefacto, vrinæ multæ emittantur. Cur oculi, pituita ad venas in oculis perueniente, cæcutiant, & eius curatio. Cur quibus pituita ex capite ad carnes conuertitur, bene colorati esse videantur.

2 Vlcera qua ratione in capite & reliquo corpore enascãtur.

3 Capitis dolor, & bilis vomitus. Vrinæ difficultas vnde. De lirium vnde.

4 Venarum circa caput superuomitus quando contingat. Aurium sonitus vnde, & cur hi difficulter audiant. Sanguis quatenus sanguis vocetur. Capitis dolor. Vertigo. Grauitas.

5 De cerebri corrupti signis, & vnde eius corruptio contingat. Spinæ dolor vnde. Animi deliquium vnde. Sanguinis vomitus in cerebri corruptione.

6 Capitis dolor repentinus cum vocis interceptione ac sui impotentia, & causæ.

7 De Carie ossis capitis.

8 Cideratorum signa. Capitis dolor in sideratis vnde. Oculorum hebetudo. Corporis impotentia. Qui ex his conualescant, & qui non.

9 De Anginæ siue Cynanchæ generatione.

10 De Vuæ morbi generatione, & quomodo Gurgulio rubicundus fiat, & postea nigrescat.

11 Tonsillæ, partium sub lingua, gingiuæ, & quæcunque huiusce modi hoc loco consistunt, morbi.

12 De Morbis à capite fientibus. Capitis torquor, frequens mictio, & alia vrinæ stillicidij symptomata, caput humorem repletum significant. Quibusdam septimo aut quartodecimo anno reuertitur. Curatio per vtrem coriaceum aqua calidissima impletum. Ptisanæ succus cum mercurialis succo in aqua cocto. Seri potus ad dies septem. Crustarum inustio in capitis partibus. Venæ circa aures quatenus vrendæ.

13 De vlceribus in capite, cruribus tumidis, velut ab aquæ potu curatio. Smegma ad caput exulceratum, ex vini fæce, glandis cortice, & nitro. Capitis vnguentum.

14 De capitis dolore cum bilis vomitu & vrinæ difficultate, & cæt. curatio. Spongiarum aqua calida imbutarum, in capitis dolore, vsus. Medicamentum ad aures reficcandas.

15 De aquæ in cerebro signis, & curatio. Lenticulæ decoctum cum melle & aceto.

16 De rigore, dolore, & febri per caput maxime ad tempora & ad sinciput. Causa seu generatio huius morbi, & eius curatio.

17 De febri ex venarum circa cerebrum superuomitu: & eius curatio.

18 De capitis graui dolore, nunc ad collum, nunc ad alias partes transeuntis, ex venarum super vomitu: & eius curatio. Frontis in capitis dolore, secandi ratio. Salis in fissuram frontis insperſio. Dieta.

19 De Cerebri à bile infectati signis & curatione. Apij succus per nares instillatus. Sambucus folia aluum mouent.

20 De cerebri corrupti signis. Aceti albi aquosi potus.

21 De Capitis dolore repentino cum vocis interceptione, et eius curatio.

22 De vocis priuatione, ex ebrietate: & qui ex hoc morbo euadant, & qui non. Cepæ decorticatæ in nares inditæ.

23 De Cerebri corrupti signis & eius curatione.

24 De Cariei seu teredinis signis.

25 De sideratis, anteriorem capitis partem dolentibus, nec videre potentibus, &c. Fomentum ex myrrha, & æris flore ad nares. Sincipitis incisio.

26 De signis anginam concomitantibus, & eius curatione. Fomentum ex aceto, nitro, origano, & nasturtij semine. Gargarismus. Ad saliuam suppreßam. Myrti ramulus.

27 Alia angina. Inflammatio ad pectus conuersa: ad pulmonem conuersa. Suppurati ex angina.

28 Alia angina, & eius curatio. Cataplasma. Gargarismus ex ficuum decocto. Farina calida in vino & oleo cocta. Panes calidi.

29 De Vuæ morbi in faucibus signis, & curatione. Farinam frigidam lingere.

30 De Tonsillarum morbi signis. Aeris flos in gurgulione inflammato.

31 Tuberculum sub lingua quod hypogloſſis dicitur. Ordeacea farina in vino & oleo cocta.

32 Tuberculum consistens ad palatum. Vuæ paßæ albæ vsus.

33 De Polypi in naso generatione, & curatione. Linum Ægyptium.

34 Alius Polypus, cum nasus carnibus duris impletur. Alius. Alius Polypus. Alius. Curatio. Veratri in polypos vstos insperſio.

35 De morbi regij nigri signis, & curatione. Asphodeli radices. Vinum Æginense. Splenicus ex morbo regio nigro. Alius morbus regius.

36 De febrium à bile signis. In febri biliosa pharmacum nona die. Aqua mulsa in febrienti ante medicamenti potionem. Aquæ frigidæ in febri biliosa potus.

37 Alia Febris, foris ad contactum debilis, intrinsecus autem ardet, & lingua ipsius aspera est: & per os & per nares calidum spirat: & eius curatio.

38 Tertiana febris. Pharmacum in febri tertiana ante quartam inuasionem.

39 Febris quartana, cum quis alio morbo purgatus non fuerit, curatio.

40 De signis Pleuritidem comitantibus, eiusque curatio.

41.42. Alia pleuritis. Item alia.

43 De peripneumoniæ signis. Eiusq; curatio. Leguminum decoctum.

44 Suppuratorum ex peripneumonia signa, eiusque curatio.

45 Alius morbus. Lateris sinistri in suppuratis sectio, minus periculosa quàm dextri. Suppuratorum ex peripneu-

ripneumonia secandi & puris educendi. Qui ex his euadant.
46 *De tabescentis ex pulmonis affectu signis. Qui huic morbo sint obnoxij. Pilorum in tabe profluuium vnde. Tabidorum sputum, supra carbones coniectum, male olens. Curatio.*
47 *Alius morbus appellatus Tabes.*
48 *Aphtha in pulmonis fistula. Caput rarissime lauandum.*
49 *De Tabis à dorsali medulla generatione, & quibus frequenter fiat, signa. Velut formicas de capite in spinam deferri videri. Genitura cum vrina prodiens. Seminis insomnis profusio. Capitis grauitas & aurium sonitus post exercitia, & eius curatio.*
50 *De pulmonis morbi signis.*
51 *De Arteriæ vulneratæ signis. Pulmonis ruptio quid.*
52 *De Pulmonis articulis conuulsis. Circuli rubicundi in tibijs. Curatio.*
53 *De Erysipelate in pulmone. Causa, & curatio. Splenici quibus purgandi.*
54 *De morbi dorsalis signis. Vrina cruenta in morbo dorsali.*
55 *De Tuberculi in pulmone generatione & signis, & eius curatio.*
56 *De Pulmonis repleti signis. Curatio.*
57 *De pulmonis ad latus prolapsi signis. Graue quiddam in pectore incumbens. Sanguinis stridor. Curatio. Dauci & centaurij semina.*
58 *De tuberculi in latere signis, & curatio.*
59 *De hydrope pulmonis. Aqua in pulmone quomodo cognoscatur, & curetur.*
60 *De Pectoris aut dorsi rupti signis, & curatio.*
61 *De febris ardentis signis. Ex febre ardenti in peripneumoniam transitus.*
62 *De febris singultientis signis.*
63 *De Lethargi morbi signis, & curatione.*
64 *De morbi siccatorij signis. Corpus velut à culicis pungi videri. Curatio.*
65 *De febris interficientis signis, & curatione.*
66 *De morbi liuidi signis & curatione.*
67 *De morbi ructuosi signis. Curatio.*
68 *De morbo pituitoso, qui mulieres magis quàm viros inuadit. eius curatio.*
69 *De pituita alba, & eius curatione. Scroti aqua repleti sectio.*
70 *De curæ morbi difficilis signis, & eius curatione.*
71 *De morbi nigri signis. Vomitus in morbo nigro, variæ species: & eius curatio.*
72 *Alius morbus niger, & curatio.*
73 *De morbo corruptorio.*

1 MVltum vrinę emittitur; vbi caput nimium incaluerit; Liquescit enim in ipso pituita, liquescens autem seccdit partim ad nares, partim ad os, partim per venas, quę ducunt ad pudendum. Quum autem ad pudendum peruenerit; mingit homo, & patitur quemadmodum ab vrinę stillicidio. Cęcutiunt autem, quum ad venas in oculis peruenerit pituita: aquosior enim fit visus, & turbulentior, & splendor in oculis non similiter splendidus est, neque in ipso comparet, si videre voluerit, similiter sicut ante, quum splendidus, & purus esset. Hic in quadraginta diebus maxime sanatur. Si verò longo tempore postea morbus reuertatur; cutis capitis crassescit, & reliquum corpus attollitur, & crassescit, ac bonum colorē habet. Hæc pituita ad carnes conuertitur, & ab hac crassus esse videtur: nam carnes quum sint perrigatæ, & eleuatæ, ac rariores; sanguinem ex venis trahunt, & propterea bene colorati esse videntur.

2 Alius morbus. Caput vlceribus impletur, & corpus intumescit, & color morbi regij est, & aliàs alia corporis parte vlcera erumpunt: & febris aliàs, atq; aliàs corripit, & ex dorso aqua fluit. Huic quum in capite pituita subbilliosa connutrita fuerit; vlcera fiunt; vbi sinciput pituita, & bile perrigatum fuerit, & vbi pituita rara, & aceruata fuerit, itemque bilis: hęc enim consistit, putrescit, & exulceratur. Attenuata verò pituita ad aures penetrat. At in reliquo corpore vlcera eadem ratione, qua in capite fiunt, sanguine, & bile putrefactis, quacunque in parte fuerint collecta: hac enim parte caro putrescit, & exulceratur, & accedentem pituitam, ac bilem insuper putrefacit, & fit pus.

3 Alius morbus. Dolor circum circa caput vexat, & vomit bilem, & difficulter mingit, & desipit. Hic caput quidem dolet, præ nimia eius calefactione. Desipit autem, quum sanguis in capite à bile, aut pituita fuerit calefactus, & plus solito commotus. Vomit autem bilem, vt pote commota ipsa in corpore. Et caput præ caliditate trahit in seipsum, & crassissimum quidem vomit, tenuissimum verò in seipsum trahit. Mingit autem & in hoc morbo ab ijsdem, velut etiã in superiore dictum est.

4 Alius morbus. Si circa cerebrum venulę supereuomant, nomẽ quidem rectum morbo non est: (neque enim fieri potest, vt aliqua vena, siue parue, siue magna supereuomat:) nominant tamen, & dicunt supereuomitum. Si verò etiã quàm maxime supereuomant; morbum ab hoc ipso fieri non est verisimile: nam à bono malum fieri non potest, neque à malo vtique bonum fiat. Neque rursus bonum plus iusto fieri potest. Verùm supereuomere videntur; quum ad venas bilis, aut pituita ingressa fuerit. eleuatur enim venę, & pulsant, & dolor per totum caput dispergitur. Et aures sonitum percipiunt, ac nihil audiunt. Et sonitum quidem percipiunt, vtpote venis pulsantibus, & palpitantibus: tunc enim sonitus est in capite. Grauiter autem audiunt, partim præ interno strepitu, ac sonitu, partim quũ cerebrum; & venę circa ipsum eleuantur: præ nimia.n. caliditate, vacuam circa aurem partem cerebrum de seipso implet: & quum æqualis aeris copia non insit, velut priore tempore, neque æqualẽ sonum exhibeat, ea, quæ dicuntur, non æqualiter se imprimunt, atq; ex hoc grauem auditum habent. Hic, si quidem erumpat ipsi ad nares, aut ad os aqua, & pituita; sanus fit: si verò non erũpat; septima die maxime moritur. At si capite venę supereuomãt; id quod ab ijsdem fit, quæ & prius relata sunt. Signum verò quòd tali modo supereuomant, hoc est. Quum quis aut manum, aut caput, aut aliam quandã corporis partem, hoc patientem incidat; sanguis niger profluit, & turbatus, ac morbosus: quanquam neque sanguis nominari iuste mereatur; nisi tunc quum rubicundus, ac sincerus fluit. Quum itaque supereuomant ab ijsdem causis, dolor, & vertigo, & grauitas caput occupant. Dolor quidem, præ nimia sanguinis

cali-

caliditate. Vertigo verò, quum aceruatus ad faciem processerit sanguis. Grauitas autem, quòd copiosior sanguis sit in capite, & turbulentior, ac morbosior, quàm intrinsecus.

Cerebri corruptio.

5 Si cerebrum corruptum fuerit; dolor ex capite spinam occupat, & ad cor animi deliquium procedit, & sudor adest, & somni expers est, & ex naribus sanguis fluit. Sæpe etiam sanguinem vomit. Corrumpitur autem cerebrum tali modo, quum aut nimium calefactū, aut perfrigeratum, bilosum, aut pituitosum plus solito factum fuerit. Vbi verò horum aliquid perpessum fuerit; etiam spinalem medullam superca lefacit. Et quum etiam hic percalescit; dolorem spinæ inducit. Animo verò linquitur homo; quū pituita, aut bilis ad cor consistit. Consistere autem necesse est commotis, ac humectatis. Sudor autem fit præ dolore. Sanguinē verò vomit; quum venæ, quæ sunt in capite, à cerebro fuerint calefactæ; quæ verò circa spinam sunt, à spina: spina autem à spinali medulla: medulla verò à cerebro, vnde sanè originem trahit. Quum igitur calefactæ fuerint venæ, & sanguis in ipsis efferbuerit; quæ quidem in capite sunt venæ, distribuunt ipsum ad nares & ad os: quæ verò circa spinam sanguifluæ, in corpus. Hic tertia, aut quinta die plerunque perit.

6 Alius morbus. Derepente dolor occupat caput, & statim vox intercipitur, ac sui impotens fit. Hic in septem diebus moritur; si nō febris inuaserit. Si enim hæc inuaserit; sanus euadit. Patitur autē hæc, quum atrabilis ipsi in capite commota fluxerit, maxime in partem, in qua plurimæ sunt venæ, in collū inquam, ac pectus Deinde postridie sideratus fit, ac impotēs, sanguine nimirum perfrigerato. Et si superior euaserit, ita vt sanguis calescat, siue ab his, quæ exhibētur, siue à seipso; attollitur, & diffunditur, ac mouetur, & spirationem inducit, & spumescit, & à bile separatur & sanus euadit. Si verò superior non euaserit; adhuc magis perfrigeratur: & vbi penitus perfrigeratus fuerit, & calor ex ipso defecerit; congelatur, & moueri non potest, sed moritur. At si ex ebrietatibus hæc patiatur, (nam & hoc contingit) itidem moritur.

Caries ossis capitis.

7 Quum caries facta fuerit in osse, dolor ex osse corripit. Temporis autem progressu cutis de capite alia, atque alia parte discedit. Talia verò patitur is cui in secunda ossis lamina, pituita superueniens resiccata fuerit: hac enim parte rarum fit, & omnis humiditas ex ipso deficit, & quia aridum est, cutis ab ipso discedit. Hic morbus lethalis non est.

8 Alius morbus. Si sideratus fiat, anteriorem capitis partem dolet, & oculis non æqualiter videt, & soporatur, & venæ pulsant, & febris debilis tenet, & corporis impotentia. Hic patitur hæc, quum venæ in capite fuerint calefactæ, & calefactæ pituitam in seipsas traxerint. Et principium quidem morbi ex hoc fit. Anteriorem verò capitis partem ideo dolet, quòd venæ in hac sint crassissimæ, & cerebrum ad anteriorem capitis partem magis situm est, quàm ad posteriorem. Et oculis ideo non videt, procūbente eò cerebro, ac inflammato. Impotentiæ verò ideo corpus occupant. Postquam venæ pituitam in seipsas traxerint; necesse est præ pituitæ frigiditate sanguinē magis nunc sisti, ac perfrigeratum esse, quàm priori tempore. dum autem sanguis non mouetur, fieri non potest, vt non etiam corpus quiescat, ac torpeat. Et si quidem sangis, ac reliquum corpus superarint, ita vt calescant; homo euadit. Si verò pituita præualuerit sanguis magis perfrigeratur, ac congelatur. Et si frigiditas, ac congelatio augescant; penitus congelascit, ac perfrigeratur homo, & moritur.

Angina.

9 Angina, siue Cynanche fit, quum pituita in capite commota aceruatim deorsum fluxerit, & in maxillis, ac circa collum constiterit. Hic neque saliuam deglutire potest, respirat autem violenter, ac stertit, & aliquando etiam febris ipsum corripit. Et morbus sanè ex hac causa fit: & aliquando sub ipsam linguam, aliquando paululum supra pectus.

Vua morbus.

10 Vua fit, quum pituita de capite ad gurgulionem descenderit, & gurgulio præceps dependet, ac fit rubicundus: temporis autem progressu, nigrescit. Nigrescit autem hoc modo. Venosus est gurgulio, ac crassus, & postquam inflammatus est; calescit; & præ caliditate sanguinem ex vena adtrahit, ac ab ipso nigrescit. Quapropter & si non turgentem feces; statim inflammantur: nam vena calefacit, & præ caliditate partes circa gurgulionem sanguine replet, & breui suffocantur.

Tonsillæ, ac vicinæ partes.

11 Tonsillæ, & partes sub lingua, & gingiuæ, & lingua, & quęcunque huiusmodi hoc loco consistunt: hę omnes partes ex pituita ęgrotant. Pituita autem de capite descendit. Caput autem ex corpore trahit. Trahit autem, vbi fuerit calefactum; percalescit autē à cibis, & sole, & frigore, & laboribus, ac febrili calore. Quum verò calefactū fuerit; tenuissimum ex corpore ad seipsum trahit. Vbi verò traxerit, rursus id ad corpus descendit.

Morbi à capite orientes.

12 Quum repletum fuerit caput, & ab aliquo ex relatis percalefactum; torpor caput tenet, & frequenter mingit, & alia patitur, quę ex vrinę stillicidio contingere solent. Idem per nouem dies hęc patitur. Et si quidem per nares aut aures, aqua & mucus erumpat, à morbo liberatur, & vrinę stillicidium sedatur, mingitque citra dolorem vrinam multam, & albam, ad viginti dies. Et dolor capitis cessat, & intuenti splendor ex oculis subtrahitur, & dimidiatas rerum facies se videre putat. Hic quadragesima die penitus sanus euadit. Multis verò quandoque morbus redit septimo, aut decimoquarto anno. Et capitis cutis ipsi crassescit, & ad tactum cedit: & de paucis cibis tenet, ac bene coloratus apparet, & non acutum auditum habet. Quum ita habentem offenderis in principio morbi, priusquam erumpat aqua per nares, & aures, & tenuerit ipsum dolor; deraso capite vtrem coriaceum circum frontem deligare oportet, aqua plenum calidissima, quantum sustinere potest, atque hinc ipsum calefieri permittere, & ubi perfrigeratus fuerit; alium adhibere; si verò hinc debilitetur; desistere; ac tempore interposito eadem repetere, donec remiserit dolor. Et si aluus non egerat; in-

fusum per clysterem immittere,& vrinam cientibus in potu datis.aquam mulsam aquosam insuper bibēdum exhibere:& calore quàmmaxime foueatur.Sorbeat autem succum ptisanæ tenuem. Si verò venter non subeat; mercurialem in aqua coctam terito, ac succum excolato,& de ipso,ac de ptisanæ succo,parem mensuram permisceto,& modicum mellis adijcito.Hunc succum ter in die sorbeat,& vinum mellei coloris,aquosum, album modicum, à sorbitione insuperbibat.Postquam autem eruperint ipsi per nares mucosa,& vrinam crassam ejecerit, & à dolore capitis liberatus fuerit; vtre amplius ne vtatur, sed multa calida lotus,vrinam cientia,& aquam mulsam aquosam bibat.Et primis quidem diebus milij delingat,& cucurbitam edat,aut betas per triduum.Deinde cibis vtatur mollissimis, ac quàmmaxime per aluum subeuntibus, ita vt semper modicum ad cibos priores addat.At,vbi quadraginta dies prēterierint. (sedatur enim morbus maxime in tanto tempore,) capite ipsius purgato, prius medicamento exhibito, ipsum deorsum purgato;si tempus anni hoc permittat. Deinde serum ad dies septem bibendum dato, aut pauciores;si debilis existat.Si verò morbus reuertatur,fomento per totum corpus adhibito,postridie veratrum bibendum dato. Deinde quanto tempore tibi visum fuerit intermittito,& tunc capite purgato,medicamēto deorsum purgante exhibito, crustas octo capiti inurito:duas circa aures, duas in occipitio,hinc atque hinc ad ceruicis neruum,duas in naso circa angulos oculorum. Venæ autem circa aures vrendæ sunt,donec pulsare desinant.Ferramentis verò cuneoli forma paratis obliquas venas perurito. Atque hæc vbi feceris:sanitas continget.

13 Alius morbus. Vlceribus impletur caput,& crura intumescunt,velut ab aquæ potu, & in tibias tumor infarcitur,& si premas, color morbi regij apparet,& vlcera alias alia corporis parte erumpunt, maxime tamen circa tibias, & malum aspectum præ se ferūt. Vbi verò inflāmatione liberata sunt; cito sana fiunt; & febris aliàs,atque aliàs corripit.Caput autem semper calidum est, & ex auribus aqua fluit. Quum ita habet; medicamentum ei dandum est,à quo pituita, & bilis sursum purgatur,si quidē frigus fuerit,præfoto,ac calida loto. Deinde tribus diebus interpositis caput purgato. Postea etiām deorsum purgans medicamentum bibendum dato.Si verò tempus anni ferat; etiam serum postea bibat:sin minus; lac asininum. Post purgationes,cibis quàmpauciſſimis,& quammaxime per aluum subeuntibus vtatur,& non lauet.Si uerò caput exulceratur,fecem vini ad smegma faciendum comburito, & glandis corticem tritum leuigatum ammisceto,& pari nitro ammixto, his defrictus multa calida lauetur.Inungat autem caput baccis lauri tritis, & gallis, & myrrha, & thure, & argenti flore,adipeque suillo,ac oleo laurino.His permixtis inungatur. Post hoc autem tempus vomitibus vtatur bis in mense,& exerceat se,ac calida lauet. At si his adhibitis,ex reliquo quidem corpore morbus fueris exclusus, verùm in capite ipsi vlcera adhuc fiant; rursus capite purgato, medicamentum deorsum purgans, postea bibendum dato. Deinde raso capite, fissuras raras incutito, & ubi sanguis effluxerit confricato.Postea lanas succidas vino imbutas superligato, & postquam exolueris, spongia detergito, & ne humectato. Deinde oleo sublito cupressum inspergito. Laneis autem deligamentis donec sanus fiat, vtatur.

14 Alius morbus. Dolor caput corripit,& si paululum moueatur,bilem vomit. Quandoque etiam vrinā difficulter emittit,ac desipit,& septima die quandoque moritur:& nona quoque,ac vndecima, septimam transgressus,si nō eruperit per nares,aut aures. Si verò eruperit,euadit. Fluit autem aqua subbilliosa;deinde tēporis progressu putrefacta pus fit.Quum igitur ita habuerit; quandiu quidem dolor tenuerit in principio,priusquam ex naribus, ac auribus erumpat, spongias aqua calida imbutas cito capiti admoueto. Si verò his non laxetur;vtre vtaris eodem modo velut in superiore morbo. Bibat autē aquam mulsam aquosam: sin minus; aquam de farina crassa in ipsa macerata.Sorbeat ptisanæ quoque succum,& vinum album aquosum insuper bibat. Postquam verò per aures eruperit, & febris,ac dolor remiserit; cibis vtatur per aluum subeūtibus,à modicis initio facto, semper aliquid addendo. Et caput calida lauetur,& aures colluat aqua pura, & spongiam melle tinctam indat. Si verò neque sic reficeetur,sed diuturna fluxio fiat;collutione facta,argenti florem,sandarachā, cerusam,singula æquis portionibus trita, leuigataq; in aurem indito,eamque expleto: & si quid præterlabatur,de medicamento amplius superaddito. Vbi verò reficcata fuerit auris;expurgato,ac medicamentum eluito. Postea (obsurdescit enim primùm reficcata) lenibus fomentis aures foueto: nam & sic vix, ac lōgo tempore sedabitur.Moriuntur autem etiam; si dolor in aure fuerit, & nihil in septem diebus eruperit. Hunc multa calida lauato,& spongias aqua calida imbutas exprime, & tepidas ad aurem appone. Si verò neque sic erumpat;auri fomentum adhibeto. Sorbitionibus autem, ac potionibus ijsdem vtatur, quibus in superioribus.

15 Alius morbus. Si aqua in cerebro fuerit; dolor acutus per sinciput, ac tempora emergit, aliàs alio loco:& rigor, ac febris aliàs atque alias, & regiones oculorum dolet,& cæcutit, & pupilla finditur,& ex vno duo se videre, putat, & si surrexerit; vertigo ipsum corripit,& ventum non sustinet, neque solem: & aures tinniunt,ac inter audiendum strepitu offenditur:& vomit saliuam,ac pituitam,quandoque etiā cibos: & capitis cutis attenuatur,& cōtactu gaudet. Quum sic habuerit; primùm dandum est ipsi medicamentum, quod sursum pituitam educit, & postea caput purgato. Deinde interposito tempore medicamentum deorsum purgans bibendum dato.Postea cibis quàmmaxime aluum subeuntibus ipsum refici to,semper modica addendo. Postquam verò comederit iam cibos sufficientes; vomitibus ieiunus vtatur. Lenticulæ decocto mel, & acetum miscens,& olera antea comedens:& in die illa, qua vomuerit, primùm cyceonem bibat tenuem: postea ad vesperam cibis modicis vtatur, & non lauet:& à cibis deambulet,itemque mane,vitans ventum,ac solem,& ad ignem ne accedat. Et si quidem talia faciens, sanus fiat; bene est: sin minus; vere vbi ipsum prius purgaris; primùm veratro,postea etiam in nares medicamentum infundito,& pauco tempore interposito deorsum purgato, deinde cibis reficito. Postea inciso capite iuxta sinciput, ad cerebrum vsque perforato,

forato,& veluti sectionem,ac perforationem curato.

16 Alius morbus. Rigor,dolor,& febris per caput, maxime ad aurem,& ad tempora,& ad sinciput,& oculorum regiones dolet,& supercilia ipsi incumbere videtur;& grauitas caput detinet,& si quis ipsum mouerit,minget,& multum,ac facile mingit: & dentes torpent,& stupor ipsos tenet, & venæ attolluntur,ac pulsant in capite,& non potest quietus esse; sed anxius est,ac desipit præ dolore. Huic si quidem per nares,aut aures eruperit;aqua profluit subpurulenta,& sanus euadit;sin minus; plerunque in septē diebus moritur. Hic morbus maxime fit ex febre lipyria;quum liberatus à febre,nondum purgatus,aut cibis se impleuerit, aut inebriatus fuerit, aut in sole laborarit. Quum sic habuerit;primùm sanguinem de capite mittito,vndecunque tibi visum fuerit. Et post sanguinis missionem,raso capite perfrigeratoria ipsi adhibeto. Et si aluus non subeat;infusum per clysterem immittito. In potu verò ptisanæ succum frigidū dato,& aquam insuper bibendum. Si verò ad perfrigeratoria non remittat; transmutatione facta, vtre vtitor,ac calefacito. postquam autem quieuerit dolor;cibis vtatur aluum subeuntibus,& ne impleatur. Vbi verò vigesimum diem attigerit, sedato dolore, fomento capiti ipsius adhibito,ac nares medicamentum apponito,& interposito triduo medicamentum deorsum purgans exhibeto.

17 Alius morbus. Si venæ circa cerebrum sanguinem supereuomuerint, ac cerebrum calefecerint; febris emergit fortis, & dolor ad tempora, & sinciput, ac posteriorem capitis partem, & aures tinniunt,ac flatu implentur, & nihil audit, & anxius est, & seipsum præ dolore iactat. Hic quinta,aut sexta die moritur. Quum sic habuerit; caput ipsius califacito:si enim per aures,aut nares aqua eruperit; mortē effugit. Si verò sex dies euaserit;victum ipsi velut in superiore morbo constituito.

18 Alius morbus. Si venæ superuomuerint in caput; dolor grauis totum caput tenet,& ad collum,& aliàs ad aliàs capitis partes transit. Et vbi surrexerit;vertigo ipsum corripit,febris autem non inuadit. Quum igitur sic habuerit deraso capite, si non calefactorijs cesserit,frontem ea parte, qua capillus desinit à capite findito:vbi verò secueris disparata, ac diducta cute, quum sanguis defluxerit; salem tenuissimum inspergito:& postquam effluxerit sanguis, fissurā componito,& duplici filo totam ipsam includito. Deinde splenium cera, ac pice illitum,vlceri imponito,& lana sordida superimposita deligato, & ad dies septē ne soluito;si nō dolor vexet:si verò dolor adsit; exoluito. Donec autem sanus fiat; aquam demacerata in ipsa crassa farina bibendam dato, & ptisanæ succum sorbendum,& aquam insuper bibendam.

19 Alius morbus. Si cerebrum bile infestatum bile infestatur, febris emergit debilis, & rigor, & dolor per totum caput, maxime ad tempora, ad sinciput. & ad regiones oculorum: & supercilia ipsis impendere videntur,& ad aures dolor procedit,& quandoque per nares bilis defluit,& oculos habētes habent, & plerisque dolor ad dimidiam capitis partem extenditur,quandoque etiam per totum caput. Quum sic habuerit;perfrigeratoria ad caput apponito,& post quam dolor,ac fluor cessarit;apij succum in nares instillato,& ne lauet,quandiu dolor obtinuerit. Et sorbeat milium tenue, modico melle affuso,& bibat aquam. Si verò aluus non subeat;brassicas edat,& succum sorbeat. Sin minus;folia sambuci eodem modo. Et postquam tempestiuum tibi esse visum fuerit; cibos quammaxime aluum subeuntes ipsi exhibeto. Et si depulso fluore,ac dolore,grauitas ipsi supra supercilia incumbat,& in naso mucus crassus,ac putridus fuerit; fomento ex aceto,& aqua,ac origano ipsi adhibito,deinde calida aqua loto, florem æris,& mirrham ad nares apponito. Atque his factis plerunque sanum efficies. Morbus autem non est lethalis.

20 Alius morbus. Si cerebrum corruptum fuerit; dolor ex ceruicis neruo ad spinam tendit, & ad cor frigus descendit,& derepente nouus sudor adest,& per nares sanguis fluit. Vomunt quoq; multi. Hic triduo moritur. Si verò septem dies transgrediatur;(pleriq; autem non transgrediuntur)& si sanguinem vomat, aut è naribus fundat,neque calida ipsum lauato,neque calefactoria adhibeto: verùm acetū album aquosum bibendum dato,& si debilis sit,ptisanam sorbendam. Si verò plus iusto sanguinem vomere tibi videatur,aut ex naribus ipsi fluat;à vomitu quidem bibat farinam trimestris tritici in aquam dispersam. Si verò ex naribus fluat;venas & in brachijs,& in tēporibus,splenijs suppositis deligato. At si ventrum horū ipsi affuerit,dolet autem ceruicis neruum,& collum & spinam,& frigus ad cor processerit, cū eruo pectora,& deorsum,& ceruicis neruum,& collum calefacito. Nam his factis maximam vtilitatem capere poterit. Verùm pauci huiusmodi morbum effugiunt.

21 Alius morbus. Sanum derepente inuadit dolor circa caput, & statim vox intercipitur, & stertit, & os hiat:& si quis ipsum vocet,aut moueat,solum suspirat,nihil autem intelligit,& multum mingit,& mingere se non sentit. Hic,si non febris ipsum corripiat; in septem diebus moritur: Si verò corripiat; plerunque sanus fit. Huiusmodi verò morbus senioribus maxime fit,& magis,quàm iunioribus. Hunc vbi sic habueris,lauare oportet multa calida,& quammaximè calefacere,& aquam mulsam tepidam in os instillare. At,si resipiscat,& morbum effugiat,vbi ipsum cibis refeceris,ita vt viribus valere tibi visus fuerit; indito in nares ipsius medicamento,& paucis diebus interpositis, pharmacum deorsum purgans bibendum dato:si enim ipsum non purgaueris; timor est, ne rursus morbus reuertatur. Effugiunt autem non ita valde ex primo.

22 Alius morbus. Si quis ex ebrietate voce priuetur, & statim sanè ipsum etiam febris corripiat,sanus fit. Si verò non corripuerit,die tertia moritur. Si itaque in ita affectum incideris; multa calida lauato,& spōgias in aqua calida tinctas ad caput apponito, & cepas decorticatas in nares indito. Hic si quidem apertis oculis,& loquutus ad se redierit,& non nugetur; hac die sopore pressus iacet, postridie verò sanus fit. Si verò exurgēs bilem vomuerit; insanit,& moritur maxime in quinque diebus,si non dormierit. Huic igitur hæc facere oportet. Multa calida lauato,donec ipse ad seipsum redeat. Deinde multo oleo illitum,ad stragula molliter reclinato,& vestimentis cō tegito:& neque lucernam apud ipsum ardere,neque loqui permittito: vt plurimum enim ex balneo obdormit,& si dormierit:sanus euadit. Postquam verò ad se redierit;primis tribus,aut quatuor diebus, milium

liũ tenue ſorbeat,aut ptiſanæ ſuccum,& vinum mel lis ſpeciem referẽs bibat. Deinde cibis vtatur molliſſimis,ac paucis primum.

Cerebri corruptio.

23 Si corruptio cerebrum inuaſerit;dolor tenet maxime anteriorem capitis partem, & paulatim etiam intumeſcit,& liuida fit: & febris,& rigor apprehendit. Quum ita habuerit;ſecare oportet,qua parte intumuit, & perpurgato oſſe, ipſum radere,donec ad ſecundam laminam perueniat: deinde velut fracturam curare.

Caries,ſiue teredo.

24 Quum caries facta fuerit in oſſe;dolor ex hoc corripit ipſum os,& progreſſu temporis attenuatur, ac inflatur,& fit in ipſo fractura. Et ſi hanc reſecueris; comperies ipſum os eleuatum, & aſperum,ac fuluũ: quibuſdam verò etiam ad cerebrum vſque corroſum: Vbi in hoc modo affectum incideris,ſi quidem vltra corroſum fuerit; ſinere optimum eſt, & vlcus quàmcelerrime curare. Si verò corroſum non fuerit, ſed aſperum;ad ſecundam vſque laminam raſum,velut præcedens curare.

25 Alius morbus. Si ſideratus quis fiat,& anteriorem capitis partem dolet,& oculis videre non poteſt:ſed ſopor ipſum tenet,& venę in temporibus pulſant, & febris debilis tenet,& totius corporis impotentia,& emarceſcit. Quum ſic habuerit; multa calida ipſum lauato,& calefactoria ad caput adhibeto. A fomentis verò myrrham,& æris florem in nares infundito Sorbeat autem ptiſanæ ſuccum,& aquam bibat. Et ſi quidem,vbi hæc feceris,melius habuerit;bene eſt. Sin minus; quæ vna ſpes reliqua eſt. ſinciput ipſius findito.&,vbi ſanguis defluxerit; labijs cõpoſitis curato,ac deligato. Si verò nõ ſecueris;decimo octauo, aut vigeſimo die plerunque moritur.

Angina.

26 Febris corripit,& rigor,& dolor capitis;& maxillæ intumeſcunt,& ſputum difficulter deglutit. Expuit autem & ſaliuas duras,ac paucas: & infra in faucibus ſtertit:& ſi apprehenſa lingua inſpexeris; gurgulio nõ magnus eſt,ſed mollis. fauces autem intrinſecus ſaliua viſcoſa plenæ ſunt,& non poteſt excreare,& decumbere non ſuſtinet; verùm ſi decumbat, ſuffocatur. Hunc ſi ita affectum deprehenderis; hæc facito. Primùm quidem cucurbitas ad verticulum in collo primum affigito. Deinde in capite præraſo,& iuxta aurem ab vtraque parte apponito. Et, vbi cucurbitam affixeris; ad multum tẽpus adhærere finito. Poſtea fomentum ipſi ex aceto,nitro,origano,& naſturtij ſemine adhibeto. Hæc tertio,& cum aceto pari aqua permixta diluito, ac parum olei inſtillato. Deinde in ollulam infuſis,operculo addito, arundinem cauam immittito, & prunis impoſita feruefacito. &, vbi per arundinis fiſtulam vapor aſcenderit; hianti ore vaporem intro trahat, cauens, ne fauces adurat. Forinſecus autem ſpongias aqua calida imbutas,ad genas, ac maxillas apponat. Gargariſmus porrò ipſi parandus eſt, ex origano, ſatureia, apio, mentha,& modico nitro, cum aqua mulſa aquoſiore,& modico aceto inſtillato: prædictarum herbarũ folia trita,& nitrum,in aqua mulſa diluito,tepefacito,ac ſic gargariſet. At,ſi ſaliua ſupprimatur; myrti ramulum complanatum ſumito,& tenera ipſius ſumma parte incuruata,ac molli lana obuoluta,in fauces immiſſa,ſaliuam expurgato. Et,ſi venter non egerat; glandem ſubdito, aut clyſterem adhibeto. Sorbeat autem ptiſanæ ſuccum,& aquam bibat. Si verò tumor ipſi oboriatur,& ad pectus intumeſcat,ac rubicundus ſit,& ardeat;amplior ſpes ſalutis eſt. Facienda verò hæc ſunt;poſtquam inflammatio foras conuerſa fuerit. Betas infrigidam aquam tinctas apponat. Tepidas collutiones ore gargariſet,& ne lauet. Hæc faciens maxime euaſerit. Eſt autem morbus lethalis,& pauciſſimi euadunt.

27 Alia angina. Febris,& dolor capitis corripit,& fauces inflammantur,itemque maxillæ,& ſaliuã deglutire non poteſt,ſpuit autem craſſam,ac multam,& difficulter loquitur. Quum ita habuerit;primùm cucurbitam affigito, eodẽ modo veluti ſuprà diximus. Deinde ſpongiam aqua calida imbutam, ad collum, ac maxillas adhibeto. Aquam autem mulſam aquoſam colluendam dato. Et ſuccum ptiſanæ ſorbere cogito. Si verò ipſi talia facienti ſaliua non exierit;eodem modo,velut in priore fomentum adhibeto. At ſi ad pectus cõuertatur inflammatio, aut ad collum; betas, aut cucurbitas conciſas, in frigidam aquam tinctas ſuperimponat,& frigidam aquam bibat;quo ſaliua facilius excreetur. Quum autem ad pectus extumuerit;plerique euadunt. Si verò faucibus,ac tumoribus ſedatis;morbus ad pulmonem cõuerſus fuerit,febris ſtatim corripit,& lateris dolor:& vt plurimum moritur;vbi hoc factum fuerit. Si verò quinque dies effugierit; ſuppuratus ſit; ſi non ipſum ſtatim tuſſis inuaſerit. Si verò inuaſerit;facta excreatione depurgatus ſanus fit. Huic quandiu dolor latus tenuerit;latus calefaciendum eſt,& adhibenda,quæ in peripneumonia adhiberi ſolent. At ſi quinque dies effugerit, & febris remiſerit,tuſſis autem remãſerit: primis quidem diebus ſorbitionibus vtatur. Poſt quẽ autem cibos ſumere inceperit, quàmpinguiſſimos, ac maxime ſalſos edat. Quòd,ſi tuſſis non affuerit: nimirum ſuppuratum fieri ſcito. &, vbi cœnauit, quum dormire volet;allium edat crudum quamplurimum, & vinum inſuper bibat vinoſum meracius. Et ſi quidem ita pus eruperit;bene habet. Sin minus; poſtridie calida loto ſuffitum adhibeto: & ſi eruperit; velut ſuppuratum curato.

28 Alia angina. Linguæ poſterior pars inflammatur, itemque locus ſub tonſillis ad guttur, & neque ſaliuam,neque quicquã aliud deglutire poteſt. Si verò coactus fuerit;per nares ipſi effluit. Quum ita habuerit; mentham viridem tritam,apium,origanum,& nitrum,& rhoem rubrũ melle diluito, & ad craſſam formam redacta,intus linguę,qua parte tumet,illinito. Poſtea ficus acqua coquito,& de rhoe parum tritum,hoc ficuum decocto diluito, ad gargariſandum dato;ſi id poteſt:ſin minus;colluendum. Bibendam verò aquam de farina craſſa in ipſa macerata exhibeto. Foris autem ceruicem,& maxillas,farina calida in uino,& oleo cocta integito,& panes calidos apponito: ſupuuratur enim plerunque in loco ſub tonſillis. &,ſi quidem ſua ſponte eruperit;ſanus fit. Si verò non rumpatur; vbi digito contigeris,an molle ſit,ferramento acuto ad digitum alligato perforato. His adhibitis multi ſani fiunt. Eſt autem hic morbus minime lethalis.

Vua, morbus.

29 Si vua morbus in faucibus fiat; ſumma gurgulionis pars aqua impletur, & rotunda fit ac pellucida, & ſpirationem intercipit. Et ſi maxillæ ab vtraque parte inflammatæ fuerint; ſuffocatur. Si verò ipſe morbus per ſe conſiſtat, maxillis non inflammatis; minus moritur. Quum ſic habuerit; gurgulionem digito apprehenſum ſurſum ad palatum apprimito, & ſummam ipſius partem præſecato. Poſtea foliorum hortenſium condimentariorum decoctum gargariſandum dato, & farinam frigidam delingendam, aquamque inſuper bibendam; & ne lauet.

Tonſillæ, morbus.

30 Si tonſillæ fiant; intumeſcũt ſub maxillis ab vtraque parte, & ad contactum foris durum eſt tuberculum, & gurgulio totus inflammatus eſt. Quum ſic habuerit; immiſſo digito tonſillas protrudito: ad gurgulionem autem florem æris ſiccum illinito: & foliorũ condimentariorum hortenſium decoctum, velut à ſole calidum gargariſandum dato. Foris, qua parte tumor eſt, ordeaceam farinam in vino, & oleo coctã calidam pro cataplaſmate apponito. Poſtquam verò tubercula mollia eſſe tibi viſa fuerint intrinſecus ad contactum; ſcalpello pertundito. Quędam etiam ſua ſponte ſedantur.

Tuberculum ſub lingua.

31 Si tuberculum ſub lingua, hypogloſſis appellatũ, fiat; lingua intumeſcit, & pars ſub ipſa, ac externa ad tactum dura eſt, & ſaliuam deglutire non poteſt. Quum ſic habuerit; ſpongiam aqua calida imbutam apponito, & ordeaceam farinam vino, ac oleo coctã, foris, vbi tumor eſt; imponito. Gargariſet ficuum decoctum, & ne lauet. Poſtquam autem purulentum factum fuerit; ſecato. Aliquando verò ſua ſponte erumpit, & ſedatur non ſectum. Si verò foras ſuppurauerit; perurito.

Tuberculum conſiſtens ad palatum.

32 Si tuberculum conſtiterit ad palatum; intumeſcit, & ſuppuratur. Quum ſic habuerit; tuberculum inurito. Vbi verò exierit pus; reliquum eluito, primùm nitro, & aqua calida, deinde vino. Poſtquam autem elueris; vuam paſſam albam exemptis vinaceis tritam, in vſturæ locum indito. &, vbi exciderit; vino meraco tepido colluat. &, vbi edere quid, aut ſorbere volet; ſpongiam indat, atque hæc faciat, donec ſanus fiat.

Polypus.

33 Si polypus fiat in naſo; ex medio cartilaginum dependet, veluti gurgulio: &, vbi expirationem facit; progreditur foras, & eſt mollis: vbi verò inſpirationem facit; retrocedit: & loquitur, obſcure, &, quum dormit; ſtertit. Quum ſic habuerit; ſpongiam in rotundum conciſam, & velut ſpiram factam lino Aegyptio obuoluito, ac duram efficito. Sit autem eius magnitudinis, vt ad naſum quadret. Spongiam verò quadruplici lineo filo deligato, ita vt vnumquodque longitudinem habeat cubitalem. Deinde facto vno ipſorum principio, virgam ſtanneam tenuem ſumito, quæ ad alteram ſui partem foramen habeat, & tranſmiſſo per foramen filorum principio, virgam inacutam in os tranſmittito, & attrahito, donec filorum principium apprehendas. Poſtea ſpecillo inſtar vngulæ bifurcato ſub gurgulionem ſubpoſito, renitens trahito, donec polypum extraxeris. Poſtquam verò ipſum extraxeris, & ſanguis fluere deſierit: ſiccum linamentum ſpecillo obuolutum indito, & de cætero æris flore in melle cocto, linamentum illine, atque ſic in naſum inde. Et, vbi iam vlcus curatum fuerit: plumbum efformatum ita, vt ad ulcus perueniat, melle illine, & donec ſanus fiat: appone.

34 Alius polypus. Impletur naſus carnibus, & ad contactum caro dura apparet, & per naſum ſpirare non poteſt. Quum ſic habuerit: fiſtula immiſſa, ferramentis tribus, aut quatuor vrito, & poſt vſtionem veratrum nigrum tritum iniicito, & poſtquam computruerit: ac exciderit caro: linamenta melle illita cum æris flore indito: & vbi curatum fuerit vlcus: plumbeas maſſas, ſiue fiſtulas melle illitas immittito: donec ſanus fiat.

Alius polypus. Intrinſecus ex cartilagine caro rotunda prominet, quæ ad contactum mollis eſt. Quũ ita habuerit; chordam nerueam accipito, & facta in ipſa parua anſula, eam tenui filo obligato: deinde alterum principium per anſulam tranſmittito, alia maiore anſa facta. Poſtea principium illud per virgam ſtanneam tranſmittito. Deinde anſam illam maiorem in naſum indito, & ſpecillo infecto ipſam circum polypum obducito, ac adaptato: & vbi circumſita fuerit: virgam in os tranſmittito, & arreptam ipſam trahito. eodem modo ſpecillo inſtar vngulæ bifurcato ſuppoſito ſub gurgulionem, ac renitente. Poſtquam autem extraxeris: curato velut ſuperiorem.

Alius polypus. Intrinſecus circa cartilaginẽ alicunde durum quid naſcitur, & videtur quidem caro eſſe: ſi verò ipſum attigeris: ſtrepitum edit, velut lapis. Quum ſic habuerit: fiſſo per ſcalpellũ naſo expurgato, deinde inurito. Atque hoc facto naſum rurſus conſuito, & vlcus curato, linamentũ melle illitũ indẽs: & vbi cõputruerit: æris florem cũ melle illinito. Fiat autẽ curatio plumbeis maſſis itidem immiſſis.

Alius polypus. Naſcuntur ex obliquo cartilaginis in ſummo, velut cancelli. Omnes autem hos vrere oportet, & poſt vſtionem veratrum inſpergere: Poſtquã aũt cõputruerint: æris flore cũ melle expurgare. Curatio autem etiam plumbo immiſſo fiat.

Morbus regius niger.

35 Color fit niger circa faciem, & maxime circa partes, velut in vmbram occultatas: &, oculi cum virore pallidi, itemque lingua inferne, & venæ ſub lingua craſſæ, ac nigræ: & eſt homo ſine febre, ac mingit vrinam craſſam, bilioſam. Quum ita habuerit; primum venas ſub lingua ſecato, deinde calida multa loto, aſphodeli radices bibẽdas ieiuno dato, ita vt æquales quinq; radices depurgatas in vino coquas & apij foliorum quantum manus plena capit addas. Affundito autẽ vini dulcis tres heminas dimidiatas. Aeginenſes, vt acoctura ſemi hemina ſuperſit. Hoc permixtum bibendum dato. Poſtquam autem minxerit; cibis aluum ſubeuntibus vtatur, & à cibo cicer album edat, & vinũ album, multum, aquoſum bibat; & apium, ac porrum in cibis edat. faciat autem hæc per dies ſeptem. & ſi quidẽ in his color probe depurgatus eſſe tibi viſus fuerit: bene eſt: ſin minus;

etiam alios tres hæc faciat. Postea interposita vnà, atque altera die, medicamentum ad nares apponito. Deinde pharmacum deorsum purgans bibēdum dato,à quo bilis purgatur. Et,si splenicus fuerit; asininum lac,aut serum postea exhibeto. Hæc faciens, sanum efficies. Alius morbus regius. Febris corripit debilis, & grauitas caput tenet, & quibusdam sanè febres cessant. Ipse verò,fit cum virore pallidus, & maxime oculi,& debilis est,& corporis impotentia adest, & vrinam crassam cum virore pallidā emittit. Hunc calida lauato, & vrinam cientia bibenda dato. Postquam autem purior esse tibi visus fuerit, & color melior apparuerit; medicamentum ad nares appone,& postea deorsum purgans bibendū præbe. Dibis autem vtatur quàmollissimis. Vinū bibat album,dulce aquosum. Hæc faciens sanus euadet.

Febres à bile.

36 Si bile infestatur homo; febris ipsum corripit quotidie,ac dimittit. Detinet autē maximè in meridie: & os amarum est,&,quum sine cibo manet; offendit hoc ipsum. Vbi verò ederit; strangulatur,& à modicis quibusdam cibis impletur, & abominatur,& vomitiones ipsum inuadūt,& ad lumbos, ac crura grauitas incumbit, & multum dormit. Hic si post febrem exudarit frigidum,ac multum sudorem, & febre non liberetur;morbum diuturnum sentiet. Si verò non sudarit; citius iudicatur. Quum sic habuerit, & ad nonum diem deuenerit; pharmacum dato. Nā si statim à febris initio dederis, postquàm purgatus est; febris repetit, & rursus medicamento opus habet. At si os non afficiatur,verùm ad imum ventrem tormen irruat; pharmacum deorsum purgans bibēdum dato,& postea lac asininum, aut serum, aut aliquē succum. Si verò debilis fuerit:per clysterē subtus eluito. Ante medicamenti verò potionem, si quis febriat: danda est ipsi aqua mulsa aquosa. Altera autem die, qua febris detinet, aquam frigidā quātum bibere volet, dabis. Vbi verò remiserit febris: ptisanæ succum,aut milium tenue sorbeat,& vinum album,odoratum,aquosum insuperbibat. Si verò febris neque noctu,neque interdiu remittat,& ad contactum supernas partes habeat calidas,venter autem & pedes frigidi sunt, & lingua aspera: huic medicamentum ne dederis, sed molli infuso per clysterem subluito, & ptisanæ succum bis in die frigidum sorbendum dato, & vinum aquosum insuper bibēdum. Reliquo verò tempore aquam frigidissimam bibat. Hic si quidem septima die exudarit, & febris ipsum dimiserit:bene est:sin minus: decimaquarta die plerunque moritur.

37 Alia febris. Foris ad contactum febris debilis est, intrinsecus autem ardet, & lingua ipsius aspera est,& per nares,& per os spirat calidum. Quinta die præcordia dura sunt,& dolor inest,& calor qualis in morbo regio apparet, & crassam,ac biliosam vrinam eiicit. Hunc si septima die rigor, & febris vehemens apprehenderit,& exudarit;bene est. Sin minus: moritur septima,aut nona. Corripit autem maxime hic morbus,si non annus squalidus fuerit Quum sic habuerit, quotidie calida lauato, aquamque mulsam aquosam multam bibendam dato, & ptisanæ succū frigidum bis in die sorbendum. A sorbitione verò vinū bibat aquosum,album,modicū. Si verò aluus nō egerat; clysterem adhibeto,aut glandulam subdito. Cibum autē ne exhibeas;donec febris remittat. Vbi verò sedata fuerit;pharmacum deorsum purgans bibat. Reuertitur enim quandoque morbus;si impurgatus permāserit. Et amplius morbus hic rursus corripit;si sanguis nimium biliosus factus fuerit.

38 Alia febris. Si tertiana febris tenuerit,si quidem non omissis tribus inuasionibus, quarta corripiat; pharmacum deorsum purgans bibendum dato. Si verò pharmaco non opus habere tibi videatur; radicum quinque folij tritarum acetabili mensuram, ex aqua bibendam dato. Si verò neque sic cesset; multa calida loto,trifolium, & silphij succum in vino pari aqua ammixta, bibenda præbeto, & reclinato vestimenta multa integito;donec exsudet. Postquam verò exsudarit,si sitiat;polentam cum aqua bibat. Vesperi autem milium coctum tenue sorbeat,& vinum insuper bibat;donec febris cesset:& cibis quàmollissimis vtatur.

Febris quartana.

39 Quum febris quartana ex alio morbo non purgatum apprehenderit; pharmacum deorsum purgans bibendum dato. Deinde caput purgato. Postea rursus infra purgato. Si verò his factis non cesset;interpositis duabus inuasionibus post purgationem infernā,multa calida ipsum lauato,& seminis hyoscyami milij magnitudinē & mandragoræ tantundē, & succi silphij trium fabarum magnitudinem, & trifolij tantundem in vino meraco bibat. At,si firmus & sanum se esse putans,ex lassitudine,aut profectione febre correptus,ad quartanam deueniat;fomentis ipsi adhibitis allium dato,in melle tinctum. Deinde lenticulæ decoctum bibat,melle,& aceto mixtis. Postquam autem repletus fuerit;vomat. Postea calida lotus,vbi frigidus factus ferit, cyceonē ex aqua bibat. Vespericibis mollibus & non multis vtatur. Altera verò exacerbatione,vbi multa calida laueris;& stragula ipsi intexeris, donec exudet,statim veratri albi radices trium digitorum longitudine, & trifolij drachmam,& succi silphij duarum fabarum magnitudinem,in vino meraco bibat. Et si vomitiones ipsum vrserint; vomat:sin minus; similiter post caput purgatum. Cibis autem vtatur quàm mollissimis,& acerrimis. Quum verò exacerbatio ipsum inuaserit; ieiunus medicamentum ne bibat.

Pleuritis.

40 Pleuritis vbi corripuerit; febris,& rigor tenet,& dolor per spinam ad pectus,& erectæ ceruicis spiratio,& tussis,& saliua alba,ac subbiliosa,& non facile per tussim reijcit,& per inguina dolor est, & cruentam vrinam mingit. Quum ita habuerit,si quidem febris septima die remiserit;sanus euadit. Si verò nō remittat; deuenit morbus ad vndecimum,aut decimumquartum diem. Et sanè multi in his diebus moriuntur. At,si decimumquartum transgrediatur;euadit. Quum ita habuerit dolor;calefactoria adhibeto. Bibat autem mel, æquali aceto affuso coctum, ita vt quanta fuerit mensura cocti mellis,& aceti,vndeuigesimam partem aquę affundas. Hoc paulatim,& frequenter bibendum dato: & postea quoque aquam modico aceto affuso ammisceto. Sorbeat & milij succum melle modico adstillato frigidum quartæ heminæ partis mensura;quoties vtrunque cibum

sumit

sumit,& bibat vinum album vinosum,aquosum modicum. Sit autem vinum quammollissimum,odorem non habens. Vbi verò febris dimiserit; per biduum milium bis in die sorbeat, & betas iucundissime paratas edat. Deinde catulum,aut auiculam coquat,& ius sorbeat,& de carnibus parum edat. Reliquo verò tempore, maxime quandiu à morbo tenetur; in prandio milium sumat, vesperi cibis pauciſſimis, ac molliſſimis vtatur.

41 Alia pleuritis. Febris tenet,& tussis,ac rigor,& dolor ad latus, & quandoque ad clauiculam, & saliuam spuit subbilioſam, ac subcruentam. Quòd, si ægro absceſſus ruptus fuerit, qua parte dolor maxime vrget; calefactoria adhibeto, & calida lauato,si non magna febris ipsum teneat. Sin minus;non. Bibendum autem dato fauum in aqua maceratum, ita vt aquam iam subducem facias, & postea quoque aquam ammisceas.Sorbeat ptisanæ succum bis in die, & uinum inde bibat album,aquosum.Et,si quatuordecim dies effugerit;sanus euadit.

42 Alia pleuritis.Febris detinet,& dentium stridor, & tussis sicca,& cum virore pallida reijcit,quandoq; etiam liuida: & dolor latus corripit,& dorsum subrubidum fit.Caput,& pectus calescunt,aliquando et venter,& pedes,& crura.Et,quum erectus sedet;magis tussit; & aluus turbatur, & alui egestio cum virore valde pallida est,ac graueolens.Hic in viginti diebus moritur.Si verò has effugerit;sanus fit.Huic donec quatuordecim dies præterierint; aquam de farina crassa in ipsa macerata bibendam dato, & vinum album vinosum,aquosum postea bibendum.Sorbeat succum ptisanæ frigidum,bis in die.Verùm pro melle mali punici succum, ad ptisanæ succum admisceto; postquam iam hic ptisanæ succus coctus fuerit, & lauet non multa.Vbi verò quatuordecim dies præterierint,in prandio milium sumat.Ad vesperam carnibus auicularum, cum iusculo, & paucis cibis vtatur. At talem morbum pauci effugiunt.

Peripneumonia.

43 Febris detinet dies quatuordecim vt minimũ, ad summũ duos de viginti, & per hos dies fortiter tussit, & primum quidem excreat saliuam crassam, ac puram septima, & octaua die. Si verò febris corripuerit, nona, ac decima; subdulcem,& purulentam, donec quatuordecim dies prẹterierint.Et,si quidem decimaquinta die pulmo resiccatus fuerit, & tussiendo reiecerit;sanus fit: sin minus; duas de uiginti obseruato, & si quidem in his diebus tussis sedata fuerit;euadit; si non sedata;interrogato ipsum,an saliua ipsi dulcior appareat;& si hoc confessus fuerit;morbus annum durabit;nam pulmo suppuratus fit.Huic primis diebus vinum dare conuenit dulce, album, aquosum paulatim frequenter bibendum. Sorbeat et ptisanæ succũ melle ammixto ter in die; donec dies decem & octo præterierint,& febris desiuerit. Periclitatur autẽ maxime in septem, aut quatuordecim. Postquam autem decem, & octo dies transgressus fuerit; non amplius moritur,sed pus spuit,& pectus dolet,& tussit. Quum sic habuerit; ieiunus cum saluia vini illam potionem bibat,& leguminis fresi decoctum sorbeat,adipe multo ammixto; si non calor fuerit.Si verò fuerit; ne sorbeat, sed cibis utatur salsis, ac pinguibus,& marinis potius; quàm carnibus. Et si pro ratione purgari tibi visus fuerit;in os infundito,ac fomenta adhibeto: si quidem crassum fuerit pus: fomenta adhibeto:si verò tenue:infundito:& ex cibis hæreat quàm maximè, & ab acribus abstineat & à carnibus bubulis,ouillis, ac porcinis.

Suppuratus ex peripneumonia.

44 Quum ex peripneumonia suppuratus factus fuerit;febris detinet, & tussis sicca,& difficultas spirandi,& pedes intumescunt, & manuum,ac pedum vngues contrahuntur. Hunc ita affectum ad decimam diem à suppurationis initio progressum, multa calida lauato,& ari radicem tali magnitudine tritam,& salis granum,& modicum mellis,& aquã,& olei parum, extracta lingua tepida infundito, & postea humerum concutito. Et,si quidem ab his pus erumpat; bene habet: sin minus; aliud facito. Cibos acres & cyclaminum exsuccato,sitq; succi vtrorumque acetabulum paruum:deinde silphij succũ fabæ magnitudine terito,ac diluito, & lactis caprini, aut asinini acetabulum ammisceto. Hoc tepidum infundito. Quod si ab hoc non erumpat; raphani corticem,& æris florem,trium fabarum magnitudine terito. Sit autem raphani duplum:& oleo diluito quarta heminæ parte. Hoc tepidũ infundito. Et,si eruperit pus; cibis quàm salsissimis,ac pinguissimis vtatur. At, si non prodierit pus; paulatim fomentum adhibeto in os,ex sii succo,vino Tornio, lacte bubulo, aut caprino,singulis pari mensura permixtis,ita vt sint heminæ tres, in quas postea furni testas igni candefactas iniicito,atque inde vaporem per fistulam trahat,cauendo vt ne aduratur. Postquàm aũt purius iam sputum prodierit;vrticæ semẽ,thus,organũ,in vino albo, melleque, ac oleo modico, ipsi infundito, idque per tertium diem: postea verò butyrum, resinam in melle eliquatam. Et cibis non amplius vtatur salsis, neque pinguibus. At diebus interpositis,infusionum oris usu cessante, saluiam,rutam, satureiam, origanum, pari portione ieiunus ex vino bibat acetabuli mensura, omnibus illis insperſis: Quòd, si ab infusionibus his oris non eruperit; nihil miri est:sẹpe enim prorumpit ad aluũ, & statim melius habere sibi videtur, vbi ex angusto ad ampliorẽ regionem deuenerit.

45 Alius morbus. Quũ tẽpus longius protrahitur, & febris vehemẽs,ac tussis corripit,& latus dolet,& ad sanam partem decumbere non potest; sed ad dolentẽ,& pedes,& oculorũ cauitates intumescunt:Hunc vbi decimusquintus ab eruptione dies adest, multa calida lotũ in sella firma collocato,& alius quidẽ manus ipsius teneat:tu verò humerum concutito, vt audias in vtrũ latus affectio strepitum edat: optandum autem esset in sinistrum. Hunc ipsum igitur locum seces; minus.n.lethalis est. Si verò præ crassitudine, ac copia strepitum non edat, quo ipsum cognoscere possis,(nã hoc aliquando cõtingit) vtrũ latus tumuerit,ac magis doluerit,hoc in fime secato retro tumorem magis,quàm ante ipsum,quo puris exitus facilẽ fluxionem habeat.Secato autẽ inter costas per nouaculam primum cutem, deinde scalpello acuto, quod pãniculo sit obligatũ ita,ut summa ipsius pars,ad vnguis magni digiti mensuram expedita restet, quam intromittas.Postea emisso pure quantum visum fuerit, vulnus linamento ex lino crudo, alligato foras

propendente filo, concludito; & quotidie semel pus educito. postquàm autem decimus affuerit dies; omni pure emisso linamentum ex linteo indito. Deinde vinum, & oleum tepefacta per fistulam infundito; ne pulmo a pure humectari solitus derepēte resiccetur. Emittendum autem est id, quod mane infusum est, ad vesperā; quod vespera, mane. Vbi verò pus tenue velut aqua fuerit, & ad digiti contactum viscosum, ac modicum; penicillum stanneum cauum indito. Postquàm autem omnino venter resiccatus fuerit, paulatim linamentum præfectum minuito, donec vlcus coalescat, & ipsum penitus eximas. Signū autem an euasurus sit, habes: si pus album, ac purum fuerit, & fibræ sanguinis insint; plerunque sanus fit. Si verò prima die profluat lutei oui speciem habens, aut secunda die defluat crassum, cum virore subpallidum, fœtens; moriuntur, vbi pus effluxit.

46 Alius morbus. Quum quis ex pulmonis affectu tabescit; is saliuam crassam, cum virore subpallidam dulcem, tussiendo reijcit, & stridor, ac dolor ad pectus, & ad dorsum fit, & in faucibus tenuis sibilus auditur, & fauces siccæ sunt, & oculorum cauitates rubicundæ, & vox grauis, & pedes intumescunt, & vngues contrahuntur, & supernæ partes attenuātur, ac imminuntur, & saliuam abominatur, vbi excreaturus ipsam in ore habet, & tussit mane maxime, & circa mediam noctem, imò etiam alijs tēporibus. Et corripit magis hic morbus mulierculam iuuenculam, quàm vetulam. Huic si iam pili de capite defluant, & nudum sit caput, velut ex morbo; & si prunis inspuenti saliua graueolens sit; intra breue tempus ipsum moriturum esse pronuncia; id verò quod occidet, alui profluuium fore; vbi enim iam pus circa cor putruerit; nidorosum odorem prunis iectum de se præbet, & cerebrum concalescens salsuginosum humorem effundit, qui aluum mouet. Huius autem signum est, quòd capilli ex capite defluunt. Hunc vbi ita habuerit, ne curato. Si verò à principio morbus obtigerit; lenticulæ decoctum bibendum dato. Deinde interposita vna die, veratrum dato temperatū; vt ne aluum infernam moueat. Et quum noctu ad os salsuginosus humor ipsi influit; medicamenta ipsi frequentiora ad nares appone. Si uerò non fluit; appone quidem, sed rarius, & mense semel, ita vt insuper veratrū bibendum des quantum duobus digitis comprehendi potest, in uino dulci temperato. Statim uerò lenticulæ decoctum inde bibendum dato. At medicamenta quàm paucissima bibat, si non febres acutiores ipsum corripiant. Radicem dracontij albam, & ueratri delingat, sed non ex melle; sic enim minime aluū mouebit. Si uerò tormē in aluo inferna obortiatur; primū per clysterem illud infusum immittito in quod coccus Cnidius ammiscetur. Quòd, si neque sic sedetur; lacte asinino cocto purgato, pharmacum autem nullum deorsum purgans dato. Si verò ante medicamentum, præpotato veratro bilem uomat ab ipso lenticulæ decocto accepto uomat. Cibis autem utatur; si febres acutæ tenuerint, carnibus ouillis coctis, & uolucrium, & cucurbita, & beta. Iusculum autem ne sorbeat, neque ad intinctus utatur. Piscibus utatur scorpijs, & cartilaginei generis coctis. Calidum uerò nihil edat, lauet; si febris multa teneat. Neque oleribus acribus utatur, præterquā satureia, aut origano; Vinum bibat album. Si uerò sine febre sit; calores autem aliàs, atque aliàs corripiant; pisces edat optimos ac pinguissimos; & pinguia, & dulcia, & quā maxime salsa. Et deambulationibus utatur, neque in uento, neque in sole. Et à cibis uomat; ubi tempestiuum usum fuerit. Et calida lauet, capite excepto. Ex cibis frumentaceis præstat panis his, qui non mazam edere soliti sunt; mazam verò edere solitis, vtraque dato.

Alius morbus appellatus Tabes.

47 Tussis uexat, & sputum multum, ac liquidum, & quandoque facile tussiendo reijcitur etiā pus, ueluti grando; quod dum digitis conteritur, durum, & male olēs est. At uox pura est, & doloris exors, & febres non corripiunt; uerùm calor quandoque aliàs, atque aliàs, atque hic debilis. Huic ueratrum bibendū est, & lenticulæ decoctum & large cibus sumēdus, ita ut abstineat ab acribus, & carnibus bubulis, ac porcinis, & ouillis. Exerceatur modice, & deambulet, & à cibis uomitu utatur; à uenere abstineat. Hic morbus per annos septem, aut nouem durat. Quòd si ab initio æger curatus fuerit; sanus euadit.

48 Alius morbus. Si ex feruido ulcere, aphtha appellato, pulmonis fistula laborarit; febris debilis tenet, & dolor medium pectus, pruritus corporis adest, & uox raucosa, & saliuā liquidā, ac tenuem spuit; quandoque ēt crassam, uelut ptisanæ succū. Et in ore odor oboritur ipsi grauis, uelut à piscibus crudis, & aliàs, atque aliàs in saliua apparent dura, uelut fungus ab ulcere, & supernæ partes attenuātur, atque adeò homo totus. Et circuli faciei rubescunt, & progressu tēporis ungues contrahuntur, & aridi, ac cum uirore pallidi fiunt. Moritur aūt statim; si non curatus fuerit, sanguinem, ac pus spuens: postea etiam febres vehementes accedentes ipsum perimunt. Si verò curetur; effugit ex hac tabe. Curare porrò oportet, vt lenticulæ decocto poto vomat. Quòd, si tēpestiuum esse visum fuerit; veratrū bibat, si quidem potens fuerit homo, per se: sin minus; dimidium potionis ad lenticulæ decoctum ammisceto, ita vt in quinta, aut sexta potione desinat. At ventrem infernum medicamento ne moueas; si non febres fortes corripuerint. Si verò non corripuerint; lacte asinino subtus purgato. Quòd, si debilis sit, vt bibere non possit; per clysterem infundito. Minus autem caput moueas: &, si quidem saliua ad os prodierit multa, ac salsuginosa, ad nares apponito quid, quod bilem non ducat. Si verò fluxio ad os non fiat; nihil capiti adhibeto. vbi autem saliua graueolens fuerit; interpositis inter lenticulæ decocti vsum diebus, medicamentum in pulmonem infundito, & interposita vna die suffito. Cibis vtatur carnibus ouillis, & volucrium, & piscibus cartilaginei generis, & scorpijs coctis. Quarto verò quoque die salsamentum edat optimum, ac pinguissimum, & in prandio mazam sumat. in cœna verò etiam panem ad hanc addat, & nihil sorbeat, neque cyceonem bibat; si edere poterit. Porrò obsonia condiat, ac edat de sesamo pro tritico, & coriandro, ac anetho. Silphio autem ne vtatur, neque alio quopiam olere acri præterquàm origano, aut thymo, aut ruta. Deambulationibus autem vtatur ante, & post cibum, vitans ventum, & solem. Ab ebrietatibus, & re venerea abstineat. Lauet tepida, excepto capite, quod quàmrarissime lauari debet.

Tabes dorsalis.

19 Dorsalis tabes à medulla fit. Corripit autem maxime recentes sponsos,& Veneri deditos. Sũt autem sine febre, & bene cibum capiunt, ac consumuntur. Et si interroges ita affectum; dicet sibi superne de capite in spinã velut formicas descendere videri. &, vbi mingit,aut ventrem exonerat; prodit ipsi genitale semen multum,ac liquidum, & genitura in vtero non manet,& in somnis semen profundit;siue dormiat cum vxore,siue non. Et,quum iter fecerit,aut cucurrerit,tum aliàs, tum ad accliuẽ locum; anhelatio,ac debilitas ipsum corripit, & capitis grauitas,& aures sonant. Hunc temporis progressu vbi febres fortes ipsum corripuerint; perdunt febres lipyriæ. Quum ita habuerit; si ab initio curãdum susceperis; fomento per totum corpus adhibito, medicamẽtum sursum purgans bibendum ipsi dato, & postea caput purgato. Deinde deorsum purgans exhibeto. Optandum autem fuerit, vt vere hanc curationem aggrediamur. Posteà verò serum,aut lac asininum bibendum dato. Cæterum bubulum lac per quadraginta dies bibendum præbeto. Ad vesperam verò quamdiu lac potat,alicam sorbendam dato. A cibis autem abstineat. Postquam verò lac bibere cessarit; cibis mollibus ipsum reficito, ex modico initium sumens, & quàmmaxime crassum, ac pinguẽ facere studeto. Per annũ ab ebrietatibus, & venere, & laboribus abstineat, exceptis deambulationibus, in quibus vitet frigus, & solem. Tepida autem lauet.

Pulmonis morbus.

50 Saliua crassa, ac fuliginosa tussi reijcitur, & color niger, ac subturgidus est. & dolores tenues sub pectus, & sub scapulas fiunt: & vlcera ipsis ægre sanescunt. Minus tamen periculosus est hic morbus superiore, & plures euadunt. Hunc veratrum bibere oportet, & per se, & lenticulæ decocto ammixtum. Infundere etiam in pulmonem oportet, ac suffitum facere. Cibis quoque large vtatur,abstinendo à carnibus bubulis,ouillis,& porcinis,& ab acribus oleribus,præterquàm origano,aut satureia. Vtatur deambulationibus. Mane verò ieiunus ad accliuem locum iter faciat. Deinde folia condimentaria hortensia bibat in vinum temperatum insperſa: deinde verò cibis relatis vtatur.

Arteria vulnerata.

51 Si vulnerata fuerit arteria; tussis habet,& sanguinem tussiendo reijcit, & fauces sanguine latenter implentur,& grumos eijcit,& dolor fit acutus ex pectore ad dorsum,& saliua viscosa,ac multa,& fauces siccę,& febris,ac rigor corripit,& strident fauces velut à pinguedine,atque hæc ad quindecim dies patitur. Postea verò pus spuit,& velut vlceris ricinos, bronchia in pulmone cartilaginosa, & rursus tussit,& sanè sanguis erũpit, & postea pus crassius spuit, & febris fortior fit,& pulmonẽ definit,& vocatur ruptio pulmonis. At, si post primum sanguinem pus non spuat; à laboribus, ac exercitijs quiescere oportet, & vehiculum inscendere, abstinereque à cibis salsis, ac pinguibus, & ab oleribus acribus. & postquã ipse seipsum optime corpore affectum esse putat; pectus, ac dorsum inurito,ex parte vtrunque. &, postquàm vlcera sana fuerint; per annum abstineat ab ebrietate,& ne nimium impleatur, neque manibus laboret, neque vehiculum inscendat; sed studeat, vt corpus quàmmaxime crassum efficiat.

Articuli pulmonis conuulsi.

52 Quum articuli pulmonis fuerint cõuulsi;sputum spuit album, quandoque verò cruenta, & desipit,& febris tenet,& dolor pectus,dorsum,ac latus. &,si se vertat;tussit,& sternutat. Huic,qua parte dolor fuerit,calefactoria apponito:& centaurium,& daucum, & saluiæ folia trita,melle,& aceto affuso,præsorbẽda dato,& aquam insuper sorbendã. Et ptisanæ succum præsorbeat, & vinum aquosum insuper bibat. Postquam verò dolor sedatus fuerit; saluiam tusam, ac cribratam,& hypericum,& irionẽ trita,& polentã,singula paribus portionibus,in vinũ temperatum coniecta,ieiunio bibenda prębeto. At,si ieiunus non sit; leguminis fresi decoctũ sine sale sorbẽdum dato. Si verò calor fuerit;cibis utatus molliſſimis,non salsis,& minime nidorosis: vbi iam probe se habuerit corpus; & in pectore,& in dorso. At,si ambo conuulsa fuerint; tussis emergit,& saliua crassa, ac alba apparet,& dolor acutus adest ad pectus,& sub scapulas,ac latus:& odor detinet,& rubicundis tibijs circulis impletur,& pruritum habet, & non sustinet neque sedere,neque iacere,neque stare,sed ægre afficitur,ac uiribus deficit. Hic quarta die maxime moritur. Si uerò hanc effugerit; spes neque sic multa supereſt. Verùm periclitatur & in septima. Quòd,si & hanc effugiat;sanus euadit. Hunc ubi sic habuerit; multa calida bis in die lauato. Et,quum dolor habuerit;calefactoria adhibeto, & mel, & acetum bibendum dato, & ptisanæ succum sorbendum, & uinum album uinosum insuper bibendũ. Si uerò ab balneũ, & calefactoria affligatur,ipsaque non sustineat;crassi lintei panniculos ipsi adhibeto, quos aqua tinctos in pectus,ac dorsum imponas. Et fauum mellis aqua frigidissima macerato,aquamque bibendam dato:& frigidum ptisanæ succum,& aquam insuper bibat,& ad frigus decumbat. Hæc facienda sunt. Verùm morbus lethalis est.

Erysipelas in pulmone.

53 Si erysipelas in pulmone fiat;tussis habet, & saliuã expuit multam,ac liquidam,velut de gutture; nõ est autem cruenta. & dolor tenet dorsum, & vacuas partes ventris, ac laterum mollitudinem: & viscera sugunt, & vomit pituitam, ac velut acetum, & dentes stupescunt, & febris, ac rigor, & sitis corripit.&, vbi quid ederit;in viscеribus sugit,& acidũ eructat, & vẽter stridet,& corpus torpescit,&, vbi vomuerit melius se habere putat. Quum aũt non vomuerit;digressa die tormen,& dolor in ventre oboritur,& excrementum alui liquidum procedit. Hic morbus maxime fit ex ebrietatibus, & carnium esu, & ex aquæ mutatione. Sed & ex alijs causis emergit. Huic pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & lac asininum insuper bibendum;si non natura fuerit splenicus. Si verò splenicus fuerit;ne purges,neque succis, neque lacte,neque sero; sed eo quod modicum ingestum multum educet. Per clysteres quoque infusio in aluum fiat,& glandulæ subdãtur in omnibus morbis;si aluus non egerat. Adhibendum est & frigidæ lauacrũ in hoc morbo,& exercitiũ; vbi febres remiserint, & corpus leuiter se habere visum fuerit. Et

uere, & autumno vomitus inducatur. At verò allij capita, & origani pugillum, quantum tribus digitis apprehēdi poteſt, duabus heminis vini dulcis affuſis, & aceti acerrimi hemina vna, & mellis quarta hemi næ parte coquito, donec tertia pars reliqua fiat. Deinde vbi hominem exercueris, & aqua tepida laueris; calidum hoc bibendum præbeto. Dato etiam lenticulę decoctum, melle, & aceto ammixtis, donec impleatur. Deinde vomat, & ea die pota polēta & aqua, ita ieiunus permaneat. Ad veſperam verò betā edat, & parum de maza, & vinū aquoſum bibat. Reliquo verò tempore, à lenticulæ decocto, & à cibis vomat. Et, ſi diſceſſerit dolor ſub ſcapulas; cucurbitam affigito, & venas in manibus pertundito. Cibis porrò vtatur non ſalſis, neque pinguibus. Acria autem, & aci da edat, & frigida omnia. Vtatur & deambulationibus. Hęc ſi fecerit; optima victus ratione vſus fuerit, & per plurimum tempus morbus prorogari poterit. Eſt autem non lethalis; ſed conſeneſcētes relinquit. Si verò iuniorē aliquem citius à morbo liberare voles, vbi ipſum purgaris; pectus, & dorſum inurito.

Morbus dorſalis.

54 Rigor, & febris, & tuſſis, & ſpirandi difficultas corripit, & ſaliuam ſpuit cum virore pallidam quandoque etiam ſubcruentam: & dolet maxime dorſum, & inguina: & tertia, aut quarta die cruentam vrinam mingit, & moritur ſeptima die. Si verò quatuordecim dies effugerit; ſanus euadit: effugit autem non ita valde. Huic aquam mulſam bibendam dato, in olla noua feruefactam, ac perfrigeratam, apij, aut fœniculi radicis cortice in ipſa macerato. Dato & ptiſanæ ſuccum bis in die, & vinum album aquoſum inſuper bibendum. Qua verò parte dolor conſtiterit, calefactoria adhibeto, & calida lauato; ſi non febris multa vexet. Poſtquam autem quatuordecim dies præterierint; in prandio quidem ſumat milium; ad veſperum verò carnes catulinas, aut volucrium, coctas edat: & de iuſculo ſorbeat. Cibis autem quàm pauciſſimis primis diebus vtatur.

Tuberculum in pulmone.

55 Quum tuberculum in pulmone natum fuerit; tuſſis tenet, & erectæ ceruicis ſpiratio, & dolor ad pectus acutus, & ad latera, & vſque ad quatuordecim dies ita afficitur: nam pleriſque per tot dies tuberculi affectio inflammatur. Sed & caput dolet, & palpebras, & videre non poteſt: & corpus ſubfluuum fit, ac venis impletur. Hunc multa calida lauato, & aquam mulſam aquoſam bibendam dato, & ptiſanæ ſuccum ſorbendum, & vinum aquoſum inſuper bibendum. Si verò dolor vrgeat; calefactoria adhibeto. Vbi autem ſedatus fuerit; cibis molliſſimis vtatur. Quòd, ſi liberatum à morbo ſpirandi difficultas corripiat, dum ad accliuem locum rectà pergit, aut aliàs feſtinat, pharmacum dato, à quo inferna aluus non moueatur. Et, ſi unà cum uomitu pus ſequatur, ſi quidem pus fuerit album, & fibrę in ipſo ſubcruentæ fuerint; effugit: ſi verò liuidum, & cum virore pallidum, ac graueolens, moritur. Purgantur autem in quadraginta diebus ab ea, qua erupit. Multis etiam annuus fit morbus. Hunc velut ſuppuratum curare oportet. Quòd ſi non erumpat (multis enim progreſſu temporis abſcedit ad latus, & extumeſcit) hunc, ſi hoc fiat; ſecato, aut vrito.

Pulmo repletus.

56 Si pulmo repletus fuerit; tuſſis tenet, & erectę ceruicis ſpiratio, ac anhelatio, & linguam exerit, rubicundis circulis in tibijs repletur, & pruritus vexat, & dolor acutus emergit ad pectus, & ſcapulas, & non poteſt ſedere, heque iacere, neque ſtare, ſed ægris viribus eſt. Hic quarta die maxime moritur. Si verò hanc euaſerit; ſpes plerunque eſt: periclitatur tamen etiam in ſeptima. Si verò hanc effugerit; ſanus euadit. Hunc vbi ita habuerit; multa calida bis in die lauato, & vbi dolor habuerit; calefactoria adhibeto. Et mel, & acetum cocta bibenda dato, & ptiſanæ ſuc cum ſorbendum, ac vinum inſuper bibendum. Si verò ad balneum, & calefactoria affligatur, & ipſa non ſuſtineat; perfrigeratorium ipſi adhibeto: & fauum mellis aqua frigidiſſima macerato, aquamque bibendam dato. Et decumbat ad frigus. Hæc faciat. Morbus autem grauis eſt, & lethalis.

Pulmo ad latus prolapſus.

57 Si pulmo ad latus prolapſus fuerit; tuſſis tenet, & erectæ ceruicis ſpiratio, & ſaliuam tuſſiendo reijcit albam, & dolor ad pectus, & dorſum emergit, & incumbens pulmo impellit, & graue quiddam in pectore incumbere videtur, & dolores acuti pungunt, & ſanguis ſtridet velut pellis, & ſpirationem cohibet, & ad affectum quidem latus decubitum ſubſtinet, non autem ad ſanum: verùm veluti graue quiddam ipſi de latere pendere videtur, & per pectus tranſpirare ſe putat. Hunc calida multa bis in die lauato, & aquam mulſam ipſi bibendam dato. Poſt balneum, vinum album cum modico melle miſceto, & dauci, ac centaurij ſemina trita his diluito, & tepida hęc ſorbēda præbeto. Et infuſam aquam calidam in vētriculum, aut veſicem bubulam, ad latus apponito, & faſcia pectori alligato, Decumbat in latus ſanum. Ptiſanę ſuccum tepidum præbeto, & vinum aquoſum inſuper bibendum. At, ſi ex vulnere hoc fiat, aut ſuppurato ſecto, (fieri enim in his ſolet) huic veſicam ad fiſtulam alligatam flatu impleto, ac intrò mittito, & penicillū ſolidum ſtāneum indito, ac vlterius propellito. Sic curationem inſtituens, maxime profeceris.

Lateris tuberculum.

58 Quum in latere tuberculum fit; tuſſis emergit dura; & dolor, & febris, & grauitas in latere incumbit, & dolor acutus in eodem ſemper loco urget, & ſitis uehemens, & calidum potum auerſatur, & in dolens latus decumbere non poteſt, ſed in ſanum. At, vbi decumbit; uelut lapis impendere ipſi uidetur, & intumeſcit, & rubeſcit, & pedes intumeſcunt. Hunc ſecato, aut urito: Poſtea pus emittito, uſque ad decimum diem, linamento ex lino crudo indito. Decima autem die pure omni emiſſo, uinum, & oleum tepida immittito, ut ne derepente reſiccetur, & linamento ex linteolo utitor, ubi uerò id, quod infuſum eſt, emiſeris aliud infundito; atque hęc per dies quinque facito. Poſtquàm autem pus tenue effluxerit, uelut ptiſanæ ſuccus, ac modicum, ad manus contactum: ſtanneum penicillum indito, &, ubi penitus reſiccatum fuerit: linamento ſemper modice præſecto, ulcus ad linamentum coaleſcere ſinito.

Hydrops pulmonis.

59 Si hydrops in pulmone fiat; febris,& tussis tenet, & aceruatim respirat,& pedes tument,& vngues cõ trahuntur omnes,& patitur talia, qualia is,qui suppuratus fit,sed debilius,ac diuturnius. Et si quid infundas,aut fomentum,aut suffitum adhibeas:pus nõ sequitur. atque ex hoc sane cognoueris,non pus,sed aquam intus esse. Et, si multo tẽpore aure ad latera adhibita audire tentaueris; ebullit intrinsecus,velut acetum: & hæc quidem aliquandiu patitur, postea erumpit ad aluum,& statim quidem sanus esse sibi videtur,ac à morbo liberatus. Verùm progressu tẽporis aluus incenditur,eademque illa patitur,& adhuc amplius. Aliqui etiam intumescunt ventre,scroto,ac facie. Et quidam ab inferna aluo id esse putãt, quum videant ventrem magnum,& pedes tumentes. Intumescunt enim hæc; si sectionis tempus trãsgrediaris. Hunc si quidem extra intumuerit;inter costas sectum curare oportet. Si verò non intumuerit;multa calida lotum velut suppuratos collocato,& qua parte strepitum perceperis, ea secato, quàm potes infimo loco;quò effluxio facilis contingat. Postquam secueris: lineamento ex lino crudo indito, ita vt crassum, & acutum linamentum facias, & sanguinem pauciſſimum parce emittas. Et si quidem in linamẽto pus adhæserit quinta die,plerunque euadit:sin minus; vbi aquam exhauseris, sitis corripit, & tussis, & moritur.

Pectus, aut dorsum ruptum.

60 Si pectus aut dorsum fuerit ruptum; dolores tenẽt pectus,ac dorsum perpetuo,& calor aliàs, atque aliàs corripit,& saliuam suberuen tam tussiendo reiicit, & velut pilus cruentus per saliuam transcurrit. Atque hæc maxime patitur;si manibus quid laborarit,aut in currum aut equum inscenderit. Hunc ante,& retro vrito ex partibus vtroq; loco, & sic sanus euadit. Cæterùm per annum à labore se contineat, & ab vstura pinguefaciendo corpori studeat.

Febris ardens.

61 Febris tenet,& sitis vehemens,& lingua aspera,& nigra,& cum virore pallida, & sicca,& vehementer rubicunda;& oculi cum virore pallidi sunt,& excrementum egerit rubicũdum,& cum virore pallidum. talem quoque vrinam mingit,& multum spuit. Sæpe etiam transmutatur velut ad peripneumoniam,& delirat. Ex qua re cognoueris, quòd peripneumonia fit. Hic si quidem peripneumonicus fiat, & quatuordecim dies transgrediatur;sanus fit. Si verò in decem & octo diebus peripneumonicus fiat; si non impurgatus permanens suppuratus fiat; aquam de crassa farina in ipsa macerata bibat, & acetum album quàm odoratiſſimum postea bibat, & ptisanæ succum sorbeat bis in die; si verò debilis fuerit;ter. Et vinum vinosum,album,aquosum insuper bibat, & quàm minimum lauet. At,si suppuratus fiat; velut suppuratum curato.

Febris singultiens.

62 Febris detinet vehemens, & rigor,& tussis,& singultus, & vna cum saliua grumos sanguinis tussiendo reijcit,& septima die moritur. Si verò decem dies effugerit; melius habet. Verùm vigesima suppuratur,& primis diebus pus modicum tussiendo reiicit, deinde amplius. Purgatur autem in quadraginta diebus. Huic primis diebus acetum,& mel cocta bibenda dato,& postea acetum,& aquam ammiscето; quò aquosior potio fiat. Et ptisanæ succum modico melle ammixto sorbeat,& vinum album uinosum insuper bibat. Postquam autem decem dies præterierint, si febris sedetur,& sputum purum sit; ptisanam integram sorbeat,aut milium. At, si vigesima die pus spuat;saluiã,& rutam,& satueriam, & origanum, ac hypericum, singula æquis portionibus contusa, ac cribrata permiscеat,itavt omnium cyathi parui,siue conchæ marinæ sit mensura, & polentę tantundem. Hæc ieiunus in vino dulci temperato bibat. Et, si hyems sit,aut autumnus,aut ver; sorbitionibus vtatur;si verò æstas: minime. Verùm amygdalas,& cucumeris semen torrefactum,& sesamum, singula æquis partibus, vt in totum sit conchæ marinæ mensura,terat,& aquæ heminam Aegineam affundat, & farinam,ac fauum inspergat. Hæc post potum sorbeat. Cibis vtatur pinguibus,& salsis,& marinis magis,quàm carnibus. Calida lauet,minime verò caput. Hæc faciens à morbo liberatur.

Morbus lethargus dictus.

63 Tussis oboritur,& saliuam spuit multam,ac liquidam,& nugas garrit,&,vbi nugari desierit; dormit: recrementum male olens egerit. Huic aquam demacerata in ipsa farina crassa bibendam dato,& uinum album vinosum postea bibendum, & ptisanæ succũ sorbendum. Verùm huic mali punici succum ammiscето & vinum vinosum album insuper bibat, & neuet. Hic in septem diebus moritur. Si verò has effugerit; sanus euadit.

Morbus,siccatorius appellatus.

64 Neque sine cibo esse, neque cibum acceptum tolerare potest. Verùm,vbi quidem sine cibo manet; viscera sugunt,& os ventriculi dolet, & aliàs alia vomit,& bilem,& saliuam,& pituitam,& acria:&,post quã vomuit;aliquãtisper melius habere sibi videtur. At, vbi cibum accepit,ructus adsunt,& cum rubore exardescit,& semper multum se cacaturum esse putat. vbj verò ea gratia desederit;flatus prodit:& dolor caput habet,& totum corpus uelut aciculis pungi videtur,aliàs alia parte: & crura grauia sunt,ac debilia,& consumitur,ac debilis fit. Huic medicamentum bibendum dato, primùm deorsum purgans,postea superne: & caput purgato, & à cibis abstineat dulcibus,& oleosis,ac pinguibus,& ab ebrietatibus. Vomat autem à succis,& à cibis,& pro anni tempore lac,aut serum asininum bibendum prębens, pharmacum insuper bibendum dato,vtro tandem magis opus esse tibi visum fuerit. Aestate,& vere frigida lauet. Autumno autem,& hyeme vnguento vtatur,& deambulet, & modice se exerceat. Si verò debilior sit,quàm vt exerceri possit;iter faciat. Et cibis frigidis,ac aluum subeuntibus vtatur. Et si venter nõ egerat: molle infusum per clysterẽ inicito. Morbus hic diuturnus est,& consenescentes,si ita futurum est: relinquit;sin minus;commoritur.

Febris interficiens appellata.

65 Febris tenet, & rigor, & supercilia impendere videntur,& caput dolet,& vomit saliuam calidam,& bilem multam;quandoque etiam infra egerit,& loci oculos non capiunt, & dolor ad ceruicem, & ad inguina

guina emergit,& affectis viribus est,& nugas garrit. Hic septima die,aut etiam prius moritur.Si verò hãc effugerit; plerunque sanus fit. Morbus est lethalis. Huic perfrigeratoria adhibere oportet ad viscera,& ad caput,& ordeum torrefactum vnà cum paleis fractum aqua macerare,& de excolata aqua,mulsam facere; atque hanc aquosam bibẽdam dare. Cibum autem non offerre,neque sorbitionem, vsque ad septimum diem;si non debilis esse visus fuerit.Si verò sit; ptisanæ succum frigidum, ac tenuem modicum, bis in die exhibere, & aquam insuper bibendam. Postquam verò septem dies præterierint,& febris dimiserit; milium lingat. Ad vesperam cucurbitam,aut betas paucas sumat,& vinum album aquosum inde bibat; donec ad nonum peruenìat diem. Postea cibo quàm pauciſſimo vtatur,milium in prandio sumens. Balneo,donec dolor, & febris affuerint; ne vtatur. vbi verò cessauerint:multa lauet.Quòd,si venter nõ egerat; molle infusum per clysterem immittito, aut glandulas subdito.Quum verò validus factus fuerit; molli pharmaco ad nares apposito, aluum infra purgato:postea lac asininum bibendum dato.

Morbus liuidus.

66 Febris detinet sicca,& horror aliàs, atque aliàs,& caput dolet, & dolor viscera tenet, & bilem vomit, & quum dolor tenet; suspicere non potest,sed grauatur,& venter durus fit.& color liuidus,& labia,ac albæ oculorum partes liuescunt, & aspectum præ se fert velut,qui strangulatur.Quandoque etiam colorem transmutat,& ex liuido cum virore subpallidus fit.Huic medicamentum & deorsum,& sursum purgans bibendum dato,& clysterem adhibeto, & à capite purgato. Et calida quã minime lauet;sed & vbi lauerit,ad solem apricetur.Serum etiam,& lac asinum pro anni tempore bibat, & cibis quàmollissimis vtatur,& frigidis abstinens ab acribus,& salsis: verùm dulcioribus,ac pinguiorib. vtatur. Cæterùm hic morbus vt plurimum cum ægro commoritur.

Morbus ructuosus.

67 Dolor corripit acutus, & dolitat vehementer,& ipse seipsum iactat,& vociferatur, & frequenter eructat,&,vbi eructauit,melius habere sibi videtur.Sæpe etiam bilem reuomit modicam,poculi parui mensura,& dolor corripit à visceribus ad imum vẽtrem, & laterum mollitudinem.&, vbi hoc factum fuerit, melius habere sibi videtur,& venter inflatur,ac durus fit, & strepit, & flatus non egreditur, neque stercus. Hunc si dolor habuerit,multa calida lauato,& calefactoria ipsi adhibeto.Vbi verò in ventre dolor, ac flatus fuerit; clysterem adhibeto:& mercurialis coctæ succum,ad ptisanæ succum ammisceto,ac sorbendum dato,& vinum dulce,aquosum, insuper sorbendum. Cibum autem ne exhibeas;donec dolor remiserit,& vuarum expressarum retrimenta dulcia, per noctem in aqua maceret, & hanc aquam per sex dies bibat. Si verò vuarum expressarum retrimenta non habeat; mel, & acetum cocta bibat. Postquam autem dolorem emouerit;medicamento deorsum aluum purgato. Cibis vtatur inde mollibus,& aluum subeuntibus, & marinis magis,quàm carnibus,carnibus autem volucrium,& ouillis coctis. edat etiam betas,& cucurbitam. ab alijs verò abstineat. Morbus hic si iuuenem corripiat; tempore decedit:si seniorem;commoritur.

Morbus pituitosus.

68 Corripit quidem morbus pituitosus etiam virum sed magis mulierem:& est hæc quidem crassa,& bene colorata;verùm iter faciens debilitatur, & maxime si ad accliuem locum iter faciat. Corripit ipsam etiam febris tenuis,quandoque etiam suffocatio: & euomit,vbi ieiuna est; bilem,& saliuas multas, sæpe etiam vbi cibum accepit,de cibo tamen nihil:&,quũ laborarit,dolet pectus,& dorsum,aliàs alia parte,& rubicundis cutis eminentijs impletur, uelut ab vrtica inustis. Huic medicamentum bibendum dato,& serum,ac lac asininum bibat.Si verò serum potet;medicamentum deorsum purgans ad plurimos dies prę bibendum dato.Et,si serum bibere desieri; lac asininum postea bibat:&,dum hoc potarit;à cibis quidẽ abstineat.vinum verò quàmiucũdissimum bibat,donec purgari desinat. At vbi à potione cessauerit; milium in prandio sumat.Vesperi cibo molliſſimo utatur,ac pauciſſimo. Abstineat à pinguibus, & dulcibus,ac oleosis. Et aliàs, atque aliàs, maxime tamen hyeme,à lenticulæ decocto,vomat,oleribus prę sumptis. Et calida quàmminimum lauet,& sed ad solem apricetur.Morbus autem commoritur.

Pituita alba.

69 Intumescit totum corpus albo tumore, & venter ad contactum crassus est,& pedes, ac femora tumẽt: tibiæ item,ac scrotum: & aceruatim respirant,& facies rubicunda est,& os siccum, & sitis tenet,&,vbi cibum accepit,spiritus frequens incumbit.Hic eadẽ die quandoque melius habet,quandoq; peius. Huic si quidem vẽter sua sponte turbatus fuerit in principio morbi; proximus sanitati est:si verò non turbetur; medicamentum deorsum purgans dato, à quo aqua purgetur. Et calida non lauet,& sub dio exponatur:& scrotum vbi impletum fuerit;secato.Cibis vtatur,pane puro frigido, & beta, & piscibus scorpijs coctis,iusculo autem quàm pauciſſimo.Et frigida omnia edat,& non dulcia,neque pinguia: sed trita,& acida, & acria, excepto allio, cepa, & porro. Origanum verò, & satureiam multam edat,& vinũ inde vinosum bibat:& ante cibum iter faciat.At,si à medicamento tumeat; clysterem adhibeto, & cibo, deambulationibus,& illuuie premito. Medicamenta verò quàmpauciſſima exhibeto. Verùm sursum purgans non prius dederis, quàm tumores ad infernas partes descenderint. Quòd si extenuato iam ipso suffocatio in pectore oboriatur; veratrum bibẽdum dato,& caput purgato, & postea deorsum purgans bibat.Morbus hic maxime à nullo discedit.

Cura, morbus difficilis.

70 In uiscerib⁹ ueluti spina esse uidetur, & pungere,& anxietas ipsum corripit, & lucem, ac homines fugit,& tenebras amat, & timer inuadit, & septum transuersum foris tumet,& ad contactum dolet,& expauescit,& terriculamẽta,ac somnia horrenda uidet,& quandoque etiam mortuos.Et morbus hic fere plurimos uere corripit.Huic ueratrum bibendum dato, & caput purgato, & post capitis purgationem pharmacum deorsum purgans bibat,postea uerò lac asininum bibat.Cibis utatur quàmpauciſſimis, si nõ

debilis

debilis fuerit,& frigidis. & aluũ ſubeuntibus,& non acribus,neque ſalſis, neq; pinguibus, neq; dulcibus. Et calida non lauet, neque vinum bibat; ſed aquam maxime,aut ſaltem vinum aquoſum. Neque exercitijs vtatur,neque deambulet. Hæc ſi fecerit;à morbo liberabitur temporis progreſſu: ſi verò neglexerit; commorietur.

Morbus niger.

71 Nigrum vomit veluti fecem, quandoque cruentum,quandoque velut vinum ſecundarium,quandoque velut polypi atramentum,quandoque acre, velut acetum, quandoque ſaliuam, & pituitam, quandoque bilem cum virore pallidam. Et, vbi quidem nigrum cruentum vomuerit;cadaueris fœtorem refert:& fauces,& os à vomitu aduruntur,& dẽtes ſtupeſcunt,& id,quod vomitu reiectum eſt,terram eleuat. Et poſt quàm vomuit;paululum melius ſe habere putat. Et neque ſine cibo eſſe,neque ampliorem cibum ferre poteſt. Verùm,ubi ſine cibo manet;viſcera ſugunt,& ſaliuæ acidę ſunt. Quum verò cibum accepit;grauitas in viſceribus eſt,& pectus,ac dorſum velut ſtilis pungi videntur, & dolor tenet latera, & febris debilis eſt,& caput dolet, & oculis non videt, & crura grauantur,& color niger eſt,& conſumitur. Huic pharmacum bibendum dato frequẽter, & pro anni tempore,& ſerum,& lac. Et à cibis abſtineat dulcibus,& oleoſis,ac pinguibus, & frigidiſſimis,ac maxime per aluum ſubeuntibus vtatur. Et caput purgato,& poſt medicamentorum potiones ſurſum purgantes,de manibus ſanguinem detrahito; ſi non fuerit debilis. At ſi aluus non egerat;molle infuſum per clyſterem immittito. Et abſtineat ab ebrietatibus,& venere. Si coierit;ieiunus fomentis vtatur. Et à ſole abſtineat,neque multũ ſe exerceat, neque deambulet,neque calida lauet,neque acria edat,neque ſalſa. Hæc facienda ſunt. Et vnà cum ætate aufugit etiam morbus, & cum corpore ſeneſcit. Si verò denigratus fuerit;commoritur.

Alius morbus niger.

72 Subfuluus, & gracilis, & oculis cum virore pallidis fit,& tenuem cutem habet,ac debilis eſt. Quantò autem tempus amplius progreditur, tantò morbus amplius affligit. Et vomit omni tempore velut ſtillamentum modicum,ad duorum poculorum paruorum menſuram,& frequẽter etiam cibum,ac vnà cum cibo bilem,& pituitam: & poſt vomitum dolet totum corpus,aliquando etiam antequàm vomat. Et horrores tenues,ac febris tenet, & ad dulcia,ac oleoſa maxime vomit. Hunc medicamentis ſurſum,ac deorſum purgare oportet,& lac aſininum poſtea bibendum præbere. Cibis autem vtatur molliſſimis,ac frigidis,piſcibus littoralibus,& cartilaginei generis, betis,& cucurbitis,& carnibus tritis. Vinum bibat album,vinoſum,aquoſius. Labore,& deambulationibus vtatur,& calida ne lauet,& à ſole abſtineat. Atque hæc ſanè facienda ſunt. Verùm morbus lethalis quidem eſt;non autem conſeneſcit.

Morbus corruptorius.

73 Alia quidem omnia eodem modo patitur. Verùm grumos bilis concretos vomit, & deorſum ſimiliter egerit; poſtquam cibos ex creuit. Cęterum eadem facere oportet,quæ in priore morbo relata ſunt,& clyſterem adhibere.

HIPPOCRATIS COI
De Morbis Liber III.

Argumentum in Librum ſequentem.

1 *De Cerebri humore, & quæ ſigna cerebri inflammationem comitentur: & eius curatio.*
2 *De doloris ex cerebri repletione cauſis, curatio. Aurium collutio. Lac muliebre.*
3 *De ſyderatorum ſignis, & curatione.*
4 *De Cerebri corrupti ſignis, & curatione.*
5 *De Lethargi morbi ſignus & curatione. Ex Lethargo ſuppurati.*
6 *De morbi ſiue febris ardentis ſignis, & eius curatione. Aqua vomitum plerunque ciet.*
7 *De pulmonis tumentis præ calore ſignis, & curatione. Sanguinis de naſo & lingua miſſio.*
8 *De capitis doloris acuti cum vocis interceptione ab ebrietate, tum aliàs ſignis, & curatione.*
9 *De Phrenitidis ſignis, & curatione.*
10 *De Anginæ ſignis, & curatione.*
11 *De Angina lenti Paracynanche appellata, & eius curatione. Venæ ſub mammas ſectio. Suffitus.*
12 *De morbi regij ſignis. Vrina ictericorum, & eius curatio. Nuces Thaſiæ.*
13 *De Diſtentionum (Tetani appellantur) ſignis & curatione. Potum, ſorbitiones, & pituitam per nares reuomere.*
14 *De diſtentionis in poſteriores partes, ſeu opiſthotoni ſignis, & eius curationes. Aquæ frigidæ ſuperfuſio.*
15 *De voluulorum generatione & ſignis, & curatione. Flatus in ventrem per follem immiſſio. Febris amoto voluulo. Aluus inferna ſoluta amoto voluulo.*
16 *De Peripneumoniæ ſignis. Lingua in peripneumonicis citius & tardius nigreſcens. Saliua inſuauis.*
17 *Peripneumoniæ, pleuritidis, & phrenitidis eadem curatio. Sorbitiones dulces ad ſputum ſurſum excreandum conducunt. Multus humor infra ſecedens.*
18 *Saliua non probe purgata, quid denotet. Daucus.*
19 *De pleuriticorum ſignis. Pleuritis gemina, ſanguinea & biliosa. Singultus cum ſanguine.*
20 *De pleuritidis ſiccæ ſignis.*
21 *De pleuritidis ex dorſo ſignis. Saniei ſubcruentæ mictio. Sputa varia.*
22 *Suppuratum fieri ex pleuritide, minus lethale. Lingua in*

in omni pleuritide, considerãda. Bulla subliuida in lingua. Quo tempore dolores in pleuritide fiant.

23 *Pleuritides quomodo curandæ. Clyster ex aristolochia.*

24 *Quando à curatione pleuriticorum abstinendum.*

25 *Sanguineæ pleuritidis curatio.*

26 *Tussis aridæ generatio. Puris eruptio ex pulmone.*

27 *Sectio aut vstio dextrarum partium in pleuritide periculosior: & dextrarum partium morbi robustiores. Terra Erethria ad refrigerandum in pleuritide.*

28 *Corporibus, priusquam secentur aut vrantur, cur nota imprimenda. Suppuratorum ex vulnere & peripneumonia, eadem quæ pleuritidis consideratio & curatio.*

29 *De frigefactorijs potionibus in febri ardenti. Ad omnem febrem ardentem potio. Potio vrinam mouens, frigefaciens, & sitim sedans. Vini Thasii potio. Morbus regius cum febri. Vrinam cientia & bilem per aluum trahentia.*

Cerebri tumor.

1 DE febribus vniuersis à me dictũ est, de reliquis iam dicam. Quum cerebrum ab inflammatione tumuerit; totum caput occupat, maxime qua parte constiterit inflammatio. Consistit autem in temporibus: & aures sonitu implentur, & auditus hebescit, & venæ extentæ sunt, ac pulsant: & febris ac, rigor aliquando corripiunt, & dolor nunquam deficit; sed quandoque remittit, quandoque magis premit, & vociferatur, ac exilit præ dolore. Et, vbi surrexit; rursus ad lectum decumbere festinat, & iactat seipsum. Hic lethaliter quidem affectus est. in quot verò diebus morietur, non habet iudicationem: nam alij aliter pereunt. Plerunque tamen in septem diebus moriuntur. Si verò vigesimumprimum effugerint, sani fiunt Quum ita que dolor vexarit, frigefacere caput oportet, maxime quidem per rasuram, aut frigefactorio aliquo, velut est solani succus, & terra figularis, in vesicam, aut folliculum immisso, ita vt vicissim modo apponas, modo auferas, prius quàm tepescant. Sed & sanguinem detrahere oportet, & caput purgare, ad apij succos odoratis ammixtis. A vino autem in totum abstinere: Ptisanæ succum sorbere, & infernam aluum soluere.

Cerebri repletio dolorosa.

2 Quum doluerit caput, præ cerebri repletione; vitiosorum humorum purgationem non factam esse significat, & dolores totum caput tenent, & delirat, & moritur septima die: & euadere non poterit; si non eruperit humor septima die per aures. Sic enim & dolor sedatur, & resipiscit: effluit autem multus, & inodorus. Huius aures priusquàm pus erupisse videris; potius curato. Si verò supernam, ac infernam aluum purgare voles seorsum vtrãque soluito. Postea capiti maxime quidem vniuerso; sed & per aures, & per nares fomentum adhibeto. Sorbeat autem ptisanæ succum, & à vino abstineat in totum. Postquam verò eruperit pus contineto te, donec multa fluxio sedetur. postea aures colluito vino dulci; aut lacte muliebri, aut oleo veteri, atque hæc tepida infundãtur. Caput verò frequenter mollibus, ac odoratis fomentis foueto; quò citius cerebrum purgetur: hic primum quidem non audit, progressu verò temporis & fluxio minor fit, & auditus vnà cum fluxione penitus quiescente contingit, & maxime sibijpsi similis redit. Cauere autem oportet solem, ventos, ignem fumum, acrium odores, & alia huiusmodi: & quiescere, ac molli victus ratione vti. Sit autem aluus inferna præ vasorum vacuatione solutu facilis.

Syderati.

3 Qui icti, ac syderati esse dicuntur, quum cerebrũ multa immunditia vitiosorum humorum repletum fuerit, anterior capitis pas primũ dolorem ipsis exhibet; & suspicere non possunt, aliqui ambobus oculis, aliqui altero, & sopor ipsos tenet, & desipiunt, & tẽpora saliunt, & febris tenuis habet, & corporis impotentia Hic tertia, aut quinta die moritus, & ad septẽ non deuenit. Si verò deuenerit; à morbo liber euadit. Hunc si curare voles; capiti fomenta adhibeto, & sectione facta transpirationem efficito. Si verò dolor tenuerit; etiam sternutationes inducere oportet, & caput purgare leuibus, ac odoratis, infernam item aluum purgare. A vino autem penitus abstineat, & ptisanæ succo vtatur.

Cerebri corruptio.

4 Si cerebrum corruptum fuerit; dolor caput tenet, & per collum procedit ad spinam, & æger nõ audit, & frigus ad caput deuenit, & totus intumescit, & de repente priuatur voce, & ex naribus sanguis fluit, & liuidus fit. Quòd si morbus leuiter corripiat; vbi sanguis discessit, melius habet. Si verò vehementer correptus fuerit; cito perit. Huic sternutationes per odorata inducito, & aluum vtranque, aut alteram saltẽ purgato, & odorata quæ leues odores habent, naribus admoueto: & sorbitionem tenuem, ac tepidam exhibeto. Abstineat autem penitus à vino.

Lethargus.

5 Morbi lethargi appellati status idem est, qui & peripneumoniæ. Verùm difficilior, & nõ omnino liber ac remotus est ab humida peripneumonia. Sed multo tardior est morbus. Patitur autem æger hęc. Tussis & sopor ipsum tenet, & saliuam liquidam ac multam educit, & vehementer impotens est; &, quum moriturus est; multum, atque id liquidũ infra egerit. Huic valde exigua vitæ spes est. Attamen hoc curandũ est, ut plurimum spuat, & calefiat, & à vino abstineat. Si verò effugerit; suppuratus fit.

Morbus, siue febris ardens.

6 In morbo febri ardente appellato, sitis tenet multa, & lingua horret. At color eius primo quidem tempore est, ueluti solet; uerùm ualde sicca est. Progressu uerò temporis induratur, exasperatur, crassescit, ac nigrescit. Si uerò in principio hæc patiantur; citiores iudicationes fiunt; si posterius; tardiores. Cæterũ remissionis eadem omnia signa lingua exhibet, quæ in peripneumonia; & urinæ biliosæ, aut cruentæ, dolorem ampliorem; flauæ uerò, minorem significant, & sputum præ caliditate, ac siccitate combustum, ac crassum est. Sæpe uerò etiam in peripneumoniam transit; quod si contigerit; breui moritur. Hũc autem hoc modo curare oportet. calida bis, aut ter singulis diebus lauato, capite excepto. At in iudicationibus lauare non oportet. Et primis quidem diebus deorsum

fum purgato, & aquam bibendam dato: nam plerunque vomitum aqua ciere solet. Posterioribus verò post purgationem humectato, & sorbitionibus vtatur, ac vinis dulcibus. Quòd si non ab initio ægrum curandum susceperis, sed signis iam in lingua existẽtibus; finere oportet, donec iudicationes præterierint, & linguæ signa mitiora facta fuerint, & neque medicamentum dederis, neque ad purgationem faciendam clysterem adhibueris, priusquam iudicationes prætereant.

Pulmo tumens præ calore.

7 Quũ pulmo tumuerit præ nimio calore repletus; tussis tenet fortis, & dura, & erectę ceruicis spiratio, & aceruatim respirat, & frequenter anhelat, & intumescit, & nares expandit, velut equus ex cursu, & linguam frequenter exerit, & pectus ipsi semper ligari videtur, & grauitas in ipso inesse. Quapropter hanc capere pectus non potest; sed dirumpitur, & impotẽs fit, & dolor acutus emergit: & dorsum, & pectus, & latera, velut acubus punguntur: & ardent hæ pates velut eius, qui sedeat ad ignem, & rubores exoriuntur ad pectus, & dorsum velut à flamma, & morsus fortis incidit, & angustia, vt neque flare, neque sedere, neque decumbere possit. Verùm ita velut disperatis rebus anxius iactat seipsum, & iam mori videtur. Moritur autẽ maxime quarta, aut septima die, quas si effugerit; non valde perit. Hunc si cures infernam aluum quàmcitissime clystere adhibito, probe purgare oportet, & de cubitis, & naso, & lingua, ac de omni corporis parte sanguinem mittere. Potiones item frigefacientes exhibere, & sorbitiones idem præstantes. Danda sunt & vrinam cientia sæpe, sed quæ non calefaciant. Et ad ipsos quidem dolores quum irruunt; calefactoria leuia, ac humida adhibendo. locum calefacere, ac humectare oportet, vbicunque dolor fuerit. ad reliquas verò partes, frigefactoria adhibere, viciſſim ea apponendo, ac tollendo, & vbicunque arserit, frigus facere: A vino autem penitus abstinere.

Capitis dolor.

8 Quum à capite initio sumpto, dolor acutus statim vocẽ interceperit; tum aliàs, tum si ex ebrietate hoc contingat, ita affectus septima die moritur. Minus tamen moriuntur, qui ex ebrietate tale quid perpessi sunt, & voce priuati permanserunt: nam, si eadẽ die, aut postera, aut tertia vocem edant; sani euadunt: faciunt autẽ hoc aliqui ex ebrietate, & neutri moriuntur. His sternuationes fortes inducere oportet, & infusum per clysterem injcere, quod bilem vehementer ducat. Quòd, si sensum æger receperit; Thapsiæ succum in multa calida aqua dato; quò quàmcitissime remouat. Postea attenuato, & à vino prohibeto per septem dies. Detrahendus est, & à lingua sanguis; si venam comprehendere possis.

Phrenitides.

9 Phrenitides fiunt etiam ex alijs morbis. Patiuntur autem ægri hæc. Septum transuersum dolent, vt ne contingere quidem permittant, & febris accedit, & mente mouentur, & intentis oculis vident, & alia similia faciũt his, qui peripneumonia affecti sũt; vbi sanè in peripneumonia mente mouẽtur. Hoc modo affectum calefacere oportet calefactorijs humidis, & potionibus, exceoto vino. Et, si quidem fieri poterit, sursum purgare, & per tussim, ac sputionẽ educere oportet, quemadmodum in peripneumonia. Sin minus; inferna aluus præparanda est, vt egerat. Humectatio autem potionibus; hoc enim conducit. Morbus autem lethalis est: moriuntur enim tertia, aut quinta, aut septima die. Si verò leniter corripiat; iudicat, velut peripneumonia.

Angina.

10 Ab angina appellata suffocatur homo, & in fauci bus magis ipsi inhærere videtur, & neque saliuã, neque quicquam aliud detrahit, & oculi affecti sũt, ac prominent, velut strangulatis, & intẽte per ipsos videt, & ipsos conuertere non potest, & anxius est, & exilit frequenter, & facies, & fauces ardent, imò etiã collum. At videntibus nihil mali habere videtur, & videt, ac audito obtusius, & præ suffocatione nõ intelligit, neque quid dicat, neque quid audiat, aut faciat. Verùm hians decumbit saliuam fundens, ac talia faciens. Hic quinta, aut septima, aut nona die moritur.

Leuis angina, paracynanche appellata.

11 At, vbi horum signorum quid abfuerit, laxiorem morbum significat, quem paracynanchen vocant, Huic venam secare oportet, maxime sub mãma: commitatur enim hac parte ex pulmone spiritus calidus. Oportet quoque deorsum purgare medicamẽto, aut per clysterem. Fistulas item detrudere conuenit in fauces iuxta maxillas; quo spiritus ad pulmonem trahatur. Et faciendum vti quàmc tissime spuat, & pulmo gracilis fiat. Et suffitus fiat per hyssopum Cilicium, sulphur, & bitumen: & attrahat & per fistulas, & per nares, vt exeat pituita. Fauces, & lingua cõfricentur his, quæ pituitam ducunt. Et venæ sub lingua secentur. Sed & à cubitis sanguis dimittatur; si vires validæ fuerint. A vino abstineat, & ptisanæ succum tenuem sorbeat. Postquam vero remiserit morbus, & iam cibos gustarit; elaterio recenti purgato; vt ne in aliud malum incipat.

Morbus regius.

12 Morbus regius huiusmodi acutus est, & cito occidit. Color totus mali corium valde refert, & cum virore pallidus est, quales sunt lacerti cum virore pallicantes. Consimile est etiam corpus, & in vrina subsidet, velut eruum suluum, & febris, ac horror debilis habet. Quandoque etiam vestimenta ferre nõ potest; sed mordetur, ac raditur. Et mane, quum cibum non accepit; viscera plerunque lancinantur. Et, quum quis ipsum excitat, aut alloquitur; non patitur. Hic plerunque in quatuordecim diebus moritur. Has si effugerit; sanus euadit. Oportet autem ipsum calida lauare, & aquam mulsam bibendam dare, ita vt de nucib. Thasijs decorticatis, et absinthij coma, æquis portionibus acceptis, et de anisо cribrato dimidia parte ammixta, obolos tres ieiunus ex illa bibat, et rursus dum cubitum it, hac aquam mulsam sumat. Bibat etiam vinum vetus tenue, et sorbitionibus vtatur. Nec à cibis abstineat.

Tetanus.

13 Quum distentiones Tetani appellati, corripuerint; maxillæ rigẽt, velut ligna, et os aperire nõ possunt,

sunt,& oculi lachrymantur,ac distorquentur,& dor sum riget,& crura contrahere non possunt,similiter neque manus, & facies rubicunda est,& valde dolet, & vbi moriturus est;& potum, & sorbitionem,& pituitã per nares reuomit.Hic tertia die,aut quinta,aut septima,aut decimaquarta perit. Vbi verò has effugerit;sanus euadit. Huic catapotia ex pipere & veratro deuoranda dato: & iusculum volucrium pingue calidum.Inducendæ sunt etiam fortes,ac multæ ster nutationes,& fomenta adhibenda. Quum autem fomentis non vtitur; calefactoria humida, ac pinguia vndequaque in vesicis,ac vtriculis apponantur,maxime tamen ad partes dolentes: & calido oleo multo ac sæpe illinatur.

Opisthotonos.

14 Quum autem distentio in posteriores partes, opisthotonos appellata,tenuerit; reliqua quidẽ plerumque eadem sunt:verùm in posteriores partes conuellitur,& vociferatur aliquando, & dolores emergunt vehementes,& crura interdum contrahere non permittit,neque manus extendere: sunt enim cubiti incuruati, & digiti in pugnum contracti, & pollicem plerunque alijs digitis continet, & clamat, & nugas garrit quandoque, & non potest seipsum continere, sed aliquãdo exilit, vbi dolor premit:quum verò dolor remittit;quietem habet. Aliquãdo etiam vox intercipitur simul vt morbo corripiuntur,aut insani,& atra bile perciti fiunt. Hi tertia die moriuntur voce soluta,& reuomunt per nares. Si verò effugerint decimumquartum diem;sani fiunt.Curandus hic est vt lut superior.Quod,si voles;etiam sic facies. Aquam frigidam plurimam superfundito,& postea vestimẽta tenuia,pura,ac calida superintegito.Ignem autem tunc nõ adhibeto.Hoc auxilium & ad tetanos, & ad opisthotonos adhibere oportet.

Voluuli.

15 Voluuli fiunt; quum supernus vẽtriculus calescit, infernus verò frigescit: resiccatur enim simul intestinum,& præ inflammationis caliditate obturatur, vt neque flatus,neque cibi pertranseant; sed venter durus sit,& quãdoque vomat,primùm pituitosa,deinde bilios̃a,postremum stercus. Et æger sitim habet, ac dolorem,maxime circa præcordia. Verùm & totum ventrem dolet,& inflatus est,& anxius est,& febres corripiunt,& fiunt maxime septima die.Hos sic curare oportet. Supernum ventriculum quàmcitissime purgato,& sanguinẽ de capite,ac cubitis detrahito;vt superna aluus calescere desinat, & partes supra septum transuersum frigefacito, excepto corde. Infernas autem calefacito,homine in solio aquæ callidæ collocato, ac semper oleo illito. Calefactoria quoque humida apponito. Et glandulã de melle solũ decem digitorum longitudinis facito,& ex summa anteriori parte fel taurinum oblinito: atque sic bis, ac ter subdito; quò omnia cõbusta stercora circa rectũ,ac princeps intestinũ contenta educas. Et si quidẽ sic obedierit;postea clysterẽ adhibeto. Sin minus; folẽ fabrilẽ indito,& in vẽtrẽ flatũ immittito,à quo; & ventrẽ,& intestini contractionẽ distẽdas. Deinde extracto folle,clysterẽ adhibeto. Sic aũt infusum per clysterẽ injciendum paratum nõ ex valde calefactorijs,sed ex his,quæ stercora dissoluunt ac colliquant. Postea obturata per spongiã sede,in aqua calida desideat continens clysteris infusum. Et,si hoc infusum susceperit,& rursus dimiserit;sanus euadit.Cęterùm priore tempore mel optimum delingat, & vinum splendidum vernaculũ bibat. Quòd si voluulo amoto,febris ipsũ corripiat; desperatus est: fortassis enim & inferna aluus soluta ipsum occiderit.

Peripneumonia.

16 Peripneumonia talia facit. Febris acuta tenet, & spiritum frequẽtem,ac calidum respirat, & anxietas adest,& impotẽtia, & iactatio, & dolor sub scapulas, & ad clauiculam, & ad mammam, & grauitas in pectore,quandoque etiam delirium.Quidam dolorem non sentiunt;donec tussire inceperint.Verũ hic morbus diuturnior,ac difficilior illo est. Saliuã tenuem, ac spumosam primùm spuit. Lingua flaua est:verùm progressu tẽporis nigrescit. Si igitur in principio nigrescat;citius morbus finitur: sin posterius; tardius. Tandem verò etiam rumpitur lingua,&, si digitum apponas;inhæret. At liberationẽ à morbo significat lingua,similiter velut in pleuritide. Hæc autem patitur homo, minimum diebus quatuordecim, ad summum vna & viginti, & per hoc tẽpus tussit vehementer,& vnà cum tussi purgatur,primùm saliua multa, & spumosa. Septima verò, & octaua die vbi febris in vigore fuerit, si humida sit peripneumonia; crassior prodierit:sin minus;non. Nona verò,& decima,cum virore pallida,ac subcruenta. Duodecima autem vsque decimamquartam,multa,& purulenta. Atq; hoc in his contingit,quorum naturæ,& corporis affectiones humidæ sunt,& morbus fortis est. Quorũ verò & natura,& morbi constitutio sicca est,in his minus. Si quidem igitur decimaquarta die resiccatus fuerit, & non amplius purulentum tussiẽdo reiecerit; sanus est.sin minus;ad duodeuigesimam,& vigesimam primam animaum aduerte,&,si quidem tunc illud quierit;euadit.Sin minus;interroga ipsum,an dulcior sit saliua:& si affirmauerit hoc; scito pulmonem ipsi suppuratum esse,& morbus annum durabit:si non in quadraginta diebus pus eduxerit; status morbi lethalis est. Verùm in primis diebus hi maxime manifesti fiunt.Si enim putrefactum,ac purulentum expuerit in diebus duobus ac viginti, & non exulceratus fuerit;euadit:sin minus;non.Hæc peripneumonia nihil abest ab affectionibus,quæ in pulmone sunt.Si igitur aliquid harum affectionum abfuerit; cognoscere oportet & quæ ægrotus mala habet, & quæ medicus aggredi debeat. Si verò pauca horum signorum habuerit; ne decipiatur: nam pernicios̃a non est peripneumonia,sed mollis.

17 Cæterùm peripneumoniã hoc modo curare oportet. Non tamen peccabit,si quis etiam pleuritidem, & phrenitidem ita curare aggrediatur. Primùm caput leuius facere incipe;quò nihil influat ad pectus. Primis autem diebus sorbitiones sint dulciores: sic enim id, quod consedit, ac compactum est, potissimum elueris,ac commoueris. Quarta die,& quinta, ac sexta,non amplius dulces,sed pingues:nã ad sputum sursum excreandum conducunt.Si verò pro ratione spuere non possit;ex pharmacis sursum educẽtibus dato.Aluum autẽ in primis quatuor,aut quinque diebus subducere oportet, & hoc paulo amplius;quò & febres obtusiores sint,& dolores leuiores. Quum autem euacuatus fuerit,& corpore debi-

lis;

lis, infernam aluum tertio quoque die deorsum commoueto, quo & corpus potens sit, & supernæ regiones humoris exortes. Nam si multus humor infra secedat, à quinta die, mortem inducit. Infra enim humore secedente, supernæ partes resiccantur; & sputi purgatio sursum non prodit. Oportet igitur & infernã aluum, neque valde suppressam esse, vt ne febres sint acutæ; neque valde egerere, quo saliua sursum educi possit, & eger viribus valeat. At medicamenta sursum educẽtia, sexta & septima ac nona die, & morbo adhuc vlterius progresso, magis exhibeto. Sit autem medicamentum, veratrum album, thapsia, elaterium recens, singula æquis portionibus. Quòd si saliua non probe purgetur, & spiritus fuerit frequens, & purgatio non præualeat, prædicendum est nullam spem vitæ reliquam esse, si purgatione nihil efficere possit. Sed & alia facienda sunt quæ in peripneumonia fieri solẽt, si inferna aluus ministerium suum probe obierit. Quin & aliter facere curationem oportet. A prima die initio sumpto, ari magni cõchulam maiorem dato, dauci & vrticæ vtriusque itidem vnam, sinapis & rutę quantum tribus digitis cõprehendere potes, & siccum silphij magnitudine fabæ. Hæc in aceto dulci & aqua permixta & dilũta ac excolata, ieiuno tepida bibenda dato. Postquam verò purum expuere cęperit, ari conchulam maiorem, & sesamum, & amygdalas purgatas, in aceto dulci aqua diluto bibenda præbeto. Si verò magis ducere voles, radicis capparis corticem his ammisceto.

Pleuritis.

19 Quum pleuritis apprehenderit; hæc patitur. Dolor latus, & febris & horror tenet, & frequentem spiritum habet, & erectæ ceruicis spiratio vrget, & tussiendo reijcit subbilliosa, velut à mali punici corio, si non ruptiones habuerit. Si verò habuerit, etiam sanguinem à ruptionibus. Est autem & sanguinea pleuritis, in qua subcruenta reijcit: Et est quidem billiosa, mitior, si non ruptiones æger habeat: sin minus, dolorosior quidem est, sed non lethalior. At sanguinea fortis, & dolorosa, & lethalis est. Quum igitur affuerit simul singultus, simulque cum saliua sanguinis grumos nigros tussiendo reiecerit, septima die moritur. Si verò dies decem transgressus fuerit, à pleuritide quidem sanus fit, verùm vigesima suppuratur, & pus tussiendo reijcit, demum verò reuomit, & non adeò facilis curatus est.

Pleuritides siccæ.

20 Sunt & siccæ pleuritides sine sputo; verùm hæ difficiles sunt. Iudicationes autem similes aliis sunt, sed ampliore in potu humectatione opus habent quàm aliæ. Billiosæ verò & sanguineæ, nona & vndecima die iudicant, atque hi magis sani fiunt. At si à principio quidem molles quidam tenuerint dolores, à quinta verò ac sexta die acuti, hi vsque ad duodecimum perueniunt, & non valde effugiunt: Periculum autem maxime est, vsque ad septimum. Immo etiam vsque ad duodecimum. Post has verò sanantur. Quæ verò ab initio molles sunt, à septima autem & octaua acutæ, ad decimumquartum iudicant, & sani fiunt.

Pleuritis ex dorso.

21 Pleuritis ad dorsum intantum ab alijs differt, dorsum dolet velut ex plaga, & suspirat, & aceruatim respirat: statim autem sputi pauca, & corpus delassatur. Tertia aut quarta die saniem mingit subcruentam. Moritur autem maxime quinta die: sin minus, septima. Has si effugerit, vixerit, & morbus lenis est, ac minus lethalis. Custodire tamen oportet vsque ad decimumquartum. Postea verò sanus euadit. Cæterùm quibusdam pleuriticis saliua quidem pura est, mictio autem cruenta, velut ferosa à carnibus assatis sanies: dolores verò acuti per spinam ad pectus, & ad inguen tendunt. Hic si septimum diem effugerit, sanus fit. At si alicui in his pleuritidibus contingat dorsum rubefieri, & humeros calescere, & interdesidendum grauari, & vẽter exturbetur egestione cum virore pallida, ac valde graueolenti, hic propter ventris egestionem, vigesima prima die moritur. Has si effugerit, sanus fit. Quibus autem statim sputa varia sunt, & dolores valde acuti, hi tertia die moriuntur. Hunc autem transgressi, sanescunt. Qui verò sanus non fit septima, aut nona, aut decima, hic suppurari incipit. Melius est autem suppuratum fieri, etiamsi doloroſum sit. Minus enim lethale est. Porrò supra omnia relata signa, in vnaquaque pleuritide considerare oportet linguam. Si enim bulla subluuida fiat in lingua, velut ferro in oleum tincto, si quidem in principio fiat aspera difficilior est morbi emotio, & necesse est sanguinem tussiendo reijcere, in diebus quibus id fieri oportet. Si verò facto morbi progressu fiat, iudicationes quidem contingent ad decimumquartum diem, Verùm necesse est sanguinem spuere. Habet autem se res de liberatione ab hoc morbo, hoc modo. Si quidem tertia die inceperit maturari ac expui, citius liberabitur. Si verò posterius matureſcat, posterius iudicationes fiunt, quemadmodum in capitis signis.

22 Dolores porrò in omni pleuritide, plerunq; magis interdiu quã noctu leuiores fiũt. Curare verò pleuritidas hoc modo oportet, vt plurimũ velut phrenitidẽ & peripneumoniã; præterquã qđ hic balneis calidis & vino dulci vtendũ est. Si igitur prima aut secunda die postquam inuasit ægrum accesseris, si stercus prodijt purum, aut leuiter billiosum & modicũ, infusum ex Thapsia per clysterem injicito. Si verò aluus commota, noctu quidem egerat, postridie verò dolor, & tormen vexet; rursus clysterem adhibeto. At, si eger billiosus sit natura, & non purgatus correptus fuerit à morbo, priusquam saliuam billiosam expuat, etiam medicamento bilem probe purgato. Si verò iam expuat billiosa; medicamentum ne dederis: si.n. dederis, sputũ sursum prodire non poterit; sed septima, aut nona die suffocabitur, maxime si præcordia doleant.

23 Quòd, si ad dolores in lateribus etiam præcordia doleant; clysterem adhibere oportet: & in potu ieiuno bibendam dare Aristolochiam, hyssopum, cuminum, silphium, peplum, mecona appellatum album, florem æris, mel, acetum, & aquam. E per medicamẽta quidem ita primas curationes facere oportet. Reliqua verò sic se habent. Multa calida pro viribus ægri lauato, capite excepto: & quum iudicationes sunt, dolentes locos humidis fomentis tepefacito, & oleo illinito.

24 Quum verò impetu fertur morbus; & ægrum, & medicum à curationibus quieſcere cõuenit, ne quid mali inducatur. Dandus autem eſt ptiſanæ ſuccus coctus, aliquanto craſſior ſpiſſitudine mellis. Poſt balnea etiam vinum dulce, & aquoſum bibendum eſt, non frigidum, modicum, ex anguſti oris pocillo. &, vbi tuſſes inuaſerint; amplius bibendum, & quàmmaxime excreandum, & potu humectandum; quò pulmo humidior factus facilius, ac citius ſputum reddat, & tuſſis minus affligat. Sed & mali punici dulcis vinoſi ſuccum, lacte caprino modico, & melle ammixto, paulatim ſæpe dato, & noctu, & interdiu. & ſomnum quàmmaxime prohibeto; quò purgatio & citius, & copioſior fiat.

25 At verò ſanguineam pleuritidem ſic curare oportet. Poſt iudicationes cibis leuibus reficito, & quietē agat, & nimium caueat ſolē, ventos, repletiones, acida, ſalſa, pinguia, fumũ, flatus in aluo, laborem, venerem: ſi.n morbus recidiuarit, mors ſequetur. Inexpuitionibus autem ſi dolor habeat, & expuere non poſſit; ieiuno æris florem dato, magnitudine oliuę, & ſuci ſilphij dimidium eius, & trifolij ſeminis modicum Hæc ex melle delingat. Aut piperis grana quinque. & ſucci ſilphij magnitudinem fabæ, mel, acetum, & aquam, ieiuno tepida bibenda præbeto. Hoc etiam dolores ſedat. Quòd, ſi pro ratione ſpuere non poſſit, ſed moretur ſputum hærens in ipſo, & ſtertat in pectore; ari magni radicis conchulam maiorem, & oleum, ac acetum mixta dato, & acetum aqua dilutum inſuper bibat. Aliud forte. Florem æris magnitudine fabæ, & nitrum aſſatum dupla portione, & hyſſopi quantum tribus digitis comprehendi poteſt, melli miſceto, & aquam ac oleum modicum adſtillato, & tepefacta in conchula maiore infundito; vt ne ſuffocetur. Hoc etiam in peripneumonia facere oportet; ſi non purgetur. Si verò neque ſtertat, neque velut oportet ſpuat; capparis fructus quantum tribus digitis comprehendi poteſt, & piper, & nitrum modicum, & mel, & acetum, & aquam miſceto. atque hæc tepida ſorbenda præbeto. Altera die eadem in aceto, & melle, & aqua feruefacta ſorbeat. Hoc etiam ſtertentibus dato, & his, qui purgari non poſſunt. At, ſi fortius facere voles; hyſſopi & ſinapis, & naſturtij concham maiorem, melle, & aqua tertio, & feruefacta, ac excollata, tepida ſorbenda dato.

26 Atque hoc modo hi morbi curati ſanantur; ſi non quid ſputi in pulmone relictum pus fiat, à quo arida tuſſis ſequitur, & febris, ac horror emergunt, & erecta ceruice ſpiratio tenet, & frequentem, & aceruatam reſpirationem æger habet, & vox paulò grauior fit, & color cum calore faciem occupat: progreſſu verò temporis, morbus magis manifeſtus redditur. Hunc ſi intra decem dies ſuſceperis, vbi victu, & balneo calido calefeceris; medicamentum, quod pus ducat in pulmonem infundito, alijsque pus ducentibus vtitor, atque ſic velut ſuppurato victus rationem præſcribas. Caput quoque reſiccato; vt ne quid influat. Si verò ex eo quòd in pulmonem infuſum eſt, pus non educatur; rumpitur hoc ipſum ex pulmone in thoracem, & poſt ruptionem ſanus eſſe videtur; quoniam ex anguſtia ad amplam capacitatem pus peruenit, & ſpiritus, quem reſpirando attrahimus, in pulmone locum, ac ſedem habet. Verùm progrediente tempore pectus pure impletur, & tuſſes, & febres, & alij dolores omnes magis ipſum premunt, & morbus inclareſcit. Hunc poſt eruptionem per quindecim dies ſinere oportet; quò pus rurſus matureſcat: nam ex eo quòd pus ad ampliorem locum deuenit; perfrigeratum eſt: & id, quod in thorace humidi erat, ad ſeipſum attraxit, ita vt ipſum ſit ſemiputrefactum. Si quidem igitur ſua ſponte expui incipiat in hoc tempore; bene eſt. Sin minus; medicamentis, aut potionibus opem ferre oportet, in vltimis ex quindecim illis diebus, feſtinando ad corporis excitationem; antea quàm magis affligatur, ita vt caput purum cuſtodias, influxionum gratia. Si verò non ſpuatur, ſed ſignificationem ad latera præbeat; ſecato, aut vrito. At, ſi neque ſpuatur, neque ad latera de ſe ſignificationē præbeat; vbi multa calida ieiunum lauaſti, & neque potu vſum in firma ſella locaſti; alter ex humeris ipſum aprehendat: tu verò concute ipſum, aure ad latera admota, quò percipias ex vtra parte ſignificationem ſui præbeat. Optandum autem eſſet ex ſiniſtra: nam dextras vrere, aut ſecare lethalius eſt: quantò enim robuſtiores ſunt dextræ partes, tantò etiam fortiores morbi in ipſis fiunt.

27 Quòd ſi præ craſſitudine humor non fluctuet, neque ſtrepitus ſit in pectore, verùm ſpiritum frequentē trahat, & pedes intumeſcant, & tuſſicula aliqua adſit; ne te decipiant hæc, ſed thoracē pure plenum eſſe probe noris. Proinde in terra Eretriade liquida, & valde trita, ac tepida, linteum tenue tingito, eoque thoracē circumcirca integito: & qua parte primùm reſiccatum fuerit, ea ſecato, aut vrito, quàm proxime ad ſeptum trāſuerſum, cauendo tamen, ne hoc ipſum lædas. Si verò voles, ipſam terram Eretriadem illinito, & ſimiliter velut in linteo conſiderato. Multi ſimul illinunt, ne quæ primùm illinuntur reſiccentur. Poſt ſectionem, aut vſtionem, linamento, ex lino crudo vtere, & paulatim pus emitte.

28 Cęterùm vbi ſecare, vel vrere voles; corpori in eadem figura, in qua inter ſecandum, aut vrendum futurum eſt, notam imprimito: vt ne cutis te decipiat, ſi in figuræ tranſmutatione ſurſum, aut deorſum magis cedat. Sed & tuſſes vitare oportet ex victu; vt ne rurſus pus reuellant ad pulmonem: malum enim hoc eſt. quare permittendum eſt, vt ad ſectionem quàmcitiſſime reſiccetur. Poſtquam verò duodecima affuerit dies; reliquum pus totum emittito, & ex linteo linamentum indito, & bis in die pus emittito, & ventrem ſupernum ex victu quàmmaxime reſiccato. Atque hoc modo oportet etiam ſuppurationes ex vulneribus, & ex peripneumonia, & ex magnis deſtillationibus, & pulmone ad lateres prolapſo, conſiderare, ac curare.

Frigefactoriæ potiones in febre ardenti.

29 Frigefactorias potiones in febribus ardentibus, quando voles, bibendas dato. Sunt autem multarum operationum: aliæ enim mictionem inducunt, aliæ alui egeſtionem, aliæ vtrunque præſtant, alię neutrum, aliæ ſolum frigefaciunt, velut ſi quis in vas aquæ feruentis frigidam aquam infundat, aut ipſum vas ad frigidum ventum exponat. Dabis itaque alias alijs: neque enim dulces omnibus conducunt, neque acerbæ, neque eadem omnes bibere poſſunt.

I. Fauorum siccorum heminarum duarum mensuram aqua macerato,& conterens gustato, donec sub dulcis aqua fiat,deinde excolato,& iniectis apijs bibendam dato. II. Seminis lini acetabulum,aquæ heminis decem affusis,in noua olla prunis imposita coquito ac feruere sinito, vt transpirent,donec succus ad tactum pinguis fiat. III. Aquam mulsam aquosam ad dimidias coquito, deinde apio iniecto frigidam paulatim exhibeto. IV. Ordeum Achilleum magnum,ac plenum heminæ mensura siccato,& acutis spicis ablatis,vbi probe laueris; aquæ congio affuso coquito ad dimidias, frigefacito, ac bibendum dato. V. Cumini Aethiopici heminæ decimæ parti, tres aquæ semicongios affunde, & olla luto pilloso oblita, donec tertia pars restet,feruere sine: & frigidam hanc ad omnem ardētem, aliamque febrem exhibe. VI. Aquam cœlestem ipsam per seipsam præbe. VII. Ptisanæ heminæ congio aquæ affuso, ad dimidias coquito: deinde excolato,& apijs iniectis frigidam dato. VIII. Prosunt & vina alba aquosa ex vuis passis. IX. Prosunt & vuarum passarum expressarum retrimēta aquosa. X. Vuarum passarum albarum exēptis vinaceis heminam,radicum quinque folij manipulum,tundito,& affusis aquæ heminis viginti,ad dimidias coquito,& frigidam hanc paulatim bibēdam dato. XI. Ad farinæ ordei pleni crassæ chœnicem dimidiam,aquæ,congium affundas,& quum iam intumescunt crassæ farinæ partes,manibus teras, donec aqua alba fiat,& adianti pugillo iniecto, subdio per noctem exponito ac exhibeto. XII. Quorum trium, aut quatuor candidum, in aquæ congio concussum bibat. Hoc valde frigefacit,& ægrum ad aluum exonerandam conturbat. XIII. Ordei torrefacti probe loti chœnicem dimidiam,in aquę congio bis,aut ter feruere sinito,& frigidam hanc exhibeto. XIIII. Ptisanæ succum coctum tenuem, & vinum dulce dato. Hoc vrinam ducit. XV. Cucumeris peponis corio nudati pollinem ex aqua præbeto. Hæc potio vrinam ciet,frigefacit,& sitim sedat. XVI. Eruū in aqua præcoquito, deinde ollā nouam, in maiorem ollam aqua plenam ponito,& alia aqua eruo affusa, ad modicum tēpus coquito. postea, vbi coctum fuerit eruum; tertiā aquæ partem aliquam excolatam bibēdam dato, ita vt ad singulos cyathos, & cucumeris,& erui pollinem inspergas. Hoc constanter sitim sedat, XVII. Vinum Thasium vetus parte, vna cum vigintiquinque aquæ partibus dato. XVIII. Trifoliū,cucumeris pollinem,& crassam ordei farinam in aqua macerato,& hanc bibendam dato. XIX. Apij manipulos tres, pulegij pugillos duos,in aceti heminis decem ad tertias coquito. Hoc melle, & aqua dilutū,aquosum bibat, adianti pugillo iniecto. Hoc vrinam ducit,& aluum soluit. XX. Mala odorata dulcia contundito, & aqua macerato,& aquam bibēdam dato. XXI. Mala cydonea eodem modo,si aluus soluta fuerit in febre ardēte. XXII. Quòd, si morbus regius insuper corripiat; vuæ passæ albæ exemptis vinaceis,& cicerum alboarum, vtrorūque dimidam heminam, & ordei Achillei magni, ac pleni tantundem, & cnici tantundem, aquæ heminas decem,& apium,& mentam,& coriādrum, de singulis parum, tento, donec placide aqua dulcescant, & adianti pugillo postea iniecto, vbi subdio per noctem apposuisti; exhibeto. Potes etiam alia his similia imitari. Omnia verò per noctem sub dio exposita dabis febrienti, exceptis his, quibus alui plus, quàm conuenit, fluunt. XXIII. Pulegij pugillos tres, apij duplum,in vino diluto coquito, ac exhibeto: hoc vrinam ciet,& bilem per aluum trahit.

HIPPOCRATIS COI

De Morbis Liber IIII.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Semen vtriusque parentis, ab omnibus corporis partibus progressum,ad formam in vtero recipiendam condensari. Humorum in corpore species quatuor,morborum omnium causæ. Propositio huius libri.*

2 *Quomodo bilis, sanguis, hydrops, & pituita, copiosiora & pauciora fiant à cibis & potibus. Sanguini fons est cor, Pituitæ autem caput, Aquæ verò fons splen, & Bili folliculus in hepate. Caput & splen,partes maxime cauæ.*

3 *Cibis ac potibus omnibus,quatuor illos humores inesse. Corpus in seipsum humorem ex ventriculo trahere.*

4 *Plantæ cur ægrotent aut non nascantur quibusdam in locis. Plantas ab initio humores iuxta cognationem non habentes,ne germinare quidem posse.*

5 *Locus alteri loco,etiam valde vicinus,ad vini iucundi productionem plurimum præstat. Terræ innumeras inesse facultates. Plantas omnes sylvestres fuisse.*

6 *Vnde pituita in corpore gignatur. Caput velut cucurbita corpori incumbit.*

7 *Cur pituita ad ventriculum & vesicam perueniens non lædatur.*

8 *Bilis quomodo & cur copiosior in corpore fiat. Hepar pueris cor dicitur. Hepatis dolores vnde & quomodo sedentur. Cibi ac potus alij alijs medicamenta esse solent.*

9 *De Aqua,quomodo & cur copiosior in corpore fiat. Aquæ de splene purgatio non fit per supernas regiones. Venæ ex splene deorsum tendentes multæ.*

10 *De Sanguine quomodo & cur amplior in corpore generetur. Cordi dolor non oboritur. Venæ iugulares,post cibū ac potum sanguineum,statim attolluntur,ac facies rubet. Quomodo sanguis morbos in corpore generet. Morbos ex ciborum ac potuum copia fieri.*

11 *Quomodo fontes isti quatuor, sanguis, bilis, pituita, &*

aqua (vt & ventriculus) si splenes fuerint, semper corpori distribuant. Venæ multæ ac frequentes per corpus distentæ sunt.

12 *Cibi potusque suauitas, ac insuauitas vnde. Quando homo cibum ac potum appetat, & quando cesset appetentia.*

13 *Solam bilem ad fellis folliculum in hepate, à cibis & potibus secerni. Solus Cardiogmus, hoc est, cordis morsus, in fellis folliculo innascitur. Morbi cur in corde non oboriantur.*

14 *Caput & splen cur morbis maximè obnoxia.*

15 *Quomodo & cur pauciores fiant humores hominem affligentes, & quot locis expurgentur.*

16 *Quomodo & cur homines sani degant. Quàm diu humores in corpore morentur, & quomodo expellantur. Excrementorum graueolentia vnde. Excrementa alimentorum quantitati respondent. Quid fieri soleat si humor in corpore maneat. Vrina salsuginosa, propter humores ammixtos. Cibos etiam id quod morbosum est de corpore deferre. Quare, vbi quis ventrem exonerauit aut minxit, non statim potu ac cibo, pro egestionis factæ copia, egeat. Quomodo humor vltra triduum in corpore manens, maius aut minus homini malum de se præbeat. Quomodo & cur cibi non possint eadem die exire.*

17 *Cur corpora repletiones æstate minus, hyeme magis ferant. Quomodo febres ab ambiente aere calido oriantur.*

18 *Quomodo si plus humoris foras prodeat, quàm de cibis, ac potibus accessit, homo attenuetur, & qua ratione plus prodeat. Cur hominibus otiosis cibi iniucundi, & quomodo febres illis accendantur.*

19 *Quomodo bonus habitus ex esu accedat. Febris ex repletione. Febres, tertia aut quinta die reuertentes. Morbi per dies iudicantur.*

20 *Cur febres, & qua ratione, tertia, quinta, septima, aut nona die remittant. Cur febres imparibus diebus soluantur.*

21 *Cur homines imparibus diebus moriantur. Spiritus graueolentia vnde. Quod humores imparibus diebus turbantur. Medicamenta purgantia imparibus diebus non exhibenda.*

22 *Cur vlcera, si curentur, imparibus diebus magis inflammentur. Glandularum tumores, quomodo ab vlceribus generentur. Caliditas quomodo ad vlcera perueniat. Humor in sano corpore tertio die, stercus autem secundo prodit.*

23 *Quomodo morbi fiant, si homo à copiosiore humore fiente non expurgetur. Quæ febres minus periculosæ. Aquosus humor febri infestissimus: biliosus contrà alimentum illi suppeditat. Aquosus humor quomodo in febrientibus exhalet. Oleum cur non similiter vt aqua extenuari & exhalare possit.*

24 *Morborum principia tria. Violetum quid vocetur, & quòd hoc maximum morborum principium.*

25 *De Violentia, & qualia in corpore faciat. Vulnus. Contusio. Labor. Cælum quomodo morborum principium & caussa. Morbi à calore externo. Butyrum. Hippace. Serum lactis. Humores quomodo grauitate aut leuitate inter se differant. Febres à quibus humoribus magis oriantur. Febres ab aqua, seu atra bile minus fortes & breuiores. Qualia humor ante turbationem & in ipsa turbatione in corpore efficiat. Quando humor affligens, priorem (qui salubris erat) consumat. Alimentum est homini humor leuis. Putrefactionis principium. Similitudo.*

26 *Quomodo ea quæ è cælo nobis obueniunt, morbos pariant. Humores liquati & ad aluum delati, stercus conturbant. Aquosus humor potissimum circa ossa & neruos consistit. Quomodo & quando rigor morbosus fiat, & quomodo & ex quali necessitate febris post ipsum irruat.*

27 *De Lumbricis latis & rotundis. Lumbricos rotundos parere, latos verò minime, sed abrumpi. Cur Lumbrici partus perperam à quibusdam dicantur. Lumbricorum latorum species signa. Sputa quandoque ori influunt, lumbricis latis ad hepar assilientibus. Lumbricis quibusdam vocem intercipiunt.*

28 *De Calculi morbi generatione à lacte. Corpus & ventriculus consentiunt. Pituita ad fecem ammixta, glutinum fit. Simile. Lapis ex terræ esu.*

29 *Calculi signa quinque. Vrinæ subrubra à vesica lapide exulcerata & inflammata. Arenosorum per vrinam eiectio vnde.*

30 *Potum in ventrem deferri, & ex hoc in reliquum corpus. Vocem de pulmone edi. à labijs verò & lingua articulari.*

31 *Medicamentorum purgantium facultates. Pituita de capite descendens, pulmonem breui exulcerat. Venter cur à medicamentis non exulceretur. Libyæ incolæ, pecorum pellibus pro vestibus vtuntur.*

32 *Vrina eduliorum olidorum (vt alliorum) odorem refert. Cyceon aut farina cocta, in pulmonem aut eius fistulam perueniens, hominem enecat. Epiglottidis, quæ hederæ folio assimilatur, officium.*

33 *De Hydropis generatione & signis. Cur vasa angustioris oris, subito inuersa, aquam à se non emittant.*

34 *De Hydropis generatione in mulierum vtero. Quando hi morbi difficiliores fiant. Qui ex hydrope moriantur.*

1 AD hominis generationem de omnibus & viri, & mulieris partibus semen progressum, & in vterum muliebrem illapsum condensatur, temporeque veniente natura hominis formam referēs ex ipso producitur. Habet autē & mulier, & vir, quatuor species humoris in corpore, à quibus morbi fiunt, qui non à violenti a aliqua fiunt. Sunt autem species hæ, Pituita, Sanguis, bilis, & Hydrops siue aqua: & de his non minima, neque debilissima, in semen procedit portio. Et, quia animal secundum parentes nascitur; tot humorum species, & sanorum, & morbosorum in seipso habet. Ostendam autem, quæ in vnaquaque harum specierum & plura, & pauciora in corpore fiūt, & à quo ægrotant. Et quòd morbi in imparibus diebus iudicantur. Et quæ sint morborum principia. Et qualia singula ex ipsis in corpore efficiant, vt morbum inducant, & à quo rigor febrilis fiat, & cur post ipsum febris irruit.

2 Primum autem demonstrare volo, quomodo bilis, & sanguis, & hydrops, & pituita, copiosiora, & pauciora fiant à cibis, & potibus, hoc modo. Ventriculus dum plenus est; omnium horum corpori fons est. Verum, vbi vacuus est; corpore fruitur colliquescente. Sunt aūt & alij fontes quatuor, à quibus vnusquisq; horū humorum in corpus procedit; postquam sanè ipsi à ventriculo acceperunt: & hi quoque fontes, vbi

eũacuantur, de corpore fruuntur. Sed & ipsum corpus attrahit; vbi ventriculus in seipso quid habuerit. Et sanè Sanguini fons est cor, Pituitæ caput, Aquæ splen, Bili locus folliculi in hepate: hi sunt quatuor humoribus his fontes, ventriculo excepto. Ex his autem maxime caui sunt, Caput & Splen: nam in hoc ipso maxima amplitudo est. Verùm de hoc paulo postea clarius dicam. Quin & hæc sic se habent.

3 In omnibus cibis, ac potibus & bilioſi quid est, & aquoſi, & ſanguinei, & pituitoſi: in alio plus, in alio minus. Quapropter & quæ eduntur, ac bibuntur, alia aliis præstant ad sanitatem. Atque hæc mihi de hoc dicta sunt. Postquam verò comedit, aut bibit homo; corpus in seipsum humorem relatum ex ventriculo, & fontes trahunt per venas de ventriculo, similis humor similem, & corpori distribuunt: quemadmodum etiam in plantis similis humor similẽ trahit de terra: habet enim eodem modo terra omnigenas in se ipsa, ac innumeras facultates. Quæcunque enim in ipsa nascuntur, his omnibus exhibet humorem similem vnicuique, qualem & hoc ipsum quod nascitur sibi similem, iuxta cognationem habet: & trahit vnumquodque de terra alimentum, quale etiã ipsum existit: nam & rosa de terra trahit talem humorem, qualis ipsa in potentia est: & allium de terra humorem eiusmodi trahit, quale ipsum in potentia est. Et alia omnia terræ nascentia, ex terra trahunt, singula iuxta seipsa: si enim hæc res non ita se haberet, non nascerentur plantæ similes seminibus.

4 Cui porrò plantæ in terra cognatus humor multo vberior est, quàm conuenit, ea planta ægrotat. Cui verò paucior, quàm opportunum est, ea reſiccatur. At, si ab initio non inūt terræ humor, quem planta iuxta cognationem trahat; ne germinare quidem poterit. Intelligentia autem huius rei, quòd si non habeat planta humorem secundum naturam; ne ab initio quidem germinet, inde nobis suppeditatur. Ionia enim regio, & Peloponesus pro temporibus anni à sole non minime calet, ac illustratur, vt sol nascentibus e terra sufficere possit; attamen fieri non potest, multis frustra iam id tentantibus, vt in Ionia, aut Peloponeso Silphium nascatur. At in Libya sua sponte nascitur: non.n. est neque in Ionia, neque in Peloponeso eiusmodi humor, qui ipsum alere possit.

5 Quum autem sint & aliæ multæ medicinæ, quas sole sufficiente, regiones alere non possunt, aliæ verò sua sponte producunt, hoc ipsum eius, quod nunc dicturus sum considerandi occasionem exhibet, quantum videlicet locus alteri loco ẽt valde vicinus præstet ad iucundi vini productionem, sole æqualiter suf ficiente: hic etenim in terra humor est, qui vinũ suaue exhibere potest, illic non est. Sunt etiam syluestria non pauca in loco nascentia, quæ ad orgyæ seu cubitorum quatuor spatium translata, nasci minime comperias: non enim habet terra talem humorem translato, qualẽ illa syluestribus plantis exhibebat. Sunt enim ex ipsis quædam venenosiores, aliæ humidiores, aliæ dulciores, aliæ sicciores, aliæ asperiores, & innumeræ aliæ aliter se habent: innumeræ.n. sunt in ipsa terra facultates. Et propter hæc genera primum nihil alteri simile ex terra productum est, quod non esset cognatum. Et mihi sanè videntur hæ omnes plantę syluestres fuisse: verùm homines ipsas mãsuefecerunt, fructum ferre efficientes vnamquãque iuxta suum semen: trahit enim similis humor similẽ: ex terra, & ex hoc augescit, ac nutritur: & nullũ ex terræ nascentibus alteri simile est, quod non æqualẽ, neque similem humorem ex terra trahat. Et omnia quæ nascuntur in cibi, ac potus vsum venientia, multas facultates de terra ad se trahunt, & in omnibus est aliquid pituitoſi, ac sanguinei. Et ex hoc adeò ad hanc demonstrationis necessitatem deueni, quòd à cibis, ac potibus in ventriculum procedentibus trahit corpus, secundum fontes, quos nominaui, similis humor similem per venas.

6 Referam quoque aliud argumentum, quòd singula prout relatum est, trahant & simul dicam, vnde pituita in corpore gignatur. Vbi quis caseum comedit, aut aliquid acre, aut aliud quid edit, aut bibit, quod pituitosum est; statim ipsi ad os, ac nares accurrit: atque hoc ita fieri partim omnes videmus, partim ita esse credere oportet, ex his, quæ ego referam. Affero itaque, quod quantum in cibo, aut potu pituitæ inest; illud vbi ad ventriculum peruenit, partim corpus ad se ipsum trahit, partim caput, vt quod cauum sit, & velut cucurbita corpori incumbat, ad se trahit, vtpote viscosa existente pituita, ita vt hanc alia per aliam seruatur ad caput: & quæ quidem recens ex cibo generatur pituita, in capite manet: vetus autem, prout copiosior est recens, ab ipsa violente extruditur. Quapropter vbi quis edit, aut bibit aliquid pituitoſi; excreat pituitam. Habet autẽ & hæc res se hoc modo.

7 Si, vbi edit, aut bibit quid pituitoſi homo, nõ rursus exeat, quod redundat, neque per os, neque per nares; necesse est ipsum manere in capite, aut ad corpus descendere de capite, & ad ventriculum peruenire. Ac optimum quidem fuerit: si ad ventriculum perueniat; exire enim poterit vnà cum stercore: &, si quidem multum fuerit, ac humidũ; stercus humectare poterit: si verò modicum; non hoc effecerit. At, si in capite maneat: multum dolorem capiti exhibuerit, quum in venis est: Si verò modicum: non hoc fecerit. Significationem autem de se præbet, copiosum ne sit, an modicum. Quòd, si ad corpus deueniat, atque illic alio humori ammixtum fuerit, siquidem multa fuerit pituita, statim corpus læserit: si verò pauca, non adeo lædere poterit: quum magnũ sit corpus, si non & aliud quoddam principium ipsi reliquum sit. Verùm temporis progressu, si alia pituita superaccedat; lædi vtique possit. At, si corpus vesicæ, ac ventriculo deleget, atque hæc foras perferãt: nihil mali ex ipsa habuerit. In hoc igitur sermone demonstratum est, quomodo caput pituitam ex ventriculo trahat, & simile ad simile perueniat, & simul à me dictum est, quomodo, & quare copiosior pituita homini à cibis, ac potibus fiat.

8 Nunc verò dicam debile, quomodo, & cur copiosior in corpore fiat, & quomodo locus folliculi in hepate ipsam trahat. Habet se res hoc modo. Post quam comedit, & bibit homo aliquid amari; quodq; bilioſum, ac leue est, copiosior ẽt bilis fit in hepate, & statim dolet hepar, quod pueri cor vocant: atque hoc ita fieri videmus, & clarum nobis est, quod à cibo, aut potu factum est: trahit etenim corpus in seipsum de cibis omnem prædictum humorem. Trahit etiã folliculus in hepate, quicquid isthic bilioſi inest. Et si derepente multa bilis fiat; homo hepar do-

let, & de ventre copiosior fit; hoc enim contingente, procedit de veteri bile propter multitudinem ad ventriculum, & ex hoc tormen vētriculo oboritur, & pars ipsius per vesicam, pars per aluum egreditur, atque sic minima pars in homine manet, & dolores cessant. Si verò neutrum horum contingat; procedit primum de veteri bile ad corpus; distribuitur enim ad ipsum; &, si multa fuerit; statim significationem sui præbet alij humori ammixta. Si verò modica; non adeò læserit, quum magnum sit corpus; si non & aliud quoddam principium suboriatur. Verùm temporis progressu, si alia bilis superaccedat copiosior; hominem vtique læserit. Si verò non superaccedat; excolare illam poterit corpus, & ut bilis, & quęcunque biliosa sunt, prodeant. Nam quæ in cibo, ac potu sumuntur, alia aliorum medicamenta sunt. Sic sanè etiam alia quæcunque lædentia sunt medicamenta; vbi aliud ab alio in ventriculum incidit, sua ipsius potestate cauſſam habens, id, quod superatum est, expellit, ac ipsum lędit. At, si superaccedat alia bilis in corpore, ab his, quæ in ventriculum incidunt; morbus huic oboritur. Atque in hoc sermone iam ego declaraui, quomodo bilis, & cur copiosior fiat in corpore à cibis, & potibus: & quòd trahit in seipsum folliculus in hepar, iuxta similitudinem id, quod biliosum est à cibis, ac potibus.

9 Nunc verò dicam de aqua, quomodo, & cur copiosior fiat in corpore, & quomodo splen trahat in seipsum. Affero autem, vbi homo bibit amplius; & corpus, & splenem, aquam in seipsa trahere ex ventriculo. Et si plus traxerint, quàm oportet; statim hominem affligit: atque hoc ita fieri intelligunt quicunque homines splenici existunt. Postquam autem traxit splen; optimum est, si vetus aqua, quæ in splene inerat, ad vesicam, aut vētriculum excoletur, & per hæc expellatur: nam per supernas regiones non purgatur aqua de splene, nisi quantum eius in vasis inest, quæ de liene procedunt: verùm ad ventriculum, & vesicam depurgatio fieri potest. Si verò hæc ad fluxionem apta non fuerint, neque aqua per ea foras excoletur, de splene ad infernas partes aqua procedit, atque isthic alij humori miscetur. Et si quidem pauca fuerit; non sanè læserit: sed de corpore ad vesicam, & ad vētriculum, per venas excolari poterit. Sunt enim multæ ex hoc tendentes deorsum, quæ ex infernis partibus ad seipsas trahunt; vbi ficciores fuerint, quàm prius erant. At, si alia aqua generetur, & ventriculus, ac vesica foras non expellāt; splen eleuatur, & infernæ corporis partes dolore afficiuntur. Atque hæc à me dicta sunt, quomodo, & cur aqua copiosior generetur in corpore à potu, & quomodo splen trahit.

10 Nunc autem de sanguine dicā, quomodo, & cur amplior in corpore generetur. Postquam bibit, aut comedit homo aliquid quod sanguineum est: trahit quidem & totum corpus in seipsum, trahit autem & cor sanguineum ad seipsum. Et, vbi plus attraxit; nō oboritur cordi dolor: est enim cor res solida, ac densa: & propterea dolore non affligitur. Et ex ipso procedunt venæ crassæ iugulares appellatæ, ad quas statim si copiosius accedat; sanguineum illud distribuitur, & illæ impletæ breui ad caput, & corpus delegant. Et quum ederit, aut biberit homo quid sanguinei: statim venę iugulares attollūtur, & facies rubet. Accedente verò ad cor, & corpus sanguine, quàm satis est, vberiore, à cibis, ac potibus, & ad aliū humorem ammixto, si non ab ipso egressus fuerit, per aluum, aut vesicam, reliquo humori ammixtus; dolorem corpori inducit: Si verò modicus accedat; nō sanè læserit corpus. Verùm temporis progressu distribuitur ab ipso ad ventriculum, aut ad nares, quæ ipsum foras excolant, & nulla læsio contingit. Si verò paulatim copiosior fiat; morbosus efficitur. Atq; ita quomodo copiosior sanguis generetur, à me declaratum est. Quum autem sint quatuor: Sanguis, Bilis, Pituita, & Aqua: omnia hæc à me demonstrata sunt, & quomodo, & cur copiosiora fiant, à cibis, ac potibus. Quòd autem ex his fiant, ac generentur, hoc argumento constat. Si homo parum edit, & parum bibit; nullum morbum hoc ipsi inducit. Et hæc quidem de hoc mihi dicta sunt. Attigi etiam obiter ostendere intelligenti, quomodo hæc pauciora fiāt. Verùm de hoc paulo post melius tractabo.

11 Cæterùm fontes hi quatuor, quos nominaui, quū pleni fuerint: semper corpori distribuunt; quum verò vacui; vice versa trahunt ab ipso. Sic etiam ventriculus facit. Et habet se res hoc modo, veluti si quis tria, aut plura ænea vasa in planissimo loco componat, & coaptata quàm optime disponat, fistulis ad foramina insertis, atque ita placide in vnum vas aquā infundat; donec omnia ab aqua fuerint expleta: ab vno enim diffluet in reliqua vasa, donec etiam alia fuerint expleta. Postquam autem plena facta fuerint vasa; si quis de vno aquam effundat, retribuet se retro fluens aqua ad vnū vas, & vacua fient reliqua vasa rursus, quemadmodum etiam susceperunt. Sic sanè & in corpore res se habet. Postquam enim cibi, ac potus in vētriculum inciderint; fruitur corpus de ventre, & vnà cum fontibus impletur. Vbi verò aluus vacuatur; rursus retro humor ab ipsa redditur, quemadmodum susceperat, veluti ex alijs ad vnum vasculum. Venæ enim sunt per totum corpus tendētes, aliæ tenuiores, aliæ crassiores, multæ, ac frequentes. Hæ autem, donec viuit homo; apertæ sunt, & suscipiunt, & dimittunt nouum humorem. Vbi verò mortuus fuerit: clauduntur, & extenuantur. Quandiu igitur viuit homo; fruitur corpus de ventriculo, vbi quid in seipso habuerit: fruuntur etiam fontes, & impleti corpori distribuunt: si enim corpus non traheret de ventriculi humore, sed soli fontes, & hi ad corpus distribuerent; nō sanè haberet corpus sufficiens alimentum, sed paucius; non enim amplius haberent alimentum fontes, quod corpori subministrarent.

12 At verò, si fontes isti non essent, dum edimus, ac bibimus; vere non cognosceremus, neque quid iucundum, neque quid iniucundum esset propter hāc, quam referam, necessitatem. Hi loci quum minores sint, & intra reliquum corpus, semper etiam antea quam attrahat vnusquisque iuxta suam facultatem: reliquo corpori denunciat de cibis, ac potibus, qui biliosus sit, & qui pituitosus, & qui sanguineus, & qui aquosus; quicquid enim horum humorum plus, quàm opportunum, est in cibis, ac potibus nobis obuenerit, neque cibos illos iucundos facit. Quæ verò maxime appetimus, pro eorum ratione etiam illi iucundi sunt. Si, verò cibis, ac potibus opus habuerit fons quidam: pro hac ratione etiam corpus

trahet

trahet ab ipsis fontibus,donec humor paucior,quam oportet fiat,& tunc sanè appetit homo aut edere,aut bibere tale quid,quod portionem illam expleat,ac reliquis adæquet. Et propterea, vbi multum cibi sumpsimus,aut bibimus ; quandoque adhuc cibum,aut potum appetimus, & nihil aliud libenter edimus, quàm quod appetimus . Postquam autem comedimus,& adæquatur fuerit humor,his perfectis, & in fontibus,& in corpore;tunc cessat appetētia. Atque hæc de hoc à me dicta sunt.

13 Quin & hoc se ita habet, quòd ad folliculum in hepate sola bilis à cibis,ac potibus secernitur. Venulæ enim quum debiles,& tenues sunt;alium humorē trahere non possunt qui, & grauior, & crassior existit: & simul non est ea loci capacitas,vt alius humor in hoc folliculo consistat:& est hic locus maxime familiaris bili secundum naturam.& ob id in ipso nullus alius fit morbus,quàm is,quē homines Cardiogmum,hoc est,cordis morsum vocant. At Caput, & Cor,& Splen,de hominibus humoribus participant. Vnumquodque tamen si non ægrotet;plurimum de relatis participat, iuxta suam ipsius naturam, caput pituita,cor sanguine,splen aqua. Trahunt autem & de alio humore uenæ in seipsas, amplæ, & crassæ,& instar pampini retortę existentes,ita,vt vbi trahant; alius humor alium sequatur. Et corpi quidem propinquant venæ iugulares crassæ,ad quas cito distribuitur,vbi illi amplior,quàm commodus est humor accedat.Hæ verò ad reliquum corpus delegant:Et simul ipsum cor solidum est,ac densum, vt ab humore non ægrotet. & propterea nullus morbus in corde oboritur.

14 Caput autem, & splen maxime sunt morbis obnoxia: ægrotant enim & ab his, quæ à natura insunt, quum plura,quàm opportunū est accesserint.Aegrotant item ab alijs humoribus . Venæ enim in ipsis crassæ,ac multæ sunt,& ipsa quoque venosa sunt, ac caua, vt & alijs humoribus recipiendis capacitas in ipsis sit,paulatim nimirum accedentibus, & ad eum humorē,qui à natura inest,se ammiscentibus.Quem admodum in vase magno amplior capacitas est, quā in paruo: sic sanè & in capite,aut in splene,res se habet.Magna enim capacitas maxime in ipsis est.Si verò repletæ fuerint isthinc humore venę;ab ipso sanè in illis morbus oboritur . Atque hæc mihi de hoc nunc dicta sunt.

15 Volo autem melius declarare,quomodo vnusquisque horum humorum in corpore paucior fiat. Quatuor equidem humores esse demonstraui hominem lædentes:quatuor item ipsorū fontes. Quatuor quoque esse dico locos,per quos homo de singulis his expurgatur.Sunt autem hi,os,nares,podex vrinę meatus . Et,vbi humor aliquis affligens copiosior factus fuerit, si his locis homo depurgetur; nullus ipsum morbus ab illo premit.Et,si ventriculus plenus fuerit,liquescente corpore ab humore;defluit ad ipsum, & extra prodit per aliquem horum locorum.& propterea humor paucior fit in corpore: corpus.n.velut & antea dixi,ventriculo retribuit;vbi plenus existit. Atque hæc à me dicta sunt, quomodo, & cur pauciores fiant humores hominem affligentes.

16 Quomodo verò,& cur homo sanus degat,referā. Postquā comedit,ac bibit, & humor ad corpus pérnenit eo,quo dictum est, modo, ammixtus alij,tum ei,qui in corpore,tum ei,qui in fonte est,ea quidem die,qua accesserit,in corpore manet: postridie verò alius humor ad ipsum accedit.Atque hi quidem duo sunt dies,duo verò in corpore humores.Et alteri quidem humori duo dies sunt,alteri vnus Et qui quidē postridie accessit, manet in corpore, vt qui sit crassus.Alter autem coctus à caliditate diffunditur,& tenuis factus,postera die ad ventriculū accedit, & per omne tempus à recenti expellitur . Vbi verò ad ventriculum peruenit;cibos in hoc loco coquit,& de se sanguinem in corpore facit. Si verò permanserit;tēpore graueolens fit.Tertia verò die vnà cum stercore,& vrina exit,copia ipse sibiipsi æqualis, & consimilis,& æquilibris,etiam si suiipsius pars quædā fit, quo humor maneat in corpore iuxta relatam rationem . Influit autem & tertia die humor de corpore ad ventriculum amplior,& graueolentior,qui videlicet reliquus fuit à secundo, & defert cibos concoctos,& quicquid est in corpore morbosum,& rursus simul exit. Indicio est autem vrina,quæ salsuginosa est, quòd cibi deferunt de corpore etiam id, quod morbosum est . Et cibi quidem semper postridie per aluum secedūt,humor autem ad tertiam diem. Hoc modo sanitas contingere solet.Atque hæc dicta sunt quomodo,& cur homines sani degunt . At verò humor hic si particulatim foras prodiret postridie;cibi non similiter ex ventriculo graueolentes facti foras prodirent,sed veluti cocti : & vrina potui similis,& corpus semper euacuaretur,& per omne tempus homo,vbi ventrem exoneraſſet,ac minxisset,opus haberet statim potu, ac cibo, pro egestionis factæ copia; si modò validus esse deberet:quum humor suffi ciens in corpore non relinquatur, sed vnà cum stercore foras prodeat postridie,aut eadē die . Et,si quidem comedisset;bene esset: sin minus ; & euacuatus debilis esset,neque humor crassus fieri posset, vt postridie foras prodiret:non enim sufficiens in corpore relinquitur. Nunc verò aluum exonerātes probe valemus.&,si per biduum nihil cibi acceperimus,& viuere,& facere quid possumus,& non penitus debilitamur ex euacuatione in hoc tempore: humor enim in corpore manens,robur exhibet . Atque hæc à me dicta sunt,quomodo,& cur fieri nō possit,vt humor, qui corpori accessit, foras egrediatur eadem die,immo neque postridie . Id porrò affero,si humor pluribus , quàm tribus diebus in corpore permaneat, aut alius multus implens accedat, venis calescentibus, ac stantibus;malus malum,aut minus,homini significationem de se præbere:hyeme quidem minus,& posterius:æstate verò maius,ac prius. Atque hæc à me dicta sunt,de eo quod fieri solet,si humor in corpore maneat. At verò,si corpus cibos eadem die egereret; non sufficienter humore vti posset, sed essent homines tenues,ac debiles.Nunc verò quum maneant cibi,ac potus,quandiu permanent;corpus fruitur sensim de ventriculo trahens,& impletur . Hæc dixi & quomodo,& cur cibi non possint eadem die exire.

17 Si verò cibi maneant in ventriculo ampliore tempore,quàm opportunum est,& alij ad ipsos incidāt, corpus vtique repleatur:&,dum premuntur à plenitudine venæ;calor,ac dolor corpori accesserint,ęsta te quidem citius,hyeme verò posterius:æstate enim calidus est aer ambiens,& calidiorem corpus in seipsum trahit. Et,si calido adhuc existente ventriculo,

calidior,

càlidior,quàm opportunus eſt,ſpiritus homini accedat;nihil miri eſt hominem ex tali febrire.hyeme verò quum frigidum ſpiritum trahat in ſeipſum;multo magis poterit corpus repletionem ferre, homine modice ventrem exonerante. Et hæc à me dicta ſunt de eo,quod fieri ſolet; ſi cibi ampliore tempore in ventriculo maneant. Et attigi quoque obiter,vt declararim omnem humoris,ac cibi,& longioris,& breuioris temporis differentiam,cur homines ęgrotent. Verùm de hoc melius tractabo temporis progreſſu.

18 Reuertar rurſus retro de ſanitate dicturus, quòd ſanè corpus hominis humore de cibis, ac potibus fruitur,& prodeunt foras in ſano, tum cibi,tum humor,iuxta relatam rationem. Et ſi quidem foras prodeat plus humoris, quàm de cibis, ac potibus acceſſit,homo attenuatur. Prodit autem foris plus,quàm acceſſit ob hanc cauſam. Si in quiete degat homo,& non laboret;mali aliquid ipſi in corpore ineſt: verũ præ alia ſanitate,quæ multa eſt,non lædit valde. Malum verò illud huiuſmodi eſt. Poſtquam aliquid ex his quatuor corpori accedentibus, aduenerit copioſius,non ita multo;corpus caleſcit ſenſim,vt non valde lędatur: & liqueſcit in ventriculo,& cibum homini iniucundum facit. Si verò humor alius alio copioſior fuerit;febris ex hoc homini oboritur. Verùm de hoc exactius paulo poſt tradam. Quandoque etiam vbi cibus iucundus eſt:homo attenuatur. Cauſa verò eadem eſt. His autem contingentibus, plus humoris extra prodit,quàm ſuccenturiatur. Et propterea in quiete degenti contingit,vt attenuetur. At verò laborantibus hominibus itidem corpus caleſcit (& hoc à labore caleſcente:) tum humor in ipſo diffundi tur,tum attenuationis morbus oboritur. Quum autem inutilis fiat humor; & ad ventriculum,& ad veſicam defluit:hæc autem foras expellunt. Pars verò ipſius extra exhalat, per internã corporis raritatem. Pars autem quæ adhuc intus manet,ſudor fit, & per corpus foras procedit. Eodem modo & exercitationes iuuenum idem efficiunt,quod labor. Si verò etiã non paucior fuerit humor eo,qui prius exiuit, accedatque inſuper alius à cibis, ac potibus; attenuatur propterea homo. Paucior autem accedit;ſi nõ aliud quid edere poterit: & ſi neque laboret pro prioris laboris, aut exercitationis ratione, alij alijs pauciores fiunt. Cæterùm bonus corporis habitus accedit ex eſu,hac de cauſa.

19 Poſtquam reſiccatus eſt tẽpore humor, & in priore labore prius egreſſus eſt alius alio copioſior, & vnus alius alios valde ſuperauit; homo repletus fit. Et ſi quidem à multis valde ſuperetur; febris ex hoc modo oboritur: Si verò à paucis; parum ſuperatur. Sed & corpus hoc modo ſufferre, ac reualeſcere poteſt: humiditate enim vbertore in ipſo exiſtente,calorem exoluit;caleſcit enim corpus à febre. Et,ſi quidem modicum fuerit id,quod affligit; tertia die eodem modo dimittit,per duas autem continue tenet: ſi verò copioſius; quinta die:per quatuor verò tenet pro ratione. Atque hoc modo morbi per dies iudicantur. At,ſi dimiſerit febris in imparibus diebus; & ſanus homo fit,& moritur. Qua de cauſſa,paulo poſt dicam.

20 Nunc autem referam,cur febris dimittat. Sic autẽ ſentio. Quæcunque febris de corpore hominem corripuerit; neceſſe eſt tertia die humorem affligentem exire de corpore,aut in alio quopiam impari die,iuxta rationem antea relatam: non.n.exit prius, quàm alius bonus de ventriculo ipſi accedat:nam intermedia,& poſtera die corpus trahit de ventriculo, quicquid ipſi in ſeipſo dimiſerit priore die;niſi ventriculus id expulerit, & alium humorem habuerit, quòd ſanè malũ homini eſſet. Si verò dimiſerit tertia die; eodem modo dimittit, quo etiam eadem die, velut dictum eſt. Atque ita quidem contingit,vt febris de corpore oriens,tertia die remittat. Dico autem,etiã ſi quinta die,aut ſeptima,aut nona dimittat; eodem modo dimittere,quemadmodum & tertia exiuit:etenim alimentum febri contingit ſecundũ locos, quos paulo antea dixi: vbi enim humor copioſior præualuerit,homo liberatur à febre. Dimittit autem febris in diebus imparibus ea de cauſſa. Quòd videlicet in paribus diebus trahit corpus de ventriculo:in imparibus verò dimittit: Ventriculus autem extra propellit in homine ſano. Iuxta huiuſmodi neceſſitatẽ morbi in imparibus diebus iudicantur. At hac quidem ratione homo febricitans ſanus euadit. Aſſero autem & quòd doleant maxime homines ægroti in imparibus diebus, propter hoc & ſecundum rationem fieri. Conturbatur equidem homo quum febricitat. Cuius rei ſignum eſt,quòd horror aliàs, atque aliàs per corpus tranſcurrit. Hoc verò non ſanè ita contingeret;ſi non conturbaretur humor, & de ipſo aut plus, aut minus ſecerneretur,& alius alium ſuperaret. Cõturbatur autem maxime in imparibus diebus, quum ægrotat. Sed & horror maxime tunc fit. Habet enim ſe res hoc modo. De humore affligẽte expellitur aliquid ex corpore, à recentiſſimo humore ſuperatum, & procedit ad aluum infernam, & aluus ipſa vnà cũ affligente caleſcit,ſuſcipiens in ſeipſam magis,quàm priore tempore. Hoc autem maxime fit in morbi iudicatione Et ſi paulatim corpus ad aluum dimiſerit, & non multum fuerit id,quod hominem affligit,& aluus,& corpus, calorem ſufferre in iudicatione poteſt. & homo ſanus euadit;vbi humor affligens egreſſus fuerit,& is, qui febri alimentũ præbuit conſumptus,& ſanus præualuerit. Atq; hac ratione propter relatas à me cauſſas,homo ægrotus ſanus euaſit.

21 Nunc verò referam,cur moriantur homines in imparibus diebus. Sic autem ſentio. Si multũ fuerit id, quod affligit in corpore magis, quàm opportunum eſt, & aceruatim robuſtùm, turbatur ad ventriculũ: &,quum non poſſit calorem ſufferre corpus;eo fruitur,& graueolentiam circa ſpiritum fieri neceſſe eſt. &,quum nequeat corpus præ debilitate, nimirũ omni humore morboſo exiſtente,ſpiritum trahere,quoea,quæ in ventriculo ſunt,refrigerentur; quicquid eſt humoris vitalis id foras exhalat.atq.ita homo moritur:non enim ſuperat alius ſalubris humor,ſed totus à morboſo,qui multus eſt eleuatus, ac conſumptus à febri exhalauit,ac perſpirauit. Atque hoc modo in imparibus diebus maxime dolor affligit. Neq; eſt quiſquam.cui hoc non ſit notum. At verò quod humor turbetur in ijſdem diebus, hoc ſignum eſt. Quicunque iam à febre continua correpti, pharmaco vſi ſunt in diebus paribus;hi nimium purgati nũquam ſunt. Qui verò in diebus imparibus medicamẽto forti vſi ſunt;nimiũ purgati ſunt. Multi verò etiã perierunt nimium purgati. Proinde priores Medici in hoc maxime peccarunt:medicamenta enim exhibuerunt

hibuerunt in diebus imparibus, & homines peremerunt, non scientes, quòd hæc res se ita habet. Humor enim in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum transmittente. Et, si quis iam turbatur, adhuc magis perturbet medicamento immisso; nihil miri est ex talibus hominem perire.

22 Quin & vlcera si curentur; maxime in his diebus inflammantur: venit enim humor ad omnes venas quum turbatur, easque replet. Et, vbi ad vlcus peruenit, si quidem non curetur, & pus exitum habeat; expellitur ab humore, qui in turbatione accedit, & vlcus foras expurgatur. Si verò curetur; pus exitum non habens, & isthic vnà cum eo, qui accessit permanens, dolorem inducit, & carnem circa vlcus attollit; & ex illo si quidem in crurib. habuerit vlcus; attolluntur venæ, quæ in iuncturis crurum existunt: si verò in manibus: quæ in manuũ iuncturis sunt: & ex hoc glandularum tumores fiunt. Quibuscunque verò hominibus febris incidit, si nihil aliud male habeat homo, à pinguiore, quàm oportet, existente humore incidit: & venæ impletæ dolorem, ac calorem vlceri inducunt. Hoc autem calefactum, etiam reliquum corpus calefacit. Atque hoc modo caliditas ad vlcera peruenit. Calescit enim corpus, & vlcera, ab humoris commotione. Et labor talia efficit. Liberantur autem vlcera ab inflammatione quinta die, & iuxta horũ dierum rationem, prout etiam vlcera fuerint magna, & tertia, & quinta, & septima, & nona, & vndecima. Deinde absoluto primo circuitu, rursus secũdi principium tertia sequẽs hinc est, quæ à prima; decimaquarta est. Maxima verò vlcera decimaquarta die ab inflammatione liberantur. Atque hæc ratio docet morbos in imparibus diebus iudicari, & humorem in sano homine tertia die exire, stercus autem secunda. Et hæc tertia die contingentia mutuum inter se testimonium præbent, quòd res se ita habeat. Atque ita mihi hic sermo vniuersus ad summum perductus est.

23 Nunc verò exactius referre volo, cur homines ægrotent, simulque cum hoc sermone dicam, quæ sint principia morborum, & qualia vnumquodque ipsorum efficiat. Sic autem assero. Si cibi plures, quàm opportunum est, qui iam concocti sunt, intus maneant, & homo non purgetur, & alij cibi superingerantur: corpus ab humore priore, ac recenti repletum calescit, & febris ex hoc homini oboritur. Verùm febris hoc modo oboriens, non periculosa, neque fortis est, in qua humor æqualis est, copia paululum vberiore nos affligens; si enim hoc ita se habuerit, & quis admodum validus sit, & quæ commoda sunt adhibuerit: sanus euadit. Vnus autem morbus solus est ex omni humore, & septẽ signa habet. Nam & tussis ipsum habet, quæ & debilis, & sicca est: & venter durus fit, vtpote stercore intus contento: caput grauatur, & uomit, & febrit, & vrina non probe prodit. Hæc septem signa huius morbi sunt ex omni humore oborientis. Si verò alui egestione non prodeunte, vnus ex alijs humoribus superet; melius deget homo. Et, si quis febre oboriente ab omni humore, non adhibeat idonea: inualescet morbus, quantum ipse humores superauerit, hoc modo. Calescente sanguine exhalat maxime per hunc humor aquosus, qui febri est infestissimus. Relinquitur autẽ pinguis, ac leuis, qui est bilios us, & febri maxime nutrimentum est. Exhalat autem hoc modo: Vesut si quis aquam, & oleum in vas æneum infundat, & ligna multa subiecta ad multum tempus exurat: aqua enim multo paucior erit, ex vase enim exhalabit: oleum autem paululum imminuetur. Nam aqua prę raritate ab igne attenuari potest, & leuis reddita exhalare. Oleum verò, vtpote quod est coniunctum, ac densum, attenuari non potest, neque similiter, ut aqua exhalare. Sic sanè & in homine se res habet. Aqua enim calescente corpore foras exhalat: Biliosus autem humor, ut qui cõiunctus est, ac densus, nõ similiter attenuatus exhalare potest. Verùm attenuatus hic biliosus humor, corpus magis calere facit. Copiosius enim, & melius alimentum febri bilis suppeditat, & prærumpens, aut firmata in corpore, morbum supra priora corroborat. Atque hæc quidem dicta sunt de eo, quòd afficitur homo: si non purgetur, & curetur. Si verò nõ ipsa copia præualuerit, siue se mel multa fiat, siue paulatim colligatur: reliquũ corpus dum hoc fit, præ robore sufferre potest, donec principium aliquod superaccedat. Atque hoc sanè modo morbus fit: si homo à copiosiore humore non expurgetur.

24 Principia ex quibus fiunt morbi, tria sunt. Et vnũ quidem iam à me relatum est, qualia, & quot efficiat in corpore: (demonstrauimus quomodo, & cur ægrotet homo, si non purgetur.) Alterum est, si cõtingat, vt ea, quæ ex cœlo obueniunt, inepta, & præter victus rationem sint. Tertium est, si violentum quid accidat. Violentum autem esse dico, & casum, & vulnus, & plagam, & laborem, & si quid aliud est huiusmodi. Horum verò principiorum maximum est violentia; si magna fuerit: si verò parua; non ita maximum. Secundum est; si non purgetur homo. Tertiũ, si quæ ex cœlo obueniunt, inepta fuerint ad sanitatẽ. Proinde diligenter ab his se custodire oportet. Singula verò talia in corpore faciunt, qualia ego dicturus sum.

25 Equidem si vulnus fiat; manifestum est, quòd caro dissecta est, & vlcus factum est: hoc autem morbũ esse dico. Si verò contusio fiat, homine percusso, aut lapso, aut aliud quid tale perpesso, & tumor oboriatur; sanguis statim præ violentia calefactus, & venis hiantibus illapsus, non habens exitum prę copia, quò abire possit, conglobatur: & propterea tumor fit, & tãdiu adest, donec depurgatus fuerit eo modo, quo de locis depurgari dictum est, aut ẽt per ipsum tumorem, & siue per chirurgiam, siue sine ea, sanguini transitus fiat, aut per tempus suppurato, aut non. Sed & labor tale quid efficit. Quum enim homines laborarint, quibus sanè maximè sanguinis afflictio contigerit; illis firmatur, ac calescit, & ex hoc dolor oboritur. Si verò hæc quidẽ superarit homo, verùm multa copia labor accedat, & aluus, ac vesica nõ breui copiam expulerint; febris sanè ex hoc irruerit. Et si quidem prior humor æqualis fuerit; nequaquam. Si verò in labore ipsorum plurimus in corpore permaneat; superat ille. Atque hæc à me dicta sunt de violentia, qualia in corpore efficit. Et hæc quidem duo sunt principia, violentia, & plenitudo: quæ si nõ purgentur homines; corpora calefaciunt. At verò quod ex cœlo obuenit principium, si ineptum fiat in homine; superat aliquid humoris, & velut ad morbum

bum calefacit, & frigefacit prius, si fieri contingat. Dicam autem prius de eo, quod calefacit. Sic igitur sentio. Si in eodem homine fuerit aliquid morbosi, quale in priori dixi, & ea, quę ex cœlo obueniunt, incommoda fuerint, & calescat homo; turbatur humor omnis in corpore calescens. Hoc autem violentia facit. Et, si quidem depurgetur homo, humore illo turbato; secernitur quantum eius plus, quàm commodum est, redundarit. Et habet hæc res similitudinem ad id, quod Scythæ faciunt ex equino lacte. Lac enim in caua vasa lignea infusum concutiunt. Illud autem dum turbatur; spumescit, ac secernitur: & pingue quidem, quod Butyrum vocant, quum leue sit; in superficie consistit: graue verè, & crassum, deorsum sidit, quod etiam secretum siccant. Vbi verò cõcretum, ac siccatum fuerit, Hippacen ipsum vocant. At serum lactis medium locũ tenet. Sic etiam in homine, dum turbatur humor; quicquid eius est in corpore, à principijs, quæ dixi disparatur. Et in superficie quidem bilis consistit (leuissima enim existit.) Secundo loco sanguis: tertio pituita. Grauissimus autem horum humorum est aqua. His verò ita se habentibus, quisquis ex his in morbo plurimus fuerit, in principio contingente turbatione; deuenit ad locum, vbi plurimus esse possit. Verùm in turbatione, spacioſa capacitate euadente, secretus distrahitur, & calefacit corpus. Aut aliqua corporis parte firmatus, vnà cum alio humore, cum quo est in alio loco, dolorem, ac calorem exhibet. Qui verò calefactus est locus, insuper etiam reliquum corpus concalefacit: & ex hoc febris oboritur. Et oboritur magis à bile, & pituita, & sanguine: calidissimi enim hi humores existunt. Et si quis horum in aliqua corporis parte firmatus fuerit; vt plurimum morbus illinc nominatur, & cognomen habet. Cæterùm ab aqua nõ valde fortis febris oboritur, neque diuturna: nam igni non bonum alimentum aqua præbet. Atq; hæc quidem de hoc dicta sunt. At verò ante turbationem, non habet multus humor, quò procedat; sed sursum, ac deorsum volutur, & distrahitur alij humori permixtus: omnia enim plena existunt. In turbatione verò euacuatur. Verùm aliud alio magis euacuatur. Et multus humor suum locum occupat, & alienus alij non admiscetur, si firmatus fuerit, priusquam ille viribus adæquetur. Potest autem ipsi adæquari is, qui ab ipso postea ad morbum superacceſſit; donec purgatus fuerit locus qualicunque purgatione. Si verò multus fuerit affligens humor; fruitur: & cõsumitur ad morbum etiam alius, qui prius salubris erat. Et tali modo homo moritur. Fruitur autem; si morbus nõ amplius sufficiens alimentum habuerit, & consumitur ab humore, qui in loco dolente existit: primum enim propinquum assumit, deinde longius depascitur, donec consumptum fuerit, & non amplius inest in corpore alimentum. Alimentum autem est homini humor leuis. Quemadmodum igitur, vt certum est, putrefactio primum paulatim fit, si maxime calefiat: Postea, vbi isthic alimentum putrefactioni non amplius sufficit; depascitur de sano, initio sumpto à proximo, ad totum corpus, donec totum quicquid carnosum est putrefecerit. Postquam verò in totum depasta est; alimentum putredini consumitur. Sic sanè etiam in morbo. Sumpto enim à loco illo initio, vbi isthic alimentum sufficiens non amplius inest; depascitur vlterius, à proximo initio facto. Postquã enim per totum grassatus fuerit, alimentum morbo consumitur, & alius salubris humor non superat. Et si hoc fiat; homo moritur. Quin & in turbatione, vbi hic salubris humor ampliorem locum occuparit, & non firmatus fuerit, sed voluatur, ac distrahatur, nõ amplius alij miscetur, sed ad morbum consumitur, si non depurgetur. Deinde venæ superimplentur. Valde autem impletæ, nihil ex seipsis remittunt; priusquam spacioſa capacitas ipsis contingat. Quemadmodum vbi quis vehementer percussus est, sanguis sub plagam subtercurrit, nimirum venis à plaga euacuatis. Postquam autem carnes veluti spongia fuerint repletæ: non amplius remittunt, sed continent in seipsis, donec in loco aliquid ab ipsis euacuatum fuerit: quũ enim collectus fuerit sanguis, præ copia viam inrrcipit. Quemadmodum, si quis vas olearium coriaceum anguſti oris oleo impletum, in osculum vertat è directo, & si hoc fecerit; oleum ex ipso prodire nõ poterit: viam enim ipsum oleum intercepit, vtpote multum, & aceruatim incumbens. Si verò quis ipsum vas inclinet; libera erit via osculi intercepta, quà effluet oleum ex ipso. Idem fecerit etiam aqua in mensa. Ita sanè etiam vbi multus humor in corpore, præ turbatione locum occuparit, & venas impleuerit; non amplius ab ipsis discedit, priusquam vbi locus vacuus est, alimento à morbo consumpto. Atque hæc à me dicta sunt de hoc, si in corpore quid fuerit, vnde morbi gignantur, redundantibus etiam alijs: & quomodo principia efficiant calorem, & turbationem humorum deducentia ad morbum.

26 Nunc verò dicam, quæ efficiant ea, quæ ex cœlo nobis obueniunt, si ad ea, quæ in corpore generata sunt, inepta fiant, & quum humorem in corpore superarint. Assero autem partem humoris in homine, vbi liquatus fuerit, cõglobari, ac spissari, donec morbum pepererit: partem verò dilatari, ac secerni. Habet autem & hæc affectio similitudinẽ ad lac. Si quis enim succum in lac immittat: frigiditas in ipso obortа, lac inspissat, ac conglobat. Ac circum inspissatum seruũ est. Sic etiam in homine humor, frigiditate in morbo oborta, conglobatur, & inspissatur. Circum ipsum verò aquosum humorem, adhuc etiam alius humor, quanto compositior fuerit in alio corpore, am mixtus est. At, si quidem ad aluum deuenerit; stercus conturbat, & tormen in aluo inducit, & foras pertransit, nullo magno damno illato. Si verò non ad aluum deuenerit: firmabit se aliqua corporis parte, vbi ipsi plurima capacitas erit. Volutatur itaque exquirens sibi ipsi loci capacitatem. Et quod quidẽ aquosi humoris de conglobatione secretum est, vtpote frigidissimum, ac grauissimum in corpore existens, ad infernas partes descendit, & circum ossa, ac neruos volutatum, adhuc magis corpus ad inflammationem perducit. & clarum est, quòd circa neruos, & præsertim circa ossa, aquosus humor, qui humorem facit, existit: circa osseas enim corporis partes, homo maxime riget, & capilli erecti stant, cõtorta cuticula, ac sicciore euadente, quàm priori tempore nimirum aquoso humore isthic deficiente, & circa ossa obuoluto. Atque hinc sanè solus ille locus, vbi primo tẽpore erat, humorem facere non potest, vnde etiam rigor oboritur. At verò reliquus humor, qui æqualissime crassus est, partim quidem in toto corpore est,

partim

partim verò quantum abundauerit, si quidem aluus plena non fuerit,& quod affligit modicum sit:quandoque ad aluum deuenit, & nullum magnum damnum inducit:& aliquando quidem febrem non inducit,aliquando verò debilem,& innoxiam: & quod affligit,vnà cum stercore exit.Si verò aluus plena multum,quod affligit, habeat;periculum est ex ipso morbum aliquem fieri,si alicubi se firmet id, quod affligit, aut ad latus, aut viscus, aut alicubi aliam partem concalefaciat,vt primum illum humorem simul turbet. Qui verò non valde ex calore ab aquoso humore victi sunt,vtpote qui circa ossa,& prope medulla consistit: hos progressu temporis magis lædet, primum quidem in illum ipsum locum,deinde ipsi propinquum: & semper vlterius depascitur,& aluus ipsum assumit,vt quæ calida sit: & postea tum aluus,tum lædens humor,adhuc magis calefacit. At humor crassus calescens primum diffunditur, is, qui propinquus affligenti existit: diffusus autem aquoso humori affligenti miscetur,deinde in cõcussione corporis inaniõr redditur:& tam diu rigor tenet,quãdiu aquosus humor alij humori ammixtus est. Quin & febris hoc modo generata oboritur. Affligentia ad locum firmata, calescens corpus febrem in se suscipere cogunt: & ab affligente,& ab aluo calefactum, reliquum aquosum humorem superat. Atque sic febris fit post frigus,si qua corporis parte copiosior humor firmatus fuerit. Si verò voluatur,ac distrahatur;tali modo febris oboritur. Post frigus febris volutatur, maxime affligens circa aluum & supernam, & infernam: isthic enim plurima loci capacitas existit. Dum autem volutatur;primùm propinqua calescunt,& viscera,& quæ in aluo sunt. Postea etiam alius humor diffusus calore fruitur,& aquoso humori miscetur. Atque febris post rigorem hic fit,vbi affligens volutatur; immo etiam vbi firmatum fuerit reliqua corporis parte. Et hæc à me dicta sunt, quomodo,& quando rigor morbosus fiat, & quomodo, & ex quali necessitate febris post ipsum irruit. Et quæ sint principia morborum,& qualem unũquodque ipsorum morbum in corpore inducat:& quomodo & cur in diebus imparibus morbi iudicentur. Et vnde homines sani sint,& vnde ægrotent: & quomodo bilis,& pituita,copiosior,& paucior fiat:itemque alia multa,quæ in ipsa natura humana sunt, demonstraui,quę sanè hic sermo exigebat. Atque hæc ita relata finem habent.

27 Nunc autem de lumbricis latis dicam. Assero.n.ipsos in puero dum adhuc in vtero est,nasci.Postquam enim semel ex vtero egressus est; non tanto tempore stercus in aluo manet, vt ex eius diuturnitate, ac putrefactione, tantæ magnitudinis animal generari possit: excerni enim semper hesternum stercus per omnes dies;si sanus homo esse debet. Tale verò animal nasci non possit; etiamsi multis diebus homo stercus non egeret:multa enim nascuntur, dum puer in vtero est hoc modo. Vbi ex lacte,& sanguine computrescente,ac redundante,vtpote quod dulce est,pus factum fuerit feruidum; animal isthic generatur.Nascuntur autem,& rotũdi lumbrici isthic eodem modo. Signum verò,quòd hæc res ita se habet,hoc est.Postquam in lucem editi sunt pueri;mulieres ipsis in cibo offerunt medicamenta, quo stercus ex intestino exeat, & non comburatur, & simul vt intestinum dilatetur.Vbi verò cibum obtulerunt; multi sanè pueri & rotundos,& latos lumbricos vnà cum primo stercore excernunt. Si verò non excreuerint;fiunt etiam,iusuperque nascuntur in ventribus. Et rotundi quidem pariunt, lati verò non amplius: etiamsi quidam ipsos parere dicant. Nam homo,qui latum lumbricum habet,velut cucumeris semen excernit aliàs, atque aliàs, vnà cũ stercore ipso, & sunt homines,qui hoc lumbrici partus esse dicunt. Mihi verò non recte dicere videntur,qui talia dicunt: neque enim ab vno animali tot pulli generari possunt: neque ea est loci in intestino capacitas,vt partus educare queant. Augescente autem puero,augescit etiã lumbricus in intestino ab his, quæ in ventriculũ ingesta sunt, & æqualis fit in intestino, quibusdã in pubertate,quibusdam posterius, quibusdã paulo prius. Et, postquam intestino adæquatus est; similiter augescit,& quanto maior factus fuerit,vnà cum stercore excernitur de intestino recto,& excidit velut cucumeris semen, sæpe verò etiam maior. Quibusdam verò iter facientibus,aut laborantibus,& ventriculo calescente,deorsum descendit, ipsisque prominet ex podice inflatus, hocq; facit,& de podice resecatur, aut retrocedit. Signa verò, quòd non pariat, sed ita habeat,velut ego dico,hæc sunt.Si quis curet hominem latum lumbricum habentem, & medicamentũ dederit, aut potionem, si quidem fuerit homo bene præparatus: totus rotundus factus ad pilæ figuram exit,& homo sanus euadit. Si verò ad medicinam hæreat:recta pars de lumbrico abrumpitur,longitudine duorum,aut trium cubitorum,aut etiam longe amplior:& vbi abruptus fuerit: per multum tempus signa cum stercore non prodeunt. Postea verò augescunt. Atque hæc argumenta sunt, quòd lumbricus satus non parit, sed abrumpitur. Est autem species ipsius, qualis alba intestini rasura. Signa habet hæc. Cacat aliàs, atque aliàs velut cucumeris semen, &, vbi ieiunus est homo: exilit ad hepar aliàs, atque aliàs, & dolorem inducit:& quandoque sputa ori influunt, vbi ad hepar assilit,quandoque non.Quibusdam etiam vocem intercipit, si fortiter ad hepar irruat,& valde multa sputa ex ore fluunt.paulo autem post sedantur, & tormen multum in vẽtriculo aliàs, atque aliàs oboritur. Quãdoque etiã ad dorsum dolor incidit:nam & hic aliqñ firmatus innititur. Hæc lũbrici lati signa sunt. Cõtingit & hoc. Qui hoc animaculũ habet.in toto quidem tempore valde debilis fieri non poterit. Vbi verò debilis factus fuerit: vix reualescit: latus enim lumbricus partis alicuius particeps fit,ex his,quæ in ventriculum ingesta sunt. Si quidem igitur curatus fuerit iusto modo, sanus fieri poterit.Si verò nõ curetur:sua sponte non exit.Mortem tamen non inducit,sed consenescit.Atque hęc à me dicta sunt de lumbrico lato,vnde nascitur,& quę morbi ipsius signa sunt.

28 Cæterùm calculi morbo principium oboritur à lacte;vbi puer lac impurum sugit.Lac autem in nutrice impurum fit,si pituitosis cibis,ac potibus,& alimẽtis impuris nutrix vtatur: conferunt enim omnia in ventriculum illabentia in ipsa ad lac. Habet autẽ & hæc res se hoc modo. Si nutrix non sana fuerit: sed biliosa,aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa; lac etiam malum puero generatur: consentiunt.n.corpus,& ventriculus. Plurimum verò ipsi ad lac cedit

deco,

deco, quod ipsa plurimum in se ipsa habuerit. Et puer si de nutrice lac non purum suxerit, sed bilio-sum, velut dixi, morbosus fit, ac debilis: & in præsens maxime affligitur, quandiu lac prauum, ac morbo-sum suxerit. At, vbi suxerit lac non purum, sed ter-reum, & pituitosum, & habuerit puer venas de ven-triculo ad vesicam tendentes amplas, ac attrahentes: procedit autem & quod bibit nutrix, & lac in ven-triculum pueri, tale quale trahit à ventriculo de lacte, in totum similiter prout venæ ad ventriculum, detrudere possunt; si quid sanè in lacte non purum fuerit, id quo vesica fruitur, lapis fit tali modo, ve-lut in aqua non pura, in calice, aut vase æneo turbata, & rursus sedata, fex aceruata fit in medio. Sic sanè & in vesica de vrina non pura existente. Et non per vrinam eiicitur, vt quæ in cauo sit loco, & maxime aceruata collecta, præ dolore per mistionem nō per-transit, & à pituita cruda concrescit. Glutinū enim fit pituita ad fecem ammixta. Et primum parua la-nugo supersta, deinde quod accedit arenosum fit, glutino existente pituita, quæ est in vesica de lacte, & augetur. & quicquid humoris in glutinatione ac-cesserit, emingitur. Rursus autem fex solida fit. & la-pidis speciem accipit. Quemadmodum ferrum ex la-pidibus, ac terra dum comburuntur, fit. Et in prima quidem in ignem immissione, conglutinati sunt lapi des cum terra ad ferri recrementum. At vbi iterum atque iterum in ignem immissa fuerint; recrementū, quidem foras decedit liquescēs ex ferro, id quod ita fieri omnibus videmus. Ferrum autem in igne relinqui tur, & recremento decedente subsidet, fitque solidū, ac densum. Sic profecto etiam fex in vesica: dum pi-tuita glutinum fit, emingitur, id quod ab vrina lique scit. Fex autem subsidet, & densatur, ac solida fit ve-lut ferrum. Vbi verò subsedit, ac solida facta est: sur-sum, ac deorsum in vesica volutatur, & feriens ves-icam dolorem inducit; & si vehementer ferat, ac vl-ceret aliquid de ipsa aufert. Verùm id, quod insuper affertur, adhuc magis, quàm id, quod arenosum de-cessit, concretionem efficit. Atque tali modo fit la-pis de lacte in vesica, & si puero anxietas aliqua ab hoc oboriatur, aliàs atque aliàs, ubi meiere vult: vri-næ meatum apprehendit. At, si puero iam adulto la-pis gignatur ex terræ esu: dolor non adest ipsi prius, quàm ipse sibi ipsi cibum deligat. Et hæc à me de hoc relata sunt.

29 Cæterùm morbus signa quinque habet. Nam vbi meiere vult: dolore affligitur, & vrina paulatim fluit velut in urinæ stillicidio, & est subcruenta, nimirum uesica à lapide exulcerata, & uesica inflammata est. Verùm hoc signum inconspicuum est: indicat tamē sum ma pars præputij. Quandoque mingit arenosa: uerùm à talibus, qualia ego dicam. Eiicit autem ali-quando lapides duos, aut etiam plures paruos, gene ratos eodem modo, uelut de uno dixi. Fiunt etiam ta li modo. Quum lapis fuerit concretus, & profunde subsederit in vesicam in arena separata, ita ut ipsam aduenientem lapis non assumat in seipsum, sed grau-ior, ac copiosior fiat, ut tamen ipsa ad seipsam non concrescat, etiam sic duo lapides fiunt. Fiunt etiam plures eodem modo. Sed & collisis inter se in agita-tione aliquid disparatur, & arenosum per urinā eii-citur. Quod etiam aliquando contingit; ubi arena ad uesicam descendit, & non coaluit.

30 Quidam dicunt, quòd potus in pulmonem deue-nit, ex hoc verò in reliquum corpus. Hi autem, qui hæc dicunt, redarguuntur ex hoc, quod dicturus sū, quòd videlicet pulmo cauus est, & in ipso fistula est. Quòd, si pulmo cauus non esset, & fistula nō ipsi ad-hæreret; animalia vocem non ederent: vocem enim edimus de pulmone, quia cauus est, & fistula ipsi a-dest. Vocem autem articulant labia, & lingua. Ve-rùm de hoc exactius peripneumoniæ tractatione egi. Cæterùm hominibus, quibus potus in pulmonē ferri videtur, aduersabor, habetque res se hoc modo. Pro-cedit potus in ventrem, à ventre autem in reliquum corpus expenditur. Oportet autem his, quæ dicturus sum, mentem adhibere. Sermonis argumenta, quòd potus non procedit in pulmonem, sed in ventrē, hæc sunt. Si enim potus procederet in pulmonem, quum pulmo expletus esset; homo non facile respiraret, ne-que loqui posset: non enim esset, pulmone pleno exi stente, quod resonaret. Et hoc quidem vnum argu-mentum est. Deinde, si potus in pulmonem proce-deret; cibi in nobis sioci existentes, non similiter con coquerentur. Atque hæc duo argumenta existunt. Sed & medicamenta aluum subducentia, si in potu su mantur; extra ventrem procederent. Habet autē hæc res hoc modo.

31 Quæcunque medicamenta purgatoria sunt aut su perne, aut inferne, aut etiam vtrunque præstant, ea hæc faciunt. Omnia valde vrunt: & fortia quidem ex ipsis, si partem aliquam teneram corporis contingē-rint, eam exulcerant. Mitiora verò turbulentum cor poris motum faciunt, quamcunque tandem partem occuparint. Si verò aliquod ex his medicamentis in pulmonem peruenire t: videtur mihi magnum ali-quod malum inducturum esse. Pituita enim de capi-te descendens, cum in valde breui tempore exulce-rat: Tenera enim, & rara res est pulmo, & si exulce-ratus fuerit, non bene habebit homo ille, ob multas sanè causas. At verò venter à medicamento non exul ceratur: nam res est valida, ac robusta, nimirum ve-lut pellis, & corium. Et plerique sane ex Libyæ inco-lis pecorum pellibus pro vestibus vtuntur, ventribus autem pro vtriculis: robusta enim res venter existit. Deinde vbi à vino nigro homines repleti fuerint; ni-gra recrementa excernunt. Atque hæc omnia argu-menta existunt.

32 Et vbi allia commederimus, aut aliud quoddā edu lium olidum; vrinam reddimus comesta odore refe-rentem. Et hæc quidem omnia argumenta sunt. Sed & hoc considerandum venit, quod dicturus sum. Si quis cyceonem biberit, aut farinam coctam sorbue-rit, aut aliud quid eiusmodi, & hoc ipsum in pulmo-nē peruenerit; certè arbitramur ipsum ne minimum quidem tempus viuere posse: vbi enim modicum quiddam pituitæ in pulmonem peruenerit, aut in fi-stulam ipsius, multa, ac fortis tussis oboritur, ac conuulsio. Si verò vtique & vixerit homo, qui cyceonem biberit, aut farinam coctam sorbuerit, vbi sanè con-cocta fuerit sorbitio; videtur mihi multa, & fortis ca-liditas corpori oboritura esse, multusque dolor, vt omnino moriatur homo hoc modo, si illa in pulmo-nem peruenant. Atque hæc iam argumenta septem sunt. Præterea quomodo lac infantes pueros nutri-re posset; si ad pulmonem descenderet? Atque hoc mihi aliud adhuc argumentum est. Et hæc ne pro-

duxis-

duxissem quidem ad sermonis mei confirmationem, nisi multi adeò homines essent, quibus potus in pulmonem procedere videtur. & necesse est ad opiniones fortiter inhærentes multa argumenta adducere; si quis velit auditorem à priore sententia abducere, ac conuertere, vt suis verbis fidem habeat. Et propter hoc etiam potus in pulmonem nō procedit, sed in ventrem: quia contigua, & annexa est ipsi gula hominis semper hians, & in hanc procedit. Et simul pulmonis fistulæ velut hederæ folium incumbit; quare neque descendere permitteret in transglutiendo; si in ipsum procederet: Atque hæc mihi de hoc relata sunt. Procedit nanque potus in ventriculum, & vbi expletus est, splen de ipso suscipit, & distribuit ad venas, & omentum, & in decliue deorsum, & in scrotum, & ad crura, & ad pedes.

33 Et postquam morbus ex aqua multa obortus fuerit; procedit de ventriculo, & semper ad splenem venit de potu, vbi biberit homo. Contingit autem in hoc morbo, vt neque febricitet aliàs ex vētre, quàm vbi homo sitiat, vesica autem & ventriculus non iusto modo excolent, neque conueniente diæta homo vtatur. At splen subægrotans à ventre de potu trahit. Morbus autem oboritur, & scrotum pellucidum fit, & clauiculæ, & collū, & pectora attenuantur. Colliquantur. n. ab hoc morbo, & humor ad vētriculum defluit, & infernæ partes aqua plenæ sunt: & venter cibum auersatur, & quandoque valde adstringitur: quandoque defluit. Nec vesica iusto modo excolat, & plerūque horror aliàs, atque aliàs per corpus discurrit, & quandoque febris corripit. Et quibusdam facies tumida fit, quibusdam non. Aliquibus etiam tibię rumpuntur, vbi morbus diuturnus factus fuerit, & aqua illinc effluit. Incidunt & vigiliæ, & impotentia corporis, ac maxime lumborum. Et postquam edit, aut bibit, etiam paulo amplius splen affligitur, & spiritum frequentem semper emittit. Atque hæc signa hydropis sunt. Est autem & circa ventriculum solum, siue febris corripuerit, siue nō. Et venter magnus fit, & crura implentur aqua. Verùm supernæ corporis partes attenuantur his, qui ita affecti putantur. At signa omnia debiliora sunt, & simul in cruribus aqua nō accedit, & dolor tantò minor existit. Cętera circa ventriculum solū hydrops, & aqua hac de causa fit. Etenim vbi aceruatim aqua accessit, & via in principijs nō patea ad infernas partes, sed aceruatim in venis concludatur, nimirum vt quæ respirationem non habeat, neque sursum, neque deorsum inniti pōt (haud aliter quàm si quis magnum vas angusti oculi occludat, ac subito inuertat, deinde sensim operculum de oculo detrahat. Et si enim hoc fecerit: aqua non effluet foras, neq; enim respirationē habet, sed à spiritu, qui intus est, concluſa est: nā spiritus, qui intus est, replet vas, & externo spiritui reniti tur, & excursus aquæ non datur præ spiritu vas implente, & simul aere incumbente. Si verò quis sensim vas inclinarit, aut fundum perforarit; spiritus de vase exibit: egresso autem spiritu, procedit etiam aqua foras.) Sic sanè in hydrope, si quidem perspiratio sursum, aut deorsum contingat, in principio morbi, trā sit ad crura hydrops, & ad pedes. Sin minus; isthic solum volutatur circa ventriculum. atque ita quidem de ijs à me dictum est.

34 Fit autem & mulieribus hydrops in vtero ipso, & signa sanè in ventriculo, & in cruribus, & reliqua signa eadem habet. Et de hoc ipso a me dictum est in Morbis muliebribus. Atque hę tres sunt species morborum ab hydrope. Fiunt autem hi morbi omnes cito difficiles, & omnes cito augentur. Adhuc autem difficiliores fiunt; si ex alio morbo corpus liquefactū ad hunc deuenerit. Siquidem igitur subito occupauerit morbus hominem; moritur, nempe alio morbo diutissime iam affligente. At, vbi etiam aluus valde fluida fuerit; citissime moritur, & sentiēs, & loquēs. Atque hæc à me relata sunt de hydrope, & vnde oriatur, & quòd hæc sint ipsius signa.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Affectionibus.

Hunc Galenus polybi esse dicit.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Sanitas res maximi pretij. Morborum omnium fons & origo, bilis & pituita. Morbi quomodo à bile aut pituita fiant.*

2 *Capitis doloris à pituita, seu causa frigida, aut alijs causis, curatio. Morbi capitis qui dicantur. Vinum in capitis doloribus non est exhibendum. Aegri morborumque genera, in morborum principijs, diligenter considerandā.*

3 *Aurium doloris à pituita generatio & curatio.*

4 *Faucium inflammatarum causa & curatio. Gingiuarum inflammatio. Columellæ causa & curatio.*

5 *Dentium dolores, & exesio partim à pituita, partim à cibis.*

6 *Narium polypi generatio à pituita, eiusque curatio.*

7 *Morbi qui circa ventrem fieri soliti. Acuti morbi, qui & quo tempore maximè & fortissimi fiant.*

8 *Pleuritidis causæ, notæ, & curatio. Iudicatio in morbis quid dicatur.*

9 *De Peripneumonia, seu pulmonis morbo, & eius notæ & curatio. Ex pleuritide in peripneumoniam & febrem ardentem transitus.*

10 *Phrenitidis siue amentiæ generatio, & curatio. Vinum mente motis non conuenit. Phrenitidis in peripneumoniam transitus.*

11 *Febris ardentis siue causonos generatio, notæ, & curatio Lingua nigra & aspera à spiritus caliditate. Febris ardentis in peripneumoniam transitus.*

12 *Febrium hyemalium, seu non acutarum in acutas transitus, obseruatio, & tutela. Pleuritis. Phrenitis. Peripneumonia. curatio. Morbi maxime acuti fermè occidunt.*

13 *De Febribus & syptomatis æstiuis. Bilis per superiora, vel inferiora in febri forti purgatio, & curatio. crisis.*

14 *Febris æstiuosa. Corporis grauitas, vbi febrilis calor apprehenderit ac dimiserit. Os amarum, & corpus graue sine febre.*

15 *Morborum æstiuorum, præter prædictos, causa, & curatio per vomitum. Ventris doloris ad alium locum transeuntis, citra febrim, cura. Dolorum in ventre errantium, bilis causa est.*

16 *Dolores infra vmbilicum. Dolores repentini citra febrem, à pituita & bile compacta.*

17 *Morbi in æstate fieri soliti, quomodo fiant.*

18 *Tertianæ & quartanæ, corpore à sole calfacto, sæpe fiunt. Febris tertianæ cura. Tertianæ in quartanam transitus.*

19 *Febris quartanæ curatio. Febris quartana quando potissimum inuadat.*

20 *Morbus à pituita alba prognatus, & eius causa.*

21 *De Lienosis. Pituitosi. Bilosi. Splenici quidam, quibus pharmacorum potiones nihil proficiunt, ijs morbus in hydropem degenerat. Splenis suppurati cura. Causa huius morbi.*

22 *Voluulus, & eius notæ, causa, & curatio.*

23 *Aquæ inter cutem generatio, causa, curatio. In hydropem aut à splene, aut hepate, aut pituita alba, aut dysenteria, transitus. Morbum morbo succedere, lethale. Aquæ in corpore generatio. Aquæ è ventre per sectionem emissio.*

24 *Dysenteria, & eius cauſſa.*

25 *Lienteria, siue intestinorum leuitas, & eius notæ, curatio, & cauſſæ.*

26 *Ventris profluuium seu diarrhœa, & eius notæ, & cauſſa. Dysenteria ac lienteria & diarrhœa morbi sunt consimiles. Fluxus à capite & superiore ventre interceptio, horum morborum curatio.*

27 *Tenesmos, notæ, curatio. Torminum in ventre generatio.*

28 *Bilis fluxus, aut diarrhœa, & eius curatio.*

29 *Vrinæ stillicidium & cauſſa eius, quæ.*

30 *De Coxendice seu Ischiade, & eius causa, & curatione.*

31 *De morbo articulari seu arthritide, & notis, & curatione.*

32 *De Podagra seu pedum dolore. Podagra quid. Quando durabilior, & eius curatio. Podagræ in digitis relicta vlcio, per linum crudum.*

33 *Morbus regius, eius causa, & curatio. Morbi ex paruis occasionibus neglecti, magni ac diuturni fieri solent. Cibi, potus, vel sorbitiones, item pharmaca, quando periculo careant. Pharmaca bilem, & pituitam purgantia periculosa.*

34 *De tuberculis, & eorum cauſis, & curatione. Cataplasmata tum discutientia, tum maturantia.*

35 *De summæ cutis asperitudinibus, & scabiei speciebus. Fauus, Strumæ, Pani, Furunculi, &c.*

36 *Medicus quæ in adeundo ægroto considerare debeat.*

37 *Vulnerati quomodo curandi. Cataplasmata frigefacientia, ad inflammata vulnera. Cataplasma ad vulnera quæ inflammationem experiuntur. Pinguia quibus conducant, & quibus non.*

38 *Aegrotorum diæta, ex sanorum victus ratione temperari debet ac potest. Sorbitiones in omnibus morbis dandæ.*

39 *Quæ aluum lubricent, quæ item astringant. Ptisana, & milium leuia sunt. Alica omnium robustissima. Lenticulam quomodo præpares. Sorbitiones febrientium, & non febrientium.*

40 *Quomodo aluus lubricanda imbecillioribus. Quæ siccant.*

41 *Quomodo à morbo conualescentes sint reficiendi. Morbi siccitatem, item humiditatem postulantes.*

42 *Cibi, potus, aut obsonia, quæcunque ægri concupiscant, si non damnum consequatur, exhibenda. Sorbitiones. cibos sufficientes perficientibus non dandæ. Ex alica, & ptisana triticea sorbitiones fortiores.*

43 *Pharmacorum facultas, non ex intelligentia, sed fortuna.*

44 *Debilibus sorbitiones post cibum dandæ. Ciborum facultas vnde coniectanda. Cibariorum alia leuia, alia grauia. Cibi & potus ad sanitatem optimi. Deijs quæ corpus corroborant. Pinguia, caseosa, mellita, & ex sesamo parata, ructum acidum maxime faciunt. Tormina, flatus, & ructus acidi ex cibarijs interdum non fiunt. Vina ventrem subducentia, & vrinam cientia. Carnes percoctæ, & exassatæ ad robur debiles, ad secessum verò percoctæ commodæ.*

45 *Quibus cibis neque magnopere iuueris, neque læseris. Panes & carnes calidæ per se comestæ siccant. Panis purus. Vinum qui debilitetur. Carnes percoctæ & exaßatæ, debiliores & leuiores. Polenta. Maza.*

46 *Debilium item, ac leuium fortiumque ciborum in corpore humano facultas. Carnes leuissimæ quæ, quæ item grauissimæ. Carnes Caninæ, Volucrium, Leporinæ, Bubulæ, Porcinæ, Ouillæ. Suillæ. Carnes ferinæ mansuetis sunt leuiores. Carnes iumentorum secundum diuersam ipsorum victus rationem ipsis familiarem differunt. Piscium natura & differentia.*

47 *Balnei moderati vsus, non moderati incommoda. De alimentis eorumque facultatibus, in genere & particulatim.*

48 *Allia cocta & assata vrinam cient. Cepæ, Apium, Coriandrum, Ocimum, Porrum, Malumpunicum.*

49 *Cibi calidi, & cibi humidi, Acerba, Acida, Salsa, Pinguia, Cucurbita, Beta, Blitum, Rumex, Caseus, Sesamum, Vua passa. Vinum aliud dulce, aliud austerum. Oleum, & oleosa. Cucumis. Pepo. Mel.*

50 *Vrinam cientia. Aluum sistentia. Ciborum varietas. Frumentum & vinum quibus inter se differant.*

51 *Panis eum edere assuetis etiam in morbis est exhibendus. Cibum, aut potum plus solito ingestum, optimum est, si non conficias, remouere. Poma & fructus arborei cur ventriculo molesti post cibum.*

52 *Vini meraci, in flatibus, æstu, repletione, aut torminibus, vires. Cibaria & potus exigui augmenti, & ad robur, & ad sanitatem. In febre intermittente, quando cibi dandi. Vinum & mel temperatissima ad hominis naturam.*

VIRVM prudentem ratione apud se inita (quòd maximi pretij res est hominibus sanitas) nosse conuenit, quomodo ex sua

ex sua ipsius intelligentia, in morbis vtilitatem capiat. Nosse autem conuenit ea, quæ à medicis, & dicuntur, & adhibentur corpori suo, eaque dijudicare posse. Atque hæc singula hactenus nosse satis est, quatenus idiotæ contingere potest. Hæc verò nouerit quis maxime; si harum rerum cognitione, ac studio teneatur. Morbi omnes hominibus à bile, ac pituita fiunt. Bilis autem, & pituita morbos exhibent; quum in corpore nimium aut resiccantur, aut humectantur, aut incalescunt, aut frigefiunt: patiuntur autem hæc pituita, & bilis, & à cibis, & à potibus, & à laboribus, & à vulneribus, & olfactu, & auditu, & visu, & coitu, & à calido, & à frigido. Patiuntur autem quum singula ex relatis, aut non in debito tempore corpori exhibentur, aut non consueta, aut plura, & fortiora, aut pauciora, & debiliora. Vniuersi igitur morbi hominibus ex his fiunt. Oportet autē ad hæc idiotam nosse, quæ par est nosse idiotam. Quæ verò artifices nosse par est, ea etiam adhibere, ac tractare. De his autem, quæ dicuntur, & fiunt, fieri potest, vt idiota ex intelligentia quadam coniecturam faciat. Iam verò vnde singula hæc nosse oportet, ego referam.

2 Si in caput dolores inciderint, huius caput calefacere conducit: ita vt multa calida lauemus, & sternutatione facta pituitam, ac mucos subducamus. Et si quidem ex his à dolore liberetur; sufficiunt hæc. Si verò non liberetur; purgandum est caput à pituita. Victus autem sit sorbitio, & potus aqua. Vinum autem non exhibeatur; donec dolor sedetur: quum enim calidum existens caput, vinum attraxerit; dolor fortior euadit. Dolores incidunt a pituita; quum in capite mota cumulata fuerit. Si verò aliàs, atque aliàs dolor, & vertigo in caput inciderit; prosunt quidem, & hæc adhibita, prodest autem etiam si sanguis à naribus fuerit detractus, aut à vena in frō te. Si verò diuturnus, & fortis in capite fiat morbus, & purgato capite non decedat; huius caput aut scarificare oportet, aut venas in circuitu inurere: ex his enim solum sanum fore spes est. Aegrotos considerare oportet statim in constitutionis morborum principio, qua re opus habeant: & quales sint vt pharmaco purgentur, aut vt aliud quid, quodcunque tandem volueris, exhibeas. Si verò omisso principio, ad finem iam vergente morbo exhibueris, in desperato iam corpore, forte quiddam præbere veritus, periculum est, ne magis delinquas, quàm successum consequaris.

3 Si in aures inciderit dolor; conducit multa calida lauare, & auribus fomentum adhibere. Et, si quidem ad hæc cesserit pituita de capite attenuata, & dolor cessauerit; sufficiunt hæc. Sin minus; optimum omnium pharmacum fuerit, quod in potu exhibitum, sursum pituitam purgat. Aut purgandum est caput medicamēto, quo capitis pituita purgatur. Fit autem & hic dolor, quum intrinsecus ad aures pituita ex capite allapsa fuerit.

4 Si verò fauces inflammatę fuerint; gargarismis vti oportet. Fit autem & hoc à pituita. Si verò gingiuæ, aut aliquid sub lingua inflammatum fuerit; his quæ commanduntur, vtendum est. A pituita autem & hæc fiunt. Si verò vna dependerit, & suffocarit, (quidam hoc gurgulionem vocant) statim gargarismis vtendum est, præparatis velut scriptum est in Medicamentis. Si verò ex his gracilis non fiat; retro raso capiti cucurbitæ duæ adhibeantur, & sanguinis plurimum detrahatur, & pituitæ fluxus retro reuellatur. Si verò neque ex his detumescat; scalpello incidito, & aquam educito. Sectio autem facienda est; vbi summum subrubicundum factum fuerit: nam, si tale factum sectum non fuerit; inflammatur, & aliquando derepente strangulat. Fit autem & hoc à pituita, vbi ex calefacto capite aceruatim defluxerit.

5 Cæterùm quod ad dentium dolores attinet, si corrosus fuerint dens, & mouetur; eximatur. Si verò non corrosus est, neque mouetur, dolorem autem exhibet; per vstionem resiccatur. Prosunt etiam, quæ commanducantur. Dolores autem fiunt; quum pituita sub radices dentium subierit. Exeduntur autem, & corrodun[illegible], partim à pituita, partim à cibis; si natura debiles fuerint, & cauitatem habuerint, & male in gingiuis fixi fuerint.

6 Si in nare Polypus nascatur (quæ res ex naso in obliquum per respirationem difflatur, ac intumescit:) eximitur laqueo ex naso ad os distractus. Aliqui etiam pharmacis erodunt. Nascitur autem à pituita. Atque hi quidē sunt morbi, qui à capite oriuntur, exceptis oculorum morbis, de quibus priuatim agemus.

7 At verò de morbis circa ventrem, hæc considerare oportet. Pleuritis, peripneumonia, febris ardens, phrenitis, hi morbi acuti vocantur, & fiunt maxime quidem, ac fortissimi hyeme: fiunt etiam æstate, verùm minus, & molliores. Quòd si forte in tales incideris; hæc sanè faciens, ac consulens, maxime successum senseris.

8 Pleuritis. In pleuritide febris detinet, & lateris dolor, & erecta ceruice spiratio, & tussis, & sputum ab initio quidem subbilioſum spuit. Postquam autem quinta, aut sexta dies aduenerit; etiam subpurulentum. Huic ad lateris quidem dolorem dandū est, quod pituitam, & bilem à latere deducat. Sic enim dolor leniſſimus fuerit. Aluus autem curanda est per clysterem subducentem, ac frigefacientem: hoc. n. vniuerso morbo commodissimum erit. Exhibendus est etiam potus, & sorbitio. Et potiones dandæ sunt acidiores; quò sputum de latere repurgetur. Quum autem pus purgari inceperit; latus calefacere conducit, & forinsecus maturare ea, quæ circa latus sunt: prius autem hoc facere non expedit: resiccatur enim. Fit autem hic morbus maxime ex potu; quum quis humecto corpore, aut ebrius, aut sobrius, frigauerit. Fit etiam aliter. Iudicatur autem morbus breuissimus septima die, longissimus decimaquarta. Et si quidem in hac, per sputum reiectum ac purgatū fuerit pus à latere; sanus fit. Si verò per sputum non fuerit pus reiectū; pectore suppuratus efficitur, & morbus longus erit. Porrò iudicari in morbis est, quum morbi augescunt, aut marcescunt, aut in alium morbum transeunt, aut desinunt.

9 Peripneumonia. In peripneumonia febris detinet, & tussis, & excreat primùm quidē pituitā crassam, ac puram. Sexta verò, & septima subbilioſam, & subluidam: Octaua autem, & nona suppurulentam. Huic, si quidem dolor adest, aut dorsi, aut laterū; dandum est medicamentum, quod in pleuritide ad lateris dolorem, in Medicamentario libro scriptum est,

Per potus autem, & sorbitiones, & ventris subductionem, ac frigefactionem, eadem curatio adhibeatur, quæ in pleuritide. Quò verò sputũ, & pus ex pulmone repurgetur; danda sunt pharmaca in potu, quibus pulmo humectatur, & pus sursum purgatur. Fit autem hic morbus; quum pituita aceruatim ex capite ad pulmonem fluxerit. Aliquando etiam ex pleuritide in peripneumoniam & febrem ardentem transitus fit. Iudicatur autem breuissimus quidẽ in diebus quatuordecim, longissimus verò in duobus de viginti. Pauci verò hunc morbum effugiunt. Fiunt etiam pectore suppurati ex hoc morbo; si non in iudicatorijs diebus pulmo fuerit purgatus.

10 Phrenitis vbi apprehenderit; febris primùm debilis detinet, & dolor circa præcordia, magis autem dextra, ad hepar. Quum autem quarta, aut quinta aduenerit; & febris fortior fit, & dolores augescunt, & color subbilioſus efficitur, & mens percellitur. Huic ad dolorem quidem danda sunt, quæ in pleuritide, & tepor faciendus, vbi dolor hæret. Sed & aluus curanda, ac reliqua similiter facienda sunt, excepto potu. Potu verò vtendum est quocunque alio volueris, præter vinum. Aut acetum, & mel, ac aquam dato. Vinum autem non conuenit mente motis, neque in hoc morbo, neque in quibusuis alijs. Cõducit autem in hoc morbo etiam caput multa calida lauare: mollito enim corpore, sudor quoque magis sequitur, & aluus, & vrina secedit. Et æger ipse seipso temperantior euadit. Fit hic morbus à bile, quum mota viscеribus, ac septo transuerso insederit. Iudicatur autem morbus breuissimus septima die: longissimus, vndecima. Effugiunt & hunc pauci, transitque etiam ipse in peripneumoniam, & si transierit; pauci effugiunt.

11 Febris ardens, siue causos, quum habuerit; febris detinet, & sitis fortis, & lingua aspera, ac nigra fit, à spiritus sanè caliditate. Et color subbilioſus fit, & sputa biliosa. Et æger extrinsecus quidẽ frigidus fit, intrinsecus verò valde calidus. Huic conducit frigefacientia adhibere, & ad aluum, & forinsecus ad corpus. cauẽdo ne inhorrescat. potiones quoque, ac sorbitiones dandæ sunt frequentes, & paulatim quàm frigidissimæ. Venter autem curetur. & si quidem non subeant, quę insunt, infusa frigidissima per clysterem immittantur, aut quotidie, aut alternis. Hic aũt morbus fit à bile, quum mota intra corpus firmata fuerit. Solet etiam in peripneumoniam transire. Iudicatur autem breuissimus quidem nona, aut decima die: longissimus autem decimaquarta. Et si quidem transierit in peripneumoniam; pauci effugiunt. Si verò non transierit; multi effugiunt. Atque hi quidem morbi acuti vocantur, & oportet hos sic curare.

12 Quæcunque verò aliæ febres hyeme fiunt, siue ex vino, siue ex lassitudine, siue ex aliqua alia re, eas obseruare oportet: transeunt enim aliquãdo in morbos acutos. Transitio verò ipsarum talis est. Quum commotis duobus humoribus, pituita, & bile, non conducentia corpori exhibentur, ipsi inter seipsos coacti, pituita videlicet, ac bilis, corpori vbicunque tandem contigerit, allabuntur. Et fit pleuritis, aut phrenitis, aut peripneumonia. Obseruare igitur, ac uitare oportet febres in hyeme. Sit autem obseruatio, & tutela ab ipsis, quies, & gracilitas, & ventris euacuatio. In sorbitionibus autem, & potionibus degẽdum est, donec febris imminuta fuerit. Ex morbis fermè maxime acuti, & occidũt, & laborioſissimi sunt, & opus est ad ipsos plurima tutela, & exactissima curatione. Et à curante nullum malum accedere oportet (sufficiunt enim, quæ ab ipsis morbis adsunt.) Verùm vt boni quid præstet, pro viribus conetur. Et si quidem recte curante medico, à magnitudine morbi superetur æger; non hæc culpa medici est. Si verò non recte curante, neque cognoscente, à morbo superetur; medici culpa est.

13 Æstate porrò hæc fiunt; febris detinet fortis, & sitis. & vomunt aliqui bilem, aliquibus verò etiã inferne secedit. His in potu dandum est, & ad sorbendum, quodcunque tandem tibi idoneum esse visum fuerit. Si verò bilis, aut pituita ad cor cõsederit; aqua frigida, aut aqua mulsa pota, vomant. Si verò venter non secesserit; clysteri utendũ est, aut subdititia glande. Morbus autem fit à bile. Liberantur autem maxime septima die, aut nona. Si verò febre detinente non purgentur, neque deorsum, neque sursum, dolor autem affuerit per totum corpus, tertia, aut quarta die; pharmaco leui, aũt potione, deorsum purgato. facito autẽ sorbitionẽ ex milio, aut farina: & ijsdem potionibus curato. Patiuntur autem & hæc à bile.

14 Si verò externæ partes non valde feruidæ fuerint, verùm internæ, & lingua aspera, ac nigra sit; huic pharmacum ne dederis: curato autem frigefacientia adhibendo, & ad aluum, & ad reliquum corpus. Vocatur autem hæc febris æstuosa. Iudicatur maxime vndecima die, & decimaquarta. Si verò febrilis calor apprehenderit, ac dimiserit, grauitas autẽ corporis ipsum detinuerit; hunc donec quidem calor tenuerit; sorbitionibus, ac potionibus curato: quum autem non tenuerit, etiam cibos dato. Purgato autẽ quàmcelerrime pharmaco, siue sursum, siue deorsum opus habere tibi visum fuerit. Si verò febris quidem non tenuerit, os verò amarum habuerit, & corpus grauetur, & cibum auersetur; pharmacum dandum est. Patitur autem hæc à bile; quum in venas, ac articulos incubuerit, & firmata fuerit.

15 Quicunque verò alij dolores in æstate circa ventrem fiunt, si quidem ad præcordia, & cor tenderint; aquam mulsam aquosam facito, & aceti tribus heminis affusis, tepidam bibendam dato. &, vbi modico tempore ipsam retinuerit, & igne, ac vestibus concalefactus fuerit; vomat. Si verò à vomitu rursus accesserint, ac suffocauerint; rursus vomitum faciat. Aut ipsum multa calida lotũ, per clysterem sublue: & tepefactoria adhibe: si affuerit dolor. Patiuntur autem hæc maxime à pituita; quum commota ad cor allapsa fuerit. Danda sunt etiam his, qui talibus doloribus vexantur, pharmaca, quæ descripta sunt ad eiusmodi morbum, in Medicamentario libro. Si verò trã fierit dolor alias ad alium ventris locum, & febre caruerit; multa calida lauetur, & doloris gratia bibenda dentur, quæ in pleuritide sunt descripta, aut alia prout tibi visum fuerit. Si verò à dolore non liberetur: per pharmacum deorsum subpurgetur. A cibis autem abstineat, quousque dolor affuerit. Tales autem dolores, qui sic errant, à bile fiunt.

16 Quicunque verò dolores infra vmbilicum fiunt, in his molli infuso per clysterem immisso subluito. Si verò non sedentur: pharmacum deorsum purgans dato. Quicunque verò dolores derepente in corpore fiunt citra febrem: in his lauare multa ca-

lida

lida conducit,& tepefacere: nam pituita,& bilis cõpacta quidem, fortia ſunt, & præualent in quacunque corporis parte conſtiterint, & laborem,ac dolorem fortem exhibent. Diffuſa verò debiliora ſunt, quæcunque corporis parte manifeſta fuerint.

17 At verò morbi,qui in æſtate fiunt, ſic fieri ſolent. Quum corpus à ſole fuerit calefactum:humectatur: humectatum autem ægrotat, aut totum, aut ea parte, in quam pituita, & bilis incubuerint. Si quidem igitur quis ipſos incipientes curet: neque longi fiũt, neque periculoſi. Si verò non curet,aut male curet; & longiores fiunt,& ſæpe quoque occidunt.

18 Sed & tertianæ, & quartanæ febres ex talibus fieri ſolent. Hæc morborum conſtitutio maxime quidem æſtate fit, aliquibus verò etiam hyeme. Tertiana febris quum apprehenderit, ſiquidem videbitur tibi non purgatus eſſe; quarta die pharmacum dato. Si verò pharmaco non videbitur opus habere; medicamenta in potu exhibeto, quibus febris aut tranſmutetur, aut deficiat. Exhibeto autem velut ſcriptum eſt in Medicamentis. Et in apprehenſione quidem, ſorbitione, & potu nutrito: interpoſito verò tempore, cibis per aluum ſecedentibus. Apprehendit autem plerunque non ita ſæpe. Si verò non curetur; in quartanam tranſire ſolet, & diuturna fieri.

19 Si verò quartana apprehenderit,ſi quidem impurgatus fuerit; primum caput purgato, & interpoſitis tribus,aut quatuor diebus,pharmacum ſurſum verſus purgans dato in ipſa apprehenſione. Et interpoſitis diebus, rurſum aliud deorſum purgans dato in ipſa apprehenſione. Si verò ex his non ſedetur;rurſus interpoſitis diebus,multa calida lauato, & pharmaca,quæ ſcripta ſunt,dato. Potibus autem, & ſorbitionibus,& reliqua diæta vtendũ eſt, velut in tertiana. Apprehendit autem hæc febris plurimos multo tempore, alios verò pauco. Et fit tum tertiana, tum quartana à bile, & pituita. Cur autem tertiana,& quartana, alibi à me ſcriptum eſt. Vim porrò habent medicamenta in his febribus, vt potis his corpus in loco ſit, in conſueta caliditate, ac frigiditate: & neque præter naturam calefiat, neque frigefiat. danda ſunt autem velut ſcriptum eſt in Medicamentario libro.

20 Pituita alba quum tenuerit: corpus totum intumeſcit albo tumore: & in eadem die alia parte melius ſibi videtur habere,alia deterius. Et tumor aliàs, in alia corporis parte maior,& minor fit. Huic pharmaca danda ſunt deorſum purgantia,à quibus aqua, aut pituita purgatur. Victus autem ratio conſtituenda eſt in cibis, & potibus,ac laboribus, à quibus ſiccißimus, ac gracillimus euadat. Morbus autem hic fit à pituita; quum quis ex febribus diuturnis pituitoſus exiſtens, impurgatus manſerit, & pituita ad carnes ipſius conuerſa fuerit. Et nihil quidem albidior eſt hæc pituita,quàm alia. Verùm corporis color albidior apparet: ſanguis enim à pituitæ copia aquoſior fit, & non ineſt ſimiliter in ipſo bonus color. Quapropter albidiores apparent; & vocatur hic morbus pituita alba. Si quidem igitur curatus fuerit inchoante morbo;ſanus fiet, ſin minus,in hydropen tranſit morbus,& hominem corrumpit.

21 Quicunque ſplenem habent magnum, qui quidẽ fuerint bilioſi, hi mali coloris fiunt, malis vlceribus ſcatent,& ex ore graue olent,& tenues euadunt,& ſplen durus eſt, & ſemper conſimili magnitudine,& cibi non ſecedunt. Qui verò pituitoſi ſunt, hæc & minus patiuntur,& ſplen aliàs maior, aliàs minor efficitur. His conducit, ſi quidem impurgati fuerint; & caput, & reliquum corpus purgare. Si verò purgatione non egeant; victus ratio conſtituenda eſt, ita vt pituitoſis corpus reſiccemus,ac attenuemus cibis, & potibus, & vomitibus, & exercitijs plurimis, & deambulationibus. Et in vere ſurſum per veratrum purgentur. Bilioſis autem conducit, vt per victum humectantem aluum, & veſicam ſubducamus, & vt de vena ſplenitide frequenter ſanguinem mittant: & medicamẽtis vrinam cientibus vtantur,quæ ſplenem mollire ſcripta ſunt, & vt pro anni tempore bilem purgent. Quidam verò ſplenici à pharmacorum potu nihil vtilitatis ſentiunt,neque à reliqua curatione,quicquam gracilior ſplen ipſorum euadit; ſed quæ adhibentur, à magnitudine morbi ſuperantur:progreſſu verò temporis, aliquibus in hydropen morbus degenerat,& corrumpuntur. Aliquibus autem ſplen ſuppuratur, & vſti ſani fiunt. Cum quibuſdam verò conſeneſcit,durus,& magnus exiſtens. Morbus autem fit; quum ex febribus, & mala curatione, bilis, aut pituita, aut ambo in ſplenem incubuerint. Et diuturna quidem eſt affectio, non autem lethalis. Ex pharmacis, quæ ſplenis gratia exhibentur, alia per veſicam purgant, & ipſum molliorem faciunt. Alia verò purgant quidem; verùm neque per veſicam quicquã, quod manifeſtius fiat, neque vſquam alia parte. Splenem tamen molliunt.

22 Voluulus quum apprehenderit; venter durus fit, & nihil ſecernit, & dolor inferne omnem aluum tenet, & febris, & ſitis. Aliquando verò præ dolore ęger etiam bilem vomit. Hunc humectare oportet, & intrinſecus,& extrinſecus: & multa calida lauare, & bibenda dare, quæ aluum mouent, & vrinam ſubducunt: & clyſterem adhibere; ſi admittat. Si verò non admiſerit clyſterem; fiſtulam ad vtriculi extremitatem alligato,& inſufflando multum flatum immittito. Et, vbi inteſtinum, & venter eleuata fuerint à flatu; exempta fiſtula, ſtatim infuſum per clyſterem immittito. Et,ſi ſuſceperit;ſeceſſum emittet,& ſanus euadet. Si verò non ſic ſuſceperit infuſum;moritur maxime ſeptima die. Talis autem morbus fit;quum ſtercore aceruatim combuſto in inteſtino, pituita circa hoc colligitur. Et inteſtinum intumeſcit,vtpote his aceruatim induratis: & neq; pharmaca, quæ ſuperne bibuntur, ſuſcipit, ſed reuomit: neque infuſa inferne adhibita admittit. Eſt autem morbus acutus, & periculoſus.

23 Aqua inter cutẽ fit plerũq; quũ quis ex lõgo morbo,impurgatus multo tẽpore manet:corrũpuntur.n. carnes,& liquantur,& fit aqua. Fit etiam hydrops à ſplene;quũ ægrotauerit: & ab hepate,& à pituita alba,& à dyſenteria,ac lienteria. Et ſi quidem ex purgatione non facta fiat hydrops; venter aqua impletur: pedes autem,& ſuræ attolluntur: humeri verò, & clauiculæ,& pectora,& femora liquefiunt. Hunc ſi à principio acceperis, priuſquam aqua ſuperexcreſcat;pharmaca bibẽda dato,à quibus aqua,aut pituita purgatur. Bilem verò ne moueto. Cibos aũt,& potus,& labores, ac deambulationes conſtituito, à quibus gracilis, ac ſiccus euadat, & carnes quã robuſtiſ-

simæ fiant. Morbus autem est lethalis; cum aliàs, tum si venter aqua repletus fuerit. Quum verò à splene, aut hepate, aut pituita alba, aut dysenteria in hydropen transitus fit; conducit quidem per eadem curare: effugiunt autem non valde: nam in morbis quum alter alteri succedit; plerunque occidit: quum enim corpori à præsenti morbo debilitato, alius morbus accesserit, præ imbecillitate perit; priusquam alter morbus, qui posterior accessit, desinat. Aqua porrò sic fit. Quum carnes pituita, & tempore. & morbo, & non purgata immundicia, & mala curatione, ac febribus corruptæ fuerint; liquescũt, & fiũt aqua. Et venter quidem non distribuit aquam in seipsum; verùm in circuitu circa ipsum consistit. Si quidem igitur à pharmacis, & alia victus ratione, æger vtilitatem percipiat, & venter ipsius euacuatur; bene est: sin minus; sectione facta, aquam emittito. Secatur autem vel iuxta vmbilicum, vel retro iuxta lumbos. Effugiunt autem & hic pauci.

24 Dysenteria quum habuerit; dolor adest per totum ventrem, & tormen, & egerit bilem, ac pituitam, & sanguinem combustum. Huius vbi purgaueris caput; pharmaco in potu exhibitu, quod sursum pituitam purgat, & aluum lacte cocto elueris, reliquum corpus curato. &, si quidem febre caruerit; pinguibus, & dulcibus, ac liquidis semper ea, quæ insunt, ex aluo subducito. Et multa calida partes sub vmbilico lauato; si dolor affuerit. Potus autem, & sorbitiones, ac cibos exhibeto, velut scriptum est in Medicamentario libro. Morbus hic fit; vbi bilis, & pituita in venas, ac aluum incubuerint: ægrotat quidem sanguis, & corruptus secedit: ægrotat autem, & intestinum, & raditur, ac exulceratur. Fit autem hic morbus, & longus, & laboriosus, ac lethalis. Et si quidem robusto adhuc corpore curetur; spes est fugæ. Si verò colliquato iam, & ventre omnino exulcerato; nulla vitæ spes supereſt.

25 Lienteria. In lienteria, hoc est, intestinorum leuitate, cibi secedunt non putrefacti, liquidi: dolor autem non adest, & corpus attenuatur. Hunc per eadem curato, velut à dysenteria detentos. Morbus autem fit; quum ex capite, & superiore ventre, pituitæ defluxus fit in ventrem inferiorem. Quod vbi contingit; cibi ab ipso frigefiunt, ac humectantur. Et secessus ipsorum non putrefactorum velox contingit. Et corpus liquescit; dum simul cibi per multum tempus in ventre non concoquuntur, & simul à ventre calido, præter naturam calescit.

26 Profluuium ventris longum quum detinuerit; secedunt primùm quidem liquida, quę sunt ingesta: posthea pituita. Et probe quidem edit; verùm à multo secessu debilis ac tenuis fit. Hunc sursum versus resiccato, veratro in potu dato, & capite à pituita purgato. Ventrem quoque lacte cocto eluito. Deinde reliqua cibis, ac potibus curato, à quibus venter, & totum corpus resiccetur. Morbus autem ab ijsdem fit, à quibus etiam intestinorum leuitas. Hi morbi, dysenteria inquam, & lienteria, ac diarrhœa, siue profluuium ventris, consimiles sunt. Et oportet ipsos sic sanare, ita vt defluxum à capite, & superiore ventre intercipias, aut auertas: morbi enim natura hinc est. Et nemo sententiam tuam reprehendet. Fermè autem & reliquos morbos sic considerare oportet, vnde vnicuique natura sit. Et si sic consideraueris, ac deprehenderis principium morborum, minime aberraueris.

27 Tenesmos vbi apprehenderit; secedit sanguis, ac mucus, & dolor fit in ventre inferiore, maxime vbi ad secessum deuenerit. Huic conducit ventrem humectare, & pinguefacere, ac tepefacere: & quæ insunt subducere, & calida lauare, excepto capite. Solet autem hic morbus plures cibos expetere. Tormina enim euacuato ventre à sanguine, ac muco per transeuntibus, & ad intestinum allabentibus, fiunt. Quum autem insunt cibi; minorem mordacitatem intestino inferunt. Et fit quidem ex iisdem, à quibus & dysenteria; verũ debilior, & brevis, & nõ lethalis.

28 Quum ex vino, aut à cõuiuio, bilis superne, ac inferne fluxus, aut diarrhæa corripuerit; diarrhœę quidem conducit ieiunare. Et, si sitim habeat; vinum dulce dare, aut vuarum expressarum dulcium retrimenta. Ad vesperam verò danda sunt, quæ etiam ijs, qui à pharmaco purgati sunt, dantur. Si verò nõ cesset, velis autem sedare; vomitum à cibo, aut lenticulæ decocto facito, & confestim sursum refellitur infernus secessus. &, si succo lentium, aut cicerum infuso elueris; etiam sic sanè sedabitur. At verò bilis fluxui conducit, si dolor adsit: dare, quæ in Pharmacis scripta sunt sedantia dolorem. Venter autem curetur, tum superior, tum inferior, per potiones humectantes, & per balnea calida corpus mollientia, capite excepto: & sic tum vomitus procliuior fit: & si liquor aliquis ingressus fuerit, ea, quæ aduersantur, sursum reuomũtur: tum infernus secessus magis prodit. Si verò euacuaueris: violenter vomuntur, & violentius secedunt. Ad vesperam verò dato & huic ea, quæ dari solent ei, qui pharmacum bibit. Fiunt autẽ & hi dolores, qui ex potationibus, aut ex conuiuio oriuntur: quum cibi, & potus plus solito in ventrem ingressi fuerint, & quæ extrinsecus corpus supercale facere solent, bilem, ac pituitam mouerint.

29 Vrinę stillicidij modi quidem multi, & omnigeni sunt. Conducit autem forinsecus quidem corpus balneis calidis mollire, intrinsecus verò humectare: aluum quidem per cibos, a quibus fluida fiat: vesicam verò per potus, à quibus vrina quàm plurimum diffunditur. Danda sunt & vrinam cientia medicamenta, quæ scripta sunt in Medicamentario libro, sedantia dolorem. Morbus autem fit à pituita. Et quum quidẽ vesica siccata fuerit, aut perfrigerata, aut euacuata; dolorem exhibet. Quum verò humida est, & plena, aut etiam diffusa. minus. Fit autem senioribus diuturnior hic morbus: iunioribus autem breuior: neutris verò lethalis.

30 Coxendicum morbus quum fit: dolor corripit coxæ iuncturam, & summas nates, ac coxendicem. Tandem verò etiam per totum crus dolor vagatur. Huic confert, quum dolor tenuerit: mollire in quacunque tandem cruris parte dolor hæserit, per balnea, & tepefactoria, ac fomenta, & aluum subducere. Vbi verò quieuerit dolor; pharmacum dandum est infra purgans. Et postea bibat lac asininum coctum. Doloris autem gratia dentur, quæ scripta sunt in Medicamentis. Morbus hic fit; quum bilis, & pituita in sanguifluam venam incubuerint: aut ex alio morbo, aut aliter, quantumcunque sanguinis à pituita, & bile compactum ægrotarit: hic enim per crus vagatur per sanguifluam venam: &, ubicunque con-

conſtiterit; ibi etiam dolor manifeſtus fit maxime, moleſtus quidem, ſed non lethalis. Si verò in vnum aliquem locum incubuerit dolor, & cõſtiterit, & medicamentis non fuerit exactus; vrito quocunque loco fuerit dolor. Vrito autem lino crudo.

31 Articularis morbus quum tenuerit; corrit calor, & dolor corporis articulos. Corripit autem acutus, & in alium, atque alium articulum dolores incumbunt, tum acutiores, tum molliores. Huic conducit adhibere, qua parte dolor hæret, frigefactoria: & quę inſunt ex aluo ſubducere, per clyſteres, aut glandem ſubditam. Ad ſorbendum verò, & bibendum dato quodcunque tibi cõducibile viſum fuerit. Quum uerò dolor intus fuerit; pharmacum infra purgans bibendum dato, & poſt hoc ſerum coctum, & aſininũ lac. Hic morbus à bile fit, & pituita; quum commota in articulos incubuerint. Et breuis quidem fit, & acutus, non autem lethalis. Solet autem iunioribus magis, quàm ſenioribus contingere.

32 Podagra violentior eſt omnibus eiuſmodi circa articulos morbis, & diuturniſſimus, ac ægre cedens morbus. Et eſt quidem hic morbus ſanguinis in venulis à bile, ac pituita corrupti. Quanto autem in tenuioribus fuerit venulis, & in plurima corporis neceſſitate conſtitutis, & in neruis, & oſſibus multis, ac dẽſis; tanto ſanè durabilior eſt morbus, & qui ęgerrime depelli poſſit. Cõducunt autem & huic eadem, quæ morbo articulari. Et longus quidem eſt & hic morbus, ac moleſtus; ſed non lethalis. Si verò in digitis dolor relinquatur; venas paululum ſupra articuli in digito nodum inurito. Vrito autem cum lino crudo.

33 Morbum autem regium ſic curare oportet. Extrinſecus quidem corpus molliẽdum eſt balneis calidis. Aluus verò, & veſica humectanda, & vrinam cientia danda, quæ ſunt præſcripta. Si verò fortis fuerit; purgato capite, pharmacum quoddam potandum dato, quod bilẽ deorſum purgat. Poſtea verò vrinã cientibus vtendum eſt. Morbus autem fit; quum bilis cõmota ſub cutem vertitur. Quòd, ſi hæc noueri vir idiota; nõ ſimiliter in incurabilis morbos inciderit: ſolent.n. morbi ex paruis occaſionibus magni, ac diuturni fieri. Et quicunque cibi, aut potus, aut ſorbitiones congrue, ac conſequenter ſe habent, & quæcunque pharmaca doloris gratia, ea omnia ſine periculo ſemper exhibentur; ſi iuxta præſcriptum exhibueris Quæcunque verò pharmaca purgant bilem, aut pituitam, in his pericula fiunt, & culpæ medentibus imputantur. Quàmmaximè igitur ea vitare oportet. Atq; hi quidem ſunt morbi, qui circa vẽtrem fiunt, exceptis pectore ſuppuratis, & tabidis, & muliebribus morbis: hi enim ſeorſim deſcribentur.

34 Tubercula, quæ enaſcuntur omnia, à pituita, aut ſanguine naſcũtur, quum ſanè à vulnere, aut caſu fuerint collecta. Conducit autem horum aliqua cataplaſmatis integere, & per pharmaca in potu data diffundere: aliqua verò impoſitis cataplaſmatis maturare. Et diffundunt quidem cataplaſmata, quæ quum calida ſint, humectant, & non in ſeipſa trahunt. Maturãt autem, quę calefacientia contrahunt. Quum verò aliquod ſectum fuerit, aut ſua ſponte ruptum; pharmaco humorem repurgare conuenit: vbi autem pus effluere deſiuerit; velut vlcus ſanare.

35 Lepra, & pruritus, & ſcabies, & impetigines, & vitiligo, & alopecia, à pituita fiunt. Sunt aũt talia turpitudo magis, quàm mõrbi. Fauus, & ſtrumę, & pani, & furũculi, & carbũculus, à pituita fiunt. Quo verò hęc depurges, pharmacis ſic vtendũ eſt. Quicunq; bilioſi ſunt, his dato ea, à quibus bilis purgatur: pituitoſis verò ea, à quibus pituita: atrabiliarijs autem ea à quibus atra bilis: Hydropicis ea, per quę aqua. Quęcunq; verò pharmaca in potu dantur, & non purgant neque bilem, neque pituitam, ea quum in corpus ingreſſa fuerint; vim exhibere oportet, aut frigefacientia, aut calefacientia, aut ſiccantia, aut humectantia, aut contrahentia, aut diffundentia. Quæ verò ſomnum faciunt, ea quietem ſanguini exhibere oportet.

36 Quum ad ægrotum deueneris, interrogare oportet quæ patitur, & ex qua cauſſa, & quot iam diebus: & an venter ſecedat, & quo victu vtitur. Et primùm conſiderare, an morbus à bile, aut pituita factus ſit, aut vtriſque. Et hoc probe noſſe conuenit, quòd neceſſe eſt, vt ab altero horum, aut vtriſq; fiat. Deinde vtrũ ſiccitate, aut humiditate opus habeat: aut aliquę quidẽ partes corporis ſiccitate, aliquæ verò humiditate. Poſtea an morbũ ſurſum purgare oportet, aut deorſum, ſiue per veſicam. Et an augeſcit morbus, aut marceſcit, & an ſoluitur, aut in alium tranſit.

37 Vulneratos fame affligito, & ex aluo, quæ inſunt ſubducito, aut per clyſterem, aut pharmaco infra purgante exhibito: & in potu dato aquã, aut acetum: Aut ſorbitiones præbeto. Inflammata cataplaſmatis frigefacito. Talia verò cataplaſmata ſint, aut betæ coctæ in aqua, aut apium, aut oleę folia, aut fici folia, aut rubi, aut quercus, aut mali punicæ. Atque his coctis vtẽdum eſt; crudis verò rhamni foliis, aut vrticis, aut ſaluię, aut tithymali, aut pulegium viride, aut porrũ, aut apium, aut coriandrum, aut iſatidis folia impone. Si verò nihil horum habueris, neque vllum aliud cataplaſma, polentam aqua, aut vino ſubactam imponito. Tanto autem tempore hæc cataplaſmata proſunt, quanto frigidiora fuerint, quàm vlcus. Quum verò fuerint calidiora, aut ſimiliter calida; nocẽt. Pinguia ad inflammata non conducunt, neque ad ea, quę non ſunt purgata, neque ad putreſcentia. Sed ad inflammata conferunt frigida. Et ad impurgata, ac putreſcentia, acria faciunt, & quæ mordacitatem aliquam inducentia purgant. Vbi verò carnem producere voles; pinguia, & calida magis conducunt: ab his enim caro pullulat.

38 Quibuſcunque cibis, aut potibus homines ſani in victu vtũtur, ex his oportet præſentibus vti ad ægrotos, ita vt præpares calidos, & frigidos, & humidos, & ſiccos. Ex frigidis quidẽ calidos, & calidos ex non calidis: & ſiccos ex non ſiccis, & reliquos iuxta eundem modum. Neque verò de præſentibus deſperare oportet, tanquam nihil poſſint, & abſentes quærere, qui nullam vtilitatem ægro afferant. Comperies autem, ſi recte cõſideraueris, extra hos, paucos quibus ad ægrum vtaris. Sorbitiones autem in morbis omnibus dato aut ptiſanam, aut milium, aut farinam aut alicam. Et quæcunque ex his dederis ad ſeceſſum, tenuia dato, & magis percocta, & dulciora potius, quã ſalſiora, aut calidiora. Quæ verò ad robur, aut refocillationem, craſſiora, pinguiora, & moderate cocta. Potibus autem vtendum eſt, ſi quidem aluum, & veſicam ſubducere velis; vino dulci, aut aqua mulſa: ſi verò adſtringere; auſtero, albo, tenui: ſi corroborare; auſtero, nigro. Qui vinum bibunt citra affectionem erga ipſum;

ga ipsum, his dandi sunt potus, qui præparantur, & in Medicamentario libro scripti habentur.

39 His, qui medicamentum biberunt, post purgationem detur, febrientibus quidem, aut lenticula, aut milium tenue, aut ptisanæ succus. Danda est autē ptisana & milium, velut quæ leuia sint. Alica verò velut omniū robustissima: & farina velut his robustior. Lenticula autem odorata præparetur, & modica secūdo loco detur, vt quæ leuis sit sorbitio, & stomacho grata sursum versus. Ammisceatur autē aut sal, aut mel, & cuminum, & oleum; Ad lenticulā verò ammisceatur pulegij herba, & parum aceti. Non febrientibus autem, panis puri medullam in iusculum interito, aut mazam, & frustum piscis dato, aut ouiculæ tenerrimæ carnem, aut volucris, aut catuli coctam. Febrientibus autem etiam betam dato, aut cucurbitam, aut blitum. Et post cibum bibant vinum vinosum, vetus album quàmaquosissimum. Quibus lauari non conducit, vngantur vino, & oleo calido, & alternis extergeantur.

40 Quum aluum debilis, à cibis humectare volueris; mazam dato & obsonia: Et marinorum quidem piscium frusta cocta cum intrito, carnes autem ouiculę tenerrimę, aut hędi, aut catuli, aut volucris coctas. Et betam aut blitum, aut rumicem, aut cucurbitā, si tempus tulerit. Ex oleribus verò apium, & anethum, ac ocimum, & vinum mellei coloris, vetus, album item, ac aquosum. Quum verò siccare volueris corpus; panem dato, & obsonia assa, & sicca, & hæc omnia calidiora: & carnium partes carnosas: pisces petrosos: olera, rutam, aut thymum, aut origanum: vinum verò nigrum austerum. Præparentur autem & obsonia cum sale, & cumino. Alijs vera condimentis parcissime vtendum est.

41 Quum autem ex morbo refocillare volueris, alia quidem eadem dato, quæ exhibes; quum ventrem humectas. Verùm pro lactentibus carnes fortiores, & pro catulinis, volucrium, ac leporinas: & ex his aliquas assatas, tum de carnibus, tū de piscibus, & quam optime præparatas. Quibuscunque morbis siccitas conducit, his semel in die cibum exhibere expedit, & cibos, ac potus pauciores dare, quàm vt repleātur, & hos laboribus, ac deambulatione perficere, & quàm minimum dormire. Quibuscunque verò humiditas conducit, his expedit inediam non ferre, & cibi, ac potus non indigos esse, neque laborare, & dormire, quantum voluerint.

42 Quoscunque cibos, aut obsonia, aut potus ægroti concupiscunt, exhibeto, si nō corpori damnum inde accessurum est. Quum aut cibos, aut potus augere inceperis, aut detrahere; paulatim & additiones, & detractiones facere oportet. Quicunq; cibos sufficientes perficere possint, his sorbitiones ne dederis (excludunt enim cibum) qui verò nō possunt, his dato. Si verò quid dare volueris refectionis gratia, alicam dato, & ptisanam triticeā: hæ enim sorbitiones sunt fortiores. Dentur autem post cœnam.

43 Pharmaca, quæ potantur, & quæ ad vulnera adhibentur, discere oportet: omnibus enim hoc expositum, ac procliue est: non enim ex intelligentia homines hæc reperiunt, sed potius ex fortuna: neque artifices magis, quàm idiotę. Quęcunque verò in arte medica, intelligentia discuntur, & reperiūtur, aut de cibis, aut de medicamētis ea ab his, qui dinoscere possunt, quæ in arte sunt, discere oportet; si quid discere velis.

44 Post sorbitiones cibum debilibus dato, & vinum vinosum insuper bibendum. Ante cibos verò, & potus, aut sorbitiones, & postea & cibum, & potum quicunque tandem tibi videbitur debilibus exhibeto, ita vt & corpus, & animam inspicias: sic enim maxime profueris. Quam facultatem singuli cibi habeāt, coniectare oportet, ex his, qui vim manifestam faciunt. Quicunque flatum, aut morsum, aut repletionem, aut ructum faciunt, aut tormen, aut secedunt, aut non secedunt: hi manifesti sunt, quòd hęc operātur: & ex his etiam alios considerare oportet: habent enim singula edulia, & quo prosunt, & quo lædunt. Verùm alia manifestissime operantur, quæ operantur, alia verò obscurius. Cibi, & obsonia præparētur, ac exhibeantur debilibus, à quibus neque flatus fit, neque ructus acidus, neque tormen: & quæ neq; valde per aluum secedunt, neque valde reficcātur. Hæc autem sic fiunt. Quæcunque quidem venter superat, & corpus ipsa suscipit, ea neque flatum exhibent, neque tormen. Si verò venter non superarit, ab his & flatus, & tormen, & alia huiusmodi fiunt. Leuissima sunt, & cibaria, & potus, ac obsonia, quæ moderata in corpus ingesta, aut paulo amplius supra modū, neque repletionem exhibent, neque tormen, neque flatum, neque aliud quiddam eiusmodi, & celerrime concoquuntur, & concocta secedunt, & per omnem diem in vētrem ingesta, minime molesta sunt; etiam si diu antea fuerint ingesta. Grauia autem sunt quæ moderate exhibita, aut infra modum, repletionem & dolorem exhibent: & quæ neque dari, neque edi, neque bibi possunt, vt non dolorem exhibeant. Et si quis ipsa per tempus rursus bibat, aut edat; etiam sic dolorem exhibent, & non pro ratione secedunt. Ad sanitatem optima sunt, quæ modice ingesta sufficiūt, vt & famis, & sitis sint medela. Et plurimo tempore corpus ipsa suscipit, & pro ratione secedunt. Ad robur autē optima sunt, quæ carnem plurimā, ac dēsissimam producunt, & sanguinem crassefaciunt, & pro ingestorum ratione secedūt: & corpus plurimo tempore ipsa suscipit. Pinguia, & caseosa, & mellita, & ex sesamo parata, ructum acidum maxime faciunt, & bilis fluxum superne, ac inferne, & tormen, & flatum, & repletionem. Hoc ipsum etiam cōtingit; quū quis plura ederit, aut biberit, quàm venter cōcoquere potest. Debilibus si quidem pro morbi, ac corporis ratione dederis, quæcunque tandem dederis, consumit hæc corpus, & neque indigū est, neque repletum. Si verò aberraris à temporis occasione; detrimentum in vtranque sequitur. Quęcunque cibaria, aut potus, aut obsonia corpus suscipit, ab his maxime neq; tormen fit, neque flatus, neq; ructus acidus: quum enim in ventrē ingesta fuerint; corpus ab ipsis trahit quod ipsi commodum est. Et necesse est iam quod restat debilius esse, quàm vt tormen, aut flatum, aut aliud quid huiusmodi in vētre faciat. Vina dulcia, & austera, & mellei coloris vetusta, ventrē subducunt, maximeque vrinā cient, ac nutriūt, & neq; flatū exhibent, neq; tormē, neque repletionē. Carnes percoctæ, & exassatæ, vtræque debiles sunt ad robur augendum. Ad secessum verò percoctæ commodæ sunt, assatæ verò magis sistunt. Quæ verò moderatam habent & coctura, & assatura, hæ & ad robur, & ad

ſeceſſum moderate ſe habent. At verò crudiores ad robur quidem commodæ ſunt; ſed non ad ſeceſſum.

45 Ex cibis, ac potibus, qui commodiſſimi ſunt corpori, ac maxime ſufficientes, & ad alimentum, & ad ſanitatem, ex his ipſis etiam, vbi quis ipſis nō in tempore vtatur, aut pluribus quàm tempeſtiuum eſt, & morbi, & ex morbis mortes fiunt. Reliqui verò cibi, ac potus, qui talem vim non habent, parum vtilitatis afferūt; etiamſi quis ſemper ipſis in tempore vtatur: parum autem etiam lædunt: In vtranque enim partem debiles ſunt, vt & boni aliquid faciant, & mali. Sunt autem cibi, & potus, qui hanc vim habēt hi, panis, maza, carnes, piſces, vinum: & ex his alij magis, alij minus. Quicunque ex ſicco victu viuunt, his nō cum cibo potus detur; ſed poſt cibum, multo tempore interpoſito. Et ſic quidem ſiccus humor à ſiccis cibis ortus, corpus ſiccat. Si verò quis ſimul cum cibo bibat: cibus humidior factus, corpus humidius facit. Panis calidus, & carnes calidæ, ipſæ per ſe comeſtæ, ſiccant. Si verò cum liquore dederis, aut ſtatim à cibo potum præbueris; non ſiccant. Panis purus ex farinis ad robur, ac refectionem commodior eſt, quā, qui non eſt ex tenuibus farinis paratus: & recens vtilior eſt, quàm vetus, & ex farinis recentibus melior quàm veteribus. Polenta ex ordeo non madefacto, ſed circumcirca conſperſo, ac decorticato, fortior eſt, quàm ex madefacto; & recens, quàm vetuſta. Et maza prius ſubacta fortior eſt, quàm non ſubacta. Vinum diffuſum, ac perfrigeratum, & excolatum, tenuius fit, ac debilius. Carnes coctæ, ſi quidem percoctas feceris; debiliores ſunt ac leuiores. Aſſatæ verò ſi exaſſatæ fuerint, & inueteratæ ex aceto, aut ſale; debiliores ſunt, & leuiores ſecentibus.

46 Debiles, ac leues cibi, ventrem quidem non lædunt, neque corpus; eo quòd calefacti non intumeſcunt, neque replent, ſed cito molleſcunt, & concocti ſecedunt. Humiditas autem ab ipſis debilis corpori accedit, & neque augent, neque robur memorabile exhibent. At fortes cibi, & intumeſcunt vbi in ventrem ingeſti fuerint, & replent, & difficilius quidem, ac tardus concoquūntur, & non ſecedunt. Verùm humor ab ipſis fortior, ac incorruptus accedēs, multum robur, ac augumentū corpori addit. Ex carnibus leuiſſimæ ſunt in corpus, canīnæ, & volucriū, & leporinæ coctæ. Graues autē ſunt bubulæ. Et porcinæ moderatiores: flatum autem faciunt, & coctę & aſſatæ. Et ſanis autem, & debilibus cōueniūt ouillæ. Suillæ verò his, qui laborant, & exercitātur, & ad bonum habitum, & ad robur commodæ ſunt. Debilibus autem, & priuatam vitam degentibus, fortiores. Sed & ferinæ manſuetis leuiores ſunt; eo quòd fructum non ſimilem edunt. Differunt autem & pecorum carnes, & eorum, quæ fructum edunt, & quæ non edunt. Et fructus nō idem in omnibus facit; ſed partim denſam, ac fortem victimæ carnem efficit, partim raram, & humidam, ac debilem. Vt in ſumma dicam, Piſces leue ſunt edulium, & cocti, & aſſati, & ipſi per ſe, & cum alijs cibis. Ipſi verò inter ſeipſos ſic differunt. Stagnorum piſces. & pingues, & fluuiatiles, grauiores ſunt: Littorales autem marini, leuiores: Et percocti aſſatis ſunt leuiores. Ex his itaq; fortes dato, vbi reficere aliquem voles: leues verò, vbi gracilem, & tenuem facere oportuerit.

47 Balneum, calidum moderatum quidem, mollit, & auget corpus. Quod verò opportunum modum excedit, ſiccas quidem corporis partes humectat, humidas verò reſiccat. Et ſiccæ quidem humectatæ debilitatem, & animi deliquium exhibent: humidæ verò ſiccatæ, ſiccitatem, ac ſitim.

48 Ex oleribus alia, & cocta & aſſata, vrinam cient, & per aluum ſecedunt, & ad menſes muliebres conducunt. Cepæ ad vrinas commodæ ſunt ſuccus enim acrimoniam quandam exhibet, vt ſecedat. Atque his quidem ſic vtendum eſt, ſed debilibus non exhibenda. Apium & coctum, & crudum vrinam ciet, & paluſtre magis, quàm ſatiuum, quod etiam maiorē vim habet. Coriandrum ſtomacho gratum eſt, & per aluū ſecedit, tum coctum, tum crudum. Ocimum & humidum eſt, & frigidū, ac ſtomacho gratum. Porrum coctum quidem vrinam ciet, & ſecedit, crudum verò æſtuoſum eſt, & pituitoſum. Malum punicum reficit, & pituitoſum eſt, & cum nucleo quidem. aluum ſiſtit citra nucleum verò, ſecedit.

49 Calidi cibi, ſicci quidem ſiſtunt, (humorem enim in ventre reſiccant) ſi verò humidi ſunt; humectātes per caliditatem, aluum ſubducunt. Acerba ſiccant, & contrahunt corpus. Habent & vim ſiſtendi. Acida at tenuant, morſum inducentia. Salſa ſecedunt, & vrinā cient. Pinguia & dulcia, humiditatem & pituitam exhibent. Reſiciunt cucurbita, & beta, & blitum, & rumex, & per humiditatem ſecedūt. Braſſica verò acrimoniam quandam habet ad ſeceſſum, & ſimul boni ſucci eſt. Caſeus, & ſeſamū, & vua paſſa reficiunt, & pituitoſa ſunt. Vinū dulce, & mellis ſpeciem referēs, ambo, & reficiunt, & vrinam cient, & pituitoſa ſunt.

50 Auſtera verò ad robur, & ſiccitatem commoda ſunt. Vrinam autem cient etiam auſtera, vetuſta, quę alba, & tenuia exiſtunt. Oleum, & quæcunque oleoſa, reficiunt, & pituitoſa ſunt. Ex oleribus coctis ſecedunt, quæ ex natura humidiſſima, aut acerrima ſunt aut caliditatem habent. Danda autem ſunt hæc tepidiora, ac flaccidiora: ſic enim ad ſeceſſum commodant. Cucumis pepo, & vrinam ciet, & aluo ſecedit, ac leuis eſt. Alter autem non pepo, frigiditatē quandam exhibet, & ſitim ſedat. Alimentum verò à neutro horum contingit; niſi tenue quoddam: ſed neque malum, neque memorabile. Mel cum alijs quidem comeſtum, & nutrit, & bonum colorem exhibet. Ipſum autem per ſeipſum attenuat magis, quàm reficit: nam & per vrinam, & per ſeceſſum plus iuſto expurgatur.

Vrinā cientia in ventre & cito calefiunt, & calefacta marceſcunt, ac liqueſcūt, & ob id citum ſeceſſum faciunt. Stabiles autem, ac aluum ſiſtentes cibi, & caleſcunt, & calefacti cito reſiccantur, ac compinguntur, & propterea obduri facti, non ſecedunt. Quę per aluum ſecedunt, ſucceſa ſunt, & natura calida. Quæ verò vrinam cient ſiccu, & frigida. Frumentum, & vinum differunt quidem & ipſa inter ſeipſa ex natura, tū robore, & debilitate, tum leuitate, ac grauitate. Differt etiā locus à loco, ex quo illa fuerint: eſt enim alius aquoſus, alius aquarū inops, & apricus, & vmbroſus, & bonus, & malus.

51 Quare omnia hæc ad hoc conferunt, vt ſinguli cibi, aut fortiores ſint, aut debiliores. Quicunque ſanè panem comedere ſoliti fuerunt, his dādus & in morbis. Quum quis cibos, aut potus plures ſolito acceperit. ſi non ſolito more perfecerit, optimum eſt vt

ſtatim

statim reuomat. Poma & fructus arborei, tum mollis, tum duri corticis, propterea post cibum molestiora sunt, & iano, & debili; quia corpus eius, qui cibum sumpsit, solum ab ipsis humores trahit: si verò ieiunus quis edat; plures.

52 Quicunque aut flatum, aut æstum, aut morsum, aut repletionem, aut tormẽ faciunt, à talibus liberat vinum meracum insuper potatum: corpus enim à vino calefactum, per calorem amouet ea, quæ insunt à cibis, & potibus ac similibus. Venter aliquando perturbatur, aliquando sistitur, aliquando etiam pro ratione secedit. Cur autem hæc sic se habent; primum quidem venter quum humidior fuerit, & quum siccior susceptum cibũ corrumpit. Deinde, quum mutatio facta fuerit, siue ex rigore ad caliditatem, siue ex caliditate ad frigiditatem; itidem corrumpit. Quare necesse est ventrẽ, ab ijsdem cibis, ac potibus propter hæc ipsa, & molliorem fieri, & duriorem. Cibaria, & potus, & obsonia (excepto pane, & maza, & carnibus, & piscibus, & vino, & aqua,) reliqua omnia tenues, ac debiles vtilitates exibent, ad augmentum, & ad robur, & ad sanitatẽ: tenuia item, ac debilia mala ab ipsis fiunt. Quoscunque ægrotos, febres non cõtinenter detinent, sed intermittentes corripiunt, his cibi dandi sunt post apprehensionem, ita vt coniectu ram facias, ne febris à recens accepto cibo irruat, sed cibis concoctis. Vinum, & mel optima iudicata sunt in hominibus, si iuxta naturam & sanis, & debilibus cum temporibus opportunitate, ac mediocritate exhibeantur. Et bona quidẽ sunt ipsa per sei psa: bona verò etiam permixta, & tum alia, tum quęcunque memorabilem vtilitatem habent. Quæcunque sanis commoda sunt, ea etiam ęgrotis exhibita fortiora sunt. Et oportet detracto ipsorum vigore ea dare: alioqui non feret ipsa corpus: sed magis lędunt, quàm prosunt.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Internis affectionibus.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *De Pulmonis arteria sauciata, & eius caussa, notæ, curatio. Quæ vitanda vbi conualuerit.*
2 *De arteria lancinata, & eius notis & curatione.*
3 *Pectoris suppuratio. Pulmone rupto, multi vitam degunt donec moriuntur.*
4 *De Pulmonis affectu pneumoniaue, & eius notis, & curatione. Lac bubulum, caprinum, asininum, equinum.*
5 *De pulmonis varice: notæ, & curatio. Cyceon, poculum ex herbis, melle vinoque temperatum.*
6 *De venulis per pulmonem tendentibus, sanguine aut atra bile pleris, & eius notæ.*
7 *De pulmonis inflammatione, causa, notis, ac curatione. Capitonum & anguillarum piscium pinguedo pessima. Potio vomitum ciens.*
8 *De pulmonis erysipelate: notæ & curatio.*
9 *De pectoris & scapuratum scissuris & earum causis, notis, curatione. Morbi reuertentes periculosiores.*
10 *De tuberculo phymateve costarum, & eius notis & curatione.*
11 *De tabe, & eius causa eius: notæ & symptomata, curatio.*
12 *De tabe altera, & eius causis & notis & curatione.*
13 *De tabe tertia, hoc est spina dorsi, & eius causa, notæ, & curatio. Pituita hydropiformis. Caseus vetus caprinus.*
14 *Qua de causa spinæ medulla siccescat, & quæ eius notæ. Crura tumida, velut ab aqua intercutem, & quæ eius medela.*
15 *De quatuor renum affectibus, atque primum de calculo. Medicorum error in renum dolore, cum lapidem in vesica (qui in rene est) esse existiment: & quæ eius curatio.*
16 *De altera nephritide, & eius causa. Sanguinis cum vrina mictio. Tabes renalis ex nephritide.*
17 *De tertio renum morbo, seu nephritide, & eius caussæ. Vrina succo carnium bubularum assatarum similis, & eius notæ.*
18 *De quarto renum morbo, & eius caussæ & notæ. Pedes & tibiæ semper frigidæ. Vrina subsidentiam crassam, aut subfuluam, vel album vt farina habens. curatio. Victus ratio describitur. Obsonia pinguissima & dulcia.*
18 *De atroci morbo venarum, nephritideve superueniente, caussæ, notæ, curatio. Quomodo quæque vrenda.*
20 *De vena læua laborante, caussa, notis, curatione & remedio.*
21 *De pituitæ speciebus aliquot, & earundem curatione: & primum de popularis curatione. Ficus etsi postrema mensa sumantur, postremò tamen omnium. enomuntur. Panis cibarius quid.*
22 *Pituitæ in ventre molestantis, per clysterem curatio.*
23 *De pituita antiquiore seu alba, & eius notis & curatione.*
24 *De aqua inter cutem, quomodo ex pituita gignatur, & eius notis, caussis, curatione. Tumor in scroto ex aqua inter cutem.*
25 *De aqua inter cutem æstatis tempore ex aquæ potu nata. Aquam inter cutem etiam à tuberculis fieri: & de eius signis. Aquæ è ventre hydropicorum, per sectionem emissio.*
26 *De aqua inter cutem ab hepate nata, & eius caussis, notis, & curationibus. Vinum Mendæum. Hepatis ab aqua inter cutem laborantis, per fungos vstio.*
27 *Alia intercus in ventre rupta. Aquæ è ventre, per ferri vstionem, emissio.*
28 *De aqua inter cutem à splene nata, notis, caussis, & curatio, Lienis per fungos aut ferramenta vstio. Salsamentũ Gaditanum, aut saperda. Vinum Coum.*
29 *De aqua subter cutem, per æstatem defatigatione itineris,*

neris, & aquæ cœlestis potu nata: & eius notis & curatione. Fomenta humida ante pharmaca.

30 De morbo hepatico ab atra bile, & eius notis & curatione. Potio ex oui gallinacei liquore. Vomitum mouentia in morbo hepatico.

31 De secundo iecinoris morbo à bubulæ carnis esu & vini potu nimio, & eius notis. Bilis pallidæ in morbo hepatico vomitus, eius notæ & curatio. Vstionis bi paticorum, per fusos buxeos, descriptio.

32 De tertio iecinoris morbo & eius curatione.

33 De primo splenis morbo bile à sole commota, & in ipsum attracta: & eius curatione. Vinum Coum. Troxima sunt quæ cruda eduntur. Splenem attenuantia.

34 De alio lienis morbo, & eius causis & notis, & curatione. Ex aure male olentes: gingiuæ olentes & à dentibus discendentes. Vlcera ex tibijs erumpentia.

35 De tertio lienis morbo qui verno tempore à sanguine fit, eius nota, & curatio. Sanguinis ab interna cubiti sinistri vena detractio.

36 De quarto lienis morbo. Splenis vstio.

37 De quinto lienis morbo, autumno ab atra bile nato.

38 De morbo regio primo, qui bile commota, æstatis tempore maxime corripit: & eius signis, & curatione.

39 De alio morbo regio siue arcuato, qui hyemis tempore & ex rigore corripit: & eius curatione.

40 De alio morbo regio qui popularis dicitur: fit autem à repletione maxime, & ebrietate.

41 De quarto morbo regio, qui à pituita, hyeme autem maximè corripit.

42 De typho seu stupore attonito, & eius curatione. Linteorum frigida tinctorum vsus.

43 De alio typho & eius notis & curatione.

44 De tertio typho, cum bilis putrefacta, ammixta fuerit sanguini per venas & auriculas, & eius notis & curatione.

45 De quarto typho. Mel coctum æstuosum est, & ventri adhæret.

46 De quinto typho, ab humore in corpore putrefacto, & eius notis. Coloris in typho nigri causa. Muscas à stragulis venari. Lucernæ extinctæ odore delectari. Genituram per somnium & inter eundem effundentes.

47 De voluulo siue ileo & eius causis & notis. Cutis color plumbiformis: & eius curatio. Tudicula.

48 De alio voluulo arcuato, qui maximè æstatis tempore in regionibus palustribus corripit. Capitis, ex te tragono medicamento purgatio.

49 De voluulo hæmatite seu sanguineo: Os male olens à dentibus. Gingiuæ discedentes.

50 De morbis Crassis. Rubores in lateribus. Capillorum in morbis crassis defluuium. Capitis cutis crassa ac rubicunda, & eius curatio. Semen in morbo crasso subcruentum ac subluuidum per somnum eiaculatum.

51 De altero morbo crasso. Insomnia horrenda in morbo crasso. Mentis abalienatio vnde, & eius curatio.

52 De alio morbo crasso, à pituita putrefacta, & eius causis, & notis, & curatione. Capitis per tetragonum purgatio.

53 De quarto morbo crasso, à pituita alba, facies intumescens. Terræ odorem ex imbribus irruentibus, non ferentes.

54 De coxendicum morbo à sole. Humores in articulis resiccati condensantur ac constringuntur. Claudi à coxendicum morbo à sole nato.

55 De coxendice à bile contracto.

56 De coxendice à pituita excitato.

57 De coxendice à sanguineo humore creato. Vnde in poplitibus flectio.

58 Coxendicis cartilago intus concreta, & articuli conglutinati, claudicationis causa.

59 De tribus tensionibus, seu tetani speciebus, & eius notis. Cibi & potus interdum per nares reijciuntur: curatio. Aquæ tepidæ mulsæ per nares infusio.

60 De tensione in posteriora, quam opisthotonon vocant, & causa & notis.

61 De tertia conuulsione, tensioneque, & causis & notis, & curatione.

1 SI pulmonis arteria fuerit exulcerata, aut aliqua tenuis venula ex his, quæ in pulmonem dependent, rupta fuerit, aut aliqua fistula ex his, quæ per pulmonem distentæ sunt, & alia in aliam distracta fuerit, & sanguine fuerint impletæ: distrahuntur sanè, ac rumpuntur ob has maxime causas: propter laborem, propter cursum, ob casus, ob plagas, ob vomitus violenter obortos, ob febres. Hæc igitur patitur. Primum quidē tussis sicca obtinet. Deinde paulo post expuit saliuam subcruentam, aliquando autem puram. Et, si quidem hic breui à morbo liberetur; satis est: si verò non; temporis progressu sanguis amplior prodit, aliquando purus, & aliquando etiam subputridus. Sæpe verò etiam facies non animaduertentibus sanguine implentur. Postea sanguinis grumos paulatim, & frequenter emergentes reijciunt. Aliquando verò etiam graueolentia ab ipsius contingit: & fauces aliquando spuma quadam replentur. Et rigor, ac febris apprehendit, circa initia quidem morbi, vehementer: in progressu autem, debilius: & alias, atque alias corripit: & dolor quādoque in pectoribus infitus est, & in dorso, & in lateribus. Et, vbi sanguinem spuere desierit; saliuam multam liquidam expuit, quandoq; verò etiam viscosam. Atque hæc quidem sic patitur; donec quatuordecim dies præterierint. Post hos verò si non desiuerit morbus; squamas, ab arteria tussiē do auellit, quales à pustulis decedunt. & dolor incidit in pectus, & in dorsum, & in latus, & præcordia contingens, velut vlcus dolet. Huic cōducit vt quā maxime quietem intus habeat; si morbus sic se habuerit. Si enim quid laborarit; & dolor acutior, & tussis magis, quàm prius premit, & rigor, ac febris magis occupat. Et, si sternutauerit; dolor acutus irruit. Dolet autem & in lecto; quum se circumuertit. Huic cibos quidē eosdem, quos & pectore suppurato exhibere oportet; verùm hos non multos. Ex obsonijs autem his vtatur. De piscibus quidem, squatina, aut pagro, aut galæo magno albo, aut alijs similibus, omnibus cum rhoe, & origano conditis. Carnem autem edat galli assatam, sine sale, aut capræ coctam: & vino austero vetustissimo, ac iucundissimo nigro vtatur. Deambulationibus autem moderatis. Veruntamen hæc fiant febre non tenente. Si verò febris tenuerit; sorbitione farinæ, aut milij vtatur. Si verò cibos assumat; paucos assumat, & obsonia penaluum secedentia. Et si pharmaco tibi vtendum esse videbitur; cnidio cocco, aut tithymalide ipsum subpurgato. Et post purgationem; farinæ coctæ pinguis heminam absorbendam dato. Deinde quàmmaxime

refi-

reficito: vt quàm minimum tenuis fit: Ad huiusmodi enim morbum non conducit tenuem esse. Deambulationes etiam primum paucas faciat: vt ne lassitudo succedat. Fomentum verò aliàs, atque aliàs adhibeatur. Et qua die fomentum adhibetur; sine cibo sit, excepta farina cocta, cuius heminam absorbeat. Aquam autem bibat. Postera die minus, quàm solitus fuit, edat, & bibat vinum nigrum, iucundum, austerum, modicum. De cæterò verò bis, aut ter in die cibi dentur. Si autem huic paulatim dato: donec ventrem confirmaueris: nam ex febribus, & inedia, si os quidem appetiuerit, venter autem suscipere noluerit, vbi aceruatim suscepit: inflammatur. Quare paulatim dare oportet. Si verò aceruatim dederis, & parum laborarit: deambulationibus venter non perfrigeratur, nimirum cibis quiete cõpactis. Quare etiam febris succedere solet, & hyeme quidem minus: æstate verò periculum est, ne delinquat. Hunc quàmmaximè reficere oportet; quò quàmcrassissimus fiat: & deambulationibus moderatis vtatur, & minus solito luctetur, & parum laboret primùm, deinde amplius, nunquam autem multum: hæc si fecerit: celerrime sanus erit. Si verò tenuis fiat propter laborem: remittat, ac quietem agat. Hic vbi sanus fuerit: neque ad ventum celeriter currat, neque equum, neque currum conscendat. Vitet etiam vociferationem, & iracundiam; periculum est enim, ne morbus reuertatur. Quare hęc omnia vitare oportet. Si verò cibum auersetur: eruũ torreto, & corticem depurgato, deinde per triduum in aqua macerato, singulis autem diebus aquam diffundito, & aliam affundito. Postea quartà die excolato, ac resiccato, deinde tenuissime molitum cribrato. Et lini semen tostum tundito, ac terito. Et sesamum tostum tundito, ac terito. Et polentam non salsam, puram, tenuem accipito. Et erui quidem, ac polentæ, amborum æqualis sit mensura, sesami verò tertia pars, lini verò dimidia vnius partis. Hæc in lacte caprino cocta quàm liquidissime absorbeat. Postea verò in prandium ipsi dentur cibi puri, & obsonia fortiora. Vinum autem idem bibat. Dato autem ipsi & centaureæ radices, ad has rupturas facientes, in vinum ipsas deradens: dato item draconcij radices in vinum derasas. Sed & tussis gratia, draconcium derasum in melle delingendum dato. Et, si decoctum in lacte assueuerarit se sorbere non posse: lac bubulum quàmplurimum bibat, tertia parte aquæ mulsæ ammixta. Atque sic celerrime sanus erit. Morbus autem curatione multa opus habet: est enim difficilis. Si enim curatus, & sanus factus non seipsum custodierit; plerisque reuertens morbus interitus caussa fit. Hic, si quidem ab hac curatione sanatus fuerit; satis est: sin minus; ipsum lacte crassefactum, & in pectore, & in dorso vrito: si enim successerit vstio, fugæ morbi spes est.

2 Si verò arteria conuulsa fuerit, aut aliqua vena ex his, quæ ad pulmonem tendunt, hæc patitur. Ab initio quidem morbi tussis acuta obtinet, & rigor, & febris, & saliuam expuit multam, albam, & spumosam, aliquando verò subcruentam: & dolor caput, ac collum detinet. Hic morbus fortior est priore: & vsque ad decem primos dies talia patitur. Postea plerique vndecima die pus crassum violenter expuunt. Decimaquarta verò die puriora expuit: si euasurus est, & dolore minus vexatur, & breui sanus fit. Si verò morbus diuturnus futurus est; tunc & pus multo amplius expuit, & reliquus dolor multo amplior in corpore inest. Calores autem debiliores habent, quàm prius. Hunc si à principio acceperis; infra subpurgato scammoniæ succo, si non febricitarit. Post purgationem autem accipiat ea, quæ prius, & alia eadem assumat, quieto quàmmaxime corpore, & molliter cubet. & hæc quidem ab initio faciat vsque ad decem dies.

3 Si verò pectore suppuratus fiat; eadem, quæ etiã prius faciat. Si verò sanus fiat; ab his cibis, ac potibus abstinere oportet, ab acidis, & acribus, & salsis, & pinguibus. A labore item, ac ijsdem, à quibus prior abstineat. Hæc si fecerit; celerrime à morbo liberabitur. Si verò quid horum non fecerit; rursus reuerso morbo periclitabitur, & morbus peior erit: nam multi rupto pulmone vitam degunt, donec moriantur. Hunc si non statim quis curet; recidiuãte morbo postea non habueris, quo prodesse possis, nisi hæc feceris. Lacte bubulo crassefactum, in pectore, & dorso vrito: si enim vstio successerit; proderis. Morbus autem hic ex ijsdem delictis fit, ex quibus etiam prior.

4 Pneumonia, siue pulmonia, ab his maxime fit. Quum pulmo sanguinem in seipsum traxerit, aut pituitã salsam, & non rursus dimiserit, sed in ipso coacta, ac compacta fuerint; ab his tubercula fieri solent in pulmone, & suppurari. Hic autem hæc patitur. ab initio & per totum morbum tussis acuta sicca obtinet. Et rigor, & febris, & dolor in pectoribus, & in dorso incumbit: aliquando etiam in latere. & erecta ceruice spiratio vehemens incidit. Hic vsque ad quatuordecim dies talia patitur; sæpe verò etiam plures. Deinde erumpit pus, & multum expuit. Sæpe verò etiam velut aranearum tunicas expuit: sæpe etiam subcruentum. Et si quidem depurgatus fuerit, & breui gracilis factus pulmo; interitum effugit. Si verò non adhæret, & per annum morbus tenet, & transmutatur, vt alias alia æger patiatur, huic in principio antequam pus erumpat, hæc adhibere oportet. Quum febris remiserit; multa calida lauetur, & sorbitionibus multis vtatur. Ptisanæ succum coctum, melle ad coctum affuso, sorbeat. Et vinum bibat dulce album, aut aquam mulsam coctam. Quum verò pus expuere inceperit; eadem bibat, quæ prior suppuratus. & cibis, ac potibus, & obsonijs ijsdem vtatur, abstinens ab acidis, & acribus, & salsis, ac pinguibus, & à venere, ac ebrietatibus: nisi morbo commodum fuerit. Ex coloris autẽ inspectione æstimandum est, qualibus opus habere videatur. Reliqua verò eadem faciat. Bibat etiam lac bubulum, ac caprinum pro tempore: prius autẽ subpurgetur lacte asinino cocto. Bibat etiam equinum lac excolatum quotidie mane, poculi tres heminas continentis mensura; si facere poterit. Si quidem igitur sic curatus melius habebit; satis est: &, si non eruperit pus in pectus; ipse seipsum curet, quietem quàmmaxime corpori exhibens, & quæ commoda sunt sibijpsi exhibens. Si verò erumpat pus in pectus; qua parte tibi significationem de se præbere videbitur, illis maxime sectione, aut vstione facta, pus emittito modicum primùm. Reliqua verò eadem facito, quæ & in priore suppurato facto descripta sunt.

Si

5 Si in pulmone varix fiat, tussis sicca corripit, & rigor, & febris in principio quidem morbi valde vehementer, habet etiam erecta ceruice spiratio, & dolor in capite consistit. Et supercilia impendere videtur: & tumor in faciem descendit, & in pectus, & in pedes. Sæpe verò etiam in capite innititur; & præ dolore vbi is vexat; respicere non potest, & corpus subpallidum est, & venæ per ipsum tendunt flammeæ, aut nigræ. Huic, quum sic habuerit, & dolor maxime premit; primum sanguis detrahatur. Deinde multa calida lauato. Et, vbi sitis habuerit; cyceonem in vino nigro austero quàmiucundissimo, æquali mensura aquę mixtum, bibendum dato. Frigidum autem maxime bibere oportet. Sorbitionibus autē vtatur ptisanæ succo cocto, melle bono affuso. Hæc exhibere oportet in primis quatuordecim diebus. Si verò diutius morbus teneat, & dolor amplior fuerit in corpore, & impotentia aderit; huic sic habenti eadem exhibeto, quæ ei, qui pulmonē suppuratum habet, vbi quatuordecim dies præterierint. Hic morbus fit à labore, & atra bile.

6 Quum venæ cauæ per pulmonem tendentes, sanguine, aut atra bile impletæ fuerint, venulæ aliæ in alias rumpuntur, vt quæ in angustiis sunt concluſę, & exitum non habeant, & dolorem exhibent, ac flatum in pulmone; hic morbus difficilis est, & multa curatione opus habet. Alioqui ęgrum non relinquit, & plerunque in multis simul commoritur.

7 Si inflammatio in pulmone fiat: fit autem maxime à vinolentia, & gulositate pisciũm capitonum, & anguillarum: hi enim pinguedinem habent naturæ hominis infestissimam. Iam verò etiam factus est morbus à pituita, vbi sanguini mixta in pulmonem influxerit. Accidit etiam ex carnis esu, & ex aquæ mutatione. Hæc igitur æger patitur. Tussit fortiter & saliuam expuit liquidam, ac multã: sæpe etiam crassam & albam, velut à raucedine. Et dolor premit acutus in pectora, & dorsum, & laterum mollitudinē, ac latera. Et acidum eructat. Et ex pectoribus, ac pulmonibus, velut venter murmurat. Et vomit pituitã acidam: &, si id, quod vomuit, in terram effundas; radit terram velut aceto infuso, & dentes stupescunt. & rigor, ac febris, & sitis fortis detinet: &, si quid pingue voluerit edere: exugitur ad viscera, & vomitū inducit. Et totum corpus torpor occupat. Quum verò reuomuerit; paulo leuior sibi esse videtur: postea, vbi vespera diei accessit; venter sonitum edit, & tormine versatur, ac murmurat. Huic, quum sic habuerit, & tempestiuũ esse visum fuerit; curationem sic adhibeto. Mel, & lac, & acetum, & aquam, mixta in ollam infusa tepefacito, & origani capitati ramulis agitato: vbi verò tepida facta fuerint; bibēda dato, aut apprehensa lingua, sensim per fistulam infundito. Deinde conuolutum quietem habere iubeto. Postea si vomitus succedat; prompte vomat. Si verò non succedat; iritatione per pennam facta vomat: &, si quid pituitę vomuerit; per dies quinq; idem faciat: hinc enim leuior euadet. Bibat autem hæc exercitatus, si fieri poterit; & multa calida lotus: sin minus; saltem lotus. Postquam verò quinque dies præterierint; mane ieiunus bibat in aqua mulsa, aut vino mulso silphij succum, erui magnitudine: & allium comedat, ac raphanidas ieiunus, & meracum vinum insuper absorbeat nigrũ, aut album austerum. Bibat etiam inter cibum, & post cibum. Cibis verò siccis, & carnibus caninis vtatur coctis; si rigor, & febris non apprehenderit. Hic si à tali infusione per fistulam in os, purgetur; satis est: sin minus; sursum per veratrum ipsum purgato. Post purgationem verò farinæ coctę duas heminas absorbēdas dato, melle affuso. Vinum verò idem bibat aquosum. At, si non in principio affueris morbo; lacte ipsum crassefactũ in pectore, ac dorso vrito: ita enim maxime à morbo liberari poterit. Si verò non fuerit vstus: permanet, & non valde deficit, sed ad senectam vsque adhæret. Sæpe etiam commoritur; si nō in primis quadraginta diebus mortuus fuerit. Quare multa quàmmaxime opus est cura. Et serum, ac lac pro tempore bibat, bubulum, & caprinũ, & asininum, ac equinũ; sic enim facillime deget. Est autem morbus difficilis.

8 Si pulmo ab erysipilate intumuerit. Hic autem tumor maxime à sanguine fit; quum pulmo in seipsum sanguinem attraxerit: & susceptũ tenuerit. Morbus autē hic æstatis tempore maxime fit. Hæc igitur ab ipso ægęr patitur. Tussis incidit sicca, & rigor, & febris, & erecta ceruice spiratio, & dolor fortis in pectoribus: & nares aperit, velut equus à cursu. Et linguam exerit, velut canis ęstate ardoris flatu vstus. Et tumor detinet pectora, & parũ loquitur, & rubor est in facie, & pruritũ fert in corpore, & præ dolore de cumbere non potest. Sed ipse seipsum anxius iactat. Hic in septem diebus moritur. Veruntamen in principio, quũ sic habuerit: per hæc curetur. Corpus quidē perfrigeretur, betis in aqua frigida tinctis, ac corpori impositis, in recenti maxime dolore. Aut linteа frigida aqua tincta, ac expressa apponito. Et, si quidem sic melius habuerit; satis est: sin minus: terram figularem frigidam pro cataplasmate imponito, & sub dio decumbat; sic enim tractatus sæpe septem dies effugerit. Quum autem septem dies præterierint, & dolor adhęserit; dolentem partem intus, cum oleo illinito, & tepefactoria eadē, quæ in pleuritide adhibeto: & potionem ad subpurgationem ipsi dato, ex peplio, & meconide, siue peplo, & grano cnidio. Et post purgationem, lenticulæ heminam absorbendam dato. Bibat autem aquam. Postera die multa calida aqua ipsum lauato, capite excepto. Postea origanum in aqua mulsa macerato, & bibendum dato. Potibusque quàm calidissimis vtatur. Cibos autem accipiat eosdem, quos & qui à pleuritide correptus est, si non febris adhęserit. Hic morbus grauis est, & pauci effugiunt.

9 Si pectus, & dorsum dirupta fuerint (dirumpuntur autem maxime à labore (æger hæc patitur. Tussis obtinet acuta, & saliuam expuit aliquando subcruentam, & rigor, & febris plerunque corripit: & in pectore, & in dorso dolor inest acutus: & in latere velut lapis incumbere videtur, & à dolore perpetuo pũgi, velut si quis acu stimulet. Huic, quum sic habuerit; statim lacte in potu dato, pectus, & dorsum inurito. Et sic celerrimè sanus erit. De cætero verò quietam maximè corpori vitam degat: si quid enim laborarit, & aut currum, aut equum ascenderit, aut humeros oneri subdiderit; periclitabitur, ne rursus morbus recidiuam faciat. Et, si hoc contingat; periculum est, vt corrũpatur: morbus.n. reuersus magis premit, quàm ab initio. Si verò non fuerit vstus; ijsdem ipsum curato, quibus & suppuratum, sorbitionibus, & potibus,

bus, & cibis. In ſumma verò, quietem agat, & commodis cibis alatur; ſi enim ſic tractatus fuerit; celerrime ſanus erit. Morbus autem grauis eſt.

10 Si in latere tuberculũ naſcatur, & ſuppuratus fiat; hæc patitur. Rigor tenet, & febris, & tuſſis ſicca per multos dies. Et dolet latus: & ad mammã, & ad clauiculam, & ad ſcapulas, dolor impetum facit. Hic quum ſic habuerit; in primis decem diebus ſorbitionibus vtatur, ptiſanæ ſucco cocto, melle affuſo, quũ ſorbitio cocta fuerit. Vino autem vtatur albo, dulci, aut auſtero, & aquoſo. Et vt vinum ſæpe ſorbeat, ac expuat iubeto. Et à ſomno impedito; donec vndecim dies præterierint. Poſt hos dies cibis pauciſſimis vtatur, carnibus catulinis, aut galli calidis. Oportet autem ipſas probe cum iuſculo præparare, & iuſculum abſorbeat. Et ſorbitionibus prius, quàm cibo vtatur, & ne ſitiat: donec latus ſuppuratum fiat. Suppuratur autem maximè in quadraginta diebus, aut paulo prius. Hoc autem cognoſces, vbi ſuppuratum fiat latus: pus enim non expuit, neque reuomit. Hunc quum ſic habuerit; vbicunque tumor ſignificationem de ſe præbuerit, ſecato, aut vrito. Et poſtea pus paulatim emittito. Et poſtquam exhauſerit; linamentum crudi lini immittito: & hoc poſtridie rurſus exempto, paulatim pus exhaurito. Deinde rurſus linamentum indito: & rurſus tertia die, & alijs deinceps, bis per diem exhaurito; donec reſiccatum fuerit. Dato autem & cibos, & obſonia; ſi admiſerit. Et bibat modicum non multum ſiue vinum, ſiue aquam. Edat etiam origanum tenellam plurimam melle tinctam. Si verò tenellam non habeat; ſiccam tritam, & melli ammixtam plurimam exhibeto. Et neque frigeat, & balneis lauet, & molliter cubet. Et ſic hunc morbum curans, celerrime ſanum feceris. Quum autem ſanus euaſerit; vitet frigus, calorem, ſolem. Et deambulationibus modicis vtatur poſt cibum; vt ne laſſitudo corpus corripiat. Hæc faciens ſanus erit. Ex his morbis quoſcunque vſſeris, ſtatim poſt vſtionem; porrum multum tritum ſuper vſturas imponito, & per diem vnam ſinito.

11 Tres ſunt tabis ſpecies. Prima quidem fit, à pituita. Quum enim caput pituita impletum ægrotarit, & calor acceſſerit; pituita in capite computreſcit, vt quę moueri non põt, vt decedat. Poſtea quum craſſefactæ fuerint, & putrefactæ, ac ſuperexpletæ venulę; fluxio in pulmonem fit. Et pulmo vbi ſuſceperit; ſtatim ægrotat, vt qui à pituita mordetur, quæ ſalſa eſt, ac putrida. Hæc igitur æger patitur. febris debilis inuadere incipit, & rigor, & dolet pectora, ac dorſum. Aliquando etiam tuſſis premit acuta, & expuit ſaliuam multam, & liquidã ac ſalſam. Et hæc quidem in principio morbi patitur. In progreſſu verò corpus attenuatur, cruribus exceptis: hæc enim intumeſcunt, & pedes, & vngues contrahuntur. ex humeris autem tenuis, & debilis eſt, & fauces velut lanugine implentur, & velut per arundinẽ ſibilat: & fortiter ſitit per totũ morbum: & multa impotẽtia corpus habet. Hic quum ſic habuerit, in anno corruptus male perit. Verùm ſtudium quàm maxime adhibere oportet, ac reficere. Et primum quidem veratrum bibendum dare, infra autem ſubpurgare epithymo, aut peplio, aut grano cnidio, aut tithimalide. Hæc quater in anno dare oportet, ſurſum bis, deorſum bis. Dandum eſt lac aſininum coctum ad ſubpurgationem, aut bubulum, aut caprinum. Bibat etiam crudum lac bubulum, tertia aquæ mulſæ parte ammixta, per quinq; & quadraginta dies, ammixto etiam origano. Caput autem ipſius prius purgetur, pharmaco ad nares appoſito. Cibaria autem & obſonia dentur, neque pinguia, neque nidoroſa, neque valde acria. Hæc autem morbum obſeruando facere oportet, & deambulationibus ad cibos vti, obſeruando ne frigeat. Hyeme verò iuxta ignem habitationem faciat. Vinum autem bibat auſterum, nigrum, quàm vetuſtiſſimum, ac iucundiſſimum, verùm modicum. Et ſi tibi viſum fuerit; ante pharmacum fomentum adhibeto, & ſic pharmacum dato. Si verò dare noluerit; facto fomento; vomitum ex cibis facere cogito, velut prius ſcriptum eſt. Huic ſi commodæ fuerint; deambulationibus vtatur. Si verò non conducant; corpore quàm maxime quieſcat. Hic modo tractatus, facil lime in morbo deget. Eſt autem morbus lethalis, & pauci hunc effugiunt.

12 Secunda tabes fit à labore. Eadem autem ęger patitur, quæ & prior. Morbus autem hic magis priore quieſcit, & æſtate remittit. Saliuã verò expuit craſſiorem priore, & tuſſis premit maxime ſenes, & dolor fortior eſt in pectoribus, & velut lapis incumbere ipſis videtur. Dolet etiam dorſum. Et color ipſius limpidus exiſtit: &, ſi quid laborarit; flatus & ambulatio oboritur. Hic ex hoc morbo in tribus annis maxime moritur. Curare autem oportet ijſdem, quibus etiam priorem. Hic morbus multis adhæret vſq; ad tres annos: ſed moriuntur. Eſtque morbus grauis.

13 Tertia tabes. Ab hac hæc patitur. Medulla ipſius ſpinalis ſanguine plena fit. Tabeſcit autem ſimiliter & à cauis venis. Hæ verò pituita hydropiformi, & bile replentur. Patitur autem eadẽ ab vtris tandem tabeſcat. Et homo ſtatim niger fit, ac ſubtumidus. Et partes ſub oculis pallidæ fiunt. Et venæ in corpore pallidæ diſtentæ ſunt, quædam verò valde rubicundæ. Maxima autẽ manifeſtæ ſunt, quæ ſunt ſub alis. Et ſpuit pallida, quæ vbi ipſum inuaſerint, ſuffocãt: & tuſſire volens aliquando non poteſt. Quandoque autem præ ſuffocatione, & tuſſiendi cupiditate, bilem aceruatim vomit, aliquando verò pituitam: ſæpe verò etiam cibos; quum comederit. Et, vbi reuomuit; leuior ſibi eſſe videtur. Deinde modico tẽpore interpoſito, in ijſdem doloribus iacet. Hic etiam acutius loquitur, quàm quum ſanus eſſet. Et rigor, ac febris interquieſcẽs, rurſus ſudoroſa corripit. Hũc ubi ſic habuerit; cibis, & ſorbitionibus, & potibus, ac pharmacis, & reliquis omnibus curato, velut priores. Morbus autem durat maxime annos nouem. Poſtea durat dum corrumpitur. Pauci verò ex ipſo effugiunt; grauis eſt enim morbus. Si verò voles; ſic ipſum curato. Primùm fomentum adhibeto, & vbi fomentum adhibueris, poſtridie aquæ mulſæ dimidium congium ipſi bibendum dato, modico aceto affuſo, & hæc citra reſpirationem bibere iubeto. Deinde ſtragulis ipſum ad multum, ac quàmlõgiſſimũ tempus contegito. Si verò non ſuſtineat, & euomere velit; vomat. Si verò vomitus non ſequatur; tempore iam aliquo interpoſito, aquę tepidæ poculo magno ſuperingeſto vomat, irritatione per pennam facta. Quum verò euomuerit; vt bene habeat, quietem agat, per hunc diem. Vbi autem cœnæ tẽpus fuerit; cœnet mazã modicam, & obſonium habeat, ſalſamentum,

mẽtum,& porrum. Hæc autem quàm plurima edat. Vinum verò bibat dulce. Reliquo tempore per totam diem,exordio mane facto,multa calida lauetur: & post balneum cauere oportet, vt ne frigescat: sed decumbẽs plurimo tempore dormiat. Quum autem à somno surrexerit, viginti stadia minimũ eircumeat illa die. In alijs autẽ diebus, alia quinque stadia prioribus addens vadat,singulis diebus additione facta,donec ad centum stadia perueniat. Vẽtrem verò quotidie subpurgare oportet, succis betæ, & à brassica, ita vt vtranque seorsim coquas, & de vtraque congium excoles. Deinde adipis à renibus detracti minæ quadrantem ammiſceas, ac simul coquas, in vtrisque succis diuisim facta coctura. Quum autem bibere voluerit; ad brassicæ quidem succum, salem adiicito:ad betæ verò succum,mel affundito. Licet autem seorsim vtranque bibere. Aut melle in alterũ poculum affuso bibat, in alterum verò immisso sale. Ebibere autem oportet totum succum,& hæc facete per triginta dies. Secundo verò mense edat panẽ,& carnes pingues suillas coctas, aliud verò nihil. Vinum autem bibat album, austerum, & iter faciat,nõ minus stadiorum triginta ante cœnam. Post cęnam verò decem;& ne frigeat, sed contegatur. Hęc si fecerit; leuius morbum feret. Tertio autem mense cyceonem floridum bibat,apij radices,& anethum,& rutam, & mentam, & coriandrum, & papauer tenerum,& ocimum,& lentem,& mali punici dulcis & vinosi succum. Oportet autem dulcis duplam mensuram esse, ita vt vtriusq; succi simul sit heminę dimidium,& vini nigri iucundi austeri heminæ dimidium,& aquę heminæ dimidium. Postea flores triti in hoc diluantur permixto, & in poculum infundãtur. Et postea farinæ erui acetabulum adijciatur, & polentæ tantundem, & casei veteris caprini rasi tantundem,& hæc permixta ebibat. Deinde modico tẽpore interposito prandeat panem, & obsonium habeat,frustum torpedinis,aut squatinæ,aut galei,aut raiæ. Et carnes suillas edat coctas, & crassefaciat seipsum,quietem quàmmaxime agẽs. Et decimo quoque die fomentum sibiipsi leuiter adhibeat. Quarto autem mense, quinto quoque die leuiter fomento vtatur. Et edat obsonium plurimum. Sint autẽ obsonia,caseus,& carnes ouillæ coctę paucæ. Et iter faciat per stadia, velut antea dictũ est. Et prima quarti mensis die,initio à decem stadijs facto eat,& quotidie addat,donec octoaginta stadia fiant. Et deambulet in die stadia octoaginta; ante cęnam, triginta; post cœnam, viginti: mane, triginta. Reliquo verò tempore victu vtatur, mazam, & panem vtraque edens. Et obsonium habeat, & cartilaginea. Sed & carnes omnes edat,exceptis bubulis, ac porcinis. A piscibus autem his abstineat, à mugile, anguilla, & melanuro. Edat autem torpedinem, squatinam, raiam,galeum, pastinacam, & ranas: ex alijs nihil. Si verò videatur innoxius esse: etiam cyceonem bibat. Postquàm autem dormire voluerit;bibat de vino nigro,iucundo, veteri, poculum duarum heminarum. Et per diem eodem vino vtatur inter cibum. Et in die iter faciat per stadia centum quinquaginta: ante cœnam nonaginta:post cęnã,viginti:mane,quadraginta.Hic hoc modo curatus, in anno sanus euadit. Reficcatur medulla spinalis maxime, quum venulæ ad medullã tendentes fuerint obturatæ, itemque ex cerebro accessus. Propter corporis aũt afflictionem hæc patitur,& ægrotat.Reficcatur etiam à venere. Hæc igitur patitur. Dolor acutus incidit ipsi in caput,& in collum,& in lumbos,& in lumborum musculos crurum, vt aliquando flectere non possit. Et stercus non secedit,sed sistitur. Et vrinæ difficultate vexatur. Hic in principio quidẽ morbi quietius degit. Quanto autem magis tempus morbo prolongatur, tanto magis omnia dolet. Et crura velut ab aqua inter cutem tument. Et vlcera à lumbis emergunt,& alia quidem sanescunt, alia verò nascuntur. Huic quum sic habuerit; caput purgato,hippophais succo, aut cnidio grano, corpore prius valde bene foto. Vesperi verò post purgationem, ptisanæ duas heminas sorbeat,melle affuso. Vinum autem bibat album molle. Postera die asinini lactis cocti, melle affuso,octo heminas ebibendas ipsi dato. Si verò asininum non habeas; bubuli, aut caprini cocti tres semicongios,melle affuso. Et,dum temporis opportunitas adest; lac bibat,sero, & lacte vtẽs,per quinque ac quadraginta dies. Cibis autem,& obsonijs vtatur quàmmaxime per aluum secedẽtibus. Vinum bibat album,molle,Mendæsium. Quũ aũt crassissimus fuerit;in lumbos ipsius ab vtraque ventriculorum parte crustas quatuor inurito, & in dorsum vtrinque quindecim, & in ceruicem duas, inter tendines: si enim vstio successerit, sanum facies. Est autem morbus hic grauis.

15 Quatuor morbi à renibus fiunt: A primo hæc patitur: Dolor acutus incidit in renem,& in lumbos,& in testem secundum renem situm. Et frequenter mingit, & adstringit paulatim, ac supprimitur vrina, & cum urina procedit arena. Et, vbi per vrinæ meatũ exit arena;dolorem fortem in meatu exhibet. Quum autem ipsam per vrinam eiecerit;dolor remittit. Postea verò rursus in iisdem doloribus iacet. Quum autem mingit; etiam colem præ dolore fricat. Vulgus autem medicorum, quod non intelligit morbum, vbi videt arenam, putat vesicam è calculo laborare. At non vesica, sed ren lapide laborat. Hic morbus fit à pituita, quum ren susceptam in seipsum pituitam, non rursus dimiserit, sed in ipso in tofum concallue rit, & fiunt ex ea tenues lapilli, velut arena. Huic quum sic habuerit,cum scammoniæ succo, aut ipsa radice, fomento prius adhibito, totum corpus purgato. Postera verò die duobus congijs succi ciceris albi subpurgato,quem sale iniecto bibendum dabis. Post hæc potibus,& cibis,& balneis curato: & eadem quæ in vrinę stillicidio exhibentur pharmaca dato. Quũ autem dolor presserit; multa calida lauato,& tepefactoria, qua parte maxime dolet, adhibeto. Quũ aũt intumuerit,& eleuatus fuerit; sub id tẽpus iuxta renem secato, & extracto pure arenam per vrinã cientia sanato; si.n. sectus fuerit;fugæ spes est: sin minus;morbus homini commoritur.

16 Secundus renum morbus. Dolores fortiter premunt,velut in priore. fit autẽ morbus à labore, quũ ruptæ fuerint venulæ ad renem tendentes,& postea ren sanguine repletus fuerit. Hic vbi hæc patitur;cũ vrina sanguinem mingit in principio morbi, deinde progressu temporis pus. Hic si quietem corpore habuerit: celerrime sanus erit: si enim quid laborarit:dolores multo magis obtinebunt. Quum itaque suppuratus fuerit ren:circa spinã intumescit. Hunc

vbi sic habuerit, circa tumentem partem secato, profunda maxime sectione iuxta renem. Et, si quidem successerit sectio; euestigio sanum facies: Si verò aberraueris; periculum est, ne vlcus linamentis curandum fiat. Si autem concreuerit vlcus; venter intrinsecus a rene suppuratur: &, si quidem pus intus rumpatur, & ad intestinum rectum procedat; fugæ spes est. Si verò contigerit alterum renem; periculū est, ne pereat. Curetur autem pharmacis, & iisdem omnibus, quibus & prior, & diætam eādem habeat. Huic morbus grauis est, & multi ex ipso ad tabem re nalem deuenerunt.

17 Tertius renum morbus. Vrina prodit, velut à carnibus bubulis assatis succus. fit autē morbus ab atrabile; quum bilis in venas confluxerit, quæ ad renem tendunt: & quum constiterit, exulcerat venulas, & renem. Ab vlceratione igitur tale quiddam cum vrina procedit. dolores autem hærent in lumbis, & in vesica, & inter anum, ac pudendum, & in ipso rene, ad modicum tempus. Deinde remittit dolor, & rursus acutus breui corripit; & in tenuem ventris partem aliquando dolor incidit. Huic, quum sic habuerit; venter subpurgato, epithymo, aut scammoniæ radice. Bibenda verò eadem dato, quæ & ex vrinæ stillicidio laboranti, & quum dolor habuerit; multa calida lauato: & tepefactoria ad dolentem maxime locum adhibeto, & sorbitione vtatur farina cocta, melle affuso; & reliquo victu vtatur quàm maxime per aluum secedente, & vinum bibat album Mendæum mellei coloris, aut aliud album iucundissimū probe temperatum. Hic morbus non valde deficit. & pro temporis opportunitate serum, & lac bibat; serum quidem ad purgationem: Lactis autē potū faciat in tempore per quinque ac quadraginta dies. Hæc si ita feceris; morbum in melius dispones.

18 Quartus renum morbus. Morbus hic fit à bile, & pituita, maxime tempore æstatis; fit etiam à Venere morbus. Hic æger hęc patitur. Dolores premunt ipsum in lateris mollitudinem, & in lumbos, & in lumborum musculos: & patitur qualia solet mulier ex partu laborans, & non sustinet in sanā partem decūbere, sed valde dolet: & ex lateris mollitudine quædam pendere videntur, velut abrupta. Si verò pronus decumbat; non dolet. pedes, & tibiæ ipsius semper frigent. Vrina verò vix prodit præ pituitositate, & crassitudine sua. Et si sciueris ipsam ad modicū tē pus depositam, donec desederit; videbis subsidentiā crassam, velut farinam: & si quidem bilis prævaluerit; subfuluam ipsam videbis Si verò à pituita fuerit morbus; alba, & crassa erit; & primum quidem in annum, aut paulò amplius, aut breuius tempus, æger talia patiens perseuerat. Si verò prolongetur morbus; & magis dolet, & suppuratur: &, quum suppuratus factus intumerit, qua maxime parte intumuerit; in renem secato, & pus emittito; &, si quidem successerit sectio, statim sanum facies. Hunc quum sic habuerit, iisdem omnibus curato, quibus etiam priores. Et à principio morbi oportet & purgare, & ante subpurgationem fomentum adhibere, & balneis frequenter lauare. Vngatur item, & magis calefiat, neque frigeat; & à sole abstineat, & neque Venere vtatur. Hæc si fecerit, & non celerrime sanus euaserit; nihil noui est: morbus enim est grauissimus. Si verò citra pharmaca curari velit; crassum ex diæta facere oportet, siue ex hoc morbo ægrotet, siue ex aliquo de prioribus, diuisis cibis, quos edere solet, in decem portiones, ita vt vna parte detracta, reliquas comedat. Obsonium autem habeat, carnem suis tritam: & ea die decem stadia deambulet. Postera verò die & tertia vsque ad decem dies, portionem minus edat, & deambulet decem stadia, aut plura, singulis diebus addens. Quum autem ad vltimam cibi portionem deuenerit, etiam ad centum stadia iter faciat: & edat quidem vnam tantum portionem, & ea die centum stadia deambulet; post cœnam autem viginti, mane verò quadraginta. Vinum autem bibat Mendæum album, austerum, atque hæc per tres menses faciat. postea reliquo tempore deambulationes imminuat, & cibos plures comedat, eodem modo additione facta velut detrahebat. Deambulationem verò detrahat vsque ad decimum diem; & postea quàm maxime quietem habeat; & cibis puris alatur, & obsonia quàm pinguissima habeat; & dulcia omnia ipsi commoda sunt. Ab oleribus autem, & acidis omnibus abstineat, itemque ab acribus, & quæ flatū faciunt. Multa etiam calida lauet, & ne frigeat. Hæc si fecerit. celerrime sanus erit.

19 A renum morbo corripit morbus magnus venarum cauarum, quæ à capite iuxta iugulum per spinā tendunt, ad malleolum pedis externum, & ad intermedium magni digiti locum. Morbus hic fit à pituita, & bile; quum in venas confluxerint. Venæ autem hæ sanguine plenæ sunt. Si igitur quid alieni in ipsis præter lapsum fuerit; ægrotant. Si dextram partem morbus corripiat; dolorē ex coxæ acetabulo in principio exhibere incipit. Quāto autem amplius tempus progressum, & prolongatum fuerit, tāto acutior dolor infra descendit, &, quū ad malleolum pedis externum, & ad magni digiti intermedium locū deuenerit; rursus ad caput venire incipit: &, vbi in ipso vlcus constiterit; fortiter premit, & homo caput sibi diffringi putat: & oculi pituita replentur, itemque totū corpus. Huic quum sic habuerit; elaterium bibendum dato, aut thapsiæ radicem, aut veratri, aut succum scammoniæ. post purgationem vero eadem exhibeto, quæ superioribus. Si verò ab hac curatione non desinat; lacte ipsum crassefacito, & in scapulam dextram quatuor crustas inurito: & in acetabulum coxæ dextræ, tres: & sub nates, duas: & in medio femore, duas: & supra genu, vnam: & supra malleolum, vnam. Hic vbi sic vstus fuerit; neque sursum, neque deorsum morbū procedere permittit. Si verò alicubi dolor ruptus visus fuerit, si quidem in crus incubuerit priusquam vratur; claudus erit: si verò in caput; surdus, aut cæcus: si verò in vesicam; prodit simul cū vrina sanguis, maxime per quadraginta dies. Verùm si in vesicā ruperit; eadem pharmaca, quæ & in vrinæ stillicidio dato: &, si alicubi dolor congregatus fuerit, vrito. Vrere autem oportet carnosa quidem, ferro: ossea verò & neruosa, fungis. Cæterùm ante hæc si in principio morbi accesseris; ista facere oportet. In potu exhibendum est vinum album Mendæum, aquosius, plurimum, per diem; & inebrietur donec sanguis è naribus erumpat. Quum autem fluere inceperit; minimum tres & decem dies fluit. Vbi verò hi dies præterierint: non amplius inebrietur, neque vbi semel fluere inceperit. Bibat tamē paulo amplius vinum inter cibū: quò sanguis fluere possit. Iam verò qui-

quibusdam sedato sanguine, erupit in vesicam, & prodijt, sanguis, ac pus. Si igitur eruperit; eadem pharmaca, quæ & ex vrinæ stillicidio laboranti dato. Et de eodem vino plus bibendum exhibeto. Hic si ita curetur, & cibos per aluum secedentes assumat, & obsonia eiusdem facultatis; citissime sanus erit. Morbus autem grauis est.

20 Alius morbus à sinistra vena. Hic æger alia quidē eadem patitur, quæ etiam prior. Verùm in splenē dolor acutus incūbit statim, & in principio morbi. Et, si non intellexerit priusquam incubuerit; prosilit in pulmonem. Huic per fungos crustas octo inurito, capite lienis quàmcelerrime intercipiens. Et, vbicunque alius dolor incubuerit; vrito, sic enim statim sanus erit. Si verò non fuerit vstus, sanus autem sponte fiat plerisq; post duodecim annos, morbus rursus reuertitur. &, si splenem occuparit; multis aquam inter cutem inducit. Verùm oportet statim curare velut priorem, &, si visum fuerit, vrere velut priorem; si dolor in ijsdem articulis constiterit. Si verò nō sic curatus fuerit; de cętero colliquescens moritur: morbus enim grauis est.

21 De pituita easdem sententias habeo, quas & de bile: & species ipsius multas esse puto: & alia quidem popularis est, quæ sanè recentissima est. Cuius etiam curatio facillima est. Vomitus n. post cibum facere oportet per duos, aut tres dies, ita vt & prandeat insuper, ac quiescat; si prioribus diebus semel in die cibum capere, & laborare solitus fuit: sin minus; huiusmodi diæta vtatur. Primum multa calida lauetur, quum vomitum facere voluerit: & edat mazā oleo, & melle subactam, & panem exassatum veterem: hęc n. magis pituitam trahūt. Obsonijs autem vtatur, & oleribus acribus. Sed & pinguia, & dulcia, & acida omnia idoneā sunt, vt permixta assumantur. Et oleribus omnibus viridibus vtatur. Et bibat inter cibū frequenter modicum vinum dulce, & in fine placētam insuper edat, & mel, & ficus. Et, quum cœnabit; pocula large èxhauriat: &, vbi iam repletus fuerit; parum dormiat. Deinde experrectus vomat, magno vini poculo epoto, cum tepida aqua temperato: Trahit. n. magis pituitam, & humorem ex carnibus, & corpus magis reficcat. Euomat autem, donec ficus euomuerit: hæ enim postremum euomuntur. Atque hæc quidem hac die faciat. Postera verò contineat seipsum vsque ad cœnam, & in cœna sumat panem, cui nihil furfurum deceſſit. Obsonium autem sit ex fortioribus. Vinum verò bibat nigrum, austerum. Atque hęc quidem popularis pituitæ medela est.

22 Si verò edere, & bibere potest, & cibis delectatur, deinde verò crura grauentur, & color immutatus fuerit; huic ostendendum est, pituitam molestantem in ventre esse. Verùm oportet quum sic habuerit; mel, & vinum dulce, & oleum, & nitrum tali ouilli magnitudine, permixta per clysterē infundere; hęc n. mitissima sunt in clysterem ad hominis naturam. Mensuram autem singulorum esse oportet, vini quidem heminā, olei verò heminę dimidiū, & mellis tātundē. Si verò clysterē non voluerit; humectū hominē facere oportet, fomento humido admoto. Fortassis n. etiam sic stercus subeuacuari poterit: nam à ciborum nimia reficcatione hæc patitur. Si quidē igitur quis edat cibos valde succosos; fortassis hæc non ita vehemēter patitur. Si verò ēt aliquādo patiatur; modica curatione opus habuerit. Hunc ita curans, celerrime sanum feceris.

23 At si antiquior fuerit pituita (appellatur aūt hæc pituita alba) hæc patitur. Grauat hominē magis, & speciem à populari alienam habere videtur pallidiorē: & totū corpus laxo tumore intumescit, & facies rubet, & os siccū est, & sitis tenet: & quū comederit; spiritus densus ipsi incidit. Hic eadem die aliquando melius habet, aliquando derepente dolet, & sibi mori videtur. Huic si quidē vēter sua spōte turbatus fuerit; sanitati proximus erit. Si verò non sua spōte venter turbetur; purgare oportet cneoro dato, aut hippophae, aut cnidio grano, aut lapide Magnesiæ. Et post purgationem, lenticulę hemina vna, aut duæ dētur ad absorbendū. Coquatur autem allium in lenticula. Detur etiam betæ pinguis hemina nō conditę, polenta circuminsperſa. Bibat vinum nigrum, austerum, & forte. Postera verò die mane stadia viginti deambulet. A qua deambulatione reuersus, panē edat paruum exassatum, & obsonium habeat allium coctum: & de eodem vino paulo meracius bibat: deinde stadia vadat triginta: & vbi tempus aderit, cœnet quantum etiam prandere consueuit, obsonium autē habeat, maxime quidē pedes, & capita suilla: sin minus; galli carnibus, & suis tritis vtatur. Ex piscibus autē scorpio, aut dracone, aut cuculo, aut callionymo, aut gobio, aut alijs piscibus, qui æqualem facultatē habent. Ex oleribus autē solo allio, & nullo alio vtatur. Hoc verò quā plurimum edat, & crudum, & assatū, & coctū, semper plus singulis diebus: & laboret ex modico amplius, respectu ad cibos facto. Hic morbus maxime fit tempore æstatis ex aquæ potu: Insuper & à somno multo. Iudicatur autem in triginta diebus, an lethalis sit, aut non. Atque hæc quidem faciat, vbi triginta dies præterierint. In primis autē diebus, sorbitionibus vtatur, lenticula cocta acidiore ab aceto, & ptisana acida. Bibat aquam mulsam tepidam, polenta modica insperſa, quò corpus præparatum sit ad pharmacorum potum. Et his diebus sub dio dormiat. &, si tibi visum fuerit sanguinē à lūbis detrahere; cucurbitā affligito, & venas in scroto crassissimas secato. Hic ita curatus, citissime sanus fiet.

24 A pituita maxime in aquam inter cutem trāsitus fit, hoc modo: Pinguedo colliquescit, & à calore qui in pituita est, fit aqua. Cognosces aūt hoc, an quis sanari possit, aut non; donec enim quis in pectine pinguedinem habet, fieri non potest, vt ipsum sanes. Cognosces autē ex his maxime, an pinguedo insit in pectine, aut nō. Si quidē febres succedāt, & nō pōt exurgere, & vmbilicus inflatus extra prominet; indicium est nō amplius inesse pinguedinem, & sanabilē esse. Huic conducit ventrem siccare, & panem dare, cui nihil furfurū deceſſit, antiquū calidum. Obsonium autem carnem leporinam, & canis perfecti, & ouiculæ, & suis assatam, & galli assatam, ac calidam, & polypos edat coctos in vino nigro austero. Vinum autem bibat nigrum, austerum, quàm crassissimum, ac acerbissimum. Piscibus autē vtatur, gobio, dracone, callionymo cuculo, scorpio, & alijs huiusmodi, omnibus coctis, nō recentibus, & frigidis; hi enim siccissimi sunt; & in iusculū ne intingat, & insulsi sint pisces. Ex oleribus autem vtatur raphanis, & apio. Torreat autem lenticulam ab aceto acidiorem, & edat. Et deambulet quotidie, & post cœnam, & mane: &

ſerotino tempore dormiat,& mane exurgat. Et, ſi quidem ab his reſtituitur; ſatis eſt: ſin minus,cneorum,aut hippophais ſuccum, aut granum cnidium, bibendum dato. Et poſt purgationem,lenticulæ heminas duas ſorbeat,& panem paruum comedat. Vinum verò bibat nigrum,acerbum modicum. Bibat autem pharmacum bis in die, donec vacuus fiat. Si verò tumor conſtiterit in ſcroto,& femoribus,ac tibijs;acuto ſcalpello multa, & frequentia vulnuſcula incutito. Et,ſi hæc feceris;cito ſanum efficies.

25 Aqua inter cutem ex his fit. Quum æſtatis tempore ſiti vexatus aquam multam biberis (nam ex hoc maxime fieri ſolet) & pulmo expletus fuerit; rurſus ad pectora dimittit. Et,quum in pectoribus fuerit; calorem vehementem exhibet,vt pinguedo, quæ in arterijs ineſt,colliqueſcat;&,ſi ſemel liquari pingue do inceperit; multo amplius in breui tempore aquã inter cutem facit. Fit etiam ſi tubercula in pulmone fuerint enata, & aqua repleta, & in pectore rupta. Quòd autem fiat etiam à tuberculis aqua inter cutẽ, teſtimonium habeo,& in boue,& in cane, & in ſue: in his enim quadrupedibus maxime fiunt tubercula in pulmone,quæ aquam habent:ſi enim diſſecueris; citiſſimè cognoueris: Fluet enim aqua. Videntur autem talia multo magis in homine fieri,quàm in pecoribus,quanto etiam morboſiore diæta vtimur. Facti ſunt autẽ & multi pectore ſuppurati tuberculis obortis. Hæc igitur in principio ad morbum conſequuntur. Tuſſis ſicca,& fauces exaſperari videntur:& rigor,ac febris ſuccedit,& erecta ceruice ſpiratio: & corpus intumeſcit, & pedes tument, & vngues contrahuntur: &,donec quidem in ſuperno ventre fuerit aqua intercus; adeſt dolor acutus: poſtquam autem ad infernum ventrem venerit;melius habere ſibi videtur. Poſtea progreſſu temporis patitur, qualia prius impleto ventre. Quandoque etiam ad latus intumeſcit,& indicat,vbi ſecare oportet. Si verò non indicat; multa calida lauato, & humeris apprehenſum concutito,& deinde in vtro latere magis fluctuet,audito. Quo intellecto,coſtam tertiam ab vltima vſque ad os ſecato. Deinde cum terebra caua vltrà perforato. Et,vbi perforata fuerit;aquæ parum emittito:& vbi emiſeris; linamentum ex crudo lino indito,& ſpongiam mollem ſuperimponito. Deinde vt ne excidat linamentum, deligato. Emittere autem per duodecim dies aquam oportet,ſemel in die: poſt duodecimum autem diem ſequenti decimatertia totam aquam emittere:& reliquo tempore ſi ſubnaſcatur aqua emittere: & ventrem cibis reſiccare. Poſt ſectionem autem hæc exhibere oportet. Succi ſilphij drachmæ pondus parato,& ariſtolochiam tali ceruini magnitudine deradito, & lentium,ac erui torrefactorum polentam,dimidiæ chœnicis menſura vtranque purgato,atque hæc melle,& aceto ſubigito. Deinde paſtillos ſexaginta efformato,& quotidie vnum tritum in vini nigri auſteri,ac iucundiſſimi hemina dimidia diluito, & mane in potu dato. Reliquum verò victum, ac laborem eundem, velut priori tempore,habere iubeto. Et ſi intumuerint pudenda,ac femora; confidenter vulnuſculis impactis pertundito. Hunc ſi ita curaueris; celerrime ſanum facies.

26 Ab hepate fit aqua intercus;quum in hepar pituita acceſſerit, & hepar ipſam ſuſceperit, & humectum fuerit. Statim igitur calorem huic exhibet,& flatum inducit. Deinde temporis progreſſu aqua impletur. Poſtea morſus in corpus incidit. Et tumor in tibijs,ac pedibus ineſt: & hepar durum eſt, ac intumeſcit,& clauiculæ attenuantur. Huic quum ſic habuerrit; in principio ſi hepar doluerit,origanũ tritum,& ſilphij ſuccum erui magnitudine,in vini albi dimidia hemina diluta,bibenda dato:& lactis caprini poculum quatuor heminarum,tertia aquæ mulſæ parte ammixta. A cibis autem per primos decẽ dies abſtineat: hi enim iudicant morbum, an lethalis ſit, aut non. Sorbeat autem ptiſanæ ſuccum coctum, melle affuſo: Vinum autem bibat album Mendęum, aut aliud iucundiſſimum aquoſum. Quum autem decem dies præterierint,cibos accipiat puros, & obſonium habeat,galli carnem aſſatam calidam: habeat, & catulinam coctam. Piſce verò vtatur galeo,& torpedine aſſatis. Vinum verò idem bibat. Et,ſi quidem ab his quieſcat; ſatis eſt: ſin minus; poſtquam ſane craſſiſſimus factus fuerit,& hepar maximum; fungis vrito:ſic enim celerrime ſanum feceris. Inurere autem oportet cruſtas octo.

27 Si verò aqua intercus innaſcatur, & rumpatur in ventrem; ijſdem medicamentis,& potibus,& cibis, ac laboribus, quibus priores,curato. Vinum verò bibat auſterum nigrum. Si verò tibi videatur diſceſiſſe ab hepate; per ferrum vbicunque apparuerit vrito,& aquã paulatim emittito,& velut reliquos priores curato. Si verò ab his non ſanus fiat;tẽporis progreſſu corrumpitur ac moritur. Morbus enim eſt grauis,& pauci hunc effugiunt.

28 Aqua verò intercus à ſplene,hoc modo fit,& ab huiuſmodi maxime cauſſa, quum quis ficuum viridium,& malorum fructus multos ederit. Multi verò iam etiam à cibo botrorum multorũ, & à multo muſto morbum,inciderunt. Si quidem igitur in morbum collabetur; ſtatim in doloribus eſt: dolores.n. acuti in ſplene conſiſtunt,tranſeunt autem & in humerum,& in clauiculam,& in mammam,& ad lombos,& febres fortes tenent. Et,ſi parum quid ederit, venter impletur, & ſplen attollitur, & dolorem exhibet. Hic morbus ſi durauerit;reliquo quidem tempore minus dolet. Quum verò fructuum malorum tempus fuerit,& hos ederit; magis, quàm prius dolet. Hunc vbi ſic habuerit,à principio curato,& ſurſum quidem veratrum exhibeto:deorſum verò cneorum,aut hipophais ſuccum aut cnidium granum, lactis item aſinini heminas octo,melle affuſo. Et,ſi quidem ab his reſtituitur;ſatis eſt:ſin minus;quum maximus fuerit lien,& maxime intumuerit;fungis vrito,capita eius intercipiens:aut ferramentis,cum multa cautione,ac obſeruatione,ne vltra peruras. Hæc à morbi principio facito,& hac diæta nutriatur. Siquidem febris non affuerit; pane vtatur triticeo aſſato, aut ex duro tritico bis cocto. Obſonium autẽ habeat ſalſamentum Gaditanum, aut ſaperdam, & carnem ouillam tritam. Et acida,ac ſalſa omnia edat. Et bibat vinum auſterum, Coum quàmnigerrimum. A dulcibus abſtineat. Quum autem exurgit,& potens eſt;luctetur ſummis humeris, & laboret per circuitus multos in die, & comedat ea, quæ dicta ſunt. Si verò aqua intercus fiat; ijſdem curato, quibus & priores.

29 Alia aqua intercus ab his fit. Aeſtatis hora,ſi iter

faciens

faciens per viam longam, in aquam pluuialē, ac ſtabilem inciderit,& biberit de ipſa multum affatim. Si igitur carnes abſorbuerint, & continuerint in ſeipſis aquam,ſeceſſus autem nuſquam fiat,hæc patitur. Si quidem fuerit in carne;calorem facit & in ventre,& in corpore, vt pinguedo ventrem ambiens colliqueſcat Hic quandiu quidem iter facit,nihil mali habere videtur.Poſtquam autem iter facere ceſſarit,& ſol occiderit; ſtatim dolorem multum habet: progreſſu verò morbi valde attenuatur.Si verò etiam cibi faſtidium accedat; multo plus attenuatur. Si verò cibos edere poterit, & ad laborem impotens fuerit; etiam amplius lęditur:& pleriſque horum tumor in totum corpus deducitur. Et tenui quidem color corporis liuidus fit,& venter magnus,& ſitis fortis tenet,& viſcera ipſius à calore reſiccantur. progrediente verò tempore ad edendum quidem promptus fit, & edit quodcunque quis dederit,& bibit, & dolet nihil. Si verò tumor obtinuerit; color huic fit pallidus.Et venæ nigræ frequentes per corpus diſtenduntur. Indignatur autem, & triſtatur ex quauis re;etiamſi nihil noui accidat. Venter verò aqua perhumeſcit, & magnus fit,& laternæ ſpeciem præ ſe fert. Et temporis progreſſu cibos non admittit,ſed videntur ipſi cucumeris ſylueſtris odorem habere, præ abominatione. Huic vbi ſic habuerit;cneori,aut hippophais ſuccum dato,aut cnidium granum. Hæc verò pharmaca ita dare oportet. Cneorum quidem per ſextam diem: Hippophais autem ſuccum per octauam: Cnidium verò granum per decimam: & dare ipſa oportet,donec expurgetur,& vacuus fiat. Interpoſitis autem diebus alatur ex ijſdem,quibus & prior. Maxime autem de eadem aqua bibendum dato, ex qua morbus corripuit,plurimum,quo ventrem ipſius turbet, & valde ſeceſſum faciat: ſic enim potiſſimum ſanum facies. Si verò tibi videbitur;etiam frequenter clyſterē adhibeto,ex cneori triti dimidia hemina, mellis tertia heminę parte ammixta,his cum quatuor ſucci betę heminis dilutis,atque ſic infuſis. Poſtera die etiam aſinini lactis cocti octo heminæ dentur affuſo melle, aut adiecto ſale potandæ. Et poſt purgationem,ijſdem vtatur,quibus prior. & interiectis diebus,cibis, ac potibus ijſdem vtatur, & deambulationibus ſimiliter. Et ſic curatus breui à morbo liberabitur tertio menſe,aut ſexto. Si verò negligentia aliqua contigerit,& nō ſtatim curatus fuerit;breui moritur. Sed & in attenuato ijſdē vtendum eſt ad ſanationē. Præhumectare verò antea corpus ipſius oportet per fomēta:quò magis pharmacis obediat. At verò ſtatim curam adhibere oportet: ſin minus; cum multis conſeneſcit morbus.Sed & vter tandem morbus ſit; clyſterē ex his adhibere conuenit. Vini albi heminas duas accipito,& mellis heminam dimidiam, & olei heminam dimidiam, nitri Aegyptij rubri torrefacti quadrantem,foliorum cucumeris ſylueſtris tuſorum,ac expreſſorum ſucci heminam.Hęc omnia mixta,& in ollulā infuſa feruefacito,& per clyſterem infundito.

30 Morbus hepaticus. Fit ab atrabile,quum influxerit ad hepar. Accidit autem maxime in autumno,in mutationibus anni.Hæc igitur æger patitur. Dolor acutus ipſi in hepar incidit,& ſub vltimas coſtas,& in humerum,& in clauiculam, & ſub mammam. Et ſuffocatio fortis tenet. Et aliquando liuidam bilem reuomit:& rigor,& febris primis diebus debilior habet: & dū attingitur, hepar dolet,& color ipſius ſubliuidus eſt; & cibi, quos prius comedebat, ſuffocant ipſum,& ingeſti urunt,ac torquent ventrem. Atque hæc quidem in principio patitur. Morbo verò progrediente,& febres remittunt,& à paucis cibis repletur. In ſolo autem hepate dolor reſtat,& ipſe aliquādo quietus,quandoque verò acutus corripit,& ſæpe derepente æger animam efflauit. Huic conducunt, vbi dolor habuerit, tum alia, tum tepefactoria eadē appoſita,quę etiam pleuritidi. Quum verò remiſerit dolor;multa calida ipſum lauato; & aquam mulſam bibendam dato, & vinum album dulce, aut auſterū, vtrum tandem profuerit; Et ſorbitiones eaſdē,quas etiam à pleuritide correpto. Cæterùm ad dolorem hæc bibenda dato.Oui gallinacei cocti liquorem terito, & ſucci ſolani ad dimidiā heminam affundito, & aquæ mulſæ dimidiam ſemiheminæ partē ammiſceto,diluito,ac bibenda dato,& ſedabunt dolorem; dato aūt quotidie donec calor quieſcat. Bibat etiam ſilphij ſuccum erui magnitudine,& cum eo origanū tritum in vino albo diluat,& ſic ieiunus bibat.Bibat inſuper & pharmaca, quæ in pleuritide dantur doloris gratia Bibat & caprinū lac,tertia parte mellis ammixta.Sint autem lactis heminæ quatuor.Hoc manè bibat; quum alia nō biberit.A cibis autem abſtineat; donec iudicetur morbus. Iudicatur autem maxime in ſeptem diebus; in his enim manifeſtum fit, an lethalis ſit,an non. Si verò etiam ſuffocatio acceſſerit, hæc dare oportet;quò vomat. Mel,aquam,acetum, ſalem, permixta in ollam nouam infundito; deinde tepefacito,& origani capitati ramulis vnà cum ſemine agitato. Vbi verò tepefacta fuerint;tepida ebibēda dato. Deinde ſtragulis iniectis contectum ſinito, donec quāmaxime exudarit. Et,vbi vomitus ipſum apprehenderit;prompte vomat, irritatione per pennam facta. Si verò vomere non poſſit; aquæ mulſæ tepidę poculum duarum heminarum inſuper bibat, & ſic vomat. Et,ſi quid pituitæ,aut bilis euomuerit, rurſus idem facere oportet ad horas quatuor: proderit enim. Poſt morbi verò iudicationem curato modicis cibis,iisque puris datis, & ſi quidem panem edere cupierit:panem calidum maxime purum edat. Si verò mazam:eam,quę vino dulci ſubacta non eſt, edat,vbi tamē prius aqua ſubegit.Obſonium autem habeat carnes catuli coctas, aut columbæ, aut pulli gallinacei carnibus,omnibus coctis utatur: ex piſcibus autem galeo, torpedine, paſtinaca, & raiis paruis, omnibus coctis. Lauetur autem quotidie,& frigus vitet,& parum deābulet ante in ſecuritate. Hæc ſi ſeruauerit: non eſt timor,vt morbus reuertatur:nā huiuſmodi morbus grauis eſt,ac diuturnus.

31 Alijs hepaticus morbus. Dolores quidem eodem modo premunt in hepar,& color differt à priore;malicorij enim formam habet. In tempore verò ętatis maxime incidit.Fit autem à bubulæ carnis eſu,& vini potu nimio, hæc enim omnia iſto anni tempore hepati ſunt infeſtiſſima, & bilem maxime ad hepa adducunt.Hæc igitur æger patitur. Dolores acuti incidunt,& non deficiunt ulla hora,ſed ſemper magis premunt. Aliquando etiam vomit bilem pallidam:& ubi uomuit, paulo melius ſibi habere videtur. Si uero nō vomuerit,bilis ad oculos peruenit,& fiunt ualde pallidi.Et pedes intumeſcunt. Atque hęc patitur, quandoque valde,quandoque minus. Quum autem

dies

dies præterierint,in quibus morbus iudicatur; dolor minus vrget,si nihil deliquerit: & eiusmodi diætam huic constituere oportet, qualem & priori. Si enim inebriatus fuerit intempestiue, aut venere vsus fuerit,aut aliud quid fecerit, quod commodum non est; hepar statim ipsi durum fit,& intumescit,ac à dolore pulsat. Et si quid facere festinarit, derepente hepar & totum corpus dolet. huic, vbi sic habuerit,& primi dies præterierint,fomentū adhibeto:deinde scammonio subpurgato. Si verò venter combustus fuerit; clysterem ex ijdē,quibus in prioribus vsus es, adhibeto, quæ probe ducant:& post clysterem lacte asinino cocto subpurgato, octo heminis eius, melle effuso,in potu datis. Datò etiam caprinum lac mane poculi quatuor heminas complectentis mensura, tertia parte aquæ mulsæ ammixta. Dato item cocti lactis caprini heminas duas, tertia aquæ mulsæ parte ammixta, aut ipso solo melle affuso: dandum est etiam equinum lac,eodem modo velut asininum. Et,si quidem ab his morbus curatus cedat;satis est:sin minus; dextri cubiti internam venam secato, & sanguinem detrahito. Si verò non visus fuerit tibi per asininum lac subpurgandus esse:bubuli lactis crudi duas heminas dato,tertia aquæ mulsę parte ammixta,quotidie ad dies decem. Deinde ad alios duodecim dies,sexta parte aquæ mulsæ affusa,adhibendum dato. De cætero verò ipsum lac duarum heminarum mensura; donec pinguefiat exhibeto. Si verò neque sic desinat;vrere oportet,quum maximum factum fuerit,& maxime eminuerit. Vrito autē per buxeos fusos,in oleum feruens tinctos. Apponito autem,donec tibi bene habere, & vstionem factam esse visum fuerit. Aut per fungos octo crustas inurito:si enim vstio successerit; sanum facies,& reliquo tempore melius deget Si verò non successerit, de cætero ab alijs sanus non euadens,corrumpitur, ac moritur.

32 Alius morbus hepaticus. Reliqua quidem eadem patitur hic æger velut priores. Color autem niger est. At hepatis fel pituita,& sanguine repletum,velut ratiocinamur,dirumpitur: &,vbi diruptū fuerit; celerrime insanit,& indignatur, & loquitur stulta,& latrat velut canis. Et vngues punicei fiunt,& oculis videre non potest, & pili in capite erecti stant, & febris acuta corripit. Huic eadē adhibere oportet,quæ etiam prioribus. Pleriq; verò moriuntur in vndecim diebus: pauciq́ue effugiunt.

33 Splenis morbus primus. Fit huiusmodi morbus propter caliditatem solis bile commota, quum splen in seipsum bilem traxerit. Hæc igitur æger patitur. febris acuta in principio accedit: progrediente verò morbo remittit, exceptò ipso splene, in quo semper calor hæret: & dolor aliàs, atque aliàs incidit acutus,& in lateris mollitudinē,& in ventrem. Et cibos in principio quidem admittit,non autem valde secedunt. progressu autem temporis & color pallidus fit, & dolor fortis irruit: & clauiculæ attenuantur:& cibos non similiter admittit,velut in principio,& à modico impletur. Lien verò aliàs magnum fit eadem die & aliàs minor. Huic quum sic habuerit; veratrū purgans deorsum, bibendum dato, & cnidio cocco subpurgato. Ad vesperam autem post purgationem, lenticulæ acidioris heminam sorbendam dato: & betarum pinguium heminam polenta insperſa. Postera verò, & tertia die panem paruum dato. pro obsonio autem lenticula vtatur,& carne suilla in lenticula cocta trita. Vinum bibat austerum,nigrum,paulo meracius. Et quietem his diebus habeat, nisi quòd intus in vmbra paululum deambulet. Reliquo verò tempore hæc bibenda sunt. Cibus sit panis,cui nihil furfurum decessit. Obsonium habeat carnem canis maioris, vel capræ,vel ouiculæ: tritam, & salsamentum Gaditanū,aut saperdam: & acida, ac salsa omnia assumat, & acerba. Bibat vinum Coum subastringens quàm nigerrimum. à dulcibus autem,& pinguibus,ac nidorosis abstineat:& silphium non accipiat,neq; allium, neque carnem porcinam, neque mugilem,nec recentem,nec salsum,neque anguillam: neque olus vllum coctum sine aceto. Ex troximis autem, hoc est, his, quæ cruda eduntur,raphanide vtatur,& apio, in aceto tinctis,& polentam vino subactam edat:& vinum meracum sorbeat. Si verò velit; etiam panem in vinum interat, ac calidum edat. Dentur etiam pisces, scorpius,draco,cuculus,gobio,calliony mus. Hos coctos,& frigidos dato. Dato etiam,quæ splenem attenuare possunt singulis diebus, asphodeli semen, aut visci folia,aut fœnum græcum,aut viticis semen,aut rutam,aut menthæ radicem: ex his quodcunque volueris,tritū in vino austero dato ieiuno. Si verò adeò validus fuerit; per triginta dies ad ligna secanda cogito:& summis humeris luctetur:& interdiu deābulet,& vespere dormiat:mane verò surgat,& quæ relata sunt edat. Si verò ab his non melius habeat; splenem fungis vrito,decē magnis crustis inustis: quum maximus fuerit splen, & maxime eleuatus: si enim successerit vstio facta velut oportet:sanum facies,verum non breui opus. nam habet morbus curatione: grauis est enim,& diuturnus,si nō fuerit statim curatus.

34 Alius splenis morbus fit quidem ab ijsdem, à quibus & prior. Patitur igitur æger ab hoc morbo hæc. Venter inflatur. postea verò etiam splen intumescit, & durus est,& dolores acuti in splenem incidunt. Color autē mutatur,& conspicitur niger, pallidus,malicorij speciem referens, & ex aure male olet, & gingiuæ male olent, & à dentibus discedunt. & ex tibijs vlcera erumpunt, velut postulæ nocturnæ. Membra verò attenuantur,& stercus non secedit. Hunc quum sic habuerit: ijsdem pharmacis,& edulijs, & potibus, & laboribus alijs omnibus curato:&,vbi stercus secedere noluerit: clysterem adhibet, ex mellis hemina dimidia, & nitri Aegyptij magnitudine tali ouilli. Hæc trita in quatuor heminis aquæ de betis coctis diluito,& per clysterem infundito. Si verò morbus ab his nō sedetur: splenem ipsius vrito velut prioris: &, si vstio successerit: sanum efficies.

35 Alius splenis morbus fit,in anno,veris maxime tēpore,verùm à sanguine. Quum enim repletus fuerit splen sanguine: erumpit in ventrem,& dolores acuti in splenem incidunt,& in mammā,& in clauiculam, & in humerum,& sub scapulam. Color autem corporis est plumbiformis. & parua vlcuscula velut lancinata in tibijs exurgunt,ex quibus vlcera magna fiūt: & quæ primùm infra secedunt, sanguinolenta sū, & æruginosa: & venter durus fnbit,& splen velut lapis est. Hic morbus magis lethalis est, quàm priores, & ex ipso pauci effugiunt. Hunc quum sic habuerit: ijsdem purgato,quibus & priorem: veruntamen pharmacum sursum purgans ne dederis. Deorsum verò granum cnidium exhibeto. Et postea die etiam lactis

ctis equini cocti octo heminas dato, melle affuso. Si verò hoc nõ adsit; bubuli, aut caprini cocti duos congios præbeto, ita vt alternatim mel in poculũ ammisceatur, & vicissim bibantur. Ad vesperam autẽ post purgationem eadem, quæ priori dato. Et si visum fuerit; ad interna cubiti sinistri vena sanguinem detrahito. Reliquis autem diebus quotidie ieiuno lactis bubuli quatuor heminas dato, tertia muriæ parte ammixta. Cibis verò, & potibus, & alijs omnib. ijsdem curato, quibus & priorem. Abstineat autem à venere, & ebrietate hic velut prior. Et, si videatur; etiam vrito: quum crassissimus, & maximus splen factus fuerit: &, si opportune vsseris, ac successerit; sanum facies. Si verò ab hac curatione sanus non fiat; tempore corruptus moritur: est enim morbus valde grauis.

36 Alius splenis morbus. Accidit & hic morbus vere maxime; quum splen pituitã assumpserit in seipsum, & statim magnus factus fuerit, ac durus, & deinde rursus sedatur. Et, quũ quidem eleuatus fuerit, dolores incidunt acuti: quum verò mollis fuerit; doloris exors est. Et, vbi diuturnus factus fuerit morbus; obscurior esse videtur: & insurgit, & cito sedatur. Hic, quum sic habuerit; in principio morbi cibos admittere non potest, & cito attenuatur, & corpus impotentiam multam habet. Morbus autem si non statim curatus fuerit, aut sua spõte quieuerit; interpositis quinque, aut sex mensibus, rursus surgit. Intermittit autẽ maxime per hyemem. Hunc si in principio acceperis; decem crustas in splenem vrito, & statim sanum facies. Si verò non vsseris; ijsdem pharmacis curato, quibus & priores: itemque ijsdem & potibus, ac laboribus: sic enim celerrime sanum feceris. Huius autem color fit ex albidus, subpallidus, & squalidus.

37 Alius splenis morbus. Fit autumno maxime ab atra bile. Fit autem ab olerum multorum quæ cruda eduntur esu, & ab aquæ potu. Patitur itaq; æger hæc. Quum morbus corripuerit; splenem vehementer dolet, & rigor, & febris apprehendit, & inedia ipsum habet, ac cibos auersatur, & corpus cito cõcidit. Splen autem magnum quidem non valde fit, verùm durus: & ad viscera allabitur, & adhærens surgit. Hũc quum sic habuerit; ijsdem pharmacis, & edulijs, ac laboribus, quibus priores curato: Et, si se tibi exhibuerit; vrito ipsum eo modo, quo etiam alios. Hic morbus in plerisque si statim curatus fuerit; breui decedit.

38 Quatuor morbi regij. Primus quidem æstate maxime corripit, bile commota. Consistit igitur bilis sub cute, & in capite. quare statim corpus in alium colorem mutat, & fit pallidum, velut malicorium. Et oculi pallidi fiunt: & in capite sub pilis velut cortex subest; & rigor, ac febris corripit: & pallidam vrinam mingit, & crassum subpallidum in ipsa subsidet, & mane quàm diu ieiunus fuerit; ad cor, & viscera exugitur: & si quis ipsum alloquatur, aut interroget; ægre fert, & anxius fit, & non sustinet audire. Stercus autem excretum cum pallore albicat, & male olet. Huic quũ ita habuerit; maxime moritur in quatuordecim diebus: Si verò has effugiat; sanatur. Curare autem oportet ipsum sic. Quum febris remiserit; multa calida lauato, & aquam mulsam bibendam dato. Et sorbitionibus vtatur, ptisanæ succo, melle affuso. Mel autem nõ simul coquito, donec præterierint quatuordecim dies: hi enim iudicant, an lethalis sit morbus, aut non. Postea verò bis in die lauato, & nutrito primum modicis quæcunque maxime admiserit. Postea tamen plura dato. Vinum bibat albũ plurimum per diem. &, si progressu temporis videatur tibi pallidus esse, & debilis; vomitum à cibis facere iubeto, velut in superioribus morbis habetur. Et si quidem ab his morbis quiescat; satis est: sin minus; veratrum bibendum dato. Post talem autem purgationem, ad vesperam edat mazam mollem, aut panis medullam. Obsonium verò edat, pullum gallinaceũ percoctum, probe conditum cum cepa, coriandro, caseo, sale, sesamo, & vua passa alba. Vinum autem bibat album, austerum, vetustissimum. Aluum verò infra subpurgato: postera die succo cicerum alborum, melle affuso, vtatur, & duas heminas huiusmodi succi ebibat. Tertia verò die initio facto, singulis diebus hanc aquam bibat, ex his rebus coctam: Fœniculi radices tenues ea copia, quanta tribus digitis comprehendi potest, in duos aque congios mittito, ac coquito vsque ad dimidias. Et cicerum alborum chœnicem, in duobus aquæ congijs ad dimias item coquito, & quod supereſt excolatum sub dio per integram noctem exponito, & ambo hæc decocta misceto. Cum hac aqua & vinum temperatum bibat, & ipsam aquam solam si velit, quàm plurimam bibat: & aliam aquam non bibat. Si verò hanc potionem non admiserit; aliam sic præparatam dato, Caricarum albarum chœnicẽ in duobus aquæ congijs coquito, excolato, & sub dio per integram noctem exponito. Postea hanc aquam bibat, siue nudam ipsam voluerit, siue cum vino mixtam. Bibat aũt non aceruatim multam; sed pro vna vice dimidiã heminã, vt ne alui profluuiũ ipsi succedat: & modico tempore interposito rursus bibat. Commoda aũt sunt & hęc in potu data ieiuno singulis diebus, trita, & in vini veteris albi hemina diluta, apij semen, cucumeris semen, fęniculi semen, cuminum Aethiopicum, adiãtum, coriandrum herba, vuę passę albę. His, & illis in potu acceptis vtilitatem percipiet, & celerrime sanus fiet.

39 Alius morbus regius siue arcuatus. Hic corripit tẽpore hyemis, & ex ebrietate, & frigore. Incipit autem primùm rigor inuadere, postea etiam febris detinet. Et humor, qui est in corpore, congelatur in cute. Quòd autem sic habeat, ex his ostenditur. Liuidũ est ipsius corpus, & subdurum. Et venę per corpus distentæ sunt pallidæ: maiores autẽ, & crassiores sunt, quam prius. Et aliæ venę subnigriores distente sunt. Et, si quis aliquã ipsarum secet; sanguis effluet pallidus, si pallidę sunt venę. Si verò nigrę fuerint; niger sanguis effluet. Et vestẽ interiorẽ corpori adiacentẽ, præ pruritu non sustinet. Hic promptus est ad iter faciendũ, & ambulandum, sed præ debilitate crura labascunt, ac ipsum non sufferunt, & sitit vehementer. Hic morbus non minus priore lethalis est. Procedit autem ad amplius tempus; si non in primis diebus sanus fiat. Si verò morbus prolongetur, & ad octauum, aut nonũ diem duret; in morbum incidit, & morbus, & dolor magis premit, & exurgere nõ potest. Et plerique in hoc tempore statim pereunt. Huic vbi sic habuerit, si quidem principio morbi accesseris, quũ iam septem dies præterierint; veratrum bibẽdum dato. Ventre verò infra subpurgato per succum, velut priori. Et alia eadem pharmacã dato. Exhibeto & cãtharidas, sine alis, & capite, quatuor tritas, & in vini albi hemina dimidia dilutas, modico etiã melle affuso.

so. Atque has bis, aut ter in die bibat. Progrediēte verò morbo, balneis & fomentis curato. Edat autem quæcunq; admittit. Vinum bibat album, auſterū: & alia eadē aſſumat, quæ prior. Hic morbus diuturnus eſt, & grauis; ſi non ab initio probe fuerit curatus.

40 Alius morbus regius. Popularis appellatur hic; eo quòd omni tempore corripit. Fit autem à repletione maxime, ac ebrietate: &, poſtquam riguerit; ſtatim ſanè corpus immutatur, & pallidum fit, & oculi palli di valde ſunt. Et ſub pilos, ac ſub vngues morbus procedit. Et rigor, ac febris debilis tenet. Et debile eſt corpus, & in capite dolor adeſt. Et pallidum, ac craſſum mingit. Hic morbus minus lethalis eſt prioribus: & curatus breui ſanatur. Huic, quum ſic habuerit; cubiti venam ſecato, & ſanguinē detrahito. Deinde fomento adhibito, elaterium bibendum dato. Tertia verò die rurſus infra ſubpurgato cū lacte aſinino. Reliquas verò ſorbitiones, & potus, ac edulia, eadem dato, quæ priori. Et caput ipſius frequenter purgato, & de ſucco bibendum dato. Et multa calida ipſum lauato, ac carnem defricato, & defrictas ſordes in vino albo bibendas dato: & ad alia omnia ijſdem vtatur: & breui ſanus euadet.

41 Alius morbus regius fit quidem à pituita, hyeme autem maxime corripit: & color ipſius ægri eſt albus, & pectora ipſius pituita plena fiunt: & ſpuit ſaliuam: &, quum excreat, ſingultus ipſi oboritur. Et album lotium, ac craſſum mingit, & in vrina ſubſidet velut farina. Hic morbus non eſt lethalis, & breui ſanatur. Huic, quum ſic habuerit; cnidium granum bibendum dato. Et poſt purgationem, ſucci ptiſanæ quatuor heminas, melle affuſo, exſorbendas dato. Superiorem verò ventrē vomitu inducto, velut in prioribus purgato: ſic enim facillime pituitam à pulmone, & arterijs abduxeris. Sed & gargariſmum ipſi frequenter præparato. Hic aliquando etiam febrit debili febre, & horror tenuis ſuccedit. De cætero verò ijſdē, quibus priores curato, & pharmicis, & fomentis, & balneis, & edulijs, & potibus; & ſorbitionibus: ſic enim maxime ſanum facies.

42 Morbus Typhos vocatus. Typhos quidem appellatur hic morbus, hoc eſt, ſtupor attonitus: corripit autem tempore æſtatis; quum canis ſydus oritur, bile per corpus commota. Statim igitur ipſum febres fortes tenēt, & calor acutus, & grauitate debilitas, & crurum, ac manuum impotētia: maxime enim inutilia ipſi fiunt hæc membra: & vēter turbatur, & quę ſecedunt graue olent, & tormē forte ſuccedit. Sed & hęc patitur. Si quis ipſum erigere velit; erigi non poteſt: neq; oculis videre poteſt præ calore. Et, ſi quis ipſum interrogat; prę dolore reſpondere non poteſt. Quum autem moriturus eſt; acutius videt, & loquitur confidenter: & bibere, ac edere cupit: &, ſi quis det, quod edat; breui etiam animam emittit, ſi non euomuerit. Huic morbus hic iudicatur in ſeptem, aut quatuordecim diebus. Multi verò perueniunt etiam ad viginti quatuor. Si igitur hos tranſierit; ſanus erit: nā in his diebus iudicatur, an lethalis ſit morbus, aut non. Hunc quum ita habuerit; ſic curato. In primis quidē diebus à balneo abſtineat. Vngatur autem vino, & oleo tepido, in lecto, & à cibis abſtineat. Sorbitiones autem tenues frigidas dato. Vinum autem bibat nigrum, auſterum; ſi ipſi conducat: ſin minus; album, aquoſum, auſterū. Si verò ſitis fortis premat propter calorem; potu aceruatim dato, euomere iubeto, bis, aut ter hoc repetito. Et, quum calor habuerit; lintea aqua frigida tincta apponito, qua parte ſe maxime ardere dixerit. Si verò horrorem habuerit corpus; frigefactoria remittito. Hic quum doluerit; ab huiuſmodi maxime dolore periclitatur, ne repente animam relinquat. Verùm exhibere oportet ip ſi doloris cauſſa feſtinanter eadem pharmaca, quæ ei, qui à pleuritide tenetur. Quum autem exſurrexerit: cibo, & potu, & balneis quàm celerrime refocillato: morbus enim eſt difficilis, & pauci effugiunt.

43 Alius typhos. Corripit quidem hic morbus omni tempore. fit autem propter corporis humiditatem, quum cibos humidos, & potum multum carnes combibūt, & fluidæ fiunt, ab his maxime fit morbus. Incipit igitur febris tertiana, aut quartana in principio oboriens. Et dolor fortis in capite conſiſtit: aliquando etiam in corpore intermittens. Et vomit ſaliuam, & frequenter eructa, & oculorum regiones dolet, & facies albeſcit, & tumor in pedes deſcendit. Quandoque verò etiam totum corpus intumeſcit. Et ad pectora, & ad dorſum aliquando dolor currit, & venter turbatus eſt: & oculis fortiter tuetur, & ſaliuam multam, & ſpumoſam expuit, & in faucibus detineri videtur: & exaſperat ipſas. Sæpe verò etiam inflammantur fauces. Hic vbi ſic habuerit, & dolor ita preſſerit, & ærectæ ceruicis ſpiratio fortis inciderit, quandoque derepente præ dolore animam emittit, in ſeptem diebus, aut quatuordecim. Multi verò vſque ad viginti quatuor dies durant. Sæpe verò etiam derepente morbus remittit, & æger ſanus eſſe ſibi videtur. Verùm obſeruare oportet, donec quatuor & viginti dies præterierint: ſi enim has effugerit: non ita valde moritur. Huic quum ita habuerit: in primis diebus ſorbitiones dare oportet, farinam coctam, tenui melle affuſo. Vinum verò dandum eſt nigrum, paulatim, prout voluerit temperatum. Cibi autem ne exhibeantur, priuſquam hi dies præterierint. Polypi verò in vino cocti edendi dentur, & iuſculum ſorbendum. Et raphanidas multas edat, & naſturtij ſemen torrefactum, molitum, ac cribratum, vino nigro acerbo affuſo bibat. Et polenta tenuis modica, mane bibenda detur. A balneo autem abſtineat, donec hidies præterierint. Vino verò, & oleo tepefactis in lecto illinatur, & extergeatur. Et fructus pæoniæ grana decem in vino nigro cocta bibenda dato: & rapi probe percocti ſuccum ſorbeat, caſeo inſulſo conditum, & papauere, & ſale, & oleo, & ſiſphio, & aceto. Si verò etiam pharmacum bibendum dare volueris: cnidium granum dato. Et poſt purgationem, farinæ coctæ, & pinguis duas heminas exſorbendas dato. Vinum autem bibat idem. Ex pharmacis, & ſorbitionibus, ac potibus quicquid dederis profuerit, ſiue ſingulatim, ſiue plura ſimul exhibueris. Atque ſic celerrime ſanum feceris. Morbus autem eſt grauis, & pauci effugiunt.

44 Alius typhos. Hic quidem propter hoc fit. Quum bilis putrefacta ammixta fuerit ſanguini, per venas, & articulos, quum ſanguis ſteterit: conſiſtit quidem maxime articulis. Incumbit autem quandoque etiam in reliquum totum corpus, & dolores acutos exhibet. & multi huiuſmodi morbo claudi fiunt: quum bilis in articulis concluſa in toſum calleſcit. Dolor

autem

autem intermittēs corripit per tres, & quatuor dies. Hunc vbi ſic habuerit; hoc modo curato. Dolore in corpore præualente, tepefactoria facere, & adhibere oportet, oleo prius illito. Quum autem remiſerit; veratrum ipſi dato, toti corpori antea fomento adhibito. Poſtera die ſerum caprinum coctū bibendum dato, duorum congiorum menſura, ita vt in alterū congium mel affundas, & in alterum ſal adijcias, deinde poculis viciſſim permutatis bibat; donec totum ebiberit. Ad veſperam verò poſt purgationem, lenticulæ heminam ſorbeat: & betarum pingulū heminam, polenta inſperſa ebibat. Et pulli gallinacei carnem, aut columbæ, aut turturis, aut ouiculæ, aut ſuis pinguem edat. Veratrum autem per ſextum diem dato: & ſi alicubi in articulis tumor fiat, & abſceſſus fieri nolit; concurbita affixa ſanguinē detrahito, pūctura per acum triangularem facta in genua, ſi in genibus tumor fuerit. Verùm nullū ex alijs articulis perpunxeris. interpoſitis autem diebus cibum accipiat, panem maxime aſſatum: Mazam verò maxime oleo, & melle ſubactam. Obſonia verò habeat, maxime quidem aſſatas carnes volucrium, non ſalſas: ſin minus: etiam coctas, conditas, verum ſine caſeo, & ſeſamo, & ſale. Piſcibus autem vtatur carnoſiſſimis, aſſatis eodem modo velut carnes: & coctis origano cō ſperſis, ac oleo ipſis affuſo. Vinum autem bibat album; ſi conducat: aut, ſi hoc non comedet, nigrum: & in deambulationibus ſe exerceat per diem, & poſt cœnam, & mane. Serum autem, & lac pro tempore ſemper bibat. Si verò tibi viſum fuerit; etiam aſininum lac decoctum dato. Et, ſi ſanus fiat; in cuſtodia ipſum eſſe oportet, vt ne à frigore, & æſtu lędatur: & cibis non valde expleatur: periculum eſt. n. ne morbus reuertatur. Hic itaque morbus ſi ſic curetur; in ſex menſibus ſanatur: in tot enim menſium ſpatio iudicatur, an mortalis ſit, aut non, etiamſi ſtatim curetur: nam morbus eſt grauis, & pleriſq; commoritur.

45 Alius typhos. Fit quidem hic morbus in tempore pomorum, quū quis ſe fructibus mollis corticis, & foris non lignoſi, omnis generis repleuerit. Pleriſq; verò etiam ab his factus eſt talis morbus; vbi videlicet placentarum, & liborum ſeſaminorum, & aliorū dulciariorum ex melle paratorum, eſu ſe inſatiabiliter expleuerunt: mel enim coctum æſtuoſum eſt, & ventri adhęret: poſtea, quum cōcoctum fuerit in ventre; efferueſcit, & venter derepente attollitur, & ardet, ac dirumpi videtur. Deinde repente ventris profluuium ſuccedit: & quū ſemel ſecedere inceperit, per multos dies purgatur: & multi poſt hanc purgationē ſani fiunt. Quum igitur ſua ſponte purgari ceſſauerit; lentium ſucci tres ſemicongios ipſum ebibere cogito, ſale adiecto. Poſt purgationem verò ſucci, ad veſperam, lenticulæ frigidæ non ſalſæ heminam ſorbeat: Multum autem ſilphij in ipſam deradat: & betæ pinguis non conditæ heminam, polenta inſperſa. Vinum autem bibat nigrum, auſterum, paulatim, Reliquo verò tempore eadem faciat. Et cibos accipiat, panem exaſſatum, & mazā oleo, & melle quàm maxime ſubactam. Primis autem diebus farinā edat coctam frigefactam, melle affuſo. Vinum autem bibat nigrum, acerbum: & donec quieuerit morbus; hæc aſſumat. At qui ex fructibus morbo arreptus eſt, flatum ſentit, & tormen, & dolorem: & cibi ſecedere non volunt, & venter ipſius magnus, ac durus eſt, & rigor, ac febris habet. Huic ſi quidem ſponte turbatus fuerit venter; in viginti diebus vt minimū purgatur. Et, quum purgari ceſſauerit; ſanus ſtatim erit. Si verò non fuerit purgatus; purgato ipſum hippophais ſucco, aut cnidio grano. Ad veſperam autem eadem exhibeto, quæ ei qui ſponte purgatur. Poſtera die ſi febris habuerit, quietem habeat. Et de eodem vino in aqua frigidiſſima ipſi bibendum dato. Si verò febris non habuerit; victu vtatur, non humido, ſed fortiore. Et deambulet coniectura iuxta cibos facta. Ab hoc morbo multis iam aqua intercus facta eſt. Et ſi tibi clyſterem adhibere viſum fuerit; eadem, quæ etiam hydropico per clyſterem infundito. Si verò voleris; hæc infundere potes. In aquæ mulſæ hemina, herbam thapſiæ coquito, & ſic infundito. Hic hoc modo curatus celerrime ſanus erit.

46 Alius typhos. Fit hic morbus, quum humor, qui eſt in corpore, putrefactus fuerit, & magis, quàm opportunum eſt, reſiccatus. Fit igitur æger hoc morbo correptus, ſpecie limpidus, ac humectus, ſubpallidus, pellucidus, & viſicæ vrinæ ſimilis: verùm nō intumeſcit; ſed tenuis, & aridus eſt, ac debilis. Attenuātur autē in corpore maxime clauiculæ, & facies fortiter gracileſcit, & oculi valde ſunt excauati: & hæc quidem à morbo patitur. Color autem corporis niger eſt. cauſa verò hæc eſt. Quum bilis atra in venas, & ad cutem ſubierit, & poſtea calor ceſſerit; neceſſe eſt à calore venas cūburi, ac reſiccari: quare ſanguis è venis excedit. Hæc igitur patitur. Hic tenuis fit, & fortiter gracilis, & oculis raro nictat, & muſcas à ſtragulis venatur. Et grauitas ciborum maior eſt, quàm quum ſanus eſſe. & lucernæ extinctæ odore delectatur: & frequenter ſemen per ſomnum effundit. Sæpe verò etiam inter eundum genitura ipſi exit. Huic quum ſic habuerit; ventrem nigro veratro purgato, ſupernum videlicet: infernum verò ſcammoniæ ſucco. Poſt purgationem verò eadem, quæ & alijs dato: & ſerum, ac lac bubulum, aut caprinum pro tempore exhibeto: dato & lac aſininum decoctum, ad purgationem. Hic ita curatus in duobus maximè annis ſanus fit. Cibos autem, quos vult, aſſumat, & quàm maxime nutriatur, & deambulet coniectura ad cibos facta. Hic morbus corripit maiorem viginti annis. Vbi verò corripuit, ſi non à principio morbi quis curatus fuerit; nō definit, niſi viginti anni præterierint, ſed adhæret. Poſtea ab aliquibus dum curantur, decedit. Morbus autem grauis eſt.

47 Voluuli porrò vocantur hi morbi. fiunt autem maxime ab his. Si hyemis tempore quis calido, & humido victu vtitur, & nō deambulationibus ſe exerceat, reſpectu ad cibos facto: (verùm repletus ſemper dormit) & deinde longum iter perficere cogatur, frigore ſæuiente: deinde riguerit ſub oſſa. Hæc igitur patitur. Flatus in toto corpore oboritur & color ipſius fit plumbiformis: & riget ſemper, vt etiam calida ipſi affuſa, calida eſſe non videatur. Corpus autem ipſius dum lauatur; à calida deſquamatur, maximè ſcrotum: &, ſi digito corpus compreſſeris, impreſſionem facies, & notæ tibi apparebunt, velut in farina aqua ſubacta. Maximè autem in potibus impreſſionem perfert. Crura verò ipſius grauia ſunt: &, ſi obambulet; tremit: & ſi ad accliuem locum iter faciat; vehementer anhelat, & vinæ dependere videntur, & ſitis vrget noctui, cibi verò crudi ſuccędunt

quoſ-

quoſcunque ingeſſit. Huic quum ſic habuerit, fomento prius adhibito, cneorum bibendum dato, aut hippophais ſuccum, aut cnidium granum. Poſt purgationem verò eadem dato quæ prioribus. Poſtera die lactis aſinini cocti congium dato bis ebibendum, ſale adiecto. Ad veſperam cœnet panem. Obſonium autem habeat, ouiculæ carnes coctas, & polypos coctos in vino nigro, & iuſculum ſorbeat: & lenticulam habeat ſic præparatam. Heminam lentis coctam probe terito, deinde farinam ammiſceto, & ſilphium derafum addito, & ſalem adijcito, & acetum affundito, & allium ad hæc ſimul coquito, & affuſa aqua bis, aut ter feruefacito, & cum tudicula vndiquaque expaſſa brachia habēte, ſimul ipſa agitato: deinde ablata frigefacito. Sit autem non valde craſſa, & odoris gratia etiam pulegium vt ſimul coquatur, adijciatur. Intermedijs verò diebus, vomitus faciat per ſextum diem. Verùm aliàs, atque aliàs ante vomitum, & pharmaci potum, fomentum adhibere oportet. Et per tertiam diem lauetur; ſi conducat: ſin minus; vngatur. Et deambulet, ſi ita potens fuerit, coniectura ad cibos facta: & ſambuci, ac conyce ſemper teneræ, folia cocta edenda dato: ſic enim curatus, facillime deget, & morbus annum definet. Multis verò iam ſanis factis, poſt duos annos morbus reuerſus eſt. Sed, ſi hoc contingat, eodem modo curetur. Si verò tertium reuertatur; tumor quidem non ſuccedit. Tenuis autem fit, & gracilis, incipitque à facie attenuari, & colore exalbeſcit magis, quàm prius. Huic quandoque aqua intercus fit in ventre. Si igitur facta fuerit; ſecare ipſum non oportet: moritur enim, ſed ijſdem curare quibus eum, qui à ſplene aqua inter cutem laboret. Hunc maxime in principio curare velis, & ſic cito ſanum facies. Opus autem habet morbus multa curatione: eſt enim grauis.

48 Alius voluulus arcuatus. Hic maxime æſtatis tempore in paluſtribus regionibus corripit: magis autem ab aquæ potu. Multi verò iam à tali morbo correpti ſunt, ex volutatione ad ſolem capitis dolore affecti. Verùm ſimilia prioribus patiuntur, excepto colore: nam pallidus fit æger, velut malicorium. Et oculi aliquando morbo arcuato implentur. Hunc vbi ſic habuerit; ijſdem curare oportet, quibus priorem. Danda etiam in poto aqua à cicere albo cocta, & cum vino eadem permixta danda eſt. Et caput eius tetragono medicamento purgetur. Hic minus quam prior lethalis eſt, & vocatur voluulus arcuatus.

49 Voluulus hæmatites. Reliqua quidem eadem patitur cum prioribus. Incipit autem morbus autumno fieri. Hæc verò in morbo accedunt. Ex ore male olet à dentibus, & gingiuæ abſcedunt, & à naribus ſanguis fluit. Aliquādo etiam ex cruribus vlcera pullulant, & alia ſaneſcunt, alia emergunt. Et color niger fit, & cutis tenuis. Eſt autem ad deambulandum ac laborandum promptus. Hunc vbi ſic habuerit, ijſdem curato, quibus priores, & hæc per clyſterem infundito. Cucumeris ſylueſtris folia quinque terito, & mellis dimidium heminæ ammiſceto, itemque olei heminam dimidiam, & ſalis quantum vna manu comprehendere potes, & ſucci betarum heminas quatuor. Ad ſubpurgationem verò lactis aſinini cocti heminas octo exhibeto, melle affuſo. Bibat etiam bubulum lac pro tempore, per quadraginta dies. Bibat itē mane bubuli lactis duas heminas, tertia aquæ mulſæ parte ammixta, per intermedios dies. Hīc morbus multa medela opus habet: ſin minus; non exit, ſed cum homine moritur. Vocatur autem voluulus hæmatites.

50 Morbi craſſi appellati. Ex craſſis appellatis morbis hi maxime fiunt. Quū pituita, & bilis mixta fuerint in corpore fluunt in ventrem. & quum congregata fuerint in ventre; attollūtur, & ſurſum, ac deorſū diſcurrūt, velut vnda. Et rigor, ac febris corripit. Et dolor in capite conſiſtit: &, quum dolor circa viſcera conſtiterit; ſuffocationem inducit. Aliquando verò vomit pituitam acidam, quandoque etiam ſalſam: & poſtquam euomuit; os amarum ipſi eſſe videtur. In lateribus autem rubores detinētur: nā, quum pituita in ventre ſit; ſanguis à caliditate congregatus in latera allapſus eſt, & rubores in lateribus excitat. Et calor maxime latera occupat, ac coſtas. Et dorſum ipſius incuruum fit. Et, quum maxime doleat; corporis contactum non ſuſtinet: nam velut ex vlcere dolet. Et carnes præ dolore vibrantur, ac palpitant: & teſtes contrahuntur: & in ſedem, & in veſicam calor quidā, ac dolor irruit. Et mingit craſſum velut in aqua inter cutem. Et ex capite defluunt capilli: & pedes ſemper frigidi ſunt: & dolor premit maxime latera, & dorſum, & collum: & ad cutem aliquid ipſi proſerpere videtur. Morbus verò quandoque vrget, quandoque remittit. In progreſſu autem magis aſſidue premit. & cutis capitis craſſa, ac rubicūda eſt. Hic vſque ad ſex annos talia pati perſeuerat. Poſtea & ſudor multus diffunditur, & male olet. Sæpe verò etiam per ſomnum ſemē effundit. Quod verò per coitum emittit, ſubcruentum, ac ſubliuidum prodit. Hic morbus fit propter calorē ſolis, & aquæ potum. Proinde hunc quum ſic habuerit; cneoro, aut hippophae, aut cnidio grano dato, ſubpurgato; dato etiam lactis aſinini cocti heminas octo bibēdas, melle affuſo. Poſtera die poſt purgationem, eadem, quæ alijs exhibeto. Primis autem diebus ex ijſdem nutriatur, ex quibus etiam is, qui ab aqua inter cutem correptus eſt: & deambulationibus ſe exerceat; ſi ita potens fuerit. Si verò præ febribus impotens fuerit, & cibos edere non poterit; lenticulę ſorbitione vtatur: Potu verò vino nigro quàmmaxime auſtero. Hic morbus maxime corripit autumno, & tempore fructuū pomorum. Hic ſi quidem curatus fuerit in ſex annis; ſatis eſt: ſin minus; adhæret vſque ad decem annos. Cum multis verò ſimul moritur; ſi non ſtatim curatus fuerit.

51 Alius craſſus morbus. Tales craſſi morbi à bile fiunt, quum bilis in hepar influxerit, & in capite conſtiterit. Hæc igitur æger patitur. Hæpar intumeſcit, & præ tumore ad ſeptum tranſuerſum expanditur: & dolor ſtatim in caput irruit, maxime verò in tēpora: & auribus non acute audit. Sæpe verò etiam oculis non videt: & horror, ac febris corripit. Atque hæc quidem in principio morbi ipſi fiunt intermittentia quandoque valde, quandoque minus. Quanto autē magis morbus progreſſus fuerit; tanto amplior dolor in corpore exiſtit. & pupillæ oculorū diſpergūtur, habetantur: & ſi digitum oculis admoueris; non ſentit: eo quod non videt. Quod autē non videt, ex hoc cognoueris, quòd admoto digito non nictat, & floccos de ſtragulis tollit, ſi quos viderit, pediculos ipſos eſſe putās. & quū hepar magis ad ſeptum tranſ-

uer-

uersum expassum fuerit, delirat. & ob oculos ipsi ob uersari videntur reptilia,& omnis generis peregrinę feræ,& milites armati pugnante: & ipse sibi inter ipsos pugnare videtur: & talia loquitur, velut qui videat pugnas,& bella geri, & inuadit, & minatur; si quis ipsum exire vetet.&,si surrexerit;crura eleuare non potest,sed concidit: & pedes ipsius frigidi sunt. Et,quum dormit;exilit à somno,& timet,quum insomnia viderit horrenda. Cognoscimus autem hoc, quòd ab insomnijs exilit, ac timet; postquam resipiscit:nam insomnia denarrat,& ea,quæ corpore fecit, & quæ lingua loquutus est. Atque hæc quidem sic patitur. Quandoque verò etiam per totam diem,ac noctem voce priuatus iacet,respirans spiritum multum aceruatum. Quum autem delirare cessauit;statim euestigio resipiscit, &, si quis ipsum interroget; recte respõdet,& cognoscit,ac intelligit omnia, quę dicuntur. Deinde rursus post modicum tempus in ijsdem afflictionibus iacet. Hic morbus accidit maxime in peregrinatione:&,si quis alicubi per desertam viam iter faciat, & timor ipsum ex spectro corripiat. Fit etiam aliter. Huic quum sic habuerit;veratri nigri obolorum quinque pondus,in vino dulci bibendum dato. Aut hæc per clysterem infundito. Nitri Aegyptij magnitudinem tali ouilli terito, & mellis optimi cocti dimidiam heminam, & olei dimidiam heminam, in mortario immiscето, & aquæ à betis coctis heminas quatuor per noctem sub dio expositas addito:aut si volueris, probeta lac asininum coctum ammiscето: & hæc mixta per clysterem immittito,siue febris habeat,siue non. Sorbitionibus autẽ vtatur,ptisana cocta,melle affuso. Bibat etiam mel, & aquam, & acetum simul permixta; donec iudicatus fuerit morbus. Iudicatur autẽ in quatuordecim diebus ad summum,siue lethalis est,siue non. Multis autem iam huiusmodi morbus sedatus,rursus redijt. Si igitur redierit;periculum est ne æger pereat. Iudicatur autẽ morbus in septem diebus, an lethalis sit, aut non. Si verò has effugerit;non valde moritur,sed morbus in plerisque curatus decedit. Quum autem desiuerit morbus;diæta bona vtatur,quietè ingerẽs, quæ venter suscipiat,& non comburantur,neq; ventris profluuium succedat: ambo enim hæc periculosa esse videntur. Lauetur autem quotidie,& deambulet post cibos modice. Veste verò induatur leui, ac molli: & pro tempore anni lac, & serum bibat,per quinque ac quadraginta dies. Hæc si fecerit;celerrime sanus erit. Morbus autem grauis est,& multa cura opus habet.

52 Alius morbus crassus. Fit à pituita putrefacta. Quòd autem putrida est vnde fit,ex hoc manifestum est. Eructat ab hac quod odorem habet,velut si quis raphanides edisset. Incipit autem fieri talis morbus à cruribus,deinde ab his ascendit ad ventrẽ. Et,quũ in ventre constiterit;rursus decurrit ad viscera. Et, quum in his constiterit;fugit,& vomitum facit,pituitam acidam subputridam educens. &, vbi euomuit; non habet seipsum,neque sibi constat æger. Deinde angustia fit circa viscera. Quandoque etiam in caput derepente dolor incumbit acutus. Et auribus acute audire non potest, neque oculis videre præ grauitate:& sudor multis diffunditur male olens,& maxime quum dolor habuerint,& morbum leuat. Color autẽ ipsius arcuatus apparet. Hic morbus priore paulo minus lethalis est. Huic quum ita habuerit, ventrem purgato,deorsum quidẽ per hippophaes:sursum autem,per veratrum, & caput tetragono purgatio, &, quum à veratro purgatus fuerit;postera die lacte asinino cocto subpurgato. Tertia deinde caprino cocto & similiter quarta,ac quinta. Reliquis verò viginti diebus,lac bubulũ crudũ, aut etiam caprinũ dato tertia aquæ mulsæ parte ammixta. Bibat aũt lactis congiũ. Post purgationẽ verò deorsum versus,eadẽ pharmaca exhibeantur,quæ hydropicis. Reliquo tẽpore quũ lac bibit:cœnet panẽ exassatũ. Obsonium aũt habeat,ex piscibus scorpiũ, aut callionymũ,aut cucullum,aut squatinæ frustum cũ condimentis coctum: ex carnibus,ouilas,aut gallinacei pulli coctas. Vinum bibat album: si conducat:sin minus:nigrum austerũ: deinde post cibũ deambulet,vt ne frigeat. Si quidem igitur cõducãt;cibos huic dato,qui dicti sunt. Si verò non cõducant:sorbitiones dato ptisanæ,aut milij. In hoc morbo si æger triginta dies transgressus fuerit:sanus fit:hi enim iudicant,an lethalis sit,aut non. Est autem morbus grauis.

53 Alius morbus crassus. Fit hic morbus à pituita alba. Congregatur autẽ in ventre:quum febres diutur næ corpus occuparint. Initium hic morbus à facie sumit,& intumescit facies,deinde descendit in ventrẽ, & vbi in ipso constiterit;ventrẽ magnum attollit,& corpus velut à labore lassatur, & in ventre grauitas inest,& dolor fortis,& pedes tument, &, si pluuia in terram effundatur,pulueris odorem non sustinet. Si verò in pluuia steterit,& terrã odoret,derepente cadit. Hic morbus interquiescẽs lõgiore tẽpore,quàm prior occupat,& tardius decedit. Curare verò ipsum oportet iisdẽ,quibus hydropicum,fomentis,videlicet,& pharmacis,& edulijs,ac laboribus. Hic morb. per sex annos maxime obtinet. Deinde decedit tẽporis progressu,si probe curetur: etiamsi non in principio fuerit curatus. Est autem morbus difficilis, & multa cura opus habet.

54 Coxendicũ morbus ex his maxime euassis fit plerisque. Si quis diutius in sole versetur,& coxendices fuerint calefacti,& humor,qui est in articulis,à calore fuerit resiccatus. Quòd aũt id,quod resiccatur,cõdensatur,ac constringitur,hoc mihi signũ est. Aeger enim articulos vertere,aut mouere nõ põt præ dolore,qui est in ipsis, & eo quòd verticula sunt cõpacta. Dolet autẽ maxime lũbos, & verticula ex obliquo iuxta coxẽdices,& genua, consistit aũt dolor multo tẽpore in inguinibus, simulq; coxendicibus,acutas, & æstuosus,&,si quis ipsum erigat, aut trãsmoueat: præ dolore eiulat quã maxime põt. Aliqñ etiã cõuulsio succedit,& rigor,ac febris. Fit autem & à bile,& pituita,fit itẽ à sãguine, dolor cõsimilis velut ab omnibus morbis:& rigor,ac febris aliquãdo corripit debilis. Cæterũ eũ, qui à sole hoc morbo correptus est, sic curare oportet. Corpus ipsius,fomento humectet, & cibi,ac potus,& alia, quæ exhibentur, tepida, ac humiha præbeãtur,atque hæc omnia cocta. Cibo vtatur maza molli, vino dulci non subacta. Vinum bibat albũ,aquosum,& corpore quietẽ habeat,&,quamuis impotens fuerit,vt exsurgat,tamen modice singulis diebus deambulet: & ne frigeat, & non multa aqua lauetur. & quum tibi bene habere visus fuerit,& corpore humidus esse, leni fomento vehemẽter foueto, magis.n.remittit, & condensationem ex articulis

humectat, ac relaxat. Deinde postera die cnidium granum bibendum dato. Si verò non profuerit; hæc per clysterem infundito. Cumini hominam dimidiã terito, & colocynthidem integram paruam, ac rotundam in mortario tundito, ac cribato, & nitri rubri Aegyptij minæ quadrantem torreto, ac terito. Atque hæc in ollam conijcito, & olei heminam, mellis heminam dimidiam, vini albi heminam, & succi betæ quantum videbitur affundito. &, donec bonam crassitudinem habere visa fuerint, coquito. Deinde per linteum excolato, &, si mel non simul coquere velis; mellis Attici heminam ipsis ammisceto. Si verò Atticum non habeas; optimi aliàs cocti heminam in mortario ammisceto. Si verò crassius fuerit hoc infusum; de eodem vino affundito, iustæ crassitudinis respectu habito. & per clysterem infundito. Deinde vsque ad dies tres purgari sinere oportet. Si verò pluribus diebus purgetur; bubuli, aut caprini lactis heminas tres ebibendas dato: deinde betas pingues non salsas, condimentis conspersas, edendas exhibeto. Ex hoc morbo multi claudi facti sunt.

55 Si verò à bile morbus fiat; veratrum deorsum purgans ipsi bibendum dato, aut scammoniæ succum. Post huiusmodi verò purgationem, succi ptisanæ melle affuso, heminas duas exsorbendas dato. Postera verò, aut tertia die adhibito fomento, lacte asinino cocto subpurgato. Ad vesperam autem pinguis betæ heminas duas edat, polenta insperfa. Vinum bibat album, aquosum, dulce, & nunc, & post pharmaci purgationem.

56 Si verò à pituita ægrotet; cnidium granum, aut hippophaes, adhibito prius fomento, bibendum ipsi dato. Post purgationem verò eadem sorbitiones, ac potus exhibeto: itemque lactis potionem. Intermedijs autem diebus diæta quàm leuissima vtatur. Et, si quidem ab his vtilitatem sentit; bene est: sin minus; ipsum vrito multis, ac profundis crustis inustis, in osseis quidem partibus, per fungos: in carnosis autem, per ferramenta.

57 Si verò à sanguine ægrotarit; fomentum adhibeto, & cucurbitam affligito, & venas in poplitibus secato. Si autem tibi visum fuerit; etiam cnidium granum ipsi bibendum dato. Diæta verò quàm siccissima vtatur. Vinum autem ne bibat. Si verò bibere velit; quàmminimum, & aquosissimum dato, & modice deambulare iubeto, aut, si potens fuerit; plurimũ. Conducit autem & à pituita ægrotanti talia facere. Si verò stare non possit, in lecto ipsum quàm frequentissime circumfere oportet, à quacunque causa ægrotarit, per omnia similiter, vt ne intus cartilago concrescat.

58 Si verò concreuerit, & articuli conglutinati fuerint; omnino necesse est hominem claudum fieri. Et si clysterẽ adhibere volueris ei, qui à sanguine ægrotat, quo sanguinem, ac pituitam à coxendicibus abducas; hæc infundere oportet. Salis pugillo trito, olei heminam, & de ordei decocto duas heminas ammisceto, atque sic infundito. Si enim sic curationem feceris; celerrime sanum facies. Morbus autem grauis valde est, ac diuturnus.

59 Tetani tres. Si ob vulnus tetanus, siue distentio fiat; æger hæc patitur. Maxillę conglutinantur, & rigent, & os aperire non potest: & oculi lachrymãtur, ac contrahuntur, & dorsum conglutinatum riget, & crura flectere nequit, neque manus, & neq; spinam. Quum autem lethalis fuerit; potum, & cibos, quos prius accepit, aliquando per nares reddit. Hunc quũ sic habuerit; fouere oportet, & pinguiter vnctum, ad ignem non ita prope calefacere, & tepefactoria illito corpori adhibere. Et absinthium, aut lauri folia, aut hyoscyami semen, & thus terito, deinde vino albo diluta in ollam nouam infundito, & oleum pari cum vino mensura affundito, & cum his calefactis large calidis corpus, ac caput illinito. Postea super pelliceum indumentum reclinatum, ita vt pars, ad quam fuit animalis caro sursum vergat, mollibus, ac puris stragulis, ac vestimentis contegito; quò vehementer exsudare possit. Aquam verò mulsam tepidam, si quidem hanc bibere poterit; per os exhibeto: si verò non poterit; per nares infundito. Vinum autem album quàmiucundissimum, ac plurimum bibendum dato. Hoc quotidie facere oportet; donec sanus fiat. Est autem morbus grauis, & statim curatione opus habet.

60 Opisthotonos. In distentione retrorsum contingente (opisthotonum vocant) alia quidem eadem æger patitur. Fit, autem, quum tendines, qui sunt retro in ceruice ægrotarit. Aegrotat autem ab angina, aut ab vua, aut locis circa tonsillas suppuratis. Aliquando etiam à capite febribus succedentibus, conuulsio succedit. Iam verò etiam à vulneribus. Hic trahitur in posteriorem partẽ, & præ dolore circa dorsum, ac pectora, eiulat. Hic conuellitur vehementer, vt vix detinere possint ipsum præsentes, ne è lecto excidat. Hic sæpe in die dolore affligitur, sæpe etiã leuius degit. Huic sic habenti eadem exhibere oportet, quæ priori. Morbus autem adhæret ad summum diebus quadraginta. Si verò hos euaserit; sanus fit

61 Alius tetanus. Hic tetanus minus lethalis est, quã priores. Fit autem ab ijsdem. Multi verò etiam ex casu in partes posteriores, à morbo correpti sunt, pattitur igitur æger hęc. Totum corpus conuellitur. Aliquando verò quacunque corporis parte id contigerit, conuellitur: & primùm quidem obambulat. Postea temporis progressu in lectum cadit: & rursus remittit dolor, & conuulsio: &, si surrexerit; & fortasis ad paucos dies obambularit, postea rursus in ijsdem afflictionibus iacet. Atque hæc patitur, ac transmutat per multum tempus: &, si quid comedit; non secedit infra, nisi difficulter, atque hoc combustum. At in pectoribus hæret cibus, & suffocationem inducit. Hunc si ijsdem curaueris, quibus priores, celerrime sanum facies. Clysterem verò ex ptisana cocta tenui, ac melle adhibeto.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Virginum morbis.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Morborum natura quatenus cognosci possit. Spectra falso imaginata, multis mortis caussam fuisse.*
2 *Cor quomodo fatuum reddatur, & ex eo torpedo, ex hac delirium fiat. Similitudo. Quomodo & qua ratione sanguis pedibus torporem inducens, ab aqua frigida ad seipsum reuertatur. Sanguis cordis torporem & delirium inducit. Febres erroneæ quando dicantur. Insaniæ, clamoris, timoris, strangulationis, mœroris, &c. in mente motarum, caussæ. Voluptas sine spectris, in animi impotentia.*
3 *Insaniæ curatio est sanguinis detractio: in virginibus autem, si viris iungantur, quàm citissimè.*

1 PRincipium sit mihi compositionis eorum, quæ perpetua sunt in arte medica: non enim possibile est morborum naturam cognoscere: (si quidem artis est inuenire) nisi quis nouerit naturam indiuisibili, ex qua in principio discreti sunt: primùm de morbo sacro appellato, & de attonitis, siue syderatis, & de timoribus: ex quibus adeò fortiter pauent homines, vt delirent, & dæmones quosdam videre se putent, ipsis infestos, quandoque nocte, quandoque interdiu, aliquando verò vtroque tempore. Postea ab huiusmodi spectris multi iam se strangulauerunt, plures autem mulieres, quàm viri; est enim muliebris natura animi magis delecti, ac imminuti. Cæterùm virgines nubiles, & maturæ viro hoc magis patiuntur, vnà cum mensium descensu, antea non valde hinc afflictæ: postea enim sanguis in vteros confluit, velut effluxurus. Quum igitur osculum exitus non fuerit apertum, sanguis autem amplius influxerit propter cibos, & corporis augmentum; tunc sanguis non habens effluxum, præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum.

2 Quum igitur hæc repleta fuerint; cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delyrium apprehendit: quemadmodum quum aliquo longo tempore desidente, sanguis ex coxis, ac femoribus depressus, in tibias, ac pedes torporem inducit. A torpore autem pedes ad iter faciendum impotentes fiunt: donec sanguis ad seipsum reuertatur. Reuertitur autem celerrime; quum steterit in aqua frigida, quę vltra malleolos madefaciat. Atque hic quidem torpor facile cedit: cito enim propter venarum rectitudinem refluit. Et locus corporis non est periculosus. At ex corde, & septo tranuerso tarde refluit: venæ enim obliquæ sunt, & locus periculosus, & ad delyrium, ac insaniam paratus. Quum. n. hæ partes repletæ fuerint, & horror cum febre ingruit; erroneas febres appellant. His autem sic habentibus, præ acuta quidem inflammatione insanit: præ putredine verò clamat: præ caliginositate autem timet, ac formidat: præ compressione verò circa cor, strangulationes parat: præ sanguinis autem malicia, animus mœrens, ac anxius malum attrahit. Sed & alium horribiliter compellat, & in puteos prosilire, ac incidere iubet, & strangulari, tanquam meliora sint hæc, & omnem vitæ vtilitatem excedentia. Aliquando verò sine spectris, ac phantasmatis, voluptas quædam adest, ex qua mortem, velut bonum aliquod, amat. Postquam autem resipuit homo; mulieres tum alia multa, tum preciosissimas muliebres vestes Dianæ consecrant, à vatibus id iubentibus deceptæ.

3 Cæterùm curatio, vt hinc liberentur, est sanguinis detractio; si nihil fuerit, quod impediat. Ego verò iubeo virgines, quũ huiusmodi patiuntur; quã citissimè viris cohabitare: si enim conceperint; sanæ fiunt. Si verò huiusmodi non affuerint ipsis, simul cũ pubertate, aut paulo post corripientur; si non viro nupserint. At verò ex mulieribus viro iunctis, steriles magis hæc patiuntur.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Natura muliebri.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Muliebrium morborum caussæ. Mulieres Albæ, Exiguæ, Vini colorem referentes. Iuuenculæ, Aniculæ, Mediæ. Loci frigi & calidi.*
2 *De aquæ inter cutem in vteris nascentis signis, caussa & curatione.*
3 *De vterorum ad hepar accedentium signis, & quibus hæc affectio familiaris. Item de mulieris viduæ & virginis curatione. Netopon vnguentum.*
4 *De vterorum foras egressorum signis & caussis.*
5 *De vterorum omnino foras egressorum, & dependentium signis, caussis, & curatione.*
6 *De vterorum ad glutinatorum signis, & curatione. Myrrha Calonia. Steriles ex vteris agglutinatis.*
7 *De vterorum complicatorum signis & curatione. Vrina*

humana ad vterorum os fouendum. Vnguentum Aegyptium. Sterilitas ex hac affectione.

8 De vterorum ad coxam decurrentium signis & curatione. Sepiæ ouæ.

9 De signis ex partu non purgatæ, & curatione. Medicamentum cum tæda.

10 De signis vterorum, pituita impletorum.

11 De vterum inflammatorum signis & curatione.

12 De ignis sacri seu erysipelatis in vtero signis & curatione.

13 De vterorum præter naturam hiantium signis, causis & curatione.

14 De vterorum ad medium lumborum progressorum signis & curatione. Steriles & claudæ ex hac affectione.

15 De fluxus albi signis, causis, & curatione.

16 De earum quæ concipiunt, alioqui natura steriles, affectionibus & curatione.

17 De acetabulis pituita plenis, signis & curatione. De mensium occultatorum signis.

18 De vterorum ad præcordia allapsorum signis & curatione.

19 De fœtus menstrui in vtero corruptione, curatio. Cur mulieres craßæ non concipiant, & eius curatio. De oris vterorum duri curatione.

20 Mulierem parere non potentem, quomodo purges. Ité qua ratione pituitosam ex menstruis purgationibus cognoscas. De mensibus omnino impeditis.

21 De vterorum ore humidiore. Mordentia saniem diffundũt. De vteris puerperæ in coxam incumbentibus. De vteris suffocatis. Suffimentum ex cornu, funiculo lucernario, & phocæ adipe.

22 De puerperæ vteris inflammatis.

23 De vteris fixis.

24 De vteris ex partu inflammatis.

25 De muliere ab vtero debili.

26 De vteris in lumbis aut lateris mollitudine.

27 De vteris siccis, & ad pudendum prominentibus.

28 Pharmacis mulierum quæ admiscenda.

29 Potiones & subdititia medicamenta, quæ secundas educere & menses detrahere poßunt. Fœtum expellentia. Potiones fœtum mortuum & secundas ejicientia. Medicamentum in omni vterorum morbo commodum, & vrinam ualde ciens. Lac caninum. Potiones ad menses impeditos. Potio ad puerperij purgamenta purganda. Potio ad omnem puerperam. Peßus ex scammonia in lacte muliebri. Subdititia, menses puerperij purgamenta & aquam ducentia. Leporis pili combusti. Vteri ad lumbos incumbentis. Aliæ potiones. Medicamenta subdititia ac purgatoria. Terra Samia nigra. Ad fluxum & dolorem vterorum. Purgatoria & dolores sedantia. Quum vter suffocarit. Stellæ marinæ nigræ. Ad secundas expellendas. Vteri ad cor allapsi. Appositicia acria, sanguinem ducentia. Sanguinem ducentia. Glans Aegyptia. Susinum vnguentum. Bilem purgantia. vteri inflammati. Ficus pinguedo interna. Alia mollientia. Aquam purgantia. Sanguinem ac menses ducentia. Fel suillum. Alia mollientia. Cerui medulla. Ad eluendos vteros. Fex vini combusta. Suffitus ad vteros. Phocæ pulmo. Spinæ Ægyptiæ fructus. Fomenta humida. Pincortex. Panis semiassatus. Fomenta sicca. De aquæ in vteris genitæ signis & caußis.

30 Menses occultati vteris duris, & ipsorum ore aspero, & eorum curatio.

31 De vteri indurati ore & signis, & eius caußis.

32 De vterorum ad latus allapsorum signis, & curatione.

33 De vterorum ore concluso, & eorum signis & curatione.

34 Vterorum obliquorum signa & curatio.

35 Vterorum inflatorum signa & curatio.

36 Sanguinis grumi in vtero coeuntes, & eorum curatio.

37 De vterorum obtortorum signis & curatione.

38 De vterorum commotorum & in loco non manentium signis & curatione.

39 Vterorum oris hiantis signa.

40 Vterorum leuigatorum signa & curatio.

41 Vterorum ad ventrem nutantium signa & curatio.

42 Vterorum ad caput, & crura conuersorum signa & curatio.

44 Mulier vteros dolens, ac cibum auersans. De fluxus ex partu curatione. Coagulum hædi. Sanguinis vomitus, ex partu, caussa & curatio. Lac vaccæ nigræ.

47 Mulier diu non concipiens.

48 Ad vterorum morbum sedandum.

49 Ad vteros purgandos.

50 Vteri ad sedem conuersi, & secessum secedere prohibentes, curatio.

51 Vterorum os vlceratum.

52 Secundæ non decedentes.

53 Vteri inflammati.

54 Vteri transmoti. Eursures ordeacei.

55 Menses remorati. Polypus vino suffocatus.

56 Pudenda ex feruido ac superficiario vlcere vlcerata.

57 Vrinæ stillicidium.

58 Vteri ad cor progressi.

59 Rigor ex partu.

60 Vteri inflati.

61 Graueolentia in pudendis & culumella. Podendorum vlcera & pruritus.

62 Genituram non suscipiens, mensibus secundum naturam fientibus. Membranæ ante os vteri cognitio.

63 Anhelationes in mulieribus.

64 Parturienti inflatæ hepar ouillum, aut caprinum.

67 Ad lumborum dolores.

68 Ad menses remoratos.

69 Ad vteros concluſos.

70 Ad menses immodicè fluentes.

71 Vteri transmoti aliquò allapsi.

72 Secundas educentia.

73 Menses non apparentes. Vteri moti cum dolore.

74 Vteri dolores maximè ad vesicam.

75 Vteri prominentes.

76 Ad fluxum. Stercus asininum.

77 Pudendorum vlcera.

78 Os vterorum ex partu exulceratum.

79 Uterorum dolores.

80 Pudenda ex feruido ac superficiario vlcere exulcerata.

81 Vteri ascendentes ac suffocantes.

82 Secundæ non secedentes.

83 Capitis in muliere dolores.

84 Fluxus. Cancri fluuiatiles vino suffocati.

85 Ad vteros purgandos.

87 Vterorum dolores.

88 Lac extinctum. Nasturtium lac purgat.

89 Ad imprægnandam mulierem.

90 *Fœtum expellentia.*
91 *Exprimentum fœcunditatis. Fel scorpij marini.*
92 *Testa combusta.*
93 *Ad recens enixam. Conceptum impedientia.*
94 *An mulier prægnans sit.*
95 *Prægnantis pudenda exulcerata.*
96 *Virgini calculosæ.*
97 *Cataplasmata.*
98 *Suffitus ad vteros. Cornu ouiculæ aut capræ. Terra ex asinorum pedibus derasa.*
99 *Collutiones vterorum.*
100 *Malagmata.*
101 *Fomenta vterorum.*
102 *Purgatorium. Mulieris biliosæ aut pituitosæ cognitio.*
103 *Vterorum fomenta per arundinem. Pessus carnis bubulæ.*
104 *Mensium purgatoria.*
105 *Purgatorium si mulier concipiat. Vrina tauri. Subditium pharmacum, ad conceptum faciens. Purgatorium molliens. Anseris medulla. Purgatorium tepidum. Purgatorium detrahens ac sistens. Fel tauri tritum in potione. Vteros aperiens & purgans. Ex partu non purgata.*
106 *Sanguinem purgantia.*
107 *Subditicia vteros purgantia & aquam ducentia. Purgatorium molle, aquam, pituitam, & pallidos ac subcruentos menses detrahens. Oleum Aegyptium.*

DE muliebri natura, ac morbis hæc dico, maxime quidem numen in hominibus causſam esse: postea verò naturas mulierum, & colores: nam quæ super albidæ sunt, humidiores sunt, & fluidiores: nigræ verò duriores, acerbioresque, ac adstrictiores. Quæ verò vini colorem referunt, medium quid inter vtrasque habent. Sic autem & in ætatibus contingit. Iuuenculæ enim humidiores sunt, & multo sanguine plerunque refertæ: aniculæ verò ficciores, & modicum sanguinem habentes: mediæ autem, medium quiddam inter vtrasque habent. Oportet autem eum, qui hæc recte tractare velit, primùm quidem ex dijs ordiri: deinde mulierum naturas discernere, itemque ætates, & tempora, & locos, in quibuscunque degunt: frigidi enim loci, fluidi sunt: calidi verò sicci, & stabiles. Initium autem faciam ab humido secundum naturam.

2 Si aqua intercus in vteris oboriatur, menses pauciores, ac deteriores fiunt. Deinde repente deficiunt: & venter intumescit, & mammæ siccæ fiunt, & reliqua male habet. Et in ventre sibi habere videtur. Et ex his cognosces, quod aqua inter cutem laborat. Sed & in ore vterorum significationem de se præbet: tangentibus enim gracile apparet: & calor, & aqua ipsam corripit. Quum autem tempus amplius processerit; dolor imum ventrem, & lumbos, ac laterum mollitudinem occupat. Hic morbus maxime fit ex abortu. Accidit item ex alijs. Quum sic habuerit, calida lauare oportet, & tepefactoria adhibere; donec dolor sedetur. Pharmacum autem deorsum purgans bibendum dare oportet: post pharmacum verò vteros bubuli stercoris fomento fouere; & postea medicamentum cũ cantharide præparatum apponere, & interpositis tribus diebus id, quod cũ felle paratur. Vna verò die interppsita, per triduum aceto infuso colluatur. &, si quidem venter mollis, & vacuus fiat, & febres sedatæ fuerint, & mẽses prodeant: viro condormiat. Sin minus: rursus eadem facito, donec menses procedant: & aliquibus subditicijs vtatur. Intermedijs autem diebus crethmij corticem bibat, & præoniæ grana nigra, & sambuci fructum, ieiuna in vino: & mercurialem quam plurimi edat, & allium coctum ac crudum: & cibis mollibus, & polypis, ac alijs mollibus vtatur. Si verò pepererit: sana erit.

3 Si vteri ad hepar accesserint, muta derepente fit, & dẽtes cõserit, & color niger fit. patitur autem hæc derepente dum sana est. Fit autem huiusmodi affectio virginib. maxime antiquis, & viduis, quæ iuuẽculæ sunt, & pepererunt, ac viduæ manent. Quũ sic habuerit; depulsione per manum infra facta, sub hepate, aut sub præcordijs, fascia deligato, & aperto ore vinum odoratissimum infundito. Et graueolentia naribus adhibeto, ac suffito: sub vtero verò bene olentia. Postquam autem resipuerit; pharmacũ infra purgans bibendum dato, & lac asininum postea bibẽdũ exhibeto. Deinde vteros odoratis foueto, & medicamenta cum bupresti præparata apponito. Postridie verò Netopon vnguentum. Intermissis autẽ duobus diebus, vteros cum odoratis colluito. Et postridie pulegium apponito; die verò vna interposita, aromata suffito. Atque hæc quidem viduæ facito. Virginẽ autẽ vt viro cohabitet, persuadeto. ad vteros verò nihil adhibeto, neque pharmacũ bibendũ dato: verũ conyzam & castoreum in vino ieiunæ exhibeto: & caput odoratis ne vngat, neque odorata olfaciat.

4 Si vteri prociderint, & foras egressi fuerint: calor habet maxime pudenda, & sedem. Et vrina paulatim destillat, ac mordet. Hęc patitur, si ex partu progressa viro condormierit. Quum aũt sic habuerit: myrti baccas & loti ramenta, in aqua coquito, & aquã per noctẽ sub dio exponito, & pudenda cum eo decocto quàm frigidissimo perfundito: & eadem trita pro cataplasmate adhibeto. Postea bibens aquã lentium, & mel; & acetũ, donec vteri fuerint eleuati, vomat. Et lectũ à pedibus altiorem facito, & graueolentia sub pudenda suffito, odorata verò sub nares. Cibis verò vtatur mollissimis, ac frigidis. Et vinũ aquosum albũ bibat. Ne lauetur autem, neque cum viro dormiat.

5 Si verò penitus ex pudendis exciderint; dependẽt velut scrotum. Et dolor corripit imum ventrem, & lumbos, &, quum tempus processerit; ad locum redire nõ volunt. Morbus autem corripit; quum ex partu progressa vteros doluerit, aut cum viro in puerperij purgatione cõcubuerit. Quum verò sic habuerit; frigefactoria ad pudẽda apponere oportet, & quod foris est depurgatum, & cum vino nigro, in quo malũ punicum coctum est, ablutum, intro detrudere: Deinde me resinam mixta infundere. Decumbat autem supina pedes sursum extentos habens. Postea spongias imponito, & ex lumbis deligato. Quum autem sic habuerit; à cibis quidem abstineat: potu verò quàmpauciſſimo vtatur: donec septem dies præterierint: &, si quidem sic ingredi voluerint; bene habet: sin minus; summas vteri oras detradito, calefacito, abluito, ac cerato picato illinito, & alligata ad scalam muliere, scalam iuxta caput pulsato, & vteros cum manu intrudito. Postea crura ipsius alternatim colligato, & sic per diem, ac noctem finito: & modicum ptisanæ succum frigidum dato, aliud

verò nihil. Postera die decumbenti cucurbitã quàm maximam ad coxendicem affigito, & multo tempore trahere sinito. Postquam verò detraxeris; ne scarificato, sed reclinatam sinito, & nihil aliud, quàm succum exhibeto, donec septem dies præterierint. Si verò sitiat; aquam dato frigidam quàm pauciſſimam. Vbi verò septem dies præterierint; cibis molliſſimis, ac pauciſſimis vtatur. Si verò ventrem exonerare velit, decumbens exoneret, donec quadraginta dies prætereant: postea surgat, & parciſſime obambulet, & ne lauetur, sed intra pudendum graueolentium suffitum admittat, & modica edat.

6 Si vteri adglutinati fuerint; incumbunt: &, si contigeris; videbis locum durum sub lateris mollicie, & dolor corripit imum ventrem, & laterum mollitudinem, & lumbos, & in crura dolor irruit, eaque extendere non potest: sæpe verò etiam suppurantur, & linamentis inditis curatæ, ac fluentes moriuntur; si non vſeris, aut secueris. Quum autẽ sic habuerit; pharmacum infra purgans bibendum dare oportet, & multa calida lauare ac fouere: &, quum recens lota, aut fota fuerit; iubere, vt admota manu, cum digito os vterorum abstrahat, & myrrham caloniam suffiat, rosaceo affuso. Bibat autem pœoniæ grana nigra quinque, castorio ammixto in vino odorato: & in coxam sanã decumbat, & apponat Baccarim vnguentum, aut oleum album ad coxam sanam: & edat allium plurimum, & crudum, & coctum, & succum sorbeat, & cibis mollibus vtatur. Postquam autem dolor quieuerit; abduces euntem super sanam coxam, postea verò fomentum ex vrina adhibeto, lauro insperſa, & à fomento cyclaminum apponito. Postera die lotæ suffitus ex aromatis adhibeatur. Cæterùm ex hoc morbo maximè steriles fiunt.

7 Si complicatum fuerit os vterorum; menses non prodeunt: si verò prodeant; pauci ac praui sunt. Et, vbi cum viro coit; dolet: & dolor imum ventrem tenet, ac lumbos. Et, si contingat digitis, & os requirat; non est manifestum. Quum sic habuerit; vrina humana foueatur, & post fomentum lenticulę decocto lauetur, & postquam lota fuerit; vteri vnguento Aegyptio foueantur. Et, si dolor ad nares ascenderit; spes est ipsam sanam fore. Et, quum dormire voluerit; Aegyptium oleum in lana subdat. Postera verò die consideret, an magis correcti sint vteri. Postea odoratis foueto: & purgatoria, quæ non mordeant subdito, & post subdititia medicamenta, pari mensura aceti ad aquam ammixta eluito. Quum autem menses prodierint; ieiuna, & illota, & suffita, cum viro coeat. Maxime verò ex hoc morbo steriles fiunt.

8 Si vteri ad coxam decurrerint; & menses nõ procedunt, & dolor ad imum ventrem accedit, & ad lateris molliciem: &, si digito contigeris; deprehendes os in coxa. Quum ita habuerit, calida lauato, & allia plurima edenda dato. Et lac ouillum purum bibat: &, postquam lac purum exhausit; fomento adhibito, postea pharmacum infra purgans exhibeto. Quum autem purgata fuerit; rursus vteros foueto, ex fœniculo, & absinthio permixtis. Vbi verò recẽs fota fuerit; os cum digito abstrahito, & scillam apponito, & interposita die postea id, quod præparatur cum narciſſino adhibeto. Si verò tibi purgata esse visa fuerit. Netopon apponito, & postridie rosaceum vnguentum. Cæterùm prima mensium decurrentium die ab apponendo cessato. Postea verò incipito, vbi defecerint. At in mensibus si quidem sanguis eruperit; satis est: sin minus; cantharides quatuor bibat, pedibus, & alis ac capite reiectis, & pęonię grana nigra quinque, & sepię oua, & apij semen, cum vino. Et, si dolor habuerit, & vrinæ stillicidium vexarit; in aqua calida desideat: & aquam mulsam bibat aquosam. Si verò à prima nõ fuerit purgata; rursus bibat donec fiat. Postquam autem purgatio decurrit; ieiuna cum viro coeat. In purgatione verò mercurialem edat, & polypos coctos: & cibis mollibus vtatur. Liberatur autem à morbo; si in ventre habuerit.

9 Si ex partu non fuerit purgata; tumet venter, & crura: & rigor, ac dolor imum ventrem, ac lumbos tenet. Quandoque etiam ad viscera ascendit, & animo linquitur. Atque hæc patitur incipiente morbo: progressu verò temporis, cauæ faciei partes rubescunt. Quum igitur sic habuerit; fomento vteris adhibito, cyclaminum apponito. Bibat autem medicamentum cum tæda præparatum; donec fluxus fuerit commotus. Ad os verò vterorum adipem anserinum illinito, & myrrham, & resinam tepidam: & quàm maxime deambulet, & ante cibũ Mercurialem coctam edat, & allium, ac porrum: & brassicæ succum sorbeat: & cibos mollibus vtatur, & magis marinis: & calida lauetur. A pinguibus autem, & dulcibus abstineat; donec sana fiat.

10 Si vteri pituita impleti fuerint; flatus oboritur, & menses albi pituitosi superueniunt, aliquando etiam sanguis tenuis pelliculis plenus: & præ humiditate cum viro coire non vult: & pauida, ac tenuis fit. Interrogare igitur ipsam oportet, an quod fluit, mordeat, & exulceret: & si non mordeat; pronunciare à cerebro fluxum esse. Si verò mordeat; à ventre. Si quidem igitur à ventre fuerit; à lenticulæ decocto vomat. deinde veratro purgato. Postea idem in nares immittito. Postquam autem superior venter tibi purgatus esse videbitur: pharmacum infra purgãs bibendum dato. A cibis autem pinguibus, ac dulcibus abstineat. Acres autem exhibeantur, velut commodi, nisi pudenda fuerint exulcerata. Præstant autem frigidi. Et modice lauetur, non tamen calida, neque caput. Ieiuna verò bibat hypericum, semen apij, saluiam, in vino aquoso. Quum autem cessauerit fluxus, cum succo grossorum eluito, & postea acerbis colluito. Est autem morbus grauis.

11 Si vteri inflammati fuerint: menses omnino prodeunt, aut praui, & pauci. Et quum ieiuna est, vomitus ipsam corripit. Vbi verò quid ederit: vomit cibos: & dolor imum ventrem, ac lumbos habet: & animi deliquium inuadit. Venter autem aliquando durus, aliquando mollis est, & inflatur, ac magnus fit, & putat se in ventre habere. Si verò contigerit: plenitudo illa vacua fit. Huic vsque ad decimũ mensem tumor paulatim augescit, velut in ventre habenti. Vbi verò decem menses præterierint: venter aqua impletur, & vmbilicus eminet. Et si digitum admoueris: os vteri gracile, & collapsum comperies. Et, vbi menses apparuerint: pauci sunt, & praui. Et clauiculæ, ac collum attenuãtur, & pedes intumescunt. Quum igitur sic habuerit: pharmacum infra purgãs bibendum dato: & ad vteros, quæ purgant, & non mordent apponito. Et post appositionem vteros eluito, pari mẽsura aceti acerrimi ad aquam ammixta. &

ta. & Mercurialem edat,& succum eius farina inspersa,vbi cocta fuerit;absorbeat. Morbus autem est periculosus.

12 Si ignis sacer, erysipelas dictus, in vteris oboriatur; tumor fit à pedibus exorsus, & ad crura, & ad lumbos procedens. Quum autem tempus amplius processerit; intumescit etiam venter, & rigor, ac febris corripit, itemque debilitas. Præ dolore verò quiescere non potest; sed iactat seipsam. Dolor autem ex imo ventre ascendit ad lumbos, postea sursum vergit ad præcordia,& pectora,& caput. Et mori sibi videtur. Quum autem remiserit;torpor occupat manus. Aliquando etiam inguina, & crura,& poplites: & liuida fit, & modico quandoque tempore sibi melius habere videtur. Deinde rursus eadem patitur, & corpus pustulis impletur, & facies rubescit, & sitis fortis tenet,& fauces siccæ sunt. Hic morbus si prægnanti fiat;moritur: sin minus; curata sanatur. Quum igitur sic habuerit; adhibere oportet, si dolor habeat,frigefactoria,& ventrē turbare. Et si quidem in ventre habeat;cibis,ac potibus vtatur,à quibus fœtus non corrumpitur. Si verò nō secedant;clysterem adhibeto. Si autem in ventre non habuerit; pharmacum bibendum dato:& cibis pauciſſimis vtatur,molliſſimis, ac frigidis: & Mercurialem edat, & sambucum: & neque salsa, neque pinguia, neque acria,velut est origanum,aut thymus,aut ruta. Postquam autem calor, & strangulatio remiserit, & tumor non fuerit sedatus; medicamentum fortius infra purgans postea bibendum dato. Morbum autem hunc paucæ effugiunt.

13 Si vteri præter naturam hient; & menses plus, quàm oportet prodeunt, viscosioresque, ac frequentiores,& genitura non manet intus. Et,si digito contigeris; os hians comperies: & febris,ac rigor,& dolor imum ventrem,& lumbos corripit. Hic morbus à fluxu sanguinolento corripit. fit autem,quum menses suppressi derepente eruperint. Huic, quum dolor maxime habuerit; tepefactoria apponito. Et, quū remiserit;vteros foueto,& pharmacum infra purgās bibendum dato. Et quæ non mordent, subdito: & post subdititia medicamenta, cum acerbis colluito: & quàmminimum lauato. Cibis autem siccissimis vtatur. Si verò his factis sana non fiat; pharmacum bibendum dato,à quo sursum, ac deorsum purgetur. Et,quum menses moti fuerint;& quum quieuerint, eiusdem modi victum exhibeto. Morbus autem lethalis est.

14 Si vteri ad medium lumborum processerint; dolor imum ventrem habet,& crura contrahuntur: &, quum aluum exonerat; dolores acutiores fiunt, & stercus cum vi prodit,& vrina destillat,& animo linquitur. Quum sic habuerit,fistula ad vesicam alligata,vteros sufflato,& fomentum adhibeto: aut multa calida lauato, & male olentia sub pudenda suffito: sub nares autem odorata. Quum autem dolor cessarit; lenticulæ decocto præpotato, pharmacum sursum purgans bibendum dato, à quo venter moueatur. Postquam autem vteri ad locum suum redierint; medicamentum infra purgans bibendum exhibeto: & postea lac bibendum dato. Postea fomento ad vteros adhibito ex vino, medicamenta cum lauro præparata immittito,& apponito,quæ non mordent, ammixto aceto. Postea aromata suffito. Cæterùm steriles, & claudæ fiunt ex hoc morbo.

15 Quum fluxus albus obortus fuerit; velut vrina asinina apparet. Et dolor imum ventrem habet, & lumbos, & lateris mollitudinem:& tumores sunt crurum, ac manuum, & caua eleuantur, & oculi humidi sunt,& color arcuatus,ac albus fit. Et, quum iter facit;anhelat. Morbus autem fit;si vbi natura pituito sa est,febricitarit,& bilis commota purgata non fuerit. Si quidem igitur venter acuerit; ventris profluuia fiunt: si verò ad vteros vertatur;fluxus fit. Postquam igitur ventris profluuium habuerit; papaueris albi ac rubri corticem pari pōdere,& spinæ fructum in vino diluto terito, & polenta recenti inspersa bibat. Si verò velis, malicorium calido cinere torrefactum, ac tritum ex vino bibat, pari polenta ac farina inspersa. Minimum verò lauetur. Cibis autem vtatur quàmsiciſſimis,ac frigidis. Vbi verò fluxus quieuerit; pharmacum bibendum dato, à quo superna purgentur, & lac asininum bibat. Postquam autem infra purgata fuerit; bubulum lac bibat ad dies quadraginta, si poterit meracum,sub dio per noctem expositum, quarta aquæ parte ammixta. Vesperi verò vbi ebibit;alicam sorbeat. Quum autem decem dies fuerint transacti;lactis,& aquæ decimam partem detrahito. Quantum autem detraxeris, tantam tepidi recens mulcti portionem additam bibat. Postridie verò duas portiones, vt in decem portionibus pro modico diluto sit meracum, & ad quatuor dies bibat. Cum autem decimam partem detrahit;etiam de sorbitione amplius addat. Postquam autem quatuordecim dies transegerit; decimam lactis partem bibens, postea tertiam aquæ partem effundens, ad dies decem bibat, & cibis vtatur, & sic fiant omnes dies quadraginta.

16 Quum conceperit, & vterum vt partus gestarit, ea, quæ natura sterilis est, primùm quidem menses deficiunt, & pauciores fiunt, & tempus in quo prius fiebant,transmittunt. Postea derepente multi fiunt, & puri,ac fortes: &,si quidem semel facti fuerint;de cætero secundum rationem in ventre habet; sin minus,& primùm fiunt & iterum,atque iterum in mense, postea ex seipso definet fluxus, pallidaque, ac tenuis fit. Pharmacū igitur & sursum,& deorsum purgans bibendum dare oportet: & lac asininum postea bibendum,aut serum. Postea adhibito fomento,vteros medicamento,quod non mordeat,purgato. Deinde cum aceto colluito. Postea aromata suffito. Hæc autem facito,vt prima mensium die facta sint. Et,ne sit illota, & impasta; cyceonem insulsum crassum bibens,& aromatis suffiatur,netopo affuso & vnguento rosaceo. Postea cum viro coeat.

17 Si acetabula pituita plena fuerint;menses quidem bene succedunt,& in ventre habet. Corrumpit autem fœtum, vbi fortior factus fuerit: non enim retinere potest,sed abrumpitur. Cognoueris autem hoc modo. Humida fit,& mucosum,ac viscosum defluit,& non mordet: & in mensibus,vbi à fluxu purgari cessauerit;per duos ac tres dies muci ab vteri prodeunt. Hanc grossorum succo eluito, & collutione per acerba postea bis, aut ter facta: de cætero apponito id, à quo pituita purgatur, & mollia fomenta adhibeto. Et post subdititia apposita, pari mensura aceti ad aquam ammixta eluito,& in mensibus aromata suffito, postea impasta, & illota cum viro dormiat.

Quum

18 Quum menſes occultati fuerint;dolor imum ventrem tenet, & onus incumbere ipſi videtur, & lumbos dolet, ac laterum molitudinem. Quum verò ad præcordia vteri allapſi fuerint; ſuffocant: & vbi frequenter acida euomuit;ad modicum tempus melius habet. Dolor autem & ad caput, & ad collum procedit. Poſtquam igitur allapſum parant, aut allapſi ſunt; tepefactoria adhibeto, & graueolentia ſuffito, infra autem odorata,& caſtorium bibendum dato,& conyzam. Vbi verò deorſum procideriut;infra graueolentia ſuffito: ſub nares autem odorata. Sedatis autem doloribus,pharmacum bibendum dato. Et lac aſininum poſtea bibendum. Deinde ſuccum,à quo vomat dato,& ad nares apponito. Poſtquam autem purgaueris;fomento vteris adhibito,ex his,quæ cum lauro præparantur. id, quod ex narciſſo præparatur, apponito. Et tribus interpoſitis diebus,fomento adhibito, id, quod ex cantharide præparatur, apponito,& poſtera die adipem anſerinum. Poſtea intermiſſis tribus diebus,collutione cum aceto parata eluito. In purgationibus autem, mercurialē ante cibos edat, & cibis molliſſimis vtatur, & acria edat. Et his in die calida lauetur. Si verò menſes non fiant,vbi hæc opportuno tempore feceris; cantharides bibendas dato: & poſtquam prodierint, ieiuna, & illòta; ac ſuffita, cum viro dormiat.

19 Quum in ventre habens, fœtum menſtruum, aut bimeſtrem corruperit,& ad perfectionem geſtare nō poterit,& tenuis præter naturam fiat. Huius vteros purgare oportet, ac corpus pinguefacere: non enim prius fœtum perferre poterit,quàm vteri ipſius craſſi fiant,& robuſti euadant. Si verò craſſefacta fuerit mulier præter naturam; nō concipit ventre:nā omentum multum,ac craſſum incumbens vteros deprimit & genituram non ſuſcipit. Hanc attenuare oportet, & pharmacum infra purgans bibendum dare, & ad vteros apponere quod purget ipſos,& flatus inducat. Si verò os vterorum durum fiat,aut ceruix;digito intromiſſo id cognoſces: itemque ſi ad coxam fuerint auerſi. Quum ſic habuerint, nihil acre adhibeto: ſi enim os exulceraueris,vbi inflammatum fuerit;periculum eſt, ne penitus ſterilis fiat. Verùm apponito quæ non mordent, à quibus purgetur.

20 Si mulierem parere non potentem purgare velis, & fuerit biliоſa,aut pituitoſa: cognoſces autē vtrum horum ſit;ſi arena ſubſtrata quum menſes fiunt,in ſq le ſanguinem ſuperfundas,ac ſiccari ſinas:ſi enim biliоſa fuerit;ſupra arenam ſanguis pallidus erit: ſi verò pituitoſa;velut mucus erit. Et ſanè vtrum horum fuerit; infra purgato, & ad vteros ſubdititia apponito. Si menſes omnino non fiant,ſi quidem præ dolore id contingat;primùm ventrem infra purgato,deinde medicamentum, à quo ſanguis ex vteris purgatur,apponito. Poſtea intermiſſa die vna, aut altera rurſus id,à quo ſanguis purgatur,apponito. Reliquo verò tempore corticem crethmi in vino tritū bibat.

21 Si humidius fuerit os vterorum, quàm oportet; acria apponito,quò morſum perceptet,& inflammatum valde durum fiat. Si verò induratum fuerit,acria adhibeto: mordentia enim ſaniem diffundunt. Deinde mollia apponito. Sed & ad alios morbos non minus apponito.

22 Si puerperæ vteri in coxam incubuerint,aut ad lateris mollitudinem: ad ſanam coxam oleum Aegyptium album, aut baccarim vnguentum apponere oportet,& in ſanam coxam decumbat, & p.eoniæ grana nigra quinque bibat, & fructus ſambuci conchæ teſtam maiorem,& caſtorij magnitudinem fabę in vino. Poſtea lota ſuffiatur, & potibus,ac cibis mollibus vtatur, & mercuriali,& acribus omnibus,excepto raphano,ac cepis. Quum ſuffocarint vteri: graueolentia omnia ſuffire oportet, bitumē videlicet, ſulphur, cornu,lucernarium funiculum,phocæ adipem,caſtorium: odorata verò ſubter pudenda.

23 Si verò puerperæ inflammati fuerint vteri, ardet, & ſuffocatio habet. Quum autem ſic habuerit; muſcum marinum tenuem tritum ſuper linteolo extentum pro cataplaſmate adhibeto. Poſtea crudam ordeacam farinam,& cinerē ſarmentitium,ac lini ſemen, oleo,& aceto affuſo coquito,donec velut farinæ ſubactæ maſſa fiat. Deinde quàmcalidiſſima ferre poteſt imo ventri imponito.

24 Si verò fixi fuerint vteri:lentem,& mentham mul tam in aceto coquito, vt vaporem inde in os trahat, & nares adhibeat: & graueolentia ſuffito: & mercurialem edat, & in ſucco eius farinam coctam ſorbeat. Quàmcelerrime autem & priuſquam dolor occupet, exhibere oportet pharmaca, quæ vteros à dolore leuant:& cibos per aluum ſecedentes aſſumat. Si verò venter calefiat, clyſterem adhibeto.

25 Si ex partu inflāmati fuerint vteri; ſolani ſuccum in pudenda infundito: &, vbi hic calidus factus eſt: alium infundito. Si verò hic non fuerit: lentiſci, aut rhamni,aut betæ,aut cucurbitæ ſuccum expreſsū infunde: & quod in medio huius eſt tenerrimum, deraſum longa forma inde. Poſtea ceruſam aqua tritam, & lana exceptam appone. Si verò horruerit,tolle.

26 Si mulier ab vtero debilis ſit, & bilis ipſam ſuffoceet, & opus ſit ipſam leuiter purgare, & dolorem ſedare: peucedani ſuccum trium cyathorum menſura bibendum dato.

27 Si in lumbis, aut lateris mollitudine fuerint vteri, & tranſmouere velis: ſulphur, & bitumen terito, & melle cocto affuſo, glandulam craſſam facito, & in ſedem indito: & vreri ſi ficci fiant, hæc quàmcelerrime apponito.

28 Mulieri ſi vteri ſicci fiant, & ad pudenda prominеant, & inguina dura fiant, & calor in pudendis inſit,cancerari incipit. Quum ſic habuerit:cucumeris ſyluеſtris internam partem aridam terere oportet, & aquæ hæmina affuſa in ſedem immittere, & purgari ſinere,donec purgetur. Quum autem mulieri pharmacum dederis: ammiſce ad pharmacum ea,quæ vteros purgant, & quæ expellunt.

29 *Potiones, & ſubdititia medicamenta, quæ ſecundas educere, & menſes detrahere poſſunt.*

Cantharides quinque auulſus alis, & pedibus ac capite, deinde tribulos ad mare naſcentes vnà cum radice, menſuram quanta eſt conchæ teſta terito: & anthemi pallidam ſiue luteam internam partem ſiccam tritam, conchæ teſtam addito, & ſeminis apij tantundem,& ſepiæ oua quindecim, & in vino dulci diluto bibēda dato: & quum dolor habuerit,in aqua calida deſideat, & aquam mulſam aquoſam bibat. Aliud. Ranūculi foliorum & floris triti Aeginæl ſta-

teris

teris pondus,in vino dulci bibat. Quum autem dolor habuerit, ciceralbum & vuas paſſas in aqua coquito,& perfrigeratam bibendam dato:& vbi vrinæ ſtillicidium vexarit,in aqua tepida deſideat. Aliud. Adianti ſtaterem Aeginæum,in vino albo pari aqua ammixta, bibendum dato. Aliud. Violæ albæ ſemen quantum tribus digitis apprehendi poteſt, in vino albo eodem modo temperato, bibendum dato. Aliud. Leucoij nigri radicem, in vino eodem modo ſumat. Aliud. Crinanthemum quod in domibus naſcitur, eodem modo miſceto ac bibendum dato. Aliud. Anchuſæ foliorum pugillos duos, in vino albo æquali aqua ammixta, bibendos dato. Aliud. Chamæleonis radicem,velut veratri potionem, deraſam in vino albo, aqua pari menſura ammixta, bibendam dato. Aliud. Braſſicæ & porri ſuccum, ad vtrunque ſucci ſilphij obolis tribus ammixtis, ex vino albo cum pari aqua bibendum dato. Aliud. Oliuas albas priuſquam oleum inſit compunctas ſiccato,poſtea tuſas & cribratas,ac in vinum iniectas bibendas dato. Hoc & menſes detrahit, & ſecundam expellit. Aliud. Dictamni Cretici obolum in aqua bibendum dato. Et,ſi hoc in potu dato, ſecundam eijcere non potes; ſambuci ſucco cocto immiſſo foueto,& cantharidem apponito. Hoc etiã fœtum expellit. Quum autem morſum intulerit,auferat,& roſaceo vnguento tinctum apponat, donec elapſa fuerit. Aliud. Populi nigræ Creticæ grana nouem trita,in vino bibenda dato. Cum hoc etiam abluatur,ſi difficulter pariat. Aliud. Conyzæ teſtam conchæ maiorem cum porri ſucco diluito, & netopi teſtam conchæ maiorem ammiſceto: & hæc in vino bibenda dato. Aliud,quod menſes detrahit. Peucedanum & panaces,& pæoniæ radicem,in vino bibendum dato. Aliud,quod fœtum mortuum,& ſecũdas eijcit. Violæ & portulacæ ſemen contundito,ac miſceto,& in vino albo veteri exhibeto. Aliud,quod menſes detrahit. Seminis violę albæ quantum tribus digitis apprehendi poteſt, & ſtercoris caprini pilulas quinque,aut ſex, in vino odoratiſſimo permiſceto,& bibenda dato,vbi prius fomentum ex aqua,& oleo immiſceris. Adhibeto autem fomentum in ſella,& vbi hæc bibit, quàmcelerrime lotam reclinato. Braſſicam verò edendam exhibeto: & ſuccum eius ſorbendum. Aliud. Seminis violæ albæ quantum tribus digitis apprehendi poteſt, in vino bibendum dato: & in aqua calida deſideat. Si verò id non habeat; fœniculi radices contuſas, in aqua mulſa tepida macerato,& exhibeto. Aliud. Fraxini grana decem,in vino bibenda dato. Hoc in omni vterorum morbo commodum eſt,& valde ciet vrinam. Aliud. Succum ſilphij magnitudine erui,& naſturtij ſemen terito,ac ammiſceto, & in vino aut lacte canino bibenda exhibeto. Hoc etiam fœtum expellit. Aliud fœtum eijciens. Ranunculum herbam,& parum elaterij, in aceto temperato, ac mixta bibenda dato, Aliud ad idem. Braſſicæ caulem tenerum,extremitate ex netopo illita,affricato. Aliud,ſi menſes non fiant. Terebinthi fructum tritum,in vino,& aqua dilutum,ac excolatum,ieiunæ bibendum dato,& calida lauetur. Aliud,menſes ciens. Rubra pæonię grana, in vino ieiunæ bibenda dato. Aliud, ad puerperij purgamenta purganda. Fœniculi ſemen, & crethmi corticem, & thus, in vino bibenda dato. Aliud. Tedam quàmpinguiſſimam in vino coquito,& pæoniæ grana quinque in vino terito,& heminæ quadrantem bibendum dato. Aliud. Mercurialis ſemen,& folia,in vino bibenda prębeto. Aliud. Pæoniæ grana nigra quinque,& ſepiæ oua in vino bibenda dato. Ad omnem puerperam. Adirionem,& polentam, oleum affunde, & coctum ſorbeat: & cibis quàmolliſſimis vtatur. Aliud. Scammoniam in lacte muliebri tritam,lana exceptam appone. Aliud. Mercurialis folia trita in linteo ſubde. Aliud. Herbam artemiſiam tritam, & vnguento roſaceo imbutam appone. Aliud. Albam radicem tritam,ac roſaceo vnguento ſubactam appone. Aliud. Pæoniæ radicem melle,vnguento roſaceo & Aegyptio ſubactam,in lana ſubde. Aliud. Farinam non lotam eodem modo appone. Aliud. Lolij, & tritici farinam, ſimul melle ſubactas,in lana ſubde. Aliud,quod menſes & puerperij purgamenta purgat,& aquam ducit. Radicis ſtruthij tuſi triti quantum tribus digitis apprehendi poteſt, melle ſubactum appone. Naſcitur autem in Andro in littoribus. Aliud, ad vteros depurgandos. Mercurialis contuſæ,& cucumeris ſylueſtris modicum in vino tere,& melle ſubacta appone. Aliud. Pilos leporis combuſtos,ac tritos in vino,& melle cocto, & aqua ſubactos, bibendos dato: & aqua calida lauetur. Aliud, partus purgatorium. Polentã craſſius freſam dimidij hemichœnicis menſura,in aquæ heminis quatuor cõquito, & vbi efferbuerit,bis aut ter ſorbendam dato. Aliud,purgans puerperij purgamenta. Sambuci folia coquito, & oleo affuſo bibenda dato. Edat & braſſicas coctas, & porrum. Aliud,purgans vteros. Rhois folia,& irionem terito,& in vino,polenta inſperſa, bibenda dato. Aliud. Miſyos obolos duos tritos, & vino ſubactos apponito. Aliud. Lini ſemen tritum,vino ſubactuum apponito. Aliud. Trifolij ſemen in vino bibendum dato. Si verò ad lumbos vteri incubuerint; polypos coctos edat,itemque aſſatos: & vinum bibat nigrum, odoratum, meracem quàm plurimũ. Aliæ potiones; medicamenta ſubditicia, ac purgatoria. Rohem rubrum,& vinacea,in aqua coquito,& farina tritici recentis in aquam inſperſa, bibendam dato. Aliud. Farinam in aquam iniectam bibendam dato. Aliud. Mora rubi ſiccato,ac terito,& polenta recenti ammixta,amborum acetabuli menſuram, in vino odorato,& aquoſo, bibat. Aliud. Terram nigrã Samiam in aqua tritam,tali magnitudine bibẽdam præbeto. Aliud. Hypociſtidem in vino bibendam dato. Aliud. Mala punica vinoſa exſuccato, & polentam cum ſucco ſubactam ficcato. Poſtea tritam in vino bibendam dato. Aliud. Baccas myrti nigras tritas in aqua diluito, & polenta inſperſa,bibendas exhibeto. Aliud. Mali punici dulcis aſſati drachmam,in vino tritam bibendam dato. Aliud. Triticum & ordeum torrefacta, trita, & ad farinam redacta,in vino nigro bibenda dato. Aliud. Mali punici dulcis internam partem, pari aqua ammixta bibendam dato. Aliud. Cicutæ quantum tribus digitis apprahendi poteſt, cum aqua bibendum dato. Aliud. Farinæ tritici recentis,& gypſi,æquales partes mixtas in aqua bibendas dato. Aliud. Mali punici dulcis corticem ac corium, in vino bibendum dato. Aliud,ſi ſanguis ex vteris fluat. Viticis folia in vino nigro bibenda dato. Aliud,ad fluxum, ac dolorem.

lorem. Roſmarini radicem in vino bibendam dato. Alias item potiones ad vteros habes. Cedri fructus, ſeſeli, cuminum Aethiopicum, caſiæ fructum, iuniperi baccas, milium, lentiſci fructum, nigellam, dauci radicem ac ſemẽ: Aromata verò, thymbram, ericen, hypericum, papauer albũ, crethmi radices ac ſemen, maluæ radices, mercurialis ſemen, & folia, vrticæ ſemen, ſaluiam, populum nigram, dictanum, pſeudo dictamnum, amomum, cardamomum, helenium, ariſtolochiam, caſtorium, adiantum, dracontium, peucedanum, rutæ folia ac ſemen apij ſemen, fœniculi ſemen, hippoſelini ſemen & radices, hippomarathri ſemen & radices, ſtruthij ſemẽ & radices, hyſſopum Cilicium, irionem, pæoniam, panaces. Quodcunque horum volueris, & cum altero permixtum, & per ſe in vino aut aqua prout volueris coctum, exhibeto bibendũ. Commoda ſunt & purgatoria, & quæ dolores ſedant. Maluæ radicem in aqua dato. Aliud Pæoniæ ſemen modico cedrino oleo ammixto, in vino bibendum dato. Et vterorum dolores ſedabis. Aliud, quum vteri ſuffocarint. Caſtorium, & conyzam in vino albo bibenda dato. Si verò ad nares acceſſerint, cnidij internam partem albam, melle ammixto, naribus illinito. Aliud, ſedans dolores. Maluæ radicem, & fæniculi, ac crethmi corticem, ex aqua bibenda dato. Aliud. Stellas marinas nigras, & braſſicam miſceto, & in vino odorato bibenda præbeto. Aliud. Mirrhæ obolos tres, coriandri parum, reſinã, pæoniæ radicem, cuminum Aethiopicum, hæc trita in vino albo diluta, leuiter tepefacta bibenda dato. Aliud, quod ſecundas expellit. Ricini radicem bibendam dato. Aliud, ſi ad cor allapſi vteri ſtrangularint. Viticis, & pæoniæ ſemen, in vino bibendum dato. Appoſititia acria, ſanguinem ducentia. Cantharidas quinque thuri, ac myrrhæ ammiſceto, & glandulam longam magnitudine gallæ formato, & lana obuolutam linteo albo circumdato, & vnguento albo Aegyptio albo ac roſaceo madefactam apponito. Aliud. Bupreſtim, ſi parua fuerit, totam: ſi magna, dimidiã, ad prædicta ammiſceto: & eodem modo apponito. Si verò mollioribus vti velint, bupreſtidas in vinum mitte, & cuminum Aethiopicum, & ſeſeli, ac aniſum addito, ac feruefacito: ad decem verò bupreſtidas, acetabulum olei ammiſceto: reliquis omnibus æquali portione acceptis. Ammiſceto etiam myrrhæ, ac thuris parum. Ex hoc pugillum accipito, & velut priorem glandulam ſubdito. Aliud. Nigellam terito cum melle, & vino ſubactam in glandulam redigito, ac vtere velut ſuperiore. Aliud. Philiſtium eodem modo præparatum apponito. Aliud. Telephium eodem modo præparatum ſubdito. Aliud. Anemonæ folia trita linteo excipito, & myrrhæ parum ammiſceto, & eodẽ modo vtitor. Aliud, quod ſanguinem ducit. Glandem Aegyptiam terito, & ſuſinum vnguentum, quod eſt in tera Aegyptia addito, & aqua diluta, ac lana inuoluta apponito. Aliud, bilem purgans. Cucumeris ſylueſtris medullam tritam, ac melle ſubactam, & ad glandis formam redactam apponito. Aliud. Colochynthidis ſylueſtris internam partem terito, & melle ſubactam eodem modo ſubdito. Aliud. Elaterij portiones quatuor, adipe anſerina & caprino, & miſy ammixto, in glandulam formato, & in linteo apponito. Aliud. Thlaſpi tritum & melle imbutum apponito. Aliud. Foliorum fici ſaniem deradito, & elaterij portiones duas ammiſceto, & nitri tantundem, melleque ſubacta apponito. Aliud, ſi vteri inflammati fuerint. Nitrum rubrum, ficus pinguedinem internam, vtriuſque pares portiones tritas, & ad gallæ magnitudinem efformatas ſubdito. Aliud. Cumini folia cum vino trita, in linteo ſubdito. Aliud. Radicem albam terito, & melle affuſo feruefacito, & glandulam inde factam ſubdito. Aliud. Succum ſilphij, & ficum, mixta in glandem formata apponito. Aliud. Cucumeris ſylueſtris ſemen tritum eodem modo. Aliud. Fel tauri, nitrum rubrum, netopon, cyclaminum terito, & de ſingulis gallæ magnitudinem, de cyclamino verò plurimũ, melli ammiſceto & apponito. Aliud. Cyclamini caput purgatum, in aqua tritum, ac linteo alligatum apponito. Aliud. Myrrham, ſalem, cuminum, fel tauri, hæc melle ſubacta, ac linteo excepta ſubdito. Aliud. Grana cnidia triginta deligato, & tria Indici pharmaci oculorum, quod piper vocatur, & alia tria de rotundis. Hæc tria in vino veteri trita, & oleo dulci diluta ac ſubacta, lanaque excepta ſubdat, & vrina eluatur. Aliud. Tithymali ſuccum melle ſubactum, ac linteo exceptum apponito. Aliud. Scillæ radicem longitudine digitorum ſex ſumito, & duobus digitis lana obuolutis ſubdito. Alia mollientia, à quibus aqua purgatur, & ſanguis ac menſes ducuntur, ſi non diuturni fuerint, & os vteri mollitur. Narciſſinum, cuminũ Aethiopicum, thus, abſinthium, cyperum: alioquidem ſingulorum æquales portiones ſumito, narciſſini verò partes quatuor. Hæc trita & in glãdulam efformata, linteoque crudi lini excepta apponito. Aliud. Cyclaminum magnitudine tali, & florem æris magnitudine fabæ terito, melle ſubigito, & efformatam hinc grandulam ſubdito. Aliud. Pulegium, myrrham, thus, fel ſuillum, melle ſubigito, & in glandulam efformata ſubdito. Alia acerba. Rhoem vino nigro ſubactum apponito. Aliud. Cnicum eodem modo præparatum ſubdito. Aliud. Loti ramenta eodem modo apponito. Aliud. Rhoem melle ammixto ſubdito. Alia mollientia. Sulphur, adipem, vitellum oui, farina, melle ſubige, & tepefacta in lana ſubde. Aliud. Pinguedinem anſeris, adipem ouillum, ceram albam, reſinam, vnguentum roſaceum, tenui linteo excepta appone. Aliud. Medullam cerui & adipem liquefacito, & in lana apponito. Aliud. Adipem ouillum, aut caprinum, & oui candidum, roſaceo vnguento ſubactum, ac lana exceptum apponito. Quæ ad eluendos vteros infunduntur. Groſſos hybernos in aquam miſſos ad lentum ignem coquito, & oleo ad decoctum affuſo eluito. Deinde verò malicorium, & gallam, & loti ramenta, in vino acerbo coquito, & hoc excolatum infundito. Aliud. Pecem vini combuſtam in aquam mitte, & poſtea cum aqua collue: deinde malicorio, myrti baccis, folijs rhois in vino cõctis, vinum excolatum infunde. Aliud. Lentiſci, ſaluiæ, hyperici folia, in vino nigro coquito, ac infundito. Aliud. Si quid in vteris fuerit exulceratũ. Butyrũ, thus, myrrham, reſinæ parum, infunde. Aliud. Porrum in aqua coquito, & excolatam aquam ad vinum ammixtam infundito. Aliud. Sambuci fructum, anſum, thus, myrrham, vinũ ſumito, & horum ſuccum infundito. Aliud. Braſſicam in aqua coquito, & in braſſicæ ſucco mercurialem coquito, modico lini ſemine adiecto, & poſtea excolatum infundito. Aliud.

Mirrhæ

Myrrhæ acetabulum, thus, ſeſeli, aniſum, ſemen lini, netopum, reſinam, mel, pinguedinem anſeris, acetum album Aegyptium, horum ſingulorum æquales portiones terito, & in vini albi heminis duabus diluito, & poſtea tepida infundito. Aliud. Mercurialem in aqua coquito, ac excolato, & myrrhæ acetabulum, thuris, netopi, ſingulorum æquas portiones ammiſceto, ac tepida infundito. Aliud. Saluiam, & hypericum in aqua coquito, ac infundito. Aliud. Sambuci fructũ, & lauri baccas, æquis portionibus in vino coquito, deinde vinum infundito. Aliud. Pulegiũ in aqua coquito, & oleo ad aquam affuſo immittito. Aliud. Pinguedinem anſeris, & reſinam colliquefacta infundito. Aliud. Butyrum, oleum cedrinum modicum, cum melle liquefacito, & tepida infundito. Aliud. Cyperum, iuncum rotundum odoratum, calamum aromaticum, pari portione myrrhæ miſceto: & cum his ſiſymbrium in vino coquito, ac infundito. Aliud. Semen apij, aniſi, ſeſelis, nigellam, in vino coquito, ac infundito. Aliud. Cedrum Creticam in vino cocta infunde. Aliud. Brioniam albam, & myrrham, in aqua diluta infunde. Aliud. Argenti florem cum vino, & aqua infunde. Aliud. Elaterij portiones duas aqua dilutas infunde. Aliud. Cucurbitas ſiue colocynthidas ſylueſtres duas, in vini, aut lactis cocti heminis quatuor madefacito, excolato, ac infundito. Aliud. Cucumeris ſylueſtris medullam palmi parui magnitudine, in aquæ heminis quatuor coquito, & melle; ac oleo affuſo infundito. Aliud. Radicis thapſiæ duas portiones, & mel, ac oleum, in duabus aquæ heminis diluito, ac infundito. Aliud. Veratri duas portiones in duabus aquæ heminis tepidę infundito. Aliud. Thlaſpios acetabulum, melle admixto, in duabus aquæ heminis diluito, ac tepidæ infundito. Aliud. Cucumeris ſylueſtris magnitudinem palmi parui, in aquæ heminis quinque coquito, & melle affuſo infundito. Aliud. Grana cnidia ſexaginta, oleo, & melle diluta infundito. Aliud. Si natura pituitoſa fuerit, Cneori portionem tritam, in aquæ mulſæ hemina Aeginæa diluito, ac infundito. Aliud. Si bilioſa fuerit. Daphnes portionem odoratæ illius drachmæ põdus, ſcammoniæ portionem, terito, & in aquæ mulſæ, aut aquæ vuæ paſſæ hemina Attica diluito. Aliud. Daphnoidis portionem eodem modo: & ſi bilioſa fuerit, hæc infunde. Si verò pituitoſa; grana cnidia electa, & ſucci tithymali portionẽ infundito. Similiter etiam cneoro, & peplo, vtriſque his vti oportet. Immittito autem cum infuſo nõ ampliore quàm duarum heminarum. Suffitus porrò ſunt hæc contuſa. Gallam ſuffito. Aliud. Ramenta loti ad oleæ folia ficca contuſa miſceto, & oleo ſubacta ſuffito. Aliud. Prunas ſubijcito, & ordei paleis humidis inſperſis ſuffitum facito. Aliud. Super amphoræ oleariæ operculo ſtœben incendito. Aliud. Cupreſſi ramenta ſuffito. Aliud. Scammoniam myrrham, thus, vnguento affuſo, ſuffito. Aliud. Bitumen, & ordei paleas miſceto, ac addita pinguedine phocæ ſuffito. Aliud. Fraxinum, cupreſſi ramenta, cyperi radicem, vnguento roſaceo ſubacta ſuffito. Aliud. Calamum, cyperum, bryoniam, muſcum arboreum, apij ſemen, aniſum, ſimul mixta & vnguento roſaceo ſubacta ſuffito. Aliud. Reſinam ſiccam cineri feruido inſperſam ſuffito. Aliud. Cinamomum, myrrham, caſiam, paribus ſingula portionibus ſuffito. Aliud. Crocum ammixta myrrha, & muſco, æquali cum croco portione ſuffito. Aliud. Calamũ, cneorum, crocum, folia roſarum rubra ſuaueolentia trita & ſiccata ad crocum ammiſceto, & ſtyracem dimidia croci portione addito. Hæc trita mixta & ſiccata melle cocto modico ſubigito. Horum verò omnium ſuffitus ſit oboli Attici pondus. Suffiantur autẽ ſuper ſtercore bubulo. Formetur autẽ ſtercus velut acetabulum olearium, habeatque fundum tenue, & ſit ſiccum. Ignis autem ſit ſarmentitius, in quo ſtercus iaceat, & ex illo mulier inſidens contecta ſuffiatur. Aliud. Galbanum reſinam, mannam, vnguento roſaceo ſubacta ſuffito. Aliud. Panacis, & cupreſſi ramenta, vnguento Aegyptio albo ſubacta ſuffito. Aliud. Cinamomum, nardum, & myrrham vnguento roſaceo imbuta ſuffito. Aliud. Violæ albæ ſemen, cedri ramenta, & galbanum, melle ſubacta ſuffito. Aliud. Stercoris caprini pilulas, & leporis pilos, pinguedine phocæ ſubacta ſuffito. Aliud. Coaguli phocę pelliculã cõtuſam ac tritã, & ſpõgiã & muſcũ arboreũ, trita ſimul mixta, atq; phocæ pinguedine excepta ſuffito. Aliud. Stercus caprinũ, & pulmonẽ phocę, ac cedri ramẽta ſuffito. Aliud. Stercus bubulũ, cedri ramẽta, & bitumẽ ſuffito. Aliud. Spinæ Aegyptię fructum, & cedri ramenta, & myrti ſiccæ folia; Hęc trita & vnguento molli ſubacta ſuffito. Multa verò aromata in vnguentum inijcito. Aliud. Vinacea tuſa trita, & cedri baccas, & reſinam pinus, ſimul mixta & paſſo cocto ſubacta ſuffito. Fomenta. Stercus bubulum contuſem, ac cribratum, aceti dimidia menſura, & decocti erui dimidia adiecta, leniter pro fomento adhibeto. Poſtquam autem fomentum adhibueris, lenticulę decoctum bibendum dato ac reuomendum. Et farinam ſorbendam ac vinum inſuper bibẽdum. Poſtridie verò granum cnidium deuorandum exhibeto. Sequenti die quod vrinam ciet, hoc ſcilicet: Ciceris albi partes duas tritas, vuæ paſſæ tertiã partem, affuſa aqua ad dimidias coquito, deinde excolatam aquam per noctem ſub dio exponito, & poſtridie bibendam dato. Et de cætero ſaluiam ac lini ſemen, polenta ad ambo hæc ammixta, bis per diem in vini diluti heminis quatuor dato. Aliud. Olei heminas dimidias tres, foliorum ſambuci manus plenę menſuram; Hæc cocta in craterem calidum fundito, & per teſtas calidas immiſſas fomentum facito, muliere in ſella collocata, ac veſtimentis cooperta. Aliud. Foliorum ſambuci manus plenæ menſuram, & myrti tantundem in aquam miſſa coquito, & ad excolatam aquam, ordei paleas inijcito, coquito, & linteo excipito, ac cum hoc fomentum facito, prout maxime calorem ferre poterit. Aliud. Acetum, oleum, aquam, mel, hæc mixta valde feruefacito: deinde accepta veſica capiente congium, aut vtriculo ex tenui corio facto, infundito, & panniculo laneo obuoluto, foueto. Quum autem tepidus factus fuerit panniculus; alium obuoluito. Aliud. Pini corticem, & rhois folia in aquam conjecta fortiter coquito: & in excolata aqua ordei paleas coquito, oleo affuſo; vbi verò ſimul coxeris, linteo excipito ac foueto. Aliud. Loti ramenta & cupreſſi, aqua, & oleo affuſo coquito; Deinde ſimul cocta linteo excipito, ac foueto. Aliud. Aromata in aquæ chęnicem conjecta coquito; & in excolata aqua furfures triticeos coquito, & foueto. Aliud. Eodem modo gallam contuſam,

& rhamni corticem in aqua coquito; & cũ aqua furfures triticeos subigito, ac oleum ammiſceto. Poſtea ſemi aſſatum panem duos chœnices habentem facito, linteoque excipito, ac foueto. Aliud. Braſſicam, & porrum decoquito, & cum ſucco eodem modo fomentum facito. Aliud. Ordei paleas coquito, oleo affuſo, & linteo excipito, ac foueto. Aliud. Solanum, & oleæ folia coquito, & eodem modo fomentum facito. Atque hęc ſanè, ſi quidē humidis vti volueris: pro fomento velut ſcripta ſunt adhibe. Si verò ſiccis panes parato, & exaſſatos, & ſemiaſſatos, & cum his foueto. Sed & teſtis calidis linteo inuolutis foueto, itemque cum ipſis linteis calefactis: & cum lenticulis vaſis teſtaceis, feruente aqua infuſa. Apponito autem ad pedes. Aliud. Iridis radicem tundito, ac coquito, & eodem modo foueto.

30 Si aqua in vteris gignatur, mēſes pauciores fiunt, & deteriores & per longius tempus, & prægnans eſt ſubinde per duos menſes, aut paulò amplius. Quum autem hoc tempus aduenerit, & fœtum corrumpit, & aqua multa in ipſa gignitur. Huic autem lac bibendum dare oportet; & peplum, mecona dictum; donec fętus moueri inceperit. Plerūque verò ante hoc corrumpitur, & per abortum extruditur, vteri ſanguinę manent. Hæc autem patitur nihilo magis ex labore, quam aliter. Hoc autem cognoſcere poteris, quòd hydrops ineſt, ex digiti contactu. Comperies enim oſculum ipſorum gracile, & obſcuratū, ac plenum humiditate. Si verò nō circa initia, ſed dum iā mouetur, fœtus ipſi corrumpatur, ac ſuffocetur, tūc & venter imus intumeſcit, & ad contactum dolet, velut vlcere præſente: & febris ipſam, ac dentium fremitus corripit. Et dolorem habet acutum, & vehementem circa pudenda, & imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem, ac coxendices. Quum ſic habuerit; calida ipſam lauare oportet. Et qua parte dolor hæſerit; tepefactoria adhibere, experimento facto de eo, quod maxime admittat: & pharmacum deorſum purgans libendum dato. Interpoſito verò tempore quantum tibi ſufficiens eſſe videbitur, & collutione facta, & fomento adhibito, cyclaminum apponito, ita vt melle ſubactam, & linteo exceptam deliges, & ad os vterorum apponas. Cupreſſi etiam ramenta in aqua madefacta, eodem modo apponito. Verum hæc breuiore tempore, & per longius temporis interuallum, quanto magis mordent, & exulcerant. Et ſpecillum ſtanneum paratum immittito, & digitum eodem modo. Potiones quoque bibendas dato, experimentum faciens quas libenter admittat: & cum viro dormiat, maxime opportuno tempore præſente: ſi enim genituram conceperit, & prægnans facta fuerit, ac peperit; ſubexpurgantur & quæ prius in ipſa fuerant, cum ipſo puerperij purgamento. Atque ſic maxime ſana fieri poterit.

31 Si indurati fuerint vteri; & os ipſorum aſperum fit, & menſes occultantur. Quum verò apparuerint; velut arena ſunt, & genitura hoc tempore non fit. Si verò etiam digito contigeris; aſperum comperies os vterorum. Quum ſic habuerit; cyclaminum terere oportet, & ſalem, ac ficum crudam ammiſcere, & cũ melle efformata apponere: & fomento adhibito, purgatoria infundere. Edat autem mercurialem, & braſſicas coctas, & ſuccum ſorbeat, & calida lauetur. Si indurati fuerint vteri, & mēſes occultantur, & os ipſorum conniuet, & non cōcipit. Quum ſic habuerit, ſi digito contigeris; comperies os aſperum, & digitū non intromittit: & febris ipſam corripit, ac dentium fremitus. Et dolor habet imum ventrem, & laterum mollitudinem, & lumbos. Patitur autem hæc: ſi fętus in ipſa corruptus fuerit putrefactus. Quibuſdam verò etiam ex partu contingit. Sæpe etiam aliter. Quū ſic habuerit: multa calida ipſam lauare oportet, & fomentum adhibere. Quum autem recens lota, aut ſota fuerit immiſſa ſpecillo os aperito, ac dilatato, & per digitum eodem modo, & velut in priore ſcriptū eſt apponito. Et potiones ſimiliter bibendas dato: & eodem modo curato velut priorem.

32 Si vteri ad latus allapſi fuerint; tuſſis detinet, & dolor ſublatus, & vterus durus velut pila inſidet, & ad contactum dolet velut ab vlcere Et contabeſcit, & videtur peripneumonia eſſe, & conuellitur, & gibboſa fit. Et menſes omnino non apparent. Quibuſdam verò prius conſpecti, euaneſcunt. Tunc autem comparentes, debiles ſunt, ac pauci, aut deteriores, quàm antea: & genitura non fit hoc tempore. Quum ſic habuerit: pharmacum deorſum purgans bibendum dato: & eo epoto, multa calida ipſam lauato: & ex tepefactorijs, quod maxime admittit, adhibito: & à quib. ſanguis purgatur, ea apponito; & lini ſemen toſtum, tuſum, ac cribratum, & peplum album, & ſaluiam cũ polenta tenui, & caſeum caprinum, ſordibus & ſalis muria derafis: hæc miſceto, vt caſei ſint partes duę, reliquorum verò vna; polenta autem ſit antiqua, nō falſa, & ieiunæ in vino bibenda dato. Veſperi verò cyceonem craſſum melle affuſo exhibeto, & ex potibus quemcunque libenter admiſerint, bibendum dato. Et frequenter fomentum adhibeto. Calidam verò aſpergito, & per ceratum leniter mollito, ac à latere detrudito: & latus faſcia lata deligato; & lac bubulum quàmplurimum ad dies quadraginta bibendum præbeto. Cibis autem vtatur quàm molliſſimis. Morbus hic vehemens eſt, & lethalis: & paucæ etiāſi curentur; ipſum effugiunt.

33 Si os vterorum concludatur: ſpiſſum fit velut groſſus ficus. Et ſi digito contigeris; comperies durum ad contactum; & digitū non intromittit; & menſes occultantur, & genituram non ſuſcipit hoc tempore: & dolor habet imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem. Quandoque etiam ſurſum procedit, & ſuffocat. Quum ſic habuerit: pharmacum deorſum purgans bibendum præbeto, & multa calida lauato, & quæ os molliūt apponito, & ſpecillum immittito, ac aperito, & digitū ſimiliter, & calidam aſpergito. Quū autem molle factū fuerit, ea, quæ ſanguinē purgāt, apponito, & ex potionibus dato, experimento facto, quàm libenter admittat, & braſſicam edat, & ſuccum eius ſorbeat.

34 Si vteri obliqui fiant: etiam os ipſorum obliquum fit, & menſes ipſi nunc occultantur, nunc prius apparentes euaneſcunt; & non ſimiles fiunt; ſed deteriores, ac pauciores quàm antea, & genitura non fit hoc tempore, & dolor habet imum ventrem, & lumbos, & coxam & attrahit ipſam Quum ſic habuerit: pharmacum infra purgans bibendum dare oportet, & calida lauare, ac fouere. Vbi verò recens ſota, aut lota fuerit, digito immiſſo os vterorum corrigat, ac dirigat, & odoratorum ſuffitum admittat, & ex potioni

bus

bus dato, iuxta experimentum, quàm libenter susci-
pit. Cibis autem vtatur mollibus, & allia edat cocta,
ac cruda, & cum viro dormiat, & in sanam coxam de
cumbat: alteri verò fomentum adhibeat. Morbus au
tem difficulter cedit.

35 Si inflati fuerint vteri; & venter attollitur, ac infla
tur, & pedes intumescunt, & cauæ faciei partes. Co-
lor verò deformis fit, & menses non fiunt, & genitu-
ra hoc tempore non fit, & anhelat, & anxia mœret:
&, quum surrexerit, aut progressa fuerit; erectę cerui
cis spiratio ipsam tenet: & quicquid ederit, aut bibe-
rit, ipsam molestat, & gemit, & magis ęger tristatur,
quàm priusquam ederet. Sæpe verò etiam suffoca-
tur. Quum sic habuerit; pharmacū deorsum purgans
bibendum dato, & calida lauato, ac fomentum adhi-
beto. Interposito verò tempore quodam, apponito
ea, à quibus purgetur, ac non mordeatur. Frequentis
sime verò totum corpus foueto. Tunc autem & sub
pudenda odorata suffiantur: sub nares autem graueo
lentia. Et potiones dato, quæ vteros purgant, & ad lo
cum compellunt. Et Mercurialem edat, & lac bibat,
velut de latere dictum est. Morbus autem non est
diuturnus.

36 Si sanguinis grumi in vtero coierint; os ipsorū vel
vteruo plenum fit: &, si attingis; ita habere deprehē-
des: & menses non fiunt, neq; genitura retinetur, quā
diu sic habuerit. Quum igitur ita habuerit; cyclami
ni corticem detrahito, & allium, & salem, & ficū, &
mellis parum terito, ac permisceto, & glandulā hinc
formatam ad vterorū os apponito: & alia vteris con
uenientia medicamenta subdito, quæ videlicet acria
sunt, ac corrodunt, & à quibus sanguis purgatur: &
de potionibus dato eas, quæ vteros purgant, & om-
nia circumradito: & vesicæ pellicula, siue cuticula
digitis obuoluta, os vterorum deradito.

37 Si obtorti fuerint vteri; & menses non fiunt, &
genitura non manet intus, & dolor habet imum ven
trem, & lumbos, & laterum mollitudines: &, si digito
contigeris: os vterorum attingere non poteris, nam
fortiter secessit. Quum sic habuerit; pharmacum bi-
bendum dare oportet, à quo sursum, ac deorsum, pur
getur, magis tamen deorsum: & os ipsum, ac vteros
quam maxime fouere, ac calida lauare bis in die, &
de potionibus dato, quam libenter suceperit pro ex-
perimento: & viro condormiat frequentissime, &
brassicam edat.

38 Si vteri commoti in loco non manserint, quò pro-
lapsi fuerint, dolores exhibent, & in conspicui fiunt.
Quandoque verò exhibent, velut sedes prolapsa. Et
quum quidem supina decubuerit; in loco manent:
quum autē surrexerit, aut se inclinauerit, aut aliàs se
commouerit; exeunt. Sæpe verò etiam quietem ha-
bent. Hanc quàmmaxime quiescere oportet, & non
moueri: & lectum ad pedes altiorem statui, & ijsdem
vti velut in superioribus, & cū acerbis infusis cōsper
gere, & graueolentia suffire: sub nares autem odora-
ta. Et malum punicum in medio per vmbilicum per
forato, & in ipso piceum, quæ maxime congruat cum
vino tepefacito, & non valde premens quampenitis-
sime apponito. Quum autem quid apposueris; lata fa
scia exceptum ex lūbis deligato, vt ne dilabatur, sed
maneat, & faciat quod expetitur: & peplum cum ca-
seo, & polenta, bibendum dato, velut in allapsu ad la
tus dictum est: & ex potionibus quammaxime admi
serit bibendā præbeto. Cibis autem molliſſimis vta
tur, & cum viro quàm maxime dormiet.

39 Si hiauerit os vterorum magis, quàm solet; mēses
plures fiunt, & deteriores, & humidiores, & per longi
us tempus, & genitura ipsam non contingit, neq;
intus manet, sed rursus foras effunditur: & si digito
contigeris: os vterorum hians comperies; & impo-
tētia ipsam corripit præ mensibus, & febris, ac rigor,
& dolor tenet imum ventrē, & lūbos, ac lateris mol-
litudinem. Patitur autem hæc maxime, si quid in ip-
sa fusum fuerit, & corruptum computruerit: patiun-
tur etiam ex partu, & aliæ aliter. Quum sic habuerit:
pharmacum bibendum dare oportt, à quo sursum
purgatur, & quum dolor habuerit, tepefactoria appo
nere, & calidā lauare, & interposito tēpore, per infu-
sa colluere, uelut scriptum est in priore, & de potio-
nibus dare quam libentissime susceperit, & suffire,
quæ siccant. Edat autem polypos, & mercurialem.

40 Si leuigati fuerint uteri; & menses plures fiunt, &
deteriores, & humidiores, ac frequentiores, & geni-
tura intus non manet, sed rursus exit: &, si digito
contigeris: comperies os leue. Et impotentia ip-
sam corripit præ mensibus, & febris, ac rigor, &
dolor imum uentrem, & lumbos, ac lateris molli-
tudinem, maxime si quid in ipsa corruptum com-
putruerit, & ex partu, & aliàs. Quum sic habuerit;
curare oportet, ubi dolor habuerit, uelut scriptum
est in priore.

41 Si uteri ad uentrem nutauerint; dolor acutus &
vehemens coxendices, & lumbos, ac laterum molli-
tudinem habet. Et crus claudicat. Quum sic habue-
rit; pharmacum infra purgans bibendum dare opor-
tet, postridie verò suffire hoc modo. Ordei chęnices
duas, & oleæ folia probe contusa, & gallam contu-
sam ac cribratam, & hyoscyami tertiā chęnicis par-
tem. Hæc mixta, & olei hemina dimidia affusa, effor-
mata, in olla per dies quatuor, ter in die suffito. No-
ctu verò lac bubulum, & mel, & aquam bibat, & ca-
lida lauetur.

42 Si ad caput conuersi fuerint vteri: signum hoc est.
Venas in naso, & sub oculis dolore videtur, Hanc ca-
lida multa lauare oportet, etiam in capite, lauro, &
myrto in aqua incoctis: & caput vnguento rosaceo il
linatur, & odorata subter suffiātur, & brassicam edat,
& succum absorbeat.

43 Si ad crura & pedes conuersi fuerint; ex hoc co-
gnosces. Magnis pedum digitis conuellitur sub vn-
gues. Et dolor crura, ac femora tenet. Quum sic ha-
buerit; multa calida ipsam lauare oportet, & fomen
tum adhibere, quod maximè libenter admiserit, &
subter suffire graueolentia, & vnguento rosaceo
vngere.

44 Si mulier cibum auersans vteros doleat, & febris
ipsam, ac rigor corripiat; pepli albi quintam dimidiæ
chœnicis partem, & seminis vrticæ tantundem, & ca
sei caprini rasi dimidiam chęnicem, simul cum vino
vetere mollito, deinde cocta sorbenda dato.

45 Si ex partu fluxus corripiat, & cibi in ventre non
maneant: vuam passam nigram, & mali punici dulcis
grana trita, & coagulum hędi, & vino nigro diluito,
ac vtitor, ita vt caseum caprinum derasum, & polen
tam tritici torrefactam adijcias, & bene temperata
bibenda præbeat.

46 Si ex partu sanguinē vomat; hepatis fistula sauciata

est, & dolor ad viscera procedit, & cor conuellitur. Hanc multa calida lauare oportet, & tepefactoria, quæ maxime admiserit adhibere, & asininum lac bibendum, ad dies quinque dare: postea verò vaccæ nigræ lac bibendum præbere, ita ut sine cibo degat, ad dies quadraginta. Ad vesperam verò sesamum tritũ bibat. Morbus his est periculosus.

47 Si mulier diu non concepit, mensibus apparentibus tertia, aut quarta die, alumen tritum vnguento dilutum, lana exceptum apponito, & per tres dies appositum habeat. Tertia verò die fel bouis radito, & ramentum oleo dilutum, ac subactum, linteo exceptum apponito. Et tres dies appositum habeat. Sequenti verò cum viro coeat.

48 Ad vterorum morbum sedandum, lini sicci vnà cum stipula pugillum tenuiter tusum, in vino albo quàm iucundissimo per noctem madefacito, deinde excolatum in ollula tepefacito, & in eo lanam mollissimam tinctam apponito, & vicissim priore detracta aliam subdito.

49 Si vteros purgare voles; primum quidem ordeum oleo imbutum in prunis suffire oportet. Postridie verò carnẽ ouillam coquere, cũ ordei decocto sub dio per noctem exposito. Sit autem decoctum ordei congij mensura, & valde ipsas carnes coquito. Vbi verò coctæ fuerint; leuiter tepidas edat, & iusculum sorbeat. Postridie autem thus, & pulegium tritum mel le subactum, & lana exceptum ad triduum subdito.

50 Si vteri ad sedem conuersi fuerint, & secessus secedere prohibuerint; dolores habent & lumbos, & imũ ventrem, & ilia. Quum sic habuerit; calida ipsam lauare oportet, & lumbos fouere, & graueolentia suffire, & apponere quæ purgant, & impellent ipsos vteros, & bibenda dare ea, quæ maxime admittit.

51 Si vlceratum fuerit os vterorum, aut inflammatũ; myrrham, & adipem anserinum, & ceram albam, & thus, in leporis pilis, qui sub ventre sunt, misceto, ac terito, & in lana mollissima apponito.

52 Si secundæ decedere non possint; statim quidem à cibo abstinere oportet. Viticis autem folia trita in vino, & melle, oleo affuso tepefacito, & heminæ mẽsuram bibendam dato.

53 Si inflammati fuerint vteri; sambuci folia tenerrima in tritici recentis crassiore farina coquito, & leuiter tepida sorbenda dato.

54 Si vteri trãsmoti fuerint; hederam ficcissimam tritã, & linteolo tenui illigatã subdito, & pingue aliud nihil adhibeto. Bibendum verò dato triticum recẽs, & peplũ tostum, & saluiam, & cyperum, & anisum. Hæc trita vino diluta cum furfuribus ordei bis in die dato, pro vice dimidiam heminam.

55 Si menses constituto tempore non fiant; brassicæ folia, & rutam terito, postea paleas ordei chœnicis mensura madefacito donec flaccescant, & per noctẽ sub dio exponito. Mane verò in hemina inde excolata brassicam, ac rutam diluto, & affuso oleo conquassato, & bibenda dato; postea polypum vino albo suffocatum edendum dato, & vinum bibendum. Si verò volueris; pisces odoratissimos, coctos edendos dato, & iusculum sorbendum.

56 Si ex feruido, & superficiario vlcere pudenda fuerint exulcerata; myrti baccis in vino coctis pudenda colluat. Et postea mali punici dulcis putamina in vino coquito, & myrrham, ac resinã simul mixta vino diluito, & intinctum in his linteum subdito.

57 Si vrinæ stillicidium corripiat; cucumeris, siue cucurbitę os, & fundum resecato, & subiecta pruna cucumim circumponito, & insperta in ignem myrrha, mulierem super cucumim locato, ita vt summã cucumeris partẽ quampenitissime in pudendũ indat; quò vapor plurimus in pudenda transmittatur. Et ex potionibus vrinam cientibus ieiunæ aliquas exhibeto.

58 Si ad cor progressi vteri suffocent, & non decedãt; porri semen tritum, & pulegium, in aquæ cyathis tribus, & aceti albi cyatho vno, & mellis tertia cyathi parte diluito, tepefacito, & ieiunę sorbenda dato.

59 Si ex partu, aut abortu rigor corripuit; iuniperi fructum, & saluiam simul trita, in aceti albi cyatho diluito, & vini albi diluti poculum affundito, versato ac stare finito. Mane verò excolato, & tepefactum bibendum dato.

60 Si vteri inflati fuerint, & si ventus in vtero fiat, & dolor; saluiam, & cyperum tusa madefacito per noctem, & mane excolato, & purum cremorem in ollã fundito, tritici farina crassiore adiecta, & aceti albi cyatho affuso, & succi silphij magnitudine fabæ addita, & cocta crudius sorbenda dato.

61 Si in pudendis graueolentia fuerit, & columella nascatur, & dolor habeat; dolorem quidem sedabit apij semen, ieiunæ in vino datum. Graueolentiam verò, anisum eodem modo dato. Columellam verò resecare oportet.

Si vlcera fiant in pudendis, & pruritus corripiat, oleæ, & hederæ, & rubi, & mali punicæ dulcis folia trita in vino veteri dilue, & postea carnẽ recentem foliis intege, & appone. Et habeat subditam per noctem. Mane verò eximat, & myrtum in vino decoquat, & cum vino pudenda colluat.

62 Si genituram non suscipiat, mensibus secundum naturam prodeuntibus; membrana ante vteri os excreuit. Contingit etiam ex alijs causis. Cognosces autem hoc, si digitum admoueris; membranæ prætextum continges. Ad hæc medicamentum subditicium facere oportet. Resinam itaque, & æris florem melle diluito, & linteum ex his tactum penitissime indito, filo ad extremam partem depẽdente illigato. Quum itaq; hoc exiluerit; myrtum in vino coquito, & cum vino tepido eluatur.

63 Si annelationes corripuerint mulierem; sulphuris magnitudinem fabę, nasturtij tantundem, & rutam, & cuminum Aethiopicum, hæc trita, & vino diluta, ieiunæ bibenda præbeto. Oportet autem & à cibis abstinere, & non frequenter edere.

64 Si pariens inflata fuerit; hepar ouillum, aut caprinum calido cinere obrutum, edẽdum dato meracius ad dies quatuor, & vinum bibat vetus. Si lumbos doleat; anisum, & cuminum Aethiopicum bibat, & calida lauetur, & apothermon (potus id genus est) bibat.

65 Si menses non fiant, testam crassam exurito, ac terito, & origanum in pinguedine anseris coctum terito, & ad testam in linteum ammisceto, ac tepida apponito.

66 Si vteri concluſi fuerint, & menses non apparuerint; colocynthidem syluestrem, & silphij semen, cuminum Aethiopicum, nitrum, salem Thebaicũ, adipem rhenalem, farinam, myrrham, & resinam. Omnia hæc feruefacito, simulque mixta, ac trita in glandulam efformato, & apponito.

Si

67 Si vteri ad viſcera conuerſi ſtrangularint: vinum cedrinum, & cuminum Aethiopicum bibat, & calida lauetur, & apothermon bibat.

68 Si menſes non fiant; adipem anſeris, & netopon, & reſinam, mulier lana excepta ſubdat. Si verò magis, quàm conuenit prodeant; ſuſinum, & raiæ linguam, in lana apponat.

69 Si tranſmoti vteri aliquò allapſi fuerint; ordeũ de corticatum tritum vnà cum paleis ſume, & cum cornu ceruino ſubige, & hinc vteros ſuffito.

70 Si ſecundæ decedere non poſſint; fęniculum vino, & oleo, ac melle feruefactum bibendum dato.

71 Si menſes non appareant, & velis ipſos detrahere: craſſiorem tritici farinam, & ordeum coquito, & oleo affuſo edenda dato.

72 Si inflammati fuerint vteri: cotyledonis folia, & porrum, in craſſiore tritici farina coquito, & affuſo oleo edenda dato.

73 Si moti vteri aliquò allapſi fuerint, & dolorẽ exhibuerint: oleæ ſcabiem, & lauri, ac cupreſſi ramenta, in aqua coquito, & linteo excepta apponito.

74 Si vterus doleat, & ad veſicam fuerit dolor: porri ſemen in aqua tritum ieiunæ bibendum præbe, & tepefactoria adhibe.

75 Si vteri prominuerint: lotos ipſos cum aqua tepida, & vino, ac oleo illitos, rurſus intrudito, & exlumbis deligato, & graueolẽtia ſuffito: & ſi vrinam emittere non poterit; calida lauato, ac foueto, & cupreſſi ramenta ſuffito. Et potiones vrinam cientes bibendas dato.

76 Si fluxus fiat: acerba ſuffito, & ſtercus aſini derasũ, lanæ illigatum ſubdito. Sit autem ſtercus ſiccum.

77 Si in pudendis vlcera fiant: adipem bubulum illinito, & apponito, & cum vino, in quo myrtus cocta eſt, colluito.

78 Si ex partu os vterorum fuerit exulceratum, florẽ roſarum tritum, & vino imbutum, in pilis leporinis apponito, & acerbis colluito.

79 Si vterus doleat; allij caput integrum, & nitrum toſtum, & cuminum tertio, & melle ſubacta ſubdito, & calida lauetur, & ſubcalidam bibat.

80 Si feruido, ac ſuperficiario vlcere pudẽda fuerint vlcerata, adipem bubulum, & butyrum, & anſeris adipem, ac ſuſinum vnguẽtum miſceto, & anſeris pudẽda illinito, & aqua tepida colluito.

81 Si vteri aſcendentes ſuffocarint: funiculum lucernarium accenſum extinguito, & naribus admoueto, quò fumum attrahat: poſtea myrrham vnguento dilutam, & lana exceptam apponito, & reſinam oleo dilutam bibendam dato.

82 Si ſecunda non ſecedat: conyzam tritam lana exceptam apponito, & ignem, in vino tritam bibendam dato.

83 Si caput doleat, & imum ventrem, & lumbos: bilis in vteris eſt. Huic itaque pharmacum dare oportet, quod ſurſum, ac deorſum purgare poteſt, & calida lauare, & apponere, quæ bilem purgant. Et aniſum, ac nigellam vino diluito, & bibenda dato.

84 Si fluxus oboriatur: cancros fluuiales in vino ſuffocato, & vinum bibendum dato, & quæ ſiccant ſuffito, & apponito.

85 Si fluxus oboriatur; porri pugillum in vino tritũ bibendum dato; & ſiccis, & acerbis vtatur. Si fluxus oboriatur; muli ſtercus, combuſtum, tuſumque, ac cribratum, vino dilutum bibat; reliquis autem eodẽ modo vtatur. Si fluxus oboriatur, & iam diuturnus fuerit; ſpongiam combuſtam, ac tritam, vino odorato dilutam, bibendam dato, & per ſuffitus reſicca, & quæ reſtringunt appone.

86 Si vteros purgare velis, nitrum, cuminum, alliũ, & ficus terito, & melle ſubacta apponito, & calida lauetur, & apothermon bibat.

87 Si vteros doleat; cyclamini radicem in vino ieiunæ bibendam dato; & calida lauetur, & apothermon bibat.

88 Si lac extinctum fuerit; reliqua quidẽ eodẽ modo curato, fęniculi verò ſemen bibendũ dato, & radices fœniculi decorticatas, ac butyrum ſimul coquito. Quum autem cocta fuerint; frigefacito, ac bibenda dato. Commodum eſt etiam hippomarathrum, & hippoſelinum ſimul coctum. Si lac extinctum fuerit, porrum tritum aqua dilutum bibendum prębe: & calida lauetur, & porrum, ac braſſicã edat, ſimul coctis cytiſi folijs, & ficcũ ſorbeat. Si lac extinctũ fuerit: ſaluiam, cedri, aut iuniperi baccis adiectis coquat, & ad diffuſum ſuccũ, vinum affundat, ac bibat, & ad cætera farina inſperſa, additoque bulbo, & modico oleo affuſo, edat. Et acria, & acida, & ſalſa, ac cruda olera cĩa vitet. Naſturtiũ verò in vino potũ cõmodũ eſt (nã lac purgat) & calida lauetur, & apothermon bibat.

89 Si velis mulierem prægnantem fieri; ipſam & vteros purgato, poſtea farinam ieiunæ edendam dato, & vinum meracum inſuper bibendum: & nitrum rubrum, cuminum, ac reſinam, melle ſubacta in linteo ſubdito, & vbi aqua defluxerit: nigros peſſos mollitorios apponat, & cũ viro dormiat. Si prægnantẽ facere voles mulierem: ipſam & vteros purgato. Deinde linteum tenuiſſimum reſiccatum, ac melle imbutum in glandes efformato, & in fici ſucco tinctas apponito, donec fuerint aperti. Poſtea verò magis intrudito. Vbi autẽ defluxerit aqua; vino, & oleo colluta cum viro dormiat. Bibat autem & pulegium in in vino cedrino: quum viro condormire uolet.

90 Medicamentum fętum ex vteris pellẽs. Cucumeris ſylueſtris ſuccum potionis menſura, in mazã conſperſum apponito: vbi ad duos dies antea ieiunauit. Aliud. Staphidis ſylueſtris pugillos duos, ĩ aqua mulſa dilutos, bibendos dato.

91 Experimentũ fęcunditatis. Caput alij integrũ deraſum vteris apponito. Poſtridie verò digitum immittat, ac cõtingens cõſideret: & ſi quidẽ oluerit inde os; bene habet: ſin minus: rurſum apponat. Aliud experimentum. Netopum modicum in lana inuolutum apponat, & conſideret, an per os oleat.

92 Alia ſubditicia medicamẽta. Scorpij marini fel, in lana inuolutũ, & vmbra ſiccatũ apponito. Pulegium ſiccum tritum, melle imbutum in lana apponito. Cucumeris ſylueſtris ſemẽ, & teſtam combuſtam, vino ſubactam cum pilis leporinis, in lana ſubdito. alumẽ Aegyptium, lana inuolutum apponito. Cantharidas vino ſubactas, in lana ſubdito. Herbam artemiſiam vino ſubactam apponito. Nigellam in vino tritam in lana ſubdito.

93 Aliud, ad recẽs enixã. Vnguentũ roſaceũ & cerã, in lana apponito. Bulbion ex tritico, tritum & uino ſubactũ in lana ſubdito. Vini albi ueteris fecẽ cõbuſtam, & uino albo extinctam ac tritam in lana apponito. Galbanum, netopum, & miſy, cum unguẽto roſaceo

faceo in linteo apponito. Elaterij portiones duas, & fauum cum vino, in linteo apponito. Butyrum & alumen melle subactum, in linteo subdito. Scammoniæ succum, & adipem, cum maza misceto, & vino imbuta, in linteo apponito. Si concipere nolit; misyos fabæ magnitudinem aqua dilutam bibendam dato, & per annum non concipiet.

94 Si periculum facere velis in muliere, an prægnans sit, aut nō; rubro lapide siue terra erithrea oculos sub linito. Et, si quidem ingrediatur pharmacum; prægnans est sin minus; non.

95 Si prægnanti pudenda feruido, & superficiario vlcere fuerint exulcerata; amygdala trita, & medullam bubulā in aqua coquito, & modica farina adiecta, pudenda illinito, & baccarum myrti decocto colluito.

96 Si virgo ex lapide laborarit; semen radicis Aethiopicæ in vino veteri ad dies decem dato. Deinde in aqua ad dies viginti, & bis in die, multa calida lauato.

97 Cataplasma. Allium, portulacam, apium, loti, & cedri ramenta, trita simul mixta aqua mulsa diluito, & cataplasma hinc factum imponito. Rubi folia, myrti folia, simul trita aqua mulsa diluito, & polenta ammixta subacta imponito. Sambuci folia, myrti folia, terebinthi folia tenerrima, eodem modo apponito. Lothi ramenta, mori folia, simul trita mixta, aqua diluta, cum vua passa imponito.

98 Suffitus. Ouiculę, aut capræ cornu tusum, & ordeū tostum, ac fresum, oleo subigito, ac suffito. Cerui cornu, & oliuas nondum habentes oleum, simul trita mixta suffito. Rhoem rubrum, & polentam tostam, oleo subigito, ac suffito. Polentam & stercus bubulū, & paleas, oleo subigito ac suffito. Loti ramenta, & rhois folia, & cupressi siccæ ramenta, vino nigro austero subacta suffito. Galbanum, mannam, & resinam vnguento subacta suffito. Caprę cornu, & gallam, & adipem suillum, ac cedriam sufito. Terram ex asmorum pedibus deradito, & stercus asininum, cum vino nigro subigito, ac suffito.

99 Collutiones. Folia myrti, & lauri, ac hederæ in aqua coquito, & cum hac tepida colluito Rhois, & mali punicæ, ac rubi folia, in aqua mulsa coquito, & cum ea excolata colluito. Sambuci, & lentisci folia in aqua coquito, & excolatam leuiter tepidam infundito. Fęniculi, & brassicę radices tusas in aqua coquito, oleo affuso, & postea cū excolata colluito. Oenanthen, & cyperum, & vuas passas, in aqua mulsa coquito, ac colluito.

100 Malagmata. Maluam, & fœnogræcum in aqua feruefacito, & cum excolata aqua leuiter tepida colluito. Cupressi ramenta, & amaracum, in passo aqua temperato coquito, ac colluito. Serpillum, & violæ albę radicem, in aqua mulsa coquito, ad colluito. Hypericum, & lentiscum, & baccas cedri in aqua coquito, & cum leuiter tepida colluito. Fauum, & butyrū, & resinam, & adipem anserinum, in aqua coquito, & colluito.

101 Fomenta. Lolium tostum ac mollitum, in posca meraciore coquito. Postquā autem coxeris; linteo illigato, & foueto. Lētem tostam, decorticam, & in farinā crassiorē alicæ similem redactam, in aqua coquito, & linteo illigato, ac foueto. Eruum eodem modo parato, ac foueto. Commoda est & saluia eodem modo parata. Saluiā, & hypericum in aqua coquito, & ordei paleis in decocto coctis & linteo exceptis, foueto. Loti, & cupressi ramenta in vuæ passæ cremore coquito, linteoque ipsa illigato, ac foueto. Oleæ, & myrti, & hederæ, ac lauri folia, in aqua coquito, & decocto, hordei paleas coquito, deinde linteo illigato, ac foueto. Cupressi ramenta, & cedri, & ordei furfures, simul misceto, & in vuæ passæ cremore subigito, ac panem formato, & cum hoc assato, calido in linteum illigato, foueto. Violæ albę semen, aut radices, in aqua coquito, & cū aqua furfures tritici subigito, ac panem formato. cum quo calido in linteum inuoluto, foueto. Serpillum in aqua coquito, & furfure triticeo in aqua coniecto, eodem modo foueto. Spongias calefacito, & adhito, & cum mollibus lanis, & & panniculis laneis, & vasis testaceis aqua infusa, & vtriculis eodem modo, & decoctionibus in vtres infusis, foueto.

102 Purgatoriū. Si mulierē parere non potentem facere velis, vt prægnans fiat; considerare oportet in mensibus, an biliosa, aut pituitosa sit. Cognosces autem hoc, arena tenui sicca ad solem conspersa, & quū menses prodierint; sanguine super arenam in sole effuso, ita vt ipsum siccari sinas: si. n. biliosa fuerit; sanguis super arenam siccatus, pallidus fit: si verò pituitosa: velut mucus existit. Horum igitur vtrū tandem fuerit, ventrem purgato, siue sursum siue deorsum purgatione opus habere visa tibi fuerit; postea paucis diebus interpositis, vteros purgato.

103 Vterorum fomenta. Si duri fuerint vteri, & non concipiat; vinum quàmiucundissimū cum pari aqua temperatum, trium semicongiorum Atticorum mē sura, & fęniculi radices, & seminis fęniculi quartam partem, & vnguēti rosacei semiheminā. Hæc in vas nouū fundito, & vinū affundito. Vasis autē operculū perforato & imposita arundine foueto. Arundinem verò cum operculo tollito. Si. n. sine operculo abstuleris; exuretur. Postquam autem fota fuerit; scillā apponito, velut infrà scriptū est. Apponito aūt, donec dixerit molle, & amplū esse vterorum osculum. Et, si quidē exulcerata fuerit, & pustulę in purgatione fuerint, si summa labia exulcerata fuerint; anisum, & adipem anserinū, in rosaceo oleo terito, & in lana inuoluito, & accepta carne bubula, magno pedis digito crassiore, sex digitorū longitudine, ipsam pharmaco illinito, & lana exceptam inuoluito, & ad extremam carnis partem, quæ foras spectat, filum alligato, & reliquam in vteros indito, vbi est vlcus.

104 Mensium purgatoria. Si non procedat menstrua purgatio: cucumeris syluestris internam partem ponderet trium obolorum, & artemisiam herbam, & thuris obolum terito, & ammixto melle in lana inuoluito, & ad os vteri apponito, quinquies in die hoc faciēs. Aliud. Vitem viridem terito, & melle ammixto lana excipito, & eodem modo apponito. Aliud. Cupressi fructum, & cucumeris syluestris internam partem, & thus terito, & melle ammixto lana excipito, & eodē modo subdito. Aliud. Cupressi fructū & thus terito, & melle ammixto lana excipito, ac subdito. Aliud. Abrotoni obolos tres cū melle lana excipe, ac subde. Aliud Elaterij obolum, & myrrhæ obolum terito, & cum melle lana inuoluito, ac subdito.

105 Purgatorium, si mulier non concipiat. Tauri vrinam collige trium heminarum mensura. Deinde artemisiam herbam, aut parthenium, aut adiantum, & laurum viridem, & cedri rameuta simul contunde.

Deinde

Deinde in effossa scrobe carbones accende. & imposita olla vrinam tauri infunde, & cõtusa in mortario adijce: postea sellam circumpone, artemisiam herbam, aut hyssopum, aut origanum impone, & muliere super hæc collocata, donet sudet foue. Vbi verò sudarit laua; cum calida, & in lauacrum artemisiam & laurum immitte. Deinde subditicium medicamentum adhibe. Aut artemisiam, aut bulbium in vino albo tritum lanæ inuolutum subdat. Hæc ad tres dies faciat, & deinde cum viro dormiat. Subditicium pharmacum ad conceptum facies. Ex nitro & thure, cum melle glandem formato, & apponito. Aliud. Purgatorium molliens. Caricam coquito, donec granula abijciat, & hanc expressam leuissime tritam in lana cum rosaceo vnguento apponat. Aliud acrius. Brassicæ, rutæ, partes portiones tere, ac vtere eodem modo. Aliud molle & purgatorium. Medullã anseris, aut bouis, aut cerui, magnitudine fabæ, affuso vnguento rosaceo & lacte muliebri terito, velut molle pharmacum teri solet. Deinde ex hoc os vteri llinito. Aliud tepidum purgatorium. Anseris medul am magnitudine nucis, resinæ lentissimæ, aut terebenthinæ magnitudinẽ nucis. Hæc in vnguento rosaceo ad lentum ignem liquefacito, & velut ceratum facito, & deinde ex hoc tepido os vteri illinito, & pectinem madefacito. Aliud detrahens purgationem, & sistens. Pęoniæ grana nigra, aut rubra, tria, aut quatuor in vino trita bibenda dato. Si verò magis detrahere voles; grana nigra eodem modo trita bibenda præbeto. Aliud purgans, ac detrahens. Lauri baccas ad summum viginti, & seselis dimidium acetabulũ, cum vino trita bibat. Aliud. Tauri fel tritum, trium semiobolorum. Atticorum pondere, in vino ieiunæ bibendum dato. Et efformata quoque ex ipso catapotia deuoranda dato. Aliud. Farinam recentem, mirrhæ obolos tres, croci tantundem, castorij obolum: Hæc cum vnguẽto rosaceo trita apponat. Aliud purgatorium. Semen vrticæ, & maluæ succum, cum adipe anserino tritum subdat. Aliud. Si non purgata fuerit ex partu; floris farinæ quantum tribus digitis comprehendi potest coquito, & melle affuso ventri velut cataplasma imponito, & bibendum dato. quinq, quod vteros aperit, & purgata. Cantharidas Aliud ue aceto albo affuso terito, & non valde liquidum pharmacum facito, sed vt digitis effingi possit: & de ficu alba pingui, sine granulis & pelle, duplam cantharidum partem ammisceto, & efformatam glã dulam tenui lana inuolutam subdito. Aliud. Si ex partu non fuerit purgata; trifolium in vino albo bibendum dato, hoc etiam menses educit, & fætus expellit. Aliud, purgans vteros. Quum puero immortuo sanguis intus manserit, colocynthidem sylueſtrem in melle tritam delingat, aut subdat.

106 Aliud sanguinem purgans. Sanguinem ex vteris expelles, si violæ albæ semen tritum, vino dilutum bibendum dederis. Aliud, quod similiter sanguinem ex vteris expellit. Rhois seminis quum rubrum fuerit, grana viridia triginta terito, & rosas caninas rubras, rubicundo ex ipsis delecto, in vino bibenda dato, quum sanguis eruperit. Aliud purgatorium. Si mẽses non apparuerint; styracem, & origanum terito, cõmisceto, & adipe anserino affuso apponito. Aliud, quod subditum vteros purgat ac euacuat. Absinthi radicem tritam cum melle, cum oleo apponito.

107 Subdititia vteros purgantia, aperientia, & aquam ducentia. Scyllæ frustum longitudine sex digitorum, & digiti parui crassitudine accipito, & de hoc duos digitos circunderadito, ac leuigato, & reliquum lana sordida inuoluito: eam verò partem quæ circumrasa est, ad os vterorum subditam, per diem ac noctem appositam finito. Postquam autem lauit, & abstulit; aqua odorata colluatur. Aliud purgatorium molle, quod aquam pituitam, & ducit, & pallidos. ac subcruentos menses detrahit; si non diuturni fuerint, & os emollit. Vnguentum narcissinum, cuminum, quod edimus myrrhã, thus, absinthium, cupressum, salem, rosaceum oleum sumito Et de alijs quidem singulis congium accipito, narcissini verò partem quartam: & omnia in glandem efformata, ac crudi lini linteo excepta subdito. Aut linteum tenue pennæ circundato, ac deligato, & in oleo albo Aegyptio tinctum apponito, & tota die appositum finito. Deinde vbi lauit, & abstulit, aqua odorata colluatur.

HIPPOCRATIS COI
De morbis Muliebribus Libro I.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Mulieres quæ purgationes à partu sunt expertæ, minus laborioſe purgantur. Symptomata, quæ circa purgationes menſtruas accidunt.*

2 *Mulier rariore carne prædita quàm vir. Lanas æqualis ponderis cum veſte pura & contexta, plus aquæ trahere. Mulier viro calidior. Vir muliere ſiccior propter labores.*

3 *Quomodo ex menſibus ſuppreſſis morbi generentur: & qua ratione menſes ſupprimantur, & quibus id frequenter accidat. Vterorum obtortorum cauſſæ.*

4 *Vteri concluſi. In tertijs menſibus quatenus bene aut male afficiantur. In quartis. Signa in quartis menſibus, expurgationibus menſtruis impeditis. In quintis. In ſextis incurabilis eſt. Signa in muliere cui menſtruæ purgationes ad ſex menſes occultantur.*

5 *Vteri ad ſtomachum allapſi. Vocis priuatio & ſtomachi morſus. Vrina rubra. Alia ſigna.*

6 *Menſium ad pulmonem progreſſorum ac receptorum, ſigna eadem, quæ in tabe. Menſium ſuppuratorum cauſſæ & ſigna. Vlcera poſt menſes ſuppuratos.*

7 *Steriles ex magnis in vteris vlceribus. Menſes ſupra inguen erumpentes.*
8 *Tuberculum ſupra inguen ſine capite magnum rubrum, ex menſibus non ſuppuratis.*
10 *De menſium occultatorum ſignis & curatione. Crethmon in vino thædaceo.*
11 *De vlcerum in vteris generatione. Menſes retenti, mulieres nonnunquā ſe prægnantes exiſtimantes, fallunt. Menſes ſuppurati quinto aut ſexto menſe ſupra inguen erumpentes. Menſes putrefacti & purulenti in pudendum prodeuntes.*
12 *Menſes ad ſeptimum menſem retenti. Menſes pituitoſi.*
13 *Menſium pauciorum quàm conuenit ſigna.*
14 *Menſes plures & craſſiores quàm oportet prodeuntes, & eorum ſigna.*
15 *Menſium menſura iuſta & tempus. Mulier ſana ex menſibus cognoſcitur. Plures quàm quatuor dies & infra tres purgari, quales mulieres efficiat.*
16 *Suffocatio vnde, & quibus potiſſimum accidat. Signa.*
17 *Vteri ad hepar & præcordia. Morbus Herculeus. Vteri ad veſicæ ſtomachum. Vteri ad lumbos & coxas conuerſi.*
18 *De menſium bilioſorum cognitione & ſignis.*
19 *Quibus menſes plures aut pauciores fiant. Vomitus bilioſus in mulieribus prægnantibus. Venter turbatus. Leuis bilioſorum purgatio vtilis. A fluxu bilioſo non purgata, nec vllis ſignis apparentibus. Ex bilioſis menſibus in acutum morbum tranſitus.*
20 *Vteri ab vlceribus inflammati.*
21 *Menſium pituitoſorum cognitio & cauſſa. Menſes terram inſtar aceti radentes.*
22 *Non concipientium affectiones & curationes. Genituræ ſtatim à coitu exeuntis cauſſa. Poſtera die aut tertia. Purgationis bilioſæ, aut pituitoſæ qualitas vnde petenda.*
24 *Curatio à Morborum cauſſis inchoanda.*
25 *Menſes pituitoſi à quibus prodeant. Fomentum purgationibus ſemper præmittendum.*
26 *Quando prolis cauſſa coeundum. Suffitus inſtrumenta. Vt genituram mulier retineat. Mulierum diætæ. Vteri humidiores, & vteri ſicciores. Genituram ad decem aut duodecim dies retinentes, virum ne adeant.*
27 *Vteri ſani interdum non concipiunt.*
28 *Genitura à coitu ſtatim diffluens.*
29 *Os vteri clauſum, vel diſtortum.*
30 *Vteri magis quàm oportet aperti. Os vterorum pingue. Phagus, glans trita.*
31 *Quibus ſemen viri putreſcit. Genitura viri, graueolens à muliere reddita. Semen viri ſexta aut ſeptima die emittentes.*
32 *Mulieris ſiccioris aut humidioris curatio diætetica. Bilioſa ac pituitoſa in vteros confluentia. Morborum vires & cauſſæ conſiderandæ.*
33 *Vterorum à contrarijs curatio. Mulier quo tempore virum prolis cauſſa adire debeat. Mulieres quando citius concipiant.*
34 *Os vteri humidius, genituram non attrahit.*
35 *Diu concipientis, ſuppreſſis menſibus curatio.*
36 *Genituram non ſuſcipiens, menſibus prodeuntibus. Membrana oſculo vteri præpoſita.*
37 *De mulieribus, facilè quidem concipientibus, fœtum autem tertio aut quarto menſe corrumpentibus. Fœtum corruptum quæ ſigna comitentur. Vteri leues quomodo cognoſcantur.*
38 *Menſes bilioſi & pituitoſi quomodo cognoſcendi. Conceptum iuuantia.*
39 *Mulieres quando maxime in vtero concipiant. Os vterorum maxime hiat, ac diſtentum eſt, poſt purgationes.*
40 *De earum morbis quæ in ventre habent. Prægnantibus menſes ſecundo aut tertio menſe prodeuntes, cur malum. Sanguis in vteros prægnantium, à toto corpore deſcendit.*
41 *Caput prægnantis pituitoſum, & pituita acris in ventrem deſcendens. Fœtus quibus de cauſis corrumpantur.*
42 *Lumborum dolor in muliere vterum geſtante.*
43 *Prægnans corpore male habens ac bilioſa. Partus purgamenta valde nigra ac bilioſa: curatio.*
44 *Mammarum ac ventris in prægnantibus ante octauum menſem collapſus. Menſes in prægnantibus apparentes.*
45 *Prægnans pituitoſa, & eius curatio.*
46 *Prægnantis lienoſa, à relatis affectionibus, menſes quales.*
47 *Prægnans tumida & a bile vexata.*
49 *Prægnantis ſuffocationis cauſſæ.*
50 *Fœtus in latus aut caput proceſſus cur periculoſus.*
51 *Prægnantes quare cum virore pallidæ. Prægnantes cur debiles.*
52 *Vterus inflatus. Lumborum dolor. Anhelatio.*
53 *Purgationis multæ in partu ſigna. Panis cinericeus.*
54 *Siccæ & quæ difficulter humectatur in partu, curatio.*
56 *Vteri tumorum in partu aut ex partu curatio. Puerorum tuſſientium curatio.*
57 *Pudenda prægnantium ſuperficiario ac feruido vlcere affecta.*
58 *De puerperij purgamentis, & de his quæ poſt partum exeunt. Febres, partus purgamentis, aut menſibus impeditis, & curatio. Oleum anthinum & Cyprinum. In morbis omnibus quibus fomentum auxiliatur, melius eſt poſtea inungi. Si febris habeat, à balneis abſtinendum, &c.*
59 *Humor in partu vnà cum puero, velut oportet, non prodiens. Si in ventrem deſcenderit. Ad puerperij purgationem. Si in ventrem delatus ſit fluxus. Purgatio ſi mulieri modica.*
60 *Purgatio puerperæ non facile procedens. Vrina velut aſinina. Venter neque turbatus, neque purgatio procedens. Quando pereant puerperæ.*
61 *Vlcera in vtero à partus purgamentis putrefactis ſigna.*
62 *Purgatio puerperij primis tribus, aut quatuor tantum diebus procedens.*
63 *Ex partu non purgatæ ſigna, & eius curatio. Salis grana. Oleum narciſſinum. Atramentum quid.*
64 *Purgamenta puerperij pauciora, quàm oportet.*
65 *Ex vteris vlceratis & puerperij purgamentis impeditis mala. Curatio vlcerum in vteris ſolicitè adhibenda.*
67 *Partus purgamenta plura, & vnde contingant.*
68 *Pudēdi pars obturata in puerpera. Affectus ijs quæ à puerperij purgamentis non purgantur, ſimiles.*
69 *Purgamenta partus ad caput & thoracem ac pulmonem. Partus purgamenta per os aut nares.*
70 *Purgationis ad faciem procedentis ſigna.*
71 *Fluxus ex partu, & cibi in ventre non manentes.*
72 *Sanguinem ex partu vomentis curatio.*
73 *Lacti extincto quæ medeantur. Quæ multum lac faciunt & augent. Cytiſus. Capræ Scyriæ caſeus.*

Secunda in vteris relicta.

74 Puerperij purgamenta in grumos conuersa.

76 Secunda non statim exiens post partum. Secundæ in vteris relictæ causſæ. Secunda ex vmbilico hæret, & vmbilicus postremus ex vteris exit.

77 Fœtum menstruum aut bimestrem corrumpentis curatio. Secundas relictas quæ mala consequantur.

78 Vterus vel eius os ex partu vlceratum.

79 Vteri ex partu inflammati, causſæ & curationes.

80 Mulier ex partu dolens.

81 Vterorum ex partu dolor. Vinum Pramnium.

82 Vteri puerperæ inflammati. Vterorum distentorum causſæ.

83 Vteri pituita impleti. Sanguis menstruus conturbatus, & ter in mense comparens, & eius curatio.

84 Acetabula pituita plena.

85 De aquæ intercutis in vteris signis, causſis, & curatione.

86 De hydropis in vteris signis, causſis & curatione. Fœtus bimestris corruptio, & eius curatio.

87 De aqua intercute laborante, splene magno & aquoso existente, & vnde splen aquosus fiat. Aliud huius mali principium. Menses velut aqua à carnibus. Fluxus non succedentis signa. Venter & crura aqua implentur. Quibus frequenter fiat hic morbus. Muliebres morbi, cur cognitu difficiles & sæpe incurabiles. Morborum muliebrium ac virorum cura differt.

88 Vterorum vlceratorum signa & causſæ, & curationes. Aquæ & lactis vsus in capitis doloribus cum mentis perculsione. Vlcerum vteri collutio.

89 Vteri vlcerati sanguis & pus, & serosa sanies fluens, & eius causſa, & curatio. Caseus caprinus aßatus.

90 Uterorum vehementer exulceratorum signa & curatio. Polycarpon, & Polycnemon.

91 Vterorum vlcerationum ex abortu curatio, & signa. Vterorum curatio. Fluxus pauciores quidem, sed salsi & bilioſi, qui iuternas & externas partes vlcerant. Purulenta & compacta. Vlcerum curatio. Vinum Siræum.

92 Vulnus ex abortu. Puerperij purgamenta sponte erumpentia. Vteri in partu valde exulcerati.

93 Abortus qui discedere non potest, expellendi ratio.

94 Abortuum duplicatorum, & vterorum osculo incumbentium, expellendi ratio.

95 Fœtus viui atque etiam mortui in partu, manum aut crus præmittentes.

96 Fœtus immortui exsectio. Fœtui mortuo venter tumidus perforandus. Puerum exsecturus quid obseruare debeat.

97 Molæ conceptus causſa & signa. Mas trimestris, fœmina quadrimestris motum habet.

98 Puerperij purgationum mensura. Diuturniſſima post puellæ partum purgatio quadraginta duorum dierum est, extra periculum si viginti quinque purgetur: Masculi verò post triginta, extra periculum si viginti purgetur diebus. Ex puerperij purgamentis & ei quæ corrupit fœtum & ei quæ peperit, affectiones eædem.

99 Lactis generatio. Mulieres quædam natura lacte carent.

100 Ad menses detrahendos. Mollitoria, à quibus aqua, & vrina purgatus. Menses non prodeuntes. Medicamentum subditicium, purgatorium, mollitorium. Purgatorium. Anseris medulla. Subditicium. Purgatorium. Purgatorium subditicium si menses non compareant. Vteros expurgans ac sanguinem euacuans. Subdittia, si cata potia non purgarint. Subditicia acria sanguinem ducentia. Molliora. Subditicium efficax.

101 Ad conceptum medicamentum. Vrina vetus cum ferri recrementis ad imprægnationem. Clysteris ad imprægnationem vsus & descriptio. Oleum Platæense. Pili asinini albi. Lupi stercus. Parere nequeunti quæ prius peperit. Aliud ad conceptum. Victus ratio conceptui idonea. Medicamentum quod similiter infunditur non concipienti. Secunda mulieris cum vermium carnium capitibus in peßo. Aliud ad conceptum. Vermes carnium. Menses multi, nec tamen concipiens. Subditicium ad conceptum. Aliud quod vterum valde aperire potest, cum concluſus est & concipere nequit, & ad aquam expurgandam. Sal Aegyptium.

102 Conceptum impediens.

103 Partum accelerans ægrè parienti. Pregnans multo tempore, & parere nequiens.

104 Aliud, puerperij purgamenta melius purgans. Hepar testudinis marinæ adhuc viuentis. Purgatorium puerperij purgamentorum. Purgatorium mensium & puerperij purgamentorum. Erysimum. Vitis pampini, aut folia viridia.

105 Purgatorium, si ex partu non purgetur. Purgatorium vterorum, quum puero mortuo, sanguis in hoc manserit. Ad omnia puerperij purgamenta.

106 Subditicium quod secundam relictam eijcit. Ad secundas educendas & menses, itemque fœtum enectum. Euanthemon. Aliud quod secundas eijcit.

107 Fœcunditatis experimentum.

108 Alia subditicia. Scorpij marini fel. Potiones ad secundas educendas. Fœtum expellentia. Senecta anguium. Hbloconitidis radix, qualis. Seseli Massilienſe. Silphium Libycum. Herinacei marini triti. Aliud secundarum expulsorium, quod vteris infunditur. Syrmæa potio. Alius similis potus, ad puerum & mala intus existentia.

109 Ad fœtum mortuum eijciendum. Adeps gallinaceus. Testudinis marinæ cerebrum. Crocus Aegypti. Suffimentum expulsorium, quod & sanguinem ventris expellere potest.

110 Abortus sanatio. Murium stercus. Aliud expulsorium, quod puerum mortuum eijcit. Aliud eiectorium, quod puerum expellit liuidum. Aliud quod infunditur si mortuus fuerit puer. Ad fœtum immobilem corrumpendum.

111 Collutiones vteros purgantes. Collutionum vterorum mensura Iuncus odoratus. Cneſtri potiones. Collutio corroborans si vlcera pura fuerint. Collutiones quæ infundantur ad vetera vlcera.

112 Alui profluuium ex partu. Nucleus internus. Sanguinis ex partu vomitus. Sedis ex partu dolor.

115 Vteri ex partu inflammati.

116 Crus claudum ex partu ab vteris.

117 De inflammatione vterorum ex partu.

118 Bilem ex vtero purgantia. Collutio si bilioſa aut pituitoſa fuerit. Collutiones purgatoriæ.

119 Collutiones bilem & pituitam trahentes. Piper Indicum.

120 Mulieris bilioſæ & pituitoſæ ex menstruis purgationibus cognitio. Cneſtri potio. Purgatorium molle, aquam & pelliculas ducens ac ſaniem ſubcruentam. Lac mulieris maſculum alentis.

Glan-

121 *Glandes subditiciæ ad menses quomodo formandæ. Alia fortiora.*

122 *Potiones purgatoriæ, quæ secundas eijcere, & menses detrahere, & fœtum enectum educere possunt.*

123 *Subdititia purgatoria, si potiones non purgarint. Purgatorium quod sterilem purgare potest. Vrina bubula. Salsugo marina. Purgatorium mensium. Illitio purgatoria & mollitoria.*

124 *Conceptum iuuantia. Tali subditity nigri.*

125 *Os uterorum conclusum. Accipitris stercus. Anseris & vulpis stercus.*

126 *De pudendorum vlceribus acribus & inflammatis.*

127 *Pudendorum feruido ac superficiario vlcere laborantium curatio. Bubulæ carnis pessus, in pudendorum vlceribus. Collutio ad uteros exulceratos, & vrinæ stillicidium. Ad vlcera quæ in pudendo sunt ac enascuntur. Ad vlcera in utero resiccanda. Os uterorum vlceratum. Aqua ex uteris fluens, cum vlceribus &c.*

128 *Ad fœtum mortuum expellendum. Fuligo de furno.*

1 DE muliebribus morbis sic sentio: Mulierem, quæ non peperit, grauius, & citius è mensibus ęgrotare, quàm eam, quæ peperit: quum.n. peperit; venulæ fluidiores sunt ad menses. Fluidas autem ipsas facit purgatio illa, quæ fit à partu. Et, vbi hæc erumpit; vicinæ maxime ventri, ac mammis corporis partes discinduntur: discinditur item reliquum corpus. A quo verò hoc fiat, dictum est à me in natura pueri in partu. Discisso autem corpore necesse est venas magis aperiri, & ampliores, ac fluidiores ad menses fieri: itemque uteros magis aperiri, nimirum puero per ipsos egresso, qui, & vim, & dolorem induxit. Et, quum hæc sic se habeant; mulier purgationem à partu experta, minus laborioſe mensibus decurrentibus purgatur. Si verò etiam affectio aliqua mulieri, quę iam peperit, accidat, vt menses venientes probe purgari non possint; facilius dolorem feret, quàm si non peperisset; assueti enim sunt uteri, & corpus idoneum vt impleatur, vtpote in ventre habenti, & simul multa amplitudo in corpore est. Maior autem fit etiam amplitudo, vbi peperit, nimirum corpore discisso: & corpus in amplitudine existens, minus dolore affligitur; si non venæ superimpleantur, & nimium doleant, At verò ei, quæ non peperit, quum corpus non assuetum sit (si impleta fuerit, & fortius, ac solidius, & densius sit, si purgationem à partu experiatur, & quum uteri ægrius aperiantur) menses laborioſe prodeunt, & affectiones plures accidunt; vt propterea menses obturentur; si prius non peperit: Habet autem res se hoc modo, velut etiam prius a me dictum est.

2 Dico mulierem rariore carne præditam, & teneriorem esse, quàm virum: & hęc res sic se habet. A vētre trahit humiditatem, & citius, & magis, corpus mulieris, quam viri; etenim, si quis super aquam, & per regionem aquosam, duobus diebus, ac duabus noctibus molles lanas ponat, & vestem puram, & contextam æquali ad lanas pondere, sublatis vtrisque, apponderatione facta; multo grauiores lanas cōperiet, quàm vestem. Fit autem hoc ex eo, quòd sem per aqua sursum decedit in vasa ampliora oscula habentia. Et lanæ quidem, tanquam raræ, & molles, ex decedente amplius suscipiunt: vestis autem, vt quæ plena est, & ex contextu obturata, explebitur, non multum ex decedente aqua suscipiens. Sic sanè etiam mulier, velut quæ rarior est, ampliorem à ventre humiditatem corpori attrahit, & citius, quàm vir: & tanquam teneriori carne præditæ mulieri, vbi corpus sanguine repletum fuerit, si non ab ipso secesserit; carnibus impletis, ac calefactis, dolor oboritur. Habet enim mulier sanguinem caliodiorem; & propterea calidior est, quàm vir. Si verò amplior accedens sanguis secesserit; dolor non fit à sanguine, neque calor. Vir autem vt qui solidiore carne præditus est, quàm mulier, neque in superna ventris parte adeò sanguine superimpletur, vt, nisi aliquid sanguinis singulis mensibus secedat; dolorem fieri necesse sit: & sanguinis quantum satis est ad nutrimentum trahit: &, quum corpus ipsi non sit tenerum; non dolore affligitur, neque superincalescit à plenitudine, velut mulieri. Multum autem cōfert ad hoc viro, quòd magis laborat, quàm mulier: nam labor aliquid humoris abducit.

3 Postquam igitur mulieri, quæ non peperit, occultati fuerint menses, & viam foras reperire non poterint; morbus fit. Hoc autem contingit, si uterorum os conclusum fuerit, aut distortum, aut aliqua puden di pars contracta: si enim horum quid fuerit; menses exitum inuenire non poterint, priusquam uteri ad sanam naturam redierint. Fit autem hic morbus his maxime, quæ angustos uteros habent, aut ceruicem vltra pudendum sitam. Si enim horum alterum fuerit, & mulier viro non misceatur, & venter magis, quàm oportet, euacuetur; ab hac affectione uteri ob torquentur: neque enim humidi in seipsis sunt, vtpote muliere non coeunte: & amplitudo ipsis spatiosa est, vtpote quum venter magis vacuus existat. Quare obtorquentur, dum siccior, & leuior est venter, quàmconuenit. Et aliquando dum ipsi obtorquentur; etiam os ipsorum distorqueri contingit, nimirum ceruice vltra pudendum sita: si enim humidi fuerint uteri à coitu, & venter non euacuetur; non facile distorquentur.

4 Hæc igitur causa est, vt ipsi sint cōclusi, nimirum à venere abstinente muliere. In tertijs porrò mensibus optime afficietur; si quæ prius insunt progressa fuerint educta: sin minus; mulier hæc patietur. Suffocatio aliàs, atque aliàs in ipsam irruet, & febris aliàs, atque aliàs corripiet, ac horror, & lumborum dolor. Hæc patietur in tertijs mensibus; si ipsi non prodierint. In quartis verò si non egressi prioribus exitum fecerint; etiam tunc tertij mensis afflictionibus omnibus magis affligetur, & maxime tempore mēsium: deinde minus. Sæpe verò etiam à dolore libera sibi esse videbitur. Erunt autem in quartis etiam hæc signa. Vrinam, ac crassam eijciet aliàs, atque aliàs. Et venter ipsius durus erit, & maior, quàm prius, & dentibus fremet, & cibum auersabitur, & vigilabit. Hæc patietur in quartis mensibus. Si verò curetur; etiam in his sana euadit. Et in quintis si non multi menses descenderint; dolor adhuc fortior accidit. In sextis verò iam incurabilis est, & iuxta priora quidem signa magis dolebit. Deinde ad ea etiam hæc aderunt.

runt. Anxia erit,& aliàs,atque aliàs seipsam iactabit, & animo deficiet, & pituita vomet, & sitis fortis ipsam corripiet: nimirum dum exuritur venter ab vteris sanguine plenis: & ad contactum dolebit, maxime pectinem. Et aliàs,atque aliàs murmurabũt; dum videlicet sanguis in ipsis commouetur, ac discurrit, & venter consueto modo non secedet.

5 Neque vesica vrinam excolabit, maxime quum vteri ad stomachum qui neruosus est, mulieri allapsi fuerint,& ad ventrem irruerint,dolet spinam, & totum dorsum,& lingua ipsius refrenatur, & hanc non claram habet,& animi deliquium adest. Aliquibus etiam vocis priuatio, & stomachus mordetur, & flaua bilis exit, & spiritus offendens,& anxia est, & iactat seipsam, & ardet. Postquam autem transmutati fuerint, & vesica tenuem sanguinem ab vteris trahet;tunc vrina mingitur rubra. Et dolet quidem reliquum corpus,maxime verò collum, & spinam, & lumbos,ac inguina Et ipsi ad hoc progressæ, & venter attollitur, & crura supra modum intumescunt,& tibiæ,ac pedes,& mors succedit. Et circa hanc quidem sic finiunt menstruæ purgationes ad sex menses occultatæ. Fiunt item hæc.

6 Quibusdam mulieribus menses bimestres in vteris existentes multi ad pulmonem procedunt: &,vbi recepti fuerint; omnia patiuntur, quæ in Tabe dicta sunt:& non est possibile ipsam superesse. Fiũt & hæc. Quibusdam suppurati fiunt menses;vbi per duos,aut tres menses moram traxerint. Hoc autem maxime fit,si à febre fuerint combusti. Signa verò sunt si suppurati fuerint: dolores enim incidunt in pectinem & pulsationes fortes,& contactum non sustinet:& si melius habitura est; menses ipsi erumpunt in pudendum,& procedit pus, ac sanguis,& procedit graueolens ad septem, aut octo, aut nouem dies. In priore verò tempore dolet velut dictum est antea. Postquam autem depurgata fuerit;optimum quidem est,si non fiant vlcera. Si verò relinquantur vlcera; ampliore curatione opus habebit, quo vlcera non putrescant, & graueolentia fiant.

7 Sterilis autem euadet; etiam si melius habebit,vbi magna vlcera fuerint quæ in vteris facta sunt. Si verò non continget, vt menses ipsi in pudendum procedant suppurati facti; ad partes supra inguen, iuxta lateris mollitudinem erumpent citra tuberculum, vtpote pure rupto,& illa parte purulenta graueolentia procedent:& si hoc fiat,mulier non superstes manet. Si verò etiam superstes maneat; semper sterilis eris: hac enim parte de cætero via fit mensibus,vt foras prodeant: nam os vterorum ad hunc locum allapsum est. Fit & hoc.

8 Quibusdam vbi bimestres,aut trimestres,aut diuturniores fuerint menses, & ad lateris mollitudinem allapsi fuerint,quũ nõ suppurati sint menses; velut tuberculum fit supra inguen,sine capite, magnum, rubrum:& vulgus medicorum ignarum quid hoc esset, iam sæpe secuerunt, & sic in periculum induxerunt. Cæterùm id, quod velut tuberculum fit, tali modo fit. Fruitur sanguine caro ipsa, vtpote osculo vterorum lateris mollitudini adiacente; & impletur caro ab ipso,& insurgit,ac eminet,velut sanguine repleta.

9 Et aliquando si transmotum fuerit os vterorum, & ad pudendum conuersum, & menses processerint per pudendum, id quod circa lateris mollitudinem eminuit; sedatur: in vteros enim distribuitus, hi verò foras laxantur. Si verò non conuersum fuerit os vterorum ad pudendum; circa lateris mollitudinem suppuratur, & hac parte transitus fit mensibus:& eadem pericula sunt, quæ prius sunt relata. Sed & ad vomitum conuertitur,& quibusdam in sedem, velut in virginum morbis à me dictum est, & signa, & dolores eosdem ostendit,quos isthic retulimus. At hanc viam minus faciunt menses mulieribus, quam virginibus.

10 Quum menses fuerint occultati; dolor habebit imum ventrem, & onus quoddam incumbere videtur, & lumbos, & laterum mollitudinem mirum in modum dolet. Si verò omnino non procedunt;præ morbo aut crassi, & viscosi, aut glutinosi fiunt. Primùm igitur ventrem purgare oportet sursum,ac deorsum:deinde vteros subdititio medicamento, à quo sanguis purgatur: atque ita quiescere, & potandum dare pharmacum,à quo sanguis prodeat. Bibat etiam Chrethmon in vino tædaceo: Si verò fluxus ipsi non fiat; continget, vt prægnans esse videatur,&,dũ cum viro coit; doleat, vt putet, quid incumbere,& grauitas fit in ventre, & venter prominet,& desiderijs similibus efficitur, velut in ventre habeat:& stomachi dolore afficitur,maxime vbi quinquaginta dies præterierint. Et dolor aliàs, atque aliàs habet ventrem, & partem circa vmbilicum, & collum,& inguina,& lumbos. Et,postquam menses duo, aut tres præterierint;quandoque menses aceruatim ipsi in pudendum erumpunt: & quæ prodeũt velut carnem esse putat, quemadmodum ex fœtus corruptione, & nigra.

11 Quibusdam etiam vlcera fiunt in vteris, & opus habent diligenti animaduersione. Multis verò contingit,vt putent se sex mensibus in vtero habere,aut etiam paulò breuiore tempore: & venter prominet, & alia sibi fieri putat,velut in vẽtre habenti. Postea sunt, & quibus suppurati eruperunt supra inguen, simul quinto, aut sexto mense, & viam ea parte patefecerunt. Quibusdam autem vlcera fiunt in vteris etiam infra sub inguine: & periclitatur mulier de vita. Si verò etiam superstes maneat; sterilis erit. Quibusdam etiam in pudendum erumpunt, & prodeunt ipsi putrefacti,ac purulenti. Et ab his vlcera fiunt in vteris, & periclitatur. Et oportet, ne antiqua fiant vlcera;cum attentione mederi. Sterilis autem & hęc fit; etiam si fuerit curata.

12 Si verò non eruperint menses sex mensibus intus concluſi; omnia patietur velut ea, quæ non peperit, in qua menses viam inuenire non possunt. Et si quidem curata fuerit;sana erit:sin minus; etiam ad octo menses durans moritur. Multis verò contingit, vt menses pituitosi ad multum tempus prodeuntes, etiam pauciores sanis sint:sana autem talis fit;si conuenienti cura fuerit sanata.

13 Si verò menses mulieri prodeant quidem, verùm pauciores, quàm conuenit, vtpote osculo vterorum paululum à pudendo emoto, aut nuper concluso ad hoc, vt prodeant quidem,verùm obturentur ab ipsis etiam transitus,per quos penetrant,vbi ad vteros descendunt: moderati sanè paulatim prodeunt, sanguine semper perfecte osculo incumbente. Et,postquam dies præterierint, quibus purgari solet, & concluſus fuerit sanguis in vteris relictus,& alij menses subdescendentes non expulerint concluſum sanguinem,

sed

sed semper paulatim grauant. & primis mensibus duobus, aut tribus non valde prodeunt: postquam autem plures menses præterierint; adhuc magis dolebit: & non habet in ventre. Quàm diu sanè sic habuerit; & febris corripiet ipsam debilis, maxime in diebus, quibus purgari solet. Verisimile est autem & in intermedio tempore ipsam febrire, & horrere, & stomachi dolore vexari, & ad multitudinem addere singulis diebus. Et dolet aliàs, atque aliàs corpus, & maxime lumbos, & spinam, & inguina, & articulos manuum, ac pedum. Verùm his locis non simul dolet, sed aliàs, atque aliàs, qua parte sanguis discretus, & in vteris esse non potens impetu suo grauarit. & qua sanè corporis parte incubuerit; tumor est, fitque etiam conuulsio fortis articulorum corporis. Et aliàs aliud ex relatis antea signis ipsi apparet. Hæc si quidem iuxta debitum modum curata fuerit; sana euadet: sin minus; morbus septimestris, aut diuturnior factus, lethalis fuerit, aut claudam faciet, aut partes aliquas impotentes efficiet, si præ rigore, & cibi fastidio sanguis circa neruos compactus fuerit, quemcunque tandem locum occupauerit. Hic autem morbus magis fit his, quæ virum non habent. Si verò hi morbi iam relati, aut quicunque postea referētur; incidant in eam, quæ partum non sit experta, diuturniores erunt, et minus doloroſi. Verùm signa eadem, & iidem fines, tum ei, quæ non peperit, tum ei, quę puerperia experta est, contingunt; si non curentur. Oportet autem statim curationem facere: sin minus; statim comparent morbi.

14 Si verò menses plures, quàm oporteat, prodeant, & crassiores: nimirum corpore natura fluido existēte, & osculo vterorum prope pudendum sito, & ad hæc multo cum viro coitu vtatur, & coniuetur, semel aliquando multi descendentes, & cumulate prodeunt: os vterorum impetu suo magis dilatant; &, si ad hæc non incidat vasorum euacuatio, sed rursus multus accesserit calor, & os amplum faciunt, & corpus: vtpote dum coniuuante & voluptatem, ac consuetudinem viri consectante muliere; facili fluxu ad vteros etiam calor defertur, & decolor erit, quàm diu sic habuerit. & si postea morbus aliquis, aut affectio inciderit, aut corpus affligatur; & vteri similiter iuxta solitum morem ampli sunt, & corpus facili fluxu in ipsos præditum est. Et post hæc febris habet, & cibum auersatur, & anxia est, & tenuis, ac debilis, & lumbos ex mensibus dolebit: & progressu temporis si non curata fuerit; omnia ipsam magis affligent in intermedio tempore, & periculum ipsi imminet, ne sterilis fiat, aut a tempore & morbo vexata; si alius morbus coincidat, ex hoc moriatur. Prodeunt autem menses crassiores, & plurimi in intermedijs diebus. Incipientes autem, & desinentes, pauciores, & tenuiores.

15 Moderati verò sunt menses prodeuntes in omni muliere si sana sit, vt duarum heminarum Atticarū mensura secedant, aut paulò plures, vel pauciores, atque hoc ad duos, aut tres dies. Lōgius autem tempus, aut breuius morbosum, & sterile est. Coniectare porrò oportet, mulieris corpus inspiciendo, & interrogare collatione ad priora facta, an semper morbosa viuat, aut nō: si enim pauciores, aut plures dies, quàm solent prodeant, aut ipsi pauciores, aut plures fuerint; morbosi sunt, nisi natura ipsa morbosa, & sterilis fuerit. Si verò hoc fuerit, & ad salubriorem statum transmutatur; melius est: procedit autem sanguis velut à victima, & cito congelatur; si sana fuerit mulier. Quibus verò in natura est, vt plures, quàm quatuor dies purgentur, & menses valde multi prodeunt, hæ tenues fiunt, & fœtus ipsarum tenues, & emarcescunt. Quibus autem purgatio infra tres dies fit, aut pauci menses secedunt, hæ crassæ sunt, & bene coloratæ, virilesque, ac partus immemores, & neque concipiunt.

16 Si suffocatio derepente accesserit: fit autem maxime his, quæ cum viris non coeunt, & senioribus magis, quàm iunioribus: leuiores enim vteri ipsarū sunt fit autem potissimum tunc; vbi mulieri vasa euacuata fuerint, aut plus solito laborarit: resiccati à labore vteri conuertuntur, vt qui vacui sint, ac leues: est enim ipsis locus spatiosus, vt conuertantur, vtpote ventre vacuo existente. Dum autem conuertuntur; impetunt hepar, & iuxta consistunt, & ad præcordia irruunt: currunt enim, & progrediuntur sursum ad humiditatem, tanquam à labore magis, quàm oportunum est resiccati. Hepar autem humidum est. Postquam autem impetuerint hepar; suffocationem faciunt, derepente perspirationem circa ventrem intercipientes: & aliquando simul incipiunt hepar impetere, & à capite pituita defluit ad præcordia, velut ab eo quod suffocatur: & aliquando simul cum pituitæ defluxu, descendunt ab hepate ad locum suum, & cessat suffocatio. Descendunt autem detrahentes humiditatem, & grauati. Stridor autem ab ipsis fit; dum ad suam ipsorum sedem procedunt. Postquam autem eò deuenerint; aliquando venter post illa humidior fit, quàm superiori tempore: laxat enim iam caput pituitam in ventrem.

17 Vbi verò apud hepar, & præcordia fuerint vteri, & strangularint; mulier albas oculorum partes subuertit, & frigida fit. Sunt autem, & quæ liuidæ fiunt. Quædam etiam dentibus frendunt, & saliuæ ad os fluunt: & similes sunt his, qui ab Herculeo morbo detinentur. Si verò diutius moram traxerint vteri apud hepar, & præcordia, mulier strangulatur. Quandoque verò vbi mulier vasa euacuata habuerit, & insuper laborarit, vteri conuersi ad vesicæ stomachum allabuntur, & vrinę stillicidium inducunt. Aliud autem nihil mali habet, & curata cito sanescit, quandoque etiam sponte. Quibusdam verò ex labore, aut inedia ad lumbos, aut ad coxas allapsi, dolores exhibent.

18 Si mulier corpore male habuerit, & menses bilioſi prodierint; ex hoc probe cognosci possunt. Nigri sunt valde, quandoque verò nigri, aut splendidi, & pauciſſimi prodeunt, & citiſſime congelantur: & semen amborum, & maris, & fœminę euanescit, & non habet in ventre: & incipiente quidem morbo, purgatur diebus, quibus solita fuit, non pluribus: progredientibus autem mensibus, pluribus diebus purgatur, & menses pauciores singulis diebus apparent. Et febres succedunt erroneæ acutæ, cum horrore, & cibi fastidio aliàs, atque aliàs, & stomachi dolor: & dolebit maxime; vbi menses ipsi appropinquarint. Postquam autem purgata fuerit, & ad modicū tempus, superiorum respectu melius habuerit; postea rursus ad idem perueniet. Dum autem curatur; cito sana fit. Si verò non curetur, & tempus procedat; omnia

nia prius relata valde ipsam affligent: & dolor corripiet, nunc ventris partem infra vmbilicum, nunc inguina, nunc lumbos,& coxendicum ad sedem iunctura, nunc collum: aliquando verò strangulatio fortis accidet, & caligo ante oculos obuersabitur, & vertigo, vtpote purgatione sursum vergēte, ac ascendente.

19 Si enim corpus male habuerit; mulieri menses pauciores fiunt: & quibus corpus plenum fuerit, his menses plures prodeunt. At verò bilioſæ si menses prodeant; pusillanimitas incidit,& cibi fastidiū alias, atque alias,& anxietas,ac vigilia:& eructat frequenter, & non vult deambulare, & tristis est, & non videre sibi videtur,& timet. Et, si curetur;ex his sana erit. Si verò tempus processerit; adhuc magis dolebit. Optime autem cum hac agatur; si vomitus biliosus succedat, aut venter turbetur non fortiter,& subeant bilioſa: & si fluxus succedat ipsi non fortis: si enim quid ex his forte inciderit in corpus afflictum; periclitabitur. Si verò leniter depurgetur aliquid biliosi, aut totum id, quod molestum est; sana fiet. Si verò neque curetur, neque quicquam horum fiat; moritur mulier. Plerunque tamen cōtingit, vt fluxus incidat biliosus ex hoc morbo:&, si fluxus fiat; primum quidem pauca sunt, quæ comparent: per omnes autem dies omnino plura contingunt. Temporis autem progressu plerunque etiam morbus acutus fit,& vteria purgatione bilioſa prodeunte mordentur, ac exulcerantur. Sed & in hoc adhuc sana fit; si curetur, & fluxus compescatur.

20 Si verò vteri ab vlceribus fuerint inflammati; adhuc acutior morbus erit, & multa graueolentia, ac purulenta prodibunt, ab ipsis vteris iam egressa, & semper velut aqua de carnibus, & prius relata omnia ipsam magis affligent:& vlcera adhuc magis efferatiora erunt; donec ipsam vincant. Si verò etiam sanata fuerit; sterilis erit à cicatricibus.

21 Si mulier corpore male habuerit,& pituitosi menses prodierint: cognosci autē possunt si pituitosi prodeant: pelliculosi enim apparent,& velut araneorum casses distenduntur,& subalbidi sunt. Hoc autem contingit; si corpus, & caput ipsi pituita repleta fuerint, & hæc non subpurgetur neque per nares, neque per sedem, neque per vrinæ meatum: sed in mensibus,& in turbatione sanguinis, vnà cum purgatione foras exit. Et, si hæc sic habuerit; ad duos quidem, aut tres menses nihil ægrotat, postquàm autem amplius tempus progressum fuerit, & nō curetur; magis dolebit, & febris erronea corripiet,& cibum alias, atque alias fastidiet, & stomachum dolebit, & maxime dolebit; vbi menses appropinquarint. Quum verò purgata fuerit, ad modicum tempus, superiorum respectu melius habebit, postea ad idem relabitur: &, si non curetur; sed tempus procedat, fient ipsi omnia, quæ ei, cui bilioſi menses prodibant, donec fluxus sistatur. Consequitur etiam, vt hæc fluxū pituitosum habeat, aut alia, quæ ego dicam paulò postea. Et, si quidē fluxus succedat, semper procedunt per omnes dies, nūc aceruata, nunc pauca: & quandoque velut à carnibus aqua prodit, quandoque velut sanies: & in hoc ipso multi sanguinis grumi insunt: & radit terram velut acetum,& mordet vbicunque mulierem contigerit, & vteros exulcerat. Et, vbi ad hoc peruenit; reliqua quidem similiter patitur, velut prior, minus verò, quàm illa caput dolebit: & vlcera neque deformia, neque magna, neque purulenta, neque graueolentia, similiter velut illi fiunt minus huic. Si verò curetur; sana euadit, etiam vbi morbus progressum fecit: & non valde moritur, verùm prægnans esse non potest, quæ sic habet.

22 Quæcunque viro cohabitantes in ventre habere non possunt; interrogandæ sunt, an ipsis menses prodeant, aut non:& an purulenti sint, aut frigidi. Si quidem igitur responderit; interrogetur, an statim exeat genitura, an postera die, aut tertia, aut sexta, aut septima. Si igitur dixerit statim exire, vbi coiuit; vteri osculum rectum non est, sed distortum,& genituram non capit. Si verò dixerit, postera die, aut tertia; vterus perhumectus est,& eluitur. Si verò sexta, aut septima; semen computrescit: putrefactum verò exit. Si igitur ab initio non suscipiat semen; os vteri primum curandum est, vt rectum sit. Si verò eluatur postera, aut tertia die, vterus, & caput: si verò computrescat, & exeat;& vterus,& totum corpus curetur. Atque hæc singula sic cognoscere oportet.

23 Quali verò purgatione opus habeat, hoc modo cognoscit: Quum menses prodeunt; linteum complicatum palmi magnitudine super tenuem cinerem expandito, deinde vt quæ exeunt super hoc defluant, curato. Præstat autem duo esse lintea, vtrunque seorsim, alterum diurnum, alterum nocturnum:& diurnum quidem postera die lauare oportet: nocturnum verò, vbi per diem, ac noctem super cinere situ fuit. In lotura verò considerare oportet, qualianam fiant lintea lota; vbi in sole fuerint siccata. Optimum tamen est in tenebricoso loco ea resiccari. Si quidem igitur pituita fuerit, quæ conceptionem impedit; mucosa lintea erunt: si verò propter salsuginem,& bilem impeditur; fulua,& subliuida. His igitur consideratis, & diligenti animaduersione expensis, totū etiam corpus inspicito, an multa purgatione opus habeat, aut secus, ita vt & ad colorem,& ætatem,& robur,& anni tempus,& qua diæta vtantur respicias.

24 Curatio verò & totius corporis est, & vteros, ac osculum ipsorum sanare: &, si hoc concluſum fuerit; aperire: si verò illi distorti fuerint; dirigere oportet. Si autem humidi fuerint; resiccare,& alia quoque facere contraria. Fermè autem omnibus multa curatio eadem est, excepta mensium detractione: namquibus nihil prodit, his detrahere oportet. Immo quicquid in mensibus mali inest, hæc auferre oportet: quum videlicet pituitosi sunt,& pelliculosi,& sanioſi, & tenues, aut albi, & grumosi: & quum nigri sunt, & carbunculosi, aut caliginosi, aut acres, salsi, turbati, purulenti. Hæ omnes causæ tollendæ: prohibent enim in ventre conceptum.

25 Quibuscunque igitur menses pituitosi, ac pelliculosi sunt, hæ carnosæ sunt,& his os humectum est,& saliua multa, ac viscosa. Et, si acidum, aut acre quid gustarint; sputum in ore liquidius erit,& insulsum, & ad omnia, quę ederint, aut biberint, turbatio sequitur & supprimitur ipsis, ac attollitur vēter,& nausea adest, & anxietas, ac iactatio multa. Et à capite fluxus defluit, & omnia obducit, & multam humiditatem inducit,& partes sub oculis liuidæ sunt, ac inflatæ. Has totas fouere oportet, & frequenter vomere,& à cibis,& ieiunas: infernum autem vētrem mollire, sed pharmacis omnino leuibus, quæ minime bi-

lem

lem ducunt,& semel in die cibum capere,& frequenter exerceri:& cibo siccissimo vti,& potu pauciſſimo meraciore. Melius autem est, vt venter facile solubilis conseruetur. Verùm vteros, si ad hanc diætam non paruerint; pharmacis subditijs non mordacibus purgare oportet. Fomentum tamen semper purgationibus præmittendum est, prius id, quod ex fœniculo paratur: deinde quod ex suffimentis. Fomenta verò, & subditiones medicamentorum facito,coniectura facta,vt omnia fiant,& pro ratione adhibeātur, quo tempore menses prodeunt.Si quidem igitur puri,& sinceri, ac cruenti fiant: ita ad virum acedat incipientibus mensibus. Optimum autem desinētibus, & adhuc euentibus magis, quàm vbi disparuerunt.

26 Quum autem ad virum itura est;suffimentū quoddam ex adstringentibus suffiat, atque hoc per canistrum & arundinem, pharmaco calido cineri insperso. Quum verò insperseris;& canistrum,siue operculum circumponito,& per arundinem insidēti fomentum adhibeto. Vbi verò opus fuerit ipsā suffiri;plumbea fistula vtere,vt aperto osculo suffiatur. Deinde, quum surrexerit; rursus in lecto plumbeam fistulam apponat: deinde ea subtracta, cum viro coeat. Et, si ea, quæ à viro prodeunt, non fuerint ei manifesta; extentis, & alternatim positis cruribus quiescat. Ieiunium autem vtile est in hac die, præterquàm si cyceonem velit non salsum in aqua. Hunc autem tunc bibat,quum vult suffiri. Si verò vbi cum viro coiuit, postridie detineat genituram, & neque altera die exeat; à cibis quidem, & balneis prohibeatur. Bibat autem polentam in aqua non salsam bis,ac ter in die. Atque hæc diæta sit per sex dies,aut quod melius est, septem; si non exierint ea quæ à viro susceperit, dum cum ipso coiuit. Illota verò maneat per omne tempus,& det operam,vt motus vitet. Si verò deambulare velit;deābulet in loco plano, & leui nequaquam accliui,neque decliui. Desideat etiam super mollia; si conceperit. Reliquam verò diætam eandem faciat vsque ad dies triginta. Illota autem sit, aut si lauari opus habeat;pauca,& non valde calida lauetur. Caput verò ne madefaciat. Cibis autem vtatur & panibus,& maza,si velit. Ex carnibus autem, palumbe, & similibus: ex marinis,his quæ aluum sistūt:prohibeatur ab oleribus acribus. Vino verò nigro vtatur. Carnibus autem assatis potius, quàm coctis, tum mansuetis,tum ferinis. Et hæc quidem, si conceperit;hoc modo facere oportet. Si verò non conceperit, sed secūda,aut tertia die exeūt, quæ à viro immissa sunt, fluentia cum multa humiditate; manifestū est, quòd vteri sunt humidiores. Curare itaque oportet iuxta relatum modum;donec sicci fiant. Quum autem sicci esse videbuntur;sic curato. Optimum est pharmacum mollitorium, & retro, & anteriori parte ipsi adhibitum,donec vteri ad naturam suam redeāt:& rursus ad virum accedat;quum menses nō amplius multi,sed pauci,& bene colorati fuerint, & ad libidinem concitatur. Sed & in alijs diebus cum viro consuetudinem habere oportet; si optime habuerint vteri. Quum autem in relatis diebus consuetudinem habuerit cum viro,si probe parati fuerint vteri,& si genituram ad decem,aut duodecim dies detinuerit; ne adeat virum.

27 Si verò non concipiat, vteri autem sani sint: contingit enim & hoc plerisque, quum debiles existentes vteri,ab affectione macilenti fiunt:aut præ medicamentis,& fomento multo, genitura ferre non possunt;priusquam assueti fiant,& conualescant. Hoc autem sic cognosci potest. Quum ab ipsa exierint;secunda,aut tertia die exeūt, aut adhuc prius,crassa,& compacta velut mucus:nisi mali quid sit,& propter alium vterorum morbum genitura discedat. Quum igitur talia apparuerint; curatione quidem vterorum non est opus, verùm reliqui corporis cura habenda est; quò huiusmodi bonus habitus sit ipsi, vt contractum simul sit corpus, & iusta mole præditū, ex paucorum balneorum, plurimum verò & leuium laborum vsu. Ab acribus autem, & salsis prohibeatur. Vomitibus vtatur ante dies,quibus menses fieri solent, & rursus fame maceretur,& alia perficiat,quæ dicta sunt. Atque hæc quidem harum curatio est.

28 Quibus autē statim vbi coiuerint diffluunt ea,quę à viro sunt immissa;his os vterorum causa est. Curare verò sic oportet. Si quidem valde concluſum fuerit;tædis,& plumbeis fistulis immissis aperito,& molli fomento ex fœniculo foueto,& subdititijs,quę vteros attenuant,& in directum redigunt, purgato. Post purgationes autem,& fomēta ea infundito,quæ causæ sunt contraria.

29 Quibus verò os distortum est, & ad coxam allapsum:fiunt enim etiam talia prohibentia,ne vterus semen suscipiat; quum igitur tale quid acciderit;odoratis fomētis fouere oportet: post fomentum autem, per digitum auulsum à coxa detrahito. Quum autem discesserit; tædis, & plumbeis fistulis immissis iuxta priorem rationem in rectitudinem dirigito. vbi verò rectificati,ac aperti fuerint vteri;medicamentis subdititijs purgato, & alia facito iuxta relatā rationem.

30 Quum autem magis, quàm oportet aperti fuerint vteri;purgatione opus habent: post purgationes autem,collutionibus,& suffimentis. Si verò propriores sint, quàm oportet; vomitibus vteri opus habent,& fomento fœtido,donec ad suum locum redeant. Dięta verò vtendum est relata. Si verò os pingue fuerit,& crassum, & propterea nō concipiat;sinapi coctum ieiuna edat,& meracum insuper bibat. Apponat autem nitrum rubrum, & cuminum, ac resinam. Optimum autem fuerit nitrum vino ammiscere, & resinæ,vnà cum cumino,& vnguento albo. Aut cornu cerui vrito, & duplū crudæ ordeaceæ farinę cum vino ammiscето. Si verò non melius habeat; porrum coquito,& ipsam insidere facito. Aut phagum,idest, glandem tritam apponat. Et allio recenti vescatur, & aquam vlsa insuper pota vomat.

31 Quibus porrò intus manet viri semen, & computrescit, & turbationem facit,his atriplicis semen,aut succum, cum melle, aut cum cumino delingendum dato. Quum autem à viro immissa graueolentia fuerint:non concipit. Portulacam igitur, & adipem anserinum misceto, & apponito. Quibus verò sexta, aut septima die,à viro immissa prodeunt putrefacta, his verisimile est, ab vtrisque fieri,& bilis,& salsuginis influxu. Curare autem sic oportet per veratrum, aut scammoniam,aut peplium: hæc enim sursum ac deorsum pituitam, & bilem purgant, & flatus educunt. Ante purgationes autem fomentis vtendum est ex suffimentis. Vbi verò fomentum adhibueris, per subdititia purgato, eodem modo velut in prioribus. Et post subdititiorum, ac purgationum vsum,

mol-

mollitorijs vtere,& ſubdititio medicamento ex mercuriali,& artemiſia herba,& anemone, & veratro albo, aut nigro. Atque hæ quidem medicationes hoc modo his conducunt.

32 Diætam verò reſpectu ad totum hominis corpus facto conſtituere oportet,ſiue ficcior,ſiue carnoſior mulier eſſe videatur. Et,ſi quidem ficcior fuerit:balneis pluribus,& obſonijs omnibus coctis, tum marinis,tum carnibus vtatur: vino verò aquoſo,& oleribus coctis,& pinguibus omnibus ac dulcibus: hæc enim plerunque faciunt vt humiditas ſit,tum in reliquo corpore,tum in vteris. Si verò humidior fuerit; tales vteri nullo ex his opus habent, ſed vice verſa neque contrectare, neque lauare recenti motu facto oportet,neque ſuffire: nam ad periculum procedere ſolent. Et ſi magis, quàm pro natura fuerint humectæ,ſiccare ſanè,ac ſuffire oportet. Si verò bilioſa in ipſos confluant: medicamentum dare, quod bilem purgat. Si verò ſalſuginoſa; lac aſininum,& vinum, & alia auxiliaria.

Morborum porrò vires conſiderare oportet, & cauſas,ex quibus morbi fiunt exquirere,atque ſic ad alia procedere,& morbos circa locos curare: & quæ quidem ob cauſam oſculorum hiantium prohibentur,vt ne detineant in ventre, harum oſcula præparare, vt probe diducta ſint. Quum verò humiditas prohibuerit;hanc inſpicere vt ne impediat totis mulierum negotijs expenſis, ſiue ex toto corpore quid moueri videatur,ſiue ex ipſis vteris,ſiue ex vtriuſq;.

33 Vteros autem ſic curare oportet, vt neque humidi ſint,neque valde ficci.Imò ficciores quidem, tanto magis bono ſucco,quanto ſunt ſicciores, eiuſmodi humiditate vt pingues magis fiât, quàm graciles: humectos uerò,& madidos ſiccare, ita ut relinquas, quò humidi ſint, & non valde reſiccentur; exceſſus enim in his valde ſunt vitandi.Concipit autem in vētre neque ea,quæ humiditatem habet,neque quæ reſiccata eſt,niſi quid horum in vteri natura fuerit.Cęterum virum adire ipſam oportet,poſt adhibitam curationem,deſinentibus,aut inchoantibus menſibus. Optimum eſt etiam,vbi quieuerint.Maxime verò in his diebus experiendum eſt, an prægnans fieri poſſit:hi enim ſunt opportuniſſimi. Si verò non ſtatim cõcipiat,& reliqua bene habeant;nihil prohibet etiã alijs diebus cum viro coire. Nã hæc exercitatio alacritatem ipſi inducit, & venulæ hinc laxantur: &,ſi ea,quæ à viro prodeunt,concurrerint ſecundum rectitudinem cum eo quod à muliere:citius concipiet; hæc enim cauſſa eſt his,quibus ſiue ſtatim,ſiue poſteriore tempore exeunt. Atque hæc quidem de his dicta ſunt.

34 Si verò humidius fuerit os vterorum; genituram attrahere non poſſunt. Vtendum autem eſt medicamentis ſubditijs acribus:commorſus enim,& inflammatus ſtomachus, ſolidus, ac firmus quandoque fit, & aliquo modo accommodatur. Sed,& ſi in callum indurati fuerint: præſtat acria apponere, quæ mordeant:quæ enim tenuia, & feruida ſunt calli duriciã diffundunt. Si verò mollitus fuerit callus;mollibus curato,& his quæ non mordent.

35 Quòd,ſi diu non concipiat,menſib.nõ apparentibus,quum tertia, aut quarta dies aderit, alumen tritum vnguento dilutum, & lana excerptum apponito,& habeat per triduum. Quarta verò die fel bubulum ſiccum in oleo feruefacito, & lanam teneram eo imbutam ſubdito,& habeat per triduum. Poſtridie autem eximat,& cum viro coeat.

36 Si genituram non ſuſcipiat mulier,menſibus ſecũdum naturam prodeuntibus; membrana præpoſita eſt(fit etiã ex alijs cauſis)cognoſces autem, vbi digito obicẽ contigeris. Facito autem,medicamentum ſubditicium;Reſinam,& æris florem cum melle ſub acta in linteo apponito quàmpenitiſſime, filo ad extremitatem alligato: vbi verò hoc extraxerit; myrtũ in vino coquat,& vino tepido perluatur: præſtat autem membranam auferre.

37 Sunt autem mulieres, quæ facile quidem in vētre concipiunt, geſtare verò non poſſunt, ſed fætus ipſis corrũpuntur,aut tertio,aut quarto menſe,nulla cauſa accedente,neque cibo incommodo ingeſto;& hæc eſt cauſa,quæ relata eſt, & maxime quũ vteri augmẽtum fœtus dimiſerint,aut vẽter ipſis turbetur.Debilitas autẽ,& febris vehemens, & cibi faſtidium incidit eo tempore,quo fœtus corrumpunt. Eſt autem & hæc cauſſa; ſi vteri fuerint leues,aut natura,aut vlceribus in ipſis innatis; ſi enim leues fuerint,quandoq; continentes ipſum pelliculæ, minus, quàm oportet, cohærent: vtpote quum vteri ipſi pleni exiſtant: cognouerit autem quis hæc ſingula;ſi de his exacte interroget. De leuitate verò cognouerit,ſi alia mulier contigerit,dum vteri vacui ſunt; non enim hoc tempore manifeſtum fit. Si verò menſes prodierint his, aceruatim prodeunt.Quibuſdam tamen ipſarum cõtingit,vt fœtus edant. Et ſi qua curetur; ſpes partus adeſt,& de his quidem ſic habet.

38 Si mulierem puerperam facere velis, aliàs concipere nequeuntẽ; menſes conſiderare oportet, an pituitoſi ſunt,aut bilioſi.Cognoſces autẽ ſic. Arenam tenuem ac ſiccã ſubijcito, & quum menſes prodeũt, in ſole ſanguinem ſuperfundito, ac ſiccari ſinito. Et, ſi quidem bilioſa fuerit;ſanguis in arena ſiccatus pallidus erit.Si verò pituitoſa fuerit;velut mucus. Vtrũ igitur horum fuerit,vẽtrem purgato;ſiue ſupra opus habuerit,ſiue infra:poſtea vteros purgato.Si verò cõcipere voles;hederæ grana ſeptem,aut folia, ſingulis menſibus in vino veteri,ceſſantibus mẽſibus, bibẽda dato. Et malicorium in vino odorato meraco coquito,& glandẽ ex hoc factã in meridie ſubdito.Aut alumen Aegyptiũ tritũ lanæ illigatũ apponito. Quũ autem ſol occiderit; eo detracto, vino odoraro perluatur.Hæc autem ceſſantibus menſibus facere oportet. Sed & hoc ſic habet. Quum purgatæ fuerint mulieres; maxime in ventre concipiunt cum viro conſuetudinem habentes, & genitura ipſis corroboratur; ſi quando oportet coiuerint. Et ſemen viri facile amiſcetur:& ſi prævaluerit,illi accommodatur,ac appropriatur: tunc enim maxime os vterorum hiat, & diſtentum eſt poſt purgationes. Et venæ genituram attrahunt. At in priore tempore,& os vterorum concluſum eſt & venæ magis ſanguine plenæ exiſtentes, non ſimiliter genituram attrahunt.

39 Si verò genitura iugi curſu defluat; mulier viro miſceri non cupit, & ſi miſceatur, non concipit, & lumbi, ac coxendices doloribus vexantur, & febris debilis corripit, & impotentia, ac animi deliquium ſuccedit, & aliquando vteri in ſuo loco non ſunt. Si quidem igitur præ plenitudine defluat, ſinere ipſam optimum eſt. Si verò vterus laxus fiat; diæta ſit alica,

caro suilla, aut palumbi, & vinum nigrum, potiones verò, quæ ad fluxum describentur.

40 Nunc porrò dicam de morbis earum, quæ in ventre habent. Pronuncio autem de muliere in ventre habente duos, aut tres menses, & vltra, si menses statim prodeant singulis mensibus; necesse est tenuem ipsam fieri, ac debilem. Quandoque etiam febris ipsam corripit his diebus, quàm diu mẽses prodierint. Et, dum prodeunt, & postquam prodierint; pallida fit. Sed & pauci prodeunt. His vteri magis, quàm opportunum est hiant, & augmentum fœtus dimittũt: descendit enim, quum mulier in ventre habet, sanguis paulatim in vteros à toto corpore, & in orbem circa id, quod in vteris est circumstàns, illud auget. Si verò hiarint vteri magis, quàm oportet; sanguinem singulis mensibus, velut procedere solet, dimittunt. Et quod in vteris est; tenue, ac debile fit. Si verò curet mulier, melior & fœtus, & mulier euadit. Si verò nõ curetur mulier; fœtus corrũpitur. Sed & ipsa periclitatur, ne diuturnum habeat morbum; si purgatio plus, quàm oportet prodeat: quia & post corruptionem, periculum imminebit, nimirum vteris magis apertis.

41 Si verò mulieri in vtero habenti caput pituitosum fuerit, & pituita acris in ventrẽ descenderit; & à capite ventrẽ perrũpit, & febris debilis ipsam corripit, & palpitationes quibusdã debiles subexolutæ, augescẽtes acutæ. Si verò etiã cibi fastidium, & impotentia corripiat; periculum est, ne breui fœtus corrumpatur. Sed & ipsa in periculum adducetur; si non curetur. Vbi verò effugerit, vtpote ventre fluido existẽte; statim cõcludere, ac constringere oportet. Multa verò etiam alia sunt pericula, in quibus fœtus corrumpuntur. Nam, si mulier in ventre habens ægrotarit, aut debilis fuerit, aut onus leuarti, aut pcussa fuerit, aut saltarit, aut cibum fastidierit, aut animi deliquio correpta fuerit, aut amplius, aut minus nutrimentũ acciat, aut timeat, & consternetur, aut vociferetur, aut intemperanter viuat; fœtum corrumpet: nam & cibus corruptionis causa est, & potus multus. Sed & ipsi vteri naturas habent, quibus abortum faciunt quum sunt flatuosi, densi, magni, parui &c alia his similia.

42 Si mulier in vtero habens, ventrem, aut lumbos doleat; formidare oportet né fœtum per abortũ edat, pelliculis, qui ipsum continent, ruptis. Sunt etiã quę fœtus corrumpunt; si acre quid, aut amarum ederint, aut biberint præter consuetudinem; dum adhuc paruus intus est puerulus; si enim puero quid acidat præter consuetudinem; & si paruulus adhuc fuerit; moritur. Et si eiusmodi edat, aut bibat, velut diximus, ut necesse sit ipsi turbari ventrem; dum adhuc paruus est puer: percipiunt enim, &c concitantur ipsi uteri fluxione ex ventre secedente. Et si laborarit mulier plus, quàm oportet, & venter ipsius concludatur, aut magnus fiat; etiam sic puer corrũpitur, velut à labore calefactus, & à ventre pressus; plerunque enim dum parui sunt, debiles sunt. Quidã verò etiã magni corrumpũtur. Quare mirari non oportet mulieres, quòd inuitæ corrumpunt: nam custodia, & scientia multa opus est vt in vteris gestent puerum, & enutriant, & vt euadant ab ipso in partu.

43 Si verò mulier in vẽtre habens, corpore male habeat, & fuerit bilioſa, & dolorib. vexata, & aliàs atq; aliàs febricitet, & os examarescat, & lingua cũ virore pallida fiat, oculi velut morbo regio affecti, vngues bilioſi vrina acris: hęc tum aliàs, tũ si febricitet, aliàs atque aliàs ipsi accident: postquam verò etiam purgationem contigerit bilioſam esse, planè timendum est etiam pueros debiles fore: Hæc si bilioſa per secessum egerat (id quod valde contingit) melius deget. Et si bilioſa, aut valde nigra sunt partus purgamẽta; etiã vt plurimũ pinguedo succedit, & prodeunt paulatim, & non cito congelãtur: & primo quidem tempore leuius fert, postea verò grauius, & minus purgatur, quam oportet: si enim corpus male habuerit, etiã partus purgamenta pauciora, ac deteriora ipsi procedent. Patietur autem & hæc omnia: etiam si menses prodeant bilioſi. Verùm breuiori tempore ægrotabit. Et morbus ad eadem pericula, & signa, & transmutationes deueniet: aut enim ipsis vomitus bilioſus; aut purgatio per ventrem, in hoc morbo fit, &c vteri exulcerantur. Multa verò custodia mulier opus habet. Quum igitur tale quid factũ fuerit, vt ne moriatur; sterilis erit. Si verò nihil horum fiat, & nõ curetur, sed partus purgamenta fuerint ipsi occultata; in triginta & vna diebus vt plurimũ moritur. Huic pharmacum in potu exhibendum est, quod bilem ducat. Prodest & anisum, & quæ ad vrinam ciendã dantur. Vomat autem, & sudores eliciantur, & aluus succo ptisanæ, &c melle, &c ouis, & maluæ aqua infusa eluatur.

44 Quibus in ventre habentibus circa septimũ, aut octauũ mensem, derepente mammarũ & ventris plenitudo collabitur, & vbera gracilescunt, & lac non apparet, his dicendum est, puerum, aut mortuũ esse, aut viuere, & debilem esse: si enim in ventre habuerint, & apparuerint menses; aut abortus fiũt si plures fuerint & male olentes, aut fœtus morboſi fiunt.

45 Si mulier in ventre habens pituitosa fuerit; & caput dolet, & aliàs atq; aliàs febrit, & in capite obuoluitur pituita: & grauitatem exhibet, ac frigus, & in corpus procedit, & in venas; quũ caput fuerit repletum. Fit etiam colore plumbo similis, & vomit pituitam: lingua alba est, & vrina communiter exalbescit: frigida est, turbatio adest, & æger motus. Vbi verò pepererit: procedet ipsi purgatio pituitosa & apparebit pelliculosa, & velut araneorum casses in hac distenti erunt, & patietur quidem eadem omnia etiam ea, cui menses pituitosi prodeunt verùm breuiore tempore ægrotabit: & eadem pericula, & signa, &c transmutationes morbus habebit: continget enim ipsi vomitum pituitosum fieri, & affectiones similes velut illi accident. Dependent enim eodem modo partus purgamenta & menses pituitosi: verũ purgamenta, partus breuiore tempore, quàm menses: &c nisi eruperit ipsa purgatio, quæ diu moram traxit: moritur in quinque &c quadraginta diebus, etiam si pituitosum partus purgamentum ipsi prodierit. Curata autem mulier sana fiet, &c inflabitur ab initio si sanata fuerit: grauis enim erit hic morbus. Huic dare oportet pharmacum quod pituitam ducit, &c lac caprinum coctum cum melle miscere. Si uerò sæpe non obediat: nasturtium, aut cnicum, aut cneorũ, aut polypodium, aut serum, aut medicamentum ex sale compositum exhibeto, & quæcunque pituitam laxant, ac educunt.

46 Si uerò mulier in utero habens, lienosa fit à relatis affectionibus: in hoc morbo menses hydropi

similes,

similes,& pituitosos demittit, & partus purgamenta procedent hydropi similia, & prodibunt modo multa,modo pauca, & fiunt quemadmodum aqua à carnibus,velut si quis carnes cruentas abluat: aliquando verò paulo crassiora, & non congelantur. Et patietur eadem omnia etiam ea cui menses aquosi procedunt, & pericula eadem, ac transmutationes morbus habebit: continget enim ipsi fluxum aquosum fieri,aut purgationem occultari, & ad ventrem conuerti,& ad crura,aut ad pectus,aut aliquam harum partium, & pericula erunt eadem,quæ prius sunt relata.

47 Si prægnans intumescat;vrticæ semen plurimum, & mel, & vinum dilutum odoratum potandum dato,bis in die.

48 Si prægnantem bilis vexet, ptisanæ succum dato, rhoe rubro insperso, aut eo qui ex moris paratur. Sorbeat autem frigidam,& sistetur.

49 Si suffocatio derepente accidat prægnanti. Fit autem hoc maxime vbi mulier laborarit,& cibum fasti dierit,vteris à labore calefactis, & pauciore humore fœtui accedenti. Et quum vterus,ac venter inanior fit quàm oportet,procedit fœtus ad hæpar,& præcordia, vt quę sunt humecta,& suffocationem forte derepente inducit:intercipit n.perspirationem circa ventrem,& mulier voce priuatur,& albas oculorum partes subuertit,& reliqua patitur omnia, quæ relata sunt,si mulier nõ prægnans ab vtero suffocetur. Quin & suffocatio fieri incipit mulieri in ventre habenti; quum à capite defluit pituita ad præcordia, vt pote corpore respirationem trahere non potẽte. Et si quidem vnà cum pituitæ descensu,fętus redierit ad suũ locum,velut qui humorem attraxit,& à pituita delatus sit;mulier sana fit. Stridor autem fit fœtu locum suum occupante. Et venter mulieris vt plurimũ humidus fit. Si verò non breui redeat fœtus in suum locum;duo iam fiunt,quę fœtum affligunt:pituita,quę à capite descendit(grauat.n.& insistens frigefacit)& loci alienitas,& periclitabitur. Et si non breui quis commodiorem diætam adhibuerit;mulier suffocabitur. Et de his quidem sic habet.

50 Si verò mulieri in ventre habenti, tempus partus iam affuerit,& dolor partus tenuerit, & ad multum tempus mulier puerum edere non poterit; omnino obliquus,aut in pedes procedit. Vtile est autem in caput procedere. Et,si obliquus procedat;difficilis fit affectio: sicut.n.si quis in vas olearium angusti oris nucleum immittat;non procliue est extrahere ipsum obliquatũ: sic sanè etiam mulieri grauis affectio est; vbi fœtus fuerit obliquatus; difficile est enim ipsum exire. Graue autem est etiam,si in pedes processerit: sæpe,aut matres pereunt,aut pueri, aut ambo. Est autem & hæc magna causa,vt non facile exeat;si mortuus,aut syderatus,aut duplicatus fuerit.

51 Quum mulier in ventre habuerit;tota fit cum virore pallida, quoniam purus ipsius sanguis semper quotidie ex corpore destillat,& in fętum descendit, & augmẽtum ipsi accedit. Et,quum paucior sanguis sit in corpore; necesse est ipsam esse pallidam,& semper alienos cibos appetere, & sanguinea in ventrem intrare. Et debilior fit;quoniam sanguis minuitur. Assero porrò mulierem, vbi pariet;frequentem spiritum emittere. Et si purgatio inceperit;venter plenus est,& calore pressus. Maxime verò frequenter respirat;vbi partus appropinquat. Et tunc maxime lũbos doles:nam & lumbi à fœtu collidũtur. Dolet autem stomachum,siue ventriculi osculum in interme dio tempore alias,atq; aliàs vtpote dum venter,maxime verò vterus,circum fœtum obuoluitur.

52 Et,si puerperæ vterus infletur;ouiculæ,aut capræ hepar cinere obruito, deinde coquito,& hoc edat,ac vinum meracius vetus,si nihil prohibuerit;bibat ad dies quatuor,si longius aberit à partu. Si verò lumbos doleat;anisum,& cuminum Aethiopicum bibat. Et calida lauetur. Si verò anhelatio corripiat;sulphuris magnitudinem fabæ, & cardamomi tantundem, & rutæ,accumini Aethiopici tantundem. Hæc terito,& vino diluta ieiunæ bibenda præbeto. Et à cibis frequenter abstineat.

53 Si in partu purgatio multa prodierit; vterus contrahitur,& vesica,& intestinum,& neq; stercus continent,sed & vrinam emittunt. Oua igitur sorbenda dato,& panem cinericium edendum, & reliqua, quæ scripta sunt.

54 Si verò ea,quæ in partu est,sicca fuerit, & difficulter humectetur; oleum bibat,& locos oleo calido cũ maluæ aqua irriget,& cerato liquido illinat,& anserinum adipem cum oleo infundat.

55 Si verò parere non poterit;resinam,aut cuminum, aut pinus corticem suffito.

56 Quicunq; verò tumores vteri in partu,aut ex partu fiunt,eos adstringere nõ oportet,velut medici faciunt:verùm pharmaca optima exhibeto. Cuminum Aethiopicum,quantum tribus digitis capi potest,& anisi,& seselis grana quinque,aux sex,pæoniæ radicis, aut etiam seminis testam conchæ maioris dimidiã. Hæc in vino albo odorato maxime,ieiunæ exhibeto. Aut dauci Aethiopici radicẽ,seseli,pæoniæ radicẽ,eodẽ modo. Aut hipposelini,aut dauci Aethiopici semen eodẽ modo. Aut crethmi radicem. Aut cuminum Aethiopicum quatuor obolorum Atticorum pondere. Aut piper anisum,daucum,pæoniæ Atticæ radicem. Hæc in vino terito,& bibenda dato: Aut myrti daniramulos duos,aut tres,& cuminũ Aethiopicum,& pæoniæ radicem. Aut etiam lini semen similiter, quo etiam pueros tussientes nutriunt, cum oui assati vitello,& cum sesamo tosto.

57 Si prægnanti pudenda superficiario, ac feruido vlcere affecta sint;amygdalas tritas,& medullam bubulam cum aqua coquito,& modica farina adiecta,pudẽda illinito, & aqua à coctis myrti baccis perluito.

58 Nunc verò dicam de puerperij purgamentis, & his,quæ post partum exeunt. Quum mulieri aut partus purgamenta non fuerint purgata, aut mẽses non prodierint,aut etiã vterus durus fuerit; dolor habet lũbos,& lateris mollitudinem,& inguina,& femora,& pedes amarè dolet,& venter attollitur & horrores per corpus discurrunt. Ex talibus autẽ febres fiũt acutæ. Hanc ita habentẽ,si quidem sine febre fuerit balneis curato. Caput autem oleo anthino inungito. Maluã autẽ coquito,& oleo cyprino in aquã eius infuso,mitigãdi gratia insidere iubeto. In omnibus aũt morbis,in quibus fomentũ auxiliatur,melius est postea oleo vngi. Si verò febris habeat;à balneis abstinere,fomentis aũt,& tepefactorijs imũ ventrẽ,& lumbos curare: In potu autẽ exhibere pharmaca vterina, aut sepiæ ouis,aut castorio ammixtis: post hoc verò farinã cũ ruta coctã,aut ptisanę succũ sorbendũ dare.

59 Si verò mulieri cum puero in partu non prodierit humor, velut oportet, sed si quidem in capite habuerit humorem à calore attractum; in partu, & ante, caput dolebit. Si verò in ventrem aceruatim descenderit, vbi concitatus fuerit; ipsum turbabit. Et non oportet longe progredi sinere, sed auxilium ferre; vt ne ex partu ventris profluuium succedens, corpore male habente, ipsam dolore affligat. Si verò à capite delatus fluxus, ad puerperij purgationem vertatur, & multum concitetur; melius habebit. Si verò plus moderato; curam adhibeto. Si verò in ventrem facilior vtique exitus puero contigerit.

Si verò purgatio modica mulieri prodierit; dolor fortis corripit lumbos, & omnem circa pudenda locum, & intumescit, & femora ardent. Et ex ore, ac naribus pituita fluit fortiter acquosa, & dolet caput, & febris habet, & horror, & tumet, & dentes stridunt, & venter, & vesica constringitur, & oculos subuertit, & caliginosum visum habet.

60 Quum mulieri puerperæ purgatio non facile procedit; velut vteris inflammatis, & osculo ipsorum concluso. Obtorquetur enim stomachus vteri post pueri egressum: si enim quid horum fuerit purgatio non procedet. Si verò non processerit purgatio; continget ipsam febrire, & horrorem habere, & ventrem magnum esse: & si ipsam attigeris, totum corpus dolere, maxime si quis ventrem attingat: & aliàs, atque aliàs stomachi dolore vexatur, & lumbos dolet, & cibi fastidiũ, & vigiliæ, & punctura adest. Postea quinto, aut septimo die quandoque venter turbatur, & secedunt nigra, & valde graueolentia aliàs, atque aliàs, & vrina velut asinina. Et, si secesserint; videtur sibi melius habere, & curata, breui sana fit: sin minus; periclitabitur profluuio vẽtris forti ipsi illapso. Et puerperij purgamenta ipsi occultabuntur. Si verò venter ipsi non turbetur, neque purgatio prodeat sua sponte, neque ea, quæ commoda sunt breui exhibeantur, tempus autem progrediatur; multo magis ex prædictis affligetur. Et insuper periclitabitur, ne liuida fiat velut plumbum, & aquam intercutem incidat, & vmbilicus extabit ipsi, ab vteris eleuatus. Et circum circa nigrior erit. Et, vbi hæc facta fuerint; fieri non potest, vt mulier superstes maneat. Pereunt autem aliæ alio tempore, pro corporis, & affectionis ratione. Verum vnam & vicesimam diem non excedunt, id quod plerunque sic contingit.

Si verò purgatio ipsi eruperit, siue à pharmacis, siue sua sponte (fit enim & hoc si vteri os laxarint, à sanguine aceruatim de repẽte delato coacti: & si eruperit; graueolentia purulenta depurgãtur; quandoq; etiam nigra) & melius habebit, & curata sanescit.

61 Fiunt autem & vlcera in vteris, vtpote puerperij purgamentis putrefactis. Si verò fiant; maiore cura opus erit, vt ne ipsi vlcera magna, & putredinosa fiãt: periculum est autem, ne aut moriatur, aut sterilis fiat. Signa verò hęc fiunt; si vlcera intus fuerint? Quũ purgatio ipsi prodierit, velut spina per vteros transire videtur, & calor ipsam corripit; ac maxime ventrem inuadit. Et, si attingatur; partem infra vmbilicum dolet, velut si purum neruosum vlcus cõtingas. Post dolores fortes aliàs, atque aliàs in vteros incidunt: & febris aliquando ad contactum manus debilis: & aliàs atq; aliàs puerperij purgamenta procedunt, maligna, purulenta, graueolentia. Hæc sunt signa; si vlcera in vteris fuerint, & multa cura opus habent. Atque huius quidem morbi tot fines existunt.

62 Si verò purgatio puerperij primis tribus, aut quatuor diebus processerit, verùm postea derepente euanescit; easdem affectiones consimiles priori patitur, sed minus: &, si transmutetur morbus; in idem transmutabitur: diuturnus autem; & debilior priore erit. Si verò curetur mulier; superstes erit, si cito curetur: & de hoc morbo sic habet.

63 Si verò ex partu non fuerit purgata; venter intumescit, & splen, & crura: & febris habet, & rigor corripit, & dolores prosiliunt ad lumbos, aliquando etiã ad viscera. Et perfrigeratur, & febris habet: pulsus debiles sunt, & aliquando acuti, & aliàs attolluntur, aliàs deficiunt. Hæc patitur incipiente morbo, & sic habet. Temporis autem progressu caue faciei partes rubescunt. Quum sic habuerit; leues cibos exhibeto. Et, si turget; pharmacum infrà purgans bibẽdum dato, si bilìosa fuerit, quod bilem purgat: si pituitosa, quod pituitam. Postea verò vteros odoratis foueto, & mollitorium in die apponito. Si verò osculum solidũ fuerit; tota die foueto, & mollitoria apponito. Deinde calida aqua lauato, & plumbeas fistulas indito.

Postea salis grana, & myrrham in linteũ illigato, & picem coctam ammixtis aromatis lana excipito, & singulorũ pares potiones ad gallæ paruæ figuram efformato, & per diem, ac noctem apponito. Deinde verò intermissis tribus diebus, ijsdem foueto. Et grana cnidia decorticata duarum potionum mensura, & piperis grana trita, oleo Ægiptio albo, & melle optimo ammixto, in lauam infarcito, & pennæ ob uoluta, tota die ac nocte apponito. Et, si tibi purgata esse videatur; melius est finere. Si verò purgatione opus habere videatur; duobus diebus interpositis rursus id, quod ex cucumere syluestri paratur, per diem, ac noctem subdito. Deinde netopon, & oleum rosaceum odoratissimum, & adipem cerui liquefacito, & die vna in lana subdito, & multa calida, quantum eius fieri potest, leniter lauato. Statim autem vbi purgatorijs, & calida, fuerint purgata loca affecta; adipe anserino, & myrrha, & resina tepida os vterorum illinat, & foueat. Vteros verò postridie vino, & oleo narcissino eluat: Aut, si narcissinum non sit; vino solo. Atque hæc die vno ante menses faciat. Postquam autem menses prodierint; primis diebus atramẽtum, hoc est, spodium Ciprium terat, & salis granum addat, & hæc lana excepta paululum in corpore habeat. Et ieiuna vinum meracum odoratum absorbeat. Vbi verò quieuerint menses; per diem id, quod ex pulegio paratur, apponat, & virum accedat. Et, si in ventre conceperit; sana euadit. Cibis autem in purgatione vtatur. Ad hæc commoda t mercurialem coquere, & portum allium, brassicam, & grana mali punici ammiscere, & succum sorbere. Alijs aũt obsonijs marinis potius, quàm carnibus vtatur. A dulcibus verò, & oleosis prohibeatur. Bibat autem semper ieiuna id, quod ex tæda paratur, donec purgetur. Et mensibus prodeuntibus idem valde bibat.

64 Si verò paulo pauciora, quàm oportet, prodierint mulieri puerperij purgamenta, velut vteris angusto ore præditis ac distortis, aut aliqua pudendi pars valde fuerit concluſa ab inflammatione; Mulier acutè febrit, & stomachi dolore vexatur, & dolet totũ corpus, & molestè fert: & ad articulos manuum, ac

crurum

crurum,& lumborum dolor procedit: & locum circa collum,& ſpinam,& inguina dolebit: & quædam corporis partes impotentes fient. Poſtea calor quietus erit,& horror valde manifeſtus. Vomunt autem pituitoſa,amara,& acria. Et de hac ſic habet,& contingit,vt,ſi curetur;ſana fiat: ſin minus; clauda,& quarundam corporis partium impotens erit. Non autem valde ſterilis eſt hic morbus.

65 Si quidem vlcerati fuerint vteri, & puerperij purgamenta non prodierint,velut oportet; omnia dolebit: &,ſi non magna fuerint vlcera; curata breui ſaneſcit. Oportet autem curationem vlcerum in vteris exacte facere,vt quę in tenera,& ſubtili ſenſu prędita ſint parte,& in neruoſa cauitate. Multę autem ſunt partes,cum quibus ſocietatem habet, ſinciput, ſtomachus. Mens percellitur,& improba fit,& non facile intelligit.

66 Si verò vteri anguſti oris ipſi fuerint,& puerperij purgationem non emiſerint; inflammantur:&,ſi nõ curetur breui;omnia magis ipſam affligent. Et odor malus erit,& exitus intumeſcit. Et,ſi non inflãmati fuerint vteri; ſua ſponte exit malum graue olens,& liuidũ,aut nigrum grumoſum, & mulieri puerperij purgamenta purgantur. Quandoque verò non exit, ſed mulieri mortem portendit; niſi quibus breui venam ſecet,aut ventrem emolliat. Præſtat autẽ etiam clyſterem adhibere: ſi verò ad vomitum facilis fuerit; etiam vomitum inducere. Melius autem eſt lotium ciere,& exudare. Verùm in his occaſio optima eſt;quum opus his fuerit.

67 Si verò ex partu purgata mulier fuerit paulò plura,quàm oportet. (Contingit enim hoc,ſi vteri amplioris oſculi fuerint, & venæ quædam ruptæ ſint; quę ſub vteros tendunt,prę violentia egreſſus ipſius fętus:) febris,& rigor habebit ipſam tenuis, & calor per totum corpus. Aliquando etiam horror,& cibi faſtidium,& omnino abominabitur: & tenuis erit, ac debilis,& pallida,& tumida, & cibum auerſatur. Si verò quid edat,aut bibat;non concoquitur. Quibuſdam verò etiam aluus,& veſica erumpit, & horror magis obtinet. Et de hac ſic habet.

68 Si verò puerperæ aliqua pudendi pars obturata fuerit(iam.n.etiam hoc cognoui)ſi vlceratum fuerit os pudendi, vbi ſanè vlceratum fuerit;in partu à pueri exitu violatum,ſimile quid fit vlceri ſuperficiario ac feruenti,& valde inflammatur. Et labia præ inflãmatione inter ſe coincidunt,& ſe mutuo contingũt, vtpote quæ ſunt exulcerata. Sed & frigus fit,& ambo labia clauſa ſunt,conſtringentia purgationem relictam. Si verò prodiret purgatio;vlcera non concluſa eſſent. Nunc aũt influit, & aliena carne craſſeſcũt. Proinde ea ſanare oportet,velut in reliquo corpore, & ad cicatrices perducere. Locus autem leuis,& cõcolor reddatur. Mulier quædam patiebatur eadem, quæ patiuntur vteri, dum à puerperij purgamentis non purgantur,& ad hæc dolebat pudendum. Et ex contactu cognouit,quòd obturata eſſet, & narrauit, et curata depurgata eſt,et ſana euaſit,ac fœcunda. Si verò curata non fuiſſet,neq; purgatio ipſi ſponte erupiſſet; vlcus maius feciſſet,& malo non remittente, periclitata fuiſſet,ne vlcera canceroſa fierent.

69 Si verò proceſſerit muliere puerperij purgatio ad caput,thoracemque,ac pulmonem, fit enim et hoc: moriuntur ſæpe ſtatim;ſi detineatur,ac firmetur. Si verò probe exeat per os,aut nares ſana euadit. Si verò morbus paulo diuturnior fiat; patietur ſanè mulier ea,quæ dicta ſunt de virgine,cui mẽſes primùm comparentes ſurſum impetum fecerunt. Verùm mulier longiore tempore ſuperſtes erit, quam virgo,et affectiones debiliores erunt; donec pulmo purulentus fiat. Si verò puerperij purgatio non exeat per os, ſed ſurſum tamen impetum fecerit; occultabitur,& non procedet iuſto modo. Et tuſſis corripiet,& anhelationes. Et impleto pulmone à ſanguine,valde dolebit latus,& dorſum. Et quum tuſſiet; ficcè tuſſiet. Aliquando verò ſpumoſum expuet. Temporis autem progreſſu ſputum apparet ſubnigrum,& turbatum. Et calor pectora tenet magis, quàm reliquum corpus, nimirum ſanguine ipſa calefaciente,et febrit mulier:et venter ipſi coarctatur, et cibum faſtidit,et vigilabit,& abominabitur: & non ſuperſtes manet, ſed moritur plerunque viceſima prima die.

70 Si verò purgatio ſurſum progreſſa, per os non exeat,neque in pulmonem vertatur;conuertetur ipſi ad faciem. & erit hæc valde rubicunda,& caput graue, quod neque mouere poteſt abſque doloribus: & oculi valde rubicundi erũt, & ex ipſis ſanguis tenuis fluet. Et quibuſdam ex naribus ſanguis manat. Et,ſi hic exierit;diuturnior morbus fit. Et aures nõ acute audiunt in hoc morbo: & ſtomachi dolore vexatur, & eructat,& mente alienatur, & deliria fiũt furioſa. Quibuſdam autem adeſt oculorum diſtortorum ferocitas. Et reliqua omnia perpetietur,velut ſi purgatio ad pulmonem vertatur. Verùm non tuſſiet, neque expuet eiuſmodi, neque dorſum ſimiliter dolebit. Curata verò ſana fit. Non multa verò ſpes eſt de vita ipſius. Et,ſi etiam ſuperſtes maneat; ſurditas,aut cæcitas omnino ipſi accedet. Atque hic eſt huius morbi finis.

71 Si ex partu fluxus corripiat, & cibi in ventre non maneant; vuam paſſam nigram, & mali punici dulcis grana terito,& vino nigro dilutis vtitor,ita vt caſeum caprinum deraſum, & polentam tritici torrefactam inſpergas, & bene temperata bibenda præbeas.

72 Si ex partu ſanguinem vomat; hepatis fiſtula ſauciata eſt,& dolor ad viſcera procedit, & cor conuellitur. Hanc multa calida lauare oportet:& tepefactoria,quæ maxime admiſerit,adhibere:& lac aſininum ad dies ſeptem, vel quinque bibendum dare: poſtea verò vaccæ nigræ lac bibendum præbere,ita vt ſine cibo degat,ſi fieri poterit,ad dies quadraginta. Ad veſperam verò ſeſamum tritum bibat. Morbus hic eſt pariculoſus. Quomodo autem lac fiat,dictum à me eſt in Pueri in partu natiuitate,& alia ſimiliter.

73 Si lac fuerit extinctum; porrum tritum, & aqua dilutum bibendum dato. Et calida lauetur,& in cibo porrum,ac braſſicam edat. Sed & cytiſi folia ſimul coquat,& ſuccum ſorbeat. Bibat etiam fœniculi ſuccum,& de radicibus fœniculi. Et ordeum mollitum, ac butyrum ſimul coquito, frigefacito, ac bibenda præbeto. Bonum eſt & hippomarathrum,& hippoſelinũ,& cytiſus. Hæc omnia ſimul multũ lac faciunt, & augent. Capræ item Syrię, caſei aũt maxime commodi ſunt. Sed & ſaluiam coquat: aut à iuniperi baccis,aut cedri fructu,ſuccũ diffundat,& vino affuſo bibat,& reliqua oleo affuſo edat:& ab acribus,&

salsis,& acidis,& crudis oleribus omnibus prohibeatur (Nasturtium verò in vino potum commodum est:nam lac purgat)& calida lauetur,& apothermum bibat. Viticis item fructum in vino bibendum dato, & betæ succus potatus multum lac facit. Sesamum quoque recens, & ordeum trimestre, in mortarium coniecta terito, & succum diffusum per linteum exprimito, & mel aut amamelidas ammiscето: deinde in vino nigro bibenda dato.

74 Quum mulier peperit, & à secunda non fuerit liberata; præstat dare ea, à quibus maxime purgantur puerperij purgamenta:allia cocta, aut assata in vino, & oleo, cum polypis, ac sepiolis super prunis tostis, quicquid tandem ex his voluerit. Castorium verò, aut nardum bibat. Bibat etiam rutam in vino nigro dulci ieiunia,aut sine vino. Si verò vinum non fuerit dulce; melius est mel ammiscere. Edat etiam brassicam coctam cum ruta, & mercuriali: & semen aliquod vtero commodum bibat.

75 Si verò puerperij purgamenta in grumos fuerint coacta,& dolor in imo ventre fiat; porrum coctum, & quæcunque sylvestria,ac hortensia olera dato,verum omnia pinguia facito: & per tertium quenque diem sub clementi cœlo lauetur: frigus enim his inimicum est. Et post balneum inungere melius est, & non multa calida vti.

76 Quum secunda non statim exierit post partum; imi ventris dolores fiunt in laterum mollitudine, & rigores,ac febres. Et, si discesserit secunda; sanatur etiam mulier. Sæpè verò putrescit,& discedit sexta, aut septima die, aut etiam prius. Huic autem dare oportet pharmaca, quæ ego describam, & spiritum continere iubere. Omnium verò optimum noui artemisiam herbam, & dictamnum, & violæ albæ florem. Et silphij succus optimus est,fabę græcę magnitudine in aqua potus. Et, si secundas excludere non poterit; à cibo abstineat. Et postea viticis folia trita in vino, & melle, oleo affuso tepefacito, & heminæ mensuram bibendam dato,& exhibunt. Si mulieri secunda in vteris relicta fuerit;hoc sic contingit. Si per vim ruptus fuerit vmbilicus, aut ab obstetrice vmbilicoseca per imperitiam resectus, quæ videlicet vmbilicum pueri prius incidit, antequam secunda ex vteris exijsset, & vteri sursum retrahunt secundam, vtpote lubricam, & diffusam, & in seipsis detinent: nam secunda ex vmbilico pueri hæret, & vmbilicus postremus ex vteris exit; si enim prior exiret; non accederet per ipsum puero nutrimentum; quoniam ex ipso dependet.

77 Quum in ventre habens fętū corruperit mēstruū, aut bimestrem, & secundæ exire non poterint,fuerit autem tenuis; huius corpus tūc purgare oportet, ac pinguefacere: non enim prius exeunt fœtus putrefacti,nisi fortes fuerint vteri,& probe compacti. Si mulieri secunda relicta fuerit si non ampli fuerint vteri; purgatio ipsa minus,quàm oportet procedit,& venter durus fit,ac magnus. Et frigus detinet, & febris acuta, & dolor per totum corpus,& ventris maxime partem eam,quæ est infra vmbilicum: & grauitas fit in vteris, & tormen, velut fœtus insit. Et curata secundam breui ejcit putrefactam,& sana euadit.

78 Si ex partu vterus vlceratus fuerit; rosarum floribus curato. Sed & acerbis infusis colluatur. Si verò os eius vlceratum fuerit, ac inflammatum; myrrham,& adipem anserinum,& ceram albam,& thus, pilis leporinis sub ventre enatis misceto,& simul trita in lana apponito.

79 Si ex partu vteri fuerint inflammati; febris debilis corpus tenet,& caligo adest. Ex ventre verò nunquā deficit calor:& sitit,& coxas dolet,& vēter imus fortiter intumescit,& aluus turbatur. Secessus autē est malus,& olidus:& calor vehemēs corripit,& cibum auersatur,& dolor iuxta sinciput est, & vētris stomachus non potest trahere cibos,ac potus,& concoquere nequit:&,nisi curentur statim; plurimæ moriuntur. Venter autem est in causa. Sambuci igitur folia tenerrima,in crassiore tritici recentis farina cocta,leuiter tepida sorbeat. Dato & aquam mulsam,& vinum aquosum. Et pectinem cataplasmatis frigefacto rijs integito. Cibum autem quàmminimum edat,& venter sistatur,& caput curetur. Præcordijs verò,& vterorum loco cataplasmata adhibeto.

80 Quum doluerit fedē,aut aliud quid;iuniperi baccas,aut apij,& vrticæ semen terito,ab bibendum dato. Si ex partu doleat; resinā terebinthinam, & mel, & vinum tepidum,sorbenda dato. Et,si inflammati fuerint vteri;inde sedantur. Si verò non doleat vterorum locum;amygdalas amaras tritas,& oleæ folia tenera,& anisum,& irionem,& origanum, & nitrū: Hæc misceto,terito, & vterorū collyria efformato. Si verò inflammati fuerint,& dolor habuerit; rosarū folia,cinamomum,& cassiam, simul terito, & netopo affuso,placentulas ac pastillos drachmales formato, easque in ollam nouam fictilem igne candentem mittito, circumlocataque muliere ac vestibus contecta,in vteros suffito. Hoc dolores sedat.

81 Si verò ex partu vteri doluerint; calor debilis habet: verùm venter intus igne ardet: & ad coxendicē aliquando intumescit: & dolor habet imum ventrē, & laterum mollitudinem. Et secessus bilioſi sunt,& graueolentes:&,si non sistatur venter;derepente moritur. Quum igitur sic habuerit,ventrem frigefacere oportet, cauendo ne horrescat. Bibat autem si non sistatur, aquam de crassiore tritici farina in ipsa macerata,& panis farinam edat. Sorbeat autem mali punici vinosi succum aqua dilutum,farina lentium insperſa. Et hoc coquito:misce lentem, & cuminum, & salem,& oleum,& acetum,atque hanc sorbitionē frigidam exhibeto. Lenticulam item acidam dato, & vinum vinosum pramnium insuper sorbendum. Ab alijs autem cibis abstinere oportet donec febris soluatur. Si verò visum fuerit;etiam lauetur. Si verò debilis fuerit; polentam bibendam dato: &,si imbecillior sit;ex aqua frigida. Cibum autem exhibeto leuem,qui non euacuet; vbi calor remiserit. Morbus hic acutus est,& lethalis.

82 Si inflāmati fuerint puerperæ vteri;vēter ardet,& magnus fit,& ad præcordia suffocatio habet. Quum sic habuerit;musculū marinum,quem super pisces iniciunt,pro cataplasmate adhibeto. Verùm in mortario misceto,ac tundito,crudā ordeaceam farinam,& cinerem sarmentitium,& lini semen tostum:& hæc oleo & aceto subigito, & velut cyceonem crassum facito, deinde coquito donec velut farinæ subactæ massa fiat: atque ita quàm calidissima imponito,& si opus fuerit,etiam incidere facito. Si puerperæ inflammati fuerint vteri; intumescūt:&,vbi puerperij purgamenta intus manserint; occulte distenduntur;

disten-

distenduntur autem vbi cõdensati fuerint à frigore. His, si quidem perfrigerentur; calefacere conducit. Si verò inflammati fuerint, & frigus discesserit; medicamentum subditium facere, quod inflammationi aduersatur, & simul lauare, ac fouere, & pharmaca adhibere, quę ego describam, & vaporem in os, ac nares attrahere. Si verò suffocent; lentes in aceto, & sale, & origano multo coquere, & attractionem facere. Et mercurialem edat, & in succo eius tenuem farinam sorbeat: quàm celerrime, ac prius quàm dolor corripiat, pharmaca dato, quæ vterorum dolores sedant, & cibos per aluum secedentes assumat: & si vẽter sit inflammatus; clystere adhibito quamcitissime sublauatur.

83 Si vteri pituita fuerint impleti; flatus in vteris fiũt, & menses procedunt pauciores, albi, pituitosi; Quan doque etiam sanguis tenuis sincerus, pelliculis plenus. Quibusdam etiam conturbatur, & ter in menses comparet: & præ humiditate cum viro commisceri non vult, neque libidine ad hoc faciendum concitatur, & tenuis fit. Dolet autem imum ventrem, & lumbos, & inguina: &, si mordeat id, quod effluit, & exulceret oculi vteri circumferentiam summam; fluxionem diuturnam fore pronunciato. Et, si non multa fuerit fluxio; lenticulæ decoctum cum veratro exhibeto ad vomendum. Deinde in nares infundito, & pharmacum deorsum purgans bibendum dato. A cibis autem acribus prohibeatur. Si verò grauetur, & frigeat, & torpedo habeat; lac prębeto, & vinum odoratum. Bibat autem ieiuna hypericum, apij semẽ, saluiam, in vino odorato aquoso: & vteros medicamento ex vini fece colluat: & si vlcerati fuerint, interpõsitis diebus duobus, aut tribus, pharmaco ex grano cnidio eluat, & postea cum acerbis lauet, myrti, ac lauri decocto, & medicamento ex flore argẽti illinat. Morbus autem est grauis, & paucæ effugiunt.

84 Si verò acetabula pituita plena fuerint; menses fiunt pauciores: &, si in ventre habuerit; corrumpit, vbi fœtus fortior factus fuerit: non enim corroboratur, sed defluit. Cognoueris autem hinc. Humida fit, & quod defluit mucosum, & viscosum velut à vẽtre defertur, & non mordet, & in mensibus postquam sanguine purgari desierit, per duos, aut tres dies, muci ex vteris prodeunt, & horror tenet, & calor non acutus, verùm nõ deficit. Hanc succo grossorum colluito, à quibus omnis aqua purgatur: & hoc iterum atq; iterum. Postquam autem purgata fuerit; de cætero acerbis vtatur. Apponat autem mollia, à quibus pituita purgatur, & foueat vteros medicamento ex lauro, & colluat pharmaco ex aceto: & aromatis suffitum faciat; postquam menses cessarint. Postea verò à cibis, & balneis abstinere oportet. Coeat autem cũ viro, & cibos, ac vinum parce sumat, & calide degat, & tegumenta cruribus circundet, & oleo illinat.

85 Si aqua intercus in vteris nascatur; menses pauciores, & praui fiunt, & ante tempus deficiunt: & imus venter intumescit: & mammæ solidæ, molles fiunt, & lac malum. Et putat se in ventre habere; & ex his cognosces, quòd aqua intercus est. Sed & in vterum oculo significationem de se præbet; ad tactum enim gracile & humidum apparet, & rigor ac febris corripit. Quanto verò magis tempus processerit, tanto magis dolor habet imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem, ac inguina. Hic morbus ex abortu fit: sed & ex alijs causis, & quum menses fuerint occultati. Hanc multa calida lauare oportet, & tepefactoria adhibere, si dolor habuerit. Postquam autem sedatus fuerit; pharmacum infra purgans bibendum dare oportet, & vteros medicamẽto ex bubulo stercore fouere: deinde id, quod ex cantharide paratur apponere, & biduum, aut triduum intermittere; &, si robur affuerit; netopo colluere. Et, si venter mollis fiat, & febres cessent, & menses secundum rationem prodeant; cum viro dormiat, & in medicamẽtis subditijs perseueret; & interposita die crethmi corticem bibat, & pæoniæ grana nigra quinque & sambuci fructum in vino ieiuna. Et mercurialem quàm plurimam edat, & allium crudum, ac coctum, & mollibus ad somnum vtatur, & multa potione, & alijs mollibus: & obsonijs marinis potius, quàm carnibus: &, si pepererit; sana euadit.

86 Si hydrops in vteris fiat; menses pauciores fiunt, ac deteriores, & per longius tempus, & pauciores, quàm oportet, aut paulo plures; & vẽter intumescit, & locus supra pectinem, & tibiæ, & lumbi. Vbi verò multum temporis processerit, & in ventre habuerit; corrumpit, ac eijcit; & aqua cum ipso fętu effunditur, & mulier plerunque moritur. Sanguis autem corrumpitur, & aquosus redditur. Huic lac bibendum dato, & peplum album potandum, donec fœtus moueri poterit. Quin & ante hoc vt plurimũ fętus corrumpitur, & per abortum eijcitur, & vteri sanguine, & aqua manant. Hæc autem patitur nihilo magis ex labore, quàm aliter. Cognoscere verò poteris quòd hydrops est, ex digiti contactu: deprehendes enim osculum ipsorum gracile, & plenum humiditate. Si vero fętus in ipsa non circa initia, sed iam bimestris corrumpitur, ac suffocatur; tunc & venter imus intumescit, & ad contactum dolet, velut vlcere præsente; & febris magna ipsam, ac dentium fremitus corripit, & dolor acutus, & vehemens pudenda, & imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem, & coxas. Quum sic habuerit; calida ipsam lauato; &, si dolor habuerit; tepefactoria adhibeto, experimento facto de eo, quod maxime admittat: & pharmacum deorsum purgans bibendum dato. Intermissione verò facta per tempus tibi satis esse videbitur, & colluito, & foueto, & cyclaminum melle subactum, ac linteo exceptum, ad os vterorum apponito: & cupressi ramenta in aqua madefacta, eodem modo apponito. Verùm hæc breuiore tempore, & per longius tẽporis interuallum, quanto magis mordent, & lancinãt. Et specillum stanneum paratum immittito, & digitum eodem modo. Potiones quoque bibendas dato, quascunque maxime libenter admiserit; & cum viro dormiat, maximè opportuno tempore præsente: si enim genituram conceperit, & prægnãs facta fuerit, ac pepererit: subpurgantur & ea, quæ prius in ipsa fuerunt, una cum ipsis puerperij purgamentis subeũtia. Atque sic maximè sana fieri poterit.

87 Si mulier aqua intercute laborarit, splene ipsi magno, & aquoso existente. Fit autem splen aquosus ab hac affectione, quum febris habuerit, & non dimiserit hominem, & sitis ipsum corripuerit fortis, & biberit, ac non reuomuerit: nã quod vesicam penetrat, per vrinã eijcitur; Reliquũ verò splẽ capit, abstrahẽs à vẽtre ad seipsum, vt qui rarus est, & spõgiformis, & secundum ventrem situs. Etsi his sic habentibus non exu-

exudarit, neque aluus laxetur; ab hoc splen attollitur, & hoc magis si quis ipsum contingat; mollis est velut molliſſima pluma, siue lana: quandoque verò etiam renittitur. Eleuatus autem,& impletus distribuit per venas corpori,& maximè in omentum,& locos circa ventrem,& crura:altera enim pars ad alterā delegat in corpore, vbi singulis plus,quàm oportet affuerit, & continere non poterint. Succedit autem ex hoc semper hydrops:vbi splen ad seipsum trahere consueuerit,quū natura rarus sit,ac mollis.Quibusdam verò hoc morbis principium fit sine febre;si calor quidam in ventre cōstiterit, velut pituita in ipsum collapsa:& si homo sitim non continuerit,neq; vesica neque venter vrinam, & stercus iusto modo excolarint;neque commoda diæta homo vtatur. Si verò hydropica fuerit; prodeunt menses multi derepente,quandoq; verò pauci. Et fiunt aliquādo velut aqua à carnibus,sicut si quis cruentas carnes abluisset: aliquando verò paulo spissiores,& non congelantur, & anhelatio ipsam corripit priusquam menses prodeunt, & dolor in splene, & magis si quid dulce ederit,& venter attollitur,ac magnus fit. Et,vbi plura,quàm solita est,ederit; dolet ventrem,& lumbos aliàs, atque aliàs dolor vexat, & febris ipsam paulatim corripit. postquam autem depurgata fuerit; melius sibi habere videtur superiorum respectu: postea ad idem relabitur. Et,si curetur,velut conuenit;sana euadet;sin minus;& fluxus comparet,& per omne tēpus semper fluet paulatim velut serosa sanies,& ampliore curatione opus habet. Si verò fluxus non succedat,sed vteri à prioribus mēses non laxarint; tunc & vēter ipsi magnus erit,& grauitas intus erit,velut in ventre habenti,& velut puer in ventre ipsius moueri videbitur,nimirum dum vteri aqua pleni sunt, & aqua mouetur: aliàs enim atque aliàs fluctuat in ipsis aqua, velut in vtre,& pars infra vmbilicum ad contactum dolet, & clauiculæ, & thorax, et facies, et oculi attenuantur, et mammæ attolluntur. Quibusdam verò & venter, et crura aqua implentur:quibusdam autem alterum horum. Et si quidem ambo impleta fuerint, nulla spes est de hominis vita:si verò etiam alterum horum; modica spes est si curetur, & non valde fuerit attenuata. Diuturnus est autem hic morbus. Et fiunt omnia magis his,quæ non pepererunt:fiunt autem sepe etiam his,quæ pepererūt. Periculosa verò sunt, velut dictum est, & plerunque acuta,& magna,& intellectu difficilia; eo quòd mulieres participant morbis, & aliquando neque ipsæ sciunt, quòd ægrotant,priusquam morbus experiantur à mensibus,& seniores factæ fuerint. Tunc autē & necessitas,& tempus,ipsas morborum causſam docet, & quandoque non cognoscentibus,ex quo morbo ægrotent,morbi incurabiles fiunt.antequam doceatur recte medicus ab ægrotante ex quo morbo ægrotet; verentur enim narrare, etiam si sciant; & præ inexperientia, ac ignorantia, turpe sibi id esse putant.Sed & medici simul peccant non exacte causſam morbi percunctantes, sed velut viriles morbos sanantes: & multas noui iam ab huiusmodi affectionibus corruptas. Quare statim causſam exacte interrogare oportet. Multum enim differt muliebrium morborum,ac virilium curatio.

88 Si vteri fuerint vlcerati; sanguis, & pus purgatur, & fœtor grauis oboritur,& dolor acutus corripit lūbos, & inguina, & imum ventrem, & dolor sursum procedit ad laterum mollitudinem, & ad costas, & ad scapulas. Aliquando etiam ad clauiculas peruenit,& mordetur,& caput vehementer dolet,& delirat.Progressu verò temporis tota intumescit,& debilitas ipsam corripit,& animi deliquium,& febris tenuis,& perfrigeratio. Intumescunt autem maxime crura. Morbus autem corripit ex abortu; si qua corrupto,ac putrefacto intus puero,non fuerit expurgata, & calor totum corpus tenet. Corripit etiam ex fluxibus;si in ipsis acria fuerint,& biliosa mordeant. Si in hoc modo habentem incideris,vbi quidem dolores habuerint;multa calida lauato, & tepefactoria adhibeto,qua parte fuerit dolor:&,si quidem supernè fuerint dolores,& mulier fortis est;totum fomentato,& pharmacum deorsum purgans bibendum dato: &, vbi tempus anni fuerit; serum coctum insuper bibendum præbeto,per dies quinque,si id facere poterit.Si verò non fuerit serum;lac asininum coquito & per dies tres,aut quatuor bibendum dato. Post lactis autem potum cum aquis ipsam reficito, & cum cibis commodis, carnibus ouillis teneris recentibus, & volucrium:& beta,& cucurbita. Abstineat autem à salsis,& acribus,& marinis omnibus: & à carnibus porcinis, & bubulis,ac caprinis. Edat autem panes. Si verò animi deliquia teneant, & non valida sit, & perfrigeretur; sorbitionem accipiat.Sunt autem quidam,qui his caput dolentibus lac bibendum præbēt. quia caput dolent; Alij aquam;quia animo linquantur.Ego verò vice versa,si caput dolent,& mēte percellantur: aquam commodam puto. Quum autem mordentur,& acria sunt,quæ pungunt:lac his lenitatem inducit.Vbi verò tibi valida esse videbitur:vteros colluito:primùm medicamento ex vini fece: postea interpositis diebus tribus,aut quatuor,eo & cum brassicæ decocto tepido paratur.Et rursus intermissis diebus tribus eo, quod cum butyro,paratur eluito.Et,si vbi hæc feceris sanescant vteri: eo, quod cū butyro paratur,eluito. Et,si vbi hæc feceris sanescāt vteri:eo, quod cum malicorio paratur, colluito. Super vlcera verò argenti florē,& gallam,& myrrham & thus, & spinæ Aegyptiæ fructum, & œnanthen sylueſtrē,& chrysocollam,& squammā æris,& loti ramenta,& crocum, & alumen Aegyptiū combustum illinito.Horum singulorum vna æqualis sit portio. Alumen verò,& gallam, & crocum,vna omniū portione sumito.Hæc omnia trita, ac permixta in vino albo dulci diluito, deinde coquito, donec mellis crassitudo fiat, & dato ut cum hoc pharmaco bis in die vlcerata inungat;vbi aqua tepida prius lauit.Coquantur autem in aqua,& hedera,et saluia. Et ubi tibi hæc facienti melius habere visa fuerit:lac caprinū coctum præbibendum vna die dato. Postea verò lac bubulum præbeto eodem modo velut in prioribus: post lactis autem potum, per cibos quàm maximè crassefacito,et vt in ventre habeat facito: sana enim fiet. Plerunque verò ex hoc morbo euadunt, & steriles fiunt. Senioribus autem non valde quid horum accidit.Postea uerò bibenda sunt pharmaca, lini semen torrefactum,& sesamum, & urticæ semen, & pæoniæ radix amara: hæc in uino nigro odorato trita bibat.

89 Si uteri ulcerati fuerint,& sanguis,& pus,& serosa sanies fluit, putrescētibus enim uteris, morbus ab

ipsis

ipsis fit, & venter imus eleuatur, & attenuatur, & ad contactum dolet, velut vlcere præsente. Et febris, ac fremitus ipsam occupat, & dolor acutus, ac vehemēs inuadit pudenda, & pubem, & imum ventrem, & lateris mollitudinem, & lumbos. Morbus autem maxime corripit ex partu: si quid in ipsis diuulsum cōputruerit; itemque ex abortu, & aliàs sua sponte. In has si incideris, aqua multa calida lauato: & qua parte dolor habuerit, tepefactoria adhibeto, & spongiam ex aqua calida expressam, & colluito, acribus, & acerbis vitatis mollioribus verò ammixtis, prout tibi tempestiuum esse videbitur: & lini semen, ac sambuci fructum tundito, & ammixto melle pharmacum facito, atque hoc vtitor, calida verò aqua lauato. Et acceptā spongiam, aut mollem lanam, in aqua calida tingito, & pudenda, ac vlcera expurgato. Deinde in vino meraco, rursus spongiam, aut lanam tingens, eodem modo vtere. Et postea pharmaco hoc inunge; quoties tibi tempestiuum esse visum fuerit. Postea resina, & adipe suillo mixtis simul illinito sæpe interdiu, ac noctu: postea verò lini semen torreto, tundito, ac cribrato, & peplum album in polenta tundito, ac cribrato; & caseum caprinum assato, & sordes, ac salsuginem deradito, & pinguedinem eius, & polentæ pollinem ammisceto. Sit autem vna pharmaci mensura, & casei, & polentæ. Hæc bibenda dato mane ieiunæ in vino austero diluto. Ad vesperam autē misceto, & crassum cyceonem præbeto, & quicquid muliercula maxime libenter admiserit, bibendum dato. Et donec quidem sanguis multus fluxerit, & dolores acuti habuerint, & modico tēpore intermiserint, hæc facito. Postquam autem vlcus minus fuerit, & dolores debiles apprehenderint, & per longius tempus pharmaca bibenda dato, à quibus purgetur deorsum magis, quàm sursum, & intermisso tempore quātum opportunum esse visum fuerit; lenibus fomētis foueto. muliere in alto collocata, prout tempestiuum esse videbitur. Hæc si fecerit; sana euadet. Morbus autem est lenior, & lethalis, & paucæ ipsum effugiunt.

90 Si verò vehementer exulcerati fuerint; sanguis, & pus purgatur, & dolor fit grauis. Et, quum dolor apprehenderit; velut à partus dolore fiunt ea, quæ circa fluxum contingere solent. Et quum tempus affuerit; crura, & pedes intumescunt. Et curant medici hunc morbum velut hydropem; verùm hic talis non est. Hanc si curandam acceperis; primùm calida lauato, & calefacito. Et acribus, ac mollibus & acerbis, & aqua, & vino colluito. Et polycarpon, & polycnemon, ac mel simul coquito, deinde lanam in his tingito, & pudenda illinito: & resinam, ac mel, & pinguedinem suillam illinito. Et bibendum dato semen lini, ac sesamum torrefactum, & butyrum, & caseum caprinum, & polentam in omnibus. Bibat autem in vino ieiuna. Ad vesperam verò plurimum mellis affundito. Et, donec quidem sanguis purgetur, & dolores acuti habuerint, & modico tempore intermiserint; hoc facito. Quum autem ipsi minus prodierit, & dolores debiliores per longius tempus tenuerint; pharmacum deorsum purgans bibendum dato, ac finito. Hęc si fecerit; sana euadet. Sobolis autem spes non adest.

91 Quæcunque vlcerationes in vteris fiunt, ex abortu, aut alia quadam causa, eas omnes respectu ad totum corpus facto, curare oportet, quacunque curatione opus habere visæ fuerint, siue ex vniuerso corpore hominem curandum esse putaueris, siue ex ipsis vteris. Cognosces autem, an ab ipsis vteris sint, hoc modo. Quæ enim vlcerationes ab ipsis vteris sunt; purgationem exhibent purulentam & compactam: quæ verò non ab ipsis, tenuem, & sanioſam. Quum igitur tenues sunt fluxiones; cum pharmaco eas curare oportet, & dare quod & sursum, & deorsum purget: primùm autem sursum. Et si quidē post pharmaci potionem, fluxiones pauciores fiunt, ac faciliores; intermissione facta rursus eodem modo medicari oportet. Post pharmaci verò potionem; talem victum præscribito, ex quo homo ipsa quàm siccissima fiat. Id autem continget; si toti ipsius corpori per tertiam, aut quartam diem fomentum adhibueris, & à fomentis statim vomitus feceris: post vomitus autem, & fomenta, diętam constituito, ex illuuie, & aquæ potu, et panis cibo, nullo verò obsonio, quàm vino nigro meraco: nullo item olere. Quum verò vomitum præparas; multis et acribus oleribus opus habes, quibus ipsam impleas: multis etiam cibis, et obsonio quodcunque voluerit: et vt impleas ipsam multo vino aquoso, et vt à fomentis ipsam laues multa calida. Atque hæc quidem curatio est huiusmodi fluxionum. Melius tamen est, vt vtrasque pharmacis cures, et vomitum procures, et sursum trahas. Diæta verò siccatoria melior est, et illuuies. Cæterùm vteros hoc modo curare oportet: primum quidem fouere sambuci foliis in aqua coctis: deinde post fomentum, smegmate ex vini fece colluere. Et si quidem putredo in vlceribus fuerit, et quæ exeunt graueolentia: smegmate meraciore: si verò nihil tale; aquosiore: post fecem autem, cum aqua in qua cocta est myrtus, et saluia: postea vetò cum vino colluere, meraco, albo, tepido. Quum autem mordeturiam à collutionibus; tunc iam pura sunt vlcera. Colluere igitur oportet fece aquosiore, et vino nigro: post vinum verò, adipem suillum recentem liquato, et pinguedinem anseris si affuerit: sin minus, aliam, maxime gallinaceam. Si verò neque hæc adsit; oleum vetus ex oliuis ammisceto, atque hoc tepido colluito post vinum, per alium clysterem in os vteri infuso. Et, si fuerit vlceratum; linamenta ex mollitorijs facta apponito. Et, si hæc subdita ardorem induxerint; his ademptis mulierem aqua tepida lauari iubeto, tali quali colluebatur. Si verò ad hanc diætam fluxiones non discedant; pauciores tamen fiant, et vehementer mordeant, et ea, quæ effluunt, bilis fuerint, ac salsugo: et non solum internas partes, sed etiam externas exulcerent, diætam transmutare oportet, et totam humectare, quo fluxiones quàmaquosissimæ fiant, et minime mordaces, balneis multis calidis, maza, oleribus coctis, omnibus pinguibus, piscibus chartilagineis, cum cepis, et coriandro, in muria dulci coctis: coquantur autem pingui modo: carnibus coctis omnibus, excepta bubula et caprina: his enim percoctis cum anetho, et fœniculo: vino mellei coloris, fuluo, aquoso, vberiore lactis potu cum vino dulci. Reliqua verò de collutionibus iuxta relatum modum facito. Atque hæc quidem est eiusmodi fluxionum curatio. Quum verò purulēta, et compacta exierint, harum quidem totum corpus non mouere oportet, verùm colluere: et per collutiones totam curationem facere. Colluere autem oportet cum ijsdem infusis, quæ prius dicta sunt eodem modo. Conscribentur

tur tamen etiam aliæ collutiones. Vlcerum curatio. Ceruinum adipem recentem, ac viridem subdito. Omnia verò statim vino fræco, siue sapa colluere oportet. Optimum autem est ceruſſa; si vlcera fuerint, & oleo narcissino. Cibis autem mollissimis vtatur, & nõ acribus. Si verò sordida fuerint, & proserpant, ac proximum locum mordeant; purgato, & nouam carnem producito, & carnem ad cicatricem perducito: facile enim resoluuntur, & maligna fiunt, & frequenter lauato.

92 Si verò mulier ex abortu vulnus accipiat, aut ex medicamentis subdititijs vteros exulceretur (qualia multa semper mulieres faciunt, ac medicando excitant) & fœtus corruptus fuerit, & mulier non purgetur, sed vteri inflammati fuerint vehementer, ac conuulsi, & purgationem emittere non poterint, nisi primùm emittant sanguinem, qui est in fœtu: hæc si quidem curetur, breui sana euadet, verùm sterilis. Si verò puerperij purgamenta ipsi sua sponte eruperint, & vlcera sanata fuerint; etiam sic sterilis erit. Si verò purgatio quidem ipsi fiat, vlcera autem non purgentur; periculum est ea putredinosa esse. Si verò purgatio prodierit ipsi iam afflictæ ac extenuatæ; moritur. Quin &, si in partu vteri valde fuerint exulcerati, fœtu non secundum naturam exeunte; eadem patientur quæ patitur ea, quæ ex corruptione fœtus vteros exulceratos habet. Et transmutationes, ac fines eosdem morbus habet, siue ex fœtus corruptione, siue ex partu vteri fuerint vlcerati. &, si puerperij purgamenta omnia prodierint; minus dolebit, nisi magna vlcera fuerint. Et, si curetur; breui sanescit. Oportet autem curam cito adhibere; si vlcera in vtero fuerint: nam, vt quæ in tenero loco sunt, cito augescũt, & breui putrescunt. Curare verò oportet vlcera, velut etiam ea, quæ in reliquo corpore sunt; nimirum vt inflammationem arceas, & repurges, & repleas, & ad cicatricem perducas. Danda est autem aqua in potu, vinũ minime: cibos item paucos, ac minime multos exhibeto.

93 Quicunque abortus facti discedere non possunt, dum aut toti, aut partes fœtuum sunt maiores, aut minores, & obliqui, ac impotentes, tales si quidem secundum naturam siti fuerint; pharmaco aliquo dato ex his, quæ ego referam expellito; vbi multa calida prælaueris. Et si prodire volentes, non facile exeant, quum siti sint secundum naturam; talibus sternutatorium admoueto. Apprehendito autem nasum, & os comprimito, ac sic sternutet, quò sternutatio quàm maxime efficax sit. Vtatur item concussionibus. Sic autem concussionem facito. Lectũ altum robustum, ac instratum sumito, & mulierem supinam reclinato: pectus verò, & axillas, ac manus, fascia, aut molli lato loro ad lectum alligato, ac cingito, & crura incuruato, & malleolis apprehensam detineto. Quum autem sic dispoſueris; sarmentorum mollium fascem, aut aliquid huic simile parato, tantum quantus sufficit, vt lectum non negligat excipiendo ipsum, dum in terram proijcitur; quo non pedibus iuxta caput, terram contingat. Postea verò ipsam manibus lectum apprehendere iubeto, & lectum ad caput sublimem habere, vt decliuis sit in pedes, animaduersione habita, ne prona sit homo ipsa. Vbi verò hæc facta fuerint, & lectus sublimis fuerit; retro sarmenta supponito: maxime autem dirigito, quo pedes terra non contingant, dum lectus proijcitur, & vt sint intra sarmenta. Eleuent autem duo viri ex vtroque pede hinc, atque illinc; quò in directũ lectus cadat, planè, ac æqualiter: & conuulsio ne fiat. Concutiendum est autem maximè vnà cum partus dolore. Et, si quidem discedant; statim quiescendum: sin minus; interstitio facto rursus concutito, & in lecto gestatam attollito, ac agitato. Atque hæc quidem sic facienda sunt, vbi rectè, & secundum naturam discedant. Oportet autem cerato liquido præillinire, quod in omnibus huiusmodi circa vterum affectionibus optimum est: & maluæ aquam affundere, & fœnigræci, aut potius ptisanæ triticeæ succum. Oportet autem vsque ad inguina, sedem, & pudendum fouere, & insidere; vbi partus dolores maxime infestarint, & nihil aliud mente versare: eam verò, quæ medicatur, oscula mollibus aperire oportet, & leniter hoc facere: Vmbilicum verò vnà cum fœtu attrahere.

94 Quicunque verò duplicati complicantur, & in osculo vterorum incumbunt; eos siue viui fuerint, siue mortui rursus retro protrusos vertere oportet; quò secundum naturam in caput exeant. Quũ autem retrudere voles, aut vertere; supinæ ipsi reclinatæ molle quiddam sub coxas substernere oportet: & sub lecti pedes; quo altiores sint hi à pedibus semper aliquid supponere. Sed & coxæ altiores capite sint, & vt nullum ceruical sub capite sit prouideto. Quum verò retrusus fuerit fœtus, & hinc, atque illinc obuoluitur, vt secundum naturam cõstituatur, & quicquid sub lecti pedes suppoſuisti, ac lapides, & quicquid sub coxas subdidisti; subtrahito. Capiti verò puluinar subijcito. Atque talia hoc modo curato.

95 Quicunque verò fœtus viui, manum, aut crus foras præmittunt, aut etiam ambo; eas oportet quàmcelerrime vbi exitum significarint, prædicto modo intro retrudere, & in caput vertere, & ad viam reducere, & quicunque fœtus complicantur, & ad lateris mollitudinem, aut coxam in partu collapsi, eos dirigere, ac vertere oportet, & in aquam calidam desidere facere; donec mulier refocilletur.

96 Quicũq; verò fœtus mortui, aut crus, aut manũ foras protẽdunt; eos optimũ quidẽ fuerit, si id fieri posset intro retrudere, & ambas has partes in caput vertere. Si verò hoc fieri non poterit, verùm intumescit; secare hoc modo. Dissectum per scalpellum caput, cum contusorio instrumento, vt ne in ramenta findatur contundito, & ossa per ossium volsellam, aut tractorium instrumentum, iuxta clauiculam immissum, prout habuerint extrahito, non multis simul, sed paulatim exemptis, ac rursus ablatis. Quum verò hæc foras extraxeris, & in ipsis humeris fueris; ambas manus in articulis cum ipsis humeris secato. Et, vbi hæc extraxeris, si quidem fieri poterit, vt exeant; etiam reliqua facile extrahito. Si verò non obediant; totum pectus vsque ad iugulum findito: verùm caueto, ne in ventrem fæces, & aliquid de intestino denudes: exit enim venter, & intestina, & stercus. Si verò horum quid excidat; maioris negotij iam res fit. Cõtundito autem costas, & scapulas contrahito. Et facile postea reliquum fœtus procedet; nisi iam ventrem tumidum habuerit. Si enim tale quid fuerit; melius est ventrem fœtus leniter perforare. (Flatus enim solum à ventre exit) & sic facile prodibit. Si verò exciderit manus, aut crus, immortui fœtus, si quidẽ fieri potuerit;

rit;ambas partes retrudito,& fœtũ rite dirigito: hoc enim optimum fuerit. Si verò fieri non poterit, vt hoc facias;quicquid sanè foris fuerit quantum potes penitissime resecato, & reliquum profunditate intus explorata protrudito,& fętum in caput vertito. Quũ autem vertere, ac secare puerũ voles; vngues de manibus tuis resecato. Scalpellum verò,quo dissecas,in curuum potius sit, quàm rectum: & huius caput occultato per indicẽ digitum, eodemq; interna explorato ac deducito,ita vt caueas,ne vterum contingas.

97 Cæterùm molæ conceptus hæc causa est. Quum multi menses,modicum,& morbosum semen conceperint; neque conceptus rectus fit, & venter plenus est velut prægnantis. Nihil autem in ventre mouetur,neque lac in mammis generatur. Mammæ autẽ turgidæ sunt. Hæc igitur ad duos annos, sæpe etiam tres, sic habet: & si quidem vna caro fiat: mulier perit (Neque enim fieri potest,vt superstes maneat.) Si verò plures;erumpit ipsi per pudendum sanguis carnosus plurimus: &,si hoc moderate fiat;seruatur: sin minus; à fluxu correpta perit, & morbus quidem talis est. Iudicare verò oportet ex plenitudinis mole, & quòd in ventre non mouetur. Mammas trimestris, fœmina quadrimestris motum habet. Postquam igitur tempore hoc prætergresso non mouetur; nimirum hic morbus est: est autem hoc magnum signum, quòd lac in mammis non generatur. Hanc igitur maxime quidem ne curato: aut certe cum prædictione. Et primùm quidem totũ corpus foueto: deinde per sedem clysterem adhibeto; quò sanguis multus erũpat: fortassis enim quod compactum est commoueris, id quod fœtus esse putatur, muliere à pharmaco concalefacta. Sed & vteros colluito;quò sanguinem educas:sin minus; subdititijs vtatur fortissimis è bupresti. Et dictamnum Creticum in vino bibat:sin minus;castoris testem. Et retro cucurbitam ipsi ad laterum mollitudinem affigito, & plurimum sanguinem detrahito. Atque hoc maxime rerum,ac virium ipsarum coniectura facta facito. Et hactenus quidem dictum est de morbis à puerperij purgamentis oborientibus. Sunt autẽ pericula in ipsis non parua: acuti.n. sunt & cito transmutantur,& magis affliguntur primiparæ,quàm quæ sunt partuum expertæ.

98 Prodeunt autem puerperij purgamenta sanæ mulieri sufficienter,primùm sesquiheminę mensura,aut paulò plura. Postea adhuc pauciora iuxta hanc rationem,donec cessent. Prodeunt autem velut sanguis à victima;si sana,velut dixi,mulier fuerit,& sana futura est:& cito congelãtur,ac purgantur. Et post partũ plerunque sanæ mulieri cõtingit, vt post puellæ partum in quadraginta duobus diebus diuturnissima purgatio fiat:extra periculum autem est etiam, si vigintiquinque diebus purgetur: Post masculi verò partum purgatio diuturnior fit in triginta diebus, extra periculum est enim,quæ in viginti diebus contingit. Et in his, quæ fœtus corruperunt secundum horum dierum rationem purgatio cõtingit,& in iunioribus, quæ corruperunt paucioribus diebus: In senioribus autem pluribus. Eædẽ verò sunt affectiones ex puerperij purgamentis, & ei, quæ corrupit fœtum, & ei, quę peperit; si menstruum corruperit fœtum,& quæ corruperunt,magis periclitãtur: corruptiones enim grauiores sunt,quàm partus:non enim fieri potest,vt citra violentiam fœtus corrumpatur,aut pharmaco, aut potu,aut cibo, aut subditijs medicamentis, aut aliqua alia re. Violentia verò malum est:in huiusmodi enim periculum est,ne vteri exulcerentur, aut inflammentur. Hoc autem est periculosum.

99 At verò lac quomodo fiat, dictum est à me in Natura pueri in partu. Postquam autem pręgnans fuerit mulier;menses non valde prodeũt,præterquam quibusdam pauci: dulcissimus enim humor ex cibis, ac potibus ad mammas vertitur,ac exsugitur. Et necesse est etiam reliquum corpus magis euacuari, & minus sanguine plenum fieri. Atque hoc ita contingit. Sunt autem quæ natura sine lacte sunt, & quibus lac deficit ante tempus. Hæ verò natura solidæ sunt,& densæ carnis: & propterea sufficiens humor non penetrat à ventre in mammas,quum via sit densa.

100 Ad menses detrahendos. Elaterij potiones duas sumito, & adipem ouillum de renibus, pari elaterij portione ammisceto, & non conterito, verùm duas glandulas subditicias facito. Aut melanthium ex tritico terito,& aqua subigito,& duas glandulas formato, atque has ante dies, quibus affuturi sunt apponito:si enim non prodeunt;rigores,ac febres inducunt. Mollitoria,à quibus aqua,& arena purgatur,ducunt etiam menses;si non fuerint diuturni,& osculũ emolliunt. Narcissum, myrrham, cuminum,thus,absinthium,cyperum,singula ęqualibus portionibus sumito,narcissi verò solum quatuor portiones: & puluillum stuppæ,dum pectinatur crudum linum ammisceto, & hæc cum aqua origani cocti terito,ac glandem formato,& subdito. Aut cyclaminum magnitudine tali,& æris florẽ magnitudine fabæ terito,& cũ melle grãdem formato,ac apponito. Aut pulegium,myrrham,thus, fel suis ac bouis, cum melle subigito, & glandem efformato. Si menses non prodeant;adipem anseris,& netopum,ac resinam permixta, ac lana excepta apponito. Medicamentum subditicium,purgatorium,mollitorium. Caricam percoctam,ac expressam leuissime terito, & in lana subdito cum rosaceo vnguẽto: Aut acris brassicæ,& rutæ, vtriusque dimidium terito, ac vtitor eodem modo. Purgatorium. Medullam anseris, aut cerui magnitudine fabæ affuso vnguento rosaceo & lacte muliebri terito,velut pharmacum teri solet, & cum hoc os vteri illinito. Aliud subditiciũ molle. Medullã anseris magnitudine nucis,cerã magnitudine fabę,resinę lentiscinę aut terebinthinæ magnitudine fabæ: Hęc cum rosaceo vnguento ad lentum ignem liquefacito, & velut ceratũ efficito: deinde ex hoc tepido os vteri illinito, & pectinem irrigato. Aliud purgatorium. Farinam recentem,myrrhæ obol. iij. croci tantundem, castorij obolum,hæc trita cum vnguẽto irino apponat. Aut vrticæ semen,& maluæ succum, ac anseris adipem simul permixta subdat. Aliud subditicium purgatorium;si menses non compareant. Styracem,& origanum terito,& permixtis adipem anserinum affundito,ac apponito. Aliud,quod vteros expurgat,ac sanguinem euacuat. Absinthij radicem tritã,melle,ac adipe anserino ammixtis apponito. Aliud purgatorium. De bupestri caput, & pedes, & alas tollito, & reliquum ipsius terito, ac ficus internam partem ammisceto. Sit autem pinguetudinis ficus portio dupla. Hoc vteros inflat. Hoc etiam desperatis optimum est. Aut mercurialis folia trita subdito. Hoc tenuem bilioſam purgationem ducit. Sed & artemisia facit velut mercuriali,

curialis,& melius purgat. Veratrum quoque nigrum cum aqua tritum,velut aquam à carnibus ducit. Sed & alumen,ac resina idem facit. Cyperum,absinthiũ, aristolochiam,cuminum,salem, mel: Hæc omnia simul terito,ac apponito. Et veratrum cum vino dulci,& farina lolij ac tritici, melle subacta, in lana subdatur. Subdititia,si catapotia non purgarint. Mercurialem,myrrham,violam albam, cepam acerrimam, & melanthium, ac mentam, si sufferat, permixta apponito. Subdititia acria sanguinem ducentia. Cãhtaridas quinque demptis pedibus,ac capitibus,& myrrham, ac thus simul misceto, & mel addito. Deinde in oleum rosaceum, aut Aegyptium tinctum per diẽ subdat,& vbi mordet,tollat: & rursum in lac muliebre,ac vnguentum Aegyptium tingat,& hoc per noctem apponat: & aqua odorata perluat, & adipem subdat. Cõduxerit & bupresti,si quidem parua fuerit,sine alis,& pedibus ac capite. Si verò magna fuerit; non commisceto eadem quæ cantharidibus, sed solam sumito,ac similiter apponito. Si verò molliore opus habuerit; ad bupresti m, vinum, & cuminum Aethiopicum ammisceto: vuam item passam,& pollinem seselis ac anisi: & vinum feruefacito,eoque affuso reliqua terito, & pastillos drachmales efformato, eosque apponito myrrha ac thure ammixtis: facito autem eodem modo velut cum cãtharidibus. Aut melanthium ex tritico,tritum, ac melle subactum apponito. Aut hoc ipsum melanthium cum melle tritum, velut glandem efficito, circum pennam autem obducito. Subdititium efficax. Succum mandragoræ & cucurbitæ sylvestris,cum lacte muliebri apponito. Aut fecem siccam ex vino veteri albo urito, & vino extinguito,ac subdito. Cucurbitam item sylvestrem, mercurialem,nitrum,& irionem. Citius detrahit & mandragoræ radix,cantharis,serpyllũ,lauri fructus, vnguẽtum irinum,laurinum. Tithymali succum per misceto,ac agitato,& detracto visco,erui magnitudine exhibeto. Optimum est, & glandem subdititiam ex eo facere. Si verò amplius prodierit; vino proluatur. Aut æs vstum dissoluito, & tepidum lana excipito, ac apponito.

101 Medicamentum ad conceptum. Cedriæ acetabulum, adipis bubuli drach. 4. simul terito, & talorum figuras efformato, quas ieiuna apponat: & dum appositas habet, per diem ieiunet. Apponat autem bis,mane, & vesperi, post menses: post cœnam verò lauetur,& cum viro dormiat. Aut melathium cõtundito,& in linteũ illigato,& adipe anserino addito,subdendum dato. Aliud ad conceptum. Quo cures mulierem,vt in ventre concipiat,vrinã sumito veterem & ferri recrementũ tantũ, vt in fragmenta resoluere possis: postea mulierem in sella collocato, & corpore & capite velato,peluique ad pedes suppositã,igni ta recrementi ferri fragmenta tria pro vna vice injicito. Sit autem vetus hæc vrina congij mẽsura: & cum his triginta fomentis ipsam foueto. Dum autem fomentum adhibes,caput lauato, ita vt donec fota fuerit rursus lapides illos recrementi ferri in vrina extinguas,& fomentum rursus calefacias. Postea verò caput lauato plurimum,polio,& viticis folis quàmplurimis in aqua coctis. Hæc autem facito ad dies septẽ. Ter verò per singula hæc fomenta suffito, antequam laues. A balneo verò oleo laurino inungatur. Post cẽnã autem,vbi cepas melle tinctas comedit, & aquam mulsam tepidam quatuor heminarum mẽsura bibit, & paululum continuit, vomat: & supina reclinata, rutam habeat auribus,& naribus inditam. Et panẽ fermentatum sexta chænicis parte, in iusculum volucris confringat, habeat autem hoc iusculum apij chemam & sic assumat,& rursus tantundem in cœna dato. Et hoc per dies septem facito. Postea vero ventri per dies septem clysterem adhibeto. Sic autem infusum clysteris, resinæ drachmæ quatuor, mellis acetabulũ, olei platæensium tantundem, furfurum recẽtium succus, spuma nitri, oua tenuia. Sit autem infusum heminæ octo, & ex his tres succi ptisanæ. Obliquæ verò clysterem adhibeto,& parum lauato. Apponat etiam glãdes septem in die,& detineat donec fuerint liquefactæ. Sint autem ex thure, nitro, galbano, melle cocto. Cibo verò eodem vtatur. Suffito autem asini albi pilos,& lupi stercus. De his plurimum prunis injice, ipsamque circumlocatam, ac contectam suffito, cauendo, ne comburas. Si verò mulier parere nequeat, quæ prius peperit; nitrum,& resinam,& myrrham, & cuminum Aethiopicum, & vnguentum simul terat,& apponat. Aut pulegium siccum in linteo subdat. Bibat autem pulegium, vbi dormire volet. Aliud ad conceptum. Victus rationem mulieri constituere oportet, quæ prægnans fieri cupit,& ad edendum,ac bibendum exhibere ipsi, quæ libenter admittit. Viro autem mulieris reliqua dato, præter allium, & cepam & legumina fresa cocta, & silphij succum, & quæ inflant. Ab his sanè abstineat. Medicamentum quod similiter infunditur, si non cõcipiat. Lac muliebre maris masculum alentis, grana mali punici recentis terito, ac succum exprimito,& testudinis marinę partem inter anum & pudendum comburito, ac terito,& hęc in pudendum muliebre infundito. Aliud, quod similiter infunditur non concipienti. Lac,& resinam,& mali punici dulcis succũ: hęc omnia melle ammixto infundito. Aliud ad conceptum. Bulbi albi semen, aut florem, cum melle tertio, & lanæ inuolutum per triduum ad vterũ apponat. Quarta verò diæ, maluam sylvestrem latifoliam terat, lacte muliebri ammixto, & lanæ inuolutam apponat: deinde cũ viro dormiat: præsorbeat autem pulegium in farina coctum, & bibat pulegium tenue in vino. Si verò huic non obediat; conyzam odoratam contundat, & expressum succum vino mixtum ieiuna bibat. Aliud. Asparagi semen similiter in vino bibat. Aliud. Secundam mulieris,& vermium carnium capita, & alumen Aegyptium, cum adipe anserino diluito, & in lana ad os vteri apponat. Aliud. Aeruginem, florem æris, vtrumque oboli dimidij pondere, thuris masculi, aluminis sciffi, fructus vitis sylvestris, gallæ, myrrhæ, malicorij, resinæ, polij, singulorum obolũ, in melle tritũ, per triduum bis in die apponat. Si verò fortassis acrius fuerit; anseris adipem, ac nitrum tostum ammisceto. Vinum autem exhibeto, fortitudinem in ipso vitans. Aliud ad conceptum. Vermem carnium qui caudam habet accipito, & de ipso tres, aut quatuor partes sumito, & origanum tenuẽ simul cum rosaceo vnguento terito,& hoc ad vteri os apponat. Aliud. Portulacam cum adipe anserino, & myrrha, & porri semine & felle bubulo terito,& lanæ inuoluta ad os vteri apponito. Si menses quidem fiant multi, non concipit autem; floris æris obolos duos, & aluminis sciffi tantundem, cum melle terito,& lana excipito. Illiget autem

mulier lanã in lintcũ cũ filo,& ſibijpſi ſubdat,ita vt ſi lũ extra promineat. Deinde,quum probe purgata fuerit;extrahat, & vino odorato myrti folijs iniectis feruefacto proluat,& virum accedat. Subditicij ad conceptũ. Mel,myrrhã,myricę fructũ,reſinã liquidã,adipẽ anſerinum,oĩa ſimul trita lanæ inuoluta apponat. Aliud,quod vterum valde aperire põt; quũ cõcluſus eſt,& cõcipere nõ põt,& ad aquã expurgandã. Accipe anchuſam paruã,& lẽtiſcum,& cuminũ,& cyperũ,& cucurbitã ſylueſtrẽ,& nitrum rubrũ, & ſal Aegyptiũ,& anchuſã magnã. Hęc oĩa trita per linteũ rarum excernito, & acceptũ mel ad lentũ ignem coquito:Poſtquam verò efferbuit,cerã,ac reſinã ammiſceto. Deinde ẽt alijs omnib. ammixtis oleũ affundito,ac ab igne tollito:& tepida lanæ conuolutæ,inuoluta vtero apponito,donec purgata fuerit. Aliud. Si mulierẽ concipere velis; ad purgatoria,quib. vtitur, ẽt virum accedere oportet. Et baccas lauri nigra x. thuris pugillos tres,& cumini modicum,cũ melle trita in lanã ſuccidã inuoluat, & ſemel in die ſubdat,& ſe auferat,ad 4. dies, & ijſdem dieb. à cibo abſtineat.

102 Cõceptũ impediẽs. Si uerò cõcipere non oporteat; miſyos magnitudinem fabæ aqua diluito, ac bibendam dato:& per annum,ut ita dicam,non concipiet.

103 Partum accelerans ægre parienti. Lauri radicẽ derasã, aut lauri baccas dimidij acetabuli menſura in aqua calefacta bibendas dato. Aliud,partũ accelerans. Dictãni obolos duos tritos in aqua calida bibat. Aut abrotoni drachmã,& lauri baccas,& aniſũ,ĩ uini dulcis ueteris cyatho terito,& aquæ cyatho affuſo bibẽdũ dato. Hoc bonũ eſt,ſi ante partus dolores fuerit datũ. Aut dictamni obolũ, myrrhæ obolũ, aniſi obolos duos,nitri obolũ:Hæc cũ uini dulcis cyatho uno terito,& aquæ calidæ cyathis duob. affuſis bibẽda dato, deĩde calida lauato. Aliud,partũ accelerãs. Reſinã terebinthinã,mel,oleũ duplũ horũ,uinum odoratum q̃ ſuauiſſimũ: Hęc mixta tepefacta ſæpe ebibenda dato. Oportet ãt & uteros ſedare,ſi fuerĩt inflãmati. Aliud. Cucumeris ſylueſtris quicũq; albus fuerit ſemẽ ceræ infarcito: deinde lanæ puniceæ inuolutũ lũbis alligato. Si uerò p̃gnans multo tpe cohibeatur,& parere nõ poſſit,ſed dieb. plurib. ex partus dolorib. laboret: ſit ãt iuuenis;in uigore,& multo sãguine referta:ſecare oportet uenas in malleolis, & sãguinẽ detrahere, utrium reſpectu habito: & poſtea calida lauri corticib. incoctis lauato. Viticis ãt ſemẽ,& dictãnum Creticã, utrunq; pari portione, in uino albo aut aqua bibẽdũ dato. Subditicium autem medicamentum facito,galbano,& baccis iauri,& oleo roſaceo,in lana ſuolutis, ac ſubditis. Aliud. Filicis quercinæ radicem tritam in uino bibendam dato, & adiantum tritum in oleo dilutum illinendum,& in uino meraco bibẽdum dato.

104 Aliud,qđ puerperæ puerperij purgamenta melius purgat. Teſtudinis marinæ hepar uiride adhuc uiuentis ĩ lacte muliebri terito,& cum unguẽto irino,ac uino ſubigito,& apponito. Aut mercurialẽ tritã in lana apponito. Aut artemiſiã tritã ſimiliter ĩ lana ſubdito. Aut mercurialis,& cucumeris ſylueſtris parũ terito, & uino,ac melle ſubactũ apponito. Purgatorium puerperij purgamẽtũ ex partu. Triticũ trimeſtre fractum ac freſum,dimidię chęnicis mẽſura,in aquæ heminis 4. coquito. Quũ aũt efferbuerit,ter,aut quater;ſorbẽdnm dato. Aliud. Sãbuci folia in aqua coquito,& aquã bibendã dato. Edat aũt et braſſicas coctas,et porrũ,et fęniculũ,et anethũ,et polypos, et locuſtas piſciculos. Aut rhois folia, et eryſimũ ex uino,aut polẽtæ pollinẽ bibendũ dato. Aut miſy duorum obolorũ põdere tritũ,ac vino ſubactũ apponito. Purgatoriũ mẽſiũ,& puerperij purgamẽtorũ. Ducit ẽt aqua & alia. Radicis ſtrutij tuſi triti,quãtũ trib. digitis apprehendi põt,melle ſubactũ apponito. Naſcitur aũtĩ Andro in littorib. Aliud,ſimiliter purgans. Eryſimũ in aqua coquito,& vbi ebullijt oleũ affundito,ac bibendũ dato. Cõmodũ eſt ẽt ſuccũ pro fomẽto adhibere p̃ ſuffitũ,& cibis mollibus vti. Aliud,q̃ puerperij purgamẽta purgat. Eryſimũ placide terito, & corticẽ difflato. Quũ aũt purũ feceris,leuiter terito, & aquã adſtillato,ſalemq́; ac oleũ ammiſceto: & vbi polẽtã inſperſeris;coquito,ac ſorbẽdũ dato. Aliud,ſi nõ deſcenderit purgatio,aut puerperij purgamẽta nõ prodierint. Cũcumeris ſylueſtris ĩternã partẽ ,triũ obolorũ põdere ſume,& artemiſiã herbã;& thus oboli põdere: & hęc trita,& melle ammixto,lanę ſuoluta,ad vteri os appone. Et hoc ſemper noctu,ac interdiu per dies quinq; facito. Aut vitis pampinos,aut folia virida terito,& melle ammixto lana excipito,& eodẽ mõ ſubdito. Aut cupreſſi fructũ,& thus ſimul trita,roſaceoq́; ac melle diluta,& lana excepta apponat. Aut abrotini drachmã, & cucumeris ſylueſtris medullæ obolũ, thus cũ melle terito,& in lana inuoluta apponito. Aut elaterij obolũ & myrrhã, cũ melle terito, & lana excepta apponat. Aut cupreſſi fructũ,& cucumeris ſylueſtris internã partẽ,& thus,melle ammixto,in lana ſubdat.

105 Purgatoriũ,ſi ex partu non purgetur. Trifoliũ in vino bibendũ dato. Idẽ ẽt appoſitũ menſes erumpere facit,& fætũ eijcit. Purgatorij vterorũ,quum puero mortuo ſanguis intus manſerit. Cucurbitã ſylueſtrẽ tritam cum melle delingat,aut apponat. Ad oĩa puerperij purgamenta;ſi non probe prodeant. Eryſimum coquito cũ polenta;& oleo affuſo; vbi coctum fuerit ſorbeat,& cibis molliſſimis vtatur. Aut ſcammoniã cum lacte muliebri tritã,ac lana exceptam apponito. Aut radicẽ dulcẽ melle,& roſaceo aut Aegyptio vnguento ſubactã,in lana ſubdat. Aut farinã lotã ſimiliter apponat. Bibat aũt erethmi & ſeſelis,& rutæ,& ſilphii ſemen, ita vt de ſingulis obolos duos ſimul teras,& in vino meraco,ſi non febricitarit;præbeas.

106 Subditicij,qđ ſcđam relictã eijcit. Ex ſambuci foliorum decocto prius fomẽtum adhibeto, & id,qđ ex cãtharide fit,apponito. Hoc & ea,q̃ debilia sũt,ſanat. Si verò lãcinet,ac mordeat;ſtatim tollito,& lanã roſaceo tinctã ſubdat. Potiones q̃ ſcđam educere poſſunt, & mẽſes detrahere,itemq́; fętum enectũ. Cãtharidas quinque, alis & cruribus ac capite anulſis, & tribulũ ad mare natum cum radice ac folijs tritũ conchę mẽſura,& euanthemi,ac ſeminis apij tantundem, & ſcpiæ oua xv. in vino dulci tẽperato bibẽda dato. Et vbi dolor habuerit,ĩ aqua qualida defideat,& aquã mulsã aquosã bibat,& vinũ dulce. Alia. Ranũculi foliorũ ac floris,triti,ſtateris Aeginęi põdus,ĩ vino dulci bibat. Si verò dolor habuerit;cicer albũ,et vuas paſſas,in aqua coquito,p̃frigerato,ac bibẽdum dato: & vbi vrinæ ſtillicidiũ vexarit;in aqua tepida deſideat. Aliud, quod eijcit ſecundas. Cucumeris ſylueſtris ſuccum in mazam conſperſum apponat; vbi prius ad biduum ieiunarit. Hoc nullum aliud præſtantius inueneris.

107 Fecunditatis experimentum. Caput allij integrum deraſum appone,& vide,an per os oleat. Aliud experimentum. Netopon modicum lana inuolutum apponito,ac videto,an per os oleat.

108 Alia ſubditicia. Scorpij marini fel,lana exceptũ,& ĩ vmbra ſiccatũ appone. Aut pulegiũ ſiccatũ,& tritũ,

ac melle ſubactū,in lana apponito. Aut florē æris cum melle linteolo illigatā ſubdito. Aut cucumeris ſylueſtris ſemē,& teſtā cōbuſtā,cū vino ſubigito,& leporinis pilis ac lana excepta ſubdito. Aliud ſubditiciū. Alu mē Aegyptiū lanę inuolutū apponito. Aut cātharidas tritas,vinoq; ſubactas ſubdito. Aut artemiſiā herbā vino ſubactā apponito. Aut melāthiū cū vino tritum in lana ſubdito. Aut bulbiō ex tritico tritū,& vino ſubactū apponito. Aut vini veteris albi fecē cōburito, & vino albo extinguito,teritq; ac in linteo apponito. Aut galbanū,& netopō,& miſy cū roſ. vnguēto ī linteo ſubdito. Aliud. Elaterij potiones duas & fauū cū vino ī līteo apponito. Aut butyrū & alumē melle ſub acta ſimilr. Aut ſcāmonię ſuccū,& adipē cū maza miſceto,& vino ībuta in līteo apponito. Potiones,q̄ poſſūt ſecūdā in vtero detētā ducere. Colocynthidis ſylueſtris internā partē cū lacte muliebri tritā in linteo apponat. Ad idē. Silphiū magnitudine fabæ ī vino bibēdū dato. Aliud qđ fętū expellit. Mulierē ſub alis ap p̄hēsā fortiter cōcutito. In potu verò dato,viticis folia in vino. Aut dictānū Creticū oboli pōdere in aqua terito ac exhibeto. Aut conyzæ graueolentis manus plenæ mēſurā cū porri ſucco diluito, & netopū chemę plene mēſurā addito,atq; hęc trita in vino bibēda dato. Aut tędā pinguiſſimā cū vino dulci coq̄to, triū cyathorū mēſura vini affuſa, & galbani obolos tres, & myrrhā adijcito.& vbi cocta craſſa facta fuerit,tepida bibēda dato. Aut porri ſuccū,& myrrhā,& vinū dulce ſimul exhibeto. Aut portulacę ſemē terito,& in vino albo veteri dato. Aut populi nigræ Creticæ gr. ix. in vino trita bibat. Aut ranūculi herbæ foli. ac floris triti,drac. Aegineę pōdus,in vino dulci bibat. Si verò adhuc ſcđa intus detineatur;ſenectę anguiū obolū in vino terito,ac bibēdū dato. Aut apij rad & myrti baccas coquat,& p̄ dies 4. bibat. Aut cuminū Æthiopicū,& caſtorij obolū,& cātharidis parū,hæc in vino bibēda dato. Aut fęniculi radicem,in vino & oleo,ac melle feruefactā bibat. Si ſcđa non p̄dierit;conyzam tritā in lana ſubdito. Melius aūt eſt,vt bibat. Aut conyzæ quātū manus capit.& porri ſuccū,& netopum chemæ mēſura miſceat, & hæc in vino bibat. Al. qđ ſcđa eijcit. Holoconitidis dulcis rad. (eſt aūt velut bulbus,& parua velut oliua)hāc in vino terito,ac bibēdā dato. Et ſi q̄dē parua fuerit;duas dato;ſi verò maior; vna ſufficit. Ammiſceto aūt ex ſeminibus cuminum Aethiopicū,& ſeſeli Maſſiliēſe. Aut ſilphij Libyci ſemē ſiccum chęnicis dimidię mēſura, in vini heminis trib.cōquas: & ad dimidias redigat, & de hoc bibat. Aliud. Viticis ſemē,& ſeſelis,pari portione ſimul cū myrrha terito,& cū aqua bibēda dato. Alia,ſcđas expellētia. Viticis albæ recētis acetabulū,in vino albo odorato tritū bibēdū dato. Aliud Caſtorij aut ſagapeni obolū,bituminis dra.j nitri dra.ij. Hæc oīa terito, & in vino dulci, ac olei hemina dimidia obolos duos ieiunæ bibēdos dato. Et calida probe lauato. Aliud ſimiliter habēs. Herinaceos marinos tres,totos tenuiter tritos,in vino odorato bibēdos datos. Aliud. Mēte faſciculū paruum,& rutę,& coriādri, & cedri, aut cupreſſi ſemē,in vino odorato bibēdū dato. Et de herinaceis ſi habuerit;plurimū ſorbeat: poſtea verò ſimiliter calida lauato. Aliud. Aniſum,cedri baccas, ſemē apij,cuminū Aethiopicū,ſeſeli, ſingulorū dimidium acetabulū,tenuiter tritū ex vino albo bibēdum dato. Aliud. Dictāmi faſciculū,& dauci ſem. dra.ij. & melanthij tātūdē tenuiter terito, & in vino albo bibēda exhibeto. Et multa calida lauato. Dato aūt iuxta corporis robur. Ali. Galbanū oliuæ maguitudine,in oleo cedrino tritū apponat:hoc corrūpere,& eijcere morā tes ſcđas pōt. Aliud ſcđarū expulſoriū, qđ vteris infunditur. Quū ſcđa à frigore mortificata cōputruerit vbi vētus frigidus fuerit,crocū leuiter tritū drac. pōdere cū adipe anſerino infundito,& ad plurimū t̄pus ſinito. Potus ad idē probe cōferęs. Conyzā ſuaueolentē,& mel,& reſinā terito, inq̄ vino odorato,aut ſit męa potione moderate purgāte bibēda dato,& calida lauato. Alius ſimilis potus ad puerum, & malą intus exiſtentia. Aeruginem tritam cum melle,& ſyrmæa potione bibendam dato.

109 Aliud ſubditiciū,ad eijciēdū,fętū īmortuū. Aeris ramēta in molle līteū indita,ad os vteri adponito,& p̄fueris. Aliud. Teſtā recētē, & adipē anſerinū terat,ac apponat. Aliud. Nitrū cū reſina coctū,& ī glādēeffor matū,gallinaceo adipe tīctū appone. Aliud. Charię appellat herba,huius radicē nō multo adeò t̄pe advmbiculū apponito. Aliud. Cucurbitā ſylueſtrē,& muriū ſtercus,leuiter trita apponito. Aliud, p̄allig. Reſinā, & adipē gallinaceū,trita,ac ſimul mixta,ſup̄būbilicū, ac vētrē deliget. Aliud ſubditiciū. Hederæ albę ſemē, & cedri ramēta terat, glādes hīc factas ſubdat. Aliud. Teſtudinis marinę cerebrū,& crocū Ægyptiū,& ſalē Aegyptiū terito,miſceto, glādes formato,ac ſubdito. Suffimētū expulſoriū, qđ & ſāguinē vētris expellere pōt. Salicis folia in ignē poſita ſuffito,& mulierēcircumlocatā ſinito;donec fumus in vterum intrauerit.

110 Abortus ſanatio. Quū mulier abortū fecerit,& puer nō fuerit egreſſus,ſiue putrefactus fuerit,& intūuerit aut aliud q̄d eiuſm. paſſus fuerit: Porri & apij ſuccū p̄ līteū exp̄ſū,de vtriſq; colligito,& olei roſ. heminā & adipis anſerini quadrātē adijcito, reſinęq; obolos tres ī oleo liq̄facito:& vbi mulierē ad pedes altiorēfeceris;ī vteros īfūdito:ac decūbēs ad plurimū t̄pus cōtineat:deīde ad dies quatuor deſidere iubeto,& gredif puer putrefactus;ſin minus;ſalē Aegyptiū & cucurbitā ſylueſtrē viridē accipito,& melle āmixto trita edēda dato. Et poſtq̄ ederit;hīc, & hīc moueatur. Aliud. Salē Aegiptiū, & muriū ſtercus, & cucurbitā ſylueſtrē ſumito,& mellis ſemicocti quadrātē affūdito,& reſinæ drac.j. in mel injicito,& cucurbitā ac murium ſtercus oīa p̄be cōterito,& in glādes efformato,easq; ad vterū ſubdito,q̄diu opportunū eſſe viſū fuerit. Aliud expulſoriū,qđ puerū enectū eijcit. Helxinē in vino tritā bibendā dato. Aliud eiectoriū,qđ puerū liuidū expellit. Veratri nigri radices tenues tritas, quantū trib. digitis apprehēdere potes,& myrrhā magnitudine fabæ,in vino dulci bibēda p̄be. Aliud expulſoriū. Coriādrū cū radice,& netopū apponat,ac deābulet. Aliud qđ infūdit, ſi mortuus fuerit puer, vt ipsū eijciat. Crocū terito,& anſerinum adipē affundito,& excolata in vteros infūdito,& ad plurimū tēpus relinquito. Ad fętū immobilē corrumpendum ac expellendū. Aluminis ſciſſi drac.j. myrrhæ tantundē, veratri nigri obolos tres,ī vino nigro leuiter trita,ī glādes afformato, & apponito, donec paulatī fuerit exolutus.

111 Collutiones vteros purgātes,ſi ex partu, aut inflāmatione fuerīt exulcerati. Groſſos hybernos aqua affuſa feruefacito,& excolato: deīde oleo tepido affuſo miſce,& duas heminas ad ſummū infunde. Oēs autē collutiones nō ampliore, q̄ hac mēſura vteris infūdātur. Malicoriū itē,& mannā thuris,in vino nigro auſtero coq̄to,& excolatū vinū infūdito. Alia collutio. Fecē vini vſtā liq̄facito,& cum aqua infundito. Deinde malicoriū,myrti baccas,iuncum odoratum,lentes

tes in vino coquito, & diffusum vinum infundito. Alia. Butyrum, thus, resinã, mel, simul liquefacito, & affuso vino, tepida infundito. Aut sambuci fructũ in aqua coquito, & excolata aqua, apiũ, myrrhã, anisũ, thus, simul in ipsa terito: & vinũ odoratũ pari aquæ mẽsura affundito, excolatoq; p linteũ, & tepefactũ infundito. Alia. Brassicã, & mercurialẽ, & lini semẽ, & linũ viride, in aqua coquito, excolato, ac infũdito. Aut foliorũ myrti acetabulũ, myrrhã, anisũ, mel, resinam, vnguẽ. Aegypt. oĩa terito, ac vnito, affusisq; vini albi odoratiss. hemi. duab. excola, tepefac, infunde. Aut lauri fructũ & pulegiũ in aqua coquito, & vnguẽtum ros. affundito, & tepido colluito. Aut anseris adipem resinæ misceto, affusoq; ad hoc vino, tepefactum infundito. Alia. Butyrum & oleum cedrinum, in modico melle tepefacito ac infundito. Aut mel, butyrum, iuncũ odoratũ, calamũ odoratũ, muscum marinum sumito, & in vino coquito, excolato, ac infundito. Aut apij semen, seseli, myrrhã, anisum, melanthiũ, in vino coquito, & excolatũ vinũ infundito. Aut cedrũ in vino coquito, & cum vino colluito. Aut hederam in aqua coquito, & aquã infundito. Aut elaterij, aut cnestri portiones duas in aqua coquito, & duas heminas ex hac tepida infundito. Aut cucumeris sylvestris interioris magnitudinem digiti, in duabus aquę heminis coquito, & melle, ac oleo ad aquam affuso infundito. Aut radicis thapsiæ portiones duas leuiter terito affusoq; oleo, ac melle, in duabus aquæ tepidæ heminis diluito, ac infundito. Aut veratri nigri portiones duas, vino dulci, & aqua dilutas infunde. Aut grana cnidia sexaginta terito, melleque, ac oleo, & aqua affusa infundito. Collutio corroborans, si vlcera pura fuerint. Grossos hybernos terito, & aquã affundito, & per totã diẽ macerato, & oleo affuso colluito. Aut malicoriũ, & loti ramẽta in vino nigro coquito, & infundito. Quum aũt impura fuerint, & sordes deferuntur; fecem vini vstam, cum vino, & aqua infundito. Aut malicoriũ, rhoem coriariũ, mytique, ac rubi folia, in vino nigro coquito, ac infundito. Collutiones quæ infunduntur ad vtera vlcera. Succo brassicæ cocto collue. Et mercurialem similiter ac nitrum rubrum modicũ ammisce, & myrrhæ acetabulũ, thus, seseli, anisum, apij semen, netopũ, resinã, mel, adipem anserinũ, acetũ album, vnguẽtum album. Aegyptiũ, Hæc omnia simul trita, & vini albi heminis duabus diluta, tepida infunde. Aut mercurialem in aqua coque & excola, & myrrhæ acetabulũ, thus seseli, netopũ, singulorũ pares portiones adde, ac tepida infunde. Aut saluiã & hypericũ in aqua coquito, & cũ aqua colluito. Aut sambuci fructum, & lauri baccas, æquis portionibus in vino coquito, & cum vino colluito. Aut pulegij aqua colluito. Aut adipem anseris in resina liquefacito, & similiter oleum cedrinũ modicum affundito, & cum melle liquefacito, ac tepida infundito. Aut argenti florem in vino & melle ac cera liquato, & cyperũ, & iũcum odoratũ, ac calamum (quæ sanè etiam in vnguentum ammiscentur) & iridẽ ac muscũ in vino coquito, & infuodito. Aut apij semẽ, anisum, seseli, myrrham, melanthiũ, in vino coquito, ac infundito. Aut cedrũ Creticã in vino coquito, aut in aqua, & infundito. Aut hederam Creticã in aqua coquito ac infundito. Atque hæc facienda sunt si vulnus habet, & myrrhã in aqua dilutã infunde. Aut elaterij potiones duas cũ aqua infunde. Aut colocinthidas sylvestres duas in vino aut in lacte cocto, quatuor heminarum mensura macerato, & excolato, ac infundito. Aut cucumeris sylvestris interioris, palmi magnitudinem in aquæ hem. quatuor coquito, & melle ac oleo affuso colluito. Aut radicis thapsię duas potiones, in vino dulci dilutas, cũ aquæ hemi. duab. tepidã infundito. Aut veratri potiones duas, in vini dulcis hemi. duab. dilutas, infunde. Aut thlaspios acetabulũ, melle ammixto in aquæ hemi. duab. dilue, & tepido vtere. Aut cucumeris sylvestris magnitudinẽ palmi, & cneori potionẽ vnã, in aquæ hemi. quinq; coquito, & melle, ac oleo affuso colluito. Aut grana cnidia lx. in melle, aut in oleo diluta, cum aqua infundito.

112 Si ex partu alui profluuio corripiatur. Bibat vuam passam nigrã, & punici dulcis malicoriũ, & internum nucleum, & coagulum hœdi. Hæc vino nigro diluta, & caseo caprino, ac polenta triticea insperfis, bibenda dato. Triticum aũtem modice torreto.

113 Si verò ex partu sanguinem vomat; huic hepatis fistula sauciata est. Hæc lac asini bibat, deinde vaccæ nigræ, ad quadraginta dies: & sesamum tritum, donec probe habeat. Bibat autem lac ieiuna.

114 Si ex partu sedem doleat; iuniperi fructum, & apij radicem coquat, & ad dies quatuor bibat, & lactucæ semen cum anserino adipe tritum edat.

115 Si verò ex partu vteri inflammati fuerint; solani succum infundito, aut betæ, aut rhamni.

116 Si ex partu crus ab vteris claudum factum fuerit, & exurgere nõ poterit; semẽ hyoscyami chemæ mensura, in vino nigro ad triduũ bibat. Si verò mẽte percellatur ipsa bibẽs, lactis asinini poculũ bibẽdũ dato: deinde pharmacũ, à quo pituita purgat: ex sandaraca aũt, & cerato, & pilis leporis, per triduũ suffitus fiat.

117 De inflammatione ex partu. Si ex partu vteri in inflammati fuerint: solani succum intra pudẽda infundito. Aut apij, aut rhãni, aut betæ, aut cucurbitæ succum expressum. Aut sambuci medullam ac tenerrimã partẽ derasã, oblongã indito. Aut absinthiũ in aqua terito, & lana exceptũ subdito. Si verò horruerit; tollito. Aut cotyledonis folia, & porrũ, in crassiore tritici farina coquito, & oleo ipsis affuso præbeto.

118 Bilem ex utero purgantia. Cucumeris sylvestris interiorem partem tritam, ac melle subactam, in glãdem efformato, ac apponito. Pharmacum autem dare oportet, quod sursum ac deorsum purget, & calida lauare, apponere verò anisum, aut melanthium: aut colocynthidis sylvestris internam partem terito, & melle subactam apponito. Aut elaterij potiones quatuor, ammixto adipe anserino aut caprino, in oblongiorem glandem redactas apponito. Aut nitrum, & cuminum, & allium, & ficum, omnia leuiter trita, & melle subacta apponito. Calida verò lauetur, & à balneo bibat. Aut thlaspi leuiter tritum, & melle subactum apponito. Aut ficus veteris pinguetudinem derasam elaterij potionibus duabus ammixtis, & nitro tantum quantũ est elaterium, cum melle subigito ac apponito. Aut peucedani tres tyathos bibendos dato. Et anisum, ac melanthium uino diluta bibenda dato. Aut elaterij potiones quatuor, adipe ouillo ammixto apponat. Et hoc ablato aqua odorata lauet, quę leuiter adstringat. Aut elaterij potiones tres cum ouillo adipe, in glandem circum pennam efformato: & ubi amoueri, sufficiẽti aqua probe eluatur. Aut thlaspis potionem cum melle dato. Colluito, si

biliosa fuerit. Elaterij potiones duas aqua dilue,& oleum narcissinum affunde, & cum tepido colluo. Aut colocynthides sylvestres duas in lactis asinini cocti heminis quatuor macerato, & vnam excolato, ac oleum narcissinum ammisceto,& infundito. Alia collutio biliosa,& pituitosa. Cucumeris sylvestris in ternam partem palmi magnitudine,in aquæ potabilis heminis quatuor coque, & melle ac oleo anthino ammixto infundito. Alia pituitam,& bilem purgãs. Grana cnidia sexaginta, melle, ac oleo anthino ammixto,cũ aqua infundito. Aut cnestrum in aquæ potabilis heminis quinque coquito, & duabus excolatis,mel,& oleum anthinum,cũ narcissimo ammisceto,ac colluito. Collutiones purgatoriæ. Grossi hyberni vsti in aqua macerantur: & ad aquam excolatam oleũ ammiscetur,ac infunditur. Postea verò collutio fiat ex malicorio,galla,loti ramentis. Hæc autem in vino nigro coquere oportet: Aut fece vini vsta vtere cum aqua. Et postea hæc infundito,myrti folia & rhoẽ coriariũ. Coquantur autem in vino nigro odorato. Et postea lentisci folia, & hypericum,& saluiã, cũ vino nigro odorato cocta infundito. Aut cũ brassicæ aqua, in qua mercurialis cocta sit modico nitro adiecto,colluito. Aut elaterij potionem,cũ oleo narcissimo aut anthino,tepidam infundito. Si verò biliosa fuerit colocynthidas duas in lactis asinini cocti quatuor heminis macerato, & cũ excolato colluito, oleo narcissino aut anthino ammixto. Aut cucumeris sylvestris internam partem palmi magnitudine, in aquæ potabilis heminis quatuor coquito,& melle ac oleo anthino addito,colluito. Hæc collutio pituitosæ,ac biliosæ conducit.

119 Collutio pituitam trahens. Granum cnidium,& mandragorę liquorem terito cum aqua; nam purgatio,multa & omnis generis ex hac collutione contingit. Aut allij caput integrũ,nitrũ,ficus internã pigueẽ partẽ,equis portionibus trita,ac gallæ magnitudinẽ efformato,ac apponito. Aut cumini folia cum vino trita,in lana subdito. Aut radicem albam terito,& melle affuso feruefactam in glandem redigito,ac apponito. Aut silphij liquorẽ cum ficis emollito, & glãdem efformato. Bonum est & cucumeris sylvestris semen similiter tritum ac pręparatum. Aut fel tauri, & nitrum rubrum,& netopum,ac cyclaminum,illorum quidem gallæ magnitudinem, cyclamini verò ampliorem portionem, melle ammixto mulier quæ curatur apponat. Aliud subditium. Cyclamini caput purgatum aqua terito, & lana tenera exceptum apponito. Aut myrrham,salem,cuminum, fel tauri, cum melle eodem modo. Aut grana cnidia triginta, & Indici pharmaci oculorum (quod vocatur piper) grana tria,decorticato;& rotundi item tria. Hæc autem terito,& vino vteri tepido diluta,instar glandis circum volucris pennam efformato, & sic adhibeto. Aut tithymali succum melle subactum. Aut scillæ radicem longitudine digitorum sex, duobus digitis lana obuolutis subdito. Aut ipsam scillã absq; radice terito,& similiter lana obuolutam apponito. Collutio,si pituitosa fuerit mulier. Veratri potiones duas in vini dulcis heminis duabus diluito & permixta infundito. Si purgatione opus habuerit porrũ coquere oportet,aut sambuci fructum, anisum, thus,myrrham,& vinum. Hæc omnia terito,& cum succo horũ collettio. Aut brassicam in aqua coquito,& in huius succo mercurialem coquito,& nitri parum,& ex colatum infundito. Aut cnestri potionem in melle dilutam immittito.

120 Verùm mẽses cõsiderare oportet, an biliosi sint, aut pituitosi. Ad hoc arenam siccam tenuem in solẽ subijcito,& quum mẽses prodierint, sanguinẽ super fundito,ac siccari finito. Et si quidem biliosi fuerint; sanguis in arena siccatus uiridit euadit. Si verò pituitosi;velut mucus conspicitur. Si igitur pituitosi fuerint;cnestri potionem cũ aquæ mulsæ hemina infundito. Purgatorium molle,aquam ducit,& pelliculas, ac saniem subcruentam. Detrahit & menses,nisi diu turni fuerint,& vterorum os mollit; Vnguentũ narcissinum,& cuminũ quod editur,myrrham,thus,absinthium,cyperum,vnguentum rosaceum. Horũ singulorum pares portiones, narcissini verò quatuor partes sumito, & crudi lini puluillo dum à stupa depectinatur ammixto,omnia terito,& glandem circũ pennam efformato, & linteo tenui circundato deligato,& in oleum albũ Aegyptiũ tingito, ac apponito,& per totã diẽ finito. Et vbi lauit,& amouit;aqua odorata perluatur. Aliud purgatorium. Ducitaquã, & pelliculas,& mucos,& saniẽ subcruentũ. Myrrhã, salem, cuminum, fel tauri, melle subacta & linteo indita apponito,& totũ diem insita finito. Deinde vbi lauit,& amouit,aqua odorata perluitur. Aliud Salẽ, cuminum,fel tauri,melle subigito ac subdito. Et silphium ficui ammisceto,ac apponito;deinde vnguento rosaceo illinito. Aut grana cnidia decorticato,potionemq; ipsorum terito, ac in glandem efformato. Aut allium,& nitrum rubrum,& ficum,paribus portionibus melle ammixto subdenda dato. Et vbi amouerit;cerui adipem apponat in vino liquefactũ. Aut piperis grana quinque cum modico elaterio, muliebri lacte instillato,in lana vnguento tincta apponat, ac amoueat eodem modo. Aut pinguissimam ficus partẽ cũ elaterij portione,nitri rubri,ac mellis æquali portione eodẽ modo. Aut fel,tauri, nitrum rubrũ, netopum, cyclaminum, patibus portionibus eodem modo cum melle in glandem efformato. Aut fel tauri oleo Aegyptio tinctũ apponat: & eo amoto rosaceum illinat. Aut cucumeris sylvestris longi internã partem exempto semine, cum lacte mulieris masculum alentis,& myrrham puram,& modicum mel,& vnguentum Aegyptiũ,terito & apponito. Aut cucumeris sylvestris partẽ internã siccato & sine semine tundito,& adiecto melle feruefacito,& glandem oblongam efformato,atque oleo albo tinctum subdito. Aut sylvestrem cucurbitam eodem modo. Aut elaterij potiones tres cum farinæ massa terito,& glandẽ formato. Aliad similiter faciens. Grana cnidia decorticata trium portionum mensura coquito,& melle affuso apponito. deinde rosaceum illinito.

121 Quæcunq; verò glandem subdunt, eas prius lanam in glandem infigere,deinde linteum tenue circundare oportet, atque sic oleo Aegyptio tinctã apponere. Ducũt autem hæc maxime, & pelliculas auferunt. Subdititia purgatoria fortia,quæ aquã ducere possunt,& mucos,ac pelliculas,magis quàm priora. Piperis grana quatuor maxima,aut etiam parua,si npus fuerit, ad elaterij portionem amixta terito,& muliebri lacte instillato, cũ modico melle subigito. Atque hæc in lanam mollem circum pennam obuoluito,& linteo circũdato apponito, vbi prius in oleũ

Aegy-

Aegyptium tinxeris. Maneant autem ſubdita per diem:& vbi amouerit,adipem cerui apponat.

122 Potiones ſimiliter purgatoriæ, quæ ſecundas eij cere poſſunt, & menſes detrahere, & fœtũ enectum educere. Cantharidas quinque,alis & cruribus ac capite auulſis,& tribulum ad mare natum cum radicibus ac folijs tritum conchæ menſura, & enanthemi viridem ſiue luteam internam partẽ, & ſeminis apij tantundem,& ſepiæ oua quindecim,in vino dulci tẽperato bibenda dato. Et vbi dolor habuerit,in aqua calida deſideat,& aquam mulſam aquoſam bibat, & vinum dulce. Alia. Ranunculi foliorum ac flores triti, Aeginæi ſtateris, pondus in vino dulci bibat. Quum autem dolor habuerit, cicer album & vuas paſſas in aqua coquito, & perfrigeratam bibendam dato. Et vbi vrinæ ſtillicidium vexarit,in aqua tepida deſideat,& vinum dulce bibat.

123 Subdititia purgatoria, ſi potiones nõ purgarint, Mercurialem tritam ac myrrham apponito. Aliud ad omnem morbum, & aperire, & purgare potens. Myrrham modicam,& ſaluiam, & aniſum terito,ac vtitor. Purgatorium quod ſterilem purgare poteſt. Si os vteri non recte habuerit,ſtercus bubulum ſiccum tuſum,ac cribratum quatuor chœnicum menſura,& aceti heminas decem, & vrinæ bubulæ tantundem, & ſalſuginis marinæ heminas viginti,pro fomento adhibito: & ad multum tempus huc leniter facito. Deinde lota,vbi lenticulę decoctum, & mel acetum mixta bibit,vomat. Et farinam ſorbendam dato:& vinum odoratum vetus ſub die per noctem expoſitũ, inſuper bibendum. Cibum autem ea die ne guſtet. Sequenti verò granum cnidium deuorãdum dato. Tertia verò pharmacum vrinam ciens exhibeto, ita vt vuas paſſas,& cicer album,duarum chœnicum menſura ſumas,& aquæ ſemicongios tres affundas. Deinde facta coctura excoles,& ſub dio per noctem exponas, & poſtera die bibendum præbeas: & ſubdititijs pharmacis vtatur. Aliud purgatorium menſium. Stercus bubulum velut conchæ teſtam efformato, & cupreſſi ramenta ammiſceto ac ſubigito,& in ſole ſiccato;& in hoc ſuffimenta inijcito,ac ſuffito. Aliud quod infunditur ad ſimilem affectionem; ſi menſes non prodeant. Spinæ albæ folia trita,& excolata ac tepefacta infundito. Illitio purgatoria,quæ vteros purgat. Porri,& naſturtij ſemen tritum,vino,ac lacte cocto dilutum,imò ventri illinito. Illitio mollitoria. Ducit aquam,& mucos,& pelliculas:& puerperij purgamenta detrahit,& non exulcerat. Myrrhæ optimæ dimidiam partem,& ſalis granum,& picem aromatibus conditam, contundito, ac trita miſceto. Sit autem myrrhæ dimidia pars, ac ſalem, ac picem contuſam;hæc in linteum ad gallæ magnæ magnitudinem efformata immittito. Sint autem duo lintea, vt alterum in die alterum nocte habeat, donec colliqueſcant. Lauetur autem calida. Et deinde vbi amouit;aqua odorata perluatur.

124 Si voles mulierem concipere;ipſam,& vteros purgato:deinde ieiunæ farinam edẽdam dato;& vinum meracum inſuper bibendum:& nitrum rubrum, aut cuminum.& reſinam,melle ſubigito,& in linteo ſubdito,& vbi aqua defluxerit, nigros ſubdititios talos ac emolliendum apponito, & cum viro concumbat.

125 Si verò os concluſum fuerit,etiam fici ſuccũ apponat,donec fuerit apertũ,& ſtatim aqua eluat. Cæterum accipitris ſtercus in vino dulci terat,& ieiuna bibat:& tunc viro condormiat. Aut,vbi menſes deſierint;anſeris,aut vulpis ſtercus,in roſaceo vnguento terat,& pudendum illinat,ac condormiat.

126 Si vlcera fuerint acria,& inflammata, hac colluſione vtere. Adipem anſeris & reſinam miſce, & aqua tepida diluta infunde. Aut butyrum melli ammixtum liquefacito ac infunde. Aut bryonię albę cõchæ teſtam paruam deradito, & myrrham ac mel ſimiliter: Hæc in vino nigro odorato diluito,ac tepida infundito. Si vlcerata,aut puſtulis plena fuerint ſumma labra; carnem bubulam ſumito,& butyrum, ſiue adipem anſerinum,& aniſum, aut ſpodium Cyprium: hæc omnia terito,& carni oblita apponito. Si vlcera fiant,ac mordeant;bubulam carnem adipe illinito,& carnẽ ſubdito. Et ſi ſordida fuerint eluito, & fomentum ex fici radice adhibeto. Et poſtea etiam de pinguedine in vino dulci bibat. Si in pudendis fiãt vlcera;bubulum adipem illinito. Et myrtum in vino coquito,& cum vino perluat. Aut oleę folia,& rubi, & mali punicæ eodem modo. Sit autem vinum pramnium. Atq; hæc quidem ſic facienda ſunt. Et perſeæ arboris videlicet folia terito, & ad pudenda apponito: Aut anethi,& apij ſemen tritum illinito.

127 Si feruido,ac ſuperficiario vlcere pudenda laborent;ſic curare oportet. Carnem bubulã longitudine duorum palmorum paruorum, craſſitudine verò ligni,quod in foramen bipennis immittitur, pudendi videlicet virilis forma,vſque ad veſperam apponat; noctu verò auferat. Poſtera die autẽ rurſus apponat vſq; ad miridiem: & bibat vinum dulce melle ad vinum ammixto. Colluto ſi vlcerati fuerint vteri,& ſi vrinæ ſtillicidiũ vexarit. Porrum,ſambuci fructum, ſeſeli,aniſum,thus,myrrham,& vinum æquali menſura ad horum ſuccum: Hæc mixta & feruefacta frigefacito,& moderate colluito. Aut mel, butyrum, medullam,& ceram immittito,ac illinito. Ad vlcera,quæ in pudendo ſunt,ac enaſcuntur. Folia oleæ, & rubi,& hederæ,& mali punicæ dulcis terito,& vino veteri diluta,noctu in lana pudendis apponito,& pro cataplaſmate adhibeto. Quum autem dies venerit; detrahito, & myrti baccas in vino coquito, ac colluito. Aut anſeris adipem,& reſinam liquefacito, & infundito. Aut butyrũ,& oleum cedrinum,modico melle ammixto,infundito. Ad vlcera in vtero reſiccanda. Argenti florem in vino terito,ac infundito. Aut butyrum cum melle infundito. Aut bryoniam albam,& myrrham, & mel, vino diluta infundito. Poſtridie verò vino nigro tepido eluito. Aut lẽtiſci folia in aqua coquito,& cũ hoc poſtea colluito. Si vlceratum fuerit os vterorum; butyrũ,thus,myrrham,reſinam,medullam ceruinam infundito. Aut lenticulam in aqua coquito, & cum excolata aqua colluito. Quum verò aqua ex vtetis fluxerit,& vlcera fuerint,& lancinarint,anſeris adipem, & ouum illinito. Aut ouillum, aut ſuillum adipem, & lentem in vino coquito, & hoc pari aqua temperatum infundito. Quæ verò in pudendo ſunt vlcera,cum hoc perfundito:& mannam thuris,rubum,pini corticem inſpergito:& cum aqua horum lauentur.

128 Expulſorium,ſi mortuus fuerit fœtus. Galbanũ oliuæ magnitudine linteo inuolutum, ac oleo cedrino tinctũ,ad os vteri apponat. Aliud. Calamum odoratum,et cucumeris ſylueſtris medullam,cum adipe

anserino terito. Deliget autem vmbilicum,& pectinem & hoc modicum lanæ instillatum,ad os vteri apponat. Et ab hoc paulatim extrahetur. Aliud. Rubiã, & cedri ramenta contundito, & aqua affusa,sub dio per noctem exponito: deinde mane ad dolores partus exhibeto. Aliud. Silphij drachmam vnam,& porri succi acetabulum, cedrini olei dimidio ciatho paruo ammixto,bibenda dato. Aliud. Tauri fel oboli vnius,aut semioboli pondere,in vino terito, ac exhibeto. Aut fermento oblitum, torrefactum deuorandum dato. Aliud. Cancros fluuiatiles quinque,& rumicis,ac rutæ radicem,& fuliginem de furno omnia simul trita,& cum aqua mulsa vnita,sub dio per noctem exponat,& ieiuna ter bibat. Aliud. Cucumeris syluestris medullam tritam, in cedrina pice lanæ inuoluito,& cum filo ad pennam deligato: apponat autem intro, ita vt pennæ dura pars paululum foras promineat ex lana. Quum autẽ sanguis apparuerit; amoueatur. Aliud. veratri nigri virgulam longitudine sex digitorum lana obuoluito,extremam verò ipsius partem nudam finito;deinde quammmaxime intro apponat,& vbi extrema pars cruentata fuerit, amoueat. Aliud. Veratrũ nigrum,& cantharidas,& conyzam in aqua terito,& glandulam mollem sex digitorũ longitudine efformato,siccato; & vbi dura facta fuerit;lana inuolutam apponat. Summam autem partem cedria illinat,sitq; ipsa nuda. Quum verò sanguis apparuerit,amoueatur. Aliud expulsorium. Si fœtus,mortuus, aut syderatus intus fuerit, ranunculũ & elaterij parum in aceto temperato misceto, ac bibendum dato. Aut brassicæ tener coliculus in summa parte netopo illitus immittatur.

HIPPOCRATIS COI

De Morbis Muliebribus Liber II.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Mulierum fluxus albus fuluus, & ruber, quibus magis & vnde fiant, & eius signa.*
2 *Fluxibus inchoantibus prædicendum. Diætæ influxibus constitutio. Sorbitiones. Potiones.*
3 *Spirandi difficultas in fluxu rubro.*
4 *Quæ circa fluxum curationes considerandæ, Superalbidæ. Nigræ. Vini colorem referentes. Iuuenculæ. Aniculæ. Mediæ.*
5 *De fluxu in vteris signis,caussis, & curatione. Tumor à fluxu vteri sedato.*
6 *Fluxus ruber qualiter fluat,& eius signa. Quas & quando potissimum inuadat,& de eius curatione.*
7 *Sanguinis fluxus,ab articulis,à partu aut labore corruptæ. Suffitus ad vteros. Obturamenta de dolijs olearijs. Sordes officinæ fullonum. Serpentis semen.*
8 *Fluxus fuluus,& eius curatio. Diætæ constitutio.*
9 *Fluxus albus,& eius signa,& curatio.*
10 *Fluxus albi alterius curatio signa. Mecon.*
11 *Alius fluxus & eius curatio.*
12 *Alius fluxus velut ex ouo crudo, luteum subalbidum, & eius curatio.*
13 *Fluxus alius,& eius causa.*
14 *Purgatio velut à carnibus assatis, & eius caussa & curatio.*
15 *Sanioſi fluxus curatio diuturna,& eius cauſa.*
16 *Vteri ad caput conuersi,signa,& curatio. Vteri ad cor progressi,signa & curationes.*
17 *Vteri ad præcordia allapsi strangulantes, signa, & curationes.*
18 *Vterorum ad præcordia consistentium signa. Vnguentum Baccharium. Phocæ adeps.*
19 *De vterorum ad hepar conuersorum signis & curationibus.*
20 *De vterorum circa latus inflammatorum signis & curationibus.*
21 *De vterorum ad latera allapsorum signis & curationibus.*
22 *Vteri in lumbis aut lateris mollitudine. Glandula subditia. Vteri in seipsos deuoluti ad intermedium lumborum ac coxarum partem.*
23 *Osculum aliò inclinatum. Vteri ad coxam allapsi,signa & curationes.*
24 *Cancrorum occultorum signa,& curationes.*
25 *Fomenti vterorum,modus. Diæta. Bolbidia.*
26 *Osculum vterorum,quod aperiri non potest.*
27 *Os vterorum inflammatum.*
28 *Fomentum ex suffimentis. Diæta. Sepiæ oua.*
29 *De vterorum ad coxam incumbentium signis & curationibus.*
30 *Ex partu morbus. Vrina vetus ad vterorum fomentum. Steriles ex vteris ad coxam decumbentibus.*
31 *Vteri ad coxam curatio.*
32 *Vteri pauperæ ad coxam,aut lateris mollitudinem incumbentes: curationes. Vteri loco moti,quomodo curandi.*
33 *Quibus pharmacum sursum aut deorsum purgans & quando exhibendum. Vteri ad sedem conuersi: curatio.*
34 *In inguina & vrinæ meatus incumbentes, & eius curationes. Quæuis occasio vteros propellere potest si quid mali habeant.*
35 *Vteri circumuersi ex partu ad dextram partem puerperij purgamentis non fluentibus, signa & curationes. Vteri ad sinistram partem & coxam inclinanti,signa & curationes.*
36 *Vterorum transuersum sitorum signa & curationes.*
37 *Vterorum extra naturã progressorum signa & curationes.*
38 *Vterorum penitus extra pudendum elapsorum signa & curationes. Vteri orarum picato cerato illitio.*
39 *Os Vterorum extra pudendum elapsum caussæ.*
40 *Vteri extrà prominentes multo tempore,& inflati. Vteri osculi complicati signa & curationes.*

41 *Vteri vlcerati & extremè foras progressi. Pudenda in arctum contracta. Vteri in loco non manentes, sed modo huc, modo illuc transeuntes.*
42 *Vteri elapsi. Vterorum ad crura & pedes conuersorum, signa & curationes. Vocis priuatio in, &c.*
43 *Vteri commoti, & aliquò allapsi. Occasiones per quas vteri mouentur.*
44 *Vterorum inflatorum signa.*
45 *Vterorum velut in callum induratorum signa, & eius causſæ quæ.*
46 *Vterorum obduratorum signa & curationes.*
47 *Os vteri genituram non suſpiciens.*
48 *Vterorum durorum & ad pudenda exeuntium signæ, & curationes. Oris vteri duri signa.*
49 *Vterorum concluſorum signa.*
50 *Oris vteri concluſi signa, & curationes. Vteri concluſi menſibus non comparentibus.*
51 *Vterorum grumoſorum signa. Vterorum præter naturam hiantium signa, cauſſæ & curationes.*
52 *Oris vteri amplius hiantis, quàm in menſibus ſolet, signa & curationes.*
53 *Vteri non concluſi. Vteri magis quàm conueniat aperti.*
54 *Vterorum inflammatorum signa & curationes.*
55 *Vterorum inflammatorum alia signa.*
56 *Vterorum corruptorum ac vitiatorum ſigna, & curationes.*
57 *Ad dolorem vterorum infuſile.*
58 *Ignis ſacri in vteris signa. Tumores liuidiſſimi à pedibus exorſi vſque ad vteros. Ignis ſacri in vteris ſigna & curationes.*
59 *Aquæ inter cutis in vteris ſigna. Menſes arenoſi. Seminis per ſomnum à muliere effuſio. Subditicium.*
60 *Alia aqua intercus vterorum, & eius curationes. Eclegma quod delingitur ad aquam inter cutem.*
61 *Venti in vteris ſigna, & curationes.*
62 *Mola in vtero à craſſa genitura intus retenta. Venti & genituræ in vteris ſigna, & curationes. Mulieres valde attenuatæ raræ fiunt & abortiunt.*
63 *Vterus genituram non ſuſcipiens. Pelecini. Conyza.*
64 *Atræ bilis in vteris ſigna. Flauæ bilis mictio. Pituitæ in vteris ſigna.*
65 *Dentifricium ad oris mulieris fœtorem, gingiuis malis ac prauis. Caput leporis. Mures. Pharmacum dentes purgans & bene olentes faciens. Indicum medicamentum.*
66 *Mammis aſperis quomodo medendum. Aſcarides in pudendo muliebri aut inteſtino recto.*
67 *Ad faciem ornandam. Hepar tauri. Ad lentigines. Rugas in facie leuigantia. Capillorum defluuium. Caluis ad pilos producendos. Stercus columbinum.*
68 *Ad maculas ſolares. Ad impetigines.*
69 *Potiones fluxui rubro commodæ.*
70 *Potiones ad fluxum & omnes morbos, qui ad vteros fiunt. Sanguinis fluxus ex vtero.*
71 *Ad fluxum & dolorem. Cancri fluuiales vino ſuffocati. Muli ſtercus. Spongia combuſta.*
72 *Fomenta ad fluxus.*
73 *Collutiones ad fluxus.*
74 *Suffitus ad fluxus. Capræ pilorum ſordes circa ſedem.*
75 *Ad fluxum rubrum ſubditicia. Ad fluxum reſiccandum.*
76 *Ad aquæ fluxum ex pudendis ſubditicium, & infuſile. Chema. Pectinis præ fluxu aquoſo dolor.*
77 *Fluxus ſanguinolentus aut albus.*
78 *Vterorum ſtrangulatio, & eorundem ſuffocatio. Vteri ſurſum progreſſi. Vterorum ſtrangulantium ſigna.*
79 *Vteri ad ſeptum tranſuerſum & præcordia. Ex lana ac cenſa ſuffitus. Vteris tranſmotis medentia.*
80 *Cordis ſtrangulatio. Vteri in lumbos incumbentes.*
81 *Ventus in vteris. Vteri tranſmoti prementes & ſtrangulantes. Cœnum fœtidiſſimum in ſuffimento.*
82 *Vteri ſtrangulantes, ſtrangulatione cor contingente. Vteri ad hepar progreſſi. Vteri ad inguina incumbentes. Suffitus. Quercus folia. Phocæ pulmo.*
83 *Vterorum fomenta. Vteri extra prominentes, & dependentes.*
84 *Vteri mollitoria. Subditicia mollia, quæ aquam ducunt, & mucos & pelliculas, & non exulcerant.*
85 *Ex vteris educentia. Saniem cruentam educentia. Mori radix.*
86 *Mollitoria. Fomenta ad vteros purgandos.*
87 *Dolores repentini & animi deliquia.*
88 *Vrinæ ſtillicidium, Strangulatio in vterorum dolore.*
89 *Ad vterorum dolorem. Aliud fomentum fortius ex bitumine. Vteri dolor. Vterorum morbi curatio.*
90 *Collutio. Infuſorum menſura.*
91 *Pudenda ex feruido ac ſuperficiario vlcere exulcerata. Vrinæ ſtillicidium. Ventus in vtero.*
92 *Columella & vlcera in pudendis.*

1 FLvxvs albus in ſenioribus mulieribus magis fit, quàm in iunioribus. Fluxus fuluus in vtriſque: Fluxus ruber in iunioribus. Et ruber quidem fluxus fit ex febre: magis autem ex abortu: fit ex menſium interceptione, quum concluſi derepente eruperint. Fit etiam ex partu, & febrib. & ſanguis profluit valde multus, & grumi excidunt, & dolor fit clauicularum, ac tendinum, & corporis torpor, & crurum perfrigeratio. Aliquando verò & naſus effundit ad dentes; ſi amplior ſanguis diſceſſerit, & ſudor multus diffunditur. Ad hęc & ſtomachi morſus fiunt, & perfrigerationes, & febris bilis mera cæ, ac pruriginoſæ: & eadem die ſæpe rigent, & rurſus ſudant: & aliquando à ſupernis locis conuulſiones ipſis fiunt, aliquando ab infernis: & ad inguina dolores acuti, ac fortes irruunt, procedentes velut dolores partus. Quandoque etiam vrinæ ſtillicidiũ adeſt, & os ſiccum eſt, & ſitis premit: & lingua aſpera eſt, & digiti pedum magni contrahuntur, & ad ſuras ſemper cum femore diſtenduntur. Et lumbi dolore vexãtur, & manus impotentes fiunt. Quum autem huiuſmodi fiunt, tunc etiam neruorum antrorſum, ac retrorſum diſtentiones fieri ſolent, à clauiculis iuxta iugulum, ad maxillas, & linguam: à talibus verò paulo poſt retrorſum, à tendinibus iuxta ſpinam. ad lumbos: atque ſic per violentiam pereunt.

Prædicere igitur oportet fluxibus inchoantibus, & diætam conſtituere hoc modo. Mane quidem dandum eſt pharmacum ad fluxiones, ex his, quæ ego deſcribam, quocunque maximè opus habere viſæ fuerint. Dãdũ autem & ter, & quater; ſi multus ſanguis diſceſſerit. Diæta igitur conſtituatur, ſi quidem ſine febre fuerint; ex cibis: ſi verò febricitarint; ex ſorbitionibus. Sunt autem ex ſorbitionibus hæ commodiſſimæ, panicũ, lenticula, farina horni, ac recentis

tis tritici cocta,alica cocta sorbilis,zea cocta. Ex potionibus verò, polentæ pollen in aqua, & ramenta à panibus derasa contusa. Et polentæ recentes tenues in aqua madefactæ, quas etiã insulsas delingere prodest. Ex cibis verò panis exassatus in cinere. Obsonium autem sit leporis caro, & columbæ, ac palũbis, & cocta, & assata. Et hœdi caro assata,nullo ascititio condimento addito, sed vt in acetum saltem intingant.Hepar item capræ, aut bouis in cinere assatum. Oui tenue,aut ipsum luteum.Caseus insulsus. Ex oleribus autem nullum gustent, neque coctum, neque crudum.Et à balneis abstineant.Et manus ipsi deligato,ita vt lana sordida ipsas circundes, & laqueum immittas supra cubitos,& ad poplites,supra genua. Et cũ cucurbitis sub mammas affixis, ipsas eleuato, modo ad dextram,modo ad sinistram partem translatis. Si verò spirandi difficultas oriatur ad cucurbitæ admotionem, cucurbitam amoueto, sanguinem autem ne detrahito.Verùm subditicijs vtere,quę ego describam:& ad sistendum sanguinem in talibus sunt apta.

3 Et si quidem ex fluxionibus mulier euaserit, vbi multus sanguis discessit; & color est exalbidus,& facies eleuata, & sub oculis tumores laxi, & crura turgida, & vterus humidus,ac semper præter rationem hians. Et quæ discedunt aquosa sunt, velut à crudis carnibus succus. Talibus si robustæ fuerint; vomitus ciere oportet ieiunis, & post vomitus prandiũ exhibere. His conducit modicus cibus: Vinum nigrum meracius: Illuuies,aut frigidæ lotio: Deambulationes: Semel in die cibum capere,omnis reficcatio. Si verò ad hæc non sedentur,neque confidant vteri,neque à fluxionibus liberentur, respectu virium corporis habito:si quidem robusta fuerit veratrũ dare oportet. Si verò non obediat; caput purgare: facta autem purgatione, per dietam reliqua curare eodem modo velut circa steriles.

4 Considerare porrò oportet etiam naturas mulierum,& colores,& ætates,& tempora,& locos,& ventos. Aliæ enim frigidæ:aliæ humidę,ac fluidæ:alię calidæ quidem:sicciores autem,& stabiles sunt;nã quæ superalbidæ sunt,humidiores sunt,ac fluidiores: nigræ verò sicciores, & acerbiores, ac adstrictiores. Quæ verò vini colorem referunt, medium quiddam inter vtrasque habent. Sic autem & in ætatibus contingit:iuuenculę enim humidiores sunt,& multo sanguine plerũque refertæ;aniculæ verò sicciores,& modicum sanguinem habentes. Mediæ verò medium quiddam inter vtrasque habent,vt quæ nunc æquales existunt. Oportet autem eum,qui recte hæc tractare vŏlet, semper mulierum naturas discernere,& temporum occasiones,& ætates,& tempora,& locos, & ventos.

5 Si fluxus in vteris obortus fuerit; sanguis multus fluit, & grumi compacti excidunt, & dolor occupat lumbos, & laterum mollitudinem,ac imum vẽtrem: & durus est venter,& ad contactum dolet: & rigor, ac febris acuta corripit: & debilitas oboritur:& omnia præter humeros ad scapulas dolet: & calor inuadit,& rubescit:& venæ duræ fiunt,ac renitẽtes.Morbus hic maxime fit ex abortu. Fit & quum menses multo tempore retenti derepente eruperint. Huic vbi sic habuerit;grossum siccum contusum,ac cribratum in linteum alligato, ac apponito: & imo ventri perfrigerãtia imponito; cauẽs ne horreat.Postquam autẽ fluxus steterit; oleæ sylueſtris folia in acerrimo aceto coquat, eoque pudenda perluat. Bibat autem vinacea, & rhoem rubrum in aceti acerrimi hemina dimidia cõquat,& eo pudenda perluat. Aut mora rubra siccata, ac trita, cum farina recenti pari portione mixta,ieiunæ bibenda dato.Si verò fortius facere voles;duabus farinæ partibus ammixtis, bibendum dato.Et ne lauetur.Cibis autem vtatur siccis,& vino nigro vinoso. Si verò intumuerit, fluxu iam sedato, Pharmacum deorsum purgans bibendum dato. Post pharmacum autem vteros grossorum decocto colluito: & postea acerba infundito. Si verò his factis, humecta fuerit,suffitum faciat donec resiccet.

Ruber fluxus fluit talis,qualis sanguis victimæ recens mactatæ,& grumi pellucentes. Aliquando verò etiam fluxum rubrum emittit,& venter imus attollitur,& attenuatur,& impotens fit,& indurescit,& ad contactum dolet,velut vlcere præsente: & febris habet,& dentium fremitus: & dolor ad ipsa pudenda, & pubem,& lateris mollitudinem,& lumbos,& tendinem, & ventrem, & pectus, & scapulas irruit. Et alias omnes partes dolet: & impotentia, ac pusillanimitas occupat: & color mutatur. In principio quidẽ morbi hæc corripiunt.Si verò hęc omnia moram trahant;adhuc magis debilitatur: & manifestus est morbus: & cauę partes attolluntur,& pedes intumescũt. Morbus hic ex partu maxime corripit, si quid in ipsa dilaniatum non prodierit,sed intus computruerit,& fœtus exasperatus fuerit. Hanc si in principio contigeris;spongiam humectam ipsi adhibeto, quum fuerit dolor.Aut linteum tenue molle rasum,aqua frigida madefactum, ventri imponito, & aqua perfundito: & lectum à pedibus altiorem facito: atque sic insternito:& ad menses ciendos medicamentum quodcunque magis admiserit,bibendum prębeto. Apij semen torreto,tundito,ac cribrato,& erysimum similiter,& peplij semen cum polenta cribratum,& vrticę semen similiter,& scabiem oleę sylueſtris,& gallam, & rutam,& origanum,& pulegium cum polenta cribrato ac ammisceto: polentam verò crassam torreto, & triticeam polentam commollito: & caseum caprinum sordibus derasis: & de alijs quidem singulorum æquales portiones misceto:origani verò & rutæ, & scabiei,& gallæ dimidium. Hæc ieiunæ ante motum bibenda dato. Miscere verò etiam oportet ad vsum; si acriora prodierint, & cyceonem exhibere. Et de pharmaco quidem pars vna fit, & casei vna, & vna polentæ. Ad vesperam autem melle ammixto bibenda dato. Et donec quidem principium morbi fuerit, & sanguis multus prodierit, & modico tempore intermiserit, & dolores acuti tenuerint; hæc facere oportet. Si verò sanguis paucior fluxerit, & per breuius tempus;ea,quæ deorsum,aut sursum ducunt,bibenda dato:& pudenda lenibus fomẽtis foueto, prout semper opportunum visum fuerit, & zeam vnà cum cortice fractam,& grossos siccatos, tusos ac cribratos,& oleæ folia similiter, singulorum pares portiones in cataplasmate adhibeto: & lac bubulum coctum, aut crudum bibendum dato, respectu ad id quod recte habet facto, & prout opportunum esse visum fuerit: & videtur morbus hic debilis ac lethalis esse,& paucæ ex ipso effugiunt.

7 Quum mulieri sanguis ab articulis fluxerit, à partu, aut à labore corruptæ, quidam putant ex medicis

hoc

hoc fluxum esse. Est autem aliud: nam hoc, quod ex articulis, & ex lumbis, ac coxendice aliud est, glutinosum est simul cum sanguine. Illud verò, quòd ab vteris, & cauis venis fluit sanguis, purus est. Hāc suffire oportet hoc modo: zeæ fractæ semodium aceto modico subigito, vt ne per totum vteros humectes: & sulphuris viui semiobolum ad zeas tritas ammisceto, & aceto subacta per noctē finito. Mane verò multo igne accenso, obturamenta de dolijs olearijs imponito, & sordes officinæ fullonum, & serpentis semen ammisceto. Mox autem multum ignem tollito, & non vrito, sed maxime suffumigare facito. Oportet autem sellam perforatam adesse, & mulierem vestibus contectam insidere, vt ne quid præter spiret. In ignem verò medicamentum cum aceto præparatum inspergito, itemque de semine serpentis. Sed & myrrha ammixta efficax est; vt suffita pudendorum cruētationem sedet. Si verò satis habuerit; eryſimi semen torrefactum terito, & in vino exhibeto.

2 Fluxus fuluus fluit velut ex ouo vitioso multus, & graueolens: & vteri inflammantur, & dolor ex lumbis, & inguinibus emergit; & prodeuntia multa sunt, & si non liberetur; celeriter fluentia. Ac etiamsi tempus accedat; quę restant putrefacit, quàm maxime id fieri potest; riget enim, & velut à carnibus assati, humor defluit, & cū his simul febres fortes, ac rigores fiunt. Ex huiusmodi verò fluxibus multę pereūt, paucę effugiūt: & si quidē in principio accesseris, sic curare oportet. Si sine febre fuerint, ac robustæ: veratrum ipsis dato; & ītermissis tribus, aut quatuor dieb. pharmacum deorsum purgans exhibeto. Post purgationē verò sic dietā constituere debes; quò fluxiones aquosæ sint, ac tenues. Mane quidem ieiunæ pharmacum aliquod ex his, quæ ego describam ad fluxum, ebibē dum dato in vinum insperſum. Post pharmacum autem, alia diæta curato. Vtero verò sic curato. Si quidem inflammati fuerint, aut concluſi; fomenta adhibere oportēt mollia, donec os vterorum molle fiat; post fomenta, infusis malibus opus habere visæ fuerint colluito, siue magis purgantib. siue mollioribus post collutiones, mollitoria apponito. Si verò non facile solubile sit osculum; foueto, & subdititijs mollito, quæ ego describam, donec apertū fuerit. Quòd, si ad hæc fluxiones non sedentur; caput purgato, & sic victus rationem constituito. Si quidem sine febre fuerit; asininum lac bibat: & oleribus coctis hortensibus, ac syluestribus vtatur, excepto allio, porro, brassica, & raphano longo; ex marinis autem, raia leui, scorpio, congro, torpedine, anguilla, passere, gobio; coquere verò oportet cum cepis, & coriandro, in muria dulci, ac pingui, ita vt probe percoquantur. Ex carnibus autem, maxime suilla, deinde agnina, aut ouilla, coctis potius quàm assatis, & ipsarum iusculis. Vino verò albo mellei coloris, aut aquoso. Balneis autem non valde calidis, neque multis, excepto capite. Si verò ex hac diæta ab vlceratione, & inflāmatione liberentur; humidi verò sint vteri, pro balneis quidem, illuuie; pro fuluis autem vinis, nigris; & pro aquosioribus meracioribus, & pro polenta panibus: & pro piscibus, carnibus assatis, & omnibus cibis siccātibus, quibus sanè in alui profluuijs vtimur, à collutionibus autem omnibus abstineat, excepto vino, & aqua. Suffitus autem fiat per adstringentia. Optimum autem esset, si conciperet. Si vero iuuencula fuerit; frequenter ieiuna vomat, & postea parū prandeat. Atque hæc harum fluxionum diæta est.

9 Fluxus albus fluit velut alba asini vrina, & in facie sunt tumores albi, & partes ambæ sub oculis tumēt; & hydropiformes, ac non valde bona specie præditi sunt oculi, & splendor abest; & lachrymosi sunt oculi, ac habētes; & color corporis exalbidus, ac pustulosus, & vēter imus tumidus: & in maxillis pustulę paulatim rubentes, paruæ, aquosæ, ac malignæ; & in cruribus tumores laxi: &, si presseris digito; notæ imprimuntur velut in fermento, & os saliua impletur; & stomachi morsus percipiunt, quū ieiunæ fuerint: aut etiam vomuerint velut acidam aquam, & si ad accliuem locum procedunt; anhelatio citius corripit & strangulatio, & crurum perfrigeratio, & genuum impotentia; & in ore vlcera feruida, ac superficiaria: & vterus præter rationem aperitur, & ad osculum procidit grauis, veluti plumbum: & dolores per femora tendunt, & omnia inferna perfrigerantur, ab imo ventre inchoantia vsque ad pedes: & plantę torpent; ac ingredi non possunt. Tales difficile est à morbis liberare: nam & ætate prouecta sunt, & afflictiones consenescunt; nisi casus aliquis spontaneus fortè fortuna allapsus ipsas soluat. Has exhaurire oportet quum redundarint per pharmaca, quæ bilem flauam non purgant. Sed vrinam cientia his pota cōferunt, & capitis purgationes, & illuuies, & epithymi albi potus, & deambulationes, & omnis reſiccatio in victu. Hæc vbi fecerint; sanę quidem penitus non fiūt, facilius autem degunt.

10 Fluxus albi alterius curatio. Purgatur album subluteum, & quum mingit, morsum percipit, & lancinatur, & vterus vlceratur, & febris corripit acuto, & calor multus, sitis, vigiliæ; & mente mouentur. Et quum aliquid festinanter egerit: anhelatio ipsam inuadit, & membra exoluuntur. Hanc mecona, hoc est, peplum album bibere oportet, & vrticæ semen, & quod præstat, mali punici dulcis radicem, & folia, & rhoem, ac gallam. Hæc in vino acerbo bibenda dato, & mali punici succum, & caseum capri num ammisceto. Subter autem suffito zeam, & grossos hybernos, & oleæ folia, & cucumeris syluestris cortices ex tertia parte, reliqua paribus portionibus. Sorbeat etiam olera cocta, & sorbitiones ex amigdalis, & sesamo, & gestetur, ac curru vehatur, & non quiescat.

11 Alius fluxus.. Defluit multum velut vrina ouilla. color est albus, & tota intumescit, & in tibijs eminētiæ laxæ, & rubicundæ emergunt: & si digito attingas, notæ foueas præ se ferentes tibijs, ac pedibus imprimuntur: &, si quid edat; impletur, ac inflammatur: & vbi iter fecerit, & opus aliquod obierit; anhelatio, & dolor ipsam corripit, & color albus, quandoque subluteus. Huic, si robusta, & iuuencula fuerit, & alia apparuerint, ab initio pharmacum sursum, ac deorsum purgans bibendum dato: & caput purgato, si pituitosa est, per ea, quæ pituitam purgant. Si verò biliosa; per ea, quæ bilem: & si tempus anni fuerit, & à natura non est lienosa, & si quid ex relatis fuerit; serum dato. Decoquat autem hoc & bibat quàm plurimo tempore, & ad vesperam vinum dulce aquosum, si opus habuerit. Cibum vero ne contingat. Si verò debilis fuerit, sorbitione modica vtatur, & non lauet. Postquam autem tempestiuum esse tibi videbitur,

tur, à potu ceſſet: & poſt purgationem cibis vtatur, ita vt abſtineat à pinguibus, & acribus, & dulcibus, ac ſalſis, & ab oleribus acribus. Vtatur autem piſcibus petroſis, & carnibus ouillis, aut volucrium, aut leporinis: pane frumentaceo, aut ex ordeo freſo: & oleribus coctis vtatur, & ſylueſtribus quæ cruda edantur, itemque hortēſibus, acribus exceptis; & deambulet mane, & à cibo. Vbi verò his factis ſiccior eſſe viſa fuerit; vteros fece vini colluito: & tribus, aut quatuor diebus interpoſitis, poſtea acerba infundito & intermiſſione facta, ſi quidem ſicca fuerit: quieſcito. Et ſi à natura fuerit bilioſa, aut pituitoſa, à victu verò, & pharmacorum potione attenuata, & ſe recolligere non poterit; lac bubulum bibat per quadraginta dies, calidum de vacca. Præſtat tamen pituitoſam cibis quàm pauciſſimis vti, quamdiu lac biberit. Sit autem menſura ſex heminarum. Atticarum. Incipiatq; à duabus, & ſingulis diebus vnā apponat, donec ſex fiant: & inde paulatim ad duas rurſus deſcendat: & poſt lactis potum, cibis reficito & per victus rationem: & poſt lactis potum, mane ieiuna adiātum bibat: & hoc ſiccatum, tuſum, & exacte cribratum, in vino nigro odorato diluto exhibeto. Si verò reuertat morbus: totam ipſam foueto, & rurſus pharmacis infra purgato: & poſtea vteros colluito, ſi quidem natura fuerit pituitoſa: per cnidium granum, aut thapſiæ radicem: ſi verò bilioſa: ſcammoniæ ſucco, aut colocynthide ſylueſtri: hanc enim coniectam, duabus aquæ heminis affuſis, coquere ad dimidias oportet, & huic mel, & oleum narciſſinum, aut anthinum ammiſcere. Sit autem mellis quadrans heminæ, olei verò hemiolium mellis, hoc eſt, menſura ipſius tota, inſuperque dimidia. Poſtea verò colluendum eſt melle, & vino, & oleo ſolo: & ſuffitus adhibendi, & tribus, aut quatuor diebus quieſcendum. Bibat autem adiātum: &, ſi in ventre non conceperit; morbus reuertitur; &, ſi morbus reuertitur: perit. Quum verò ſeniores morbus hic corripuerit: etiam vteri computreſcunt. Valde verò paucæ durabunt.

12 Alius fluxus. Purgatur velut ex ouo crudo luteum ſubalbidum, & vlcerat pudendum: & tument pedes, ac tibiæ: & cauæ oculorū partes intumeſcunt: & oculi humidi, ac lachrymoſi ſunt, &, ſi iter faciat: anhelatio ipſam corripit, & debilitas oboritur. Si verò euaſerit: morbus pituitoſus fuerit: &, ſi nō purgata fuerit: febricitat, bile vehemēter cōmota. Seniores autē hic morbus magis inuadit, quàm iuniores. Quum ſic habuerit, ſi quidem vehementer intumuerit: pharmacum deorſum purgans bibendum dato, quod pituitam, & bilem purgat. Si verò non fortiter tumuerit, & pituita ipſam preſſerit; pharmacū ſurſum purgans dato; &, ſi quidem potēs fuerit; veratro purgetur; ſin minus; pharmaco, quod bilem, & pituitā. Poſt pharmaca verò ſerum coctum bibendum dato, per plurimos dies, cum modico ſale. Edat autem inſuper mētam. Ad veſperam cibum ne attingat: ſed modicum ſorbeat, & vinum dulce inſuper bibat; ſi opus habuerit. Si verò non affuerit ſerum; lac aſininum coquito, & exhibeto per quatuor dies. Ad veſperam verò eadem faciat; niſi febris noctu corripiat. Si verò natura fuerit lienoſa, aut flatuoſa, & exāguis: neque ſerum, neque lac bibat: ſed purgātibus inferne purgato: &, vbi tibi tempeſtiuum viſum fuerit: vteros colluito, primùm quidem medicamento ex vini fece bis, aut ter: poſt hoc ſcammoniæ ſucco. Affundito autem ad hunc, vinum dulce, heminæ Atticæ menſura, & olei narciſſini maxime, quartam heminæ partem. Poſtridie verò cum vini hemina colluito, & mellis quarta heminæ parte, & reſinæ tertia mellis parte. Oleum autem ſit mellei æquale. Si verò ea, quæ ab infuſa collutione ſecedunt, prodierint pituitoſa; etiam rurſus colluito, interpoſitis tribus, aut quatuor diebus: poſtea grani cnidij duas portiones decorticato, & ipſas infundito. Si verò nō affuerit cnidium granum; radicis thapſiæ potionem vnam infundito: & poſtea ijſdem colluito. Poſtquam autem purgata fuerint ea, quæ ſecedunt ad has collutiones, & ſi prodierit aliquid cruentum, velut ab vlcere; per acerba poſtea colluito: & ſi poſt hæc ipſa interrogata, dixerit os vterorum durum eſſe, & dolorem habere; eodem modo eo, quod paratur, cum butyro colluito, donec vteri fuerint reſiccati, & ſana eſſe videbitur. Diebus verò inter collutiones intermedijs, ſambuci fructum bibat, & leporis coagulum, & pepli corticem, & vrticæ ſemen, & mali punici dulcis corticē, ita vt de ſingulis pares portiones terat, & polentam ac, adiātum ammiſceat, & in vino nigro odorato ieiuna bibat. cibis autem vtatur mollibus, non ſalſis, neque acribus. Carnes autem præſtantiores ſunt piſcium, aut volucrium, aut leporinæ, & lauetur calida non multa. Si verò non quieſcat fluxus, ſed relinquatur, & vteri humeſcant; medicamentum ex malicorio ſuffito: & poſtea virum accedat: &, ſi in ventre conceperit, ſana euadit. At ſeniores à morbo leuari non poſſunt; ſed pereunt præ debilitate.

13 Fluxus alius. Fluit ſubluteum velut ex ouo, & viſcoſum, & venter imus intumeſcit, ac durus fit: &, ſi contingas; dolet, & dentibus ſtripet, & febris occupat: & dolor ad pubem, & ad pudenda, & ad imū ventrem, & ad lumbos irruit: & animi deliquium, & anxietates, & perfrigerationes, & ſudor multus, & pulſus ad manum accellerantes, debiles, deficientes: & ſtatim pereunt. Si verò ſuperſtes manſerit; & color ipſi mutatur, & fit velut fauus, aut cera: &, ſi corpus digito prematur, molleſcit, & notæ velut in maſſa farinæ ſuacta fermento imprimuntur: & pedes intumeſcunt, ac crura. Hic autem morbus fit maxime; ſi in ipſis aliquid dilaniatum fuerit, aut intus computruerit in partu. Seniores autem magis afficiuntur, & huiuſmodi morbus non eſt valde leuis.

14 Alius fluxus. Purgatur velut à carnibus aſſatis humor, & pudendum exulceratur, & ad quamcunque aliam corporis partem deſtillarit: & rigor, & febris acuta, denſa, magna, & ſimul horror corripit: dolores autem, quales in omnibus fluxibus. Hæc tota intumeſcit, & infra vmbilicum, & cruribus, & color fit morbi arcuati. Talis autem fluxus ex hoc fit. Poſtquā ſanguis exhauſtus; ſubbilioſus factus fuerit, & non fuerit purgatus. Quum ſic habuerit; pharmacum bibere oportet: ſi quidem fortis fuerit, ex veratro: ſi verò debilis; radicem, & elaterium, & poſteriore tēpore lac caprinum. Aut pharmacū deorſum purgans dato, quod bilem, & pituitam ducit. Vteros autē medicamento cum braſſicæ decocto parato colluito. Bibat autem ſaluiam, hypericum, apij ſemē, ſingula in vino nigro auſtero. Ieiunæ autem hæc bibenda dato. Si verò vlceratum fuerit pudendum, poſtea butyro colluito: deinde pharmacum bibendum dato, &

vlce-

vlcera butyrò, resina, myrrha, flore argenti illinito. Perluantur autem myrti, ac saluiæ ex aqua decocto tepido. Cibis vtatur neque salsis, neque acribus: vt ne mordax vrina fiat: & à marinis prohibeatur, & carnibus bubulis, & ouillis, ac porcinis. Alijs autem carnibus vtatur coctis. Edat etiam panem, & vinum vetus odoratum nigrum bibat. Si verò hæc fecerit, & sana non fiat: totam foueto, & postridie pharmachum sursum purgans dato: deinde intermissione facta, rursus quod infra purget. Et, si quidem mäserit fluxus post pharmaca; decoctum serum quotidie bibendum præbeto. Vesperi verò forbitionibus, & vino dulci albo vtatur. Si verò non assuerit serum: lac asininum coctum per dies quatuor bibat. Ad vesperam autem ijsdem vtatur. Postea per dies quadraginta lac bubulum calidum bibat, & per diem nihil edat, vt ita dicam: optimum enim hoc est: nam & purgatur, & nutritur, & fluxus obtunditur ab huiusmodi lacte. Vesperi verò cœnet carnem volucris modicam assatam & panem modicum subcinericium. Bibatque insuper vinum nigrum vetus vinosum, quandiu lac biberit: si multa prodierint, & acrimonia vexarit. &, si his factis in ventre conceperit; sana fit. Quæcunque verò seniores sunt, in his morbus quandoque reuertitur, & pereunt. Iuuenculis autem non est lethalis.

15 Diuturna porrò est sanioſi fluxus curatio, fluit autem talis subcruētus, velut à carnibus assatis humor, & mordet velut muria, & corrodit, ac exulcerat pudenda; & vterus exulceratur circumcirca, & femora, & aliæ partes: & vbi super vestes destillarit: tinguntur, & ægre elui possunt, & venter attollitur, ac durus fit, & ad contactum dolet; & calor corripit: & dolor ad pudenda & sedem, & imum ventrem, & laterum mollitudinem, & coxas, & lumbos irruit, & impotētia adest, & color mutatur, velut morbi arcuati. Si verò tempus, & morbus producatur: hæc omnia amplius corripiunt: & cauæ partes attolluntur, & pedes tument, & crura à lumbis. At hic morbus corripit; vbi quid de fœtu dilaniatum fuerit, aut in abortu, aut in partu. Oportet autem fomenta adhibere, & suffire, & bibenda præbere omnia ea, quæ fluxum sistūt; & lac asininū, & alia exhibere, & vomere, si opus fuerit. Si verò sine febre fuerit, & debilis febris habuerit; siccum fomentum adhibere melius est.

16 Quum ad caput conuersi fuerint vteri: & hac parte suffocatio desinit, caput grauat. Verùm alijs alicubi aliàs finis habetur. Signum autem hoc est. Venas in naso, & partes sub oculis dolere dicunt: & sopor altior tenet, & spumat, vbi leuius habuerit. Hanc multa calida lauare oportet. Si verò non obediat; frigida etiam circa caput, ita vt laurum, & myrtum in aqua coquas, ac frigefacias. Vnguento autem rosaceo caput illinatur, & odorata subter suffiantur: graueolentia verò sub nares: & brassicam edat, & succū forbeat. Si verò ad cor progressi vteri suffocent, & aer impeditus violenter attrahatur: anxia est, & vomit: & quibusdā statim tractus deorsum cedit, & flatus exit; & aliqua quidē vomit spumosa: alicui verò quies contingit. Quibus autem nō decedunt, his pori semen, & peplum trita & tribus aquæ cyathis diluta, bibenda dato. Auxiliatur, & aceti albi cyathus potatus. Aut iuniperi fructum & saluiam dato, aceto, aut vino ad has species ammixto. Oportet autem ipsam calefieri. Aut adipem sumere anserinum, & ceratum resinatum, ac picē, in ipso liquefacere, & subditicias glandulas efformare.

17 Quum autem ad præcordia allapsi strangularint, vbi hic fuerit affectionis soliditas; & vomitus seruidus acris corripit, & modico tempore mitior fit, & dolor ad caput & ad collum penetrans. Tepefactoria igitur apponito; si sursum strāgularint. Sub nares verò graueolentia suffito, sensim progrediēdo. Si enim aceruatim vteri infra decedunt; turba oboritur: odorata verò inferne: & castorium, ac conyzam bibenda dato. Quum verò deorsum tracti fuerint; abominanda subter suffito, sub nares autem odorata. Si verò dolores quieuerint; pharmacum deorsum purgās bibendum dato: & postea lac asininum, aut serum bibēdum præbeto; si non lienosa fuerit à natiuitate, aut exanguis, aut decolor, aut aurium sonitus habuerit, velut hæ, quibus propter cognationem morbi a iuuē tute sunt familiares. Aut supernum ventrem ne moueto: cęcucient enim, aut circa fauces turbationes, & alia infestabunt. Verùm ptisanæ succum dato. Si verò etiam valde facilis sit ad vomitū: vomat. Colluțio autem optima est ex narcisso. Subditițium verò id, quod ex cantharidibus præparatur.

18 Quum vteri apud præcordia constiterint: suffocatur velut à veratro, & recta ceruice spirat, & stomachus fortiter vellicatur. Quædā etiam vomunt quādoque saliuam acidam: & os aqua impletur, & crura perfrigerantur. Tales si non breui à præcordijs vteri discedant; loqui non possunt: & partes circa caput, ac linguam torpor occupat. Proinde ad vteros quidem lanā quammaxime fieri potest ad foramen apponito, ita vt pennæ obuolutam, vnguento albo, aut Aegyptio, aut Bacchario, aut amaracino tingas. In nares verò. de pharmaco nigro ad caput præparato, specillo exceptum infarcias. Si verò hoc non fuerit; silphij succo nares illinas. Aut pennam aceto tingito, & immittito, naresque illinito. Aut sternutatorium apponito. Quum autem conclusum fuerit osculum, & internus trames; castorium in vino bibendum dato. Nares verò phocę adipe illinito. Lanam autem appositam finito, donec confidant. Quum autem quieuerint, auferre oportet. Si verò ea ablata rursus recursarint; lanam rursus eodem modo apponere: sub nares verò cornu capræ nigrum, aut ceruinum suffire, scalptum, & in cinerem calidum insperſum; quò maximè suffumigetur: & nidorem sursum per nares quam maximè potest trahat. Suffito etiam phocæ adipem, prunis testæ impositis, ipsaque obuelata, & capite imminente, quo odor maxime ingrediatur, ita vt de adipe instilles, & ipsa odorē sursum trahat, os verò clausum habeat. Etsi quidem sursum allapsi fuerint vteri; hæc facere oportet.

19 Si verò ad hepar conuersi fuerint vteri; mulier derepente voce destituitur, & dentes conserti sunt, & color luidus fit. Derepēte verò hæc patitur sana existens contingit autem maximè virginibus antiquis, & viduis, quæ pepererunt aliquando, & viduitatem agunt. Maxime verò contingit omnino non ferentibus vterum, & sterilibus ex partu: non enim prodit puerperij purgamentum, & non intumescit vterus; neque mollitur, neque vomunt. Quum sic habuerit tumorem ab hepate cum manu infra leniter detrudito, & præcordia cum fascia deligato, & os aperito. Vinum verò odoratissimū dilutum infundito: quod,

an

do sanè etiam graueolentia ad nares adhibere, ac suffire conuenit: ad vteros verò odorata, & suffimenta. Et postquam sic curaueris; pharmacum deorsum purgans bibendum dare oportet, si quidem biliosa fuerit; quod bilem purgat: si verò pituitosa; quod pituitam. Et postea lac asininum coctum bibendum præbeto, & vteros odoratis foueto; & medicamentum quod cum bupresti præparatur apponito, postridie verò netopum. Interpositis autem duobus diebus, rursus vteros odoratis colluito: & postea intermisso die, aromatis suffito. Atque hæc vidua faciat. Optimum autem in ventre habere. Virginem verò persuadeto, vt viro cohabitet. Ad nares autem nihil adhibeto: neque medicamentum ieiuna bibat. Verùm castorium, & conyzã in vino odoratissimo bibat per dies viginti, & caput odorato aliquo ne vngat, neque aliquod odoratum olfaciat.

20 Si verò vteri inflammati fuerint circa latus: si contigeris, durum apparet: &, quum ad præcordia allapsi fuerint: strangulant: & vomit pituitam acidam, & dẽtes stupescunt: &, vbi vomuerit, melius habere videtur. Quum verò deorsum processerint, discedunt de ventre aliàs alio. Maximè verò ad laterum mollitudinem quandoque incidunt, & ad vesicã, & vrinæ stillicidiũ corripit: & ad sedem, & dacare sibi videtur: & menses prius aut posterius solito fiunt, aut nõ statim huic apparent. In hoc morbo si sursum strãgularint; tepefactoria apponito: & graueolentia ad nares suffito, ad vteros autem odorata: & conyzam fæminam, & castorium, in vino ieiuna bibat. Postquam verò ad naturam suam consederint; placide suffito. Bibat autem vrinam cientia. Atque hæc faciat quàmdiu dolores tenuerint. Vbi verò quieuerint: totam foueto. Deinde pharmacum deorsum purgans bibendum dato, si biliosa fuerit: quod bilem purgat: si pituitosa; quod pituitam ducit: & lac asininum bibendum dato, aut serum caprinum decoctum. Si vero lienosa fuerit, lac ne bibat, neque serum, & in purgationibus, cibis vtatur mollibus, & per aluum secedentibus: pisces autẽ meliores sunt carnibus: & vteros foueto. aut subdititiis purgato, ipsosq; colluito: &, vbi suffitum admisit, ad virũ accedat. Solutio verò morbi contingit; vbi in ventre conceperit.

21 Si vteri ad latera allapsi fuerint, tussis obtinet, & dolor sublatus: & insidet vterus durus velut pila: & ad contactum dolet, velut ab vlcere, & cõtabescit, & videtur ipsi peripneumonia esse, & cõtrahitur, & gibbosa sit, & menses non apparent; Aliquibus autẽ, quibus prius apparuerunt, etiam pereunt; &, si tunc prodeant: imbecilles sunt, & pauci, ac deteriores: & genitura nõ fit hoc tempore. Quum sic habuerit; pharmacum deorsum purgãs bibendũ dato: & multa calida lauato, & ex tepefactorijs quæcũque admiserit adhibeto: & à quibus sanguis purgatur ea apponito. Et lini semen torreto, tundito, ac cribrato: & peplũ albũ, & saluiam cum tenui polenta, & caseum caprinum muria derasa. Hæc misce, vt casei sint partes duæ, reliquorum verò, & polentæ nõ salsæ pars vna: & ieiunæ in vino bibenda dato. Vesperi verò cyceonẽ elassum melle affuso exhibeto, & ex potibus quemcunq; admiserit bibendum dato. Et frequenter fomentum admibeto: & calidã aspergito, & per ceratum leniter mollito, ac à latere detrudito, & latus fascia lata deligato. Et lac bubulum quàm plurimũ ad dies quadraginta bibendum præbeto. Cibis autẽ vtatur quam molliſſimis. Morbus hic vehemens est, & lethalis, & paucæ etiam si sic curentur; effugiunt.

22 Si verò in lumbis fuerint vteri, aut in lateris mollitudine, & spiritus sublimis iuerit, & suffocatio habeat, & anhelatio densa ipsam corripiat, & moueri non vult; sulphur, aut bitumen, aut cicutam, aut myrrham terito, & melle cocto affuso, glandulã longam efformato, accrassam, eamq; in sedem indito. Si vteri deuoluerint seipsos ad intermediam lumborum, ac coxarum partem; dolor habet imum ventrem, & crura contrahuntur, & iuncturas coxarum ad sedem dolet: & quum aluum exonerat, dolores emergunt acuti, & stercus cum violentia prodit exiguum, & vrina destillat, & pusillanimitas ipsam corripit. Quum sic habuerit, fistulam ad vesicã alligare oportet, & oleum calidum in vteros infundere, & fomentum adhibere, aut multa calida aqua lauare, & in oleum, & in aquam desidere: suffire autem subter pudenda, graueolentia: sub nares verò odorata. Postquam autem dolor quieuerit; pharmacum sursum purgans dato. Infernum verò ventrem turbare non oportet. Vbi verò vteri consederint; pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & lac asininum, si non fuerit lienosa. Postea fomenta adhibeto, vterosque aspergito: & subdititium purgatorium, quod cum lauro præparatur, & non mordet, apponito: deinde aromatis suffita, ad virum accedat: &, si in ventre habuerit: sana fit. Verùm pleræque steriles, & cruribus mutilanæ fiunt.

23 Quibuscunque osculum aliò inclinatur, & ad coxam allabitur; contingunt enim & hæc, quæ vterum purgari prohibent, & genituram suscipere, & liberos gignere; Hanc odoratis fouere oportet, & post fomentum, digito reuellere, & à coxa disparare: & postea tædulis, ac plumbeis fistulis immissis dirigere; non enim velociter cogi potest, velut dictum est. Quum autem ad naturalem situm redierit, & vteri aperti fuerint; subdititijs mollibus purgato, & alia conuenienter facito. Quibuscunque vteri ad coxam collabuntur, si non breui discedant, & rursus in locũ suum redeant; ad coxam reficcantur. Necessarium est autem osculum auersum esse, & in supernis detineri; quum verò auersum fuerit; concluſum esse; Ex auersione verò, ac concluſione, durum fieri, & mutilatum esse. Vbi verò vteri concluſi fuerint: mẽses sursum ad mammas delegare, & ad pectus ascendere facit; & imus venter attollitur, & inexpertæ in ventre se habere putant: talia enim patiuntur, qualia prægnantes, vsque ad septem, aut octo menses: & vẽter pro temporis ratione crescit; & pectora eleuantur, & lac innasci videtur. Quum autem hoc tempus præterierit, & mãmæ gracilescunt, ac minores fiunt, & venter idem perpetitur, & lac euanescit. Venter item eo tempore, in quo se parituram sperabat, euanescit, ac concidit. His verò contingentibus, vteri modico tempore fortiter contrahuntur, & osculum ipsorum reperire non datur, adeò omnia contra huntur, ac reficcantur; & in mammis tubercula fiunt dura, partim maiora, partim minora. Hæc autem non fiunt suppurata, sed semper duriora: deinde ex ipsis nascuntur cancri occulti.

24 Quum autem cancri futuri sunt; prius ora amarescunt, & quicquid ederint, omnia amara esse videntur:

tur: &, si quis plura dederit, accipere renuunt, & compescenda faciunt. Mente verò percelluntur, & oculi duri fiunt, & nō acute vident: & ex mămis dolores ad iugulum transiliunt, & sub scapulas: & sitis tenet: & mammę graciles, & ipsæ per totum corpus attenuatæ sunt: & nares siccæ, ac obstructæ sunt, & nō leuantur. Spiritus est imminutus, & nihil omnino olfaciunt: & in auribus dolor quidem non oboritur, verùm aliquando callosa concretio. Quum igitur ad hoc temporis progressæ fuerint, sanæ fieri non possunt, sed pereunt ex his morbis. Si verò priusquā huc perueniant, curatæ fuerint, & menses soluti fuerint, sanæ fiunt. At verò curare tales oportet hoc modo. Primùm quidem omnium si adhuc fortem assumpseris, reliqui corporis respectu habito, quacunque tandem purgatione opus habere videtur, medicamentum exhibeto. Vbi verò corpus præparaueris, sic ad vterorum medelam procedito. Si verò totum corpus minime mouendum esse videatur, neque morbi causæ hinc proficisci, verùm vteri à seipsis morbum habeant, cura hoc modo auspicare. Primùm quidem vteros sic foueto. Ollæ duas sextulas capienti operculum imponito, ac adaptato, vt nihil prętergpiret: deinde verò operculi fundū pertundito ac foramē facito. In foramen autem arundinem indito longitudine cubitalē. Oportet autem arundinem operculo probe adaptari, vt penitus nihil prætergpiret. Quum autem hæc paraueris; operculū ollæ obdito, lutoque oblinito: & vbi hæc feceris, fossam duorum pedum altitudine effodito, ea magnitudine, quæ ollam capere possit. Postea verò ligna immissa vrito, donec fossa ab igne excandescat. Quod vbi factū fuerit; ligna, ac prūnas quæ crassissimę, ac ignitę fuerint, eximito: cinerem verò, ac faullam in fossa relinquito. Quum autē olla efferbuerit, & vapor sursum processerit, si quidem valde calidus fuerit vapor; abstineat: si verò non summæ arundinis parti insideat, ipsamq; in vteri stomachum indat, atque sic fomentū admittat. Si verò perfrigeretur; prunas ignitas adijcito, cauendo, vt ne acutum fomentum facias. Si verò adiectis prunis, acutum fiat fomentum; magis, quàm conuenit prunas detrahito. At verò hoc fomentum clementi cœlo parare oportet, vbi ventus non afflarit, neque perfrigeret. Ipsam autem indumenti obuelatam esse oportet. Cæterùm in ollam allium siccū inijcere oportet, idque magis comminutum quàm ea quæ sunt contusa, & aquam affundere, quo ipsum permadescat, & aqua tribus digitis ipsum excedat: & phocę oleum superfundere, atque sic calefacere, ac fomentum adhibere per multum tempus. Post fomē tum verò si potens fuerit; lauetur toto quidem corpore ad voluptatem, lumbis autem, & partibus infra vmbilicum amplius. In cœnam porro dato mazam, panem, & allium coctum. Postridie verò si quidem exoluta fuerit; à fomento; eam diem intermittito: sin minus; rursus fomentum adhibeto. A fomento verò si considerare hoc potest, osculū contingere iubeto, num fomentum ipsum vteros flatu implet: si enim flatu implentur, osculum ex valida auersione, & ad coxam allapsu magis dirigunt, ac aperiuntur. Tanquam igitur tale sit fomentum, & hæc facere possit, sic fouere oportet. Quum autem fomentum adhibebis; allium inijcere oportet, & phocæ adipem superfundere. Atque hoc faciendum est, donec vteri videbuntur inflati, & osculum fortiter sursum tractum nam ad hoc fomentum talia contingent. Post fomentum verò diætam constituito, velut priusquam fouebatur.

25 Quum verò commoti fuerint vteri, ac facile solubiles fiant; fœniculi radicibus foueto, & aliam ollam eodem modo præparato. Radices autem fœniculi elotas contungito, & in ollam mittito, & affusa aqua eodem modo fomentum facito: postea verò lauato: & ad vesperam mazam cœnet. Si verò panem voluerit; & bolbidia parui polyporum generit, & sepiolas paruas, in vino, ac oleo coquito, & edenda dato. At inter fomenti adhibitionem, osculum contingere coneris, an fomentum vteros propinquissime adducat. Hos fouere oportet ad dies quinque vel sex, hominis consideratione habita: & si quidem exoluatur, ac debilis sit; differre ad sufficiens tempus. Si verò non exoluatur; fouere per omnem diem. Post fomenta verò, subdititia apponere conare, ex albicante tæda pinguissima. (Illitio autem sit oleum:) facito autem hæc longitudine quidem digitorum sex: numero verò quinque vel sex, figura verò in angustum abeunte. Sit autem alterum altero paulò breuius; crassitudo verò eius quod crassissimū est, sit digiti indicis, & forma similis digito, summa parte tenuissima, in processu verò crassior. Hęc autem leuissima, ac rotundissima facito, cauēdo ne vlla adsit fissura. Apponat autē primum id, quod tenuissimum est: & vbi apposuit, quiescat, obseruās ne excidat. Apponatq; primum summam partem: deinde semper amplius, simulq; obtorqueat, ac circumcirca tædā intro trudat: &, vbi parum susceperit; in hoc paruo se contineat, cauendo ne excidat. Postea rursus eodem modo intro trudat; donec quatuor digitorum mēsura intra osculum vterorum recipiatur. Quum autem hoc susceperit; alterum postea apponat simul, vt prius in situm aufert, quo priusquam osculū conniueat, recipiatur: dum adhuc rectum est & apertum. Hoc autē ita continget; si alterū eximatur, alterum autem indatur. Oportet autem & plumbum simile figura crassissimæ tędæ formatum intrudere, quod cauum sit; quò continere quid possit: plūbi verò amplitudo sit talis fabricata, qualis in vlcera impellitur, ita vt os ipsius leue sit, & non sauciet: formato autem hęc velut etiā subdititia ex tædis. Quum autem factus fuerit huiusmodi plumbeus penicillus, adipe ouillo trito ipsum expleto: &, vbi ita præparatus fuerit; tædam quidem subtrahito, plumbum autem indito. Si verò plumbū appositum ardorem exhibeat; plumbum quidem detrahito, tædam verò rursus apponito. Et plumbum in aquam frigidam immergito, & postea rursus apponito, & tædam eximito. Semper autem aliquid appositum esse oportet, & interdiu quidem melius est tædam habere, noctu autē plumbum. Si verò surgere voluerit, cū cautione hoc faciat; quò penicillus intus quiescat: sin minus; statim rursus subdatur. Si verò ex tædis appositis nullam susciperit: tenuiorem facito, donec susciperit, ex his ad illa transeundo, & obedientes vteros faciendo.

26 Si verò neque osculum aperiri poterit, neque vteri prope accesserint; rursus ad veterem medicinam reddito, à prima ad secundā, donec molliscant, & propinquissime accedāt. Et postquam aperti fuerint; subdititia facta apponito. Sint autē magnitudi-

ne oliuæ. Horum autem alterum appositũ sit donec liqueſcat,& deinde alterum apponito. Quum autem apponere voles; ipſum ſubditicium medicamentum ex reſina præparatum, in oleum roſaceum aut irinũ tingito:nam alias ab oſculo vterorum recedit. Prius tamen plumbum appoſitum eſſe oportet; quò rectò oſculo,in internam oſculi partem attrahatur. Poſtea verò mollitoria apponito. Lauet autem calida,& ante,& poſt ſubditicia medicamenta. Et in cœna exhibeto quid ex relatis marinis. Exhibeto autem duobus, aut tribus diebus ab appoſitione, conſideratione habita an oſculum vterorum bene habeat,& purum ſit. Quod ſi eſt;ab hoc ſubditicio quieſcito. Poſtea verò mollitoria apponito.

27 Quum verò inflammatum fuerit os vterorum,rurſus eodem modo pharmaca apponito, reliquaq; facito iuxta relatum modum. Vbi verò probe habuerit corpus;velut dictum eſt,ſufflato. Sed & oſculum, & vteros ſufflare oportet ſic. Subditicium factum cũ ficu apponito,duo autem ſubditicia facito:& antequã ſubdas, fomentum adhibeto ex fœniculo prius relatum. Poſtridie verò poſt fomentum,apponito medicamentum: & quum apponere voles, præ omnibus ſubditicijs, vbi prius laueris ipſam ita apponito,poſtera autem die mollitoria auxiliantur,quandiu inflãmati fuerint. Poſt inflammationem verò alia facito, iuxta priorem rationem: facito item de hoc ſubditicio talia,qualia de priore. Et ſi quidem in menſe ſemel appoſitum, ſatis videbitur inflaſſe vteros; quieſcito. Si verò aliqua opus habuerit;rurſus apponito eodem modo,quo prius. Poſtea verò vbi bene habere tibi viſa fuerit,& tempeſtiuum eſſe: fomẽtum ex ſuffimentis præparato.

28 Præparatur autem hoc modo. Cyperũ tuſum præparato teſtæ conchæ menſura,& calamum vnguentarium eadem menſura,& iunci vnguentarijs tantũ dem:cardamomi tantundem. Cumini item Aethiopici,& aniſi,& rutæ ſiccæ,& hyperici ac fœniculi ſeminis. Quum autem hæc præparaueris;vini auſteri albi odoratiſſimi heminas ſex in ollam infundito, & de contuſis quadrãtem inſpergito ac permiſceto. Deinde vnguẽti Aegyptij optimi,aut amaracini,aut irini, trium obolorum pondus affundito, permiſceto,& molli fomento plurimo tempore foueto. Ante fomentum verò lauato,& duos aut tres dies foueto. Quum autem foueri deſierit; operculum quoddã fomento imponere oportet,vt ne tranſpiret. Poſtea vero cẽdis & plumbis vtere. Quum autem duobus,aut tribus diebus fomentum adhibueris; alias duas, aut tres intermittito. Intermedijs autẽ diebus bis in die lauato. Edat porrũ coctum,& crudum,& raphanos, & naſturtium,& allium aſſatum,ac coctum;& potus ſit meracior:& marinis prędictis vtatur. Quum verò intermedij dies præterierint; rurſus fouere oportet, ita vt modicum de ſingulis contuſis ad prius fomentum inſpergas & vinũ inſuper affundas, ſi opus eſſe videbitur, itemque oleum,atque cũ hoc foueas. Poſt quam autem fomenta bene habere tibi viſa fuerint, & oſculum molle eſſe,ac apertum,velut cõuenit, & ipſi vteri prope; poſtera die à fomento, pharmacum quod cum myrrha præparatur,apponito: ſint autem appoſititia duo poſtridie verò poſt purgationẽ, mollitoria ſubdito,quandiu vteri,fuerint inflammati. Poſtea verò tedis,ac plumbeis penicillis vtere. Poſt hæc intermiſſis diebus quotquot viſum fuerit, reſpectu ad inflammationes vterorum habito,& virium corporis coniectura facta,rurſus,velut ſcriptum eſt,refoueto: ſi quidem prius fomentum adhuc ſufficiens eſſe videbitur,coniectis ad hoc ſuffimẽtis velut prius, & vino,ac oleo affuſo. Si verò inutile eſſe prius illud fomentũ videatur;aliud ex integro præparato. Oportet autem hoc pharmacum renouare in ſingulis adhibitionibus,quandiu ſubcruenta purgantur. Si verò talia purgata fuerint;quieſcat. Dięta porrò hoc modo conſtituatur. Interrogato in quibus diebus menſes ipſi prodierint, & ab his initio facto, hanc diætam præſcribito. Primùm quidem multa calida lauetur,capite excepto. Quum autem ceſſauerit;caſeum acrem,& rutam,vino nigro pari aqua temperato diluito,& poſtea polenta inſperſa,ſtatim ex balneo bibenda dato: deinde prandium tempeſtiue exhibeto. Eda autem mazam,aut panem, & porrum coctum, aut crudũ,& de huiuſmodi omnibus acribus præſcriptis,& aliquando leguminis fracti decoctum: ſpumã autem ne detrahito,& ſilphium multum,deraſum addito,ac multa allia incoquito. Obſonijs autem vtatur piſciũ, chartilagineis omnibus coctis aceto mulſo,dulci,aut fauorum cremore cocto,bolbidijs,polypodijs,in vino,& oleo:& ſilphij ſemen tritum bibat: & quam plurima tum in prandio,tum in cœna edat. Lauetur autem poſt cęnam;quum requieſcere volet. Hac diæta ad dies quinque,vel ſex vtatur. Poſt hos dies, mane ieiunæ ſambuci fructus baccas ſex,in vino meraco dato, & ſepiæ oua decem aut duodecim. Hæc trita ſimul mane ieiunæ bibenda præbeto. Poſt hoc verò pharmacum potionem dato. At,vbi interquieuit;lauetur. Si autem potio,ruta,& caſeus,atque ſic prandeat præſcripto modo. Serius autem cœnet: & ſemper bis in die lauetur. Hæc autem diæta ad dies tredecim, aut quatuordecim procedat. Quum verò hi dies præterierint; catapotia ex ſucco ſilphij fabæ magnitudine formato, atque hæc primũ dato. poſtea verò alia præſcripta facito. Quum autem dies tranſacti fuerint vigintiquinq; in hac diæta;reliqua quidem facito eodem modo. Ante prandium verò vbi prandere volet; alij ſegmẽta quatuor,& caſeum acrem tali magnitudine terito, & polentam modicam ammiſceto,ac maſſam efformato, eamque primum edendam dato. Ante cœnam verò meracum abſorbeat,atq; ita cibum capiat. De cætero verò eadem diæta vtatur. Quum autem nouem dies reliqui fuerint ad tempus menſium;primum hoc dato; cum ouis & ſambuco, cuminum Aethiopicum, & caſtorij obolum. Vbi verò duo dies reliqui fuerint;ab his omnibus potionibus,ac catapotijs abſtineat. Verùm pharmacum cum tæda pręparatum ieiuna vbi lauit: ſumat. Poſt medicamẽti verò potum, mercurialem, & braſſicam ſimul in aqua cocta dato, cũ aceto mulſo dulci, aut fauorum cremore cocto, ſale, ſilphio, & oleo condita. Atque hæc in prandio edenda præbeto,& ſuccos ſorbendos: & potum meraciorem bibat. Obſonijs autem vtatur polypodio cocto,aut ſepiolis:& hæc quidẽ in prandio. In cœna verò ſumat carnem caprinam,aut ouillam, aut agninam percoctam: & porrum,& alia acria, quæcunque voluerit. A cœna verò lauetur. & hæc ſit diæta poſtremis duobus diebus. Si verò ex hac diætà menſes non fuerint detracti; ſequenti menſe eandem diætam ab initio

repe-

repetito, vsque ad postremos duos dies. In quorum priore appositicia facta apponat, iuxta superiorem rationem, ex pharmaco cum tæda facto. Apponat autem prælota. Verùm considerare oportet etiã vteros quomodo habent, quo semper omni tempore bene habeant, & os rectum, ac apertum sit: &, si ita visum fuerit, ante appositionem fomenta adhibeto. Quòd, si eruperint menses, si quidem frequentes fuerint; paucioribus lauacris vtendum est: & reliqua diæta, ac curatione: si verò pauciores; pluribus. Si verò significationem de se præbuerint: rursus eadem diæta vtendum est, aut curandum, donec menses apparuerint. Quum autem semel talibus prodierint; optimũ fuerit in ventre concipere. Atque hæc est omnium huiuscemodi morborum curatio.

29 Si vteri contingant coxam, & incumbant; dura, ac solida fit coxa ad lateris mollitudinẽ, & dolores imi ventris: & ad ipsam lateris mollitudinem, & lumbos, ac crura dolor incidit, ac extenditur: & suppurantur, & linamentis opus habent, & pereunt, nisi quid feces, aut vras. Quum sic habuerint; pharmacum deorsum purgans bibendum dato: & multa calida lauato, & vteros foueto, ita vt vrinam veterem in pelum infundas, ac feruefacias, & supra ipsius cauitatem mulierem colloces vestibus contectam, vt ne præterspiret: & si frigefiat vrina, ferri igniti frusta in vrinam immittas, & fomentum facias, donec se obscure videre, & animo deficere dixerit. Lauato autem calida aqua, & postea digito contingens os vterorum ad sanam coxam trahat: & noctu mollitoria apponat. Postquam autem dixerit directum esse; facto prius cũ odoratis fomento, rursus mollitoria quædam apponito: imò & plumbeos penicillos per triduum, singulis diebus vnum: post hos verò bryoniam albam, aut scillam per triduum. Postea verò consideratis mensibus disce, an bilios sint, aut pituitosi, aut an sanguis sit corruptus. &, si opus fuerit ipsi sanguinem purgare; quocunque maxime opus habere tibi visa fuerit, id apponito. & postea cum eiusmodi colluito. Apponito autem subdititia medicamenta; donec sanguis purus educatur, & hoc per triduum facito: deinde ceruinum adipem liquatum, molli lana eo imbuta apponat. Postea per diem pulegium subdat: & aromatis suffita sic ad virum accedat.

30 Si verò ex partu morbus fiat; vbi ex vrinæ fomento penitus purgata est, statim ad odorata accedat: & postea lota, oleum album Aegyptium ad sanam coxam apponat, & super hanc decumbat. Si verò neque ad hęc trãsmoueantur vteri; ieiuna pæoniæ grana nigra quinq; in vino odorato bibat. Et in cibo sumat allia cruda, & assata, & cocta. Obsonijs autem vtatur pauciſſimis. Si verò sana non fiat; similiter ipsam purgato, velut in priore dictum est. Cęterùm in hoc morbo, si nõ statim in ventre habuerint; steriles fiunt. Si verò sic habuerint, mẽsesq; non fiant, neque febrilis calor corripiat; primùm pharmacis sursum maxime purgato: si verò debilis fuerit; deorsũ. Et post pharmaci potionem, si pituitosa esse visa fuerit; vomat ieiuna, & accepto cibo: & plerunque sana fiet.

31 Si vteri ad coxam decurrerint; menses crassi existentes non prodeunt: verùm dolor ad imum ventrem procedit, & ad lateris mollitudinẽ, & morsum percipit. Quum sic habuerit; multa calida lauato, & allia plurima edenda dato, & lac conuenienter bibendum: deinde vinum meracum: & totam foueto: & pharmacum sursum purgans exhibeto: si verò debilior fuerit; infra. Si verò curata fuerit; vteros cũ feniculo foueto, & absinthium ammisceto. Postquam autem recens fota fuerit, os vterorum sensim cũ digito ad sanam coxam detrahito, ita vt & ipsum os, & partes circumcirca affectas leniter mollias. & mollitorium quoddam apponas, & postea plumbeos penicillos, & mox scillã: deinde narciſſinum vna die interposita. Quum verò pura esse visa fuerit; netopum apponat in lana; & postridie oleum rosaceum. At mẽsibus prodeuntibus melius est non apponere. Si verò non prodeant; cantharidas quatuor sine alis, sine pedibus, & sine capite, & pæoniæ, grana nigra quinque, & sepiæ oua, & apij semen modicum, in vino bibat. Et, si dolor affuerit, & vrinæ stillicidium vexarit: in aqua calida desideat: & aquam mulsam aquosam bibat. Si verò non purgetur; rursus pharmacũ bibat. Si autem purgatio prodeat; ieiuna cum viro coeat. Si verò non prodeat; dato, quod detrahat ipsam, respectu ad vires mulieris habito: & tunc tutum est, vt ad virum accedat: si enim in ventre habuerit; sana euadit. In purgatione verò si multa prodeat; mercurialem edat, & polypos teneros coctos, & cibis mollibus vtatur.

32 Si puerperæ vteri in coxã incubuerint, aut ad lateris mollitudinem; ad alteram coxã oleum Aegyptiũ album, aut rosaceum apponito. Sed & in sanam coxam decumbere melius est. Bibat autem pæoniæ grana nigra quinque, & sambuci fructus in tedis cõchæ testam maiorem, & castorium magnitudine fabæ. Et cibis vtatur mollibus. Cõuenerit autem mercurialis antè cibum, cocta velut brassica. Sorbeat autẽ & ipsam decocti aquã: & acria comedat, exceptis raphano, & cepis, ac nasturtio. Optima est & lactuca.

33 Quot verò morbos ex vteris fieri contingit? Dico autem cum vteri ex loco moti fuerint; aliò alias allabuntur. Ad quemcunque verò locum allapsi fuerint, dolores ingentes incũbunt. Et si quis vesicã cõtingat; dolorem exhibent: & vrinam non suscipiunt, neque genituram in seipsos trahunt: & ambo dolent: &, si non celeres solutiones fiant; vteri postea suppurantur iuxta eosdem locos, si ad ipsos decurrerint. Cõtingit autem hoc & in laterum mollitudine, & in inguinibus, & super pectine. Cæterùm in principijs quũ dolor habuerit; sic curare oportet, & tepefactoria adhibere, & in aqua calida sedere; bonum enim & hoc est; aut spongijs ex calida aqua expressis fouere: & pharmaca vteris commoda bibere. Si verò ad hæc nõ soluatur: pharmaco sursum, aut deorsum purgare, vtro tandem opus fuerit: cognosces autem id hoc modo. Si enim ad inguina, & pectinem, & vesicam irruerint; hæ purgatione sursum opus habent: si verò ad laterum mollitudinẽ, & præcordia; hæ pharmaco deorsum purgante indigent. At verò huiuscemodi morbi omnes senioribus magis, quàm iunioribus fiunt, ad menses suppressos: fiunt etiã iuuenculis, vbi multo tempore viduæ manserint. Si verò ad sedem conuertantur vteri; fecessus recrementa impediuntur, & dolores occupant lumbos, & imum ventrem, & intestinum rectum, ac podicem. Quum sic habuerit, calida ipsam lauare oportet, & lumbis fomentũ adhibere, & postea graueolẽtia subter suffire, & apponere, quæ purgant, & impellunt vteros; &

bibenda dare quæcunque libenter admiserit ex maximè conferentibus.

34 Si verò incũbant in inguina, & vrinæ meatus; dolores fiũt fortes, & torpor in cruribus: & vrinæ meatus obturatur, & vrinam non emittit. Curare verò oportet hoc modo. Ad nares quidem odorata apponito, & vnguenta. Ad vteros verò graueolentia suffito. Porrò omnis occasio vteros propellere potest, si quid mali habeant: nam & à frigore pedum, ac lumborum, & à saltatione, & terrore, & lignorum sectione, & cursu ad accliuem, ac decliuem locum, & ab alijs multis propelluntur. Proinde hæc considerare oportet, ad totum corpus respectu habito, quum præsentes morbi affuerint: propter talia enim omnia necesse est plus, aut minus ægrotare: & postquam hæc reluxerint; maximè hac parte repentini morbi manifesti fiunt. Quum igitur hęc aduenerint; penitius ex tota homine deprehendere oportet: nam quæcunque perfrigerationes crurum, aut stupefactiones ex frigore fiunt, hæ omnes etiam in vterorum morbis vteros eleuant. In talibus itaque aquam calidam affundere oportet vteris, & circũsitis locis: & ipsos, ac crura excalefacere, quum allapsi fuerint.

35 Si circumuersi fuerint vteri ex partu ad dextram partem, & puerperi purgamenta non fiant, & dolor imum ventrem habet, & lumbos, & laterum mollitudinem: & dextrum crus grauatur, & torpor occupat, & non tremit, & osculum vterorum contingere non potest, sed ipsos leues, ac fortiter planos deprehendet. Quum sic habuerit: pharmacum bibendum dato, à quo sursum, ac deorsum purgetur, magis verò deorsum: & totum corpus foueto, & præsertim vteros leniter: & calida his in die lauato: & ex potibus quemcunque libenter admiserit, experimento facto præbeto; & viro frequenter condormiat, & brassicam edat. Si vteri ad sinistram partem, aut coxam declinauerint: dolor acutus, ac vehemens habet lumbos, & laterum mollitudines, ac ipsum crus: & claudicat. Quum sic habuerit, pharmacum infra purgans bibendum dare oportet, & postera die suffire hoc modo. Ordei chœnices duas, & oleę folia parum confringito, & gallam contundito, ac cribrato, & hyoscyami tertiam chœnicis partem. Hæc mixta, & olei hemina dimidia subacta in olla noua, per dies quatuor suffito. Nocte verò lac bubulum, & mel, & aquam bibat: & calida lauetur.

36 Si vteri transuersim situm habeant, & obliqui fuerint, itemque os ipsorum menses ipsi partim occultantur; partim prius conspicui euanescũt: & nõ similes fiunt, sed deteriores, & pauciores, quàm antea: & genitura non fit hoc tempore: & dolor habet imum ventrẽ. & lumbos, & coxam, & ipsa attrahitur. Quũ sic habuerit; pharmacum infra purgãs bibendum dare oportet: & calida lauare, ac fouere. Vbi verò recẽs fota, & lota fuerit: digito immisso os vterorum corrigat, ac dirigat; & odoratorum suffitum admittat: & ex potibus dato iuxta experimentum, quem libenter susceperit. Cibis autem vtatur mollibus, & allia edat cruda, ac cocta, & cum viro dormiat: & in sanam coxam decumbat. Alteri verò fomentum adhibeat. Morbus autem hic ægrè cedit.

37 Si verò propinquissimi fuerint vteri, frequẽter vomat. Vteros autem graueolentibus suffiat; donec in locum suum firmati fuerint. Diæta verò ventrem non emolliente vtatur. Si vteri extra naturam progressi fuerint: febrilis calor habet pudendum, & imum ventrem; & vrina frequenter, ac paulatim destillat; & pudendum vehementer mordetur. Patitur autẽ hæc; si recens ex partu viro condormierit. Quũ igitur sic habuerit; myrti baccas, & loti ramenta in aqua coquito, & aquam per noctem sub dio exponito, atque sic frigidissimam pudendo affundito, & leuiter trita hæc apponito. Postea aquam lentium cũ melle & aceto bibens vomat; donec vteri fuerint retracti. Sed & lectum à pedibus altiorem facere oportet: & pudendum graueolentibus suffire, nares autem odoratis. Cibis verò vtatur molliss imis, ac frigidis; & vinum aquosum album bibat, & ne lauetur, neque cum viro coeat.

38 Si penitus ex pudendo exciderint vteri: dependẽt velut scrotum; & dolor corripit imum ventrem, & lũbos, & inguina: &, quũ tempus processerit, nõ volunt in suum locum redire. Morbus autem hic corripit: quum recens ex partu laborarit, aut fatigata fuerit, vt vteros contactu læserit, aut cum viro coiuerit in puerperiorum purgatione. Quum sic habuerit; frigefactoria mitigantia apponere oportet ad pudendum; & quod extra propendet depurgatum, mala punico in vino nigro cocto abluere, & intro protrudere; deinde mel, & resinam pari vtriusque portione colliquare, & in pudendum infundere. Et decumbat supina pedes sursum extentos habens. Postea spongias apponat, & ad lumbos deliget. Quandiu verò sic habuerit; à cibis quidem abstineat, potu verò parcissime vtatur, donec septem præterierint dies: &, si quidem sic obedire voluerint, & redire; satis sit; sin minus; summas vteri oras derasas, & ablutas, picato cerato illinito. Deinde pedes ad scalam deligato; vt caput deorsum pendeat, & manu intro detrudito. Postea lauato, & crura ipsius vicissim colligato. atque sic per noctem, ac diem finito; & modicum ptisanæ succum frigidum dato: aliud autem nihil. Postera verò die reclinato, & cucurbitã quàmmaximam ad coxam affigito, & multo tempore trahere finito: &, vbi ipsam detraxeris, ne scarificato, sed reclinatam si nito, & nihil præter succum ptisanæ exhibeto: donec septem præterierint dies. Si verò sitis vexet; modicũ aquæ bibat. Quum autem septem transierint dies: cibis molliss imis, ac pauciss imis vtatur. Vbi verò ventrem exonerare voluerit: decumbens id faciat, donec quatuordecim prætereant dies: deinde tepidis fomentis colluatur; melius autem est calida velut ex sole: & quàmparciss imè deambulet, & ne lauetur. Ventrem autem ne solueris. Cibis verò pauciss imis vtatur, neque acribus, neque salsis: & pudendum graueolentibus suffiatur: & postquam obambulare inceperit, subligar gestet.

39 Si verò extra pudendum os vterorum exciderit, vt pote ceruice vterorum prope pudendum sita, & ampla existente; (fit autem hoc magis sterilibus, contingitque maximè ex fatigatione: quum mulier laborarit, & vteri calefacti fuerint, ac exudarint:) tunc euertitur os ipsorũ per ceruicẽ, vt quod in humidiore, ac lubriciore, & calidiore sit loco, quàm in priori tempore, & vbi hoc contigerit, procedunt vteri foras ad frigus, et osculum ipsorũ euersum prodit. Et si quidẽ breui curata fuerit, sana fit: verũ sterilis penitus relinquitur. Si verò non breui: osculum durum semper

ipsi

ipsi extra erit,& fluet illic aliàs,atq; aliàs sanioſus humor viſcoſus,ac graueolens. Et ſi mẽſes prodierint,ſi adhuc eius ætatis fuerit;in lecto decumbet. Temporis autem progreſſu huiuſmodi morbus incurabilis fit, & conſeneſcunt vteros foris habentes.

3 Si verò vteri extra ꝓminuerint;ablutos ipſos aqua tepida, oleoque,ac vino illitos rurſus indito, ac deligato,& graueolẽtia ſubter ſuffito: ſub nares autẽ odorata. Si verò multo tẽpore vteri promineant,& ſtupide perfrigerẽtur; multam calidam aquam affundito; quò refocillentur. Si verò iam inflẽtur;etiã aceto ad aquam ammixto foueto. Sitque hæc aqua aut lauri, aut myrti decoctum, & leniter protrudito,& cerato vnguento illinito. Et ſi paruerint,ſatis eſt:ſin minus; cum aqua abluito, & aceto modico tepefacto perfundito: deinde illinito. Vbi verò conſederint;ablutos velut dictũ eſt indito,& alia prædicta facito. Oleum verò ne adhibeto, neque aliud pingue, aut pinguitudinem habens. Si quid ex oſculis vteri complicatum fuerit; menſes non fiunt,aut pauci, & praui, ac dolorifici: &,cum viro condormierit; dolet: & quicquid vir immiſerit ex coitu,exit,& contingi nõ vult,neq; attrahit genituram. Et dolor habet imum ventrem, ac lumbos, & os vterorum ad contactum non comparet. Quum igitur ſic habuerit;vrina veteri foueto: deinde vomat à lentis decocto, melle, & aceto ammixto. Poſtea aqua calida lauetur. Deinde oleo albo Ægyptio in phialam argenteam,aut æneam infuſo,& ſale addito contecta phialæ inſideat. Et, ſi quidem odor olei per os ipſi penetrarit;ipſam parituram eſſe,& poſtera die ſanam fore pronuncia,ac confidere iube:&,vbi dormire volet;oleum Ægyptium in lana apponat. Poſtridie verò cõſideret,an os vterorum magis ſit directum:&,ſi eſſe dixerit;per triduum odoratis foueto,& ſubditicia,quæ non mordeant, apponito,purgatoque,& cum odoratis,ac mollibus poſtea colluito, totidem diebus velut prius. Quum autem menſes prodierint; ieiuna, & illota, aromatis ſuffita ad virum accedat. Pleræque verò ex hoc morbo ſteriles fiunt;ſi non curatus fuerit.

41 Si vlcerati fuerint vteri,& extreme foras proceſſerint:oleo illitis manibus indito:& myrrhæ puræ pilulas tres deuorandas præbe:& laurum viridem tritam bibat vino dilutam.& ſic ſana fiet. Si in arctum contracta fuerit pudenda: ſubditicium apponito. Aniſi videlicet ſemen, et apij tritum pudendis ſubdito. Si uteri non in loco manſerint,ſed modo huc, modo illuc tranſierint, ut dolores exhibeant, et nunc inconſpicui fiant,nunc exeant uelut ſedes:et quũ quidẽ ſupina fuerit:in loco maneant:quũ uero ſurrexerit, aut ex ſomno expergiſcatur, aut ſe inclinauerit, aut aliũ quendam motum fecerit: exeunt:ſæpe uerò etiã dum quieſcit:hanc quàmmaxime quieſcere,et nõ moueri oportet:et lectum à pedibus ſternere altiorem,et uomitibus uti: oportet enim ipſos ſurſum reuellere, et acerbis perfundere, et graueolentia ſubter ſuffire: ſub nares autem odorata. Et ex malis punicis quodcunque maxime conuenerit, et nihil impedierit, in medio per umbilicum perforatum, in uino tepefactum, quàmpeniciſſime ſubdito: deinde lata faſcia deligato, ac circundato, ut ne elabatur: ſed maneat, et quod opus eſt, faciat: et de peplo, cum caſeo, et polenta bibendum dato, quemadmodum ſupra in allapſu ſcriptum eſt: et de potionibus experimento facto, quamcunque maxime admiſerit,bibendam præbeto. Cibis autẽ molliſſimis vtatur, & cum viro ne dormiat: donec ad locum ſuum redierint.

42 Si vteri exciderint: hederam ſicciſſimã tritam,ac linteo illigatam apponito: & nihil pingue adhibeto. In potu autem exhibeto triticum recens, & peplum album,& ſaluiam,& cyperum,& aniſum:Hæc trita vino diluta,cum furfuribus ordei bis in die dato,pro vice heminam dimidiã.Si ad crura,& pedes vteri cõuertantur; cognoſces ſic. Magni pedum digiti conuelluntur ſub vngues,& dolor habet crura,ac femora,& incumbit,ac premit neruos circa femur. Quum ſic habuerit; multa calida frequẽter lauare oportet, & fomentum adhibere ſi ferre poterit, & graueolentia ſubter ſuffire. Et femora roſaceo oleo inungat.Si verò loqui non poterit; crura derepente frigida repereris,& genua & manus: &, ſi vterum contigeris; non in ſuo mundo eſt:& cor vibratur,& dentibus frẽdit, & ſudor eſt multus, & alia quæ à ſacro morbo correpti patiuntur,& quæ ab aure exſudant. His frigidam aquam multam affundere oportet ſuper crura,& manus,& alia facere velut prius dictum eſt.

43 Si commoti vteri aliquo allapſi fuerint, & dolorem exhibuerint; oleæ ſcabiem, & lauri, ac cupreſſi ramenta in aqua cocta,lana excepta ſubdito. Quum mulier recens enixa, onus maius, quàm pro natura leuarit,aut timuerit, aut ligna ſecuerit,aut cucurrerit, aut alia quædam huiuſmodi fecerit; vteri excidunt ob hæc maxime:aliquando verò ad ſternutationem: non enim violatur,ſi per vim ſternutans, non apprehenderit nares. Proluere itaque aqua tepida vteros oportet: deinde betæ ſucco feruefacto ſimiliter: poſtea vino nigro meraco. Si verò non obediat; mollitoria facere oportet. Verùm hæc facere oportet,priuſquam perfrigerẽtur,& leniter introindere: deinde crura extendere, ac ſubalternatim ponere, & molle quiddam ipſis ſupponere: à potu verò coerceri oportet tales quàm maxime, & ventrem cuſtodire,vt ne exturbetur: Naribus autem odorata adhibere. Huiuſmodi verò poſtea ſi non quieuerint, ſed moueantur:veratro purgare oportet. Et,ſi non ſatis fuerit;etiam vomitus facere,& nõ lauari,tacereque, ac quieſcere.

44 Si inflati fuerint vteri; venter attollitur, & inflatur,ac ſonitum edit: & pedes,& cauæ faciei partes intumeſcunt,& color deformis fit. Et menſes occultantur.& genitura hoc tẽpore non manet intus:& anhelat,ſpumatque,ac anxia eſt: & quum expergiſcitur è ſomno;recta ceruice ſpiratio ipſam corripit:& quicquid ederit,aut biberit, ipſam moleſtat, & ſuſpirat, ac triſtatur magis, q̃ priuſquã edit: & ſuffocatur,& nerui contrahuntur. Et vteri,ac veſicæ dolent,& manus contactum nõ admittunt:neq; lotium emittunt, neq; genituram ſuſcipiunt. Quum ſic habuerit:pharmacũ deorſum purgans bibendũ dato:& calida lauet ac frequenter inſideat toto corpore. Quandoq; etiã vſq; ad vmbilicum fomentum adhibeto:& interpoſito tẽpore ea apponito,à quibus purgetur,& nõ mordeatur. Suffumiget autem odorata ſubter pudenda: ſub nares verò graueolentia. Et potiones dato, quæ vteros purgant, & ad locum impellunt. Et mercurialem edat. poſtea lac bibat, velut de latere ſcriptum eſt. Morbus autem hic non eſt diuturnus.

45 Si velut in callum indurati fuerint vteri;& oſcu-

lum exaſperatur,& menſes occultantur. Quum autē prodierint;aſperi apparent velut arena. Si verò etiā digito contigerit;os vteri aſperum cōperiet,& ſemper velut callus accreſcit. Quum ſic habuerit;cyclaminum terere oportet, & ſalem, ac ficum ſimul miſcere, & cum melle glandulam efformare, ac ſubdere:& fomento adhibito,purgantibus eluere. Edat autem mercurialem,ac braſſicam coctam, & ſuccū ſorbeat:itemque porrum,& calida lauetur. Si verò velut in callum indurati fuerint; & menſes obtorquentur,& oſculum ipſorū clauditur, & non concipit,& velut aliud quid eſt:& ſi contigeris, velut lapis illic eſſe videtur: & eſt os aſperum, ac multis radicibus præditum,& non leue aſpectu: & qui ipſum conſiderat,digitum intromittere non poteſt:& febris circū frigerans corripit,& fremitus:& dolor vteros habet & imum ventrem,& laterum mollitudinem, ac lumbos. Patitur autem hæc; ſi ipſi corrupti menſes computruerint; quandoq; verò etiam ex partu,& frigore,aut mala diæta,& aliter. Medicamentum igitur bibendum dare oportet, & multa calida aqua lauare. Oleo item vtere,& fomentum adhibe. Quum autem recens lota,aut fota fuerit; ſpecillo immiſſo aperito, & os ipſorum dilatato, idemq; cum digito ſimiliter efficito:& mollitoria,velut dictū eſt apponito: & potiones ſimiliter bibendas dato,& eodē modo curato.

46 Si verò obdurauerint vteri;oſculum ipſorum durū fit,& clauditur, & menſes non prodeunt,ſed pauciores & deteriores: & dolor incidit, & febris, & rigor corripit circa imum ventrem,& lumbos, & laterum mollitudinem. Quum ſic habuerit;multa calida lauato,& tepefactoria adhibeto,ſi dolor habuerit; & vteros multo tempore cum aqua decocti cucumeris ſylueſtris foueto: deinde mollitoria apponito. Atque hæc per triduum facito. Et ſi ex contactu oſculum vterorum molle apparuerit; ex crudo lino tres penicillos ſuppuratorios indito, primum tenuem, ſecundum paulo craſſiorem. Craſſiſſimus autē ſit magnitudine digiti parui,lōgitudine verò quinq; digitorum ita vt hos adipe anſerino illitos ſubdas. Sed & vbi fomentum adhibueris ex odoratis; glandem mollitoriam apponito;aut nitrum tali magnitudine illitum, vt ne ſauciet: non enim pungere oportet: & appoſitum ſit ad duos dies. Decedit autem velut cortex, & pellicula craſſa. Intermiſſis verò tribus diebus,cyclaminum cum narciſſino ſubdito. Si verò hæc non purgarint;cum multa conſideratione apponito id,quod cum bupreſti paratur, & appoſitum maneat per diē: & vbi fortiter momorderit;glandem extrahat,& pudēdum colluat cum aqua calida, & in oleo inſideat. Poſtridie verò lota,ceruinum adipē liquatum,& molli lana exceptum apponat; & ſi tibi adhuc purgatione opus habere videatur: tribus interpoſitis diebus id, quod cum narciſſino paratur, ſubdito, poſtridie autem netopum:deinde rurſus tribus diebus interpoſitis vteros odoratis & pinguibus colluito. Poſtridie verò pulegium per vnum diem apponito:& ſequenti die cum aromatis ſuffito,ac foueto. Vtatur autem cibis acribus,marinis,aut carnibus. In menſibus verò caſtorium bibat: & ieiuna illita, ſuffita, & cyceonem bibens ad virum accedat.

47 Si verò os vterorum non ſuſcipiat genituram, ſed durum fuerit, ac cōcluſum;plumbeum pennicillum apponat,velut dictum eſt per triduum,vbi calida lota eſt:& mollitorijs vtatur, & ſupina decumbat:& in aquam calidam inſideat, & lanam vnguento imbutam apponat. Verùm noctu magis apponere oportet. Iuxta coxas verò veſtes laneas,aut lineas molles ſupponat;vt ne corpus in alterutram partem dilabatur. Vtatur & ſubdititijs mollib. ex myrrha pinguiſſima,pice,cera,& adipe anſerino. Sit autem myrrhæ dimidium,reliquorum verò duplum, & lana ſubdat. Duo verò ſint ſubdititia quorum alterum lota per diem ſubdet, alterum per noctem, donec molle factum fuerit: & vbi hoc detraxerit;aqua odorata colluatur. Aut cnidia decorticata quindecim,& Indici medicamentum aliquantulum, ſi ita viſum fuerit, in lacte mulieris maſculum lactantis terito, & cerui medullam, & alia quæ dicta ſunt, ac modicum mellis ammiſceto. Sit autem lana,qua hęc excipiuntur,mollis,& pura,& ad diem ſubdat. Si verò fortius facere voles;myrrhæ harum quid ammiſceto. Optimum autem eſt oui candidum, & adeps caprinus, & mel, & oleum roſaceum. His ammiſcere farinam, & tepefacere ad ignem oportet,& quod deſtillat,lana colligere,ac opponere. Aut adipem rubrum anſeris aromatibus conditum,& vnguentum roſaceum,permixta, lana excepta apponito. Pręſtat autem anſeris adipem, & adipem ouillum,ceram albam,reſinam,netopum, oleum roſaceum,hæc ſimul liquare,ac miſcere. Vbi verò lota eſt; hæc tepida intro ad vterorum oſculum apponat. Aut cerui medulam, & anſeris adipem liquato, & roſaceo, aut irino oleo ammixto, in valde molli lana apponito.

48 Quum mulieri vteri duri facti fuerint, & ad pudenda exierint; dura fiunt inguina,& ardor in inguinibus eſt,& omnia cancerantur. Quum igitur ſic habuerit; cucumeris ſylueſtris internam partem, & ſauum terito,& aquæ hemina affuſa in ſedem infundito,& purgatur. Si os vterorum durum fiat,& ceruix, præ ſiccitate,& morbus leuiter hæſerit;ex digiti cōtactu cognoſces: & ſi ad coxam deuoluantur; nihil acre adhibeto. Si enim exulceretur, aut inflammetur; periculum eſt,ne penitus ſterilis fiat. Verùm apponito ea,quæ non mordent,à quibus purgetur. Quū verò duri fuerint vteri,& ſic doluerint,ſubdititia apponito,velut eſt cerui medulla,aut anſerinus vel ſuillus adeps, & vnguentum irinum cum melle:& oui luteum,ac ceram albam, velut cataplaſma emollito, & ordeaceam, aut triticeam farinam, cum aqua,& ruta coquito.

49 Si vteri concluſi fuerint;oſcula ipſorum dura fiūt, & genituram non amplius ſuſcipiunt; ſed ſtatim,vbi cum viro condormierit, dum crura mouet; exit: & dolores imum ventrem, & lumbos, & inguina occupant;& menſes omnino non prodeunt. Si verò eant; pauci,& praui,ac decolores prodeunt. Quum ſic habuerit;multa calida lauato. Poſt balneum verò caſtorium cum pæoniæ radice,in vino nigro odorato permixta bibenda dato. Cibis autem velut puerpera vtatur;&, ſi manifeſti fuerint menſes; diem vnam intermittito, & totam faueto, & pharmacum potandum dato, ſi adſuetæ fuerint; ſurſum purgans,aut ſi egere viſa fuerit deorſum. Lac itaque aſininum,aut ſerum exhibeto: & leniter foueto, & mollitoria vtero apponito,& cyclaminum & narciſſinum. Cucumerum verò paruorum ſylueſtrium internam partem ſumito, & ex diuulſis ſemen eximito, ac lacte mulieris

maſcu-

maſculum lactãtis affuſo terito, myrrha pura, & melle optimo ammixtis, oleoque Aegyptio albo: & ne liquidum facito medicamẽtum, ſed ſiccum: atq; hoc in lanam mollem pura infarciat, & in oleo Aegyptio albo tingat, & lota apponat. Subligetur autem & ſub tecto maneat; quum purgatur. Poſtquam autẽ ſufficiẽter habere tibi viſa fuerit; quieſcat: ſin minus: rurſus aliud apponat. Poſtea verò obuolutam lanam mollem, rotundam faciat, & netopum immittat, & diem vnam ſubdat: poſtridie verò oleum roſaceum itidem in lana: deinde rurſus cerui adipem, etiam ipſum liquatum in lana. Lauetur autem calida aqua ſemper ante ſubditi tiorum appoſitionem. Et odoratis leniter foueatur multo tempore. Poſtea verò vna interpoſita die, colluito: ſi quidem pituitoſa fuerit; eo, quod cum grano cnidio paratur: ſi verò bilioſa; eo, quod cum ſcammonia: poſt hæc ambo, poſtridie etiam narciſſino cum vino dulci colluito. Si verò narciſſinum non fuerit; cum anthino, aut irino quàmoptimo. Sit autem olei tertia vini pars: deinde interpoſitis duobus diebus; id quod cum pulegio præparatur vnum diem apponat. Si verò prodierint menſes; ieiuna per triduum bibat caſtorium, cum vino odorato albo: vbi verò deſiuerint menſes, & ſtabiles fuerint; lauetur: & aqua frigida perluta, cyceonem bibat non falſum. Cibum autem ne contingat: & cum viro dormiat duobus aut tribus diebus. Quanto verò tempore purgatur, mercurialem in aqua coquens, vbi cocta fuerit exprimat, & allium, ac cuminum, & ſalem ſubterat, & oleum his ammiſceat, & modico ſucco affuſo feruefaciat. Atque hoc edulium ante cibos edat. Allium item coctum, ac aſſatum quàmplurimum accipiat. Si verò mercurialis non fuerit tenera; tritam cum braſſica coquere oportet, & condire, & lenis erit: &, ſi in ventre conceperit; ſana euadet, & omnia ipſi iuxta ornatum procedent.

50 Si os vterorum concluſum fuerit; fit ſpiſſum velut groſſus: &, ſi digito cõtigeris; deprehendens durum ac conuolutum, & digitum non admittit: & menſes occultantur, & genituram nõ ſuſcipit hoc tẽpore: & dolor habet imum ventrem, & lumbos, ac laterum mollitudinem. Quandoque verò etiam ſurſum aſcendit, & ſuffocat. Quum ſic habuerit; pharmacũ deorſum purgans bibendum dare oportet, & multa calida lauare, & apponere ea, quæ os molliunt: & ſpecillum immittere ac aperire, itemque digitum, & ſimiliter leuigare: quum autem molle fuerit; apponere ea, quæ ſanguinem purgant: & potiones exhibere, & experiri, vt præbeas quodcunque aliud libenter ſuſceperit. Braſſicam autem edat, & ſuccum ſorbeat. Si vteri concluſi fuerint, & menſes non apparuerint; colocynthidem ſylueſtrem, & ſilphij ſemen, & cuminum Aethiopicum, & nitrum, & ſalem Thebaicum, & adipem renalem, & farinam, & myrrham, & reſinam, omnia ſimul feruefacito, & trita mixta, & in glandem efformata apponito.

51 Si grumoſi facti fuerint vteri; os ipſorum velut eruo plenum fit: &, ſi contigeris; videbis ita habere: & menſes non fiunt neque genitura intus manet. Quandiu ſic habuerit; cyclaminum cortice detracto, & allium, & ſalẽ, & ficum, ac modicum mellis, terito, miſceto, ac glandem formato, & ad os vterorum apponito. Itemque alia ſubditi tia, quæ acria ſunt, ac corrodunt, & à quibus ſanguis purgatur: & de potionibus dato eas, quæ vteros purgant. Si vteri præter naturam hiarint; menſes plures prodeunt, & viſcoſi, & frequenter: & genitura intus non manet, & oſculum hians eſt: & fieri nõ poteſt, vt genituram attrahat: & febris, ac rigor corripit infernum ventrem, & lumbos. Morbus autem corripit ex fluxu ſanguineo: fit & quum menſes ſuppreſſi derepente eruperint. Dæ tæ itaque ratio prius relata eſt. Oportet autem ſubditi tijs curare, in principio quidem purgatorijs, ſimulque mollibus: deinde leniter adſtringentibus: & partes infra vmbilicum per ſpõgias fouere, cum myrti, aut rubi aqua, aut ex oleę, aut roſarum, aut ęnanthes, aut vitis foliorum decocto.

52 Si os vterorum hiarit amplius, quàm in menſibus ſolet; menſes ita fiunt plures, & deteriores omnes, & liquidiores, & per longius tempus: & genitura non attingit, neque manet, ſed rurſus exit: &, ſi permanſerit; oſculum comperies diſparatum, & impotentia præ menſibus obtinet: & leuis eſt, ac debilis vterus, & vlterius procedit: & vires laxantur: & febris debilis, ac rigor, & dolor habet imum ventrem, & laterum mollitudinem, ac lumbos: patitur autẽ hæc maxime; ſi quid in ipſa corruptum computruerit, ac cõpactum fuerit. Quædam verò etiam ex partu patiuntur: alię etiam aliter. Quum itaque ſic habuerit; pharmacum bibendum dare oportet: & facilius iudicabitur: & ſi dolor habuerit; tepefactoria adhibeto, & frigida lauato, ac intermiſſione facta colluito. & ex potionibus dato quæcunque maxime libenter admiſerit. & ſuffito ea, quæ reſiccant, & polypos edat, ac mercurialem.

53 Si verò non concluſi fuerint vteri, velut oportet; in aqua deſideat, in qua cocta ſit myrtus, aut lętiſcus aut vitis, aut oleæ folia, aut roſarum. Diæta verò ſit, quæ relata eſt in rubro fluxu. Optimum verò ipſi auxilium eſt ſitis, frequentes vomitus, & prohibitiones balneorum. Quum vteri magis, quàm conuenit fuerint aperti, & non concluſi; & purgatione opus habent, & collutionibus, & ſuffimentis. Si verò menſes effloruerint; plures fiunt, & deteriores, & liquidiores, & frequentes. Et genitura non manet intus, ſed quando illi prodierint; perit. Et ſi os contingas digito, comperies ipſum leue. Et impotentia ipſam præ menſibus corripit. Et febris, ac rigor obtinet: & dolor imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem corripit, maxime ſi quid in ipſa corruptum cõputruerit, itemque ex partu, & aliter. Quum igitur ſic habuerit; curare oportet, vbicunque tandem dolor fuerit, velut in ſuperioribus ſcriptum eſt.

54 Si vteri inflammati fuerint; menſes obtorquẽtur, & ceruix multis tenuibus venulis, ad telarum araneę ſimilitudinem variegatur. Et febris eſt acuta, & mentem percellens, & menſes praui ac pauci ipſi comparent. Et quum ieiuna fuerit; vomitus quidam ipſi ſuperuenit: quum verò quid comederit; reuomit. Et dolor occupat imum ventrem & lumbos & animo linquitur: & per totum corpus perfrigeratur. Venter autem nunc durus, nunc mollis eſt, & incenditur, & attollitur: & putat ſe in ventre habere. Quandoque verò ventis moles vacua apparet, & aluus aqua impletur, & vmbilicus prominet, & oſculum gracile fit, & derepente apparent menſes ſtridentes, & pauci, ac praui: & attenuatur circa clauiculas, & collum: & pedes intumeſcunt, & præſertim pedum extremitates.

Quum

Quum sic habuerit;pharmacum infra purgans bibēdum dato:& subditicijs vtatur,& fomentis vteri foueantur odoratur.Per diem verò plumbeis penicillis vtatur: & ante appositionem aqua calida nō mordenti colluito, & post appositionem hoc infuso colluito. Cnestri duas potiones in aquæ hemina coquito, & aquam excolato, ac infundito, oleo narcissino, aut anthino ammixto.Post hæc tres dies intermittito: deinde cum eo,quod cum aceto paratur,colluito: & ante cibum, mercurialem cum aliquantulo vino coquens edat velut brassicam: & succum sorbeat, Si verò permanserit; pharmaca bibenda dato, à quibus aqua de vteris purgatur. Cibis autem vtatur panibus,& oleribus coctis,flaccidis: marinis autem potius,quā carnibus: aut extremis partibus coctis,flaccidis. Et laboret quamplurimum & ante,& post cibū & quàmminimum lauetur frigida: & à dulcibus,ac pinguibus omnis generis arceatur, Diebus autē purgationum intermedijs, adiantum bibat ieiuna in vino diluto. At morbus hic lethalis est,& paucæ effugere possunt; si non in ventre conceperint.

55 In vterorum inflammatione menses obtorquentur,&,quum ieiuna est,vomit.Vi verò comedit,dolet habet imum ventrem,& lumbos.Et totus venter modo durior,modo mollis fit, & non valde cōsidet. Aluus magna fit,& non purgatur: & sibi prægnans esse videtur,& patitur quæcunq; prægnantes perpeti solent.Et si ventrem contigeris;leuem comperies tumorem velut in vtre: &,quum partus tempus esse visum fuerit; vteri concidunt,& menses pauci,ac deteriores fiunt. Huic pharmacum deorsum purgans bibendum dare oportet: & purgatoria apponere. Purgata verò sana euadit.

56 Si inflammatus fuerit vterus; vellicatur. Si verò quid corruptum fuerit,ac vitiatū recruduerit;febris corripit acuta,& magna, & horror durus,partes circa pudenda:& horribiliter afficitur,& mordetur,& concitatur: & si quis digito contingat; rursus peius habet:& pungitur,& caput dolet,ac sinciput:& caligo adest,& sudor frontis. Extremæ partes perfrigerantur,ac tremunt.& sopor profundus aliquando occupat,& audire non potest:neq; reliquus sensus operatur.Fastidium cibi est multum,& stomachus,& vēter omnino non continent cibum:& vociferatur,& exilit,& pectinem dolet,et inguina,et lumbos,et occultos pudendi locos,et cito moriuntur. Si verò dolores ad extremam debilitatem deduxerint;spongijs calidis ex aqua,et oleo expressis foueto:& subditicia mollia apponito,medullam cerui, adipem anserinū, et ceram albam,et oui luteum Aut ceratum picatum cum resina subdito. Vino verò,laut lacte caprino purgato,aut volucris iusculo. Vinum autem bibat,et pti sanæ succum sorbeat.

57 Ad dolorem vterorum medicamentum infusile. Si dolor solum fuerit,vehemens,et violentus; caligo in vteris inest,et flatus non exit, sed isthic manet malum.Oportet igitur sic curare. A triplicis syluestris semen,et betas simul trita,ac tepefacta,in vteros infundito.Aliud dolores vterorum sedans. Vini suauissimi pari aqua temperati tres semicongios. Atticos sumito,et fœniculi radices ac seminis eiusdem trientem, et olei rosacei heminam dimidiam. Hęc in ollam nouam immittito,et vinum superfundito: deinde foueto. Apponito autem et scillam, donec osculum molle factum fuerit, & adlationem idoneum, ac apertū. Et,quum in purgatione pustulæ circa osculum vteri exortæ fuerint; sic curato. Carnem bubulam, cum butyro, aut adipe anserino,& anisō tritis illine,& ipsam carnem in pudendum inde.

58 Si ignis sacer habuerit vteros; intumescunt pedes, & mammæ,& corpus:& dolor ipsam corripit: & recta ceruice spiratio fit,& dolet laterū mollitudinem, & partes sub ventre, & pectora, & caput: & tremor occupat,& torpor:manus,& inguina,& poplites tremūt.Quandoq; verò & in poplitibus liuidæ fiunt,& modico tempore melius habent ex hoc colore. Maximè verò mammæ attolluntur iuxta gentilitatis cognationem. Attamen non valde dolet & febris,ac rigor corripit,& facies rubicunda fit,& sitis fortis est, & hepar resiccatur.Hęc si prægnanti acciderint;moritur,& non poterit effugere. Si ignis sacer in vteris fiat;tumores fiunt liuidissimi,à pedibus exorsi vsque ad crura tota, & ad lumbos. Quanto verò tempus amplius progressum fuerit;etiam pectus percipit,& intumescit,& tota perfrigeratur, & febris habet magna, & rigor superuenit & spiritus densus, & animi deliquium, & debilitas, & color totius corporis, & tristatur,& mente variatur. Et affectio ascendit ex inferno ventre ad lumbos, & ad dorsum,et præcordia, et pectora, et collum, et caput, et stomachū,et mortua esse videtur. Quum autem dolor solutus fuerit; torpor habet lumbos,& inguina,& crura:& in poplitibus liuores: fiunt,& modico tempore melius habere sibi videtur:deinde rursus affligitur:& corpus pustulis completur, & rubores conspicui, ac manifesti faciem occupāt: & guttur siccum est, et lingua aspera. Hic morbus si prægnantem inuaserit; occidit: sin minus; medelam adhibere oportet, & lac asininū bibendum dare,ac purgare. Si verò sic non soluatur ventrem mollibus frigefactorijs perfrigerare,& subditicijs non molestis, & leuibus paulatim purgare, itemque vomere. Ad hoc commodum est sambuci folia sumere cocta,cum origano, aut thymo, aut ruta.Si verò febris dimiserit;etiam vinum,ac cibos dulces dato.Veruntamen paucæ curantur.

59 Aqua intercus si in vteris fiat,menses prodeūt arenosi,et aquosi,et non valde cruēti. Intumescit et vterus, et venæ, et propinquissimæ partes: et prægnans fit:deinde suffocatur,et mammæ fluunt, et imus venter durus est,ac intumescit,et omnis circumcirca locus,et dolet,si quis ipsum attingat. Et febris,ac stridor dentium corripit, et dolor vehemens laterum mollitudinem,ac lumbos: et semen in somnis effundit,et peius habet. Hanc calida lauare oportet,ac tepefacere: pharmacum autem bibēdum dare, et cum debilibus fouere: et cyclamini obolos tres in linteo deliget, ac apponat, et cupressi succum in aqua madefaciat,ac cantharidas eadem terat,et modico tempore apponat, et per multum temporis interuallum. Efficax est.Subditicium.Cuminum chemæ mensura, vua passa alba. Aliud.Vrticæ semen,ari radix. Horū quodcunque voles leuiter apponito:vbi verò expurgaueris, colluatur ita vt detrahas, et cum infuso pudenda colluas: et simul cum viro dormiat: et si fœtū ad partus tēpus gestarit; tota expurgatur, et sana fit.

60 Alia aqua intercus vterorum. Subcruentum quiddam fluit sanioſum, et purgatur, et mordet valde,et vlcerat pudenda velut muria, et circumsitas partes,

quo-

quocunque destillarit vlcerat, & color est morbi ar cuati. De cætero verò purgatur copia velut in alijs fluxionibus. Morbus autem hic & debilior est, & aliquando lethalis, fit si vteri egressi fuerint. Hanc curato velut eam, quæ à fluxu albo vexatur: & lac asininũ bibendum dato, & extenuato, & prædictis pharmacis curato. Eclegma, quod delingitur ad aquam intercutem. Si aqua ex vteris fluat; sulphur, & anseris adipem delingat.

61 Si ventus in vteris fuerit; flatus exit, & stridet, & tota intumescit; & febris habet, & ardor: & ad hæc valde exilit præ dolore: & virum nõ admittit, & valde ægre fert coitum, & erigi nõ potest, & velut onus graue ipsi in vteris iacet, & caput dolet, & anxia est, & loqui non potest. Si verò dolor accesserit; clamat, & dolet omnia, & lumbos, & pubem, & sedem: & vrina supprimitur, & venter suffocatur, & mori cupit: & præcordia distenduntur: & stomachus mordetur: & os amarum est: & vomit acida & pura ac meraca: & frequenter ructat, & melius habet: sin minus; intumescit: &, si attigeris; renittitur, & dolet. Proinde vterum cum aqua mulsa, & aceto mulso ac oleo colluere oportet. Et cuminum, aut anisum tritum, sumere, & lini folia terere, & gallinaceum adipem cũ ouis in aqua infundere. Subdititij verò, ac potionibus vtere, quæ ego describam. Desideat autem in oleo calido, & aromata in ipsum immittito iunci odorati florem. Aut in aqua lauri, aut marina desideat. Optimum autem est mollibus infusis ventrem purgare, aut glandem apponere, quemadmodum puero venter soluitur, lanam illotam cum melle. Si verò antiquior fuerit; cepam in oleum, aut mel tinctam apponito. Aut taurinum fel, aut nitrum cũ melle. Aut mali punici accidi nucleũ, cũ melle, & ordeacea farina.

62 Si mola ipsa innascitur, à crassa genitura intus retenta; thymbram tritam in aceto & aqua, liquidã bibendam præbeto. Aut hyosyami semen tritum: & cum muria, ac silphij succo, & aceto colluito. Aut si opus fuerit cum aqua. Optimum verò est aquam mulsam infundere, cum aqua lentium, aut erui, aut floris violæ. Si verò purgata fuerit à talibus, quæ sunt velut, igne ambusta; myrtũ coquito, ac perluito, & myrrham, ac netopum cum lana apponito. Si ventus in vteris fuerit, ac momorderit, & quà transit colorem facit, & præ ardore intumescit, & dolet, & virũ auersatur, & coitum valde ægre fert: & tenditur, ac intumescit pecten, & erigi non potest, nec dirigi. Quum sic inueneris; scito, quòd ventus, & genitura in vteris est, & propterea nunc ægrotet. Accipe itaque mel, ceram, lini folia trita, & adipem gallinaceum, & hęc in vino odorato tepefacta per clysterem in uteros infunde. Apponat autem folia lini. Aut semen lini tritо, & in lanam inuoluito, & ad os uteri apponito: sin minus; efficaciore vtere. Irinum, & crocum, & lini folia, & adipem gallinaceum terito & lacte muliebri diluta, rasura de tenuibus linteolis derasa excipito, ac illigato, & ad uteri osculum apponito. Et, si pinguitudo carnosior enascatur; quod consumat, indito, & mediocriter attenuato. Quæ enim ualde attenuantur, raræ fiunt, & abortiunt.

63 Si verò genituram non suscipit uterus sed dimittit, & calorem in seipso non habet; instrumentum parare oportet, cui insidens uaporem intra uterum recipiat, ita ut uestes circumcirca ponantur. Suffire autem oportet casiam, cinamomum, myrrham, singulis pari portione uino siræo siue sapa subactis, & super prunas coniectis. Modice verò lauetur, & modice cibum sumat. Opitulatur & subdititium huiusmodi. Myrrham mollem cum melle efformato. Sit autem oblonga uelut glans: & sæpe hæc facito uirium respectu habito. Prosunt & pelecini in frumento nascentes, cum myrrha triti. Mel quoque coquito, & cum tædis agitatum permisceto, & fabæ Aegyptiæ magnitudinem apponito: fel item taurinum, & rhoem rubrum pari portione. Conyza herba est similis apio crispo, nascitur autem prope mare in locis arenosis, odor uerò eius ægrè tolerari potest. Hanc cum melle. & uino apponito. Aut bulbion (conspicitur autem in tritico, maxime Aegyptio) acre simile cumino Aethiopico: hoc & allium, & nitrum simul apponito. Verùm antea lauetur.

64 Quum mulier caput dolet, et sinciput, ac collum, et uertigo præ oculis obseruatur, et timet, et tristis fuerit, et urinæ nigræ, et similia etiam per uterũ prodeunt, et anxietas, ac mœror ipsam tenuerit; atra bilis in uteris inest. Curetur autem sic. Cucumeris syluestris anniculi internam partem, fel tauri, florem æris, cum bacchare terito, et subdititia formato, et pharmacum bibendum dato, ac lauato. Quum uerò mulier uteros mordetur, et dolet, lancinaturque, et bilem flauam mingit: et uterus hiarit, et oculi fuerint uelut morbo regio affectorum; scito, quòd bilis in uteris est. Quapropter optimum est expurgare totum corpus, et ipsos uteros subdititijs, quæ bilem educunt. Quum uerò perfrigeratur uterus, et onus insitum esse uidetur, et color non est clarus, et compactus est uterus: quum sic habuerit; purgare oportet cum eo, quod pituitam ducit, et attenuare, ac frequenter uomere.

65 Quum mulieri male oluerit ex ore, et gingiuæ nigræ fuerint, ac prauæ, caput lepores, et mures tres seorsum exure, et ex duobus moribus uentrem exime, hepar autem, et renes non: et in pila lapidea marmor, aut lapidem album tere ac cribra: deinde singulorum partes portiones miscere, ac dentes confricare oportet et locos in ore: et postea lana succidissima fricet, et cum aqua colluat. Tingat autem lanam succidam in melle, et confricet dentes ac gingiuas, et internas ac externas partes. Terat item anisum. et anethi semen, et myrrham pondere duorum obolorum, atque hæc in uini albi meraci hemina dimidia diluat, et cum his os colluat, et multo tempore in ore cõtineat. Hoc autem frequenter faciat, et ieiuna gargarisset, et post cibum. Optimum uerò est modico cibo uti, et optima quæque ingerere oportet. Hoc pharmacum dentes purgat, et bene olentes facit. Vocatur autem Indicum medicamentum.

66 Quum mulieri mamma aspera facta fuerit; ficbes, aut rubi fructum, cum aqua, et oleo coquito, et cataplasmate facto mammas integito, et betæ folia superponito: deinde ex linteo uelut pileum consuito, et magnitudine ut mammam capiat, atque sic mammam indito. Si uerò suppuretur; secato, et ex lana succida linamentum siue penicillum immittito, et eadem superponito. Postea uerò ex lenticula cocta cum polenta permixta, cataplasma adhibeto. Si in pudendo mulieris, aut intestino recto ascarides nascantur, uiticis semen, aut folia, cum fellis bubuli obolo permiscentur,

scentur, & oleo cedrino subiguntur, & lana sucida molliſſima excipiuntur. Induntur autem tertio quoque die per noctem, ac diem. Postridie verò vbi amouit; calida lauetur: & allium coctum, ac crudũ edat: & ascarides exeunt, ac moriuntur. Muria verò etiam colluere oportet.

67 Ad faciem ornandam. Hepar tauri terito cum oleo illinito autem cum vino meraco. Fel autem furfures exterit. Sed & ptisanæ succus similiter illustrat, & ouorum candidum: & farina lupinorum, & erui, cum ficis in cataplasmate adhibita. Et brassicæ radix, ac semen. Hæc etiam lentigines tollunt. Itemq; alcyoniũ. Et, si puluis faciem læserit, ceratum liquidum ex rosaceo præparatum sub linito, & aquam frigidã affundito. Et rugas leuigat hoc. In pila lapidea plumbaginem terito, & mẽstrua ex situ aqua affusa pastillos formato, qui vbi resiccati fuerint; oleo dilutos rugosæ faciei illinito. At, si capilli defluant; ladanum cum rosaceo, aut anthino vnguento terito, & cum vino illinat. Aũt terram cimoliam cum vino, aut rosaceo, aut omphacino, aut acacia. Si verò calua facta fuerit; cuminum impone, aut raphanum tritum. Aut cum cepa confricet, aut cum beta, aut vrtica.

68 Cæterùm solares appellatas maculas tollit, erui decoctum, betæ succus, ouorum candidum, ptisana, cucumeris syluestris radix sicca, cum vini fece trita, ac illita: Aut fici folia adhibita: Item sesamo trito fricari, aut amygdalis amaris: & vrticæ semẽ, & alij cortex superligatus, & lepidium. Impetigines omnes extrahit. Acetum, manna thuris, pumex, sulphur cum aceto, nasturtium syluestre vstum, & in cinerem redactum, viperæ exuuium, rumicis syluestris radix. Teratur autem cum aceto vinoso. Si verò postulæ emergant; etiam spuma argenti vtere.

69 Potio ad fluxum rubrum commoda. Cornu cerui vstum, ad duplum crudæ ordeaceæ farinæ ammisceto, atque hæc in vinum pramnium inspersa bibat, & sistitur. Alia. Adianti radicem tritam, & cicer torrefactum, & lentium farinã ex melle bibat, aut velut potum exhibeto. Aut farinæ tritici recentis acetabulũ, gummi albi dimidiam, mannæ thuris tertiã partem, & iunci odorati parũ. Aut de pinu, vel cupresso aqua dilue, & bibendum præbe. Bibat autẽ in die. Aut cornu cerui comburito, ac terito, & crudam ordeaceam farinam cum cedri baccis quinque, & vinũ austerum nigrum cum tẽdis ammisceto. Aut mali punici dulcis assati succum, cum vino nigro bibat. Aut cupressi baccas tres, aut quatuor: & myrti baccas nigras, & simul, & ipsas per seipsas, ad robur corporis mulieris respectu habito. Cum vino verò potio fiat. Aut castorij obolum in vino nigro austero terat ac bibat.

70 Potio ad fluxum, & omnes morbos qui ab vteris fiunt. Pœoniæ semen & radice, cuminum Aethiopicum, & melanthium in vino albo exhibeto. Aut ferulæ rasæ acetabulum, & porri succum, in vino albo diluto. Hoc etiam ex naribus manantem sanguinem sistit. Aut malum punicum in vino nigro coquito, ac decorticato, & interna in vino nigro terito, & cũ polentæ farina exhibeto. Aut linum, vel erysimum tostum, & oleæ folia viridis, & radicem nigram aspalathi, & peplum plenum, hæc trita in eodem vino diluto bibenda dato. Aut coagulum asininum & mali punici dulcis radicem, & gallam omnia æquis portionibus, & mali punici dulcis succũ, cum vino bibat. Aut rumicis semen, cum gallæ parte externa circumrasa. Hæc simul terito, & postea cyceonem facito, ac exhibeto. Si sanguis largus ex vteris fluat; viticis folia cum vino nigro dato. Acerba item omnia fluxum sistunt vino nigro ammixto.

71 Ad fluxum & dolorem. Canchryos radicem in vino nigro bibat. Si vero amplior fuerit; terebinthi fructus tritus prodest. Oportet autem vino, & aqua diluere ac bibere. Si fluxus fiat, cãcros fluuiatiles in vino suffocato, & de tali vino cum aqua bibendum dato. Si verò adhuc feratur fluxus, promalon siue myricam torreto, & tritam in vino dato: Aut porri succum. Si verò multus defertur fluxus, muli stercus cõburito, terito, & cum vino dato. Si autem diuturnus fiat fluxu; spongia combusta auxiliatur. Terenda est autem spongia, & cum vino odorato bibat. Cataplasma ad fluxus. Allium, & portulacam, & apium, & loti ac cedri ramenta trita simul misceto: & cum aqua mulsa diluito, & cataplasma facito. Aut rubi, & rhãni, & oleæ folia trita simul misceto, & in aqua mulsa diluito, & cũ polenta in cataplasmate adhibeto. Aut sambuci, & myrti folia in cataplasmate adhibeto. Aut loti ramẽta, & mori folia, ac rosæ folia, cum vua passa ad cataplasma redigito.

72 Fomenta ad fluxus. Loliaceam farinam torrefactam in posca meraciore coquito, & linteo illitã pro fomento adhibeto. Aut lentes torrefactas, ac decorticatas in crassiorem instar alicæ farinam redigito, & in aqua coquito, ac similiter adhibeto. Aut eruum eodem modo. Commoda est & saluia. Aut paleas ordei in saluiæ, & hyperici decocto coquito, & imponito. Aut loti ramenta, & cupressi in vuæ passæ cremore cocta, linteo inducito, ac pro fomento adhibeto. Aut oleæ folia, aut hederæ, aut myrti, in aqua coquito, & cum his etiam ordei paleas coquito. Aut furfures triticeos in aromatum aqua coquito. Aut furfures triticeos in vuæ passæ cremore coquito. Aut violæ albæ semen, vel radices coquito, & ad aquam decocti furfures triticeos inijcito, ac foueto. Aut cum eo decocto furfures triticeos subigat, & panem faciat, eoque calido lanæ in voluto foueatur. Aut in serpilli decoctum furfures triticeos inijcito, & eodem modo foueto. Sed & fomentum adhibendum est cum spongijs, calidis, & mollibus lanis; si dolore vexetur: & cum vasis testaceis aqua infusa, & cum vesicis oleo calido plenis.

73 Collutiones ad fluxus. Myrti folia, & lauri, & hederæ in aqua coquito, & cum hac tepida colluito. Sambuci, & lentisci folia in aqua coquito, & cum ex colata leuiter tepida colluito. Aut œnanthen, & cyperum, & vuas passas in aqua mulsa coquito, ac colluito. Aut cum fœnogræci aqua, aut rubi decocto, aut oleæ viridis, aut cupressi, aut serpilli, aut mali punicæ, aut radicis violæ albę, aut lentisci decocto leuiter tepido colluito. Aut medicamentum ex butyro, & resina, & adipe anserino infundito: aut id, quod ex medulla & adipe suillo præparatur.

74 Suffitus ad fluxus. Ordeum tostum prunis inspersum suffito: Aut cerui cornu cum oliuis immaturis: Aut rhoem rubrum, & polentam torrefactam, cum oleo & vino duplo: Aut palea ordei, & stercus bubulum similiter. Aut loti ramenta, aut rhoem, aut cupressum siccam, cum vino nigro austero suffito: Aut galbanum, aut mannam thuris, aut resinam vino sub

actam

actam: Aut capræ cornu & gallam: & sistetur fluxus. Alius suffitus. Effodere oportet scrobem; & vinaceorum vuæ duarum chœnicum. Atticarum mensuram torrefacere, & de cinere in scrobem mittere. & vinũ odoratum irrorare. Mulier autem circuminsidens, ac seipsam contegens, ac conuoluens suffitum admittit. Aut sordes pilorum circa sedem capræ siccas tundito, & torreto; atque cum ordeo fracto, & oleo subacta suffito prunis insperlas. Aut ordei paleas ijsdem prunis injcito. Aut cupressi ramenta vnguento subacta suffito. Aut cicutam, aut myrrham, aut thus, vnguento affuso suffito: Aut bitumen, & ordei paleas similiter. Aut cupressi radicem rosaceo oleo perfusam suffito. Aut ad calamum, iuncum odoratum, cyperum, apij semen, anisum, oleo rosaceo affuso suffito. Similiter autem & resinam prunis injcito. Et cinamomum, & myrrham, cum rubi foljs, aut rosarum foljs, aut menta, addito modico croco & styrace. Hæc omnia simul terito ac suffito, oboli Attici pondere, in cinere sarmentorum vitis, aut in stercore bubulo instar acetabuli formato. Sit autem ignis ex sarmentis vitis. Mulierem verò imponito prius, vt ne odorem percipiat. Nam si odorem senserit; melius est non suffire.

75 Subdititia ad rubrum fluxum Myrrha, & bulbion cum melle tritum, optimum præstant subditicium. Aut rosæ in aqua coctæ, qua sanè cũ rosaceo vnguento tritas, ac lanæ inuolutas apponito. Aut loti florem in aqua coquito, & deinde cum rosaceo vnguento terito, & in lana ad vteri os adhibeto. Aut cyperum, & irim, & anisum, singula pari portione, cum rosaceo vnguento trita, intro in vteri osculum detrudito. Aut myrti nigræ folia in vino albo terito, & pini corticem ammisceto, & similiter facito. Aut cupressi fructum, & thus, pari portione simul ambo in vnguento terito, & apponito. Si resiccare fluxũ opus fuerit; calamintham in vino nigro coquito, & linteo inuolutam apponito aut hyoscyami folia, & cicutam simul coquito: similiter porrum & maluã; & ceram, ac anseris adipem ammisceto: deinde tepida ad pudenda subdito. Aut vinum meracum, cum resina, & malicorio cocto terito, ac similiter apponito. Aut cnicum cum vino tritum subdito: Aut loti ramenta similiter: Aut lentisci folia. Aut rhoem melle cocto ammixto apponito. Si verò non cesset, susinum, aut blitum herbam, quæ velut lingua est, in lana ad subditicium efformato.

76 Ad fluxum aquæ subditicium, & infusile. Si mulieri aqua fluat ex pudendis, resinam siccam, & myricę folia, & lini semen; in vino terito, & gallinaceum adipem ammisceto, & per clysterem in pudenda infundito. Aut farinæ purissimæ chemam, siue conchæ testam cauiorem, aut amylum in lana ad vteri stomachum apponat. Aliud similiter infusile. Quum aqua ex pudendo fluxerit; myricę folia, & thus, & resinã, cũ anserino adipe terito, & per clysterem in pudenda infundito. Si pecten prę fluxu aquoso doleat; viticis semen cum melle terito, & in cataplasmate pectini probe adhibeto. Si fluxus sanguinolentur, aut albus, aut qualiscunque fuerit; Sulphur, & mandragoram in vino meraco terito, & lana excepta apponito. Et supina dormiat, & immota maneat. Aut malicorium siccum in vino prannio terito, ac bibendum dato.

77 Ad fluxum album potus. Hederæ albæ semen, & pini corticem, in vino austero exhibeto. Aut cornu cerui vsti partem vnam, crudæ ordeaceæ farinæ partes duas, & cedri baccas quinque, aqua terat & bibat. Quum ad vteris strangulatur: castorium, & conyzam in vino, & seorsim, & simul vtraque bibat: Aut bituminis obolos tres: Aut phocæ adipis quantum duobus digitis apprehendi potest. Aut radicis pęoniæ dimidiam potionem, in vino odorato bibendam dato. Quum verò vteri suffocarint, & simul tussierit; sandaraches obolum, & sulphuris viui tantundem, & amygdalas amaras depurgatas tres aut quatuor, misceto, & in vino odorato exhibeto. Si verò adhæserint vteri; ordeum terito, & vnà cum paleis, & cornu cerui, oleo subigito, & suffito. Quum autem sursum ascenderint, & cor, ac stomachus prematur, & substi terint; myrrham aut resinam, aut netopum, aut castorium, aut silphij succum bibendum dato.

78 Quum vterus strangularit, spiritus autem aceruatim sursum commotus fuerit, & grauitas incubuerit, & mens perculsa fuerit, & loqui non potuerit, & per frigeratio adest, ac spiritus offendens, & oculi obscurantur; caput quàmcitissime radito, & perfasciam supra vmbilicum, si opus fuerit, deligatam detrudito. Dato autem castorium, & conyzam, & rutæ aquam, cuminum Aethiopicum, raphani semẽ, sulphur, myrrham. Ad nares graueolentia, ad vteros bene olentia, adhibeto. Si verò sustinuerit; etiam grani cnidij internam partem, albam illam, melle subactã ac mixtam, naribus illinito. Aut schinum tenuem scillæ speciem quæ mordeat. Quum autem dolor habuerit, ac suffocatur; maluæ radicem, aut acetum mulsum, aut fœniculi corticem, aut crethmum in aqua bibendum dato. Optimum verò est eructare, & sedentem collocare, & sternntationem facere, aut veratrum naribus admouere.

79 Si verò sub septo transuerso, ac præcordijs vteri sedere videantur; derepente voce destituitur, & præcordia dura fiunt, & strangulatur, & dentes conserit, & vocata non audit. Oportet igitur sub nares suffiri lanam accensam, bitumen in ignem conjectum, & castorium, & sulphur, & picem: Inguina verò & femora vnguẽto odoratissimo intus inũgere. Aut stellas marinas nigras; & brassicã vino odorato misceat, ac bibat. Aut myrrhæ obolos tres, coriandri parum, resinam, pæoniæ radicem, cuminum Aethiopicum, hæc in vino albo & aqua trita, aut cum aqua mulsa, diluta leuiter tepida bibat. Auxiliatur & peucedanũ, aristolochia, cepę lacryma: panaces in vino aut aqua leuiter tepida datum. Vteros ad locum suum reducit, crotonis radix pota, aut cuminum Aethiopicum, aut apium, aut fœniculi & anisi semen, aut piper, aut myrrha, & papaueris succus potus.

80 Si cor strangulatur; ab vtero reprimitur, & spiritus habet, & anhelatio: Viticis, & pæoniæ semẽ in vino bibere oportet: Aut abrotonũ, & panaces, & ammoniacum: Aut rutam, aut somnificũ papaueris succum. Rursus igitur si similiter habet, melanthium terito, & melle subigito, & velut glandulam efformato, ac pennæ circundato, & apponito. Aut philistion similiter subdito. Aut telephium, aut anemones folia trita, in linteum indito, & modica myrrha ammixta apponito. Si in lumbos vteri incubuerint, suffocatio verò caput non contigerit, polypos coctos edat, & vinum nigrum odoratum meracum quàmpluri-

mum

mum bibat. Quum verò velut ad viscera conuersi strangularint; vinũ cedrinum, & vinũ Aethiopicum bibat: & calida lauetur: & odoratis fomentis vtatur.

81 Si vento inflati fuerint vteri; aromata omnia in vnguentum immittuntur, & laurus, & myrtus, & salui a, & cedri, ac cupressi ramenta. Hæc contundito, & trita cribrato, & in vinum odoratum inspergito, & oleum rosaceum superfundito. Quum verò transmoti vteri presserint; ordeum vnà cum paleis, & myricam, & cerui cornu, vino subigito, ac suffito. Quum assistentes strangularint; funiculum lucernarium accendito, & præ naribus extinguito, quo fuligo & nidor ipsas ingrediantur: & picem, & castorium, & peucedanũ, & myrrham, vnguento irino diluito, & subacta apponat. Bibat autem resinam oleo dilutam. Si valde strangularint: aut testudinis iuxta mare natæ obolos tres, in vini albi hemina, vel cyathis tribus tritos, bibendos dato. Aut cedro in lucernam infuso, lucernam accendito, & vbi extincta fuerit, ad nares adhibeto. Aut cœnum fœtidissimum similiter. Aut lanam incensam sub nares mulieris suffito. Aut bitumi nis parum tritum in vino albo bibat. Aut erysimi cõchæ testam, & castorium in vino albo bibbenda dato, & lauato. Si verò etiam tussiat; sandarachæ obolum, sulphuris viui obolos duos, amygdalas depurgatas tres, aut quatuor, & castorij obolum, cum vino odorato misceto, & bibenda dato.

82 Si verò strangularint vteri, & strangulatio cor contigerit, & os concluſum fuerit; acetum calidum sorbendum dato, & os paxillo aut radio aperito, & vinum inodorum similiter exhibeto, & cum aceto mulso. Si verò valde strangularint, & voce destituita fuerit; cepam in vino tepido tritam in nares instillato & excitato. Si verò vsque ad hepar ascenderint, & suffocatur; voce destituitur, & nihil videt, & dentes cõferit, & dura fit, & nihil sentit, & frequenter respirat, & non audit. Hanc sub præcordijs manibus comprehensam frequenter inungito. Et dentibus cum paxillo diductis, vinum meracum tepidum infundito; si nihil prohibuerit. Et plerunque statim melius habet. Si ad inguina incumbant, ac innitantur; caprini stercoris pilulas, & leporis pilos, phocæ adipe subigito, ac suffito. Aut hederæ fructum, aut folia, aut corticẽ siccato, & quercus folia, ac resinã ammisceto, & oleo que subigito, ac suffito. Aut coaguli phocæ pellem conterito, & spongiam, ac muscum, cum phocæ adipe ammisceto, ac suffito. Aut stercoris caprini pilulas, & phocæ pulmonem, ac cedri ramenta suffito. Sed & bubulum stercus suffito. Aut cornum bouis ramenta, & bitumen. Aut spinæ Aegyptiæ fructum, & cedri ramenta, & myrti folia ficca. Hæc molli vnguento subacta suffito. Multa verò aromata in vnguentum injcito. Aut vinacea tusa trita, & cedri baccas, & resinam pineam, simul mixta, & passo cocto subacta suffito.

83 Fomenta, à quibus discedunt. Stercus bubulum contusum, aceti dimidia mensura, & decocti erui ex aqua marina aut dulci similiter dimidia adiecta, pro fomento adhibeto: foueto autem leuiter, & lenticulæ decoctum bibendum dato, ac reuomendum: Et farinam sorbendam, & insuper vinum. Postridie verò granum cnidium dato: Sed & quod vrinam ciet. Ciceris partes duas tritas, vuæ passæ optimæ tertiã partem, affuso aquæ congio coquito: deinde excolatam aquam per noctem sub dio exponito, & postridie bibendam dato: & de cætero saluiam, & lini semen, & polentam, bis per diem in vini diluti heminis quatuor dato. Aut olei heminas dimidias, tres foliorum sambuci manus planæ mensuram, hæc coquito, & cũ calidis foueto; aut testis calidis immissis fomentum facito, muliere in sella collocata, & vestimentis cooperta. Aut sambuci folia cum myrto coquito, & in excolata aqua paleas ordei coquito, & fomentum facito, si calorem sufferre poterit. Aut acetum, oleum, mel, aquam: Hæc permixta ac valde feruefacta, in vesicam infundito. Aut pini corticem, & rhois folia in aquam injcito, & fortiter coquito, & in excolatam aquam etiam ordei paleas immittito ac coquito, & affuso oleo foueto. Aut loti, & cupressi ramenta, aqua, & oleo affuso, probe coquito, ac foueto. Aut cum aromatis vnguentum infundito, & gallam injcito, & rhanni corticem, & polentam triticem cum aqua. Si verò vteri extra prominuerint, & dependẽt velut scrotum; myrti baccas, loti ramenta, rubi & oleę folia, simul coquito, & leuiter tepide foueto; Aut cum vino vnà cum illis & cum graueolentibus similiter. Externas autem partes cum oui candido oblinito. Quum verò perfrigerantur, & liuidæ factæ fuerint; cum aqua calida.

84 Mollitoria vteri. Adipem ouillum, ouorum vitellum, mel, oleum rosaceum sumito, & cum his farinã subigito, & ad lentum ignem tepefacito, & quod de stillat lana exceptum emollito, ac apponito. Aut adipem ouillum aromatis cõditum, & nitrum rubrum, anseris adipem, & oleum rosaceum colliquata, & lana excepta apponat. Aut anseris adipem, ouillũ adipem, ceram albam, netopum, rosaceum oleum: Hæc quàmoptime permisceto, & tenuibus linteis excipito, & statim vbi lota est; apponat tepida osculo vterorum. Aut cerui medullam, & anseris adipem, in rosaceo oleo liquefaciat, & molli lana excepta subdat. Mollia subdititia, quæ aquam ducunt, & mucos, & pelliculas, & nõ exulcerant. Myrrham quàmoptimam, & salis granum, & picem aromatis imbutam, terito, & apponito. Aliud. Grana cnidia decorticata triginta, Indicum (quod Persæ piper vocant, & in hoc inest rotundum, quod appellant myrtidanum) cum lacte muliebri simul terito, & melle diluito: deinde lana molli ac pura excepta, & pennæ obuoluta subdito, & per diem finito. Si verò fortius facere voles; modicum myrrhæ ammisceto, tertiam videlicet partem, siue trientem, & lanam mollem puram semisuccidam.

85 Ex vteris educunt, & osculum molliunt narcissus, cuminum, myrrha, thus, absinthium, ciperus: hæc ipsa per seipsa, & cum oleo rosaceo, aut albo, aut Aegyptio. Apponantur autem vbi lota est. Aliud, quod saniem cruentam educere potest. Cum tædis misceto myrrham, salem, fel taurinum, cuminum, mel, & in lana subdito: Aut cumini folia similiter in vino trita. Aut silphij succum ad ficum ammisceto, & glandulam inde factam subdito. Item facit & mori radix cũ melle, & postea rosaceo illinito. Efficax est & allij caput integrum, & nitrum rubrum, & ficus pinguis, pari portione; misceto autem & gallam paruam, & glandem facito, eamque liquore aliquo tinctam subdito. Et postea lota cerui adipem in lana subditum habeat. Aliud, quod cruenta omnia magis prioribus

ducere

ducere poteſt,& mollire. Piper,elaterium,& lac muliebre miſceto, & cum his terito etiam mel, & oleum album,& cerui adipem,& linteo excepta ſubdat. Vehementer verò ducit omnigena hoc. Fici pingue,elaterij potiones duas, nitrum rubrum quantum elaterij,mellis parum,cum linteo aut cũ lana glandẽ facito. Aliud. Netopum,fel tauri,nitrum,cyclaminum, gallam,cum melle terat. Poſtea verò lota adipem cerui ſubditum habeat. Aut pulegium & fel tauri tritum pennę obducat,& in oleum Aegyptium tinctum ſubdat: Aut cyclaminum magnitudine tali cum æris flore. Aut anemones caput cum farina tritum pennę obducito,& in oleo albo tingito. Aliud quod omnia ducit cucumeris ſylueſtris oblongi internam partem, exempto ſemine, cũ lacte terito, & myrrham puram vna cum ipſis,adiectoq; modico melle, & oleo Aegyptio, molli lana excipito. aut cucumeris ſylueſtris internam partem ſiccato, & melle affuſo terito,ac glandem formato. Poſtquam autem lota fuerit,adipẽ ſubdat,aut elaterij potiones tres cum aqua.

86 Mollitoria. oui candidum,farinam,mel,ceram albam. Hæc ſimul tepefacito,& quod deſtillat lana exceptum apponito. Aut adipem anſeris,ceram albam, reſinã,vnguentum roſaceum,cerui medullam liquefacito. Aut ouillum, vel caprinum adipem,oui candidum,vnguentum roſaceum: Ex his ad glandem facito,aut lana excipito. Fomenta, per quæ vteri purgantur; ſi duri fuerint. Vinum ſuauiſſimum pari aqua temperare oportet, triũ ſemicongiorum Atticorum menſura,& fœniculi radices,ac ſeminis eiuſdem quadrantem,& olei roſacei heminam dimidiã, in ollam mittere,cuius operculum foramen habet,& vinum ſuperfundere, & arundine indita fomentum facere, & poſtea ſcillam apponere.

87 Si dolores repentini irruerint, & animi deliquia afſuerint; roſarum folia, cinamomum, myrrhã puram, netopum, papaueris ſuccum, hæc in paſtillos drachmales efformato, & ſuper fruſto amphoræ candenti ponito,& pro ſuffimento vtitor. Aut ſtyracis modicum in oleum mittito,ac vtitor velut priore. Omnia,quæ in vnguenta injiciuntur,tũdito,ac cribrato, & ſuper ſtercus bubulum mittito, itemq; ſtyracem, & netopum,roſaceũ oleum quamoptimum,& Aegyptium album affundito, & poſt purgationes ſuffito. Aut lauri, & myrti folia tundito, & cyperi fructum, cum vnguento albo Aegyptio ſubigito,addito etiam netopo, & ſuper ſtercore bubulo ſuffito. Auxiliatur & manna thuris, & cupreſſi ramenta, & cyperi radix tuſa. Sed & iuncum odoratum aromaticum,& cardamomum, & iridem tundito, ac cribrato, atque hęc omnia miſceto, & roſaceum oleum ac netopum ipſis affundito,& vtitor in craſſiore tritici farina. Aut reſinam in recens formato fictili ſuffito, caſtorio, aut aliquo ex aromatis adiecto. Caput verò oleo roſaceo tingito, in aures autem myrteum, aut melinum oleum infundito. Et cicer album, & vuas paſſas coquito, ac decoctum bibendum dato, & in aqua calida deſideat. Et oliuas albas priuſquam oleũ remittũt, lancinato,ac ſiccato,& in vino odorato terito, & acetabulum Atticum præbeto. Aut cantharidũ ventres, aut adiantum, & nitrum rubrum Aegyptium, & ferulæ radicem,& apij ſemen tritum,hæc exhibeto.

88 Si verò vrinæ ſtillicidium corripiat; in aqua deſideat,& vinum dulce bibat. Si maxime ſtrangulatur in vterorũ dolore; vinum ſuauiſſimum pari aqua temperatum, trium ſemicongiorum Atticorum menſura, & fœniculi radices, & ſeminis eiuſdem trientem, & olei roſacei heminam dimidiam: Hæc in nouam ollam mittito,& vino ſuperfuſo foueto. Et ſcillã apponat, donec oſculum molle, & amplum eſſe dixerit:&, ſi exulceratum fuerit,ac puſtulæ vbique in ipſis fuerint; præſtat adipe anſerino cum thure curare. Ad vterorum dolorem. Peucedanũ,ariſtolochiam,panaces, hæc ſimul in vino dulci miſceto: & tepefacta bibenda dato. Et peplum album ſorbeat, & vrticæ ſemen. Aliud fomentum,ſiue ſuffimentum. Si dolor habuerit; malicorium punici dulcis, loti ramẽta,oleę folia ficca tuſa: Hæc cum oleo ſubigere oportet, & ſuper ignitum ſtercus bubulum mittere. Aut galbanum,myrrham,thus, oleum album Aegyptiũ, ſuper vitis ſarmẽta. Aliud fomentum fortius ex bitumine. Bitumen, radicem xanthij, pilos leporis, rutam, cõriandrum ſiccum. hæc omnia terito,& formatas inde placentulas,ſiue paſtillos ſuffito. Aut ad picẽ,& ſandaracham tuſam tritam, cupreſſi ramenta ammiſceto,& vnguẽto affuſo placẽtulas formato,& in ignem miſſas ſuffito: Aut cornu capræ in ramenta confectũ oleo ſubigito,& in ignem miſſum ſuffito; Aut effoſſa ſcrobe, vinacea vuæ torreto, & cinerem in ſcrobem mittito,& vino odorato inſperſo,mulieri circũſidenti fomentum facito. Sint autem vinaceorum chœnices duæ, atque hæc ipſa quàmmaximè ſicca.

89 Si verò vterus doleat vſq; ad veſicam; porri ſemen cum aqua tritum bibat: Aut cyclamini radicem,in vino albo ieiunæ bibendam dato, & calida lauetur, & apothermon ieiuna bibat, & tepefactoria apponat. Aut allij caput integrum,& nitrum toſtum, & cumini num,trita,ac melle ſubacta apponito: & calida lauetur,& apothermon bibat. Ad omnem vterorum morbum curandum. Lini ſciſſi vnà cum ſtipula pugillum tenuiter tuſum, in vino albo quàmſuauiſſimo per noctem madefacito: deinde excolatum in ollula tepefacito, & in colanam molliſſimam tinctam apponito, & viciſſim priore detracta aliam ſubdito. Opitulatur autem & crocus,& myrrha,& Ponticæ nuces,alba & pura lana excepta, & cum adipe anſerino ac vnguento trino appoſita. Si dolor vexarit ex ſubdititijs purgatã,myrrhæ acetabulum,thuris tantundem,melanthium,cyperũ,ſeſeli,aniſum, apij ſemẽ,netopũ,mel, reſinam,adipem anſerinum,oui cãdidum, vnguentũ Aegyptiũ, ſingula paribus portionibus in vino albo dulci,duarum heminarum menſura terito, & tepidis infuſis colluito. Si dolor vehemens habuerit; cantharides,cyperus, calamus,iuncus odoratus,& iris,proſunt. Hæc in vino nigro coquito, ac vtitor.

90 Alia collutio. Si dolor,& vrinæ ſtillicidium vexarit; porri ſuccum,ſambuci fructũ,ſeſeli,aniſum,thus, myrrham,vinum,in ſuccum redigito, miſceto,ac infundito: Aut myrrhæ acetabulum,thuris tantũdem, melanthij, & cyperi tantundem, ſeſeli, aniſum, apij ſemen, netopum, mel, reſinam, anſeris adipem, oui candidum, vnguentum Aegyptium, ſingula paribus portionibus in vino albo dulci diluito, ac infundito: Aut mercurialis aquam decoctam cum myrrha,thure, netopo: Aut ſaluiam, & hypericum, in aqua coquito ac infundito; Aut apij ſemen, aniſum, melanthium, ſeſeli, myrrham, caſiæ fructum in vino coquito,ac colluito. Alia colluito. Si dolor fuerit ve-

hemens post purgationem; Sambuci fructum, & lauri baccas, in vino nigro coquito ac colluito: Aut sambucum in aqua coquito, & aquam excolato, & vino dulci affuso colluito. Si post collutionem infusam dolor oboriatur; aromata, quæ in vnguenta inijciuntur coquito, & de aqua duas heminas excolato: misceto autē adipem anseris, & oleum rosaceum, & tepida infundito. Amplius autem infusum nulli, vt semel dicam, competit, quàm duarum heminarum. Aut mercurialem in aqua coquito, & ad succum, myrrhā ammisceto, aut thus, & netopum pari mensura, & tepidum infundito. Si verò vteros doleat, cyclamini radicem in vino albo ieiunæ bibendam dato. Et calido lauetur, & apothermon bibat. Si ex feruido, & superficiario vlcere pudenda fuerint exulcerata; myrti baccis in vino coctis colluat, & melilotum apponat. Et mali punici dulcis putamina in vino coquito, & myrrham, ac resinam simul mixta vino diluito, & intinctum in his linteum subdito. Et si vrinæ stillicidium corripiat; fomētū adhibeto, & pectinem illinito. Desideat autem in decocto rosarum, aut rubi, aut myrti, aut oleæ, aut pampinorum vitis, aut iuniperorum baccarum, aut saluiæ. Si ventus in vtero obortus fuerit, & dolor vehemens, & flatus non exit, cuminum apponat. Et saluiā, ac cyperū tusa madefacito per noctem, & mane excolato, & lucidum ac clarum cremorem in vas infundito, & crassiorem tritici farinam cum vino albo ammisceto, & silphij succum magnitudine fabę, cum farina coquito, & crudius sorbenda dato.

92 Si columella in pudendis nascatur; dolor obtinet. Et doloris quidem medela est apij semen. Columellam verò resecare oportet. Si vlcera in pudendis oboriantur, & pruritus corripiat, oleæ folia, & hederæ, & rubi, & mali punici dulcis trita, & vino veteri diluta cū recenti carne apponito, ita vt folia carni oblinas. Et habeat subditam per totam noctem. Mane verò eximens, & myrtum in vino coquens, cum vino pudenda colluat.

Notha, ad finem primi libri de Morbis muliebribus adiecta.

A R G.

1 *Ad tussim pueri. Ad aluum pueri soluendam. Ad anhelitum. Purgatorium.*
2 *Vomitum soluentia. Corrosiuum. Pharmacum nigrum. Ad anginam illitio, in doloribus podagricis.*
3 *Medicamenta ocularia. Puluillus.*
4 *Ad argemen oculi vlcus. Oculus dulci lacryma fluens. Pulluis insperfilis ad oculos. Ad pilos corporis aut circa oculos extirpandos.*
5 *Ad intestinorum leuitatem. Ad grauedinem. infusum sedis pituitam ducens.*
6 *Bilem ducentia. Stercus eductum pharmacū nullum bibito.*
7 *Infusum ad dysenteriam. Potio.*

1 AD tussim pueri. Thapsiam in polenta edendam dato. Aliud. Ex ouo affato vitellum acceptum terito, & sesamum album tostum, & salem cum melle delingenda dato.

Ad aluum pueri soluendam. Lanam illotam melle tinctam indito. Si verò antiquior fuerit puer; ceparū internas partes tritas cum melle indito.

Si lac non fuerit; recentis tritici farinam elotam, melle ac oleo ammixto, tepidam sorbendam dato.

Ad anhelitum pueri facit Thus in vino dulci, & illuuies.

Purgatorium. Glandulas facito ex mellis hemina; anisi acetabulo, bituminis drachmis duabus, felle bouis, myrrhæ drachmis tribus, elaterij potione. Hæc in vase æneo coquito, & anseris adipem ammisceto: & vbi vti voles; glandulis anserino aut ouillo adipe illinito. Lana autem vtere molli.

2 Vomitū soluit. Ocimi succus in vino albo. Aliud. Farinæ tritici recentis exsuccatæ aqua. Aut de malis punicis dulcibus, & acidis succum exprimito, & deinde mel ammisceto.

Corrosiuum sic paratur Veratrum nigrum, sandarachā, squamā æris: singula paribus portionibus seorsim terito. Quum aūt trita fuerint: ad vnam partē duplam calcem ammisceto, & cedrino subacta illinito. Aliud corrosiuum pharmacum sic paratur. Florē ęris pure combustum donec ruber fiat, terito ac vtitor. Pharmacum nigrum. Squamam æris, & florem æris, seorsim ambo terito. Vbi verò contriueris ita misceto: Duas, aut tres pharmaci species facito. Vnam fortissimā, quæ habet ad squamam, tertiā floris partem: Alteram, quæ quartam: Tertiam, quæ quintam. Hoc pharmacum ad omnia conueniens est.

Illitio ad anginam. Roris marini semē, staphis sylueſtris, absinthium, elaterium, mel.

In doloribus podagricis. Absceſſus nitro trito aqua diluto, cataplasmatis modo integito, & tribus diebus non lauato. Vbi verò laueris; rursus nitrum rubrum crudum cum modico melle terito, & hoc semper vtitor. Inflāmata illine portulaca cum farinę masa, & lactucæ rubræ drachma, ex aqua dissoluta.

3 Medicamenta oculorū. Aes vstū, ærugo, fel capræ, myrrha. Hęc dissoluūtur, & omnia simul trita vino albo diluuntur, postea in arundinem coniecta, sicca in vsum veniant. Puluillus. Misy præparatum in pila terito, & spumæ argenti chrysitidis appellatæ cinerem lotum ammisceto: sint autem cineris partes tres, misyos vna. At myſi in maza comburito vitans ne diffluat: nam dum torretur liquescit, vbi verò probe tostum fuerit; puniceum fit. Alius puluillus. Ceruſa eodem modo cum misy tosto miscetur, velut chrysitidis cinis. Alius puluillus fortior priore. Spodium Cyprium ex fuligine lota, & ceruſa, & myſi torrefactū. Sunt autem duæ partes ceruſæ despodio, vna verò misyos. In hæc anemonę folia contusa exprimito, & in ęris rubri vase ad solem exponito, & vt nihil illabatur contegito. Quum verò crassa facta fuerint; pastillos formato: deinde siccato, & siccatos quàm maxime fieri potest comburito, & postea perfrigeratos leuiter terito, & de spodio ex fuligine loto, parem portionem misceto, deinde netopon instillato, & parum terito: deinde melle diluito, & resiccata in vase æreo asseruato, ac vtitor. Puluillus mollis. Spodium Cyprium, chalcitis non lota leuiter trita, flos æris: hæc paribus portionibus misceto, ac terito. Alius. Spodium Cyprium, chalcitis leuiter trita, & cinis chrysitidis illotus. Hæc inter se terito. Alius. Spodium lotum,

tũ,chrysitis,& æris flos,pribus partibus trita. Alius. Vuæ acerbæ succus, & spodium Cyprium, Vuam immaturam in vigore constitutam sume, & succum per linteum, in vas æris rubri exprime, & aceti albi acerrimi tertiam partem ammisce,atq; sic in sole coque,& quinquies in die agita ac conturba. Et vbi crassus factus fuerit succus; spodium Cyprium tritum adijce, ac permisce, ita vt vbi sex aut septem dies in sole positus steterit,ad heminam succi Atticam, spodij drachmas octo immittas. Si verò acrius efficere medicamentum voles; minus de spodio: sin mollius; plus. Postea verò siccato hæc, donec in pastillos formari possunt: deinde domi siccato,sursum in fumum suspensa, atque hoc tandiu donec testacea fiãt, vt inter terendum non adhæreant,postea sic vtere. Reponito autem in loco humiditatem nullam habente. Alius. Spodium,chalcitidẽ aceto albo subigito: deinde factos inde pastillos siccato: & vbi oculum sub linire voles;quam optime terito, & vino veteri dulci concalefacito.

4 Ad argemen oculi vlcus. Populi nigræ lachrimam lac muliebre,misce,ac vtere. Si oculus lachrymetur, & dolor vexet;mali punici dulcis succum expressum in æreo vase coquito,vt niger fiat instar picis. Si verò æstas fuerit;ad solem exponito:deinde liquidum sub linito. Si verò dulci lachryma fluat oculus,quum vua fuerit alba, valde matura, & gracilis in vite, decerptam exprimito ac excolato: deinde in sole siccato, & vbi siccus factus fuerit succus,deradito,& ęruginis dimidium obolum Attici ponderis ammisceto: deinde hoc sublinito. Puluillus insperfilis. Plumbum,& spodium,æquis partibus, myrrhæ decimam partem, succi papaueris parũ, vinũ vetus, arida tere ac vtere. Alius. Accipitur scoria siue recrementum plumbi, & spodij tertia pars,& cerusæ tertia,& chartæ vstæ tertia, & myrrhæ pars decima.

Si pilos ex corpore extirpare voles; vitis lachrymam,cum oleo illinito. Si verò etiam circam oculũ tollere velis; euellito & illinito, & cũ tenui cuticula discedet, & locus rubicundus ac boni coloris erit.

5 Ad intestinorum leuitatem. Lentes,ac triticum recens duarum chœnicum mensura aqua macerato,& vbi mollia facta fuerint;in pila,aut mortario fortiter conterito: deinde aquæ heminis sex affundito,ac fortiter commoueto: & vbi purgamenta discesserint;in ollam infundito,& modico melle affuso coquito,& valde cocta torrefacito, ac edenda præbeto. Si verò sitierit; vinum vetustissimum bibat, atque hoc vtatur donec sanus fiat.

Ad grauedinem. Si quis grauedinem habeat;myrrham tritam ammixto melle, linteo excipiat, & nares confricet.

Infusum sedis pituitam duces. Thapsiæ potionem, & vuas passas quadraginta, aut grani cnidij, aut cnĭ- 1
stri potionem sumito,& mellis dimidiam heminam, ac olei tantundem ammisceto, & aqua marina diluito, in qua furfures cocti sunt,aut ptisana, donec pinguis facta fuerit: Aut adipem betę succo ammisceto, & nitri drachmas decem: Aut salis heminam plenam aquæ marinæ ammisceto.

6 Si verò bilem ducere voles;succi silphij potionem, elaterij drachmam vnam & dimidiam, colocynthidis drachmam,terito,& ijsdem quibus prius diluito. Si autem vehementius ducere velis; cucumeris syluestris internam partem quarta drachmæ parte in dimidia aquæ hemina macerato,& per sedem infundito:& si in egressu mordeat, ptisanæ succum postea infundito. Aliud. In lacte asinino cocto,aut in betæ succi heminis tribus, internam cucumeris syluestris partem macerato, & salem, mel, ac oleum ammisceto,& postea ptisanæ succum infundito. Aliud. Colocynthidis drachmam terito, & in lacte asinino macerato,eademque misceto. Aliud. Cucumeris syluestris interioris drachmam, elaterij potionem, salis quantum tribus digitis apprehendi potest, mel, oleum aqua marina diluito. At,si stercus educere voles;nullum pharmacum bibito, sed alijs vtere.

Infusum ad dysenteriam.

7 Punici dulcis malicorium in vino ad dimidias coquito, & olei quartam heminæ partem ammisceto, & thuris quartam drachmæ partem. Aliud. Vnguenti rosacei dimidia hemina, ptisanæ succus. aqua marina cocta. Aliud. Veratri potiones duas tritas, in aquæ dimidia hemina diluito, & olei tantundem affundito. Potio. Mala cotonea dissecato,& in aqua macerato, & vbi aqua odorem acceperit, bibendam dato. Alia. Ptisanæ farinam in congium aquę missam,coquito, donec pinguis fiat. Alia. Mala concisa siccata, & fauum mellis, in aqua macerato, ac simul terito: &,vbi subdulcis facta fuerit; excolato,& apij folia iniecito. Alia. Vuam passam albam, & calaminthem, & fauum mellis, in aquam mittito, ac terito;donec aqua subdulcis fiat.

HIPPOCRATIS COI
Liber De Sterilibus.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Quot ac qualia mulieribus contingunt propter quæ non pariant, antequam curentur, & propter quæ omnino steriles fiant. Os vterorum omnino à pudendo auersum,distortum, omnino concluſum,recens concluſum magis,quàm oportet.*

2 *Vterorum leuitas vnde. Vlcus in vteris.*

3 *Reliquiæ ex menſibus in vteris. Vteri magis quàm conuenit hiantes.*

4 *Menſes omnino ſuppreſſi. Menſes pauciores. Menſes plures quàm debent.*

5 *Os vterorum ex pudendo elapſum. Menſes non prodeuntes velut debent.*

6 *De experimentis,per quę iudicatur,an pregnans fiet mulier.*

7 *Quomodo mulierem fœmellam aut masculum gestantem cognoscas.*
8 *De curationibus ad conceptum.*
9 *In stomacho recto & molli & sano menses non prodeuntes.*
10 *Pharmacis & potionibus nihil iuuantibus quid tentandum. Vteri à pinguedine læsi.*
11 *Coitus tempora, & coiturorum diæta. Vernum tempus conceptui aptissimum. Mulierem purgatam quomodo ex verticis olfactu cognoscas. Alia curatio.*
12 *De mulieris non concipientis quæ prius concipere solebat curatione. Pus in vteris vnde.*
13 *De membrana in osculo vterorum nascente. Alia curatio.*
14 *De curatione mulieris parere non potentis. Mulieris bilioſæ aut pituitoſæ ex mensibus cognitio. De mulieris non concipientis, nec viro misceri potentis curatione.*
15 *De vteri gracilitate, osculo ipsorum exasperato & concluso & eius causis. Cur mulier præter naturam crassefacta, non concipiat. De oris vterorum duri curatione.*
16 *De mensibus multis prodeuntibus.*
17 *Catuli fomentum.*
18 *Physicæ cognitio medico necessaria.*
19 *Conceptorium summum.*
20 *De Molæ conceptus, causa, & signis. Molam gestantibus, lac in mammis non generatur. Molæ interdum ad duos aut tres annos gestantur. Mola erumpens. Maris & fœmellæ motus. Molam gestantes quatenus curandæ.*
21 *De ijs quæ ad vteri purgationem faciunt, siue ex partu siue etiam aliàs. Suffocationes. Purgatione ex partu moderatè facta, venter manens, aut etiam flatus concluſus.*
22 *Dolor ex partus corruptione. Subditicium vterorum. Vteri vlcerati, aut osculum exasperatum.*
23 *De prægnantis fœtum menstruum aut bimestrem corrumpentis curatione. Vterum inflantia.*
24 *Prægnans decimum mensem perficere nequiens & fœtum corrumpens. Genituram continens, nec prægnans tamen.*
25 *Abortum inuita faciens quomodo curanda.*
26 *Genituram non continentium curatio. Vteri genituram tertio die eructantes. Callorum ex vteris expulsio.*
27 *Quando prægnantibus menses compareant. Ventris imi dolor à coitu, & sanguis recens apparens. Vteri extra naturam progressi.*
28 *Vteri extra pudendum dependentes.*

1 DE his quidem, quæ accidunt mulieribus in singulis affectionibus, prius dictum est. Nunc autem ostendam ob quas causas mulieres omnino steriles fiunt, & cur non pariunt, antequam sanentur. Causam verò hãc esse dico. Si os vterorum omnino auersum fuerit à pudendo; non concipiunt; non enim suscipiunt vteri genituram, sed statim foras exit. Contingit autem hoc etiam, si parum distortum fuerit os vterorum præter naturam à pudendo. Et, si omnino concluſum fuerit os vterorum; neque sic suscipiunt; neque si recens concluſum fuerit magis quàm oportet. Singula verò relata manifesta sunt; etenim, si omnino auersum fuerit, aut concluſum; menses non prodeunt omnino aut prodeunt violenter cum morbo; si sanguis coegerit vteros pro more conuerti. Et, si purgata fuerit mulier, aliquando os vterorum ipsi à pudendo auertitur. Si verò parum distortum, aut recens concluſum fuerit; prodeunt quidem menses: prodeunt autem violenter, & paulatim per multos dies. Hæc autem omnia manifesta fiunt, si sic habent, contingenti mulieri: & si horum aliquid fuerit; curata mulier fœcunda fit; quandoque verò etiam sua sponte. Hæc autem singula cur fiant, dicetur. Dictum autem est & in mulieribus morbis.

2 Si leues fuerint vteri; contingit autem hoc & ex natura quibusdam, & si vlcera innata magnas cicatrices reliquerint. Si leues igitur vteri fuerint; mulier in uentre non concipit: nam genituram suscipiunt quidem vteri, si non alia aliqua causa obstiterit: non autem concipiunt, sed semẽ foras emittunt. Hoc autem maxime clarum fit contingenti, & si interrogetur an aliquando vlcera in vteris ipsi oborta fuerint. Mẽses verò sano quidem modo prodeunt in hoc morbo. Verùm talis plerunque incurabilis est, & hæc causa est, vt in ventre ne concipiat. Si vlcus in vteris factũ fuerit ab affectione quandam ex relatis, & nõ statim sanatum, sed impurum factum fuerit; permanet vlcus ad multum tempus, quemadmodum & id, quod in aure existit: & male olet mulier: & quandoque sanies male olens ipsi ex pudendo fluit: & quandiu sane vlcus habuerit, in vẽtre non concipit: non enim cõcipiunt vteri genituram. Huic autem mẽses sano modo procedunt. Verùm ex contactu, & interrogatione, maxime clarum fit de relatis. Curata verò fœcunda fit; exigua tamen spes est.

3 Si quid ex mensibus in vteris remanens sciſſuram, ac segmentum habeat, quod circa osculum, aut paulo penitius calescat, & rursus frigescat; neque sic in vẽtre concipit. Impedimentum enim hoc incũbens, genitura quò oportet transire nõ permittit. Et, si quidem in principio curetur; sanescit, & fœcunda fit. Si verò tempus accesserit; sterilis manet. Manifesta est autem affectio maxime ad contactum: durum enim quiddam intus est. Et si magis, quàm conuenit, vteri hiarint; neque sic prægnans fit; non enim concipiũt vteri semen genitale. Sed & hoc ad contactũ clarum fiet, & mẽses aceruatim prodeũt, & per paucos dies. Fit autem & natura hæc affectio, & à relatis morbis. Et si quidẽ à natura fuerit; incurabilis est morbus: sin minus; nõ sani prodeunt menses, vtpote muliere non existente sana: neq; sic prægnans fit: non enim compingitur semen à sanguine morboso. Sed sanguis, qui à corpore morbosus descendit; genituram serosam facit. Serosa verò facta genitura tẽpore modico, aut multo foras progreditur vnà cum sanie. Atque hoc ex corpore mulieris, & ex mensibus manifestum fit; prodibunt enim ipsi menses, velut dictum est, siue bilioſa, siue pituitoſa, siue aquoſa fuerit. At breui curata fœcunda fit: sin minus; non.

4 Si verò mulieri menses non prodeant oĩno, aut ab omnibus relatis; etiam sic nõ concipit: venæ enim sanguine plenæ genituram non suscipiunt: & in vteris aliquid inueterati sanguinis ineſſe neceſſe est, quod genitura nutriri prohibet. Si verò pauciores, quã debeãt menses prodeant; neque sic prægnans fit: causæ

verò

verò in priore morbo relatæ sunt. Fit autem hoc manifestũ ex interrogatione: & si quidem à natura pauci menses prodeunt incurabilis est: si verò ab affectione aliqua ex relatis; breui curata, fœcunda erit. Et si plures, quàm debent menses mulieri prodeant; neque sic in ventre concipit: vteri enim sanguine euacuato, genituram non concipiunt, præ debilitate. Si verò etiam conceperint; sanguis multus derepente in vteros mulieris descẽdens, genituram suffocat. Manifestum autem & hoc est ex mensibus, qui multi prodibunt. Et, si quidem natura mulier multos menses demittit; sterilis fit. Si verò non natura, sed ab aliqua ex relatis affectione; breui curata fœcunda erit.

5 Et si os vterorum expudendo exciderit; neque sic concipit: nam os durum fit, & genituram non suscipit, & intumescit: & propterea in totum infœcunda fit. Manifesta est autem hæc affectio, ex eo quod contingit. Et, si non prodeant menses velut debent, sed deorsum processerint in sedem; neque sic in ventre concipit: manifestum est enim, quòd os vterorum à pudendo auersum est, aut concluſum. &, si quidem ad sedem auersum fuerit osculum, aut concluſum; curata fœcunda fit. Vtrunque verò ex interrogatione, ac responsione manifestum fit. Si enim menses semper sic prodierint; clarum est, quòd his morbus causſa est. Atque tot, ac talia mulieribus contingunt, propter quæ non pariunt, antequam curentur, & propter quæ omnino steriles fiunt. Quare mirari mulieres non oportet, quando coeunt quidem, non autem sæpe pariunt.

6 Experimenta, per quæ indicatur, an prẽgnans fiet mulier. Si cognoscere voles, an mulier prægnãs fiet; butyrum, & lac mulieris masculum alentis bibendũ dato, & si eructauerit; cõcipiet: sin minus; non. Aliud. Netopum modicum lana exceptũ subdat, & postea mane, an quod subditum est, per os oleat, consideret: &, si quidem oleat; concipiet: sin minus; non. Aliud. Cuicunque mulieri à subditicijs non valde fortibus, dolores ad articulos processerint, & stridor dentium ipsam habuerit, & vertigine affecta fuerit, & oscitarit; huic maior spes est, vt prẽgnans fiat, quam ei, quæ nihil horum patitur. Aliud. Caput alij integrum depurgatum, ac derasum, ad vterum apponat, & postridie videat, an per os oleat: &, si oluerit; concipiet: sin minus; nõ. Aliud. Si cognoscere voles, an mulier concipiet; anisum in aqua tenuissime tritũ bibat, ac dormiat: &, si quidem pruritus ipsam circa vmbilicũ corripuerit; concipiet: sin minus; non. Prægnantem mulierem si non ex alio cognoscas; ex hoc cognosces. Oculi videntur distracti, ac cauiores: & candidum in oculis, albedinis naturam non habet, sed liuidius apparet. Quę in uentre habent, maculam solarem in facie habent: & postquam conceperunt; vinum odio habent, & cibos auersantur, & oris ventris morsu, ac faliua plenæ fiunt. Mel, & anisum tenuissime terito: deinde in aqua diluito, ac exhibeto, & dormire finito: &, si quidem tormẽ ipsi fiat circa vmbilicum; prægnans est: sin minus; non est. Post hæc autem omnia, farinam bibat, & mel, & origanum, in vino, & oleo.

7 Quęcunque in vtero habentes, maculam solarem in facie habent, fœmellam gestant: Quæ verò bene coloratæ permanent, masculum plerunque gestant. Si papillæ sursum cõuersę fuerint; masculum gestat: si deorsum; fęmellam. Accipe de lacte, & farinam mi sce, & pastillum forma, & ad lentum ignem assa. Et, si quidẽ comburatur; marem gestat: si verò hiet, ac diffundatur; fœmellã. Aut idẽ hoc lac super folia emulctum contemplare. Et, si quidem cõdensatur; masculum gestat: si verò diffusum fuerit; fœmellam.

8 Curationes ad conceptionem experimento cognitæ. Si qua liberorum generationem expetat, quæ sine liberis sit, & si qua iam antea prægnans fuerit; nunc autem non pariat. Quum stomachus vteri durus fuerit totus, aut summa parte, & cõclusus, ac non rectus fuerit, sed ad alteram coxam auersus, aut ad intestinum rectum inclinatus, aut in seipsum contractus, aut labium stomachi sibi ipsi incubuerit. Vndecũque igitur aut asper fuerit, aut callosus (Fit autem durus & à conclusione, & à callositate.) His menses nõ apparent, aut multo pauciores, aut peiores, quã oportet; apparẽt; & per lõgius tempus: Et menses quidem iuxta sanitatem corporis, & vterorum exitum inueniũt; Itemque iuxta naturalem, ac iustum modum, & à calore, & humiditate mensium, & stomacho non valde læso. At genituram rursus non suscipit propter lęsionem, quęcunque tandem impedierit susceptionem à stomacho non bene habente. Huic post fomentum toto corpori adhibitum, pharmacum bibendum dare oportet, & corporis purgationem primum faceret, siue sursum, & deorsum, siue deorsum solum. Et si quidem sursum purgans pharmacũ dederis; ante purgationem fomentum ne adhibeto, sed postea. At fomento prius facto, pharmacum deorsum purgans bibendum dato. Si verò sursum purgante non opus habere videatur; præmisso fomento, deorsum purgans bibendum dato. Quum autem corpus probe habere visum fuerit; postea fomẽtum adhibeto, ita vt vteros frequenter insidere facias, in fomento quod maxime conferre visum fuerit injicito autem in fomenta, cupressi ramenta, & lauri folia contusa: & multa calida sępe lauato. Quũ verò recens lota, & fota fuerit; vteri osculũ dilatato, simulque dirigito, si opus fuerit, cum specillo stãneo aut plumbeo, a tenui auspicatus: deinde cum crassiore, si admiserit, donec probe habere videtur. Tingito autem specillum in mollitorio diluto, quodcunq; liquidum factum conferre videbitur. Specilla verò retro lata facito: deinde lignis longis adaptato, ac si vtitor: At verò hoc tempore in vino albo dulci quàm suauissimo, tædã pinguissimam in tenuia frusta concisam coquens bibat, & apij semen contusum, & cumini Aethiopici semen, & thus quàm optimum. De hoc ieiuna bibat moderata copia, per quot dies bene habere visa fuerit: & edat catulos pingues percoctos, & polypum in vino dulcissimo coctum, & de iusculo bibat: & brassicam coctã, & vinum album insuper bibat: & ne cęnet: & bis in die lauetur. A cibis verò hoc tempore abstineat. Postea verò si processerit secundum stomachum, & purgationẽ aliquam foras ostenderit; de potione aliquid bibat, per vnum, atque alterum diem, & a specillorum vsu cesset; & conetur vteros purgare subditicijs, & medicamentis.

9 Cuicũque verò, stomacho recto, & molli, & sano, & probe habente, & in debito loco sito, menses omnino nõ apparuerint, aut pauciores, & per amplius tẽpus, & non sani; morbũ perscrutatus, quẽ vteri habẽt & an corpus ẽt aliquid conferat, comperies causam, à qua prægnans non fit. Et, quũ quidem sic habet; curationem facito adhibens id, quod conuenit, si admi-

ſerit,curationē incipiens à fortibus,prout tempeſtiuum eſſe videbitur: deſinens autē in molliora,donec vterus probe purgatus eſſe viſus fuerit,& ſtomachus conſiſtere recte habens in ſufficiente loco ſitus.

10 Si verò à pharmaco, & à potione non proceſſerit; neq; vbi ipſum bibit moderato tēpore,à potione quidem nec ceſſet. Quū verò probe habuerit;per vſum ſpecillorum os ſtomachi mollito,& vt hiet facito,ad viam ſubdititio præſtandam, tum à medicamentis ſuffumigabilibus,tum à mollitorijs. Poſtquam autē probe mollitum,ac ſuffitum eſſe videbitur,appoſitis pharmacis vteri purgationem facito,donec probe habere viſum fuerit,incipiēs à mollibus ad forciora, deſinens autem rurſus in mollia odorata. Pleraq; verò ex fortibus medicamentis ſtomachum exulcerāt, & prohibent,ne rectus conſiſtat, & probe habeat ad genituræ ſuſceptionem: & vterum ſiccum faciunt. Si verò mulier à pinguedine vteros ſibi læſos eſſe putet ad conceptionem; attenuato ipſam quàm maxime,& ad reliqua gracilem facito.

11 Vernum autem tempus optimū eſt ad cōceptum. At vir non ſit ebrius,neque vinum album bibat,ſed fortius,ac meracius,& cibos edat fortiſſimos:& calida ne lauetur:& robuſtus ſit,ac ſanus:& à cibis abſtineat,qui ad rem non conducunt. Quum autem mulier purgata viſa fuerit, & ſtomachus vteri recte habere;lauetur,& caput fricetur,& nihil omnino illinatur. Poſtea linteo inodoro loto,capillis circundato. reticulo loto nihil olēte deliget,linteo primum ſuppoſito:deinde,vbi galbanum ad ignem,aut ſolem calefactum,ac probe mollitum ſubdidit;quieſcat. Poſtea mane exoluto reticulo,ac linteo, caput ſuum alicui olfaciēdum exhibeat: &,ſi probe fuerit purgata; olet:ſin minus;non olet. Verùm hæc à cibis abſtinēs faciat. Si verò non fœcundæ appoſueris;nunquam olet,neque purgata,neq; aliàs:&,ſi prægnanti appoſueris;neque ſic olebit. Quæ verò ſæpe concipit,& fœcunda eſt,ac ſana,et ſi appoſuerit;etiamſi non purgaris;olebit ipſius vertex,alibi verò non. Quum verò cognoueris ipſam recte habere; ad virum accedere iubeto:& mulier quidem à cibis abſtineat. Vir autem non ſit ebrius: verùm frigida lotus,& cibis paucis conducentibus paſtus. Et,ſi mulier genituram ſe concepiſſe cognouerit; primo tempore non amplius ad virum accedat,ſed quieſcat. Cognoſcet autem,ſi quidem vir dixerit ſe emiſiſſe;mulier autem præ ſiccitate ignorat. Si verò vterus rurſus reddierit genituram eadem die; humidus erit: &,ſi humidus factus fuerit; rurſus cum viro miſceatur, donec concipiat. Alia curatio. Vbi fomentum toti corpori adhibueris; medicamentum bibendum dato ſurſum,ac deorſum purgās: deinde lacte aſinino poſtea in potu exhibito, vteros per fiſtulam duobus diebus foueto,cum vrina muliebri putrida,nitro iniecto: tertia verò die, cum vrina bubula: quarta autē,& quinta,fœniculi ſemen trituin,& ſambuci folia,ac lauri, & cupreſſi ramēta: Hęc coquito aqua affuſa. Oportet autem fomentum, multa calida lotam,apponere adipē, aromatis imbutum,ſtatim à fomento,& ad noctem. Poſtea verò hoc præparato Myrrham,ſtactem,butyrum,adipē anſerinum,medullam cerui,reſinam,& netopū. Horum ſinguloruin æquales portiones permixtas, ac liquefactas apponat in lana Mileſia molli,quàmoptima: deinde plumbeis penicillis quinq; ad octo digitorum longitudinem fabricatis,vterum aperito. Primus ex his ſit tenuis,alter craſſior: & reliqui alius alio craſſior ſit. Aperiuntur autē per dies quinque: & ſemper lota apponat,& ex lumbis deliget,vt ne excidant,& ſemper vlterius intrudat:poſtremū verò quàmpenitiſſime. Poſtquam autem aperueris;purgatorium appone, cantharidas tritas quinque,& colocynthidis, longe internam ſpongioſam partem, & myrrham. Hæc melle cocto ſubacta, & in glandem efformata, lana inuoluito,excepta ſumma parte: deinde in oleū ſuauiſſimum tingito,ac apponito. Vtere autē & hoc purgatorio,felle tauri,& flore æris aſſato,& nitro,& myrrha modico melle dilutis,ac linteo tenui deligatis: & linteo ſuperne pharmaco obducto apponito. Vtere & bupreſti cum myrrha:& elaterio cum melle cocto: & cantharidibus cum elaterio & myrrha. Poſtquam autem purgata fuerit; poſtridie vbi lauit, vterū colluito. Cuminum Aethiopicū tritum,& melanthium,& reſinā,& oleum,& mel,ac vinum dulce hęc mixta,& tepefacta infundito. Poſtquàm verò infuderis;erectam obambulare iubeto;quò collutio infuſa concutiatur. Subdito autē crocum,& myrrham, & thus, ſingula paribus portionibus ſicca linteo illigata; ita vt anſerinam adipem ammiſceas ac linteo oblinas. Atq; hæc apponito per dies ſeptem. Octauo verò ſuffitū facito,cum myrrha,bitumine,& ordeo, oleo odorato ſubactis,his lento igni iectis, ac ſuffitū per fiſtulam facto. Poſtquā autem ſuffitū feceris; poſtridie caſtoris teſtem terito, vino albo affuſo: & ipſum melle oblitū,& lanæ inuolutū, apponat in noctem. Mane verò eo ſublato,ac emollito ad virum accedat,& vbi condormijt,quieſcat:&,ſi non prima vice conceperit; eodem rurſus appoſito, virum adeat. Cæterùm hunc medicationis ductum incipere oportet,vbi menſes prodierint:deſinentibus autem menſibus,conceptorio medicamento appoſito condormire. Priore verò tempore neque mulier ad virum accedat,neque vir ad mulierem.

12 Quū autē mulier non conceperit,prius concipere ſolita,vteri verò viri genituā in ſeipſos ſuſcipiūt,penitus neceſſe eſt mulierē,ſeroſam hanc facere:quandoq; .n.in vteris pus innaſcitur. Pus autē in vteris à tuberculis fit. Et ſanè ob hoc genitura viri,quādo cū viro coit,vteros nō contingit:quò videlicet ipſa viri genitura cōpingatur:nā pus ipſam diſſipat,vt ne afferatur: mortificat.n.pus,& putrefacit genituā. Proinde & pus ex vteris expurgare oportet,& tuberculum in vtero ſedare;quo de cætero ne impediat genituā compingi,ac afferri. Feſtinare itaq; oportet ad expurgandū,priuſquam pus in vteris in callum concreſcat & vteros colluere hoc modo. Lac equinum coctum exacte colato, vt tenuiſſimum, & puriſſimum euadat:& hoc infundito, clyſteris inſtrumento idoneo facto. Et ſumma quidem clyſteris pars leuis ſit,argētea velut ſpecilli. & ſtatim modico intercedente ſpacio foramen perforetur. Sint autem & alia foramina, non magna,ſed anguſta,hinc,atq; hinc ex trāſuerſo clyſteris æquali interſtitio diſtantia:& clyſteris quidem apex ſolidus ſit: reliquum verò totum cauum ſit,velut fiſtula. Alligare autem oportet veſicam ſuis fœminæ,atq; hanc probe radere,ac confricare. Poſt quam autem alligaris;lac in veſicam infundito,foramina verò tenui linteo obſtruito,ne lac effluat. Vbi verò obturaueris,veſicā deligato, & ipſi mulieri dato

to,cui collutionem infundere paras. Illa verò exemptis obturamentis,in vterum indat: ipsa enim sciet, vbi indere oportet. Postea autē tu vesicā manu premito,quandiu pus foras effluxerit. Manifestum autē hoc erit; vbi non amplius pus simul cum lacte exierit; palàm enim clarum est,quòd non amplius inest. Atque tunc cessare oportet:& post hoc vbi paululum recreata fuerit; ad modicum tempus cucurbitæ siccæ fundum resecato, itemque apicis summam partē, quo perforata sit, ita vt similem efficias in reliquis, excepto apice, velut clysterē: crassitudine verò paulo tenuior sit,quàm virile pudendum. Hanc cucurbitam sic formatam vasi circumponito,vase vino impleto. Sit autem vinum odorum fragrantissimum, & siccissimum, ac vetustissimum: deinde lapidem nigrum pellucidum in vinum inijcito:deinde cucurbitam ex ære albo factam circumponito, & mulier circuminsideat, pudendò circum cucurbitæ glandem adhibens qualiter oportet; quò cucurbita vera super æream emineat,duorum digitorum intra pudendum mensura.

13 Quum mulier genituram susciperenon poterit; necesse est membranam superexcreuisse in osculo vterorum. Oportet igitur æruginem æris,& fel tauri, & serpentis adipem simul miscere: deinde pharmaco hoc lanam imbuere, & in byssinum linteum inuoluere, linteo melle sublito, & facere subditicium magnitudine maximæ oliuæ, & apponere ad pudendum per totam noctem. Supina autem iaceat: & in die auferat. & calida aqua lauetur quàm plurima ex myrti decocto. Apponat autem & postea singulis noctibus: & deinde cum viro coeat. Alia curatio.Marrubij foliorum manus plenæ mensuram in vas Atticum inijcito,& aquæ potabilis heminas Atticas quatuor affundito, &, vbi per nouem dies præmacerauit; & per alios nouem dies ieiuna, lota, duos cyathos de hoc bibat, pari mensura passi albi ammixta. Quum autem tertiam diem potando transegerit; fomentum adhibeatur, cicutæ folijs in ignem missis, per nouem dies: & post fomentum lauetur. Atque sic rursus de hoc bibat. Quum verò per triduum fomentum adhibuerit; marrubium ipsum tritum in die apponat per triduum:& mercurialem tritam in melle Attico bis in die: præmaceretur autē in vini albi congio hippomarathri, & fœniculi radix, & tędæ pinguissimæ ramuli, & rubiæ quarta pars,& fœniculi semen,& verbenacæ radices multę. Præmacerenturque diebus non minus, quàm nouē: & postea loto capite in balneo, heminam per diem de meri cremore bibat: & postea reclinata seipsam concalefaciat. Atque hinc post potum, alternis diebus id,quod ex felle paratur,per diem ad dies sex apponat. Quum autem iam virum accedere vult probe purgata;hyoscyami folia,ac radices in aqua feruefaciat, & ex his quàmcalidissimis per triduum ad noctem fomentum adhibeat,& lota virum accedat.Post hoc verò fomentum, etiam cerui pudendum siccum suffito: & de hoc in vinum album dilutum deradens per triduum bibendum, & quum partus dolor institerit, bibendum dato: nam hoc partū accelerat. Alia curatio. Fel tauri feruefacito, & alumen melium,& cornu cerui vstum terito, & permixtis ac in glandulas efformatis vtitor. Aliud curatiuum.Cuminum in vino nigro coctum tritum. in glandem efformato, & ad noctem apponito: post hæc verò fecem vini albi, tenuissimam videlicet fecis partem, comburito, & combustam in penna auferas, linteoque illigatam, ad noctem subdas:& porrum coctum edat. Post hoc tragium terat,& melle dilutum in noctem apponat: & deinde tragij fructum tritum,in vino albo dilutū, tædæ ramentis adiectis bibendum dato:& postea origanum alternis suffito; & sic ad virum accedat.

14 Alia curatio ad mulierem parere nequeuntem. Si mulierem parere nequeuntem, puerperam facere velis,in mensibus considerare oportet, an biliosa sit, siue pituitosa. Cognosces autem,vtrum horum magis sit,si vbi menses prodeunt:arenam tenuem,& sic eam in sole substraueris,& de sanguine infuderis, & si quidem biliosa fuerit;sanguis in arena siccatus,luteus fit; si verò pituitosa: velut mucus. Vtrum igitur horum fuerit, ventrem purgabis, siue sursum,siue deorsum opus habere videtur: deinde intermissis tribus diebus, vteros purgato: &,si humidius vterorum osculum fuerit;acria apponito,quo cōmorsum, & inflammatum os vterorum durum euadat.Si verò mulier internis partibus non febriat,neque præ veteris concipiat,neque viro misceri queat,sed dormiat, & cibum auersetur; vinum melle ammixto pudēdis infundatur;& myrrham suffito. In sedem verò glandes indat; & vinum adipe anserino ammixto, in pudendum infundat: deinde etiam oleum pari melle mixtum infundat.

15 Si mulieri vtere gracilescant, & osculum ipsorum exasperetur, & concludatur, & menses ipsi non appareant,neque concipiat:Sed febris corripit lenta,& dolores incidunt ei in lumbos, & imum ventrem. Morbus autem;hic maximè fit,quū quid in ipsa fuerit corruptum.Fit autem & ex partu.Hanc calida lauare oportet,& fouere. Quum autem lota, ac fota fuerit,os vterorum dilatare cum specillo;& myrrhā tritam cum pari netopo apponat; Aut vnguentum, aut oleū rosaceum in linteo; & plumbū instar glādis formatum apponat, felle bubulo illitum. Et in quatuor diebus infęcundas cognosces; & fomentum adhibeto,& pharmacum bibendum dato. Si verò prę ter naturam mulier fuerit crassefacta; in ventre non concipit:nam omentum crassum,ac multum incumbens,os vterorum deprimit,& genituram non suscipiunt.Hanc attenuare oportet,& pharmacum deorsum purgans bibendum dare;& ad vteros apponere, quod purgat,ac flatum inducit. Si os vterorum durum fiat, aut ceruix; ex digiti contactu cognosces; itemque si ad coxam auersi vteri fuerint. Quum sic habuerit, nihil acre adhibeto. Si enim os vterorum exulceraueris, quum inflammatum fuerit: omnino periculum est,ne sterilis fiat. Verùm apponito, quæ non mordent, à quibus pituita purgatur.

16 Quum menses mulieri prodierint,& prętierierint, primum quidem caput purgare oportet: deinde veratrum exhibere,siue semel, siue bis opus fuerit. Postea verò fomentum adhibere, fomentatorio ex cucurbita constructo:sic autem facto. Aquam marinam in vas infundito,& porro immisso, fistulam cucurbitæ imponito, & cū luto quàm optimo illinito, vt ne transpiret: deinde per sellam erectam quadrangularem,transmittito ipsam fistulam, quo duorum digitorum mensura emineat vltra sectionem:deinde prunas subaccēdito: & in disessu caueat,& quū desidet,

&

& quum surgit, vt ne comburatur. Sed desideat, dum adhuc frigidum est fomentatorium; & surgat, dum fistula est perfrigerata. In hoc verò fomento plurimam diei partem consumat, & in huiusmodi fomenti vsu ad quinque dies perseueret. Per decem verò dies pro porro allium in fomentum immittito: & huius fasciculum contusum in aquam marinam injicito. Postea verò reliquis diebus, ipsa sola aqua marina foueatur, vt vltra ne procedat per totam curationem. Cęterum postremum fomentum, quum à curatione desistere voles sic facito.

17 Catulum recentissimum resecato, & aromatum omnis generis odoratissimorum ac siccissimorum species cõtundito, & interaneis catuli exemptis, aromata indito, ac expleto. Subiectis autem lignis, & catulo in vas misso, vinum odoratissimum affundito, & fomentũ per fistulam facito: & si vires permittũt; totam diem cum hoc fomento ipsam foueto, ac interrogato, an odor aromatum per os olere videatur: non enim exiguum hoc signum est ei, quæ curatur, ad conceptionem. Subdititijs verò vtere, Croci quãtum voles, & myrrhæ magnitudinem fabarum duarum, & salem sufficientem permisce illorum respectu, & fellis taurini fabarum duarum magnitudinẽ. Si verò mitiore vti voles; minus fellis ammisce: si fortiore, plus: Hæc trita melle instillato tere, donec id, quod teritur, fiat tale, vt digito efformare possis. Quãto autem magis triueris; tanto siccius, & viscosius, ac melius erit. Vbi autem efformaris crassius, quam glandem, & summam partem acutam, & medium crassius, & deinde consequenter, quo ad vterum apponatur, in hoc ipsum surculos origani duos leuigatos infigito, sint autem longitudinis sex digitorum: deinde lana mollissima surculos inuoluito, & filo tenui superne deligato, & præmineat filum quatuor digitorum longitudine præ surculis infixis. Postquã autem perfudit & puram seipsam fecit, ipsum ad vteri os apponat, linteum, sub coxas subijciens, & per noctem appositum sinat. Erit autem ipsi purgatio aquosa. Postridie vbi surrexit, lauetur, & ea die super fomentum ne insideat. Quum autem fomentum adhibuerit, & de fomẽto surrexerit: ceratũ sit quam optimum prima illa die factũ, & in ipsum cerui maxime medullam commisceto: sin minus, adipem anserinum: & quum à fomento surrexerit, quotidie vbi se perfudit, & puram circa ventrem fecit, cerato vterum inungat: Aut reliqua quidem omnia superioribus ammisceto, excepto felle origanum verò leuissime tritum in glandem permisce, & apponat. Aliud. Reliqua quidem omnia ad eundem modum facta, verum pro origano absinthium ammisceto, & eodẽ modo efformata apponat. Aliud. Ex tritico melanthium deligito, & probe terito, melleque ammixto in pilæ formam redactum apponat. Verùm febres inducit, & articulum tumefacit, & vehemẽter mordax hoc est. Aliud. Mel, & veratrum nigrum tenue non multum, coquito. Vehementer enim mordax euadet. Sed & hoc febrificum est. Eodem modo mel coctum, & elaterij potionem coquito, & factam in deglandem subdendã dato: & hoc febrificum est. Ducit autem & sanguinem: quædam verò ex his etiam pelliculas. Si verò voles: etiam dracontium derade est autem lene & hoc cum melle cocto aut crudo, in pilæ figuram velut magnam gallam efforma.

18 Cæterùm conare, vt physicus sis, ad hominis habitum, ac robur respiciens: ex his enim nullus est, qui non omnia ad amussim faciat. Proinde ex his ipsis coniecturam faciens, totius corporis, & capitis purgationibus, medicamentis, & veteri fomentis, ac appositijs vti conare. Hæc autem elementa tibi sunt. Verùm medela horum vnicuique particularis est. Et, vbi horum quid non feceris; semper in fomento perseueret: hoc enim est, quod mollit, & ducit serosos, ac sanioſos humores. Postquam verò ab hac curatione desiueris; his quæ secundum naturam fiũt desinentibus, sanguinem de manu detrahere oportet: si quidem fortis fuerit; de ambobus brachijs: si verò debilior: de altero sufficit. At verò diæta, qua in his curationibus vti oportet, alibi à me indicata est. Si verò suffire voles; lolium ex tritico deligito, & molito: factoque igne sarmentitio lentissimo, in catinum mittito, & mulierem super sellam impositam, mollibus linteis instratam sedere iubeto, cruribus quàm maxime diductis. Atque hæc curatio si quidem sufficiens tibi fiat in quatuor mensibus; bene est: sin minus; ad hæc præcipe etiam, vt ad virum ne accedat eo tempore, quo curatur. Inter curandum autem, tædam in aqua macerato, & ieiunæ cyathum bibẽdum dato, & penicillum stãneum assidue subditum habeat: & cotyledonas, siue vmbilicos Veneris, vnà cum sale, & cumino, in aqua coquito, & tepidam sorbendam exhibeto. Et latæ quidem cotyledones fœmellas gignere videntur: paruæ verò, & conclusæ, masculos.

19 Conceptorium summum. Melanthium mulieri in vino nigro acerbo bibendum dato. Mulierem iuuenculam fluxus ruber infestabat, & medicamentis datis, & capite purgato, ac vena secta, nihil melius: habebat. Videbatur autem hæc causa ipsi esse, vt ne conciperet. Dabam itaque ipsi vinum album, in quo aspalathi radices efferbuerant mane, & ante cęnam: & fluxus sedatus est, & non longe post concepit, & peperit masculum. Erat autem corpore coloris candicantis, & probe carnosa.

20 De mola. Molæ porrò conceptus causa hæc est, Quum multi menses modicum, & morbosum semen conceperint; neque fętus rectus fit, & venter plenus est velut prægnantis. Nihil autem in ventre mouetur, neque lac in mammis generatur. Mammæ autem turgidæ sunt. Hæc itaque & ad duos annos, sępe etiã tres sic habet. Et si quidem vna caro fiat; mulier perit: neque enim fieri potest, vt superstes maneat. Si verò plures: erumpit ipsi per pudendum sanguis multus, ac carnosus. Et, si hoc moderate fiat; seruatur: sin minus; à fluxu correpta perit. Et morbus quidem talis est. Iudicare verò oportet ex plenitudinis mole, & quòd in ventre non mouetur: nam mas trimestris, fœmina quadrimestris motum habet. Postquam igitur tempore hoc prætergresso non mouetur; nimirũ hic morbus est. Et autem hoc magnum signũ, quòd lac in mammis non generatur. Hanc igitur maxime quidem ne curato, aut certe cum prædictione. Et primum quidem totum corpus foueto: deinde per sedẽ clysterem adhibeto; quò sanguis multus erũpat. Fortassis enim, quod compactum est, commoueris (id quod fœtus esse putatur,) muliere à pharmaco concalefacta. Sed & vteros colluito; quò sanguinem educas: sin minus; subdititijs vtatur è bupresti: & dictaminũ. Creticum in vino bibat: sin minus castoris testem:

ſtem:& retro cucurbitam ipſi ad laterum mollitudinem affigito,& plurimum ſanguinem detrahito, atque hoc maxime coniectura virium ipſius facta.

21 Ad vteri purgationes, quum non fiunt,ſiue ex partu,ſiue etiam alias; Tædam pinguiſſimam contuſam in vino albo coquito, & trium cyathorum menſura vtatur: Aut pęoniæ grana quatuor,cumini Aethiopici parum,& ſeſelis paulò plus: Aut cedri baccas. Si verò ſuffocationes affuerint;caſtorij parum.

Si verò purgatione moderata ex partu facta, venter maneat,aut etiam flatus concluſus,& dolore vexetur,ſiue cum febre,ſiue citra febrem; ſucci ſcammoniæ quintam potionis partem,aut ſeſeli,aut aliud quoddam ex odoratis, & rutam in vino albo bibendam dato. Si autem bibere nolit; illitionem ad ſedem facito, velut, verbi cauſa, ex felle taurino, & melle,ac nitro.

22 Si verò expurgationis corruptione dolore vexetur,& odoratis exhibitis nihil ſedat, & febris adſit; lactis caprini heminas duas decoquito:deinde eo perfrigerato pinguedinem detrahito,excolatoq;& aquę mulſę tertiam partem ammiſceto,quòd dulcius fiat. Bibat autem hoc ter ieiuna.Si verò dolor non quieſcat,neque venter ſubeat; ad veſperam in calidam aquam in ſolio inſideat. Quum autem perfota fuerit; vbi inde ſurrexit, cum vino nigro auſtero aqua diluto,olei dimidia parte addita, tepide colluito: & inde dormiat. Subditicium vterorum.

Si concluſum fuerit,aut durũ oſculum vterorum; ficum albam expurgatu,& nitrum Aegyptium puriſſimum tritum ammiſceto,& ſubditicium facito magnitudine gallæ non magnæ, quod in lana molli in vnguentum irinum tinctũ apponat per tres,aut quatuor dies,prout viſum fuerit. Poſt hoc conducit fomentum odoratum.Poſtea verò molli quodam opus eſt ſubditicio, quod ſanioſa maxime ducat: deinde mercurialem ſi tenera fuerit, cum vnguẽto roſaceo, in linteo ad diem,ac noctem ſubdat.Adidẽ. Fel taurinum,& ſalem feruefacito,& ſulphure trito ammixto,in oblonguam ſpiram,ac tractum efformato,& ad duos dies, ac noctes nudam, ad ipſos vteros apponito:& deinde rurſus mercurialem.Poſt hoc myrrham puram inſpergito: & roſaceo,ac irino vnguento ammixto,diluito, indeq; vteri oſculum quàm penitiſſime illinat ad idem. Iridem odoratam contuſam,ac cribratam ſeorſim, & cyperi tantundem,& crocomagma magnitudine maſſæ manum implentis,vino odorato diluito,& ad vnguenti formam redigito,& ſplenijs palmi longitudine inducta, ac ilita,in paruam pyxidem reconde,vt ne tranſpirent,& apponat. Si verò vlcerati fuerint vteri,aut oſculum exaſperatum fuerit,aut ab aliquo ſubditicio cõmorſi fuerint; adipem in lana illinito: & roſaceum,ac ceræ parum inungito.

23 Quum prægnans corruperit fœtum menſtruum, & ad finem perferre nõ poterit,& tenuis præter naturã fiat;huius vteros purgare oportet,& ipſam medicamentis curare, & craſſefacere: non.n.ad perfectionem geſtare poterit,donec ſeipſam refecerit, & vteri robuſti facti fuerint.Si verò concipiat quidem, corrumpat autem fœtus bimeſtres,exacte eodẽ,tempore,& neque prius,neq; poſterius: & hoc perpeſſa fuerit bis,aut ter eodem modo:aut etiam ad amplius tempus progreſſum corrũpat eodẽ modo;huius vteri non amplius extenduntur,fœtu in ipſis augeſcente,& ex bimeſtri,aut trimeſtri, ad ampliorem modũ excedente. Verùm fœtus quidem augeſcit:vteri verò non creſcunt,& propterea multæ eodem tempore corrumpunt.Huius vterorum colluere oportet,& ſubditicijs quàmmaxime inflare, aut hiſce medicamentis. Colocynthidis internam partem tuſam cribrato,& ſilphij parum, cũ paulò ampliore melle cocto ammiſceto: & hæc circum ſpecillum obducito, ea craſſitudine quantam ſtomachus ad vteri os ſuſcipere poteſt, & ſemper vltra protrudito, donec ad internam vteri partem penetrarit.Quum autem pharmacum colliquerit,ſpecillum eximito, & rurſus eodem modo paratum elaterium, & colocynthidem ſylueſtrem,ſimiliter velut prius medicamentum apponito. Edat autem hoc tempore allium multum,& ſilphij caulem, & reliqua diæta vtatur, quæ flatum maxime in ventre inducere poteſt. Apponat autem ſubditicium tertio quoque die, donec bene habere viſa fuerit:quandoque verò pluribus diebus interpoſitis;& in ſumma,prout libenter,admiſerit.Interiectis autem diebus,vtatur mollibus. Poſtquam verò per emollitoria oſculum vteri præparauerit, & menſes apparuerint;paulum remorata,vbi iam ficca fuerit,cum viro coeat.

24 Quum autem flatum in vterum inducere voles; allij caput integrum, & ſilphij ſuccum,ad ſubditicia ammiſceto.Quòd ſi qua prægnans decem mẽſes perficere non poſſit,ſed corrumpit,& hoc ſæpe patitur; ex huius vtero aquam purgato,& ipſam medicamentis curato;quò aqua purgetur.Si verò genituram cõtinens,non prægnans fiat,id quod multis contingit; ſtomacho vteri præter naturam hiante: menſes plures,quàm conuenit,& humidiores prodeunt, vt & id,quod à fœmina prodit ſemen, ad fœtificationem non concipiatur,& viri genitura inſuper accedens corrumpatur. Contingunt autem hæc, & corpore, & vteris ægrotantibus.Verùm oportet huic medicamenta deorſum purgãtia dare, & interpoſito aliquo tempore totum corpus fouere & vteros cũ aceto, & aqua marina,ſpecillis,ac ferramẽtis ignitis immiſſis. Conijciantur autem in fomentũ cupreſſi ramenta,& lauri viridis folia contuſa,& polycnemi folia: faciendum eſt hoc fomentum tempore opportuno. Poſt hoc verò lauetur,& fomentum adhibeatur ex loti ramentis, & roſis, ac polycnemi folijs aceto incoctis. Ad finem autem ſuffitus fiat,ex verbaſci folijs contuſis,ac loti,ramentis.Verũ ante lotionem ſuffito myrrham,& thus,vtraque æquis partibus trita, & myrti,ac lauri folia. His permixtis,& in lentum ignem coniectis, recens adhibito fomẽto ſuffito,bis in die: fomentum autem adhibeatur recẽs lotæ.Sed & poſt ſuffitum lauet, & vteri ſtomachum ad priſtinam naturam reducat. Et,ſi vires ſufficiant,ante hæc omnia venam in manu ſiniſtra ſecato, atque ita reliqua facito. Si verò ſtomachus ſic habent;menſes autem non prodeant,aut vitioſe,aut minus, ad reliqua omnia ampliorem purgationem adhibeto:& ſic curato,ſubditicijs etiam vtens ſi opus habeat, & ex prioribus lauans,& ſuffitum faciens,ac ſiccans.

25 Si mulier inuita abortum faciat,nec ita eijcere velit;triticum torrefactũ & molitum, & vuam paſſam albam contuſam, aqua mulſa dulci diluta, modico oleo affuſo,ieiunæ bibenda dato. Poſtea raphani ſemen

men tritum, & acetum, ac adipem anserinum, permixta bibat, & lauri folia trita apponat: deinde bibat origanum, & pulegium, & polentam ex aqua, ita vt lauri folia tusa, ac trita ammixto gummi aquæ in spergat, diluat, ac bibat. Aut adipem ouillum, & anserinum, & mel simul mixta ac trita delingenda præbeto: Aut pastinacæ semen leuissime terito: & lacti superstantem concretionem ammisceto, & adipem anserinum eliquatum. Hæc feruefacta sorbenda dato: Aut origani folia viridia; si haberi possunt: sin minus sicca leuissime trita, ex aqua bibenda dato. Aut lauri baccas leuissime terito, & suis fœminæ adipem liquatum, & mel ammisceto, & simul omnia trita delingenda præbeto. Aut pastinacæ semen leuissimè tritum ex vino diluto bibendum dato.

26 Si vteri genituram non contineant; plumbum, & lapidem, qui ferrum ad se rapit, leuiter terito, & linteo illigato, quo in muliebri lacte tincto, subdititio vtatur. Aut æris florem tritum, ac melle dilutum subdat. Quum vteri genituram viri eructant tertia die; necesse est mulieris, quæ hæc patitur, vteros callo repletos esse, & non potest viri genitura intus in vtero manere, sed excluditur, & propterea concipere non potest, quandiu callus in vtero fuerit. At calli expulsio sic fit. Pennas sumito minutissimas, ac molliſſimas. hisque simul colligatis vteros illinito, quem admodum oculos illinere solent, ita vt pennas exæques, ipsarumque summas partes tenuissimo filo deliges, & multo rosaceo illinas. Sic autem facito. Supinam reclinato, & sub medios lumbos puluinar subijcito, & specillum immittito, ita vt cruribus mulieris extentis, & hinc, atque illinc diductis, specillum sursum, ac deorsum vertas, donec promineat. Postquam autem videris in osculo vteri callum; optimũ quidem hoc fuerit, si non adhæreat in coxa, sed vltro sequatur. Si itaque in osculo vteri inhæret, volsella tenuissima prehensum extrahere conare, prouidus vt placide hoc fiat, & non violenter. Et postea viro condormiet.

27 Si prægnanti menses compareant; stercus asininũ siccum, & rubricam, & sepiæ testam terito, & linteo illigata apponito. Aut pæoniæ semina, nigra, in vino diluto trita bibenda dato. Si verò à coitu imum ventrem doleat, & sanguis recens ipsi appareat; lini semẽ tusum, & muscum mollem, & adipem anserinũ, mixta, ac molli lana excepta imponito. Si vteri extra naturam progressi fuerint; calor habet maxime pudenda, & sedem: & vrina paulatim destillat, & pudẽdum mordet: patitur autem hæc, si recens ex partu viro condormierit. Quum sic habuerit; myrti baccas, & loti ramenta in aqua coquito, & aquam per noctem sub dio exponito, atque sic frigidissimam pudendis affundito, & trita hæc apponito. Postea aquam lentium bibens, melle, & aceto ammixtis, vomat donec vteri fuerint retracti: & lectus à pedibus altior sit: & graueolentia sub pudenda suffito, odorata verò sub nares. Cibis vtatur quàmollissimis, ac frigidis: & vinum aquosum album bibat, & non lauetur, neque cum viro dormiat.

28 Si verò omnino ex pudendis exciderint; dependent velut scrotum, & dolor corripit. Hoc autẽ contingit, quum ex partu laborarit, & vteros concusserit, & cum viro dormierit in puerperij purgatione. Quum sic habuerit; frigefactoria apponat, & quod foris est depurgatum, ac cum vino nigro vinoso, in quo malum punicum coctum est ablutum, intro detrudat; deinde mel, & resina pari mẽsura eliquata, in pudenda infundantur: & decumbat supina pedes sursum extentos habens. Postea spongias apponat, & ad lumbos deliget. Quãdiu verò sic habuerit; à cibis abstinere oportet: potu verò quàmpauciſſimo vti, donec septem dies prætereant. Et, si quidem sic redire voluerint; bene est: sin minus; summas vteri partes deradito, lauato, & cerato picato illinito: deinde pedes ad scalam deligato, scalamque iuxta caput pulsato, & cum manu intrudito. Postea crura ipsius alternatim colligato, & diem, ac noctem finito in quiete, & modicum ptisanæ succum frigidum dato, aliud autem nihil. Postera die ipsam reclinato, & cucurbitam quàmaximam ad coxam affligito, & multo tempore trahere finito, & quum detraxeris; reclinatam iacere finito, et nihil aliud præter ptisanę succum exhibeto, donec septem præterierint dies. Cibis autem tunc molliſſimis, ac pauciſſimis vtatur. Si verò ventrem exonerare voluerit; decumbens id faciat, donec quatuordecim dies prætereant. Postea surgat, & quàmparciſſime deambulet: & ne lauetur, & cibis modicis vtatur: sub pudẽda verò suffitus per graueolentia fiat. Et, postquam obambulare inceperit; subligar gestet.

HIPPOCRATIS COI

De Morbis popularibus Liber I.

Sectionis primæ, Constitutio temporis prima.

Argumentum in Librum sequentem.

Aeris status austrinus, quales in Thaso morbos generarit. Febres ardentes. Tubercula circa aures, citra febrem. Quibus ista tubercula fierent. Tusses siccæ. Inflammationes cum dolore in testiculis. Tabidi. Febres horridæ, continuæ, acutæ. Febres semitertianæ. Aluus turbatæ. Vrinæ. Tuſſes. Faucium dolores. Aestatis, & autumni morbi. Tabidos solum ex descripta temporis constitutione fuisse mortuos.

Sectionis secundæ, Constitutio tẽporis secunda. Aeris constitutionis humidæ, & Aquiloniæ in Thaso morbi. Lippitudines. Lemæ. Liẽterię. Dysenterię. Tenesmi. Alui profluuia. Vrinæ fluxiones cũ dolore biliosæ, aquosæ, ramẽtosæ, &c. Vomitus pituitosi, bilioſi, & ciborum crudorũ reiectiones. Sudores, & omnib.

omnibus vndequaque multa humiditas. Tabidi cum dolore. Febres continuæ. Febres tertianæ. Febres quartanæ. Febres diurnæ, quotidianæ, nocturnæ, & erroneæ. Conuulsiones Rigores. Sudores. Friditas extremitatum. Somni. Ventres turbati. Vrinæ. Tusses, Dysenteriæ. Teneſmi, Lienteriæ. Alui profluuia. Hydrope. Papulæ paruæ. Tumores iuxta aures. Vrinæ ſtillicidium. Vrinæ. Concoctiones. Cruda. Circa morbos duo exercenda. Ars ex tribus conſtat. Capitis, ac colli dolores.

Conſtitutio temporis tertia. Reſolutiones ex ſyderatione. Febres ardentes. Sanguinis è naribus eruptio. Sanguinis è naribus larga eruptio in febribus ardentibus multos ſeruauit, modica verò occidit. Morbus regius, & eius ſolutio. Sanguinis eruptiones, quibus frequenter acciderint. Ex ſanguinis eruptione ad dyſenteriam tranſitus. Tuberculæ iuxta aures. Mulieres ex partu & poſt partum laborantes. Sanguinis è naribus, & menſium eruptio ſimul. Prægnantes. Phrenitici. Phrenitis non ſtatim ab initio. Qui maxime ex ijs mortui ſint. Quatuor ſigna, quibus in ea conſtitutione ſeruabantur. Multos non ex vno ſigno ſeruatos fuiſſe, ſed per omnia tranſcurriſſe. Lachrymæ inuitæ in febribus acutis magis ardentibus. Tubercula iuxta aures. Iudicationes morborum ſimiles, aut diſſimiles. Iudicationes eorum quibus tubercula iuxta aures fiebant.

Sectio tertia. Morbi vnde dinoſcantur. Febrium differentiæ. Febris continua cum acutiſſimis morbis coniuncta. Quartanæ febres ſecuriſſimæ ac facillimæ. Febris Nocturnæ, diurnæ. Febris Septimana, Nouana, Tertiana, quintana. Modi conſtitutiones, & exacerbationes ſingularum harum febrium. Febres, quæ paribus diebus exacerbantur, paribus iudicantur, & contrà.

Ægroti quatuordecim. Primus. Febris acuta cum ſudore. Clyſter in febri acuta, ſecundo die. Spiritus rarus & magnus. Splen eleuatus, & orbiculari gibboſitate. Sudores frigidi. II. *Febris ex laſſitudinibus, potationibus, ac exercitijs intempeſtiuis. Vrinæ nigræ, nigram ſubſidentiam habentes. Præcordij palpitatio aſſidua.* III. *Febris acuta, cum aluo ſicca, velut in teneſmo.* IIII. *Febris poſt partum, & purgationem naturalem.* V. *Rigores ante partum, quos febris inſequuta eſt. Bilis vomitus die quadrageſſimo in febri acuta.* VI. *Erroneæ febris ſpecies. Subſidentia rubra in febri erronea.* VII. *Febris vehemens, & lumborum grauitas doloroſa.* VIII. *Febris à cœna. Vrinæ incõcoctæ. Febris perpetuò cum ſudore.* IX. *Febris pedis dolorem à magno digito ſequuta.* X. *Febris poſt capitis, lumborum, ac colli dolores.* XI. *Febris acuta à præcordiorum dolore.* XII. *Febris acuta ex largiore potione & vomitu. Vrina oleoſa. Crurum dolor in febri acuta.* XIII. *Febris mulieris trimeſtri fœtu grauidæ.* XIIII. *Febris ex capitis, colli, & pectoris dolore.*

Sectio prima. Conſtitutio temporis prima.

IN Thaſo aùtumni tempore, circa æquinoctium & ſub pleiadas, aquæ multæ, aſſiduæ, molles, velut in auſtrinis. Hyems auſtrina: parui venti aquilonares, ſqualores: & omnino hyems, quale ver fieri ſolet. Ver autem auſtrinum, frigidum, pluuiæ paruæ. Æſtas plerunque nubila, aquarum inopia. Eteſiæ parum, modicè, ſparſim ſpirarunt. Quum autem totus hic aeris ſtatus ad auſtrina vergeret, ac cum ſiccitatibus fieret; ante ver quidem ex priore ſtatu, ſubcontrario, & aquilonio emergente, paucis obortæ ſunt febres ardentes: atque his omnino boni ſtatus: & paucis ſanguis erupit, neque ex his moriebantur. Tubercula verò circa aurem alteram multis erant, plurimis ex vtriuſque, citra febrem erecte obambulantibus: quibuſdam verò etiam parum incaleſcebant. Extincta ſunt omnibus abſque nocumento: neque cuiquam ſuppurarunt, quemadmodum ea, quæ ex alijs cauſis ſunt aborta. Erat autem natura ipſorum hæc: laxa erant, magna, diffuſa, non cum inflammatione, doloris exortia: omnibus obſcure euanuerunt. Fiebant autem hæc adoleſcentibus, iuuenibus; in vigore conſtitutis, & ex his plurimis, qui circa palæſtram, & gymnaſia exercebantur. Mulieribus verò paucis fiebant. Plurimis verò tuſſes, ſiccæ qui tuſſiebant, & nihil reiectabant, & voces non longe poſtea raucoſæ. Quibuſdã verò etiam interpoſito tempore inflammationes cum dolore, in altero teſticulo, quibuſdã in vtroque: & alijs quidem febres, alijs non. Hæc autem plurimis laborioſe fiebant. De cętero verò, quantum ad ea attinet, quæ in officina medica ad chirurgiam pertinentia fiunt ſine morbo degebant. At verò ante æſtatis initium, & per æſtatem, ac hyemen, multi ex his, qui longo iam tempore ſubcorrupti erant, tabidi decubuerunt: nam & multis ambigui erant, tunc tabes confirmata eſt: quibuſdam verò primùm cœpit: & his natura ad tabem vergebat. Moriebantur autem multi, & plurimi ex his. Et de his, qui decubuerunt, haud ſcio, an quis etiam modico tempore ſuperuixerit. Moriebantur autem citius quàm tales morbi tranſigere ſolent: nam alios & longiores, & cum febribus coniunctos, facile ferebant, & non moriebantur. De quibus paulo poſt ſcribetur: ſolus enim, & maximus ex his, qui tum vigebant, tadibus morbus multos occidit. Erant autem plurimis ipſorum affectiones huiuſmodi: febres horridæ, continuæ, acutæ, in totum non intermittentes. Modus autem erat ſemitertianus, vna die leuiores, altera amplius exacerbeſcentes, & in ſumma acutiores increbreſcentes: Sudores verò ſemper, non per totum: Frigiditas extremitatum multa, & quæ vix recaleſceret. Alui turbatæ, bilioſæ, ex paucis, puris, tenuibus, mordacibus: frequenter ad exonerandos, ſe ſurgebant. Vrinæ tenues, & crudæ, & decolores, & paucæ, aut craſſitudinem habentes, & ſubſidentiam paruam, non probe deſidentes, ſed cum cruda quadam, ac intempeſtiua ſubſidentia. Tuſſiebant autem, pauca, condenſata, concocta, paulatim vix educentes. Quibus verò violentiſſima accidiſſent, his neque modicè concoctio aderat, ſed cruda ſpuere perſeuerabant. Fauces autem plurimis horum ab initio, & perpetuò dolebant, ruborem habentes cum inflammatione: fluxiones paruæ, tenues, acres. Breui colliqueſcebant, & affligebantur, omnes cibos perpetuò faſtidientes, ſitis exortes, & plerique circa mortem deliri. Et circa tabidos quidem hæc. Cæterùm ęſtate iam, & autumno, febres multæ, continuę, non violentę, diu quidem ęgrotantibus, non autem aliàs ita male habentibus oboriebantur. Plurimis alui turbatæ, ita vt valde toleranter ferrent, & nihil memorabile lædebant. Vrinæ item plurimis boni

quidem

quidem coloris,& puræ: verùm tenues,& pòst tempus circa iudicationem concoctæ. Tussiebant autem non valde,neque ea,quæ per tussim reiectãtur, difficultatem exhibebant. Neque cibum fastidiebant,sed etiam valde licebat ipsis offerre. In summa subægrotabant tabidi,non tabido modo,febribus horridis parum insudantes,alias alij, vt qui erronco modo exacerbarentur, febribus quidem in totum non intermittentibus, sed quæ iuxta naturæ febris tertianæ morem exacerbarentur. Iudicabantur autem quibus inter hos breuissimæ essent, circa vigesimum diem, plurimis circa quadragesimum: multis circa octuagesimum. Quibusdam neque sic,sed vago modo,& citra iudicationem deficiebant: horum autem plurimis febres rursus non multum tempus intermittentes reuersæ sunt. Ex recidiuis autem in ijsdem circuitibus iudicabantur. Multis verò ipsorum producebãtur,vt sub hyemem ægrotarent. Ex omnibus porrò in hac tẽporis constitutione descriptis, solis tabidis lethalia acciderunt: in alijs autem febribus,non.

Sectio secunda.

Constitutio temporis secunda.

In Thaso ante autumnum tempestates non tempestiuè, sed derepente in aquilonijs,& austrinis multis, humidæ, & præerumpentes. Huiusmodi verò durabant vsque ad pleiada, & sub pleiade. Hiems autem aquilonia. Aquæ multæ,largæ magnæ: Niues. Plerunque mixta aeris serenitas: & hæc quidem fiebant omnia frigora verò non admodum intempestiua. Iam verò post brumale solstitium,& quando fauonius spirare incipit; posterior hyems magna erat,aquilonia multa. Niues,& aquæ assiduè multæ, & cœlum procellosum, ac nubilum. Hæc autem durabant, & non remittebant vsque ad æquinoctium. Ver autem frigidum,aquilonium,aquosum, nubilum. Æstas non valde æstuosa fiebat. Etesiæ assiduè spirarunt. Mox circa arcturum in aquilonijs, aquæ valde multæ. Quum autem annus totus humidus,& frigidus,& aquilonius esset, per hyemem sano modo plerunque habebant. Ante ver autem multi quidem, & plurimi morbide degebant. Primùm igitur cœperunt lippitudines fluidæ, dolorosæ,humidæ, crudæ. Lemæ paruæ, & multis difficulter erumpentes plurimis reuertebantur: defecerunt sero ad autumnum. Æstate iam, & autumno, lienteriæ,& dysenteriæ,& tenesmi,& alui profluuia ex bilijosis, tenuibus multis, crudis, & mordacibus: quibusdam verò etiam aquosis. Multis autem & vrinæ fluxiones cum dolore bilijosæ, aquosæ, ramentosæ, purulentæ, cum stillicidio, non renales; sed his alia pro alijs. Vomitus pituitosi, bilijosi, & ciborum crudorum reiectiones. Sudores. Omnibus vndiquaque multa humiditas. Fiebant autem hæc multis erecte obambulantibus, non febrientibus: Multis item febrientibus, de quibus paulo post scribetur. In quibus autem omnia hæc præscripta apparebant cum dolore, tabidi fiebant. Iam verò autumno, & sub hyemem,febres continuæ, & quibusdam ipsorum paucis ardentes, diurnæ, nocturnæ semitertianæ,tertianæ exactæ, quartanæ, erroneæ. Singulæ verò prædictæ febres multis fiebant. At ardentes & pauciſſimis obortæ sunt, & ex ægrotis hi minimum laborauerunt; (neque enim sanguis erupit,nisi valde parum,& paucis:) neque delirabãt: aliaque omnia tolerabilia erant. Iudicabantur autem plurimis valde bono ordine, cum intermittentibus in septem, ac decem diebus. Neque mortuum aliquem tunc in febre ardente noui, neq; phrenitim tunc cui quam factam scio. At verò tertianæ plures quidem,quàm ardentes febres erant,ac grauiores; verùm ordinate in his omnibus,à prima accessione quatuor circuitur habebant, in septem autem perfecte iudicabantur,neque vlli horum reuersæ sunt. Quartanæ verò multis quidem ab initio ex ordine quartanæ cœperunt. Quibusdam autem non paucis, ex alijs febribus, ac morbis absceſſus ad quartanas fiebant; atque hos diu, quemadmodum solent, & adhuc diutius tenebãt. Diurnæ verò quotidianæ,& nocturnæ, & erroneæ multæ, multis, & multo tempore permanebant,& erecte obambulantibus,& decumbentibus. Plurimos horum sub pleiada, & vsque ad hyemem, febres consequebantur. Multos conuulsiones, magis autem pueros ab initio; & febriebant: & in febribus conuulsiones fiebant: & erãt hæc pleriſque diuturna; verùm innocua,nisi ad hęc, etiam ex alijs omnibus pernicies adesset. At continuæ quidem in totum, & nihil intermittentes, exacerbescentes autem omnibus ad naturę tertianæ modum, vna die subleuantes, & vna exacerbescentes, omnium, quæ tunc fiebant, violentissimæ erant,& longissimæ, ac cum maximis doloribus, leniter auspicantes, & in totum semper augescentes,& in iudicatorijs diebus exacerbescentes, & in peius procedentes, parum alleuantes, & statim rursus ex intermissione violentius exacerbescentes, in iudicatorijs plerunque diebus peiores euadentes. Rigores verò omnibus quidem inordinate, & erroneo modo fiebant,parcissime autem, & minime his. Verum in alijs febribus maiores. Sudores multi, his minimi, nihil alleuantes, sed subcontrario modo damna inferẽtes. Frigiditas extremitatum his multa,& vix recalescens. Neque somni in totum,maxime verò hi etiam rursus soporosi. Ventres autem omnibus turbati & mali, his autem longe pessimi. Vrinæ verò plurimis horum aut tenues, & crudæ, & decolores, & post tempus parum concoctæ iudicatorio modo; Aut craſſitudinem quidem habentes; verùm turbatæ,neque consistentes,neq; subsidentes, neque concoctæ: Aut paucæ,& crudæ,ac malæ,& subsidentes. Pessimæ autem hæ omnes. Et tusses quidem ad febres comitabantur. Verùm non habeo quod scribã, an detrimẽtum, aut vtilitas tunc ex tussi contigerit. Diuturna igitur, & molesta, & valde inordinate, ac erroneo more,& citra iudicationem,plurima horum perseuerabant,tum his, qui pernicioſè habebant, tũ his,qui non: si.n. aliquos ipsorum paululum relinquerent; statim rursus reuertebantur. Quibusdam verò paucis ipsorum iudicabantur,quibus breuissime adesset, circa octogesimam diem. & horum aliquibus reuersa sunt, vt plurimi ipsorum per hyemem adhuc ægrotarint. Plurimis autem citra iudicationem defecerũt. Hæc vero pariter acciderunt & his,qui superstites manserunt,& qui non. Quum autem multa,& varia fieret iudicationis impeditio ex morbis; maximum etiam,ac pessimum signũ perpetuo comitabatur,quod plerique omnes cibos fastidirent,& ex his

maxime

maximè hi,quibus etiã alia exitialia erãt. Siticulosi verò nõ adeo intẽpestiuè in his febribus erant. Quũ verò tẽpus produceretur, & dolores essent multi, ac colliquatio mala, his abscessus succedebant, aut maiores, quàm vt ferre possent, aut minores, quàm vt quicquã prodessent:sed statim recurrerent,& ad peius courgerent.Erant autẽ,quæ his fiebant hæc;dysenteriæ,tenesmi:lienteriæ,& alui profluuia. Quibus dam etiam hydropes,partim cum his,& partim absque his. Quicquid autem ex his violenter accedebat,statim vires deijciebat:aut rursus nihil proderat. Papulæ paruæ,& nõ pro dignitate rationis excretionis morborum,& statim rursus euanescentes. Aut iuxta aures tumores, qui non soluebantur, & nullam de se significationem præbebant.Quibusdam in articulos, maxime verò in coxendicem,paucis iudicatorio modo cessantes,& statim rursus ad habitum ab initio inualescentes. Moriebantur autem ex omnibus,& plurimi ex his pueri iam ablactati, & maiores natu,octennes,ac decennes,& nondum puberes. Fiebant autem hæc his, non sine prius scriptis. Priora verò multis sine his.Solum verò bonum,& maximum inter ea,quę fiebant,signum,& quod plurimos in maximis periculis cõstitutos liberauit, quibus ad vrinæ stillicidium conuertebantur,& ad hoc abscessus fiebant. Accidit autem plerisque vrinæ stillicidium,maxime his ætatibus. Fiebat & alijs,mullis tũ erecte obambulantibus,tum in morbis. Statim verò etiam magna quædam mutatio omnium, his fiebat; alui enim etiamsi humectæ essent, maligno modo mox sistebantur, cibosque omnes libenter sumebat. Et febres postea mites erant. Verùm vrinæ stillicidium his diuturnum,& laboriosum erat. Vrinæ verò his erant multæ,crassæ,variæ,rubræ,purulẽtę cũ dolore. Atque hi omnes superstitis manserunt,& nullum ex his mortuum noui. Quæcunque verò nõ periculosè fiunt,concoctiones excrementorum omnes vndiquaque tempestiuas,aut bonas,& iudicatorios abscessus, considerare oportet. Concoctiones, celeritatem iudicationis,& securitatem sanitatis significant. Cruda verò,& inconcocta,& in malos abscessus conuersa, aut iudicationis sublationem, aut dolores,aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundem recidiuas. Quod verò ex his potissimum futurũ sit,ex alijs considerandum est.Præterita dicito, præsentia cognoscito,futura prædicito. Hæc tractato. Exerceto circa morbos duo,vt iuue,aut non voceas. Ars ex iribus constat, morbo, ægroto, & medico artis ministro. Aegrotum cum medico aduersari morbo oportet. Capitis, & colli dolores, ac grauitates cum dolore,cum febribus,& sine febribus. Phreniticis quidem conuulsiones. Sed & virosa vomunt, & quidam ex his subito moriuntur.In ardentibus autẽ, & alijs febribus quibus colli dolor, & temporũ grauitas,& caligo vertiginosa circa oculos,aut etiã præcordiorum distentio:non cum dolore fit, his sanguis per nares erumpit.Quibus autem grauitates quidem totius capitis, oris autem ventriculi morsus adsunt, & nauseabundi sint, hi biliosa, & pituitosa vomunt. Plerunque verò pueris in talibus afflictionibus conuulsiones fiunt: Mulieribus autem tum eadem, tum ab vteris dolores. Senioribus autem,& quibus iam calor superetur,paraplegiæ vocatæ,leues siderationes,aut insaniæ,aut oculorum priuationes.

Constitutio temporis tertia.

In Thaso paulo ante arcturũ, & sub arcturo,aquæ multæ,magnæ,in aquilonijs.Circa æquinoctium autem & vsque ad pleiada,austrinæ pluuiæ paucæ:hiẽs aquilonia:siccitates,frigidi venti,magnæ niues.Circa æquinoctium hyemes maximæ.Ver aquilonium, siccitates,pluuiæ paucæ frigidæ. Circa solstitiũ æstiuum aquæ paucæ,magna frigora vsq; ad canem.Post canem vsque ad arcturum,æstas calida,æstus magni, non ex accessione augescentes; sed continui.ac violẽti. Aqua non elapsa est: Etesiæ spirarunt. Circa arcturum pluuiæ austrinæ vsque ad æquinoctium. In hac autem constitutione, per hyemem quidem incęperunt resolutiones ex sideratione, & multos inuaserunt: & quidam ex ipsis subito moriebantur: nam hic morbus satis popularis erat.Cætera incolumes degebant. Ante ver autem cœperunt febres ardentes,& vsque ad æquinoctium,& ad æstatem durabant. Quicunque igitur vere, & æstate ineunte statim ægrotare cæperunt,plurimi seruabantur.pauci verò quidam moriebantur. In autumno iam & quum pluuiæ fierent;lethales erãt,& plures peribãt. Erant autem febrium ardẽtium affectiones. Quibus quidem bene, ac large sanguis per nares erupit,per hoc maxime seruabantur: & nullum noui,qui in hac constitutione mortuus esset,si recte ipsi sanguis profluxisset.In Philisco.n.& Epaminone,ac Sileno,quarta,ac quinta die parum de naribus stillauit, & moriebantur. Plerique igitur ægroti circa iudicationẽ rigebant,maximè hi,quibus sanguis erupisset. Iidẽ verò etiam postea insuper riguerunt, & exsudarunt. Quibusdam morbus regius accidit sexta die. Verùm his purgatio per vesicam, aut aluus exturbata profluit,aut larga sanguinis eruptio. Velut Heraclides, qui decumbebat apud Aristocydem nã huic & ex naribus sanguis erupit, & aluus turbata est & per vesicã purgatus est.Vigesima die iudicatus est:non velut Phanagorę seruus,cui nihil tale factũ est,& mortuus est.Sanguis aũt plurimis erupit,maximè adolescentibus,& in vigore constitutis: & taliũ pleriq; perierũt quibus sanguis non erupit. Senioribus verò ad morbũ regiũ res deuenit; aut alui ipsis turbatæ sunt, aut dysenterici facti sunt. Velut Bioni apud Silenũ decumbenti contigit. Populariter grassabantur etiã dysenteriæ per æstatẽ:& quibusdã qui ægrotarunt,qui busq; etiã sanguis erupit, ad dysenteriã transitus factus est,velut Eratonis filio, & Mylo, qui multa sanguinis eruptione facta,in dysentericũ statum delapsi superstites manserunt. Multis igitur maximè hic humor redundauit: nam & quibusdam circa iudicationem sanguis nõ erupit,sed tubercula iuxta aures excitata euanuerunt. Quæ vbi euanuissent;iuxta sinistri lateris mollitudinem, & ad summã coxam grauitas fuit.Quum autem dolores post iudicationem fierẽt, & vrinę tenues prodijssent parum sanguinis profundere cœperunt. Verùm circa quartã,& vigesimã, abscessus ad sanguinis eruptionẽ fiebant Antiphonti Critobuli filio, quæ sedata est, & perfectè iudicatus est circa quadragesimã. Mulieres porrò multæ quidẽ ægrotarunt, pauciores autem, quàm viri:& pauciores etiam mortuæ sunt.Plurimæ verò grauiter ex partu laborarunt,& post partus insuper ægrotarunt, & hæ maxime perierunt, velut Telebuli filia, quæ sexta à partu die mortua est.Plurimis itaque in febri

bus menſes apparebant. Quibuſdam verò ex naribus ſanguis erupit: & virginibus multis id primũ factũ eſt. Quibuſdã & ex naribus ſanguis, & menſes prorũperunt. Velut Dætharſei filiæ virgini apparuerunt tũc primum, & ſanguis largus è naribus fluxit. Neq; vllam mortuam noui ex his, quibus aliquid probe factum eſſet. Quibus autẽ prẹgnãtibus contigit ægrotare, omnes fœtus perdiderunt, quas ego noui. Vrinæ verò plurimis boni quidẽ coloris, verùm tenues, & ſubſidentias modicas habentes, ex recrementis tenuibus, ac bilioſis. Multis autem alijs iudicatis ad dyſenterias res deuenit: velut Xenophani & Critiæ. Vrinæ aquoſæ, multæ, puræ, tenues poſt iudicationẽ & ſubſidentia bona facta, & alijs probe iudicatis. Mẽtionem faciam eorũ, quibus factæ ſunt: Bioni, apud Silenum decumbebat: Cratiæ, quæ apud Xenophanem: Aretonis filiæ vxori Mneſiſtrati. Poſtea verò omnes hi dyſenterici facti ſunt. Num quòd vrinas minxerunt aquoſas, conſiderandum eſt? Circa arcturum autem multis vndecima die iudicatio facta eſt, & bis recidiuæ non pro ratione factæ reuerſæ ſunt. Erant autem ſopori ſi circa tempus, plures autẽ pueri; & hi omnium minime moriebantur. At verò circa æquinoctium, & vſque ad pleiada, & ſub hyemẽ, comitabantur quidem febres ardentes. Sed & phrenitici plurimi tunc fiebant; (& pleriq; horum morie bantur.) fiebant autem & per æſtatẽ pauci. Quũ igitur febres ardentes inciperent; ſignificationem de ſe prębebant, quibus pernicies immineret; ſtatim enim ab initio febris acuta, parũ inſuper rigebant, vigiles erant, ſiticuloſi, anxij, parum exudantes circa frontẽ, & clauiculas, nullus per totũ; multum delirabant tumores, triſtitiæ, extremitates ſubfrigidæ, pedes ſummi, & maxime manuũ ſummæ partes. Exacerbationes in diebus paribus. Plurimis autẽ quarta die dolores maximi, & ſudores plerunque ſubfrigidi, & extremitates nõ amplius recaleſcẽtes, ſed liuidæ, ſubfrigidæ; & neq; ſitiebãt. Ad hæc vrinæ his nigræ, paucę, tenues, & alui ſiſtebantur, neq; ſanguis è naribus erupit vlli ex his quibus hæc accidiſſent, ſed parũ ſtillauit. Neq; ad recidiuã vlli herũ res deuenit. Sed ſexta die mortui ſunt cũ ſudore. Phreniticis aũt acciderũt præſcripta non omnia. Iudicabantur autem his plerunq; die vndecima, quibuſdã vigeſima. Quibus nõ ſtatim ab initio phrenitis cœpit circa tertiam, aut quartam diẽ, ſed moderate habebant primo tẽpore, his circa ſeptimam morbus ad acumen tranſijt. Magna itaque erat morborum multitudo. Ex ægris aũt maximè moriebantur adoleſcentes, iuuenes, in vigore ætatis conſtituti, leues, ſubalbicante cute, rectos itemq; nigros capillos habentes, & oculos nigros, & qui in quiete, & ocio vixerant, & alta voce, aut gracili, aut aſpera præditi, balbi, iracũdi: & mulieres plurimæ ex hac ſpecie moriebantur. At in hac conſtitutio ex quatuor ſignis maxime ſeruabantur. Quibus videlicet ſanguis è naribus probe erupiſſet: aut vrinę multæ, & multam ſubſidentiam habentes per veſicã pro diiſſent: aut per ventrem turbata, bilioſa tempeſtiue proceſſiſſent: aut qui dyſenterici facti eſſent. Acciditque multis, vt non ex vno præſcriptorum ſigno rum iudicarentur, ſed per omnia percurrerent: & grauius quidem habere videbantur, conſeruabãtur aũt omnes quibus hæc accidiſſent. Mulieribus autem, & virginibus accidebant item præſcripta ſigna omnia. Quibus autem vel horum quippiam bene accideret, aut menſes large apparerent, per hæc ſeruabantur ac iudicabantur: neque vllam interiiſſe, noui, cui ex his aliquid accidiſſet. Philonis enim filiæ ſanguis ex naribus large fluebat: ſeptima autem die intempeſtiuius cęnauit, & mortua eſt. Quibus in febribus acutis, magis ardentibus, lachrymæ inuitæ defluunt, his ſanguinis à naribus eruptionem expectare oportet, ſi etiam alia pernicioſe non habeant: nam his, qui male habent, non ſanguinis eruptionẽ, ſed mortẽ ſignificant. Tubercula iuxta aures in febrientibus cum dolore oborta, quibuſdam febre iudicatorio modo deficiente, neque ſedantur, neque ſuppurantur: hæc bilioſum alui profluuium, aut dyſenteria, aut craſſarum vrinarum ſubſidentia ſolui: Velut Hermippo Clazomenio. Iudicationes autem, ex quibus cognoſcimus, aut ſimiles ſunt, aut diſſimiles: velut duo fratres, qui ſimul eadem hora ægrotare cœperunt. Decumbebãt autem iuxta theatrum Epigenis fratres. Horum ſeniori ſexta die iudicatio facta eſt, iuniori verò ſeptima. Recidiua facta eſt vtriuſque ſimul eadem hora. Intermiſit dies quinque. Ex recidiua iudicatio facta eſt vtriuſque ſimul in totũ, die decimaſeptima. Plurimis autẽ ſexta die iudicatio facta eſt, intermiſit ſex. ex recidiuis autem iudicatio facta eſt quinta die. Quibuſdam verò ſeptima iudicatus eſt morbus, & ſeptem diebus intermiſit. Ex recidiua verò iudicatus eſt tertia. Quibuſdam autem iudicatus eſt quinta, intermiſit ſeptem, redijt per tres, intermiſit vnam, inſuperq; vnam rurſus occupauit. Aliquibus verò iudicatus eſt ſexta, intermiſit ſex, redijt per tres, intermiſit vnã, & vna iudicatus eſt: Velut Euagõti Daipharſis filio. Quibuſdam autẽ iudicatus eſt ſexta, intermiſit ſeptem: ex recidiua verò iudicatus eſt quarta: velut filiæ Aglaidæ. Plerique igitur ex his qui ægrotarunt in hac conſtitutione, hoc modo ægrotarunt: & nullũ noui ex his qui ſuperſtites mãſerunt, cui non redijſſent recidiuæ ſecundum rationem factæ: & ſeruati ſunt omnes, quos ego noui, quibus hoc genus recidiuæ factæ ſunt. Neque ægrotantium hoc modo vllum aliquem noui, quem recidiua iterum repetijſſet. Moriebantur autem in morbis his plurimi ſexta die: velut Epaminondas, & Silenus, & Philiſcus Antagoræ filius. Quibus autẽ tubercula iuxta aures facta eſſent, his iudicatio facta eſt vigeſima die. Reſtincta autem, ac ſedata ſunt omnibus, & nõ ſuppurata ſunt; ſed ad veſicam conuerſa. Cratiſtonacti, qui apud Heracleum habitabat, & Scymni fullonis ancillæ ſuppurauerũt, & mortui ſunt. Quibus autẽ iudicatus eſt ſeptima die, intermiſit nouẽ, reuerſus eſt morbus. Iudicatus eſt ex recidiua quarta die. Quibus autẽ iudicatus eſt ſeptima die, intermiſit ſex: deinde redijt, & iudicatus eſt ſeptima, velut Phanocrito, qui decumbebat apud Gnathonem pictorem. Sub hyemen circa ſolſtitium hybernum, & vſque ad æquinoctiũ, per ſeuerabant quidem & febres ardẽtes, & phrenitides, & multi moriebantur. Iudicationes tamen tranſmutatæ ſunt, & iudicatio facta eſt plurimis ab initio die quinta, intermiſit quarta, recidiua facta eſt: ex recidiua verò iudicatio facta eſt quinta die. In ſumme, quatuordecim diebus. Sic autem facta eſt iudicatio pueris plurimis, imò etiam ſenioribus. Quibuſdam verò morbus iudicabatur die vndecima: reuertebatur decimaquarta, iudicabatur perfectè vigeſima.

Si

Si verò aliqui insuperriguissent circa vigesimam; his iudicabatur quadragesima. Superrigueruntautem plurimi circa iudicationem ab initio. Qui verò circa iudicationem ab initio riguerunt, etiam in recidiuis vnà cum iudicatione riguerunt: Riguerunt autem pauciſſimi vere, æstate plures, autumno adhuc plures, hyeme longe plurimi. At sanguinis eruptiones cessabant.

Sectio tertia.

Morbos dinoscimus edocti, ex cõmuni omnium natura, & ea vniuscuiusq; propria, ex morbo, ex ægroto, ex his, quæ offeruntur, ex eo qui offert: ex his .n. & breuiores, & grauiores redduntur, ex tota, ac partiali constitutione cœlestium, & vniuscuiusq; regionis, ex victu, ex vitæ studijs, ex ætate cuiusque, sermonibus, moribus, taciturnitate, cogitationibus, somnis, vigilijs, insomnijs, quibusdam & quando, vellicationibus, pruritibus, lachrymis, exacerbationibus, secessibus, vrinis, sputis, vomitibus, & quæ ex quibus in quos, successiones morborum: & qui abscessus ad perniciem, & ad iudicationem: Sudor, rigor, frigiditas, tussis, sternutationes, singultus, spiritus, ructus, flatus silentes, strepentes, sanguinis eruptiones, hæmorrhoides: Ex his autem, & quæ per hęc fiunt, considerandum. Febres quædam continuæ sunt, quædã interdiu tenent, noctu intermittunt: aut nocte tenent, die intermittunt: semitertianæ, tertianæ, quartanæ, quintanæ, septimanæ, nonanę. Sũt aũt acutissimi, & maximi, ac grauissimi morbi, & maxime lethales in cõtinua febre. Securissima verò oĩum, & facillima, ac longissima est quartana: non.n. solum ipsa à seipsa talis est, sed etiam ab alijs magnis morbis liberat: At in semitertiana appellata, contingit quidem & acutos morbos fieri, & est hæc præ cæteris maxime lethalis. Sed & tabidi, & quicunq; ex alijs longis morbis ægrotant, ex hac maxime ægrotãt. Nocturna non admodum lethalis est, verùm longa: Diurna longior. Quibusdã aũt & ad tabem vergit. Septimana longa est, verùm nõ lethalis. Nonana adhuc longior, & nõ lethalis. Tertiana exacta cito iudicatur, & non est lethalis. Quintana pessima omnium est: nam & ante tabem, & iam tabidis superueniens occidit. Sunt autem modi, & constitutiones, & exacerbationes singularum harum febrium, æquè continuarũ, ac intermittentiũ: velut verbi causa. Continua quibusdam ab initio floret, & viget maxime, & ad deterius procedit. Circa iudicationem verò, & vnà cum iudicatione, imminuitur. Quibusdam verò molliter incipit, & submisse: augescit autem, & exacerbatur quotidie: circa iudicationem vero, & vnà cum iudicatione aceruatim elucet. Quibusdam leniter auspicata augescit, & exacerbatur: & vbi aliquandiu in vigore fuit, rursus remittit vsq; ad iudicationem, & circa iudicationem. Atque hæc contingere solent in omni febre, & in omni morbo. Oportet autem victus rationem ex horum consideratione offerre. Multa verò etiã alia signa his sunt cognata, de quibus partim scriptũ est, partim scribetur. Ad quæ ratiocinari oportet, examinareque, ac considerare, cui horum acutus, ac lethalis sit morbus, aut à quo superstes sit futurus: & cui offerendum sit, aut non, & quando, & quantũ: & quid offerendũ erit. Quæ verò paribus diebus exacerbantur, paribus iudicantur. Quorum autẽ exacerbationes in imparibus fiunt, ea in imparibus iudicantur. Est autẽ primis iudicatorius, ex circuitibus diebus paribus iudicãtibus, quartus dies: deinde sextus, decimus, decimusquartus, decimusoctauus, vigesimus, vigesimusquartus, vigesimusoctauus, trigesimus, trigesimusquartus, quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, & centesimusuigesimus. Ex circuitibus verò in imparibus diebus iudicãtibus, primus est dies tertius: deinde quintus, septimus, nonus vndecimus, decimusseptimus, vigesimusprimus, vigesimusseptimus, & trigesimusprimus. At verò nosse expedit, si aliter iudicatio fiat, extra præscriptos dies; recidiuas fore significat, & fuerit sane perniciosa. Oportet autem animaduertere, & nosse, in his tẽporibus iudicationes futuras esse, ad salutem, aut perniciem; aut inclinationes ad melius, aut deterius. Erroneæ porrò febres, & quartanæ, & quintanæ, & septimanæ, & nonanæ, in quibus circuitibus iudicentur considerandum est.

Ægroti quatuordecim. Primus.

Philiscus prope muros habitabat, decubuit. Primo die febris acuta, sudauit, noctem laboriosam habuit. Secundo die omnia exacerbata sunt. Vesperi ab infuso per clysterem adhibito bene habuit, noctem quietam. Tertio mane, & vsque ad meridiem, visus est à febre liber esse. Ad vesperam febris acuta cum sudore, siticulosus erat, lingua resiccabat, nigra minxit noctem molestam habuit, non dormiuit, omnino delirauit. Quarto autem omnia exacerbata sunt, vrinæ nigræ, nox tolerabilior, vrinæ melioris coloris. Quinto circa meridiẽ parum de naribus stillauit non mixtũ. Vrinæ variæ quæ habebant innatantia quædã rotunda, genituræ similia, dispersa: non subsidebãt. Subdita glande, flatuosa pauca prodierunt: noctẽ habuit laboriosam, somni parui, sermones, deliramẽta, extremitates vndiq; frigidæ, & non amplius recalescentes: minxit nigra, dormiuit parum ad diẽ voce destitutus est, frigidum sudauit: extremitates liuidę. Circa meridiem sexta die mortuus est. Huic spiritus ad finẽ vsque velut reuocanti, rarus & magnus. Splẽ eleuatus est orbiculari gibbositate. Sudores frigidi perpetuò. Exacerbationes diebus paribus.

Ægrotus II.

Silenus habitabat in Platamone, prope filios Eualcidis. Hũc ex lassitudinibus & potationibus, ac exercitijs intẽpestiuis febris corripuit. Cœpit autẽ ægrotare ex lumbis, & caput grauitas tenebat: & colli distentio erat. Ab aluo prima die bilioſa, mera, spumosa, abunde colorata, multa prodierunt. Vrinæ nigræ nigram subsidentiam habentes: siticulosus, lingua resiccata, nocte nihil dormiuit. Secunda die, febris acuta, secessus plures, tenuiores, spumosi. Vrinæ nigræ, nox molesta, parum delirauit. Tertia, omnia exacerbata sunt, præcordij distentio vtrinque oblongua, ad umbilicum submollis. Secessus tenues, subnigri. Vrinæ turbatæ, subnigræ. Nocte nihil dormiuit, sermones multi, risus, cantus, continere se non potuit. Quarta per eadem. Quinta, secessus meri, bilioſi, leues, pingues. Vrinæ tenues, pellucidæ; parum resipiscebat. Sexta circa caput parum sudauit: extremitates frigidæ, linidæ: iactatio multa: ab aluo nihil prodijt. Vrinæ suppressæ sunt, febris acuta. Septima die voce destitutus est: extremitates non amplius recalescebant: nihil minxit. Octaua sudauit frigidum

per totum ſudorem: papulæ cum ſudore rubræ, rotũ dæ, paruæ, velut vari permanebant, non abſcedebãt: Ab alio verò cum parua irritatione, ſtercora tenuia velut in concocta, multa prodibant cum dolore. Vrinam reddebat cum dolore mordacem. Extremitates parum recaleſcebant. Somni tenues, ſoporoſi. Vox intercepta. Vrinæ tenues, pellucidæ. Nona per eadẽ. Decima potum non ſuſcipiebat. Soporoſus erat, ſomni autem tenues. Ab aluo ſimilia. Minxit aceruatim ſubcraſſum, depoſitum ſubſidens: ſubſidentia craſſæ farinæ ſimilis alba. Extremitates rurſus frigidæ. Vndecima mortuus eſt. Ab initio huic & ad finem vſque ſpiritus magnus rarus: præcordij palpitatio aſſidua. Aetas erat circa annos viginti.

Aegrotus III.

Herophonti febris acuta. Ab aluo pauca ab initio velut in teneſmo: poſtea verò tenuia prodibant bilioſa, frequentiora. Somni nõ aderant. Vrinæ nigræ, tenues. Quinta mane ſurditas. Exacerbata ſunt omnia. Splen eleuatus eſt Præcordij diſtentio. Ab aluo pauca, nigra prodierunt, delirauit. Sexta delirabat: ad noctem ſudor, frigiditas: delirus permanebat. Septima perfrigerabatur; Siticuloſus, delirabat, noctu reſipiſcebat, obdormiuit. Octaua febricitauit, ſplen minuebatur, intelligebat omnia: doluit iuxta inguen, tumor primum è directo ſplenis: deinde dolebat vtraſque tibias: nox tolerabilis. Vrinæ coloris melioris paruam ſubſidentiam habebant. Nona ſudauit, iudicatus eſt morbus, intermiſit. Quinta reuerſus eſt. Statim autem ſplen eleuatus eſt, febris acuta, ſurditas rurſum. Poſt reciduam tertia die ſplen minuebatur, ſurditas minor erat, crura dolebant, noctu ſudauit. Iudicatus eſt die ſeptimadecima. Nequa delirauit in recidiua.

Aegrotus IIII.

In Thaſo Philini vxorem, quæ filiam pepererat, quum purgatio ſecundum naturã facta eſſet, & alias leuiter degeret, decimaquarta à partu die febris vehemens corripuit cum rigore. Ab initio verò cor dolebat, & circa præcordium dexterum: muliebrium partium dolores: purgatio ceſſauit. Vbi verò glandem ſubdidiſſet, hæc quidẽ leuiora facta ſunt. Capitis autem, colli, & lumborum dolores permanebant. Somni non aderant. Extremitates frigidæ. Siticuloſa erat; aluus combuſta: pauca egerebat. Vrinæ tenues, ab initio decolores. Sexta die ad noctem multum delirauit, & rurſus reſipiſcebat. Septima ſiticuloſa; ſeceſſus bilioſi, abunde colorati. Octaua ſuperriguit: febris acuta, conuulſiones multæ cum dolore; multum delirabat. Glande ſubdita exurgebat, multaque cum fluxione bilioſa prodibant. Somni non aderant. Nona conuulſiones. Decima parum reſipiſcebat. Vndecima dormiuit; omnium recordata eſt. Statim autem rurſus delirauit. Vrinam autem reddebat cum conuulſionibus, aceruatam; multam: illis autem parum admonentibus, craſſam albam; qualis eſt ex his quæ ſubſiderunt, vbi multo tempore ſita, fuerint conturbata: non ſubſidebat: color & craſſitudo talis, qualis eſt in vrinis iumentorũ. Talia mingebat, quæ & ego vidi. Circa decimumquartũ diem palpitationes per totum corpus, ſermones multi, parum reſipiſcebat: verùm ſtatim rurſus delirabat. Circa decimumſeptimum voce deſtituebatur. Vigeſima mortua eſt.

Aegrotus V.

Epicratis vxorem quæ decumbebat apud Archegetem partui iam propinqua rigor fortiter corripuit: non incaluit, velut dicebant. Et poſtridie eadem erant. Tertia die peperit filiam, & alia omnia iuxta rationem venerunt. Poſtridie à partu febris acuta eam inuaſit, cordis dolor, & muliebrium partium. Vbi verò glandem ſubdidiſſet, hæc quidem leuiora facta ſunt. Capitis autem, & colli, ac lumborum dolor. Somni non aderant. Ab aluo modica bilioſa, tenuia, purem prodibant. Vrinæ tenues ſubnigræ. Sexta die, à quo febris ipſam corripuit, ad noctem delirauit. Septima, omnia exacerbata ſunt: vigilans delirauit: ſiticuloſa, ſeceſſus omnes bilioſi abunde colorati. Octaua ſuperriguit, plus dormiuit. Nona per eadem. Decima crura laborioſe dolebat. Cordis dolor rurſus: capitis grauitas: non delirauit: magis dormiuit: aluus reſtitit. Vndecima ſudauit: minxit melius colorata, multam ſubſidentiam habentia: leuius degebat. Decimaquarta ſuperriguit: febris acuta. Decimaquinta vomuit bilioſa flaua, ſatis multa. Sudauit ſine febre. Ad noctem febris acuta: Vrinæ craſſæ ſubſidentiam albam habentes. Decimaſexta ad noctem exacerbata eſt, & cum moleſtia non dormiuit, delirauit. Decimaoctaua, ſiticuloſa, lingua combuſta eſt: non dormiuit: multum delirauit: crura dolebat. Circa vigeſimam mane parum riguit, ſoporoſa, quiete dormiuit: vomuit bilioſa, pauca, nigra: Ad noctem ſurditas. Circa vigeſimamprimam lateris ſiniſtri grauitas, per totum cum dolore: parum inſuper tuſſijt. Vrinæ craſſæ, turbatæ, ſubrubræ, quæ depoſitæ non ſubſidebant: cætera leuiora: non ſine febre. Statim ab initio fauces dolebat, rubor aderat, columella reuulſa, fluxio acris, mordax, ſalſa, perpetuo perſeuerabat. Circa vigeſimamſeptimam febri libera, in vrinis ſubſidentia: latus dolebat. Circa primam & trigeſimam febris corripiebat: aluus ex bilioſis turbata eſt. Quadrageſima die vomuit pauca bilioſa. Iudicata eſt perfecte libera à febri die octogeſima.

Aegrotus VI.

Cleanactiden, qui ſupra Heracleum decumbebat, febris corripuit erroneo modo. Dolebat autem caput ab initio, & latus ſiniſtrum: & aliarum partium dolores aderant, laſſatorum modo: febres exacerbabantur aliàs aliter inordinatè. Sudores quandoque, quandoque non. Exacerbationes vt plurimum in iudicatorijs diebus magis accedebant. Circa vigeſimãquartam ſummas manus dolebat. Vomuit bilioſa, flaua, ſatis multa: paulo pòſt autẽ æruginoſa. Ab omnibus alleuatus eſt. Circa trigeſimam ſanguis ex vtriſque naribus erumpere cœpit, atque hoc erroneo modo paulatim vſque ad iudicationem. Non autem faſtidiebat cibum, neque ſiticuloſus erat per totum tempus, neq; inſomnis. Vrinæ tenues, non decolores. Circa quadrageſimam minxit ſubrubra, ſubſidentiam multã valde rubram habentia: alleuatus eſt: poſt hæc aũt vrinæ varię, quãdoq; ſubſidẽtiam habebant, quandoque non. Sexageſima vrinis ſubſidentia multa, & alba, & leuis. Remiſerunt oĩa: febres intermittebãt. Vrinę tenues quidẽ, verùm boni coloris. Septuageſima à febre liber permãſit diebus decẽ. Octogeſima riguit, febris acuta corripuit multũ ſudauit. Vrinis ſubſidẽtia rubra, leuis, perfectè iudicatus eſt.

Aegro-

Ægrotus VII.

Metonem febris vehemens corripuit, lumborum grauitas dolorosa. Postridie vbi aquam bibisset satis multa, ab aluo probe prodijt. Tertia, capitis grauitas: Secessus tenues, biliosi, subrubri. Quarta omnia exacerbata sunt. Fluebat à dextra nare bis sanguis modicus Noctem moleste tulit. Secessus similes tertiæ diei. Vrinę subnigrę, habebāt quiddam in medio innatans, subnigrū, diuulsum: non subsidebant. Quinta, effluxit ex sinistra nare sanguis largus, merus. Sudauit: iudicatus est. Post iudicationem insomnis, delirabat. Vrinæ tenues, subnigræ. Capitis lotionibus vsus est: dormiuit: resipiscebat. Huic recidiua facta non est. Sed sanguis erupit sæpe etiam post iudicationem.

Ægrotus VIII.

Erasinū, qui habitabat circa Bootæ torrentem; febris vehemens corripuit post cœnam: nocte turbatus fuit: diem primam quiete, noctē laborioſe transegit. Secunda omnia exacerbata sunt ad noctē delirauit. Tertia, doloroſe, multum delirauit. Quarta, moleſtiſſime, ad noctem nihil dormiuit. Insomnia, & ratiocinationes: deinde peiora, & magna, & periculoſa, timor, moleſtia. Quinta, mane reſipiſcebat, ac intelligebat omnia. Verùm ad meridiem multum insanijt: continere se non potuit. Extremitates frigidæ, subliuidæ. Vrinæ incōcoctę. Circa solis occasum mortuus est. Huic febres perpetuo cum sudore: præcordia sublimia: distentio cum dolore. Vrinæ nigræ habentes quædam in medio suspensa innatantia rotunda, non subsidebant: Ab aluo stercora prodibant. Sitis perpetuo, non valde. Conuulsiones multæ cum sudore, circa mortem.

Ægrotus IX.

Critoni in Thaso erecte obambulanti, pedis dolor fortis à magno digito cœpit. Decubuit eadem die horridus, anxius, parum subcaleſcēs: nocte desipuit. Secunda die tumor laxus per totum pedem, & circa malleolum subrubens cum distentione. Pustulæ nigræ: febris acuta: insanijt. Ab aluo verò mera, biliosa, satis multa prodibant. Mortuus est altera ab initio die.

Ægrotus X.

Clazomenium, qui ad Phrynichidæ puteum decumbebat, febris vehemēs corripuit. Dolebat autem caput, collum, lumbos ab initio. Statim autem surditas. Somni non aderant. Febris acuta inuasit. Præcordium eleuabatur cum tumore: distentio non valde: lingua sicca. Quarta, ad noctem desipuit. Quinta laborioſe omnia exacerbata sunt: Circa vndecimam parum remiserunt. Ab aluo verò ab initio & vsque ad decimāquartam, tenuia multa aquei coloris prodibant. Toleranter ea, quæ ad secessum pertinent, ferebat: postea aluus restitit. Vrinæ perpetuo tenues quidem verùm boni coloris, & multa in medio suspensa habebant diuulsa: non subsidebant. Circa decimamsextam minxit paulò crassiora, habebant subsidentiam paruam, paululum alleuarunt, resipiscebat magis. Decimaseptima, rursus tenuia. Circa vtrasq; aures tubercula exiterunt cum dolore. Somni non aderant: delirabat. Circa crura dolebat. Vigesima, à febre liber iudicatus est: non sudauit: omnia intelligebat. Circa vigesimamseptimam coxæ dextrę dolor fortis, cito quieuit. Tubercula verò iuxta aures neq; sedata sunt, neque suppurata, verùm dolebant. Circa trigesimamprimam profluuium alui ex multis aquosis, cum eiusmodi quæ in dysenteria prodire solent. Vrinas crassas mingebat. Tubercula circa aures sedata sunt. Circa quadragesimam oculum dextrum dolebat, obscurius videbat. Restitutus est.

Ægrotus XI.

Dromeadæ vxorem, quæ filiam pepererat, & alijs omnibus secundum rationem factis, secunda die rigor corripuit; febris acuta. Cœpit autē prima die dolere circa præcordia fastidiosa, ac nauseabunda, horrida, anxia, & sequentibus non dormiuit. Spiritus rarus, magnus, statim reuulsus. Altera à rigore die, stercora, ab aluo bene prodibant. Vrinę crassæ, albæ, turbatę: qualis fit ex his, quę subsiderunt, vbi multo tempore sita, fuerit conturbata: non subsidebant: nocte non dormiuit. Tertia circa meridiem supperriguit. Febris acuta. Vrinę similes: pręcordij dolor, fastidiosa, ac nauseabunda, nox molesta, non dormiuit. Sudauit per totum subfrigida. Statim autem rursus recalefacta est. Quarta die circa præcordia parum alleuata est. Capitis grauitas cum dolore in soporem incidit: parum de naribus stillauit: lingua sicca: siticulosa. Vrinæ tenues, oleosæ: parum dormiuit. Quinta, siticulosa: fastidiosa. Vrinæ similes: nihil ab aluo. Circa meridiem multum delirauit, & statim rursus parum resipiscebat: exurgens in soporem incidit: frigiditas parua: nocte dormiuit: delirauit. Sexta, mane superriguit. Statim autem recalefacta est. Sudauit per totum. Extremitates frigidæ: delirauit. Spiritus magnus, rarus. Paulo pòst conuulsiones à capite cœperunt. Statim mortua est.

Ægrotus XII.

Homo quidam calefactus cœnauit, & bibit amplius. Vomuit omnia noctu: febris acuta. Præcordij dextri dolor. Inflammatio submollis ex interna parte: noctem moleste tulit. Vrinæ ab initio rubræ, crassæ, depositæ non subsidebant. Lingua sicca: non valde siticulosus. Quarta, febris acuta. Dolores omniū. Quinta, minxit leue, oleosum, multum: febris acuta. Sexta, vesperi multum delirauit: Nec nocte dormiuit. Septima, omnia exacerbata sunt. Vrinæ similes: sermones multi: continere se non potuit. Ab aluo cū irritatione prodierunt liquida turbata, cum lumbricis. Nox laborioſa. Mane riguit: febris acuta. Sudauit calidum: A febre liber esse visus est: non multum dormiuit: A somno frigiditas, sputatio. Vesperi multum delirauit. Paulo post vomuit nigra, pauca, biliosa. Nona, frigiditas: multum delirabat: non dormiuit. Decima, crura dolebat. Omnia exacerbata sunt; delirauit. Vndecima, mortuus est.

Ægrotus XIII.

Mulierem, quæ decūbebat in littore, timestri fœtu grauidā febris vehemens corripuit, statimq; lūbos dolere cœpit. Tertia, dolor colli, capitis, iuxta clauiculam, & manum dexteram. Statim lingua voce destituta est; dextra manus resoluta est cū conuulsione,

velut his, qui aliquâ siderantur parte, contingere solet. Delirabat penitus: noctem moleste tulit, nõ dormiuit; aluus turbata est, ex biliosis, meris, paucis. Quarta die lingua voce soluta est. Conuulsiones eorundem: dolores omnium permanebant. Iuxta præcordia tumor cum dolore: non dormiebat: penitus delirabat: aluus turbata. Vrinę tenues, non boni coloris. Quinta febris acuta: præcordij dolor: planè delirabat: recessus biliosi: ad noctem sudauit, à febre libera. Sexta, resipiscebat. Ab omnibus alleuata est. Verùm circa sinistram clauiculam dolor permanebat: sticulosa. Vrinæ tenues: non dormiuit. Septima, tremor: in soporem insidit: parum delirauit dolores iuxta clauiculam, & sinistrum brachium permanserunt. Reliqua alleuata sunt Omnia intelligebat. Tres dies à febre libera mansit. Vndecima, reuersa est, superriguit, febris vehemens corripuit. Circa decimamquartam vomuit biliosa, flaua, satis multa: sudauit: A febre libera iudicata est.

Aegrotus XIIII.

Melidiæ, quæ decumbebat iuxta Iunonis templum, capitis, & colli, & pectoris dolor fortis cœpit. Statim autem febris acuta corripuit. Menses pauci apparebant. Dolores omnium horum continui. Sexta die soporosa, anxia, horrida: rubor in maxilla, parum delirauit. Septima, sudauit: febris dimisit. Dolores permanebant: Redijt: somni pauci. Vrinæ perpetuo boni coloris, verùm tenues. Secessus tenues, biliosi, mordaces, valde pauci, nigri, graueolentes prodibant. In vrinis subsidentia alba, leuis. Sudauit. Iudicata est perfecte vndecima die.

HIPPOCRATIS COI

De Morbis popularibus Liber II.

Argumentum in Librum sequentem.

Sectio prima. Carbunculi æstiui in Cranone à pluuijs continuis, &c. Febres ardentes. Ascarides. Morbi autumno prouenientes. Morbi quibus temporibus facillimè iudicentur. Ver omnino saluberrimum. In morborum principijs quid considerandum. Quorum morborum iudicationes sint velociores. Crude iudicata. Abortientium signa. Testium tumores tussim finiunt pectoris, mammarum genituræ & vocis communio. Abscessus quibus partibus fiant, & qui boni & qui mali. Abscessus tussiculosi. Sanguinis è naribus eruptiones. Linguæ duræ vel molles. Capita longa ex viuendi ratione. &c. Venæ amplæ, & ventres, & ossa ampla. Pectinum ruptiones. Hepatici vnde. Qui morborum regiorum ab hepate color. Morborum à splene color. Vlcera quæ ægrè persanentur. Occasiones morborum considerandæ. Vlcera iudicantia. Ad crudos, & liquidos secessus.

Sectio secunda. Oris ventriculi dolor. Morborum mutationes & fines. Ventris turbatio. Ex calculi morbo, in superna palpebra ordeolum. Tibiarum tumores ex defatigatione cum calore. Testis sinistri tumor ex febribus modicis. Splen magnus. Manus dextra, & crus siderationis modo soluta. Alibi circa renes dolores, à crapula. Dolores fortissimos quomodo quis dinoscat. Aqua leuissima quæ. Cibi, & potus. Abortus. Dysenteria qui magis laborent. Pustulæ per corpus lactantis. Vrinæ stillicidium. Coxæ dolor ante conceptionem. Pustulæ inferne in tibia prægnantis. Puer carnosus sine ossibus. Gemellarum partus, & modica purgatio. Ructus acidus in diuturnis intestinorum leuitatibus. Veratri potio. Hepatis eleuatio splenico modo. Mictio multa cum sanguinis fluore ex nare sinistra. Splen in gibbum eleuatus. Anginosorum affectiones. Glandulæ nulli vnquam intumuerunt. Venarum in temporibus, capite, ac ceruice eleuatio. Tumor rectus, nec in alteram partem vergens. Tumores ad alteram partem vergentes. Resolutiones leuiter syderatorum.

Sectio tertia. Febres ardentes in Perintho hyeme australi, vere, & æstate siccis. Asperitudines in cute miliaceæ. Medicamentorum compositionis ratio. Febris acuta ex tussi matura. Disparentia sine signo iudicatorio male iudicantur. Quæ febres in glandularum tumoribus malæ. Spiritus. Assidua oscitatio. Spiratio. Relicta post iudicationes, morbos faciunt. Lienis eleuationes. Sanguinis eruptiones quarta die. Febres vna die intermittentes. Febres ex mucosis & biliosis. Pectinis intentio. Collectiones circa linguas, humiles calculi, & quod podagricis fiunt. Quartana annua. Deligationes in venarum sectionibus. Ructus acidi. Rigores mulierum. Partus vitales. Humiditas per prodeuntia. Menstruarum purgationum circuitus est. Lac primiparārum. Tumor in vulneribus fortibus non apparens. Menstrua purgationes, similes octimestribus. Tumores præter rationem eleuati.

Sectio quarta de Venis. Hepatitidis venæ distributio. Septum transuersum. Venæ duplices à clauiculis. Arteri ex rene. Nerui duo à cerebro. Crurum impotentia ex assiduo esu leguminum. Excandescentiæ vtilitas. Oscula vteri ad coxam, & crus ex partu conuersio.

Sectio quinta, De naturæ indiciorum notionibus. Naturæ indiciorum notio. Mali. Boni. Hydropicorum species. Lingua offendentes. Surditas. Sanguinis è naribus eruptio. Insania. Puerperis conuulsio quomodo soluenda. Capitis os confractum. Vlcus. Desipienti quid adhibendum. Ventositas. Fluxio. Infœcundarum remedia. Vocis repentina destitutio. Pituitæ fluxiones oculorum, ex mammis. Tussis sicca. Hydropici tussis. Coxarum, oculorum, testium, & mammarum communio. Partes circa faciem graciles. Hydropicus. Auris dolor. Vena pulsans in cubito. Vulnus sanguinem fundens vni. Oris ventriculi dolor. Vomitus solutio. Corruptorum corpore sanatio. Ad oculos. Varices caluorum. Ad vitiliginem, & lepram. Secundarum si non descendant, purgatio.

Sectio sexta. De natura indiciorum notionibus. Iracundi qui longæ vitæ. Boni. Homo adaptatus. Vocis in conuulsionibus, impari die solutio. Puer quo mense nutria-

triatur. Solutio voci similis. Venarum in manibus pulsatio. Ad gutturis dolorem. Ventris turbationis cura. Interceptio morbi quando fieri debeat. Mori nemnem, nisi die, mense, & anno imparibus. Oculi non robusti. Ternarij numeriuis. Angina. Lippitudo. Intestini vulneratio. Bilem generantes. Dextræ partes plurimam vim circa naturam habent. Ad menses sistendos. Trimestris puer. Lactis multus fluor, fœtum debilitat. Mammis maximam confluentiæ partem inesse. Vrinæ stillicidium. Cancri generationem quæ sequantur. Anxietas, horror, oscitantia. Supernarum partium dolorem quæ soluant. Auris dolor. Voluulus mollis. Præcordiorum distentio. Paronychia vnguium absessus. Aquæ secedenti. Mulieri concipere volenti. Capitis dolor ex crapula. Calori, non à bile, neque à pituita, sed à lassitudine, quomodo medendum. Insaniæ futuræ signa.

Sectio prima.

CArbunculi in Cranone æstiui: pluebat in ardoribus aqua larga. Cõtin gebat hoc per totum, & maximè ab austro: & subnascebantur quidē incute sanies: dum autem intro cõcipiebantur; calescebant, & pruritū inducebant: deinde pustulæ velut ab igne inustæ excitabantur, & sub cutem vri sibi videbantur, in ardoribus siccitates. Febres plerunque citra sudorem. In his verò si minutæ imbris guttę deciderint; magis sudatoriæ fiunt ab initio. Ad hæc difficilioria iudicatu manent, quam aliter: attamen minus, si non propter hæc fuerint, sed propter morbi modum. Febres ardentes in æstiuis magis fiunt, & in alijs temporibus. Resiccantur autem magis æstate. Autumno maxime ferinum, & oris ventriculi dolor quanquam & ipse minus maleficus fuerit, ipso morbo tali existente. Ascarides vesperi similiter huic: & illæ tunc infestant in die plerunque, non solum ideo quod magis affligunt: sed etiam ipsæ per seipsas. In autumno acutissimi morbi, & maximè lethales, & omnino similitudinem habent; eo quòd vesperi exacerbãtur: tanquam annus ipse habeat circuitum morborum. Quale est dies morbi, quale est vesperinum tempus ad exacerbationem: tale est morbi, & vniuscuiusque constitutionis inter se, vbi non quid in superiori specie fuerit innouatum; sin minus; alia sanè constitutione hæc imperium obtinuerint. Quare etiam annus ad seipsum hoc modo se habet. In quietis, ac constantibus temporibus, & annis tēpestiue tempestiua prębētibus, boni status, & iudicatu facillimi morbi fiũt. In inconstantibus verò, incõstantes, & qui difficulter iudicantur: quum sanè in Perintho defecerit, aut abundauerit quid, vt aut venti sint, aut non venti: aut aquæ, aut siccitates, aut ardores, aut frigora. Ver autem omnino saluberrimum, ac minime lethale. Circa principia morborum considerandum, an statim florent. Clarum autem hoc fit ex incremento. Incrementa verò ex circuitibus: & iudicationes quo que hinc manifeste fiunt, itemque exacerbationibus in circuitibus, si citius accedant, aut non: & si diutius durent, aut non: & si magis affligant, aut non. Ex omnibus autem continuis, aut intermittentibus, & diuturnis, & vulneribus, & sputis, & doloribus, Itemque tuberculorum inflammationes, & quæcunque alia posterius apparent, fortassis autem, & ex alijs communibus rebus, quæ quidē citius fiunt, breuiora sunt: quæ verò tardius, longiora; quum etiam in circuitibus citiorem recursum, ac reliquum augmentum, morbus neget: nam & eorũ qui statim pereunt, velociores sunt iudicationes: quoniã & dolores, & continui ac fortes. Quæ verò ad melius iudicant, non statim apparent. Iudicatoria non iudicantia, partim lethalia sunt, partim difficilis iudicationis Quæ præiudicata sunt, si crude iudicata fuerint; recidiuę fiunt: sin minus; iudicationis impeditiones, aut malæ iudicationes. Possunt etiam fieri perniciosa ea, quæ non parua sunt. Quæcunque iudicatoria signa fiunt, eadem hæc si non fiunt; difficilis sunt iudicationis. Quæ verò contraria significant, malum: nõ solum si recurrant: sed etiam primariæ naturæ contraria repentia. Quemadmodum etiam malorum signum, ea quæ ad contraria repunt. Considerare verò sic oportet in cibis, compressionibus venarum, tumoribus præcordiorum, sursum vergentibus, deorsum vergentibus. Sed & multa sunt eiuscemodi, velut abortiētium mammæ graciles fiunt, neque enim cõtrarium est: Neque tusses diuturnæ, quoniam vbi testis intumuit, cessant: & testis tumor à tussi cessat, & alleuatur: quæ res commone facit nos communionis pectorum, mammarum, genituræ, vocis. Abscessus, aut per uenas, aut per ossa, aut neruos, aut cutem, aut alias emotiones. Boni autem sunt, qui infra morbum fiunt, velut varices, lumborum grauitates ex supernis. Optimi verò potissimum sunt inferni, & lungissime infra ventrem, & remotissimi à morbo; & qui per effluxionem fiunt, velut sanguis è naribus, pus ex aure, sputum, vrina, quæ per effluxionē fiunt. At absessus, quibus hæc non fiunt, sunt velut dētes, oculi, nasus, sudor. Sed & quæ sub cutem abscedunt foras tubercula, velut putrescentia, & quæ suppurantur, aut vlcus, aut eiusmodi pustulę, aut squamæ, aut defluuium capillorum, vitiligines, lepræ, aut eiusmodi quæ absessus sunt aceruatim fluentes, & non semirepentes, & quæcunque alia dicta sunt; & si non prorationis excretionis morbi dignitate fiant, velut Temeni nepti ex morbo forti ad digitum decubuit, qui quum non sufficeret ad suscipiendum morbum; recurrit; Mortua est. Absessus aut per uenas, aut per aluum, aut per neruos, aut per cutem, aut iuxta ossa, aut secundum spinalem medullam, aut secundum alias effluxiones, os, pudendum, aures, nares, ex vtero menses. Iudicationes postridie fiunt, velut ad lumbos, aut ad femur, & ad testes. Quandoquoque ex tussi, & testis ipse à seipso. Tussiculosi absessus, qui supra ventrem sunt, non similiter perfectè liberant. Sanguinis eruptiones largæ, ex naribus plerunque liberant, velut Heragoræ, quod medici non animaduerterunt. Qui voces asperas natura habent, his etiam linguæ subasperę sunt, & quæcunque asperitates à morbis similiter: quæ igitur duræ sunt linguæ à natura, etiam sine morbo hoc habent. Molles verò tardiores sunt, & ad peccatum, & ad bonum quàm prior natura. Considerandæ sunt etiam longa capita, ex viuendi ratione, & ceruices longæ, ab inclinationibus: & venarum amplitudo, & crassitudo, ab eadem, & angustiæ, ac latitudines, & breuitates, ac tenuitates, ex contrarijs. Quorum venæ amplæ, & ventres, & ossa ampla, hi sunt, qui tenues sunt. Pingues verò his cõtraria habent: & in his, qui fame

mace-

macerantur, mediocritates. Ab his considerandа ea sunt quæ præ propera incrementa vnicuique detrahūt, & quæ diminutiones adaugent: & ea, quæ incrementa coadaugent, & quæ corroborant. Et quæ sint communes venarum dissectiones. Pectinum ruptiones quæ quidem circa pubem fiunt, vt plurimum statim sunt innoxiæ. Quæ verò paululum supra vmbili cum in dextra parte, hæ dolorosæ sunt & anxiosæ, & stercoris vomitum inducunt, velut etiam Pittaco accidit. Fiunt autem hæ, aut à plaga, aut vulsura, aut alterius insultu. Quibus id, quod medium est inter abdomen, & cutem inflatur, & non sedatur. Color est, velut qui multum pallidus est, & qui ex candicante pallet: quoniam omne huiusmodi ab hepate est, & ex hoc sunt hepatici in his morbi: & morbi regij ab hepate, ad subalbidum colorem vergunt: & qui ex aqua inter cutem, & ex pituita alba laborant. Qui verò à splene sunt, tū hydropes, tū morbi regij, nigriores sunt. Sed & vlcera quæ ægre persanantur, exalbidorum sunt, qui ferè lētis colorem referunt: & cutis distringitur, ac labia, velut Antilochus habuit & Aleuas, ab humoribus ex corpore salsuginoso, quod sub cute maxime, & à capite contingit: quum à pulmone fuerit calefactum. Occasiones, vnde quis ægrotare cœpit, considerare oportet, siue capitis sit dolor, siue auris, siue lateris. Signum aūt sunt in quibusdam dētes, & in quibusdam inguinum tumores. Vlcera oborientia, ac iudicantia febres, & tubercula: quibus hęc non fiunt, iudicatio sublata est. Quibus intus relinquuntur, certissimæ recidiuæ, ac celerrimæ. Crudos, ac liquidos secessus, milium solidum in oleo coctum sistit. Exemplo est naturæ puer, & Myriochaune.

Sectio secunda.

Mulier cor, hoc est, os ventriculi dolebat, & nihil remittebat dolor. Huic polentæ pollen in mali punici succum insperſus, & semel in die acceptus in cibo satis fuit, & non reuomebat, velut Charioni contigit. Mutationes prosunt; si non ad praua mutentur, velut his, qui à medicamentis vomunt febrium gratia. Fines in meraciora definentes, putrefactionem significant, velut Dexippo. Serapis ex liquida aluo intumuit. Pruritus autem haud scio quot diebus, non vltra. Habebat autem & abscessum quendam in lateris mollitudine, qui nigrefactus occidit. Et Stymargi vxor ex ventris per paucos dies turbatione, vbi multum in sistendo laborasset, & post pueri sexus fęminei quadrimestris ex corruptione discessum sana facta esset, intumuit. Mosco è calculo laboranti, fortiter in superna palpebra ordeolum obortum est, magis ad aurem: deinde intro exulceratum est. Quinta, & sexta die ex internis pus erupit. Infernas affectiones soluit. Glādularum tumor, ac inflammatio circa aurē erat, itemque inferne in collo, è directo superni tumoris. Aristęi vxoris frater fatigatus in via incalescebat; deinde in tibia tumores fiebāt, terebinthi fructui similes. Postea febris continua fiebat, & postridie sudor factus est, & alijs paribus diebus semper idem fiebat. Adhuc autem febris tenebat Erat autem sublineosus. Ex sinistra nare sanguis erumpebat frequenter, & paulatim. Iudicatus est. Postridie iuxta sinistram aurem tumor. Sequenti die etiam circa dextram, sed hic minor: & insuper tepescebat. Hi euanuerunt, & non suppurati sunt. Qui ab Alcibiade venit, ei ex febrib. modicis ante iudicationem testis sinister intumuit: Habebat aūt splenē magnū: & sanè tūc iudicata est febris vigesima die: deinde alias, atq; alias subincalescebat, & subfloridū spuebat. Cuidā manus dextra, & crus sinistrū, quū ex tussī parū, & nihil memorabile eiecisset, sideratione modo resoluta sūt: alia verò nulla re alterata est, neq; facie, neque mente: Nec verò adeò fortiter illis partib. Cępit ad melius procedere circa vigesimā diem. Factum aūt hoc est illi ferè circa mensium eruptionē, & fortassis tunc primum apparebāt. Erat. n. virgo. Apæ mantus, & pater fabri illius, qui caput fregit, & Nico stratus nō extussiebant quicquam. Erant autem alibi circa renes dolores. Interrogationes factæ sunt: dicebāt ipsos semper repleri potu, aut cibo. Dolores fortissimos quo modo dinouerit quis conspicatus, fuga, tolerantiæ, experiētiæ, & timiditates indicant. Aqua, quæ cito calescit, & cito frigescit, semper leuior est. Cibi, & potus experientia opus habent, an ad æquali tatem maneant. Dicendum quòd, vbi sanguis effluxit, expallescunt, & quæcunque alia huiusmodi. Abortus masculus sexaginta dierū, in partuum suppressionibus salubris. Hercules intumescebat mali ipsius die octaua magis ex dysēteria laborat, quisquis sanè etiam è tenesmo vexatur. Quædam lactans pustulas per corpus vbique habebat. Postquam autem lactare cessauit, sedatæ sunt per æstatem. Coriarij illius, qui coriacea præparabat, vxori, quum peperisset, & perfecte exoluta esset, visum est de secunda membranosum quiddam remanere: discessit autem quarta die male: nam vrinæ stillicidio vexabatur. Statim concipiens peperit masculum. Habebat autem iam multos annos, & postremum neque menses prodibant. Quando autem peperisset; vrinæ stillicidium paululum intermittebat. Quædam priusquam conciperet; coxam dolebat. Postquam autem concepit; non amplius dolebat. Vbi verò peperit; vigesima die rursus doluit. Peperit igitur masculum. Prægnanti in tibia inferne dextera, tertio, aut quarto menſe pustulæ, ad quas manna thuris vtimur, itemque in manu dextera iuxta magnū digitum: haud scio an peperit, reliqui enim ipsam semestrem; habitabat autem, velut ego puto, in ædibus Archelai ad rupem. Antigenis vxor habitabat iuxta Nicomachum, peperit puerum carnosum quidem, verùm qui haberet maximas partes discretas, magnitudine verò esset quatuor digitorum, & sine ossibus; deinde crassus, ac rotundus. Hæc autem anhelosa erat ante partum: deinde simul cum partu pus reuomuit modicum, velut ex furunculo vocato tuberculo. Quæ filias peperit gemellas, & difficulter peperit, & non valde purgata est; tota intumuit: deinde venter ipsi magnus fiebat. Reliqua verò reprimebantur, & rubicunda prodibant vsque ad sextum mensem: deinde alba valde per omne iam tempus. Atque hæ fluxiones. Veneri officiebant, & mera rubicunda ipsi profluebant. In diuturnis in testinorum leuitatibus ructus acidus oboriens, antea nunquam factus, signum bonum, velut Demænetæ contigit. Fortassis autem licet etiam arte parare: nam turbationes eiusmodi alterant. Fortassis autem & ructus acidi intestinorum leuitatem soluunt. Sanata est veratri potione Lycia: postremùm splen magnus, & dolores, & febris, & ad humerum dolores. Et vena, quę

in

in splene est,in cubito secabatur:& saniebat quidem sæpe: aliquando verò etiam non est secta, sed vnà cum sudore sanguis penetrauit, aut sua sponte. Ex quo autem prodibat, splen dextera parte intendebatur, spiritus intus duplicabatur, non tamen magnus:mente mouebatur,contegebatur,flatus inerat, non prodibat inferne quicquam, neque mingebat. Mortua est ante partum. Quæ circa fauces ad alterutram partem repentina processerunt, exulcerata non sunt, ad sinistra transiuerunt, ad splenem dolor venit citra iudicationem. Hieroni iudicatio facta est decimaquinta die.Coi sorori hepar eleuatum est splenico modo.Mortua est secunda die. Bion simul multum mingebat quod non subsidebat, & sanguis ex sinistra nare manabat:erat enim & splen sursum in gibbum eleuatus, ac durus superstes mansi: recidiua. Erant autem anginosorum affectiones hæ.Colli verticula intro vergebant,quibusdam amplius, quibusdam prope. Et collum forinsecus conspicuam cauitatem intro habebat, & hac parte ad contactum dolebat. Erat autem & cuidam infra os dentis appellatum,quod non similiter acutum est: quibusdam verò etiam valde rotundum, maiore circumferentia. Si non cum dente appellato, fauces non inflammatæ,verùm iacentes. Partes sub maxilla tumidæ,non inflammatis similes. Neque glandulæ vlli intumuerunt: sed magis secundum naturam:linguam non facile vertebant, ipsisque & maior esse videbatur, & prominentior, & sub lingua venæ conspicuæ: deglutire non poterant,aut valde difficulter. Immo ad nares fugiebat,si valde cogerent: & per nares loquebantur.Spiritus autem his non valde sublimis. Quibusdam verò venę in temporibus, & in capitibus,ac ceruice eleuatæ. At recrudescentibus,ex his,parum quiddam tempora calida, etiamsi aliàs non febricitarent. Non suffocabantur plurimi nisi quum deglutire cupiebant aut saliuam,aut aliud quiddam. Neque oculi intus desidebant. Quibus igitur tumor erat rectus, nec in alteram partem vergebat; hi neque leuiter sideratorum modo resoluebantur.An vero aliquem perijsse viderim, in memoriam reuocabo. Quos autem nunc noui,superstites manserunt. Erant autem partim celerrime alleuatia. Plurima verò ad quadraginta dies deuenebant: & in hoc plerunque etiam sine febre. Multi verò etiam ad valde longum tempus,partem aliquam tumoris habebant. Et deglutitio,& vox indicabat: & columellæ liquescentes significationem quandam prauam exhibebant,quamuis nullum grauius malum habere videbantur. Qui verò tumores ad alteram partem vergentes habebant, hi vnde verticula inclinata fuerunt, isthic resoluebantur. Atque inde ad alteram partem distrahebantur. Erant autem hæc in facie maxime conspicua,& in ore, & interscpto iuxta gurgulionem. Sed & maxime inferne pro ratione immutabantur.Cæterùm resolutiones leuiter sideratorum modo, non per totum corpus fiebant veluti ex alijs, sed vsque ad manum, ab anginosa affectione. Atque hi & matura expuebant, eaque pauca, ac difficulter. Quibus autem in rectum tumor tendebat, itidem expuebant.Quibus verò etiam cum febre,hi multo magis,& difficulter spirabant, & aliena loquebantur,& venæ his magis eleuatæ. Et pedes omnibus quidem frigidissimi erant, maxime autem his. Et hi ad rectè standum impotentiores erant. Et quidam non statim moriebantur. Quos autem ego noui, omnes mortui sunt.

Sectio III. Constitutio temporis.

In perinthum circa solstitium fere æstiuum venimus,facta autem est hyems clementi cœlo, austrina. Ver, & æstas valde sine aquis vsque ad pleiadũ occasum: nam,si etiam quid aquæ cecidisset:id erat velut minutæ roris guttæ.Et Etesiæ non valde spirarũt:& qui spirarunt,diuulse id fecerunt. Aestate febres ardẽtes populariter grassatæ sunt multæ. Erant autẽ sine vomitu: & alui turbatæ ex tenuibus,aquosis,non biliosis,spumosis, multis, quæ aliquando depositа ẽt subsidentiã habebant, ex quibus sane etiam id, quod sub dio noctu exponebatur,simile erat.Aequales specie alui secessus semper,malum.In his multi soporosi erant,& mente moti:hi verò ex somnis tales fiebant. Quum autem suscitati essent, omnia intelligebant. Spiritus sublimes,non tamen valde,vrinę tenues quidem plurimis,& paucæ,aliàs autem non decolores. Sanguinis eruptiones è naribus non fiebant,nisi paucis: neq; parotides iuxta aures,de quibus postea scribam:neque splenes attollebantur,neque dextrũ præcordium,neq; doloroſum valde,neque fortiter intẽtum erat. Erat tamen quid,quod iudicationem faciebat.Et maxime iudicabantur oĩa plerunque circa decimamquartam diem pauca cũ sudore,pauca cũ rigore:& valde paucis recidiuæ fiebant. At verò sub minutas velut roris guttas,quæ in æstate fiebant, apparebat sudor. In febricitãtibus etiam quidam sudores statim ab initio fiebant, non tamen maligno modo: & quibusdam sub hoc tempus etiam iudicatio facta est cum sudore. Fiebant autem in febribus æstiuis, circa septimam,octauam, & nonam diem,aspretudines in cute milliaceæ, culicum morsibus maxime similes, non valde pruriginosæ. Hæ perseuerabant vsque ad iudicationem. Nulli equidẽ masculos tales eru pisse vidi. Mulier autem nulla mortua est,cui hæ fiebant. Et graui auditu præditæ,& soporosæ erant. Prius autem non valde soporosæ erant hæ, quibus illæ affuturæ essent.Non tamen in totum durabant:verùm soporosæ, & somnolentæ erant per æstatem, & vsque ad pleiadum occasum.Postea verò magis vigiliæ aderant.Sed neque in totum ab hac constitutione moriebantur. Aluum igitur per cibos sistere non dabatur,imò præter rationem putasset quis mederi cõducere, etiamsi minus multa quibusdam prodirent, per hoc, quod in frigore quis iaceret strato supposito; nam vlcerat quidem frigidum, calefacit autem eiusmodi species sensim progrediendo adhuc magis, etiamsi nulla afflictio naturę accedat;& in quibus,& qualia signa,& plura,aut pauciora contingentia,oscitatio,tuisis,sternutatio,distentio cũ oscitatione,eructatio,flatus: omnia talia corrumpunt. Quibus in febribus anxiosis, horridis, rubescunt facies,lassitudines,oculorum dolores, capitis grauitates, resolutiones leuiter sideratorum modo,& menses si apparuerint, maximè quibus per tẽpus: sed & virginibus,& mulieribus,quibus per tempus:sed & quibus,non in quo solet tempore,aut velut oportet apparent; deinde pallidæ fiunt.Magnum autẽ in omnibus,id quod & consequenter fit, & in quo tempore, & in quibus.

Valde

Valde bilioſis in febribus maxime, omnino quibuſdã ad crura purgatio. Medicamentorum modos ſcimus, ex quibus qualia, & quæ fiunt: non enim omnes ſimiliter, ſed alij aliter componuntur. Et albi citius, aut ſerius, in manuum tractationes aſſumuntur, velut eſt aut ſiccare, aut tundere, aut coquere, & eiuſmodi. Omitto plurima quæ vnicuique, & in quibus morbis & quo tempore morbi, ætatem, ſpeciem, victum, qualis hora anni, & quæ, & qualiter procedat, & huiuſce modi. Zoilo iuxta murum ex tuſſi matura, febris acuta, & faciei rubor, & aluus intercepta, præterquam ad neceſſitatem coactè, lateris ſiniſtri dolor, & auris è directo valde doloroſa, & caput non vſque adeò. Spuẽs ſemper ſuppuratum ægrotabat. Sed alia iudicata sũt, & iuxta aurem pus multum erupit, circa octauã, aut nonã diem. Principia verò noni diei ex dolore auris. Haud ſcio, quomodo ſine rigore iudicatio facta eſt. Sudauit caput valde, Et hic ſudor firmus erat, quòd quidem ardor etiam ſiniſtri lateris eſſet. Superne vnà cum aure dolor ſedatus, maxime circa ſcapulas. Sed & ante ſputa multa, ab initio florida reiecta, & circa ſeptimam, aut octauam diem: deinde laborioſa. Aluus reſtitit vſque ad nonam, & decimam diem. Dolor extinctus eſt. Tumor remittebat, & ſudores fiebant parui, non autem iudicabant. Manifeſta autem erant hæc tum ex alijs, tum ex ſeceſſu: nam incipiente auris dolore, etiam venter turbatus eſt. Erupit autem ex aure nona die, & iudicatus eſt morbus decimaquarta ſine rigore eadem die. Sed & ſputum largius ibat, & maturius, poſtquam auris erupit. Sudores autem, & ſerpentia vlcuſcula, ad multum tempus, in capite fiebant. Reſiccata ſunt tertia die. Quæcunque ſine ſigno iudicationis iudicatorio diſparent, male iudicata ſunt, velut Eryſipelas ancillę Polemarchi. In glãdularum tumoribus febres malum, exceptis diarijs. Et in febribus glandularum tumores, deteriores, qui in acutis ab initio vigorem remiſerunt. Spiritus, præcordijs eleuatio mollis, & intentio neutra, in ipſis ſuperne rotundum, in dextris velut circumferentia ſuppuratoria, aliud longius magis, aliud diffuſum, aliud deorſum repens, & hinc atque hinc diſtentio vſque ad vmbilicum. In omni ſurſum verſus è directo latione, ſi reuocetur, & in rotunditatem concludatur, quatenus quidem ſpiritus fuerit citra iudicationem calore attenuatur. Si verò hũc effugerit; ad ſuppurationem procedit. Spiritus denſi, parui: magni, rari: parui, rari: extrà magnus, intrà parvus, alius quidem extendens, alius verò vrgens: dupla intro reuocatio, velut ſuperinſpirantibus calidus, frigidus. Medela aſſiduarum oſcitationum ſpiratio longa. Non potantibus, & vix ſpiratio breuis. E directo etiam laterum intentio doloroſa, & præcordiorum intentiones, & ſplenis eleuationes, è naribus eruptiones. Quæ relinquuntur poſt iudicationem, recidiuas facere ſolent. Primùm itaque lienis eleuationes, ſi nõ ad articulos finierint; ſanguinis è naribus eruptio fit, aut præcordij dextri intentio, ſi non penetrauerint, vrinæ: hæc enim eſt interceptio vtrorunque, & recidiuæ horum merito fiunt. Abſceſſus igitur horum facere oportet, ſi non fiant: eos verò, qui iam fiunt, declinare: Eos autem excipere, ſi prodierint iam, & qualia oportet, & qua parte oportet: qui verò non valde, eos coadiuuare: eos verò auertere; ſi omnino incommodi fuerint, maxime ſi hi affuturi ſunt: ſin minus; ſi iam veniunt. Quarta die, contingentes ſanguinis è naribus eruptiones ægre iudicant. Febres, quæ vna die intermittentes, altera ſuperrigent, vnà cum iudicatione, ad ſeptimum circuitum durant. Scopo ex mucoſis, bilioſis, & faucium inflammatione, malo victu vſo aluus ſuppreſſa eſt, & febris acuta facta, & lingua florida, & vigil ſine ſomno. Pectinis intentio fortiter, æqualiter, paulatim ad infernam partem in dextris. Spiritus ſubdenſus præcordia uolebat, & reſpirans, & quum verteretur. Sine tuſſi verò excreabat ſubcraſſa. Peplus ipſi data, à pręcordio quidem depulit, tranſiuit autem nihil. Poſtridie glandes duę appoſitæ non apparuerunt. Vrina craſſa, & turbata. Subſidentia leuis, & plana: & reſtitit aluus in turbulẽtia, venterque mollior erat. Et ſplen eleuatus, & deorſum vergans factus eſt. Potu vtebatur aceto mulſo dulci, aut fauorum cremore cocto. Decima ſanguis ex ſiniſtra nare aquoſus paucus venit: non autem valde infirmus erat ob hoc ipſum: & vrina ſubſidentiam habens. In ſubſidentia verò ſubalbum quiddam adhęrens vaſi, tenue, neque geniturę ſimile, neque diſſimile. Defluxit hoc breui. Poſtridie iudicatus eſt, à febre liber, & ſubijt ſubuiſcoſum vndecima die. Hoc verò circa defluxum erat quid bilioſum. Vrinæ verò purgatio multa, tum copia, tum ſubſidentia: & priuſquã vinum bibere inciperet; ferè pituitæ ſimilis. Penetrauit autem vndecima die, vt quæ non eſſet multa. Viſcoſa verò erant ſtercora, & turbata. Huiuſmodi autẽ iudicatorio modo fiebat: nam & Antigenis in Perintho tale erat. Quæ circa linguas eleuantur collectiones, & humiles calculi, & quæ podagricis fiunt, circa debiles illorum articulos ſunt: nam oſſium natura cauſa eſt, vt hęc, & indurentur, & diſtendantur. Collectio Hippoſtrati vxori ex quartana annua ad faſtigium eleuata eſt; quum ſubfrigida palàm eſſe videretur impetus in totum corpus factus eſt, & ſudor: iudicata eſt hoc modo: & poſtea menſes plures copia, & tempore: tunc enim ſuppreſſi fuerant. Abſceſſus non conſiſtere viſus eſt. In pulſantibus ſanguinẽ fundentibus figura ampla, & in totum ſi ex omnino decliui accliue fiat. Quapropter etiam deligationes in venarum ſectionibus impetum faciunt: fortes verò ſanguinem impediunt. Sanguincũ, & ſubbilioſum, ructũ acidum facit. Fortaſſis autem ad atrę bilis morbum his deſinet. Rigores incipiunt mulieribus quidem magis à lumbis, per dorſum ad caput: ſed & viris poſteriore corporis parte magis, quàm anteriore, uelut cubitis, femoribus. Sed & cutis rara. Indicat autem pilus animantium. Quibus nihil intra conſtitutum tempus accidit, ſingulis partus uitales fiũt. Apparentia in quib. menſib. fiunt. Labores in circuitib. Quicquid in ſeptuaginta mouetur, in triplicitatib. perficitur. Poſt menſes, dextera, & ſiniſtra hiant. Humiditas per prodeũtia, requirit diætam ſiccißimam. Quod citius motum eſt, ac diſcretũ, rurſus augeſcit etiam tardius, & ad longius tempus. Labores, circa quinquageſimum tertium diem, & circa centeſimum ſextum. Labores tertio, quinto, ſeptimo, nono menſe, & ſecundo, ac quarto. Quæ noſſe oportet ad ſeptimum menſem, aut à menſium fluxu numerandi ſunt nouem menſes, aut à conceptione: & ad ſeptuaginta ac ducentos dies, Græci menſes fiunt: & ſi quid amplius vltra hos eſt, & aut maſculis, aut etiam fœmellis, hæc fiunt, aut contraria. A cibis & potibus humeri,

ri,ac mammæ inflantur:& impotentię,& inflationes in capite incrementa faciunt,donec ossa fuerint solida facta. Menstruarum purgationum circuitus est. Quæ ante has fiunt grauitates,similes sunt laboribus octimestribus. Primipararum lac,alimento quidem transmutationem accipiente, octimestri verò perficiente. Si in vulneribus fortibus, tumor non appareat magnus;malum. Laxi,bonum: sursum pascentes,peius. Menstruæ purgationes similes octimestribus,in tendentibus ad decimum mensem contingentes,malum. Quibus tumores in vlceribus,non valde conuelluntur,neque insaniunt. His autem derepente dissipatis, quibus quidem ad posteriores partes, conuulsiones cum doloribus quibus autem ad anteriores,aut insaniæ,aut dolores lateris acuti,& dysenteria rubra. Tumores præter rationem alleuantes, prauum: velut Andronici filio Erysipelas recurrit:si non ad eundem locum rediens, bonum quid significet. Hoc ex natiuitate circa aurem,ad pubem distributum est. Alteri tertia,ex natiuitate die factũ,suppuratũ est nona. Hic septima die sanus euasit. Malignio ra sunt,quæ derepente disparent.

Sectio quarta. De venis.

Hepatitis in lumbis vsque ad magnum verticulũ, inferne etiã verticulis se ingerit: hinc subleuata per hepar,& per septum transuersum ad cor:& quæ quidem recta est,ad clauiculas:hinc aliæ quidem ad collum,alia verò ad scapulas,aliæ deorsum deflectẽtes, ad verticula,& costas declinant: Et ex sinistris quidem,vna prope clauiculas: ex dextris verò ad quendam ipsarum locum. Alia verò vtrinque deflexa: alia paulò inferius deflexa, vbi quidem illa deficit,costis se ingerit, donec ad venam in ipsum cor accesserit,ad sinistras deflexa. Infra autem decuruata ad vertebras descendit donec perueniat, & inde incipit eleuari,ingerens se costis reliquis omnibus, hinc atque hinc singulis ramulos prębens,quum sit vna:à corde quidem ad locum quendam à sinistris magis procedens:deinde infra arteriam, donec consumpta fuerit & venerit eò,vnde hepatitis subleuata est. Priusquã autẽ eò venit, circa extremas duas costas diuisa est, & partim ab hac, partim ab illa verticulorum parte progressa consumitur. Quę verò recta à corde ad clauiculam tendit,supra arteriam est:& ab hac, velut etiam iuxta lumbos infra arteriam, ad hepar insilit, partim in portas & pinnas,partim in reliquum deinceps procedit paulo infra septum transuersum. Septum autem transuersum adhæret hepati,neque facile est ipsum separare. Duplices porrò venæ à clauiculis,alteræ hinc,alteræ isthinc,sub pectus ad pectinem procedunt,quò verò hinc,nondum scio. At septum transuersum infra iuxta verticulum quod est infra costas,qua renes ex arteria, ea parte consurgũt. Verùm arteriæ ex ipso rene oriũtur,hinc atque hinc ab arteria neruum habentes. Atque hac parte alicubi in recurrente à corde hepatitis definit. Cęterùm ab hedatitide per septum transuersum maximę duę, altera hinc,altera isthinc, sublimes feruntur,multifidæque per septum sunt, & circa ipsum consistunt in superna parte,atque hæ magis sunt conspicuæ. Duo vero nerui à cerebro sub os magni verticuli ex supernis & ad gulam magis, ab vtraque arteriæ parte descendunt,& vterque in seipsum incidens,vni similis, vbi verticula & septum sunt,ibi desinunt. & quidam ambigui, ex hac societate ad hepar, & splenem ipsos tendere putauerunt. Alius neruus ab vtraque verticulorum parte iuxta clauiculam ad spinam procedit, ex obliquo verticulorum, & ad costas distribuitur: & quemadmodum venæ, sic hi per septum, ad mesenterium mihi tendere videntur. Vbi autem hæ deficiunt;rursus hinc vbi septum exoritur, ab eo cohærentes ac continui existentes,iuxta medium infra arteriam,deinceps ad verticula distribuuntur,quem admodum venæ, donec ad sacrum os progressi consumuntur. In Aeno ex assiduo leguminum esu, fœminæ,& masculi crurum impotentes facti sunt,ac vitam degerunt. Sed & his,qui eruo vescuntur,genua dolent. Diligentia adhibenda est,vt excandescentia inducatur, & coloris reparandi, & sanguinis in vasa subter cuticulam colligendi gratia, itemque lætitia, & timor, & huiusmodi: & si quidem reliquum corpus simul ægrotarit:simul curare:sin minus;satis est. Stymargi famula Idumæa erat,quæ vbi filiam peperisset,conuersum est ei vteri osculum,& dolor ad coxam,& crus. Iuxta malleolum secta vena liberata est, & quidem quum etiam tremores totum corpus detinerent. Verùm ad causam deuenire oportet, & ad causæ principium.

Sectio V. Naturæ indiciorum notio.

Quicunque fului,naso acuto, oculis paruis,mali. Quicunque fului,simi oculis magnis,boni. Hydropici rauos oculos habent,& claui sunt. Vocis gracilitatem soluit varix, ad sinistrum, & dextrum testem: absque horum altero fieri non potest vt soluatur. Magni,calui,balbi,gracili voce præditi,boni. Morbos autem habẽt,balbus,aut caluus, aut gracili voce prędituS,aut hirsutus,fortiter atrabiliarios. Qui lingua offendunt,& labiorum non sunt potentes, eos necesse est,dum illa soluuntur,suppuratos fieri. Dolorem in locis infernis fortem surditas soluit,itemque sanguis multus ex naribus erumpẽs. Infantia,magni morbi ex more contingentis solutio. Si puerperis conuulsio fiat;febrem excitato:& cerato multo tepido in vesicam immisso,ac per clysterem infuso colluito. Si capitis os confractum fuerit; lac,& vinum ammixta aquæ pari mensura bibenda dato. Si verò vlcus fuerit;internas venas secato,si non febricitet. Si autem desipiat,caput irrigato,si non præcordia fuerint eleuata. Si caput doluerit, ad pectus descendit,deinde ad præcordia, postea ad coxam, omnia verò vt doleant,fieri non potest. Ventositatem flatuosam venæ sectione, fluxionem pharmaco illito sistito: fluxus enim ex vena magna est. Si verò sua sponte multum fluat;ieiunet:aut aquæ partes duas,lactis quatuor bibat. Infœcundas fomentis,ac medicamentis curato. Quicunque derepente voce destituuntur, si sine febre fuerint;ipsis venam secato. Pituitæ fluxiones ex mammis trahunt oculi, & eructant per nares ad pulmonem. Quibus tussis sicca est,his non soluitur,nisi dolor fortis ad coxas, aut ad crura, aut ad testem irruat. Si hydropicum tussis corripiat,si quidem statim animo linquatur;calidis omnibus vtatur:sin minus;inebriato,ac cibis ipsum impleto. Venas autem internas secato; dum morbus magnus in intentione est. Solutio coxarum dolores, oculorum distortiones,

nes,cæcitas: teſtium tumoris,mammarum eleuatio. Si febre tenente,partes circa faciem graciles fuerint, in die impari; ſequenti die ſoluetur. Hydropicus ſi tumorem in cruribus habens tuſſiat;malum.Si auris doleat;lacte utatur.Si non in die impari febris dimittat;recidiuare neceſſe eſt. Cui uena in cubito pulſarit,inſanus & iracundus eſt:cui uerò quieuerit, ſtupidus. Vulnus ſi ſanguinem fundat;ulcus ne madefacito,uerùm caput calida rigato.Si os uẽtriculi doleat; panem calidum cum uino meraco exhibeto. Vomitus ſolutio: aquam calidam bibẽdam dato,& uomat. Quęcunque corrupta torpeſcunt, euulſa uena ulcerato,ac ſanato. In conuulſione digitorum manus citra febrem,uenam ſecato,ſi non caput doleat:ſin minus,aquam calidam affundito. Ad oculos.Spodij partem duodecimam, croci quintam,nuclei oliuæ unã, ceruſę unam,myrrhę unam. Aquam frigidam ſuper caput fundito:& allia cum maza edenda dato. Varices caluorum ſi non magni fuerint;furioſi ſunt. Ad uitiliginem, & lepram. Calcem in aqua adhibeto,ut ne exulceres Secũdarum purgatio,ſi non diſcedant. Sternutatorium ad nares apponito,ut ſternutet: & ſternutantis nares,ac os apprehendito.

Sectio ſexta.
Naturæ indiciorum notio.

Caput magnum,oculi parui, balbi, iracundi ſunt. Qui longæ uitæ ſunt,plures dentes habent.Balbi,celeri ſingula prædĭti,atræ bilis humori obnoxij,bilioſique ſunt,oculis non nictantes,iracundi. Magnum caput,oculi nigri, & magni, naſum craſſum & ſimũ habentes. Oculi raui,magni,caput magnum ceruix tenuis, pectora anguſta, congrue adaptati hominis ſunt.Caput paruum habens, neque balbus eſſe poterit,neque caluus,niſi fuerit glaucus.In conuulſionibus ſi uox in die impari ſoluitur; à magno morbo liberat.Puerperæ febricitanti, & dolenti aquam affundito, & ptiſanam craſſam ter in die calidam dato. Puer nutritur ſeptimo menſe,aut nono,aut decimo, & voce firmatur,& robur ſequitur,& manibus validus fit.Dum vox ſoluitur;omnia ſoluuntur: ſolutio enim ſimilis eſt voci.Soluitur autem in die impari.Si venæ pulſauerint in manibus,& facies ſana,ac robuſta fuerit,& præcordia non fuerint mollia;diuturnus fit morbus,qui ſine conuulſione non ſoluitur,aut ſanguinis multi ex naribus eruptione,aut dolore ad coxas. In gutturis dolore, aquam calidam ſuper caput fundito;ſi nõ frigus fuerit:ſin minus;farinam quàmcalidiſſimam dato,& vinum meracum. In turbatione ventris, fabas coctas dato; ſi non ſupernæ partes abunde fuerint bilioſæ.Aut cuminũ cum fabis edendum dato.At interceptio morbi fieri nõn poterit,niſi in die impari: neque principium fieri poterit, niſi in die pari,itemque menſe,ac anno pari. Nitrum autem Aegyptium, & coriandrum, ac cuminum cum oleo terito,& ventri illinito.Qui moriuntur,eos neceſſe eſt die impari, & menſe impari,& anno impari mori. Bonum autem fuerit prædicere mortem, aut dolores fortes. Quorum oculi robuſti non ſunt;his mors breui imminet. Si verò in impari anno fiat; ab vtriſque impares fieri neceſſe eſt. Si autem in anno pari, & die pari; neceſſarium eſt in impari die mori.Ex numero tertia fortiſſima eſt. Anginam,& lippitudinem ſoluit venæ ſectio. Vulnerato inteſtino, reſpiratio prodit inferne inconſpicua iuxta vulnus,& euacuãtur pectora.Dato igitur,lac,& vinum pari aquæ mẽſura ammixta. Quorum pectora bilem generant,balbi,furioſi,& calui ſunt. Quicunque horum ex natiuitate etiam ſtrabones, hi imprudentes ſunt, aut calculoſi, aut inſanientes. Quibus autem non,alterius mali ſolutio fit.Circa naturam plurimã vim habet mamma dextera,oculus dexter,& quæ infra ſunt hac parte:nam & maſculi dextris inhærent. Mulieribus menſes vt ſiſtas, cucurbitam maximam ad mammam affigas. Trimeſtris puer omnia præ ſe fert,& lac tũc habet. Si multum fluat lac;neceſſe eſt fœtum debilem eſſe.Si ſolidiores fuerint mammæ;ſanior eſt fœtus. Vena craſſa eſt in vtraque mamma: quapropter maximam habet confluentiæ partẽ. Vrinæ ſtillicidium ſoluit venæ ſectio.Si ſuperni loci turgent qui ſunt circa caput, vlcerum purgatio, vomitus, hydrops. A ventris turbatione,aut à tuſſi,ſi cancer fiat;os amareſcit. Dato autem elaterium bibendum bis,aut ter,ſi non balbus fuerit. Deligare verò oportet florem æris vſtum,donec fuluus euaſerit, & ſpongiam;ſi non balbus fuerit.In anxietate,horrore, oſcitatione, dato vinum pari aquæ menſura ammixta.Ad auris dolorem cucurbitam affigito. Quicquid ſupernarum partium doluerit,dolor ad coxas,aut ad genua,& anhelatio oboriens, omnia hæc ſoluit. In voluulo molli, frigidum vinum multũ meracũ proratione dato; donec ſomnus,aut crurum dolor fiat. Soluit autem & febris, & dyſenteria citra dolorem. Si præcordia diſtenta fuerint; manu comprimito,ac lauato. Ad paronychiam vnguium abſceſſum,galla nigra cum melle.Aqua ſecedẽte,lactis heminas octo bibendas dato. Si verò uomat,& non bibat;alli,aut ceparum intritum dato.Vt mulier in utero cõcipiat; polypos paruos ſuper flamma calidiſſima aſſatos,& ferè ſemiambuſtos,edendos dato. Et nitrum Aegyptium tritum,coriãdrumque,ac cuminum,in paſtillos efformato,in pudendumq; ſubdito. Si ex crapula caput doleat; uini meraci heminam bibat,Si verò aliter caput doleat; panem quàmcalidiſſimum cum uino meraco edat. Si hominem calor corripiat,nõ à bile,neq; à pituita,ſed aut à laſſitudine, aut aliàs febriat;aquam multam calefacito:deinde ea ſuperinfuſa caput rigato,donec pedes ſudarint:& farinã craſſiſſimam coquito. Poſtquam autem pedes ſudarint: farinam plurimam,& calidiſſimam edens, ac uinum meracum inſuper bibens, ueſtimentis contectus facile quieſcat. Aut narciſſi duo,aut tria capita in cœna edat. Qui inſania corripietur,ei hoc ſignum præſagit,ſanguis colligitur ipſi ad mammas.

HIPPOCRATIS COI

De Morbis popularibus Liber III.

Argumentum in Librum sequentem.

Sectionis primæ. Aegrotus primus. Tremor manuum ante febrim acutam. II. Febris vehemens post lumborum, & capitis dolorem. III. Febris ex capitis grauitate & temporis dextri dolore.

Sectione secundæ. Aegrotus. IIII. Febris ex diuturno capitis dolore. V. Febris ex potu. VI. Febris sine siti perpetua. VII. Anginosa. VIII. Febris ex lassitudinibus, laboribus, & cursibus insolitis. IX. Voluulosa molestè procedentia, & vomitus multi. X. Febris ex abortu infantis. XI. Febris ex abortu circa quintum mensem. XII. Febris à partu masculi.

Sectio tertia. Constitutio temporis pestilens. Ignis sacer. Febrium ardentium constitutio. Vrinarum illa temporis constitutione malitiq. Aegroti sedecim. Primus. Febris acuta ab initio continua. II. Febris acuta à filiæ partu. III. Febris acuta ex laboribus, lassitudinibus & neglecta victus ratione. IIII. Phreniticus. V. Febris acuta ardens ex dolore dextri femoris. VI. Sublienosus & capite grauatus. VII. Alia febris ardens. VIII. Febris acuta cum lateris dolore assiduo. IX. Febris ardens acuta post capitis dolorem. X. Febris ex venere & potu. XI. Febricula tenuis ex mœrore. XII. Febris ardens acuta. XIII. Erectè titubans. XIIII. Febris horrida acuta post gemellarum partum & modicam purgationem. XV. Febris horrida ex mœrore. XVI. Morbus ex potationibus, & venere.

Sectio prima. Aegrotus I.

PYthion qui habitabat iuxta Telluris templum, cœpit tremor à manibus prima die, febris acuta, deliriũ. Secunda, omnia exacerbata sunt. Tertia, eadẽ. Quarta ab aluo pauca, mera, bilioſa prodierunt. Quinta omnia exacerbata sunt: tremores perseuerabant, somni tenues, aluus restitit. Sexta, sputa varia, subrubra. Septima, os distractum est. Octaua omnia exacerbata sunt. Tremores perseuerabant. Vrinæ ab initio quidem, & vsq; ad octauam tenues, decolores, in medio pendens nubilosum quiddã habebant. Decima sudauit. Sputa aliquantulum matura, iudicatus est; & vrinæ subtenues circa iudicationẽ. Post iudicationẽ verò, quadraginta diebus postea suppuratio circa sedem, & abscessus factus est cũ vrinæ stillicidio. P. M. V. Q. S. hoc est, Probabile multitudine vrinæ quadrageſima sanatum.

Agrotus II.

Hermocratem, qui ad Nouum murum decumbebat, febris vehemens corripuit. Cępit autẽ dolere caput, lumbos. Præcordij distentio molliter. Lingua ab initio adusta est. Surditas statim: somni non aderant. Siticulosus non valde. Vrinæ crassæ rubræ, depositę non subsidebant. Ab aluo verò non pauca combusta prodibant. Quinta, minxit, vrinas tenues, habebant quid in medio pendens, non subsidebant. Ad noctem mente motus est. Sexta, morbo regio correptus est: omnia exacerbata sunt: nõ resipiscebat. Septima, molesta fuit. Vrinæ tenues similes, similiter etiam sequẽtibus diebus. Circa vndecimam omnia visa sunt alleuata esse. Sopor cœpit. Vrinæ crassæ subrubręq, infrà tenues, non subsidebant. Placide resipiscebat. Decimaquarta à febre liber, non sudauit: dormiuit, intelligebat omnia. Vrinæ consimiles. Circa decimamseptimam redijt, calefactus est, sequentibus diebus febris acuta. Vrinæ tenues. Rursus autem vigesima die iudicatus est, à febre liber non sudauit. Cibum fastidiebat per totum tempus; resipiscebat, loqui nõ poterat, lingua arida: non sitiebat, dormiebat soporosus. Circa vigesimamquartam calefactus est: aluus lubrica multis tenuibus fluens: & sequẽtibus diebus febris acuta: lingua combusta est. Septima & vigesima mortuus est. Huic surditas perpetuo perseuerabat. Vrinæ crassæ, & rubræ non subsidentes: aut tenues decolores, & in medio quid pendens habentes gustare autẽ non poterat. P. S. S. V. M. hoc est, Probabile secessibus suppressis vigesimaseptima mortuum.

Aegrotus III.

Qui in Dealcis horto decumbebat, capitis grauitatem, & tempus dextrum dolorosum habebat multo tempore. Cum occasione verò febris corripuit, decubuit. Secunda die ex siniſtra nare modicus merus sanguis fluxit. Ab aluo stercora probe prodierũt. Vrinæ tenues, variæ, in medio pendens quiddam habẽtes minutim dispersum, velut farinæ crassiores, & genituræ similes. Tertia febris acuta, secessus nigri, tenues, spumosi, subsidentia secessibus liuida: somno grauiore aliquantulum præmebatur, molestè surgebat. Vrinis subsidentia liuida, subuiscosa. Quarta, vomuit bilioſa, flaua, pauca, paulo post æruginosa. De siniſtra nare modicus merus sanguis fluxit. Secessus similes. Vrinæ similes: sudauit circa caput, & claviculã; & splen eleuatus est: femoris dolor è directo. Præcordij dextri distẽtio submollis: nocte nõ dormiuit; parum mente motus est. Quinta, secessus plures, nigri, spumosi, subsidentia secessibus nigra: nocte nõ dormiuit; mente motus est. Sexta die, secessus nigri: pingues, viscosi, graueolẽtes: dormiuit, intelligebat magis. Septima, lingua sicca, siticulosus, non dormiuit, mẽte motus est, vrinę tenues, nõ boni coloris. Octaua secessus nigri, pauci, cõpacti; dormiuit: intelligebat, siticulosus nõ valde. Nona riguit; febris acuta; sudauit: frigiditas; mente motus est; dextro oculo distortus est; lingua arida, siticulosus, insomnis. Decima circa eadem. Vndecima intelligebat per totum omnia, à febre liber; sudauit; vrinæ tenues circa iudicationem. Duobus diebus à febre liber fuit, decima-

quarta redijt. Statim autem nocte non dormiuit: penitus mẽte motus est. Decimaquinta vrina turbata, qualis ex his quę subsiderunt fit; quũ fuerint agitata: febris acuta: penitus mente motus est: non dormiuit: genua, & tibias doloroſe habebat: ab aluo subdita glande, stercora nigra prodierunt. Decimasexta vrinæ tenues, habebãt quid in medio vehẽs nubilosum: mẽte motus est. Decimaseptima mane extremitates frigidæ; contegebatur: febris acuta. sudauit per totũ: alleuatus est; intelligebat, non à febre liber sticulosus. Vomuit biliosa, flaua, pauca. Ab aluo stercora prodierunt paulo post nigra, pauca, tenuia. Vrinæ tenues, non boni coloris. Decimaoctaua non resipiscebat: soporosus. Decimanona per eadẽ. Vigesima dormiuit, omnia intelligebat: sudauit: à febre liber: non sitiebat. Vigesimaprima parũ mẽte motus est: paulum sitiebat: præcordij dolor, & circa vmbilicum palpitatio perpetuo. Vigesimaquarta vrinis subsidẽtia: intelligebat omnia. Vigesimaseptima coxæ dextræ dolor. Vrinæ tenues, & subsidentiam habebant: in reliquis cõmodissime habebat. Circa vigesimamnonã oculi dextri dolor: Vrinę tenues. Quadragesima egest pituitosa, alba, aliquanto plura: multũ sudauit per totum, perfecte iudicatus est.

Sectio II. Aegrotus IIII.

In Thaso Philistes caput multo tempore dolebat: quandoq; etiã aliquanto grauiore somno pressus decubuit. Quũ autem ex potationibus febres continuę obortæ essent: dolor exacerbatus est: nocte excalefactus est remũ. Prima die, vomuit biliosa, pauca, flaua primum, postea verò plus æruginosa. Ab aluo autem stercora prodibant: noctem habuit molestã. Secunda die surditas: febris acuta: præcordium dextrũ distentum est, declinauit ad internas partes. Vrinæ tenues, pellucidæ: habebant quiddam in medio pendens genituræ simile. Parum insaniuit circa meridiem. Tertiam diem molestam habuit. Quarta conuulsiones: exacerbata sunt omnia. Quinta mane mortuus est.

Aegrotus V.

Chærionẽ, qui decũbebat apud Demænetum, ex potu febris corripuit. Statim autem capitis grauitas dolorosa non dormiuit: aluus turbata ex tenuibus biliosis. Tertia die febris acuta, capitis tremor, maximè autem labij inferni; paulo post rigor, cõuulsiones: penitus mente motus est. Noctẽ moleste tulit. Quarta, per quietẽ, parũ dormiuit: parum delirauit. Quinta, laborioſe omnia exacerbata sunt: deliriũ: noctẽ moleste tulit, non dormiuit. Sexta per eadem. Septima, superriguit: febris acuta, sudauit per totũ: iudicatus est. Huic perpetuo ab aluo seceſſus biliosi, pauci, meri. Vrinæ tenues, boni coloris, in medio nubilosum quddam pendens habentes. Circa octauã minxit vrinas melioris coloris, habentes subsidentiã albam, paucã: resipiscebat; febris intermisit. Nona, redijt. Circa decimamquartã febris acuta: sudauit. Decimasexta vomuit biliosa, flaua, satis multa. Decimaseptima superriguit: febris acuta: sudauit: à febre liber, iudicatus ẽ. Vrinæ post recidiuam, & iudicationem, melioris coloris, subsidentiam habentes. Neq; mente motus est in recidiua. Decimaoctaua parum calescebat: insuper sitiebat. Vrinæ tenues, quod in medio pendebat nubilosum erat: parum mente motus est. Circa decimamnonam à febre liber, collũ doloroſum habebat. Vrinis subsidentia; perfecte iudicatus est vigesima. P.M.B.V.V.S. hoc est, Probabile multitudine biliosarum vrinarum vigesima sanatum.

Aegrotus VI.

Euryanactis filiam virginem febris corripuit. Erat autem sine siti perpetuo, nihil ad gustandum admittebat. Ab aluo pauca prodibant. Vrinæ tenues paucæ, non boni coloris. Incipiente autẽ febre, circa sedẽ dolebat. Sexta die, à febre libera, non sudauit: iudicata est. Quod verò circa sedẽ erat, parum suppuratum est: erupit vnà cum iudicatione. Post iudicationẽ septima die, riguit, parũ incaluit, sudauit; post iudicationẽ octaua die, riguit non multũ: postea verò extremitates frigidę semper. Circa decimã post factũ sudorem, mẽte mota est; & rursus breui resipiscebat. Dicebant autẽ ex gustato botro ipsam hæc pati. Die verò vna intermissa, rursus duodecima multũ delirabat: aluus turbata est ex biliosis, paucis, meris, tenuibus, mordacibus: frequenter surgebat. Die septima ab ea, qua mẽte mota fuit, mortua est. Hæc incipiẽte morbo fauces dolebat; & perpetuo ruborẽ habebat: & gurgulio reuulsus; fluxiones multę, paruę, tenues, acres. Tussiebat, maturũ nihil educebat. Omnes cibos per totũ tẽpus fastidiebat, neq; vllũ aliquẽ apperiuit sine siti erat; neque quicquã memorabile bibit. Tacens nihil loquebatur. Tristitia desperata rursus corripiebat. Erat autem & innata quædam tabes.

Aegrotus VII.

Anginosa illa, quæ apud Pitonem erat, primũ à lingua cępit. Vox non clara, lingua rubra resiccata fuit. Prima die, horrida, incaluit. Tertia, rigor; febris acuta, tumor subruber, durus, colli, & pectoris ex vtraq; parte; extremitates frigidæ, liuidę. Spiritus sublimis; potus per nares fundebatur, deglutire non poterat; alui seceſſus, & vrinę suppressa erant. Quarta, omnia exacerbata sunt. Mortua est anginosa. P.S.S.Q.M. hoc est, Probabile, seceſſibus suppressis quinta mortuam.

Aegrotus VIII.

Adolescentem, qui decumbebat in Mendacium foro, febris corripuit, ex lassitudinibus, & laboribus, ac cursibus insolitis. Prima die, aluus turbata ex biliosis, tenuibus, multis: Vrinæ tenues subnigrę: non dormiuit; sticulosus. Secunda, omnia exacerbata sunt. Seceſſus plures, intẽpestiuiores: non dormiuit. Mens turbata; parum sudauit. Tertia, molestè habuit; sticulosus, anxius; multa iactatio; desperatio; mente motus est. Extremitates liuidæ, ac frigidæ, præcordij intenſio submollis vtrinque. Quarta nõ dormiuit. Malum in peius procedebat. Septima, mortuus est. Aetate circa vigesimum annum erat. P.N.S.M. hoc est, Probabile nouationibus septima mortuum.

Aegrotus IX.

Quæ apud Tisamenum decumbebat mulier, ei voluuloſa molestè procedebant; vomitus multi; potum cõtinere nõ poterat. Dolores circa præcordia. Et in infernis partibus iuxta ventrem dolores, tormina cõtinua, non sticulosa; incalescebat. Extremitates frigidæ perpetuo; anxia; insomnis. Vrinæ paucæ, tenues; seceſſus crudi, tenues, pauci; prodesse non amplius quicquam poterat. Mortua est.

Aegrotus X.

Mulierem ex his, quæ apud Pantimedẽ degebant,

ex

ex abortu infantis, prima die, febris corripuit. Lingua arida: siticulosa, anxia, insomnis: Aluus turbata ex tenuibus, multis, crudis. Secunda die, superriguit: febris acuta: ab aluo prodire multa: non dormiuit. Tertia die dolores maiores. Quarta, mente mota est. Septima, mortua est. Aluus semper lubrica, ex secessibus multis, tenuibus, crudis. Vrinæ paucæ, tenues: febris ardens.

Aegrotus XI.

Alteram ex abortu circa quintum mensem, febris corripuit. Ab initio soporosa erat: & rursus insomnis: lumborum dolor: capitis grauitas. Secunda, aluus turbata est paucis, tenuibus, meracis primum. Tertia, plura, deteriora: nocte non dormiuit. Quarta, mente mota est. Timores, tristitiæ: dexter oculus distortus est: sudauit circa caput sudorem modicũ, frigidum: extremitates frigidæ. Quinta, omnia exacerbata sunt multum delirabat: & rursus breui resipiscebat. Sitis: insomnis. Ab aluo multa, intempestiua, perpetuo prodibant. Vrinæ paucæ, tenues subnigræ. Extremitates frigidæ, subliuidæ. Sexta, per eadem. Septima, mortua est phrenitide.

Aegrotus XII.

Mulierem quæ decumbebat in Mendacium foro, primum tunc enixam doloroſe masculum, febris corripuit. Statim ab initio siticulosa, anxia, cor dolebat: lingua arida: vẽtre turbatus est tenuibus, paucis: non dormiuit. Secunda die, parum riguit: febris acuta: parum circa caput sudauit frigidum. Tertia, laborioſe ab aluo cruda, tenuia, multa prodierunt. Quarta, riguit. Omnia exacerbata sunt. Insomnis. Quinta laborioſe tulit. Sexta, per eadem. Ab aluo verò prodierunt liquida, multa. Septima, riguit: febris acuta, sitis multa. Septima, riguit: febris acuta, sitis multa: iactatio. Circa vesperam frigidum sudorem per totum sudauit: frigiditas: extremitates frigidæ non amplius recalescebant: & rursus ad noctem riguit. Extremæ partes non recalescebant, non dormiuit, parum mente mota est, & rursus breui resipuit. Octaua, circa meridiem recalefacta est: Siticulosa, soporosa, fastidiosa, ac nauseabunda. Vomuit biliosa, pauca, subflaua. Noctem moleste tulit, non dormiuit. Vrinam minxit multam aceruatam inscia. Nona remiserunt omnia: soporosa. Ad vesperam parum riguit. Vomuit pauca, biliosa. Decima rigor, febris exacerbata est, nihil dormiuit. Mane multam vrinam subsidentiam habentem minxit, extremitates recalefactæ sunt. Vndecima vomuit viroſa, biliosa. Non ita longe postea superriguit, & rursus extremitates frigidę. Ad vesperam sudor, rigor. Vomuit multum noctẽ laborioſe transegit. Duodecima vomuit multa, nigra graueolentia: fingultus multus, sitis laboriosa. Decimatertia nigra, graueolentia multa vomuit, rigor. circa meridiem voce destituta. Decimaquarta, sanguis per nares. Mortua est. Huic perpetuo aluus lubrica, horrida. Aetas circa annum decimumseptimum.

Sectio III. Constitutio temporis pestilens.

Annus austrinus, pluuius. Venti perpetuo quiescẽtes. Quum squallores fuissent superioribus temporibus ad annum; in austrinis circa arcturum aquę multæ. Autumnus, vmbrosus, nubilus: aquarum copia. Hyems austrina, humida, mollis. Post solstitium longe postea, prope æquinoctium ferę hyemes. Et iam circa æquinoctium aquilonares venti niuosi nõ multo tempore. Ver rursus austrinum, sine ventis. Aquæ multæ perpetuò vsq; ad Canem. Aestas serena, calida: æstus magni. Etesiæ parum dispersum spirarunt. Rursus circa arcturũ in aquilonaribus aquæ multæ. Quũ autẽ esset annus austrinus, humidus, & mollis: per hyemem quidem sani degebant, exceptis tabidis, de quibus scribetur. Ante ver autem simul cum orientibus frigoribus, sacri ignes multi, quibusdã cũ occasione, quibusdam non, atque hi maligni multos peremerunt. Multis fauces doluerunt. Voces vitiatę: febres ardẽtes, phrenitici: ora vlcere feruido affecta, in pudendis tubercula. Lippitudines: Carbunculi: Alui turbatæ. Ciborum fastidia. Aliqui siticulosi, aliqui non. Vrinæ turbatæ, multæ, malæ. Diu soporosi, & rursus insomnes. Multę iudicationes penitus interceptæ: quædam ægre contingentes. Hydropes: tabidi multi. Atque hi quidem erant populares morbi. In singulis autem relatis speciebus ægroti, & morieban tur multi. Acciderũt autem singulis horum hoc modo. Multis equidem ignis sacer cum occasione, ex vulgaribus, & valde paruis vlcusculis, in toto corpore, maxime sexagenarijs, circa caput: si vel parum neglecta essent. Multis verò etiam in ipsa curatione, inflammationes magnæ fiebant: & sacer ignis multus: breui, vndiq; depascebatur. Plurimis igitur ipsorum abscessus ad suppurationes cantigerunt: carnium, & neruorum, ac ossium elapsus magni. Erat autem & fluxio collecta, non puri similis, sed alia quædam putredo, & fluxio multa, ac varia. Quibus igitur circa cadut horum quid fieri contigit, his glabricies totius capitis, ac menti fiebat: & ossium denudationes, ac elapsus: & multæ fluxiones, & hęc in febribus, & sine febribus. Erant autem hæc horrenda magis, quàm mala. Quibus enim ad suppurationem talium maturatio peruenit, horum plerique seruabantur. Quibus verò inflammatio quidem, & ignis sacer discessit, talem autem nullum abscessum fecit, horum multi perierunt. Similiter autem & si alicubi in alia corporis parte horum quid oberraret; hæc acciderunt: multis enim brachium, & totus cubitus defluxit. Quibusdam verò hæc cffligebant latera, aut anteriorem, aut posteriorem aliquam partem. Quibusdam autem totum femur, vel tibiæ denudabãtur, & totus pes: Erat autem ex talibus omnium grauissimum, vbi circa pubem, & pudenda accidisset: & circa vlcera quidem, & cum occasione, huiusceemodi erant. Multis autem in febribus, & ante febrem, & ex febribus, ignes sacri inciderunt: & qui quidem horum abscessum fecissent per suppurationem, aut per aluum turbatio quę dã intempestiua, aut vrinarum bonarum excretio cõtigisset, per hæc soluebantur. Quibus autem nihil horum accidisset, verùm obscure disparuisset, hi lethales erant. Plerũque igitur plurimis accidit sacer ignis vere, & consequebantur autem & per æstatem, & sub autumnum. Multa verò turbatio quibusdam, & circa fauces tubercula, & linguæ inflammationes, & abscessus circa dentes. Voceśque multis significationem de se prębebant, quòd essent vitiatæ ac impeditæ, & inuolutæ, primũ quidem tabidis incipiẽtibus, immo etiam ardenti febre correptis, & phreniticis. Cęperunt igitur febres ardẽtes ante ster, itemq;

phrenitis,poſt facta frigora: & plurimi tunc ægrotarunt. Acuta verò, & lethalia ſymptomata his aderant. Erat autem conſtitutio febrium ardentium hoc modo. Ab initio ſoporoſi,anxij,horridi,febris acuta,non valde ſiticuloſi,non deliri. De naribus parum ſtillauit. Exacerbationes pleriſque diebus paribus. Circa exacerbationes obliuio, exolutio, & vocis priuatio. Extremitates manuum,ac pedum ſemper his frigidiores, præſertim circa exacerbationes: & rurſus tarde, ac non bene recaleſcebant: rurſumq; & intelligebant,& loquebantur. Detinebat etiam ipſos ſopor continuus, non ſomniculoſus: aut vigiliæ cũ doloribus. Plurimis horum alui turbulentæ,ſeceſſibus crudis,tenuibus,multis: vrinæ multę,tenues,nihil neque iudicatorij,neque boni habentes. Nec verò aliud aliquod iudicatorium ita habentibus fiebat: neque enim ſanguis bene erumpebat, neque alius aliquis conſuetus abſceſſus iudicatorius fiebat. Moriebaturq; vnuſquiſq; prout cõtigit erroneo modo,plerunque circa iudicationes: quidam verò diu voce priuati: Multi ſudantes. Et his quidem,qui pernicioſe habebant, hæc accidebant: Conſimilia verò etiam phreniticis. Sine ſiti autem hi erant. Neque quiſquã phreniticus inſaniuit,velut ex alijs, ſed alia quadam mala, ac lẽta in ſomnum delatione grauiter peribãt. erant inſuper etiam aliæ febres,de quibus ſcribetur. Ora multis vlcere feruido,affecta,vlceroſa. Fluxiones circa pudenda multæ, vlcerationes. Tubercula fortis,intus,circa inguina. Lippitudines humidæ, longæ,diuturnæ,cum doloribus. Eruptiones palpebrarum,foris,intus,multorum oculos corrumpẽtes, quas ficus vocant. Erumpebant etiam in alijs vlceribus multa, & in pudendis. Carbunculi per æſtatem multi,& aliæ quæ ſeps vocantur,puſtulę magnę. Herpetes multis magni. At verò circa aluum multis multa,& nociua acciderunt. Primum quidem teneſmi multis doloroſe: plurimis autem pueris,& omnibus,qui erant ante pubertatem:& plurimi horũ peribant. Lienterici multi dyſenterici,neque hi valde doloroſe. Seceſſus autem bilioſi, & pingues, & tenues, & aquoſi. Et multis quidem ipſe morbus ad hoc decubuit,& ſine febribus, & in febribus: cum doloribus,tormina,& voluuli maligni: multorum,quæ in corpore erant, & ſuppreſſa erant exitus:& exeuntia progreſſa dolores non ſoluentia, & his quæ offerebantur difficulter cedentia: nam purgationes plurimos amplius lædebant. Ex his autem, qui ſic habebant,multi quidem cito peribant: multi verò longius vitam degebant. Et in ſumma, omnes & qui longis morbis ægrotabant, & qui ex acutis, maxime ex his, quæ per aluum ſecedebant mortui ſunt: omnes enim aluus ſuſtulit. Cibum autem faſtidiebant omnes, ob cunctos præſcriptos morbos, in quos ſanè ego incidi. Multi verò,& maxime hi ipſi,& qui tales erant, ſed & alij,pernicioſæ habebant:& ſiticuloſi alij erãt, alij non. Ex his,qui febribus,alijsq; laborabant,nullus ſiticuloſus intempeſtiue. Sed licebat circa poctum victus rationem conſtituere, prout velles. Vrinæ autem prodeuntes multæ quidem erant, non prp potus ingeſti ratione, ſed multum excedentes. Verùm multa quædam malitia vrinarum electarũ erat: neq; enim craſſitudinem,neque concoctiones, neque purgationes bonas habebant: nam in multis morbis purgationes per veſicam contingentes,bonæ ſunt. Significabant autem plurimis colliquationem, & turbationem,& dolores,& nullam iudicationẽ. Soporoſi verò maxime phrenitici,& febre ardente laborantes erant: ſed & in alijs morbis omnibus maximis, qui cũ febre fiebant. In totũ autem plurimos aut grauis ſopor comitabatur,aut paruos,ac tenues ſomnos habebant. Multa præterea alia febrium genera populariter graſſata ſunt, tertianarũ, quartanarum,nocturnarum,continuarum,longarum,erronearum,anxiarum,inconſtantium. Omnes autem hæ cum multa turbatione fiebant: nam alui plurimis turbatæ, horrores,ſudores nõ iudicatorij, & vrinæ velut præſcriptum eſt. Atque hæc pleriſq; horum longa erant: neque enim abſceſſus his oborientes iudicabant, velut in alijs. Et omnia quidẽ omnibus difficulter iudicabantur,& nullæ iudicationes fiebãt,& diuturnæ,maxime verò his: paucis autẽ horũ iudicatio circa octogeſimum diem fiebat. Plurimis prout contigit defecerunt. Moriebantur autem horum pauci ex hydrope erectè obambulãtes. Multos verò etiã in alijs morbis tumores infeſtabant,maxime verò tabidos. Maxima autem, & grauiſſima erat tabes:& plures occidit: nam multi per hyemem incipiẽtes,partim decumbebant, partim erectè obambulabant. Ante ver autem plerique ex decumbentibus moriebantur. Aliorum verò tuſſes nihil defecerunt; verùm æſtate remiſerunt. At ſub autumnum omnes decubuerunt,& multi mortui ſunt,plurimi verò horũ diu ægrotauerũt. Cœpit igitur plurimis horum derepente ex his afflictio; frequentes horrores erant,ſæpe febres cõtinuę, acutæ,ſudores intempeſtiui,multi,frigidi perpetuò. Multa frigiditas,& vix rurſus recaleſcebant: Alui varie adſtrictæ,& rurſus breui humeſcẽtes. Et quæ circa pulmonem erant omnia, infra diſtribuebantur. Multitudo vrinarum non bonarum, colliquationes malæ. Tuſſes autem aderant quidem perpetuò multæ, & multa educentes matura, ac liquida, non autẽ valde cum doloribus. Sed etiamſi aliquantulum dolerent,valde tamen leniter omnibus purgatio à pulmone fiebat: fauces non valde mordaces,neq; ſalſugines quicquam infeſtabant. Viſcoſa tamẽ,& alba,& liquida, ac ſpumoſa multa de capite deſcendebant. Magnum autem malũ & hos,& alios comitabatur eiborum faſtidium, velut præſcriptum eſt: nam neque potum cum cibo libenter ſumebant, ſed valde ſine ſiti degebant. Grauitas corporis. Soporoſi. Plurimis ipſorum tumor,& ad hydropem deueniebant. Horridi,deliri circa mortem. Forma tabidorũ erat leuis, ſubalbida, lentis colorem referens, ſubrubra, raua. Pituita alba referti: Scapulas alarum modo eminentes habentes:& mulieres ſic. Atræ bilis item forma, ſubſanguinea: febres ardentes,& phrenitides,ac dyſenteriæ hos tentabant. Teneſmi iuuenibus pituitoſis, longa alui profluuia, acresq; ſeceſſus & pingues, bilioſis. Erat autem omnibus præſcriptis grauiſſimũ quidem ver,& multos occidit. Aeſtas autem facillime, & pauciſſimi perierunt. Autumno verò,& ſub pleiada rurſus multi moriebantur quartanarij.

Ægrotus ſedecim. Primus.

In Thaſo Parium quendam, qui decumbebat ſupra Artemiſij ædes, febres corripuit acuta, ab initio continua,ardens,ſiticuloſa. Principio ſoporoſus, & rurſus inſomnis: Aluus turbata in principio. Vri-

næ

næ albæ. Sexta die, minxit vrinam oleosam, mente motus est. Septima, exacerbata sunt omnia, nihil dormiuit. Sed & vrinæ similes, & mens turbata. Ab aluo verò biliosa, pinguia prodierunt: deinde octaua parum de naribus stillauit. Vomuit virosa pauca, parũ dormiuit. Nona, per eadem. Decima, omnia remiserunt. Vndecima, sudauit, non per totum. Circumfriguit quidem, verùm breui rursus incaluit. Duodecima, febris acuta: Secessus biliosi, tenues, multi. In vrinis quiddam in medio vehebatur: mente motus est. Decimaseptima, laborioſe transmissa est. Neq; enim somni erant, & febris augescebat. Vigesima, sudauit per totum, insomnis: secessus biliosi: cibum fastidiẽs, soporosus. Vigesimaquarta, recidiua facta est. Trigesimaquarta, à febre liber: aluus non suppressa est. Et rursus incaluit. Quadragesima, à febre liber: aluus nõ multo tempore suppressa fuit. Cibum fastidiens, parũ rursus febricitauit, & semper erroneo modo, partim sine febre, partim non: nam, etsi reliquisset, & alleuata esset: rursus reuertebatur. Edulijs quoq; multis, & vitiosis vtebatur. Somni mali circa reciduas: mente motus est. Vrinas crassitudinem quidem habentes, tunc mingebat, verùm turbatas & prauas; & aluus iã adstricta erat, & rursus soluta, febriculæ continuæ, secessus multi, tenues. Cẽtesimauigesima die, mortuus est. Huic aluus assiduè à prima die, lubrica erat, ex biliosus, liquidis, multis: aut adstricta ex feruidis, ac crudis. Vrinæ verò perpetuò malæ, sopores plerunque: cum doloribus insomnis, cibum fastidiens; febris ardens continenter.

Aegrotus II.

In Thaso decumbentem apud frigidam, à partu vbi filiã peperisset, & purgatio facta non esset; febris acuta, horrida, tertia die corripuit. Multo autem tempore ante partũ febriculosa erat, decumbens, cibum fastidiens. Postquam autem riguisset; febres cõtinuę, acutæ, horridæ. Octaua, multum mẽte mota est, & sequentibus diebus, & breui rursus resipiscebat. Aluus turbata, ex multis tenuibus, aquosis, bile permixtis. sine siti erat. Vndecima, resipiscebat, verùm soporosa erat. Vrinæ multę, tenues, & nigræ: insomnis. Vigesima, parum circumfriguit, & breui rursus incaluit, parum delirauit, insomnis. Alui secessus ijdem. Vrinæ aquosæ, multæ. Vigesimaseptima, à febre libera, aluus adstricta est. Non multo tempore postea coxæ dextræ dolor fortis multo tempore. Febres rursus comitabãtur, & vrinæ aquosæ. Quadragesima, dolores circa coxam alleuati sunt. Tusses autem assiduæ, humidæ, multę. aluus subsitit. Cibum fastidiens. Vrinę in ijsdem, febres autem in totum quidẽ non deficientes, erroneo verò modo exacerbescentes, partim ita, partim nõ ita. Sexagesima, tusses quidẽ obscure defecerunt. Neque. n. aliqua sputorũ cõcoctio fiebat, neque alius cõsuetus abscessus. Maxilla verò ex dextris diuulsa est, soporosa, rursus delirabat, & breui resipiscebat. Cæterùm à cibis auersum animũ habebat, & maxilla quidẽ ad locum suum redijt. Aluus autem biliosa, pauca egessit, febricitauit acutius, horrida: & sequentibus diebus voce destituta est, & rursus resipiscebat ac loquebatur. Octogesima, mortua est. Vrinæ huic perpetuo erant nigrę, & tenues, & aquosæ, & sopor comitabatur. Cibum auersans, tristis, insomnis, iræ, molestiæ, mens melancholica.

Aegrotus III.

In Thaso Pythionem, qui supra Herculeum templum decumbebat, ex laboribus, & lassitudinibus, & neglecta victus ratione, rigor magnus, & febris acuta corripuit, lingua arida: siticulosus, biliosus, nõ dormiuit. Vrinæ subnigræ: quod in medio ipsarum pendebat, sublime erat. Secunda die, circa meridiẽ frigiditas ex tremarum partium, & magis circa manus & caput: loquela, & voce destitutus. Breuispirus ad multum tempus, rursus incaluit. Sitis: Nox quieta. Sudadauit parũ circa caput. Tertia die, quieta. Vesperi verò sub solis occasum parum friguit. Turbatio nocte dolorose, nihil dormiuit. Ab aluo pauca cõpacta stercora prodierunt. Quarta, mane quietus. Circa vesperã omnia exacerbata sunt: frigiditas, loquela & voce destitutus, in deterius recalefactus est post tempus. Vrinas minxit nigras in medio quid pendens habentes. Nocte quiete dormiuit. Quinta, visus est alleuatus esse. Verùm iuxta aluum grauitas cũ dolore, siticulosus. Noctẽ laborioſe tulit. Sexta, mane quietus. Vesperi dolores maiores: exacerbatus est. Vesperi clystere adhibito, ab aluo probe egessit. Nocte dormiuit. Septima die anxius, submoleste ferebat. Vrinã minxit oleosam: noctu turbatio multa, delirabat, nihil dormiebat. Octaua, mane parũ dormiuit. Mox autẽ frigiditas. Vocis interceptio. Spiritus tenuis imminutus. Vesperi rursus excalefactus est, mente motus est. Iam autẽ ad diẽ parum alleuatus est. Secessus meri, pauci, biliosi. Nona, soporosus, anxius, quũ excitaretur, non valde siticulosus; Circa solis occasum molestе ferebat; delirabat: noctem malam habuit. Decima, mane voce destitutus: frigiditas multa, febris acuta. Sudor multus: mortuus est. dolores huic in diebus paribus.

Aegrotus IV.

Phreniticus prima die, decumbens vomuit ærugi nosa, multa, tenuia: febris horrida: sudor multus, cõtinuus per totum. Capitis, & colligrauitas cum dolore, Vrinæ tenues: in medio ipsarum pendentia, parua diuulsa: non sudauit: Ab aluo stercora aceruatim egessit: multum mente motus est: nihil dormiuit. Secũda, mane voce destitutus: febris acuta; sudauit: nõ intermisit. Palpitationes per totum corpus. Nocte conuulsiones. Tertia, exacerbata sunt omnia. Quarta, mortuus est.

Aegrotus V.

In Lariſſa caluus, femur dextrum doluit derepente: ex his, quæ offerebantur nihil proderat. Prima die febris acuta, ardens, quiete tenebat. dolores autem consequebantur. Secunda, femoris quidem remiserunt dolores: febris, autem aucta est: submoleste ferebat; non dormiebat extremitates frigidæ. Vrinarum non bonarum copia prodibat. Tertia, femoris dolor quieuit. Mentis emotio, & turbatio, & multa iactatio. Quarta, circa meridiem mortuus est cellerrime, & acutissime.

Aegrotus VI.

In Abderis Periclem morbus corripuit acutus, cõtinuus cum dolore. Sitis multa, anxietas; potum continere non poterat. Erat autem sublienosus; & capite grauatus. Primo die sanguis è sinistra nare erupit; multa tamen febris augescebat. Vrinam minxit multam, turbatam, albam; depositа non sub-

sidebat. Secunda, omnia exacerbata sunt: Vrinæ tamẽ crassiæ quidem erant, verùm magis subsidebãt. & anxietas leuata est, dormiuit. Tertia, febris emollita est. Vrinarum copia: quæ concoctæ multam subsidentiam habebant. Nox quieta. Quarta, circa meridiem, multum calidum sudorẽ per totũ exclusit. A febre liber, iudicatus est: non redijt: morbus acutus.

Aegrotus VII.

In Abderis virginem, quæ decumbebat in Sacra via, febris ardens corripuit. Erat autem siticulosa, & insomnis. Menses autem primùm ipsi descendebant. Sexta, anxietas multa, rubor: horrida, mœsta. Septima, per eadem. Vrinæ tenues quidem, verùm boni coloris. Venter non exabat. Octaua, surditas, febris acuta, insomnis, anxia, horrida: intelligebat. Vrinæ similes. Nona, per eadem, itemque sequentibus sic surditas perseuerabat. Decimaquarta, mens turbata: febris remisit. Decimaseptima, sanguis per nares fluxit multus. Surditas parum remisit, & sequentibus anxietas, surditas aderat, & delira erat. Vigesima, pedum dolor, surditas delirium intermisit, sanguis paucus per nares erupit, sudauit: à febre libera. Vigesimaquarta, febris redijt, surditas rursus, pedũ dolor permansit, mentis emotio. Vigesimaseptima, sudauit multum, à febre libera. Surditas defecit, pedũ dolor restabat. De cætero perfecte iudicata est.

Aegrotus VIII.

In Abderis Anaxionem, qui decũbebat ad Thracias portas, febris acuta corripuit, lateris dextri dolor assiduus. Siccam tussim habebat, neque expuebat primis diebus. Siticulosus: insomnis. Vrinæ boni coloris, multæ, tenues. Sexta delirus. Ad calefactoria nihil remisit. Septima, doloroſe agebat: nam & febris augescebat, & dolores non remittebant, & tusses vexabant, difficulterque spirabat. Octaua, cubitum secui, effluebat sanguis multus, velut debebat. Remiserunt quidem dolores, tusses tamen siccæ comitabantur. Vndecima, remiserunt febres, parum circa caput sudauit. Tusses adhuc, & quæ à pulmone prodibant, liquidiora erant. Decimaseptima, incæpit pauca matura spuere, alleuatus est. Vigesima, sudauit: à febre liber, post iudicationem alleuatus est. Erat autem siticulosus, & à pulmone prodeũtium purgationes non bonæ. Vigesimaseptima, febris redijt. Tussijt, eduxit matura multa. Vrinis subsidentia multa alba. Sine siti erat bene spirans. Trigesimaquarta sudauit per totum: à febre liber penitus iudicatus est.

Aegrotus IX.

In Abderis Heropythus erectè obambulans caput dolebat. Non multo autem tempore postea decubuit habitabat prope. Superiorem uiam; febris ipsum corripuit ardens, acuta. Vomitus ab initio multorum biliosorum, siticulosus, multa molestia. Vrinæ tenues, nigræ: id quod in medio ipsarum pendebat, sublime erat aliquando, quandoque non noctem doloroſe transegit. Febris alias aliter exacerbescebat, plerunque inordinate. Circa decimamquartam, surditas: febres augescebant. Vrinæ per eadem. Vigesima, multum mente motus est, itemq; sequentibus Quadragesima, multus sanguis ex naribus erupit; & magis intelligebat. Surditas aderat quidem, sed minor: febres remiserunt. Sequentibus diebus sanguis erumpebat frequenter & paulatim. Circa sexagesimam sanguinis eruptiones cessarunt. Coxæ autem dextræ dolor fortis; & febres augescebant. Non longo tempore postea dolores omnium infernarum partium. Contigitque aut febres esse maiores, & surditatem multam: aut hæc quidem remittere, & leuiora fieri, infernarum autem partium circa coxas, dolores esse maiores. Iam verò circa octogesimam omnia remiserunt. Nihil tamen defecit: vrinæ enim boni coloris, & plures subsidentias habentes prodibant, & deliria minora erant. Circa centesimã aluus multis biliosis turbata est, & tempore non modico multa talia prodibant, & rursus dysenterica cum dolore. Reliquorũ verò quies erat. In summa & febres defecerunt, & surditas cessauit. In centesimauigesima perfecte iudicatus est febris ardens.

Aegrotus X.

In Abderis Nicodemum ex Venere, & potu febris corripuit. Initio autem erat anxius: & cordis dolore vexabatur: siticulosus, lingua combusta fuit. Vrinę tenues; nigræ. Secunda, febris exacerbata est; horridus; anxius: non dormiuit, vomuit biliosa, flaua. Vrinæ similes. Nox quieta: dormiuit. Tertia die, remiserunt omnia; & quies erat: circa solis occasum rursus molestè ferebat: noctem laborioſe tulit. Quarta, rigor: febris multa; dolores omnium. Vrinæ tenues, & quid in medio ipsarum pendens. Sexta, mente multum motus est. Septima, quies. Octaua, alia remiserunt omnia. Decima & sequentibus diebus aderant quidem dolores, verùm omnes minores. Exacerbationes autem, & dolores huic ad finem vsque in diebus paribus magis erant. Vigesima, minxit vrinam albam, quæ crassitudinem habebat, & depositã nõ subsidebat. Sudauit multum; visus est sibi à febre liber esse. Vesperi verò rursus incaluit: & dolores ijdem; horror: sitis: parum mente motus est. Vigesimaquarta, multam vrinam albam, multã subsidentiam habẽtem minxit. Sudorem multum calidum per totum exudauit: à febre liber. iudicatus est.

Aegrotus XI.

In Thaso mulier morosa, ex mœrore cum occasione, erectè obambulans, insomnis facta est, & cibi fastidiens; & erat siticulosa, & anxia; habitabat autem prope Pyladæ ædes in Leio. Prima die, sub initium noctis timores, sermones multi, tristitia: febricula tenuis. Mane conuulsiones multæ. Quum autem intermisissent conuulsiones illæ multæ, delirabat: turpia loquebatur. Dolores multi, magni, continui. Secunda, per eadem: nihil dormiebat: febris acutior. Tertia conuulsiones defecerunt. Sopor autẽ, & in somnum grauiorem delatio aderat, & rursus vigiliæ: exilijt: continere se non potuit: multum delirauit; febris acuta. Ad hanc noctem multum sudorem calidum per totum corpus exclusit; à febre libera: dormiuit. Penitus resipuit: iudicata est. Circa tertiam autem diem vrinæ nigræ, tenues; quod in medio ipsarum pendebat aliquandiu rotundum, non subsidebat. Circa iudicationem menses multi prodierunt.

Aegrotus XII.

In Lariſſa virginem febris corripuit ardens, acuta insomnis, siticulosa, lingua fuliginosa, arida. Vri-

næ boni quidem coloris, sed tenues. Secunda die, laborioſe degebat, non dormiuit. Tertia, ab aluo multa prodierunt aquoſa, cũ virore pallida, itidemque ſequentibus diebus prodierunt eiuſmodi tolerabiliter. Quarta, vrinam egeſſit tenuem paucam: habebat in medio pendens illud ſublime, non ſubſidebat: mente mota eſt ad noctem. Sexta, per nares ſanguis multus large fluxit, quumque inhorruiſſet, ſudorem multum calidum per totum effudit: à febre libera, iudicata eſt. In febribus autem & iam iudicatæ, menſes tunc primum prodierunt. Erat enim virgo. Perpetuo verò anxia erat, horrida, faciei rubor, oculorum dolor, capitis grauitas. Huic non redijt, ſed iudicata eſt. Dolores diebus paribus.

Aegrotus XIII.

Apollonius in Abderis erectè titubans obambulabat multo tempore. Erat autem magnis viſceribus præditus, & circa hepar dolor multo tempore familiaris ipſum comitabatur, & ſanè tunc etiam morbo regio tenebatur, flatuoſus, coloris ſubalbi. Quum autem ediſſet, ac bibiſſet intempeſtiuius carnem bubulam; incaluit parum primùm: decubuit. Lacte verò vſus cocto, & crudo, multo, caprino, ac ouillo, & victu malo, omnium læſiones magnæ ſequutæ ſunt: nam & febres exacerbatæ ſunt, & aluus nihil memorabile de ingeſtis egeſſit. Vrinæ tenues, & paucæ prodibant. Somni non aderant, inflatio mala, ſitis multa, ſoporoſa, pręcordij dextri eleuatio cum dolore, extremitates vndique ſubfrigidę, parum delirabat. Obliuio omnium, quæ loquebatur: mente mouebatur. Circa decimamquartam, ex qua quum riguiſſet incaluit, decubuit, & inſanijt: clamor, turbatio, ſermones multi, & rurſus quies, & tunc ſopor acceſſit, poſtea verò aluus turbata, multis, biliоſis, meris, crudis. Vrinæ nigræ, paucæ, tenues. Multa moleſtia. Seceſſus varie habebant: aut enim nigri, & pauci, ac æruginoſi erant: aut pingues, crudi, & mordaces. Per tempora verò videbatur etiam lactoſa egerere. Circa vigeſimamquartam lenitas erat: & reliqua quidem in ijſdem perſeuerabant, parum autem reſipiſcebat: ex quo verò decubuit, nullius meminit. Rurſus autem breui deſipiebat. Omnia in peius procedebant. Circa trigeſimam febris acuta. Seceſſus multi, tenues: delirus, extremitates frigidæ, voce deſtitutus. Trigeſimaquarta mortuus eſt. Huic perpetuo ex quo ego noui, aluus turbata. Vrinæ tenues, nigræ: ſoporoſus, inſomnis, extremitates frigidæ, delirus perpetuo, phreniticus.

Aegrotus XIIII.

In Cyzico mulierem, quæ gemellas filias magna difficultate peperit, & non valde purgata eſt, primũ inuaſit febris horrida acuta. Capitis, & colli grauitas cum dolore. Inſomnis ab initio, taciturna, ac tetrica, & non obſecundãs. Vrinę tenues, & decolores: ſiticuloſa, anxia plerunque, aluus erroneo modo turbata, & rurſus adſtricta. Sexta, ad noctem multum delirabat, nihil dormiuit. Circa vndecimam inſanijt, & rurſus reſipuit. Vrinę nigrę, tenues: & rurſus tempore interpoſito oleoſæ. Et aluus multis tenuibus turbata. Decimaquarta conuulſiones multæ, extremæ partes frigidæ, nihil amplius intelligebat. Vrinæ ſuppreſſæ ſunt. Decimaſexta voce deſtituta eſt. Decimaſeptima mortua eſt. phrenitis.

Aegrotus XV.

In Thaſo Dealcis vxorem, quæ decũbebat in Leio, febris horrida, acuta, ea mœrore corripuit. Ab initio contegebatur, & ad finem perpetuò, ſemper tacita manibus pulpabat, vellebat, ſcalpebat, pilos legebat. Lachrymæ, & rurſum riſus: non dormiebat: ab aluo irritationes, nihil prodibat, parum commonita bibebat. Vrinæ paucæ, tenues. Febres ad manum tenues: extremarum partium frigiditas. Nona, multum delirabat. Et rurſus ſedata eſt: tacita. Decimaquarta, ſpiritus rarus, magnus, per tempus. Et rurſus breuiſpira. Decimaſeptima, ab aluo irritatio turbulenta: poſtea verò ipſi potus percurrebant, neque cõ ſiſtebant: omnino nihil ſentiebat. Cutis aridæ circũtẽſio. Vigeſima, ſermones multi, & rurſus ſedata eſt; voce deſtituta: breuiſpira. Vigeſimaprima, mortua. Huic perpetuò ad finem vſque erat ſpiritus rarus magnus. Omnino nihil ſentiebat: ſemper contegebatur: aut ſermones multi, aut tacita perpetuo: phrenitis.

Aegrotus XVI.

Adoleſcens in Melibœa ex potationibus & Venere multo tempore calefactus decubuit. Horridus autem, & anxius erat: inſomnis: & nõ ſiticuloſus. Ab aluo prima die, ſtercora multa prodibant, cum multa defluxione, & ſequentibus multa aquoſa cum virore pallida prodibant. Vrinæ tenues, paucæ, decolores. Spiritus rarus, magnus, per tempus. Pręcordij intentio ſubmollis, oblonga, ex vtriſque. Cordis palpitatio perpetuò continua. Vrinam minxit oleoſam. Decima, ſenſim mente motus eſt: moderatusque erat ac quietus. Cutis arida, & circumdiſtenta. Seceſſus multi, & tenues, aut biliоſi, & pingues. Decimaquarta, omnia exacerbata ſunt: mẽte motus eſt: multum delirauit. Vigeſima, inſanijt: iactatio: nihil mingebat: paucos potus continebat. Vigeſima quarta, mortuus eſt: phrenitis. Videtur porrò mihi ęſtas illa, quę tũc fuit, iuxta rationem commoditatem attuliſſe: nam æſtiuos morbos hyems ſuccedens ſoluit: & hyemales æſtas ſuccedens tranſmutat. Quanquam ipſa in ſeipſa, quæ tunc erat æſtas, non ſtabilis erat: ſed derepente calida, & auſtrina, & ſine ventis: attamen ad aliam tempeſtatem tranſmutata profuit. Magnam verò artis partem eſſe arbitror, etiam de his quę ſcripta ſunt recte, poſſe conſiderationem facere, ac iudicare: qui enim hoc nouit, & his vtitur, nõ videtur mihi in arte multum falli poſſe. Oportet autem exacte perdiſcere vnamquanque temporum conſtitutionem, & ipſum morbum. Et quid boni communis ſit in conſtitutione, aut in morbo; & quid mali communis ſit in ſtatu, aut morbo: & qui morbus lõgus ſit, & lethalis: & qui longus, & nõ pernicioſus ad vitam: & qui acutus, ac lethalis: & qui acutus, & ſupereſſe ſinẽs: ex his enim ordinẽ dierum iudicatoriorum conſiderandi, ac prædicendi facultas datur. Et harum rerum gnaros ſcire contingit, quibus, & quando, & quomodo victum præſcribere oportet.

HIPPOCRATIS COI

De Morbis popularibus Liber IIII.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Erodentia & mucosa supra aurem prodeuntia. Vlcus in externa tibiæ parte.*
2 *Pectoris vstio. Abortiens sexto die. Morbo regio correpti, abunde colorati.*
3 *Splenes parui, præcordia extenta & ad manum submurmurantia.*
4 *Lumbrici per os. Caput testa percussus, duodecima die febricitauit.*
5 *Quartana correptus, stupidus, sedatus est.*
6 *Colli & aliarum partium impotentia. Vrina eruum & lentium farinam referens.*
7 *Vinum multum meracum insaniæ caussa, &c. Bilis atræ vomitus. Mentis motio ex fluxu sanguinis è naribus.*
8 *Auris sinistræ fluxio viscosa, crassa, &c. post febrem diariam. Dentes ex phagedæna erosi. Nasus medius quibus considet, & quibus latus. Dens quintus ab anterioribus.*
9 *Auris suppuratio post dentium dolorem. Febris post clemens cœlum pleiadarum. Sanguis biliosus è naribus. Venarum circa vmbilicum pulsationes.*
10 *Morborum exacerbationes ad principia, considerandæ.*
11 *Quibus purgatio sepiæ attramento similis. Doloris coxarum curatio. Ex equo lapsus. Abortus masculi triginta dierum. Lienosorum fluor. Vrina velut erui lotura.*
12 *Abortus fœmellæ sexaginta dierum. Filiarum vna in albis, alia in rubris mensibus nata. Febricitans sicca permanens. Pustulæ ex lassitudinibus.*
13 *Prægnantis vomitus biliosus, & pituitosus. Hæmorrhoides hyeme per duos annos. Excrementa ab initio nigra, post viridia, &c. Febricitans ex leuato asino. Præcordij dextri intentio.*
14 *Viridans pallor. Arquato morbo laborans,*
15 *Recidiua quibus post longissimum tempus. Suppuratio iuxta oculum.*
16 *Abscessus ad oculos, in febribus ardentibus. Rigores. dentes postremi corrosi. Mulier ex capite grauata.*
17 *Præcordia spirituosa & intenta: præcordia magna & splen.*
18 *Recidiuam quæ faciant. Vrina cruenta.*
19 *Durum quid in præcordijs collectum. Vmbilicus ex natiuitate denigratus.*
20 *Menstruorum eruptio in anheloſa. Sanguis è sinistra nare. Febris ex splene.*
21 *Collum, caput, &c. torpida. Capitis grauitas & stridor secundum pulmonem. Dysenteria sine tenesmo, mensibus per septem annos retentis. Secessus electrum referens.*
22 *Marcor & corruptio, expressione duriore post sectionem. Qualia à febricitantium naribus ab inditis prodeant. Maturi in morbis abscessus. Laterum mollitudo à flatibus eleuata.*
23 *Lumborum & cruum doloris symptomata. Oculorum suppuratio.*
24 *Digiti, labia, & aliæ partes subtremulæ. Præcordium tedés & gibbosum.*
25 *Vrinæ Isatidi similes. Distentio submollis in phreniticis. Tumores in dextris eleuati. Temporum constitutio. Vigores morborum.*
26 *Abscessus recidiuæ. Contractiones, venæ temporum. Colorum mutationes, ante iudicationes. Cutis circumtentiones absque iudicatione. Lachrymæ voluntariæ & inuitæ. Viscosa circumcirca in dentibus. Vlcus in tibia. Capite vulnerati. Hydropica.*
27 *Tussientes ac manibus laborantes. Stupida modo non morboso, absque febre. Nyctalopes. Purulentorum ex ore fluor.*
28 *Pedes etiam in horroribus calidi. Lumbricus crassus, à se ne furioso. Signa ante dies iudicatorios duplicia.*
29 *Peripneumonicis sputa biliosa. Seminis per somnum effusio. Insomniorum in febribus vexatio.*
30 *Ab hæmorrhoidarum curatione insanus. Aqua frigida in febribus acutis ad vomitum. Nerui ipsi in seipsos trahũt. Tussi sicca qui potissimum laborent.*

POst æquinoctium, & post pleiada, qualia sunt erodentia, & mucosa, quæ caput aperuerunt, supra aurem prodierunt: ei, qui apud Leocydis ædes habitabat, in pede, Phanodico digiti in pede, in pectore. Qui tibiam fectus est, hac parte etiam nigrefactus est. Erat vlcus magnum in externa tibiæ parte, & retro prodibat. Quũ purum factum esset; lateris dolor, & pectoris sinistri è directo, & febres. Mortuus est à febre. Biliosum restiario abunde coloratum, & vstoria adhibenti circa æquinoctium, sanguis multus deorsum prodijt. Seni valde vehementer abscessit, non vltra quatuordecim dies. Vulnerato ab Antiphilo, vsto, iudicatio facta est die septima, biliosо stupido. Tertia post iudicationem sanguinem spuit, superstes manebat, & recidiua facta est postea. Iudicatus est velut par erat, circa pleiadum occasum primùm. Post pleiadum autem occasum, biliosus ad insaniam vsq; iudicatio facta est, superuixit, circa nonam diem, absque sudore. Circa æquinoctium Chalcidonius à portis delatus ad forum ex ruptione circa mammam dextram dolens, spuebat aliàs atque aliàs pallens subuiride. Venter egerebat. Sudor auspicatus septima, tenuit plerunque vsque ad octauam. iudicatus est decimaquarta. Circa quadragesimam tubercula exorta ipsi circa vtrasque aures, haud immerito putabatur suppuratus fore, non factum est. Pectus Aristodemo vstum est.

2 Philidis filio quum abscessus factus esset ex casu; & ipsi pectus vstum est. Erat autem dolor quidam etiam antea: post æquinoctium autũnale recidiuę: &

aliàs

aliàs vſque ad ſolſtitium hyemale, & cum ſole æſtiuo. Acheloi vxor ſexta die abortiuit; quum eſſet ſanguinea, & horrida: & ſudores, Iudicatio facta eſt decimaquarta; quod menſium fuerit fœtus. haud ſcio. Maſculum autem etiam alium ad dies viginti ſe aborti uiſſe dixit, an vera dixerit non ſcio. Circa ſolſtitium hybernum aquilonares venti erant. Morbo regio corripiebantur abunde colorati, & partim horridi, partim non. Linguæ combuſtæ tertia die. Et turbationes circa ſextam, & ſeptimam, atque hæ diu durantes. Decimaquarta ventres reſiſtentes, & in medicationibus non obedientes. Pro ratione febrium etiam nulli ſudores.

3 Splenes quibuſdam parui ad præcordia dextra extenti, & ad manum ſubmurmurantes. Sanguinis fluxiones, & vrinis purgatio, ac iudicatio. Multo autē magis infra nitebantur: nam & hoc ſub illud tempus corripiebat. Quibus non ſic erat, ſplenes verò etiam eleuati, his ſanguis ex ſiniſtra nare. Solſtitium præterierat, hyberna hyberno modo in Aquilonaribus, paulò verò poſt auſtrina erant, ad quindecim dies: poſtea verò niues quatuordecim diebus. Circa hanc anni conſtitutionem, morbi regij abunde colorati vigebant: qui non ſincere iudicabantur, recidiuabant. Poſt niues, auſtrina ſuccedebant, & pluuiæ: grauedines eruperunt, & cum febribus, & ſine febribus. Cuidam verò etiam ad dentes, qui antea ex medio doluerat: ad dextra, ſupercilium, & oculos. Erant autem & raucoſi, & fauces inflammatæ, & glandulę iſthic ſpōgiæ appellatæ intumeſcebant, & tubercula circa aures, & maxillam mollia, & cum febre ſedabantur. Incipientibus febricitare, fiebant ſuperna, & in vtraſq; partes pleraque horum, & ſpongiæ quibuſdam ſub autumnum, & hyemem. Sed & porrigines. Et multæ omnibus modis abortiebant, & difficulter pariebat. Sexta die, virgini iudicata, ſexta reuerterunt. iudicata verò ſunt per ſextam. Omnia in his temporibus ſexta, & octaua iudicabantur, circa pleiadum occaſus. Meandri cæci vxor, ſtatim cum pallore viride, & ſtatim purulentum ſpuit circa ſextam: & hepatis feruor, & deorſum ſeceſſus modicus: carnoduruletā ſurſum pauca, alba, lata expuebat; cibum faſtidiēs. Mortua eſt prope vigeſimam diem. Ex vicinis Theſtoris famula, ex vſtorijs: ſeceſſu bilioſo, multo: præcordio intenſo: Sexta die, ex ſuppreſſione aluus ipſi tenuia, multa vna, vice egeſſit: & ſtatim ſudauit, & iudicata eſt: & aluus ſubſtitit, eadem autem hora, quum riguiſſet, febricitauit: & rurſus eadem hora. Therſſandri vxor, quum pituita alba prædita non valde eſſet, lactans acuta febre correpta eſt. Huic lingua combuſta eſt, dum alia comburerentur; ſub hoc tempus linguaque exaſperabatur, velut grandine multa. Et lumbrici per os. Circa vigeſimam autem non perfecte iudicata eſt.

4 Circa pleiadum occaſus Metrophanti filius, caput percuſſus ab alio puero, per teſtam: quum peruenisſet ad duodecimam diem; febricitauit. Occaſio autem erat, quod, quum detegeret partes circa vlcus, perfricuit, & perfrigeratus eſt: & labia ſtatim ſuntele uata. Attenuata eſt autem cutis, multis locis vlterius ab vlcere: quum autem ſectus eſſet non tarde; neque pus effluxit; neque eleuatus eſt, Iuxta aurem verò videbatur ſuppurari, in maxilla ad dextram: hac enim parte etiam vlcus erat. Poſtea & hoc non ſuppuratum eſt, & humerus dexter ſuppuratus eſt cito. Mortuus eſt circa vigeſimam quartam. Poſt pleiadum occaſum is, qui aurem doluit, circa vigeſimam diem, poſtea voce deſtitutus eſt, & dextrarum partium impotens: ſine febre ſudauit: dextra auris, dexter oculus, conſiſtebant non valde, & attrahebat quid ex inferna parte: à ſiniſtris autem diſtortus eſt oculus grauiter dolens, collum durum factum eſt, tertia hora poſtea, quam doluit.

5 Poſt pleiadum occaſum, ſeruus Attici à quartana correptus, ſtupidus ſedatus eſt. Alius eodem tempore vera ſtupida inſania ex phrenitide, ac lethargo mixta, correptus eſt. Ad coxas, & crura venit dolor, quieuit; quoto die, haud ſcio. Eodem tempore horridi, vomentes, & poſt iudicationem cibum auerſantes, & bilioſi, & ſplenes magni, duri, doloroſi, & ſanguinis eruptiones. Quibuſdam verò eodem tempore poſt pleiadum occaſum, ex naribus ſanguis bilioſus ob ſplenes.

6 In Cranone vxorem Nicomaſtri correptam decimaquarta die, ſtatim occupauit impotentia colli, & aliarum partium, & cibus incluſus fuit vſque ad decimam. Spiritus denſus paruus, impotentia palpans digitis, delirās: ſudores: diſtracta ſunt ad dexteram partem, collum, os, oculus, naſus. Vrinarum ſubſidentia alba, alia ramenta, cum pallore ſubuiridis, farinam lentium referens. Huic quandoq; velut adipoſum quiddam ſuperſtabat, atque hoc aceruatim non multum diſperſum, velut quod in medio ipſarum pendere ſolet diſparatum, velut extrinſecus ex quicula, poſtea verò etiam non ſubſidens, mingebatur: & alia quidem talis erat, alia ſubſidens, alia talis modice ad latitudinem diſperſa, alia conturbata, alia talis. Quod in medio vehi ſolet, nubeculæ ſubnigræ, ſimile, quæ putaretur craſſitudinem habere. Laxum autem aliud tenue, aliud tenue tale, aliud velut equi, aliud velut ſunt caliginoſa.

7 Qui primus delatus eſt adoleſcens, huic vrina pura tenuis. Omnium ſeceſſus tenuis, multus, ſine bile lingua valde aſpera. Febris adurens, inſomnis, aluus gibboſa. Hic mente motus eſt octaua arbitror, proteruum in modum, exurgebat, pugnabat, turpia fortiter loquebatur, quum talis non eſſet. Huic quum vrinæ multæ tenues prodijſſent, ex ſuppreſſione, ſomnus obortus eſt continuus, & ſudor, qui iudicatorius eſſe putabatur, ex quo talis erat forte circa decimam diem. Verùm poſtea rurſus inſanijt, et breui mortuus eſt vndecima die. Occaſionem fuiſſe puto quòd meracum multum bibiſſet; priuſquam inſaniret. Paucos habebat annos, prope modum viginti.

Eumenis vxor autumno vomuit bilem atram. Sed & odores manifeſti erant, & febres horridę, & cordis ſiue oſculi ventris dolores bilioſa pauca vomebat, & lumbricum. Seceſſus tenues per omne tēpus. Ante pleiadum occaſum deſinebant ſtatim ſanguinis eruptiones, & breuiores erant febres, ac ſtatim reuertentes breuibus recidiuis, & cibum auerſantes, & velut excocti, & anxij, & cor dolentes, & ferini in iudicationibus, & rigore affecti, & bilioſi.

Adoleſcens peregrinus erat, cui tertia die, ſanguis ex naribus multus fluxit, itemque quarta, ac quinta. Sexta, compoſitè conſiſtebat, mente motus eſt. Septima die, aluus ſubſtitit: ſoporoſus erat. Recidiua tertia die, aluus eniti ceſſauit. Vrinam non vidi.

Circa

Circa iudicationem, velut debebat.

At vero circa pleiadum occasum, austrina, & pluuiæ erant: & tunc adolescens mucosa, subbilioſa, viscosa, multa recrementa egerebat: febris vehemens continua, lingua arida. Sexta iudicatus est. Septima rursus inuasit, dimisit eadem die, cum tremore.

8 Auris sinistræ fluxio viscosa, crassa die sexta. Puero ab vlcere phagedæna erosо, dentes inferni, & ex supernis, ac infernis anteriores emergebant, cauitatē habebant. Quibus os ex palato discedit, his medius considet nasus. Quibus verò superni dentes anteriores, his latus est summus nasus. Qui quintus dens ab anterioribus numeratur, quatuor radices habet, singulis paribus ad vtrunque vicinum dentem connexis, extremitatibus omnibus ad internam partem reflexis. Circa tertium dentem suppurationes plures, quàm iuxta alios omnes. Et ex naribus fluxiones crassæ, & à tēporibus dolores ex hoc maxime fiunt. Corroditur hic maxime quintus, ex medio quidem nodum habebat vnum, duos autem anterius. Paruus primus, intrinsecus iuxta duos corrodebatur. Septimus, radicem vnam crassam, acutam habebat.

9 Athenadæ puero masculo doluit à sinistra parte infernus dens, à dextra supernus. Huius auris dextra suppurata est, dum non amplius doleret.

Post pleiada clemens cœlum nubilosum, & caliginеs: iudicationes quintanæ, & sextanæ, ac septimanæ. Iam verò etiam diuturniores: febres recidiuantes, & quandoque erroneæ, & cibum auersantes, & bilioſæ: & dysenteriæ cibum fastidientes, febriculoſæ. Circa pleiadum occasum, austrina fortiter erant: sanguinis eruptiones, & febres tertianæ naturam referentes, & lenes. Qui in Sutrina decumbebat, sanguinem abunde bilioſum è naribus effudit. Secessus modicus: iudicatus est septima cum rigore.

Seruus in extrema caupona, quarta die, sanguinē è naribus effudit: multa statim nugabatur: aluus renitebatur. Præcordium doloroſum, durum. Ad subditam glandem sexta die, subierunt mala, cum pallore viridia. Septima, mane iactatio: clamor multus: venarum pulsationes circa vmbilicum. In acutissimis febribus pulsus denſissimi, & maximi.

10 Quale est ad vesperam exacerbari, tale erat in omni morbo. Cæterùm ad principia, considerandæ sunt etiam exacerbationes, & an citius redeant, & continuitas, & anni tempus. Post pleiadum occasum, austrina. Quæ quinta die iudicabantur, intermissa vna repetebant. At verò laxa, pustuloſa erant, velut Acēthio Lapyto. Circa pleiadum occasum, subscabra, & aspera erant pruriginoſa, nullas lacrymas emittētia: & magis quidem hoc tempore. Sed & impetiginoſa turgentia. Hæc erant in Pythodori vxore, & Capelio, cum febre: sub cuius initium ferè Pythodori vxori coxæ impotentes. Post pleiadum occasum horrores: sanguinis è naribus eruptiones. Sutor quidam septima iudicatus est. Alium ex his, qui à Leocyde venerant, septima iudicatus est. Alius quarta: Moschus nona. Largus sanguis ex sinistra, modicus è dextra nare. Ad decimamquartam, ad iudicationem, si qua tenues debebant ab initio exacerbarentur. Delinquentes circa edulia decimaseptima fiebant. Circa aurem in dextra parte tuberculum, paruum intus durum, foris paruum laxum, doloroſum, nihil remittens, decimanona noctu factum est.

11 Valde bilioſis suppuratis, purgatio sepiæ attramē to maxime similis. Qui cucurbitam affixit, quum in coxa esset dolor, huic ad crus deorsum venit, & melius habuit. Qui in Ceramico ab equo lapsus est, cui non statim cucurbita affixa est: vstus est intro, & vigesima die recruduit malū: sanguinis eruptiones fæculentæ, & erodentes. Tenedia quarta die abortiuit masculū triginta dierum: aluus liquida, tenuia egessit, lingua cōbusta fuit, iudicatio quarta die. Post pleiadum occasum lienoſa, vsque ad quintum diem, fluebant, iudicata sunt. Cuidam septima die, vrina velut erui lotura, similis ipsa sibi ipsi, postea pura recidiua. Intermisit etiam Megaris filio, verùm sanguis nō fluxit. Vrina velut Antigenis alba, crassa, similis. Circa solstitium hybernum, sydus non paruum, quinta, & sexta, postea terræ motus. Quæ in Perintho morabatur anheloſa, Antigenis vxor, quæ nō sciebat, an prægnans esset, menses comparentes rubri. Venter aliàs, atque aliàs paruus, aliàs magnus. Tussiens semper, velut si celerius iter perfeciſſet. Mensis erat octauus, sedata est prius febricitans.

12 Apemanti fratris vxor, septima die, abortiuit fœmellam velut dixit, sexaginta dierum. Circa nonam, turbata est: post iudicationem, dextras partes dolebat, velut à recidiua. Hæc & concipiebat cito, & perdebat. Alia quædam in albis mensibus filiam peperit. Alia in rubris, velut conueniebat. Horridi, anxij, cibum auersantes, recidiuantes, bilioſi, sanguine manantes, subsplenici, doloroſo modo plurimi ex sinistris affecti. Apemanti vxori hac parte oculus distortus est dexter. Ad alteram verò partem lateris mollitudo. Aristophontis filia tertia, & quinta, febricitauit, sicca plerunque perseuerauit. Venter tamen huic turbatus, ægre iudicatio fiebat: vltra triginta dies cessauit. Pustulæ ex lassitudinibus non valde fortibus, perueniant ad septiam liuidæ. Rigor ancillę retro. Heroum abortus est. At verò albæ magnæ, neque ipsæ valde bonæ, graui sopore pressorum, & somnolentorum, & non considentium, & bile renitente: & siue lubrica, siue dura fueri aluus, non considentes. Zoili fabri pulsus tremuli tardi: vrina & alui secessus moderate decolor: pectinis distentio vtrinq; in directū, vsque ad umbilicum, cum febre acuta, cibum auersans, siticuloſus.

13 Filiæ ædilis apud Tecomæum, quum obscurū esset ipsi, quod uterum gestaret, secundi mensis initio erupit uomitus pituitoſus, aliquando uerò bilioſus: difficulter peperit, perpefecte purgata est. Vomitus similiter usque ad trigesimā diem perseuerauit: postea uenter turbatus est, & uomitus cessauit. Lienteria, menses non prodibant per duos annos hyeme habuit hæmorrhoidas. Duos fratres Cecropis familiares, quibus nigra ab initio prodibant, sub fœculenta, edulia ex sanguine confecta colore referentia, ea ex spumoſis bile abunde coloratis uirida erant. Qui asinum ex pacto eleuauit, statim febricitauit. Tertia, & quarta, & quinta, & septima, & octaua, sanguis erupit: iudicatus est: aluus lubrica. Vir metallicus, præcordium dextrum intentum, splē magnus, aluus intē ta, subdura, spirituoſus, decolor: Huic ad genu sinistrum, recidiua: per totum iudicatus est.

14 Temenę filius habebat quid spiritu, ut uiridantis palloris esset, ad dorsum: ad manus uiridantis palloris. Maritus. Lechus puerperę apud Sitodochum ar-

quato

quato morbo infestatus,ad quem septima die ingressus sum,octaua moriebatur, neque mingens, neque egerens. Præcordia magna,& dura,& spiritus densus.Hic moriens ne frontẽ quidem sudore humectauit prę dolore.Huius vxor eiecit fœmellam septimestrem,septima die. Apparuit autem quarta die.Hanc à principio quidem pedum dolor tenebat. Desinente verò febre,spiritus non est solutus, sed intus relictus:dolor ad manus,& brachium.

15 Recidiua per longissimum tempus corripuit eos, quibus vrinæ ante iudicationem suppressæ fuerant. Quæ erat apud Temenen ipsius soror,cum rigore iudicata est. Quum autem viridans pallor cito desineret,manus & humeri doluerunt: horum autẽ cessante dolore,caput, oculorum palpebræ supernæ eleuatæ sunt,& lachrymæ profluebant: relíqua non noui: iudicata est primùm,septima die. Menandri vinitor similiter,verùm aluus ab initio tenuia egerebat: postea suppressa est, itemque vrina iudicata est, non riguit,septima die: quoniam aluus antea turbata fuit. Potamonis filio aluus non egerebat septima die:duobus diebus ante iudicationem nõ riguit, quapropter neque vrina supprimebatur. Dens Hegesistratio,cui suppuratio iuxta oculum,suppuratus est iuxta extremum,& rursus sanatus est oculus,& secundum nares pus descendit crassum. Iuxta gingiuam carunculæ paruæ rotundæ abscesserunt. Huic circa tertiam diẽ, suppuratio affutura putabatur, postea auertebatur. Derepente verò intumuit maxilla,& oculi.

16 Quibus abscessus ad oculos in febribus ardentibus,hi maxillas rubent,& sanguinem ex naribus fundunt. Sed & quibus ad aures fiunt. Fortassis autem & abscessus ad articulos magis, non tamen clare noui.Rigores tremulis,præcordij intentio. Menses apparuerunt decimaseptima, iudicatio fiebat ita perpetuò.Si tamen non sic intus permansissent,iudicabantur tertia,quædam quinta,quędam septima.Hegesistratio postremi duo dentes parte inter se contigua corrodebantur, postremus habebat supra gingiuam duos nodos,vnum iuxta cauernam, alterum ex altera parte:qua verò parte duo nodi erant,ibi radices latæ similes singulis paribus coincidebant, ad alteram partem medietas vna rotunda. Mulier,cui sanguis è naribus erupit quarta,& sexta, septima iudicata est: rubicunda erat. Mulieri ex capite fortiter grauatę,iudicatio facta est circa vigesimam:vigesimam,præcordia æstuosa. Septima die,non valde sanguis è naribus erupit. Secessus tenues, ad oculum dextrum circa octauam. Viro eadem, verùm septima iudicatus est. Sublienosus è sinistra parte. Huic octogesima die, & diuturniores oculi affectiones:fortassis quoniam post iudicationem,& quia multæ.

17 Vxor Temenæ spirituosa præcordia, & intenta. Menses per tempus apparuerunt. An verò etiam infantem aliquem habuerit, haud scio: aluus primum suppressa, & tunc vomebat, postea non amplius: aluus enim multa viscosa,ac biliosa egerebat: præcordium nõ impediebat.Vndecima ad magnum dextræ digitum inflammatio, alui egestio etiam penitus procedebat. Quibus contingentibus, melius habebat: nam & in somnum delatio minor erat, & febris: & quodammodo facilius spirabat; quoniam supra malum vomitum,vomerat. Decimasexta sensim factus est spiritus densus.& febris: mortua est.Hęc febricitauit ante abscessum. Septima,post abscessum perijt. Erat & hęc rubicunda. Filius mulieris ipsius Apemãti sororis:præcordia magna & splen,spiritus,secessus amarę bilis, aliquantulo stercore ammixto,lassus ex operibus. Vigesima die,ad pedes,& iudicatio certe lassis ad articulos, non ad oculum: præcordia verò erant intenta, & sanè erat etiam tussicula quædam modice sicca.

18 Quæ relinquuntur post iudicationem, recidiuam faciunt: & in ipsis morbis,quæ excernuntur,sputum præmaturum,alui secessus, intemperies. & similia. Apementus,cui dolores in sede,in dextri lateris mollitudine,& iuxta vmbilicum paulo inferius,& è dextra parte:ante dolorem vrinam cruentam mingebat, desijt tertia die. Et faber in altera parte,ex eadem in directum,& hic quoque vrinam cruentam eijciebat. Quæ vbi cessasset,ambo subsidentias in vrinis habebant,& hoc tertia die. Apemantus autem plurimum fouebatur. Alter verò nõ sentiebat,nisi in dextra parte. Et Nicostrato accidit aliquid iuxta vltimas partes à dextris,inferius,quàm quibus in sinistris:longe verò subter lateris mollitudinem, vsque ad vmbilicum vtrisque. Anicula apud Sosileum alba pituita referta, Tibiæ duris tumoribus, albis, laxis: itemque pedes,verùm minus. Erant autem,& in pedibus infrà femora, etiamsi plerisque difficilis huc exitus patet: imò & in lumbis:& venter tenuis erat,præcordia sub mollia.spirituosa non valde. Erat autem desinentibus plurimis,etiam alia cura vbi facti erãt oculi. Atque oculorum quidem cura paulo moderatior erat. Coxæ verò,ac cruris affectiones vterinę erant,quum dolores esse putarentur:appositio enim,ac subdititio medicamento odorato ex farina, & vnguento, contingit vt breui discuterentur,ac desinerent. Tempus autem abscessus ad oculum,annus. circũcirca durus fuit, cui etiam pustulæ non perfecte contabuerunt. Sunt autem & à disquamatis talia.

19 Seruus in Hippolochi villa,cui in pręcordijs vtrinque quid collectum erat durum,& fulgorẽ aliquantulũ habens inferne,qualis erat in fabri ferrarij vxore hydropica: cui tenuia recrementa progressa partẽ aliquam euacuauerunt. Erat autem & hoc ipsum ad dextrum,planum quiddam,supra ea,quæ circumferentiam habent,eleuatum. Huic vmbilicus ex natiui tate denigratus erat, & vlcus profundum fiebat, & vmbilicus non valde cicatricem contrahebat: & pudendum summa parte denudatum erat, quum non statim tale fuisset,neque connatum, & adhuc magis fiebat. Hic plurimum vomebat:febris,cibi fastidiũ: sanatus est. Verùm circa septimam à decubito diem (nam & antea ægrotarat) aquam multam bibens, & fortassis aliter contemnens, iactabatur,& aliquantulum conuellebatur. Desinente autem conuulsione, circa animaduersionem extinctus est. Ante hoc verò vrinam aceruatam minxit, & flatus cum crepitu prodierunt, & supernæ partes minime sunt euacuatæ. Quum autem mortuus esset; statim etiam & illæ fortiter emollitæ sunt,& reliquę rubefactę sunt,velut à flagris per totum corpus, excepta ea parte vbi tumor ille maxime eleuatus erat, & multum quoque calidus erat. Cuidam verò in Abderis deorsum erupit. Cuidam autem anteriore parte intumescebat, sine febre. Tumor ad contactum suppurato similis erat.

Famulæ

20 Famulæ anheloſæ, quum vaſa menſtruum ſanguinem funderent, anhelationes illę ceſſabant: febris fiebat: mamma ſiniſtra ſuperne ſuppurata eſt: & ab initio etiam auris. Olympiodori famulę ſanguis ex ſiniſtra nare: & iudicata eſt ad vigeſimam, quemadmodum etiam febricitantibus: & receſſus quales etiam æſtate populariter graſſati ſunt, & quales Hipponactis. Hyle famula Ariſtidis, octaua die, in pharmacorum purgatione, inferne ſigna habuit, qualia facile ferunt: & ſi non præter rationem debilitantur, & neq; ſpumoſa, neque ſubſanguinolenta, ſed qualia ſunt oua, velut Hetaclidæ vxor purgata eſt multum, & facile tulit. Quæ in Bulagoræ villa depurgata erat, cœpit febricitare ex ſplene. (Qui verò dextrum præcordium habent, non quidem ſublime, verùm intentum hi etiam magis rubicundi fiunt) rubicunda quum eſſet: aluum in principio turbatam habuit: expectabā ad oculum decubitum. Huic ſeptima die, ſalſuginoſa lachryma mordax ex oculi prodijt, & ſecundum naſum, & fauces, & aurē ſiniſtram. Decimaquinta, ſudauit cum rigore, non iudicabatur ante rigorem, pallida facta eſt valde, & faciei circuntenſio, ac contractio. Aurē è directo ſplenis, ac lateri s dolebat. Pueris ventres turbati, & tuſſes ſiccæ: quandoq; ad humerū ſuppuratio fiebat in tuſſibus, poſterioribus diebus.

21 Fullo collum, caput, ſeptima manus torpida. Nona, crus torpidum, tuſſis ceſſauit. Cui maxilla diſtracta fuit, in quinto menſe in ventre diſtracta erat ad ſiniſtram partem. In Cranone Lycino Grammatico, ex febre biliosa ex ſplene, capitis grauitas: ſtridebat ſecundum pulmonem, in labijs vti ſque vlcera, intus rotunda, parua: poſtea etiam ſanguinis quid ex nare è directo manauit. Famulæ, quam recens emptam vidi, cui duricies in dextris erat magna, non valde dolorosa, & venter magnus, ac circumtenſus, non ſimilis hydropicæ, & alias pinguis, ac mollis, & non valde difficulter ſpirans, verùm decolor. Menſes ſeptem annis non prodierant, facta eſt dyſenteria, & non teneſmo tenta. Et ſub hæc duricies in dextra dolorosa erat: & febres tenues: & non vltra ſeptem dies, etiam aluus turbata eſt, receſſus electrum referēs, ſubuiſcoſus, multus ad aliquot dies. Sanatus eſt, & menſes poſtea prodierunt: & partes ſecundum ventrē molles fiebant, & corpus boni coloris, ac craſſum ipſi erat.

22 Minois vxor ex ſectione, preſſa ab eam adminiſtrantibus durius, marcorem, ac corruptionem incidit, malo ad pulmonem deueniente, breui ſignificationem de ſe dedit quotquot diebus ſupererat: erat & aliud quiddam intrinſecus. Quæ indūtur in nares ſi febricitarint, ſi quidem ſolutus fuerit dolor; craſſa per nares effluunt. Si verò neq; dolor, neque febris; tenuia, & fortaſſis feruida; veluti tenue quidem Hegeſippo, quum ad noctem quid indidiſſet. Craſſum verò illi in Corintho eunucho ſimili, Celeuris filio erat. Maturi in morbis abſceſſus an iudicent, ſignum eſt, ſi dum feruida ſunt mala, non febricitarint; & dū moleſta ſunt, facile portarint: velut quæ in ſede acciderunt Charoni. Leambio verò quum inteſtinum vlceroſum eſſe putaretur, in dyſenteria pharmacis curato humerus, & ſedes vlcerata ſunt in ſiniſtra parte, citra febrem. Cui à flatibus laterum mollitudo eleuabatur, & aliquantulū dolebat, huic, quum lac vberius, & meracius bibiſſet, & inſuper dormijſſet; ſtatim nauſea, & calor accedebat: deinde ignem incendenti, & pro cibis farinam craſſiorem in craticula coctam comedenti, aluus ſubſtitit: & prudentum tamen quiddam egeſſit. Quum autem ſedes eſſet inflammata, ſine febre, & ſine dolore ſufficienter erat, hoc aſſero.

23 Senes in lapideis veſtibulis, lumbos doluit, & ambo crura, & vtrique dolores deſcendebant ad femora, & quandoque tibias, & aliquando ad genua: &, quum diutiſſimè durarent; recurſiones multę fiebāt: tumor in pedibus, lumbus, tibia: breues inguinum tumores, venter durus, & totus pecten intenſus, ac doloroſus. Plerunque compertus eſt etiam veſicam duram habere, ac doloroſam: & papularum eruptiones, & calores oculis, auribus, naribus, manu. Iudicationes, & alia, per quæ cognoſcimus de ipſo ęgro, an ſudet, aut tangat, aut aliquid olfecerit, aut guſtauerit, itemque alia cognoſcūtur. Pili color, cutis, venę, nerui, muſculi, carnes, oſſa, medulla, cerebrum, & à ſanguine viſcera, venter, bilis, alij humores, articuli: & poſtea an doluerit iuxta aurem, iuxta ipſam collectū tuberculum, glandulam non attingens, os non ſuppurans, & hoc diſparuit, & tunc ſtatim febricitauit. Pulſus, tremores, conuulſiones, ſingultus, circumſpiratio, receſſus, per quę cognoſcimus. Suppuratis oculis, & dum erumpunt, vlcera magna fiunt, & dum ſecantur, profunda: & vtroque modo oculi vlcerantur. Ariſteas ex pago Amphilochi quarta die, mente motus eſt: aluus ſubuirida egerebat, & ſomni ſalubres, albicantis coloris.

24 Quibuſdā ab initio ſubtremuli digiti, & labia vbi loquerentur, itidemque aliæ partes, & proteruè lingua citiore, ac volubiliore prædīti; his rubor in facie maxime erat. Hi ebrioſi erant, aut vomitu commode vſi intumeſcebant. Qui iuxta Medoſadę ędes habitabat, cui tenuia, non bilioſa, aquoſa, multa, per receſſum prodibant: prącordium cedens, & gibboſum: ſoporoſus fiebat. Circa decimam quartam, ad iudicationem maxime progreſſo, rigor ſine tremore, diſſolutio, reſolutio, contractio, receſſus, & egeſtiones: ſoporoſus, mente motus, ex ſomno non inſanijt, iudicatus eſt circa decimamquartam, nihil è iudicātibus contrarium. Alius ſimiliter in principijs receſſus ſubuiſcoſi, ex quibus quod craſſum eſt, iudicatoriū eſt, inſomnis, poſtea ſubuiſcoſi, ſubbilioſi, maturi, bilioſi, non tenues: qui vbi compacta fieri cœpiſſent; iudicationes celeres. Prącordium intentum apparuit inflammati, aut venarum intentarum modo, circa ſextam. Poſtea dormiuit ſeptima, iudicatus eſt circa nonam, albicantis coloris ambo, non fului.

25 Quum receſſus aquoſi ſub dio expoſiti eſſent, ſuperne leues, tenues, iſatidi valde ſimiles fuerunt: inferne verò ſubſidentiam habebāt. Quibus in dextris diſtentio ſubmollis, phrenitici ſunt; ſi non ſoluatur febre deſinente. Quibus autem à mollitudine ventris in hac ipſa febre, quiddam collectum, aut durum doloroſum fit, & valde malignum diffundi non poteſt, ex talibus fortaſſis ſuppurantur. In dextris tumores eleuati, ſi quidem ſi quis plurimum, ac maxime premat, ſubmurmurarint, non valde maligni putandi ſunt: velut in dextris illi, qui ex Amphilochi pago erat, & ei, qui iuxta Medoſadę ædes habitabat. Hi ſoporoſi erant, & in ſomnis mente moti. Conſtitutiones quales, in quibus temporibus, ac regionibus magis, & minus fiunt. Vigores morborum, &

ad

ad iudicationem,& quotidie:& an citius fiant,aut serius,tertia, quarta,circuitu : & in quibus circuitibus iudicantia,tumentia,cruenta,& non.

26 Quibus abscessibus recidiuæ fiant, venę tēporum, & contractiones,& colorum mutationes ante iudicationes,ex rubro ad viridē,ac pallidū, si non iudicent: & cutis circuntensiones,absque iudicatione,& oculorum contractio,corporis duritia sicca. Qui quidem volentes lachrymantur,non malū est. Quibus autem inuitis lachrymæ profluunt,malum. Quibus in dentibus circumcirca viscosa fiunt,malum est subhiare,ac fixis oculis intendere. Qui in tibia vlcus habebat,& attico vsus est, huic pustulæ eleuatæ, rubræ, magnę: atque hoc pro tussi, quæ postea accessit; prius enim non tussijt. In Aeno quicunque capite vulnerati horridi erant,maligni,& suppurati,ex tenesmo:ex peregrinatione,ac itinere dolor pedum, & in turbationibus lassitudines. Clinia cibū auersans,colliquescens, purulentum, aliquando parum cruentum, purulentum tumidum eiecit. Hippeæ vxor hydropica, quæ etiam per tres annos vere incipiente tussijt, amplius autem suppurata est,ad hyemem aquosa facta est,& ab illis autem pharmacis curata melius habuit. Mortua est ancilla.

27 Ex tussientibus qui manibus laborabant, velut seruus ille,qui sarmenta obtorquebat,& Amyntæ filius, ambo sola dextra resoluti cessauerunt, quandoquidem perpessi sunt hoc tussientes. Qui verò aut equitarunt,aut iter fecerunt,in lumbis,ac femoribus resoluti sunt. Plurimæ verò tusses siccæ erant:sin minus; violentæ sanè. Vxor Emmyris modo non morboso,absque febre,stupida esse videbatur. Postea ad tremorem totius corporis res ipsi deuenit,& ad colliquationem,& cibi fastidium, ac sitim,& frigida erat. Nyctalopes, qui plurimam minxissent,postea parum quiddam mingebant. Verùm tussientes,& insuper febrientes tubercula ad aures habebant, erumpentia circa septimam,aut octauam diem. Emmyris filia febricitabat,& ex aure purulentum fluebat, circa octauam haud pro comperto habeo. Quibusdam verò etiam dens corrosus fuit:tertius maxime ex supernis. Præ omnibus autem hic reperitur corrosus: ad hunc dolor,& quibusdam etiam circumsuppuratio. Quibus verò ad aures,hi magis tussiebant,quam illi. Quibus autem cum febribus ad suppurationem, septima recedit. Cuidam postquam exacerbatus fuit;præcordium solutum non est; aluo autem emollita, inerant pauca subuiscosa,compacta:non bona vrina, cruenti coloris : spuebat autem sputum spumosum. Ille, ad quem Cynicus me induxit, septima exacerbatus est, circa decimamquartam iudicatus est. Disparentia mala sunt:purus fauces:pauca,lata,matura expuens: ex naribus parum sanguinis stillauit,capite grauatus erat. Manuum ac pedum dissolutio:aluus soluta profuit,pedes semper calidi, somni aderant ipsi, & iuxta aurem non extuberabat;quoniam matura spuisset.

28 Demarati vxor,pedes etiam in horroribus calidi: siue ad suppurationem, siue non tendebat,perijt. Senex qui è vita decessit, ægrotabat simul cum vxore sua, furiosum quiddam in se habebat. Postea verò vbi prodijsset ab ipso lumbricus subcrassus,& modicus cibus; statim sedatus, & dormiuit, & sanus erat hic senex:& corporis cutis circuntensio:extremę partes frigidæ,mollis,tremulus ab initio, & ladijs,& manibus,& voce,mente motus est moderate: hiabat, ac fixis oculis intendebat: non valde difficulter spirabat:diebus haud scio quot vltra viginti mortuus est. Quibusdam præcordia,& aluus,subegesserunt compressa, aceruatim, non cum murmuratione, velut in Abderis vermium speciem præ se ferentia. Quicquid contingit priore iudicatorios dies præcedente die,& mala,& bona signa fiunt in diebus,quibus qui exacerbantur diuturniores fiunt:& quibus desinentes remorantur. Quędam non fideliter alleuabant,& quędam per seipsa exacerbabantur.

29 Sputa peripneumonicis quibusdam biliosa, quum desinere volunt. Valde flaua breuia fiunt. Si qualia sunt, quę in principio adsunt, talia postea appareant,hęc non valde concoqui puto:sed iudicare, velut ei, qui apud pręceptorem erat, & velut aliàs quoque vidi. Nicippus in febribus per somnum semen effundit: & nihil ad peius processit:& hoc ipsum sępe ipsi factum est,& nihil lęsit. Prędictum est ipsi id desiturum, postquam febres iudicatę forent, & sic factum est. Critias in febribus ab insomnijs vexabatur quę nouimus, & cessauit etiam ipse eadem somniare vnà cum iudicatione.

30 Alcippus quum haberet hęmorrhoidas, à curatione prohibebatur. Curatus insanijt,febre acuta succedente cessauit. In febribus acutis siticulosi,à medicis potu interdicto, aut etiam à seipsis abstinentes, multum sibi bibere posse videntur: his aqua frigida data vt reuomant, prodest: biliosa enim aderunt. Quod nerui ipsi in seipsos trahunt, signum est: si quidem enim nerui in supernis manus sauciati fuerint, manus deorsum nutabit, dum ab infernis neruis trahitur: si verò contrà; vice versa. Tussiunt siccam tussim, qui testes affectos habent: & ex tussi vena secta,ad testem solutio fit: & inflammati tussiunt, & in febribus exinguinum tumoribus insuper tussiunt.

HIPPOCRATIS COI

De Morbis popularibus Liber V.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Insani à liberaliore potatione curatio.*
2 *Peripneumonici delirantis symptomata. Ventris fluctus corpore à cibis vacuo, & eius curatio.*
3 *Coxæ, inguinis, & commissurarum dolor.*
4 *Prurigo totius corporis, maxime autem testium, & frontis. Hydropicus ex pruritu corporis, & cutis crassitudine,*

situdine, post balneorum calidorum vsum. Cholera laborantes. Alui secessum sistit vomitus.

5 *Menses ad quadriennium suppressi, præter valde modicos. Conceptus fœmellæ, mensibus annis quatuor impeditis. Superfœtatio quadragesimo post partum die excidens.*

6 *Mulier caput circumcirca dolens. Sanguis mulieri prægnanti, mense decimo prodiens. Puer in vtero mortuus, cum dextro brachio lateri adnato. Purgam enta alba.*

7 *Coxæ, & ossis marcor.*

8 *Fronte percussus supra oculum dextrum, & eius curatio. Vesica scabiosa, & vrina viscosa.*

9 *Prægnans cibi fastidiens. Bilis combustæ vomitus præ cibi abstinentia. Venter inferior à medicamento vlceratus. Aluum sistit aqua multa super aluum affusa.*

10 *Alui, & intestini vlceratio à bile sponte commota. Hæmorrhoides fortes, ac diuturnæ. Aluus turbata in hæmorrhoidibus. Cancer in hæmorrhoidibus.*

11 *A tergo infra vmbilicum sauciatus. Bilis fluuæ & nigræ vomitus.*

12 *Crura, & maxillæ rigidæ. Sanguinis vomitus. Dolor corporis totius post Veneris vsum. Lapis in vtero asper magnitudine verticuli fusi.*

13 *Costæ à curru onusto confractæ.*

14 *Suturarum lasio cognitu difficilis, adeò vt Hippocrates ipse in capite quodam percusso se deceptum fateatur. Capitis vulnus.*

15 *Suppuratus infernum ventrem vltus. Pomorum esus tempore calidissimo. Ventris profluuio mortuus. Coxæ dolor acutus ab immunditia non purgata & à prana purgatione.*

16 *In anchoram incidens, ac ventrem sauciatus. Pharmacum purgans suffocatæ longæ postea datum, per secessum exiuit. Deorsum multum purgatus. Purgatio per tres dies. Manus suppurata vsque ad cubitum.*

17 *A bile suffocatus. Ventrem, & hepar à mulo percussus. Cibi non deorsum prodeuntes.*

18 *Pes marcore sua sponte corruptus. Ventris dolor à catapotio conceptus gratia sumpto. Erigidæ vsus in ventris dolore.*

19 *Circa vesicam dolor à catapotio. Dentium dolor in phagedæna vlcere corroso. Femoris punctione, sine sanguine, mors tertia die consequuta. Sagitta percussus iuxta inguen.*

20 *Cuspis ex inguine sexto tandem anno exempta postquam esset infixa. Spiculo retrorsum infra collum percussus.*

21 *Pernæ dolor ex via aspera. Ad oculum percussus. Virgo lata manu in sinciput percussa moritur.*

22 *Cibi fastidium citra febrem per duos menses. Gibbositas in spina ex phrenitide. Ex pharmaco ad fœtum perdendum mortua. Origanum oculis, & dentibus malum. Vocis ex casu altiore interceptio.*

23 *Pythoclis curandi per lac, & aquam ratio. Oculis incommoda. Lumborum, crurum, coxarum, ex laboribus dolores. Inguina dura, exturberantia.*

24 *Caput lapide percussus. Iaculo ictus retro in latus. Hepar iaculo percussus.*

25 *Anginosa. Engastrimythi. Ventres in morbis quando suppurgandi aut sursum.*

26 *Cubito vulneratus. Surditatis curatio. Maxillæ ex dentis dolore in tumorem eleuatæ curatio. Tuberculum in collo durum magnum, crudum, ac doloroſum.*

27 *Gingiuæ dolor, ac tumor. Hydropicorum curatio. Affectio cholerica bile sursum ac deorsum exeunte ex carnis esu, &c. Distillatio in nares hyeme Timochari per Venerem resiccata est.*

28 *Febris cum sudoribus. Digitus index, & infernum os dextræ manus ab anchora confractum.*

29 *Luxatio infra in pede magni digiti. Vlcus circa tibiæ malleolum. Neruorum distentio ex cholericis affectionibus.*

30 *Vocis interceptio. Tibicinæ timor noctu tantum.*

31 *Cæcutientem corpore exolutum sibi videri. Pontem, aut scrobem non transiens, &c. Oculi dextri affectio, velut fulgur elucens. Tristitiæ, ac decedendi è vita cupiditas.*

32 *Mente mota ex capitis dolore. Serpens Arges appellatus per os adolescenti ebrio ingressus. Horror ex potationibus.*

33 *Dysenteria ante partum. Coxæ dolor in morbo articulari, mensibus non prodeuntibus. Humeri dolor & granitas in brachio. Pustulæ velut culicum morsus.*

34 *Catapulta in pectus percussus. In dorsum percussus.*

35 *Frontis denudatio cutis ab ossibus citra pus discedens. Sagitta in superiorem ventrem percussus. Maxillæ marcor ex dentis dolore.*

36 *Carcinoma circa pectus. Capitis dimidij dolor ex distillatione. In partu concussa. Anginosa. Hydropicus voce repente destitutus.*

1 IN Helide olitoris vxor, febris corripuit ipsam acuta, & medicamenta bibens nihil sentiebat opis. In ventre infra vmbilicum erat quid durum, & altius altero, & dolores exhibebat fortes: Huc enim manibus cum oleo fortiter compressum, ac emollitum est: & postea sanguis frequens ipsi deorsum processit, & sanata est, & vixit. In Helide Timocrates amplius bibit. Insaniens autem ab atra bile, bibit pharmacum: hic purgatus est: purgatio multam pituitam, ac bilem atram egerebat per diem: & ad vesperam purgatio cessauit, & dolorem pertulit in purgatione multum: &, quum polentam bibisset; somnus ipsum corripuit, & tenuit per noctem, donec sol oriretur. In somno autem præsentibus nihil respirare videbatur, sed mortuus esse: & neque quid diceretur, neque quid fieret, sentiebat. Extentum autem fuit corpus, & rigidum. Verùm viuebat, & excitatus est. Scomphus in Oeniadis pleuritide correptus mortuus est, septima delirus. Pharmacum autem bibit infra purgans, priore ante potionem die mentis compos erat, & purgatus est nō multum: quum autem purgaretur; delirauit. Phœnici in Oeniadis, & Andreæ fratribus maxilla altera intumuit, & labium quod est ante maxillam, & oculum: & neque intrinsecus quicquam spectanti apparebat, neque forinsecus suppurabat: sed tumens arida putredine putrescebat. Et alter eadem perpessus est. Mortuus est autem alter septima die, & pharmacum bibit, & nihil profuit. Verùm Phrenici circulus putridus exsectus est: & vlcus purgatum est magna ex parte priusquam moreretur. Mortuus est autem & hic; vbi diutius vixisset.

2 Euridamus in Oeniadis in peripneumonia decima die, incœpit delirare: curatus ad mentem rediit, &

sputa

ſputa erant puriora, & morbus ad melius procedebat, & ſomno multo perfuſus eſt: & oculi morbum regium cõtrahebant, & mortuus eſt ad viginti dies. In Oeniadis vir quidam morbo tenebatur, quum ſine cibo eſſet: fortiter in ventre ipſius ſugebat, & dolebat: &, quum ediſſet, ac cibi contiti eſſent, tempusque poſt cibi eſum acceſſiſſet; non longe poſtea idẽ hoc patiebatur; & tabeſcebat corpus, ac conſumebatur, & alimentũ ipſi nõ contingebat à ciborum eſu; & per aluum ſecedebat cibus prauus, & combuſtus. Quum verò recens cibũ accepiſſet: eo ipſo tempore minime ſugebat, neq; dolor aderat. Hic omnis generis pharmaca bibens ſurſum, ac deorſum purgantia, nihil opis ſentiebat. Vbi verò vena ipſi ſecta eſſet in vtraq; manu, donec exanguis redderetur: poſtea vtilitatem percepit, & à malo liberatus eſt.

3 Eupolemus in Oeniadis, dolebat coxam dexterã, & inguen, & commiſſuram propinquam ad coxam, ab inguine, & coxa in anteriore parte. Huic ſanguis detractus eſt à malleolo, multus valde, & niger, ac craſſus: & pharmacum bibit aluum deorſum purgãs, & multum purgatus eſt; & melius quidem habebat, dolores autem non remittebant. Sed ſuppuratam habebat & coxam, & commiſſuram in ipſa ad ſedem, & partem circa inguen, quibus locis etiam amplius dolebat. Pus autem ad os magis fiebat, quam ad carnem, in profundo; & per tempus ſic habens negligebat, donec valde debilis fiebat: poſtea cruſtæ ipſi inuſtæ ſunt, valde multæ, & magnæ, ac inter ſe propinquę; & pus effluxit multũ, ac craſſum: & mortuus eſt poſtea paucis diebus tum præ magnitudine, ac multitudine vlcerum, tum ex corporis debilitate. Huic ſi vna ampla ſectio inciſa fuiſſet, & per ſectionem pus emiſſum eſſet, &, ſi opus fuiſſet: etiam altera ſectio facta eſſet; hæc ſanè in tempore ſi facta fuiſſent, mihi quidem videtur, quòd ſanatus eſſet. Lycon in Oeniadis, reliqua quidem eadem patiebatur. Verùm dolores etiam ad crus non ita valde progrediebantur, & non factus eſt ſuppuratus, ſed ſanus multo tempore: Bibebat autem pharmaca: & cucurbitas adhibebat: & venam ſecabat. Atque his factis, melius habere videbatur.

4 Homo quidam Athenis prurigine toto corpore vexabatur, maximè autem teſtibus, ac frõte, vexabatur autem valde vehemẽter; & cutis craſſa erat per totũ corpus, & velut lepra aſpectu, & ex nulla parte cutẽ apprehendere potuiſſet præ craſſitudine. Huic nemo opitulari potuit. Tranſgreſſus autem ad Melum, vbi ſunt calidæ balneæ, à pruritu quidem, & cutis craſſitudine liberatus eſt, verùm hydropicus factus mortuus eſt. Athenis virum cholera corripuit, vomebatque, & deorſum egerebat: & dolebat; & neque vomitus, neque per aluum ſeceſſus ſiſti poterat: & uox ipſum deſtituebat: & ex lecto moueri non poterat: & oculi caliginoſi, ac caui erant, & conuulſiones tenebant ab aluo, & inteſtino & ſingultus. Verũ ſeceſſus multo copioſior erat, quàm vomitus. Hic veratrum in lentium ſucco bibit, & alterum lentium ſuccum inſuper bibit, quantum potuit, & poſtea vomuit, & coacta ſunt, ac adſtricta ipſi ambo: frigidus autem factus eſt, & lauabat inferne vſque ad pudenda calida valde multa: donec etiam ſupernæ partes calefactę ſunt, & viuebat: poſtera verò die polentam bibit ex aqua.

5 In Lariſſa vxori Gorgię menſes ſuppreſſi erãt per annos quatuor, præter valde modicos: verùm in vterò, ad quamcunq; partem ſe inclinaſſet pulſum exhibebant, ac grauitatem. Hęc mulier concepit, & peperit, & puella viua nono menſe edita eſt, vlcus habens in coxa: & ſecundę conſequentes, ac ſanguinis fluxus valde multus ſucceſſerunt: poſtridie, & tertia die, ac quarta, etiam grumi ſanguinis concreti: & febris tenebat vſq; ad decẽ primos dies, & de cætero prodijt ipſi ſanguis ruber, & facies fortiter intumeſcebat, itẽque tibiæ, ac pedes ambo, & alterum femur: & cibos non admittebat. Sitim autem habebat vehementem, & frigidiſſima aqua conferebat: vinum autem nequaquam. At venter poſt primum puerum modice emollitus eſt, valde autem non cõſidit, ſed durior erat: dolor autem non aderat. Quadrageſima verò die à prima ſuperfœtatio excidit, caruncula quædam, & venter conſidit, omnesque tumores: & fluxio tenuis, ac ſanguis olens prodijt, & ſana euaſit.

6 Mulier in Pheris caput circũcirca dolebat multo tempore, & nemo poterat illi quicquam opis conferre, neque dum caput purgaretur. Melius autẽ habebat; quum menſes ipſi facile prodibant. Hæc quũ caput doleret; ex ſubditi tijs odoratis ad vterũ appoſitis opem ſentiebat, & modice depurgata eſt: &, quum concepiſſet; dolores caput relinquebant. Mulier in Lariſſa prægnans erat. Huic decimo menſe ſanguis prodijt multus per quatuordecim dies: plurimus aũt tribus diebus ante pueri editionem. Decimaquarta excidit ex vtero puer mortuus, habens dextrum brachiũ lateri adnatum: & tertia die, noctu eadem hora, qua puer, prodijt ſecunda, & purgamenta alba: deinde poſt hæc per tres dies, ac noctes multa moderate prodierunt. Poſtea febris corripuit, per duos dies, totidemque noctes: & dolebat omnem ventrem, & coxas, maxime verò pectinem. In Lariſſa Hippoſthenes peripneumonia apprehenſus eſſe medicis videbatur: erat autem nequaquam. Verùm principio luctans in duro loco cecidit ſupinus, aduerſario ipſi illapſo: & lauatus eſt frigida, & cænauit, & grauior factus eſſe ſibi videbatur. Sequenti autem febricitauit, & tuſſis apprehendit ſiccior, & ſpiritus denſus. Quinta die cruentum exſcreauit, non multum, & delirare incipiebat. Quando tuſſiebat; dolebat pectus, & dorſum. Sexta autem vbi ſternutaſſet; ſanguis fluxit è naribus, quatuor heminarum menſura. Ad veſperam neque loquebatur, neque ſentiebat, neq; quid fieret, neq; quid diceretur. Vndecima mortuus eſt. Per quinque verò dies, modo ſapiens erat, modo non. Erat & ſine febre. Sputum autem nullum procedebat, neque ſtertorem habebat: non enim erat ſputum.

7 Scamandrus in Lariſſa, & in coxa marcorem habuit, & in oſſe diu diſparato. Ipſe verò ſectus eſt ſectione magna, etiam ad os ipſum, & poſtea vſtus eſt. & tunc die duodecima poſt ſectionem cœpit conuulſio, & valde obtinuit: conuellebatur autem crus hoc vſq; ad coſtas, & ad aliam quoq; partem conuulſio progrediebatur: flectebatur autem crus, & extẽdebatur: & alia mẽbra mouebat: & maxillæ compactæ riguerunt. Hic mortuus eſt conuulſus octaua die poſt conuulſionis inuaſionẽ. Curabatur autẽ tepefactorijs vtriculis, & fomentis erui per totum corpus: & infuſum per clyſterem immiſſum eſt, & tunc modicum ſtercoris prodijt: & pharmacum bilẽ abunde purgãs

bibit,ac insuper catapotiũ deglutiuit,& seceſſit quidem: nihil autem à catapotio opis sensit:& somnus modicus venit: & rursus pharmacum idem forte ad vesperam bibit,ac sole emergente mortuus est. Videbatur autem multo tempore morbũ ferre potuisse; nisi ex pharmaci vi perijsset.

8 Equiso Palamedis in Lariſſa vndecim annorum, percussus est in frontem supra oculum dextrum, ab equo,& videbatur os non sanũ esse,& exiliebat ex ipso modicus sanguis,& sectus est sectione magna vsq; ad secũdam laminam & curabatur sic habens ipsum os,quod etiam antea statim os peperit. Vigesima tumor cœpit circa aurẽ,& febris,& rigor:& in die magis intumescebat,ac dolebat tumor;& ab initio febri citauit ex rigore:& oculi intumuerũt,& frons,& tota facies. Patiebatur autem hæc in dextra magis capitis parte. Progressus est autem tumor etiam ad sinistram: nihil tamen hic læsit. Demum febris continua corripiebat. Atq; hęc minora erant vsq; ad octauam diẽ. Vixit autem vstus,& per catapotiũ purgatus,& cataplasmate tumori impositio. At verò vlcus nullius mali causa erat. In Lariſſa Theophorbi filius vesicam scabiosam habebat,& viscosam vrinam mingebat:& dolebat dum & inciperet mingere,& dum desineret: & confricabat pudendum. Hic quum bibisset pharmacum vrinam ciens acre; in vesicam quidem nihil processit,verùm multum purilentum, & bilem euomuit,& deorsum alia huiuscemodi egerebat:& ventrem dolebat,& intrinsecus ardebat. Reliquum verò corpus frigidum erat,& totus resolutus est: & nihil assumere volebat. Huic exulceratus est venter fortiter valde à vi medicamẽti: & mortuus est tertia post potionem die.

9 Vxor Antimachi in Lariſſa prægnans erat diebus circiter quinquaginta,& reliquo tempore præ fastidio à cibo abstinebat, & per septem dies vterum dolebat,& cor:& febris corripiebat:eo tẽpore nihil per aluum egerebat. Huic datum est catapotium deorsum purgans fortius,quàm conueniebat,& euomuit bilem combustam prę cibi abstinentia,& febre:nam neq; vllo potu vtebatur: euomuit autẽ paucam violenter,& grumosa: & vbi concitata fuisset,ac ipsam emisisset,debilis esse videbatur: & non volebat aquã bibens euomere. Postea verò dolor fortis tenebat infernum ventrem exulceratus enim erat à medicamẽto, & prodibat ipsi statim post stercus subcruentum ramentosum semper autem amplior fiebat & debilitas, & cibi fastidium: & purgamenti erant heminæ quinque sistebatur autẽ aluus,aqua multa super ventrem affusa,aliud autem nihil potuit admittere. Mortua est circa mediam noctem. Videbatur viuere potuisse; si aquam bibere potuisset, ac statim vomere priusquam deglutiuisset.

10 Famula Onesidemi in Lariſſa vlcerata est aluũ, & intestinum à bile sponte commota: & prodibat sursum,ac deorsum bilis,& sanguis: & febris tenebat. Huic debili datum est pharmacum deorsum purgãs in potu,debile,aquosum,ac modicum, & vomuit ab ipso multum: & infra amplius subijt; & vesperi redijt. Postridie febris erat,sed debilis. Aluus autem vlcerabatur,& adhuc eadem egerebat. Tertia die,ad vesperã mortua est;quũ febris valde fortis ipsam corripuisset. Quapropter omnino moritura esse videbatur; Minime verò ideo quòd aquam frigidã biberat; donec vomitus tenebat. Postquam autem perfrigeratus est supernus vẽter,depurgatus per aquam,succo frigido postea poto, sic postea infusum per clisterẽ immissum est. Eudemus in Lariſſa,hæmorrhoidas habens fortes,ac diuturnas,quũ exanguis esset: bilis commota est,sed leniter in corpore: & aluus turbata deorsum biliosa egerebat, & hæmorrhoides intumescebant. Pharmaco deorsum purgãte poto,probe depurgatus est: & rursus bibit succũ, & amplius aluus turbata est;& dolor ad præcordia consistebat. Huic quũ venter non probe haberet, sed adhuc curatione indigeret; manus hæmorrhoidibus admotæ sunt,& vomuit. Postea quum cãcer successisset;febris irruit, & nõ dimisit,antequam occideret. Quandoq; etiam cum rigor subrepens dimisisset, febris venit,& prodijt ipsi bilis, & flatus, & partim prodibat, partim intus erat,& dolor in ventre. Hæmorrhoides autem extra intestinũ rectum erant,reliquo tempore à purgationibus auspicatæ; & flatus per ipsas prodibat:& ad sternutationem principium fiebat.

11 In Lariſſa vir quidã sauciatus est cominus ex manu per hastã latã à tergo,& summum eius penetrauit in fra vmbilicũ per multũ spacium,quod liuidum erat, & tumidum:postquam autem vulneratus fuit:dolor obtinebat primum fortis, & venter intumescebat. Huic postridie datum est pharmacum deorsum purgans,& egessit modicũ cruentum,& mortuus est. Vidébantur intestina huius non esse sana, & venter sanguine plenus esse. Apellæus Lariſſæus ætatem habebat annorum circiter triginta,aut parũ aberat. Corripiebatur autẽ morbo, à quo vexabatur noctu magis in somno, quàm interdiu. Aegrotabat autẽ ad duos annos ante mortem. Vomebat bilem fuluam aliquando,vbi excitatus esset: vomebat etiam nigram. Hic purgatione à capite forti valde ad multum tempus purgabatur:&,quùm pharmacũ bis bibisset:sex menses ipsum penetrauit. Erat valde vorax multi cibi:& quum corpus haberet biliosum:multũ luctatus,valde riguit: & febris corripuit, ac morbus ad noctem: postridie sanus esse sibi videbatur, & rursus altera die. Sequenti verò nocte morbus inuasit cœnatum à primo somno,& per noctem,ac diem,& vsque ad cę nã tenebat. Mortuus est priusquam respiscerat. Conuellebatur primùm circa dextras partes, faciemque, ac reliquum corpus,postea in sinistris:&,quum videretur quietus esset,soporem habebat,ac stertebat, & rursus succedebat morbus.

12 Eumelus Lariſſeus rigida habuit crura,& manus, & maxillas,& nõ poterat neque extendere, neq; flectere,si non alius flecteret,ac extenderet. Et neq; maxillas deducere poterat,si non alius diduceret. Aliud verò nihil neque dolebat,neque edebat,nisi mazam, & aquam mulsam bibebat. Vigesima die sedens cadit supinus, & caput ad lapidem vehementer offendit,& vertigo ipsi caliginosa offusa est: & paulo post surgẽs,sanus erat: & soluta erãt omnia,præterquam post somnum ubi excitaretur, articuli modice ligati erant. Erat autem duodecim, aut tredecim iam annorum,& ægrotauit mensibus tribus, aut quatuor. In Lariſſa virgo,quæ sanguinem vomuit,non multum suppurata facta,febribus corripientibus,non liberabatur priusquam moreretur. Mortua est tertio mense. Ante mortem verò obsurduerũt ei aures,& nõ audiebat;nisi quis valde exclamasset. Verùm ante sanguinis

guinis vomitū debilis erat. Famula Dyſeridis in Lariſſa, quum iuuencula eſſet, vbi Venere vteretur; fortiter circumcirca dolebat; aliàs autem ſine dolore erat; Concepit autem nunquam. Et, quum ſexaginta eſſet annorum, dolebat à meridie, velut ex partu vehementer laboraret. Hæc quum ante meridiē porrū ediſſet multum, poſtquam dolor ipſam corripuit vehementiſſimus, & priores omnes excedens; exurgens aſperum quiddam in ore vteri deprehendit. Poſtea quum ipſa animi deliquium incideret; alia mulier immiſſa manu, expreſſit lapidē aſperū, magnitudine verticilli fuſi. Et ſana tunc ſtatim, & poſtea erat.

13 Malienſi currus onuſtus inductus eſt ſupra coſtas, & coſtas cōfregit; & per tempus ſubſtitit ipſi pus infra coſtas. Vſtus ſub ſplenem penicillis, ac linamentis vtebatur, & peruenit ad decem menſes. Reſecta verò cute, cauerna apparuit ad tenue inteſtinū vtrinque procedens, & ad renem, & ad oſſa procedebat putrida. In hoc non animaduerſum eſt, quòd & corporis habitus biliōſus erat, & in corpore putredo ſicca tenuis inteſtini multa, & aliarum carnium, quas ſtatim eijcere oportebat, ſi quis potuiſſet ſicco pharmaco, dum robur aliquod homo habebat; nam ab humidis nihil remittebant, ſed putreſcebant; à linamentis verò inditis quū humor ſiſteretur; rigor corripiebat, & febris, & magis putreſcebat; affluebat autē iſthic putridum quiddā, ſubnigrum graueolēs. Priuſ quam verò curationis aggreſſio fieret; quotidie multum foras penetrabat. Erat autē non probe fluidum. Cognitum eſt naturam morbi eſſe magis remotam, quàm ſubter cutem. Quòd ſi verò etiam omnia recte facta eſſent; tamen non videbatur ſeruari poſſe; etiamſi ventris profluuium ipſum corripuiſſet.

14 Autonomus in Omilo ex capitis vulnere mortuus eſt die decimaſexta. in media æſtate lapide ex manu ictus, in ſuturas in medio ſincipite. Quare non animaduerti ipſum ſecari opus habere; deceperunt enim me ſuturæ habentes in ſeipſis iaculi læſionem; poſtea enim cōſpicuum id fiebat. Primùm quidem ad clauiculā, poſtea ad latus dolor fortis valde, & euulſio ad ambas manus venit; in medio enim capitis ac ſincipitis vlcus habebat. Sectus eſt autem die decimaquinta, & pus prodijt non multum. Membrana verò cerebri imputrefacta apparebat. Famula in Omilo ex capitis vulnere, duodecim annos nata, moritur in media æſtate, decimaquarta die. Ianuam quidam ipſi impegerat, & os contuderat, ac ruperat. Suturæ verò in vlcere erant. Quare cognitū eſt recte ſectione opus habere. Secta eſt autem nō velut oportebat; ſed quanto relictum eſt, pus in ipſo factum eſt. Octaua, rigor, febris inuaſit; habebat autem non velut oportebat; ſed quantum etiam prioribus diebus, quando febris non tenebat. Nona verò die reliquum reſectū eſt, & valde modicum pus cum ſanguine ſubtus apparuit, & mēbrana cerebri pura erat; & ſomnus quidem occupabat; febris autem non dimittebat. Conuulſio verò manum ſiniſtram inuadebat; nam in dextris magis vlcus habebat.

25 Cyrenius in Omilo ſuppuratus factus infernum ventrem, vſtus eſt, triginta diebus ſerius, quàm oportebat; & manſuete ſe habebat; & reſiccatū eſt pus in ventre. Verùm in calidiſſime tempore edens fructus pomorum, & alios cibos non cōferentes, à febre correptus eſt, & à ventris profluuio, & mortus eſt. Hecaſon in Omilo, velut etiam alter ſerius vſtus eſt; attamen reſiccatus eſt vēter, modico excepto. Dyſenteria verò arripiebat ipſum, quam vbi effugiſſet; omnia edebat, donec totus intumuit, & erupit ipſi pus deorſum, & ventris profluuio mortuus eſt. Hecaſon in Omilo, ab immūditia non purgata, & à praua purgatione, dolorem acutum in coxa habebat: & hic quidem diſceſſit. ſucceſſerunt autem ipſi febres: & multo tempore in lecto decumbebat, neque bibens quicquam, neque ſitiens: & debilis & horridus. Hic commodè quidem ablatus eſt morbus, velut conueniebat. Opem autem percipiebat ex his, quæ offerebantur. Tandem verò erupit morbus deorſum, & totus ſeceſſit præ multa bile: & mente motus eſt, & mortuus. Videbatur autem morbum euaſurus.

16 Qui in Salamine in anchoram incidit, in ventrem ſauciatus eſt, & circumcirca dolebat. Bibit autem pharmacum, & nōn egeſcit deorſum, neq; reuomuit. Mulier, quæ iugulauit ſeipſam, ſuffocabatur: & datum eſt ipſi longe poſtea pharmacum deorſum purgans, & per ſeceſſum ipſi exijt. Qui ex Eubœa venit adoleſcens, quum multum eſſet deorſum purgatus; intermiſſione facta quietus febricitauit: deinde quū putaret ſe purgatione ſurſum verſus opus habere; non validam radicem veratri bibit, & poſt potionem quarta die mortuus eſt, nihil expurgatus. Verùm ſomnus ipſum tenebat, & ſitis ſedari non poterat. Serua illa, cui à catapotio ſurſum quidem pauca prodibant, ac ſuffocabant: deorſum verò multa, nocte mortua eſt. Erat autem barbara. Quidam homo Eubœus poto pharmaco deorſum purgante, per tres dies purgabantur, & mortuus eſt. Habebat autem manum ſuppuratum vſque ad cubitum.

17 Symmachi filius à bile ſuffocabatur noctu; quum dormiret, & febris eum teneret. Pharmacum autem vbi bibiſſet; non continuit, neque purgatus eſt diebus ſex, antequam moreretur. Qui iuxta curriculum habitabat; quum noctu ſanguinem vomuiſſe; poſtridie mortuus eſt, ſanguinem vomens multum, & ſtrāgulatus. Ad ſplenem verò, & deorſum multus ſanguis ipſi prodibat. Puer à multo percuſſus ventrem, & hepar mortuus eſt quarta die. Spiritum autem denſum habebat, & nō intelligebat quicquā, & febris tenebat. Hermophili filius ęgrotabat diebus vndecim. Febris autem tenebat, & cibi nō deorſum prodibāt; & primùm quidem delirauit, nocte verò ceſſauit. Sequēti autem die voce deſtitutus iacebat ſtertens, diſtortos habens oculos, febricitans. Penna verò immiſſa vomuit bilem atram, & quum infuſum per clyſterem immiſſum eſſet; ſtercus prodijt multum.

18 Seruæ Ariſtionis pes ſua ſponte macore corruptus obtorpuit, iuxta medium pedis intrinſecus ex obliquo; & oſſa putrida facta abſceſſerunt, & prodibant paulatim fiſtuloſa, & ventris profluuium ſuccedebat, & mortua eſt. Mulier ſana, crāſſa, à catapotio conceptus gratia accepto, dolorem habebat ventris, & tormen in inteſtino, & intumuit. Spiritus autē ſiſtebatur; & deſperatio erat cum dolore: & ſanguinem vomuit nō multum, & emortua eſt quinquies, vt vita deceſſiſſe putaretur: & neque vomitu facto ab aquā frigida laxabatur: neque dolor præſens neque ſpiratio. Superfuſæ verò ſunt ipſi aquæ frigidæ amphoræ circiter triginta ſuper corpus, & ſanè hoc ſolùm prodeſſe videbatur: & poſtea deorſum proceſ-

sit bilis multa. Quum autē dolor obtineret;nihil po-
19 terat secedere, & vixit.

Antander à catapotio accepto, cætera sanus erat. Verùm circa vesicā dolorem habere videbatur: purgauit ipsam celeriter multo purgamento, & à meridie dolor tenebat fortis valde: & in posteram diem strangulatio, & desperatio, & iactatio: & vomebat, & nihil per secessum egerebat:& noctu patiebatur:& somnus non accedebat: postridie vero egerebat multum,& postea sanguinem:& mortuus est. Athenadæ puero masculo à phagedæna vlcere corroso, doluit à sinistra parte dens infernus,à dextra supernus. Huius auris dextra suppurata est; dum non amplius doleret. Sutor in Pytio dum soleas veteramentarias fueret; pupugit seipsum supra genu in femur: & ferme longum digitum immersit. Huic sanguis quidem nullus effluxit. Vulnus autem cito clausum est: femur autem totum in tumorem eleuabatur, & procedebat hic tumor vsque ad inguen, & lateris mollitudinem. Hic tertia die mortuus est.

20 Quidam iuxta inguen sagitta percussus,quem nos vidimus, maxime præter omnem opinionem seruatus est: neque enim cuspis exempta est; erat enim valde in profundo:neque sanguinis eruptio vlla memorabilis fiebat:neque inflammatio:neque claudicauit. Cæterùm cuspidem inuenimus nos, ipsamque exemimus; quū sex iam essent anni ex quo sauciatus erat. Suspitio autem erat hæc, inter medios neruos cuspidem occultatam fuisse, nullamque venam, aut arteriam dissectā esse. Qui percussus est spiculo acuto retrorsum paulo infra collum, vulnus quidem habebat non memorabile aspectu; neque enim in altum ferebatur, verum nō multo tempore postea exempto spiculo, distendebatur in posteriorem partē tractus, velut opisthotonici,& maxillę ligatę erāt,&,si liquorem aliquem in os sumeret, eumque deglutire conaretur;rursus relidebatur ad nares. Cæteraque statim peiora fiebant: & secunda die mortuus est.

21 Adolescens per asperam viam cursu facto, dolebat pernam,maxime inferna parte. Abscessum autem locus accepit nullum,velut qui colligeret humorem. Verùm tertia die totus locus nigrescebat,vsque ad talum,astragalum appellatum,& vsq; ad cauitatē,quæ est ad pectus pedis: & quod denigratum erat, nō diffringebatur,sed prius moriebatur. Viginti verò dies ex toto cursu vixit. Qui ad oculum percussus est,percussus quidem est in palpebram, descenderat autem cuspis altæ satis, barbæ verò summum supereminebat. Secta palpebra,sublata sūt omnia. Nihil erat mali;oculus enim permansit,& compendio sanus factus est. Sanguis autem effluxit large,& multa copia. Virgo illa pulchra Nerij filia, erat quidem annorum viginti, verum à muliercula amica ludente, lata manu percussa est in sinciput: & tunc quidem vertigine capta est,& sine spiritu erat,& quum ad domum venisset,statim febris vehemens corripiebat, & caput dolebat,& rubor circa faciem erat. Septima die circa aurē dextram pus processit graueolens, subrubrum,amplius cyatho:& videbatur sibi melius habere,& alleuata est. Rursus augebatur febris,& in soporem deferebatur,& loqui nō poterat; & faciei pars dextera trahebatur, & difficulter spirabat; & conuulsio, ac tremor aderat;& lingua detinebatur;& oculus stupidus erat. Nona mortua est.

22 Cleomenis filius hyeme initio facto, cibum auersabatur,& eius fastidio citra febrem vexabatur; & vomebat cibos,ac pituitam; & per duos menses cibi fastidium durabat. Coco in spina gibbositas facta est exphrenitide. Huic nulla medicamenti potio conferebat; verū vinum nigrum,& panis esus, & balneorum abstinentia, & frictio, & leuis fotus, non cum multo fomento,sed placide. Cuidam,quæ circa vigesimum ætatis annum,biberat,pharmacum ad fœtum perdendum, accidit dolor, vomitus bilioſorum, multorum, pallidorum,ac prasinorum. Quum bibisset;conuulsio tenebat,linguam commandebat. Ad quartam diem ad ipsam ingressus sum, & erat ei lingua magna, nigra. Oculorum autē alba erant rubra:insomnis. Quarta mortua est ad noctem. Origanum potum,oculis,& dētibus malum est. Puella,quæ de rupe cecidit,voce destituta;iactatio aderat; & vomuit ad noctē,sanguinē multū; quum ad sinistram aurem impegisset, amplius inde fluebat. Aquam mulsam difficulter deglutiebat; stertor;spiritus densus,velut morientium. Venæ circa faciem distentæ: decubitus supinus:pedes tepidi: febris debilis: vocis interceptio. Septima vocem rupit; calores tenuiores tenebant; superstes mansit.

23 Pythocles ægrotātibus aquam, & lac multa aqua ammixta dabat. Perniones pertundendi,& calefaciēdi sunt pedes, sic ut maximè excalefacias igne, & aqua. Oculis incommoda sunt lenticula,fructus pomorum dulces,& olera. Doloribus circa lumbos,& crura,& coxam ex laboribus obortis,aquæ marinæ, acetique calidū fomentum confert, ita vt vel aspergas, vel spongiam his imbutam adhibeas. Deligare verò oportet lanis succidis,& pellibus agninis. Fullonibus inguina extuberabant dura,&sine dolore:& circa pubem,& in collo,similia erant tubercula magna:febris ante decimum diem. Tussi vexabantur à ruptionibus. Tertio mēse,aut quarto venter colliquiuit. Calores successerūt:lingua sicca: sitis: egestiones deorsum malignæ; mortui sunt.

24 Qui lapide in caput percussus est à Macedone, & corruit. Tertia die voce destitutus erat: anxietas: febris tenuis:pulsus non valde in tēporibus. Nihil omnino audiebat,neque sapiebat; non quietus,sed quarta mouebatur: humiditas circa fronte,& sub nasum, & vsque ad mentum,& mortuus est. Eniates in Delo iaculo ictus retro in latus,in sinistra parte,vlcus quidem sine dolore habuit. Tertia verò vētris dolor vehemens:non egerebat. Infusu verò per clysterem immisso,stercus prodijt ad noctem afflictio intermittebat. Sedes ad scrotum extabat. Quarta & ad pubē, & ventrem dolor irruebat;quiescere non poterat:bilio sa vomuit abunde colorata. Oculi quales animi deliquium incidentiū. Post quintum diem mortuus est. Calor quidā tenuis inerat. Ei qui hepar percussus est iaculo, statim color qualis est mortuorum per corpus diffusus est:oculi raui,anxietas, molestia. Mortuus est,priusquam cōcio solueretur, quum sub diei exordium percussus fuisset.

25 Polemarchi vxori hyeme anginosæ,tumor sub gutur. febris multa,vena secta est,cessauit suffocatio ex faucibus, febris comitabatur. Circa quintam genu dolor, ac tumor sinistri, & circa cor videbatur ipsi aliquid colligi, & respirabat velut hi, qui submersi fuerunt,respirant: & ex pectore substrepebat, velut

qui

qui concluſo ore loquũtur. Engaſt rimythi, quaſi ex ventre loquentes, Græcis appellati. Tale quiddam contingebat. Circa ſeptimam, aut nonam ad noctem aluus deorſum prorupit, & multa liquida, quæ mala putantur, egeſſit. Ipſa verò voce intercepta mortua eſt. Vētres ſubpurgare oportet in morbis. quum matura fuerint: infrà quidem; vbi conſidiſſe videris. Signum habes, ſi neque anxij, aut capite grauati fuerint: & quum calores mitiſſimi fuerint, aut quũ poſt exacerbationes ceſſarint: ſurſum verò, in exacerbationibus: tunc enim etiam ſua ſponte eleuantur: quũ anxij, & capite grauati fuerint, ac ſe iactarint.

26 Ex caſu vulnerato cubito, ob corruptionem cubitus ſuppuratur. Quum autem iam maturus eſt: viſco ſa ſanies exprimitur: velut etiam Cleogeniſco, & Demarco Aglaotelis filio. Similiter autem & valde ex ijſdem pus nullum: velut Aeſchyli filio contigit. Suppuratis autem plurimis horror, & febris ſuccedebat. Parmeniſci filio ſurditas accidit. Contulit clyſterem auricularium non adhibere: verùm lana ſolum inditа perpurgare, & oleum infundere, aut netopum: præcipere verò, vt deambularet, mane ſurgeret, & vinum biberet album. Aſpaſij vxori dolor dentis vehemens, & maxillæ in tumorem eleuatæ ſunt. Quũ verò caſtorium, & piper collueret: opem ſentiebat. Callimedontis puero contulit ad tuberculum, quod habebat in collo durum, & magnum, & crudum, ac doloroſum, ſectio venæ brachij: & lini torrefacti cataplaſma imponere ſubactum vino albo, & oleo imbutum, ita vt deligetur, neq; calidum, neq; valde coctũ. Aut cũ aqua mulſa coquatur fœni Græci, aut ordei, aut tritici farina.

27 Meliſſandro quum gingiua dolore corriperetur, & vehementer intumeſceret; ſectio venæ brachij, & alumen Aegyptium in principio ſedebat. Hydropicum laboribus fatigari oportet, ſudare, panem edere calidum, in oleo bibere, non multum lauari, & caput tepide. Vinum autem album, & tenue, & ſomnus auxiliatur. Bianti pugilli quum natura vorax eſſet: cõtigit, vt in affectiones cholericas, bilis ſurſum, ac deorſum exeuntis, delaberetur, ex carnis eſu. Maxime verò ex porcinis carnibus crudioribus, & ex ebrietate vini odorati, & placentis, ac dulciarijs ex melle, & cucumere, pepone, & lacte, & polenta recenti. In æſtate verù affectiones cholericæ, & febres intermittentes. Timochari hyeme deſtillatio, maxime in nares: quum Venere vſus eſſet, reſiccata ſunt omnia: laſſitudo, calor ſucceſſit: caput graue, ſudor à capite multus: defluebat autem & per totum corpus. Erat autem etiam ſanus, ſudare adſuetus. Tertia die euaſit ſanus.

28 Poſt canem febres fiebant ſudoroſæ: & non perfrigerabãtur omnino poſt ſudorem, ſed rurſus amplius incaleſcebant: & longæ, & leniter ſine iudicatione, & non valde ſiticuloſæ: paucis in ſeptem, & nouẽ diebus ceſſabant. Vndecima, & decimaquarta, & decimaſeptima, & vigeſima iudicabantur. Polycratem febris inuadebat, & ſudor qualis prę ſcriptus eſt. Purgatio à pharmaco deorſum facta eſt, & febris erat lenis. Rurſus in temporibus parui, & circa collum, ad veſperam: deinde in totum, & rurſus incaluit. Circa duodecimam, & decimamquartam diem febris augeſcebat, & ſeceſſus pauci: poſt purgationem ſorbitionibus vſus eſt. Circa decimamquintam ventris dolor circa ſplenem, & lateris mollitudinem ſiniſtram. Calidorum adhibitiones minus profuerunt, quàm fridorum. Quum autem leni, ac molli per clyſterem infuſo vſus eſſet; dolor ceſſauit. Magnæ nauis gubernatori anchora. digitum indicem, & infernum os dextræ manus confregit, inflammatio ſucceſſit, & marcor, & febris. Subpurgatus eſt moderate. Calores lenes, & dolores: de digito quid decidit. Poſt ſeptimũ diem, ſanies exibat lenis: poſtea per linguam dixit ſe non omnia poſſe enunciare. Prædictum opiſthotonum aduentare. Ad hoc conferebant maxillæ conſertæ, & ad collum rigidę. Tertia verò die totus conuellebatur in poſteriorem partem cum ſudore. Sexta à prædictione mortuus eſt.

29 Harpali filius ex liberta Telephanæ, luxationem infra in pede magni digiti accepit: inflãmatus eſt, & doloroſus erat: & vbi repoſitus eſt, & dolor remiſit; proficiſcebatur ad agrum rediens lumbos doluit, lauit: maxillæ ad noctem conſerebantur, & opiſthotonus aderat. Saliua ſpumoſa vix per dentes foras prodibat. Tertia die mortuus eſt. Thrinon Damonis filius habebat circa tibiæ malleolum vlcus, iuxta neruum ſanè iam purum. Huic à pharmaco corroſo contigit, vt opiſthotono moreretur. Profecto in omnibus ſuppurationibus, & his, quæ circa oculũ ſunt, dolores ad noctem.

Tuſſes hyeme, maxime in auſtrinis, craſſa, & multa alba exſcreantibus: & febres ſuccedebant leniter, & quinta die ceſſabant. Tuſſes autem circa quadraginta, uelut Hegeſipoli. Eutychides ex cholericis affectionibus in cruribus ad neruorum diſtẽtionem deſiuit, vnà cum ſeceſſu deorſum. Bilem multam abunde coloratam vomuit ad tres dies, ac noctes, valdeque rubram: & impotens erat, & anxius. Nihil autem continere poterat neque ex potibus, neque ex cibis: & urinæ, ac tranſitus deorſum ſuppreſſio multa: per vomitum fex mollis prodijt, & deorſum quoque erupit.

30 Androphani vocis interceptio, ignorantia, delirium. His ſolutis ſupererat adhuc diu multis annis & recidiuæ fiebant. Lingua verò per totum tempus permanebat ſicca: &, ſi nõ collutione vteretur; loqui non poterat, & plerunque erat valde amara. Aliquando etiam dolor ad cor, quẽ uenæ ſectio ſoluit. Huic aquæ potus, aut aqua mulſa contulit. Veratrũ nigrũ bibit: neque bilioſum prodibat, ſed modicum. Tandem hyeme decubit, & mente motus eſt: & linguæ affectiones ſimiles, calor tenuis ſine dolore, lingua decolor. Vox peripneumonica: de pectore ſtragula reijciebat, & ſe educi iubebat. Nihil autem poterat clare loqui. Ad noctem mortuus eſt. Nicanoris affectio erat, quum ad conuiuium progrederetur; timor tibicinæ: quum ſub initium vocis tibiæ, in conuiuio tibia canere audiſſet; præ timoribus turbationes. Vix ſe ſufferre poſſe dixit; quum nox eſſet. Interdiu verò audiens, nihil cõmouebatur. Talia comitabantur ipſum multo tempore.

31 Damocles, qui cum illo erat, cæcutire, & corpore exoluto eſſe ſibi uidebatur: & non acceſſiſſet ſanè ad ptæruptum locum, neque trans pontem, neque minimi ſcrobis altitudinem tranſgredi poterat, ſed per ipſum ſcrobem. Hęc per tempus aliquod ipſi affuerunt. Phœnicis affectio ex oculo dextro talis quędam erat, plerunque uelut fulgur elucere putabat.

Quum

Quum autem non diu ipsum continuisset; dolor ad tempus dextrum instabat,& per totum caput,ac collum. Caput intumescebat retro ad verticula:& distentio, & duricies circum tendines: & vbi caput commouere,aut dentes diducere conabatur;non poterat,vt qui ualde distendebatur. Vomitus vbi facti fuissent;prædictos dolores auertebant, & leniores faciebant. Sed & venæ sectio proderat, & veratri potio,eduxit autem uaria, & omnigena, maxime verò prasina.Parmenisco etiam prius incidebant tristitiæ,& decedendi è uita cupiditas: quandoque uerò rursus lætitia.

32 Cononis serua ex capitis dolore incipiente,mente mota est:clamor,querelæ multæ,raro quies. Circa quadragesimum diem mortua est. Decem autem diebus ante mortem uoce destituta, & conuulsa fuit. Adolescens quidam multo meraco poto, supinus in habitaculo quodam dormiebat. Huic serpens Arges appellatus in os ingressus est: & sanè quum sensisset, & loqui non posset; dentibus stridit, & serpentem deuorauit, & dolore magno tenebatur, & manus prætensas adhibebat, uelut qui strangularetur: & iactabat seipsum: & conuulsus mortuus est. Timocharis seruus ex atrabiliarijs esse putatus, à talibus, ac tot uiris, similiter mortuus est circa eadem dies. Nicolai filius circa solstitium hybernum ex potationibus horruit: ad noctem febres; postridie uomitus biliosus,merus,modicus.Tertia die quum concio fori adhuc plena esset; sudor totius corporis cessauit. Diopithis sorori in semitertiana, circa accessionem etiam cor grauiter dolens, & concomitabatur etiam is dolor tota die: & huiusmodi cordis dolor etiam alijs similiter aderat. Veruntamen sub pleiadis occasum uiris talia rariora fiebant.

33 Epimarchi uxori antequam pareret; dysenteria erat,dolor uehemens,secessus recrementa, subcruenta,mucosa. Vbi peperisset; statim sanata est. Polemarchi uxori in morbo articulari,coxæ dolor quidam uehemens: causa erat, quòd menses non prodirent. Vox intercipiebatur,per totam noctem usque ad meridiem. Audiebat autem,& sapiebat,& per manum significabat,quòd circa coxam esset dolor. Epicharmo circa pleiadum occasum dolor humeri, & grauitas in brachium,anxietas,uomitus multi,aquæ potus Euphranoris filio pustulæ uelut culicum morsus, uerùm modico tempore, postridie febricitauit. Siccitates multæ post Fauonium factę sunt usque ad æquinoctium autumnale.Sub canem æstus magni,calidi uenti:Febres sudorificæ.Tubercula iuxta aurem multis oborta sunt.

34 Tychon in obsidione circa Datum, à catapulta percussus est in pectus, & paulò post risus erat circa ipsum tumultuosus. Videbatur autem mihi medicus eximens lignum, reliquisse aliquid de spiculo in septo transuerso. Et quum ipsi videretur:ad vesperam infusum per clysterem adhibuit,& pharmacum deorsum purgans dedit.Noctem primam transegit molestè. Statim verò vbi dies illuxisset, & medico,& alijs, melius habere videbatur: (erat enim quietus:) prædictio facta est, quòd, vbi conuulsio fieret: breui esset moriturus. Sequenti itaque nocte molestè habens,insomnis,plerunque in ventrem decumbens: tertia ex oriente die conuellebatur: & tunc mortuus est. Billo percusso in dorsum, spiritus multus per vulnus cum strepitu processit: sanguis erumpebat. Vbi verò medicamentum cruentis vulneribus destinatum adhibitum, ac deligatum esset, sanatus est.

35 Contigit & infelicissimo Philes filio, denudatione in fronte facta, nona die febris: deinde os liuefactum est: mortuus est. Et Phaniæ, & Euergetæ filio, liuefactis ossibus,& febricitantibus, cutis ab osse discessit, & pus non comparuit. Aristippus in supernum ventrem violenter, ac grauiter sagittæ ictu petitus est, ventris dolor vehemens, & breui ardebat, deorsum verò non egerebat: anxius erat, biliosa abunde colorata quum vomuisset: melius habere videbatur: paulò post rursus dolores vehementes,& venter velut in voluulis: calores, sitis: & in septem diebus mortuus est. Neapolis similiter percussus, eadem passus est: acri infuso per clysterem immisso,aluus deorsum erupit: color per corpus diffusus est,tenuis,pallidus,niger:oculi sicci, stupore rigidi,intus conuersi, intuentes in corde. Metrodori filio ex dentis dolore, maxillæ marcor, & gingiuarum carnis superexcrescentia. Moderate suppuratus est: exciderunt dentes molares, & ipsa maxilla.

36 Mulieri in Abderis, carcinoma obortum est circa pectus: & per mammam fluebat sanies subcruenta: obturata verò fluxione, mortua est. Plerique ex destillatione secundum dimidiam capitis partem dolebant: & humore secundum nares procedente febricitabant leniter, & in quinque diebus perfrigerabantur. Ei, quæ in partu concussa fuit, dolor circa pectus, & latus factus est, excreationes purulentæ. Tabes constitit, febres per sex dies. Rursus alui profluuium,quies,febris, aluus adstricta est, & circa septimam diem mortua est. Anginosa quædam dextram manum,& crus doluit:febris tenebat debilis: strangulatio tertia die remisit: quarta conuulsa,voce destituta, stertor dentium contritio maxillarum rubor. Mortua est quinta,aut sexta die. Signum circa manum subliuidum. Alia quoque in palato stertorosa: lingua sicca,peripneumonica,non desipiens mortua est. Et in Olyntho hydropicus,de repente voce destitutus, desipiens per noctem, ac diem, mortuus est.

HIPPOCRATIS COI

De Morbis popularibus Liber VI.

Argumentum in Librum sequentem.

Sectio 1. *Capitis grauitas ex abortu, & tumoribus ad coxam conuertitur. Acuta capita. Capitis dolor, & aurium fluxio. Nasus medius quibus considat, & quibus summus simus. Renum dolor. Puerorum elucescentiæ. Menses aquosis diu permanent. Ad rigores fortes progressa. Vrinarum suppressiones ante rigores. Abscessus non valde quibus rigores. Crurum effœminationes. Tubercula quæ bona, & quæ mala. Autumno frequentes morbi. In morborum principijs, quæ consideranda. Tussicula in infantibus, cum ventris turbatione. Tumores infra vmbilicum. Suppurationis humerorum solutio. Lachrymæ vltroneæ, & inuoluntariæ. Palpebra circumtensa. Oculus inarescens. Squalliditas. Febrium variæ differentiæ. Distentiones corporis, & articulorum duritia. Oculi audacia.*

Sectio 11. *Curatio per contraria. Abscessus velut glandularum tumores. Spirituum qualitas. Oscitationis remedium, spiratio longa. In non potantibus, & vix, spiratio breuis. Venæ temporum non considentes, neque viriditas splendida. Sitis intus relicta. Oris reseccatio, & iniucunditas. Cibi fastidium. Post iudicationem relicta. Splenis eleuationes. Quartanæ sanguinis eruptiones ægrè iudicant. Febres vna die intermittentes, &c. Febres tertianæ. Tusses siccæ. Contraria paulatim facta accessione adhibenda sunt. Capitis dolor parte posteriore. Præcordiorum successiones. Reuulsio. Pustulæ latæ, non valde pruriginosæ sunt. Quæcunque concoqui oporteat, conclusa esset conuenit. Oculorum fluxionum ad fauces reuulsio. Transitus apertos esse oportet. Facies bona in magnis morbis. Vrina genituræ similis. Sanguis serosus. Splenis deorsum vergentis signa. Quibus suppurationibus vmbilicus terminus. Capitis grauedine, qui minus laborent. Circa ægrotos consideranda. Concretum. Solidum factum.*

Sectio 111. *Clauicies. Instrumentorum attritio. Detractio. Corpus extenuantia, & explentia. Exercitationum signum. Splen magnus natura. Recidiuæ quibus minus fiant. Quicquid suppuratur, non reuertitur. Ventris inflatio, & ventris strepitus à Venere. Scapulæ alarum modo eminentes. Frigidum valde venas rumpit, & tussim mouet, velut nix & glacies. Concretio post mictionem. Figuræ magis alleuantes. Femoribus extenuatas ex labore montano. Laterum naturæ scapulas alarum modo eminentes habentes. Rigores in mulieribus sicut & viris, qua parte magis incipiant. Recte se habentium probatio, & non recte se habentium redargutio vnde petenda. Sanguinis è naribus eruptio. Quos, ac quibus crassefacere oporteat. Veneris vsum quæ sequantur. In accessibus strepitum edentes, &c. Mutationes cauendæ. Cibus modicus. Omnis attenuatio laxat cutem, deinde circumtenditur. Cutis considentis corrugatio, renutritæ extensio. Herodicus quibus febricitantes interfecerit. Non sitire facientia. Occasiones morborum consideranda. Vlcera. Sputa rotunda delirium significant. Hæmorrhoidum bonum. Humorum decubitus ad aliquem locum. Loca alterius morbi locos excipientia Sanguinis detractio, quibusdam non conuenit. In spuentibus impedimenta.*

Sectio 1111. *Tubercula circa aurem. Vrina crassa, alba. Intestini dextra parte dolor. Anhelatio & coxæ dolor post crepitum in pectore ex sublato onere. Spumosum sputum. Capitis tumor serpens. Intestina hominis, canis similia ac aliquanto maiora. Aegrotis gratificandum. Aquæ decoctæ perfrigeratio. Aqua intercus. Si qualia oportet purgari, purgentur: facile ferunt. Crurum impotentia ex leguminum esu in Aeno. Vigilans palàm calidior externis partibus: Frigidior autem internis: Dormiens vice versa. Calidæ naturæ quæ conueniant. Victus frigidi & victus calidi. Aquarum ratio quæ. Cubile quatenus calidam naturam crassefaciat vel attenuet. Sanitatis scopus seu exercitatio. Sitis quatenus somno, & somnus siti medela. Voce maxima qui præditi. Venas eminentes qui habeant, & ad iram magis propensi. Quæ terra volucribus abundet. Testes. Corporis robur ex oculis coniectatur. Signa lethalia. Labores cibos præcedant.*

Sectio v. *Morborum naturæ medici. Hominis anima semper producitur vsque ad mortem. Morbi connutriti quomodo desinant. Sanatio. Excandescentia & lætitiæ in corpore humano facultates. Cibus. Somnus. Cura. Sanguinis concursus. Ad auris dolorem. Lingua vrinam significat. Vrinarum differentiæ. Lingua concolor attingentibus ipsam humoribus. Caro humana salsa ad gustum. Mammillarum papillæ. Aurium sordes dulces. Locorum in morbis longis mutatio. Cibi debiliores. Coxarum fluxio. Coitus quibus morbis commodus. Fortis potus ac cibi. Atrabilis. Coitus. Frigiditas. Coitus. Veratrum vt cito purget. Sanguis in somno. Rigor à ventre superiore. Superuacuatum. Cibi frigidissimi. Vlcerum causa. Corpori calido ab internis & externis caussis dolor. Ciborum differentiæ.*

Sectio VI. *Carnes attractrices, & ex ventre, & extrinsecus. Frigidior in frigido tempore, ac regione calidior erit. Venter proximus in doloribus purgandus. Quartana à maioribus morbis tutos reddit. Bilis generatio. Caliditas acrimoniæ signum. Laterum dolores in mente motis desinunt. Per aures ex auribus plerunque tertio die moriuntur. Cutis arida ac dura. Mutationes in recidiuis prosunt. Sanguinis è naribus fluxio quibus prosit. Nares & genituræ humidior. Sputa rotunda. Vrina multæ subsidentiæ. Quartana post pilorum defluuium non vltra annum. Aurium eruptiones. Ossium venarum, &c. natura ex capite æstimanda. Biliosum, & sanguineum corpus, atrabiliarium fit.*

Sectio VII. *Tusses ex frequenti Australium, & aquilonarium, ac niuosorum transmutatione. Anginæ. Leues syderationes. Nyctalopes. Ad lumbos, aut crura impotentiæ ab equitatione, &c. Tusses durissimæ, & violentissimæ ad leuem syderationem, ac resolutionem perducentes. Vocis ad tussim fractio. Oculorum nigræ partes variegatæ.*

gatæ. Mulierum morbi diuersi à virilibus. Venæ circa ceruicem, & tempora eleuatæ. Animi deliquium vnde. Inguinum glandularumque tumorum causa. Ventrium abundantiæ turbationem ferunt. Hydropicorum curatio. Vocis qualitas. Morbi quatenus tabem inducant. Tusses laboriosæ contingunt locos læsos, & maxime articulos. Tabescentibus quæ anni tempora inimica. Cibi fastidia in longis dysenterijs, mala. Vlcera circum glabra, maligna sunt. Pustulæ quæ seps vocantur in lumbos dolente. Renum affectiones. Insomnis exacerbata.

Ex parua tabula quæ considerandæ. Morborum populariter grassantium modi. Tumores in supernis palpebris. Tumores aut liuores, in lippitudinibus aut vlceribus erumpentes. Tormina circa messem. Sacri ignes. Labiorum in febribus vlceratio. Victus rationes in ægrotis quantum fieri potest cognoscendæ. Similitudines bonis medicis pariunt errores ac difficultates. Fistula refracta. Apex hepatis complicatus. Semen per somnum emittens. In caput lapsus. Atrabiliarios etiam morbo ceruiciali corripi, & vicissim comitiales atrabiliarios fieri. Mulier fœcunda alioqui, ex mensibus suppressis hirsuta est facta.

Sectio prima.



Vibuscũq; ex abortu circa vterum, & tumoribus, ad capitis grauitatẽ conuertitur, & iuxta sinciput maxime dolores, & quicunque alij ab vteris: his in octo, aut decem mensibus ad coxam morbus desinit. Acutum habentes caput, qui quidem validam habẽt ceruicem, robusti sunt tum aliàs, tum ossibus. Qui verò caput dolent, & aures fluentes habent: his palatum cauum est, & dẽtes inter se non è directo respondentes. Quibuscunque os de palato discessit, his medius considet nasus. Quibus verò inde, vnde dentes prodeunt, his summus nasus simus fit. Puerorum elucescentiæ simul cum pubertate, in quibusdam mutationem habent, etiam alias. In renem dolor grauis; quum implentur cibo, vomunt pituitam: quum verò redundarint dolores: eruginosa: & melius quidem habent. Soluuntur autem, quum cibis euacuati fuerint, arenolæque fluuæ subsident, & cruentum mingunt, torpor femoris è directo, quiescere non conducit. Sed exercitia, non impleri iuuenes veratro purgare, poplitem secare, vrinam cientibus purgare, attenuare, & mollire. Menses aquosis diu permanent. Quum verò non breui prodierint; intumescunt. In Cranone antiqui dolores frigidi, recentes autem calidi, ex sanguine verò plurimi: & quæ ex coxa, frigida sunt. Quæ ad rigores fortes progressa sunt, non valde mitigantur, nisi prope vigorem. Ante rigorem vrinarum suppressiones, si ex bonis fuerint, & aluus egerat, & somni adsint: fortassis autem & febris modus: fortassis etiam quæ ex lassitudinibus. Abscessus non valde, quibus rigores. Crurum effœminationes, veluti si aut ante morbum iter fecisset, aut statim ex morbo: eo quòd fortassis ex lassitudinibus in articulos abscessit, ex quo crurum effœminationes. Tubercula extra extuberantia, & acuta, & fastigiata, & æqualiter matureſcentia, & non obdura, & deorsum vergentia, & non bifida, meliora: contraria verò, mala: & quanto plus contraria, pessima. Ferinum autumno, & oris vẽtriculi dolores, & horrores, & atrabilis. Circa initia exacerbationes considera, & in omni morbo, quale est ad vesperam exacerbari, & annus ad vesperam, & ascarides. Infantibus tussicula cum ventris turbatione, ac febre continua, significat post iudicationem bimestri, in totum vigesima die, etiam tumores ad articulos. Si quidem infra vmbilicum constiterint, in infernis articulis superna, bonũ: si verò supra; non similiter morbum soluunt, nisi sup purata fuerint. Quæ verò in humeris suppurãtur tantillis, mustellæ cubito præditos, paruumque, ac maci lentum brachium habentes faciunt. Soluerit autem & vlcusculorum inferne eruptio; si non rotunda, & profunda fuerint: talia enim pernicioſa etiam aliàs sunt pueris. Soluerit itidem sanguis fluens: magis autem in perfectioribus is apparet. Lachrymæ in acutis male habentibus, vltroneæ quidem bonæ: inuoluntariè verò defluentes, malæ. Quibus circumtenditur palpebra, malum. Malus est etiam oculus inarescens, velut spuma, & obscuratio oculorum mala est. Et squalliditas mala, & qui intrinsecus corrugantur, & rigentes, & qui vix conuertuntur, & qui intus conuersi sunt, & quæcunque alia omittuntur. Febres aliæ quidem mordaces sunt manui, aliæ lenes. Aliæ verò non quidem mordaces, verùm augescentes. Aliæ autem acutæ quidem, sed quæ à manu vincantur. Aliæ statim adurentes, aliæ semper debiles, siccæ. Aliæ salsuginosæ. Aliæ inflatę, horrendi aspectus. Aliæ ad manum humectæ. Aliæ rubicundæ valde; aliæ valde pallidæ. Aliæ liuidæ, & alia id genus. Distentiones corporis, & articulorum duriciæ, malum; & ipse dissolutus, & confractiones articulorum, malum. Oculi audacia, delytij signum est: & oculorum deiectiones, ac peruersiones, malum.

Sectio II.

Dilatare, constringere, alia quidem, alia verò non. Humores alios quidem expellere, alios verò siccare, alios autem indere, & alia quidem parte, alia verò non. Attenuare, crassefacere, corpus, cutem, carnes, & alia: & aliqua quidem, aliqua verò non. Leuigare, exasperare, indurare, mollire, alia quidem, alia non. Excitare, torpefacere: & quæcunque alia huiuscemodi. Deriuare, subcedentia statim reuellere, renitentibus concedere. Alium humorem non prodeuntem ducere: prodeuntem verò simul effundere: operari simile, velut dolor dolorem sedat. Dissimilia, si vergant sursum eleuata; inferne soluere, & contraria per eadem: velut est capitis purgatio, venæ sectio; quando non temere detrahitur. Abscessus velut glandularum tumores, signum quidem sunt earum partium, quæ germina habent, sed & aliarum: maxime verò circa viscera. Maligni autem hi sunt. Spiritus parui densi, magni rari, parui rari, magni densi: extra magni, intus parui; intus magni, extra parui: alius extendens, alius vrgẽs: dupla intro reuocatio, velut superinspirantibus, calidus, frigidus. Medela assiduarum oscitationum: spiratio longa. In non potantibus, & vix, spiratio breuis. Edirecto & laterum, & præcordiorum intentiones, & splenis eleuationes: & è naribus eruptiones, & aures è directo. Horum plurima etiam ad oculos. Vtrum igitur omnia? aut quæ quidem ex infernis sursum, è directo: qualia sunt quę iuxta maxillas, aut circa oculum, aut aurem? quæ verò

ex

ex ſupernis deorſum, non è directo? Atqui & anginoſi rubores,& laterum dolores è directo. Aut etiam quæ infra hepar ſunt ex ſupernis diſtributa, velut in teſtes ac varices? conſideranda ſunt hæc,quò,& vnde,& propter quid. Venæ temporum non conſidentes,neque viriditas ſplendida, ſi ſpiritus intus relinquatur,aut tuſſis ſicca,non ferina: vt in articulos decumbat expectare oportet, è directo diſtentionem ſecundum ventrem vt plurimum. Habent autem horum plurimi & facies rubicundas, & ex natura ſunt modi albidioris, & de naribus ſanguis non erumpit, aut parum erumpit: & ſi quidem ex affuſis intus relinquatur;paratus eſt abſceſſus. Sitis intus relicta,& oris reſiccatio,& inſucunditas, & cibi faſtidium,eodem modo. Febres autem non acutæ,eiuſmodi ſunt, verùm reuertentes. Quæ relinquuntur poſt iudicationem,recidiuas facere ſolent. Primùm itaque ſplenis eleuationes,ſi non ad articulos finierint, aut ſanguinis è naribus eruptio fit,aut dextra præcordij intentio: ſi non penetrauerint vrinæ: hæc enim eſt interceptio vtrorumque,& recidiuæ horũ merito fiũt. Abſceſſus igitur horum facere oportet; ſi non fiant; eos verò,qui iam fiunt,declinare: eos autem excipere,ſi prodierint iam, & qualia oportet, & qua parte oportet: qui verò non valde,eos coadiuuare: eos verò auertere; ſi omnino incommodi fuerint; maxime ſi hi affuturi ſunt: ſin minus;ſi iam incipiunt. Quartanæ ſanguinis è naribus eruptiones ægre iudicant. Febres,quæ vna die intermittentes, altera ſuperrigent vnà cum iudicatione, ex quinq; ad ſeptem circuitus durant. Quæcunque tertianæ naturã habent,his nox moleſta ante exacerbationem:quæ verò ſequitur,tolerabilior plerunque eſt. Tuſſes ſiccæ parum irritantes à febre adurente,non pro ratione ſiticuloſæ,neq; linguæ torrefactæ,nõ feritate,ſed ſpiritu:Conſtat id inde:quum enim loquuntur,aut hiant;tunc tuſſiunt: quum verò non;minime. Hoc autem in febribus ex laſſitudinibus oborris maxime contingit. Nihil temerè affirmandum,nihil contemnendum. Contraria paulatim facta acceſſione adhibenda ſunt, & interquieſcendum. Dolenti capitis parte in poſteriorem, recta vena in fronte ſecta profuit. Succeſſiones præcordiorum ex qualibus qualia alterant, & viſcerum inflammationum qualia poſſunt, ſiue ex hepate ſpleni,& vice verſa:& quæcunque huiuſmodi. Reuellere oportet;ſi non quà oportet,repant: ſi verò quà oportet; his oſcula aperire oportet,qualiter ſingula repunt. Latæ puſtulæ non valde pruriginoſæ ſunt:quales Simon habebat hyeme, qui vbi ad ignem inunge retur,aut calida lauaretur;opem ſentiebat. Vomitus non proderant. Arbitror,ſi quis calida fomenta adhibuiſſet;opem ferre potuiſſe. Quæcunque concoqui oportet,concluſa eſſe conuenit:contraria verò ſiccare,& aperta eſſe. Oculorum fluxiones,ſi aliàs conducere videtur;reuellere ad ſauces conuenit: & vbi eructatio conducit,& quæcunque alia huiuſmodi. Tranſitus aperios eſſe oportet,veluti nares,& alia,quibus opus eſt,& velut opus eſt,& qualia,& qua parte, & quando,& quantum opus eſt: velut ſudores, & alia ſanè omnia. In magnis malis facies ſi fuerit bona;bonum ſignum eſt:in paruis autem contraria ſignificãs bonæ ſignificationi,malum. Apud magnum Theatrum vbi mulier retro heroum, morbo regio ſuperueniente,permanſit ipſi. Apud Temenæ neptim ille nigricantis erat coloris. In Perintho genituræ ſimilis vrina talis,quæ eſſet iudicatoria,etiam pectinis affectionem:nam huiuſmodi vrinæ talia ſanãt: quoniam neque flatu multo, neque ſtercore multo egreſſo eua cuabantur: non.n.profecto magnum erat præcordium. Braſſicam ſeptima die quis comedit,quum adhuc difficulter ſpiraret: poſtquam pecten emollitus eſt;recte ſpirans factus eſt,aluus ipſi expulit. De ſanguine ſeroſo,quoniam in pauidis talis, aut in his, qui vigilarũt:& ſiue malus,ſiue bonus. Quibus ſplen deorſum vergit, pedes, & manus, & genua calida ſunt:naſus,& aures ſemper frigida: nũ propter hoc, quòd tenuis ſanguis? num & natura talem hi habẽt? Suppurationibus vmbilicus,terminus:quibus ſuppuraturis ventres turbantur. Splen durus non ſuperne, inferne,rotundus,latus craſſus,lõgus, tenuis longus minus capitis grauedine laborantibus. Circa ægrotantem adminiſtratio,& de morbo interrogatio:quę narrat qualia,quomodo accipiendi ſermones:quę ad ægrotantem, quæ ad præſentes, quæ ad externos. Quòd in calidiore,ſolidiore,in dextris: & nigri propterea,& venę extrinſecus,& multo bilioſiores. Concretum eſt,compactum eſt citius: vbi motum eſt,deſinit,& tardius augeſcit,& ad amplius tẽpus. Quòd ſolidum factum eſt, & bilioſius, & ſanguinolentius eſt:hic calidior eſt locus animali.

Sectio III.

Cutis raritas, ventris denſitas: cutis conſtrictio, carnium incrementum: ventris torpor,vniuerſorum confuſio:vaſorum immundicia,cerebri conſumptio. Quaprapter & caluicies, inſtrumentorum attritio. Detractio curſibus, luctis, quiete, multis celeribus deambulationibus, carne ouilla,maza cocta plerunque,panis modicus. Detractionis ſignum, eandem horam diei ſeruare;derepente enim trahitur. Remittito labores,aut defluet. Similitẽr enim totum concidit. Quum verò iam conciderint;carnes ſuillas aſſatas exhibeto. Quum autem implentur; ſignum eſt, quòd corpus rurius floridum fit. In exercitationibus ſignum,ſudor fluens guttatim,qui exit velut ex canalibus:aut collapſio ex eleuatione. Mulier,quam primum curaui in Cranone, ſplen ipſi magnus natura, febris ardens,rubicunda,ſpiritus, decima ſudor plerunque ſupernè:ſed & infernè,decimaquarta. Minus his, qui ex capite grauedine, ac raucedine laborant, vbi febre correpti fuerint,recidiuę (velut puto) fiũt. Quicquid ſuppuratur,non reuertitur:ipſa enim maturatio,& iudicatio ſimul,& abſceſſus. Quibuſdam vbi venere vtuntur,vẽter inflatur,velut Damagorę: quibuſdam verò in hoc ſtrepitus: Arceſilao verò ẽt intumeſcebat. Flatuoſitas ſimul cauſa eſt in his,qui ſcapulas alarum modo eminentes habent: ſunt enim flatuoſi. Frigidum valde,venas rumpit,& tuſſim mouet,velut nix,glacies:& conſtringit,velut ſunt eminentiæ oblongæ,& rotundæ:Pherea & Gongronę,à ſatyrorum circa aures eminentijs, & arborum quarundam tuberculis appellatæ. Simul cauſa ſunt etiã durities. Poſt mictionem concretio, pueris magis: num quòd calidiores? Figuræ magis alleuantes velut qui ſarmenta manu nectebat,& obtorquebat,prę doloribus decumbens, arrepta paxilli ſumma parte ſupra ſeipſum infixa, inhærebat, & melius habuit. Quem ex montano labore circa pontem ego vidi

crura

crura iactantem, altera tibia minime extenuabatur, femoribus autem valde. Vrinæ,& genitura non supprimebantur. Quæcunque laterum naturæ,scapulas alarum modo eminentes habent, propter causæ debilitatem, in destillationibus malignis, siue excretio fiat,siue non fiat,malum. Rigores incipiunt mulieribus quidem magis à lumbis,& per dorsum,& tunc ad caput: sed & viris posteriore corporis parte magis,quàm anteriore: horremus enim magis exterioribus quàm interioribus corporis partibus,velut cubitis,femoribus. Sed & cutis rarior: Indicat autē pilus: à quibus autem alijs rigent,fortassis vlceribus, incipiunt à vasis: Summa ex natiuitate,& causa,& plurimis rationibus, & paulatim in cognitionem venientibus colligentem,ac addiscentem,an similia sint inter se, & an non similia sint inter se: quo ex dissimilitudinibus similitudo fiat vna. Sic sanè fuerit via. Sic etiam eorum, quæ recte se habent probatio, & non recte se habentium redargutio. Sanguinis ex naribus eruptio,aut subpallidè nigricantibus,aut rubicundè pallentibus,aut subpallidis. Parum dimittentem crassefacere oportet sicco. Alijs verò minus crassificatione opus est. Sicco autem opus est albo, velut galla, alumen. Postquam venere vti inceperint,aut hircire;sanguis ipsis è naribus erumpit. In accessibus alij quidem strepitum edunt,velut Arcesilaus: alij verò accessuri,horridi fiunt,ac rugosi. Alij postquam accesserint: ventre inflantur,velut Damnagoras. Mutationes cauendæ. Cibus modicus, non delassari,non sitire. Omnis attenuatio laxat cutem: deinde circumtenditur. Renutritio vice versa. Cutis cōsidentis corrugatio,renutritæ extensio. Rugosum,lęue,vtriusq; signum,itemq; subbilliosum,& subrubrum: Sic etiam detractas esse mammas, graciles autem sursum tractas esse,& circumtensas; etiamsi quis non propterea putauerit id fieri, sed in carnosis. Clauiculæ conspicuæ,venæ pellucidæ. Herodicus febricitātes interficiebat circuitibus,luctis,multis fomentis. Mala est febriculositas, inimica fami, luctis, circuitibus,cursibus,frictioni: laborem labore. Ipsis venarum rubor, liuor,pallor,laterum dolores molles. Non sitire faciunt,continere os,tacere,ventum cum potu frigidū inducere. Occasiones vnde ægrotare cœperint, considerare oportet,siue capitis fuerit dolor, siue auris, siue lateris. Signum sunt dentes,& in quibusdam inguinum tumores. Vlcera orientia,ac tubercula iudicantia febres. Quibus hæc non fiunt,iudicatio sublata est: quibus intus relinquuntur, certissimæ recidiuæ,ac celerrimæ. Sputa rotunda delirium significāt, velut in Pleno. Qui hæmorrhoidas habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neq; phagedæna, neq; furunculis,neq; tuberculis terebinthi figurā habentibus corripiuntur, fortassis autem neque lepris, fortassis neq; vitiliginibus. Multi tamen intempestiue curati,talibus non tarde correpti sunt,& sic pernicioſæ fuerunt: & quicunq; alij abscessus,velut fistulæ,aliorum medela sunt. Decubitus humorum ad alium locum,in quibus factos affectus liberat, in his prius ipse factus,illos impedit. Alterius loci morbos loca excipiētia,aut ob dolorem, aut ob grauitatem, aut propter aliud quiddam liberant, aut quòd alijs sunt communicationes. Propter inclinationem non amplius sanguis prodit,sed iuxta humoris cognationem talia spuunt. Conuenit quibusdam sanguinem detrahere,tempestiue in talibus. In alijs autem velut in his,non conuenit. Impedimentum in spuentibus cruenta,tempus anni,pleuritis,bilis.

Sectio IIII.

Tubercula circa aurem quibus circa iudicationē exorta,non suppurata fuerint,his disparentibus recidiua fit,pro ratione recidiuarum. Recidiua verò contingente rursus intumescunt,& permanent, velut febrium recidiuæ in simili circuitu: his spes est ad articulos abscedere. Vrina crassa alba,qualis Archigenis familiari erat, in lassitudinis febribus quarta die aliquando prodit,& liberat ab abscessu. Si verò vltra hoc,etiam sanguis è naribus large eruperit: etiam valde. Cui intestinum in dextra parte dolebat,& articulari morbo correptus est: eat quietior. Postquam autem hic curatus fuit; magis dolebat. Agasis filia quum esset puella;densum spiritum habebat. Mulier autem facta, à partu non diu dolore correpta leuiter, magnum onus sustulit: & statim quidem in pectore aliquid crepuisse visum fuit. Postera die & anhelationem habebat,& coxam dextram dolebat: & quū hæc doleret;tunc etiam anhelatio habebat: coxæ verò dolore cessante,etiam anhelatio cessabat. Spuebat spumosa,ab initio verò florida. Vbi verò considisset sputum;vomitui bilioso tenuit simile erat. Dolores maxime erant,quum manu laboraret. Hanc ab allio arcere visum fuit,porcoque, ac ouicula,& boue: In rebus autem agendis, à clamore, & excandescentia. Cui in capite tumor depascendo proserpebat, ei primùm alumen vstum profuit. Habuit alium abscessum,forte quòd os abscessurum esset. Abscessit sexagesima die supra aurem: sursum ad verticem vulnus erat. Intestina crassa habet,qualia sunt canis,verùm maiora. Dependent autem ex medianis membranis: mesocolis hac parte appellatis. Hæ verò ex neruis, de spina, sub ventrem. Aegrotantibus gratificationes,velut est purè præparare potus, ac cibos, & ea, quæ videt: molliter ea,quæ non magnopere lædunt, aut facile reparari possunt, velut frigida; vbi hac opus est. Aliæ gratificationes sunt,introitus,sermones,habitus,vestitus ægrotauit,tonsura,vngues,odores. Aqua decocta partim,vt aerem admittat,partim vt vas non plenum sit,& operculum habeat. Quòd ex sanguinis eruptionibus,aqua inter cutē corripiuntur. Si qualia oportet purgari,purgentur; facile ferunt. In Aeno legumina comedentes assidue,fœminæ,mares,crurum impotentes facti sunt, & permanserunt. Sed & eruum comedentes, genum dolores habebant. Palàm vigilās,calidior externis partibus: frigidior,autem internis: Dormiens,vice versa. Calidæ naturæ frigiditas,potus aqua, quiescere, somnus in frigore,contecto, somnus sedentium, erectorum nictatio. Debiles victus,frigidi. robusti verò,calidi. Aquarum arte non præparatarum, quæ quidem ab æthere excreta est,aut cum tonitruo,æstiua: procelloſa verò,mala. Aqua vorax,vigilia vorax. Percalidam naturam calido tempore, in frigore cubile crassefacit: in calido attenuat. Exercitatio sanitatis, est vesci citra saturitatem,non refugere laborem. Inter vigilandum siti leui somnus medela est: siti verò ex somno,vigilia in quibusdam. Quibus plurimus calor est,maxima voce præditi sunt: nam & plurimus est frigidus aer. Ex duobus autem magnis,magna etiam

quæ

quæ generantur, existunt. Ventriculo calidi, carne frigidi, & tenues, hi eminentes venas habent, & iracundiores sunt. Terra siccitatibus squallida, volucrium genus abundat. Hircire incipiens, vter testis extra apparuerit, si quidem dexter; masculum: si verò siniſter; fœmellam portendit. Oculi prout validi fuerint, ita etiã corpus: sed & color in peius, aut melius vergit. Iustum est autem, prout se habuerit alimentum, ita & quod forinsecus est sequi. Signa lethalia, per cutem, nares, calidus vapor: vbi prius nares frigidum spiritum emiserunt. Signa verò vitalia, contraria sunt. Labores cibos præcedant.

Sectio V.

Morborum naturæ medici. Inuenit natura ipsa sibiipsi aggressiones, non ex præmeditato: partim velut est nictare, partim verò & ea, quæ lingua submini strat: & quęcunq; alia huiuscemodi, non edocta natura, & nullo magistro vsa, ea, quibus opus est, facit. Lachrymæ, narium humiditas, sternutationes, auris sordis, oris saliuæ eductio, spiritus introitus, exitus, oscitatio, tussis, singultus, non eiusdem omnino modi. Vrinæ secessus, & flatus, & huius alterius alimenti, & transpirationis, & ea, quæ fœminis solis adsunt, & in reliquo corpore sudores, pruritus, corporis distentiones cum oscitatione, & quæcunque huiuscemodi. Hominis anima semper producitur vsque ad mortẽ. Si verò efferbuerit; vnà cum morbo etiam anima corpus depascitur. Morbi connutriti, in senecta, & per concoctionem, & per solutionem, & per rarefactionem desinunt. Sanatio, contra sentientem non consentire affectioni. Frigidum & auxiliatur, & occidit quæcunque ex calido sunt. Excandescentia retrahit cor, & pulmonem in seipsa: & ad caput calida, ac humidum. Lætitia verò relaxat cor. Labor articulis, & carnibus: cibus, somnus, visceribus. Animæ de ambulatio est cogitatio hominibus. In vulneribus sanguis concurrit: opitulandum igitur, vt vacuum expleatur. Si auris doleat; lana digito obuoluta oleum calidum instillato: deinde lanam intus in volam manus positam, sub aurẽ subdito, vt aliquid ipsi exijsse videatur: postea in ignem immittito: Dolus. Lingua vrinam significat. Linguæ virides cum pallore, bilio sæ: bilioſum autem à pingui: Rubicundę verò à sanguine. Nigræ ab atra bile. Siccæ à fulginoso ardore, & vterina parte. Albæ verò à pituita. Vrina cõcolor cibo, & potui, & qualis intus est humidi colliquatio. Lingua concolor attingentibus ipsam humoribus: quapropter per hanc humores cognoscimus. Si salsæ carnes gustanti; redundantiæ signum, Si mammarum papillæ, & rubor pallidus fuerit; morbosum veteri vas est. Hominibus sordes in auribus, dulcis quidem lethalis, amara verò non. Terram mutare commodum est in longis morbis. Debiliores cibi breuem vitam habent. In fluxionibus ad coxam, venas retro aures seccato. Coitus morbis ex pituita commodus. Calido ventriculo præditos, fortes potus, ac cibi perturbant. Atræ bilis velut similis est hæmorrhois. Augescentes morbos coitus. Frigiditas ea, quæ in vẽtre sunt, indurat. Coitus ea, quæ in ventre sunt indurat. Eum, qui veratrũ bibit, si citius purgare volueris; lauare oportet, aut comedere. Sanguis in somno intro magis fugit. Rigor à superiore ventre, febris ab inferiore magis. Attractio, pulmo, siccus ardor. Superuacuatum siccat, & somnus multus. Frigidissimus cibus, lentes, milium, cucurbitæ. Vlcera exoriuntur si quis dum impurgatus est, laborauerit. Mulier, capra, elaterium, aut cucumerem syluestrem comedentes, pueris purgatio. Calido corpori, id quod comedit, intrinsecus frigiditas est: forinsecus autem dolor à sole, igne, vestitu, in tempore æstiuo: contrario verò contrario modo. Cibi partim celeriter superantur, partim tarde.

Sectio VI.

Carnes attractrices & ex ventre, & extrinsecus. Indicio est sensus ipse, quòd expirabile, ac inspirabile est totum corpus. Calidissima venula sanguinis multitudine, id, quod fuliginosum est, exerit, & statim secernit. Et quibus quidem pingue, bilis flaua: quibus autem sanguis, atra. Mentis, memoriæ, olfactus, aliorum etiam famis instrumentorum exercitatio. Labores, cibi, potus, somnus, res venereæ, omnia mediocria. Frigidior in frigido tempore, ac regione calidior erit. In doloribus proximum ventrem purgato, sanguinis autem ventrem secato. Vstio, sectio, calefactio, perfrigeratio, sternutationes, plantarum succi: in quibus vim habent, & cyceonis mixtura. Ex ijs, quæ malum operantur, sunt lac, allium, vinum feruefactum, acetum, sal. Homo ex lassitudinibus ex itinere, imbecillus, grauatus, expuit: tussiuit enim ex vertice: febris acuta, ad manum submordens. Secunda die capitis grauitas, lingua combusta fuit, naris vnguibus conscalpta sanguinem non effudit. Siniſter splen magnus, & durus dolebat. A quartana correpti, à magno morbo non corripiuntur: si verò corripiantur prius, & succedat quartana; liberantur. Pro qualibus qui morbi. Bilis fit, velut de vulneribus dixi, quòd sint bilioſæ. Caliditas acrimoniæ signũ est. Turbationes, transitus: nam mente motis dolores laterum desinunt: quibusdam & febres, quibusdã non. Sed cum sudoribus, quibusdam autem cum turbatione, quibusdam verò cutis arida, & circumtensa, ac sal fuginosa. Torpefactiones quales ex qualibus, & quales illi, cui coxa. Per aures, ex auribus, plerunq; tertio die moriuntur. Quibus cutes circumtenduntur aridæ, ac duræ, sine sudore: quibus laxæ sunt ac raræ, cum sudore moriuntur. In recidiuis mutationes prosunt. His transmutare oportet ad ea, quæ cõueniunt, antea q̃ male afficiantur, velut Cherioni. Quæ irritantur ex qualibus, stridulæ faucium asperitates terminum pręscribunt. Quibus quidem id, quod sanum est, relinquitur, causa deorsum submissa, eos aut purgato, aut deligato, aut eijcito, aut resecato, aut exurito: quibus verò non, non. Quibus sanguis multus fluit ex naribus, qui quidem decolores mero modo sunt, his parum prodest: quibus verò colores rubicundi, non similiter. & quibus capita sunt, quæ facile tolerant, prodest: quibus secus, non. Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, ac copioſior, hi morboſius sanis sunt: plurimis autem quibus ex morbo, vice versa. Sputa rotunda, mentem emouent, velut illi in Plinthio. Huic sanguis ex siniſtra nare erupit, & solutus est quinto die. Vrina multam subsidentiam habens, à mentis emotione liberat, qualis erat Dexippi. Post pilorum defluuium, quartana febris non vltra annum. Aurium eruptiones æstate quinta die fiunt: quandoque verò

etiam diutius durant. Ita & circa gingiuas,& circa nares ſuppurationes. Quibus in dentium dolore, de ſupercilio tenuia deſcendunt; his à pipere probe affricto poſtridie craſſiora deſcendunt,ſi etiam alia nō obtinuerint: nam Hegeſippo ſoporiferum inditum non obtinuit, ſed magis & violentius inſuper prouocauit. Oſſium naturam ex capite colligere oportet: deinde neruorum,& venarum,& carnium,& aliorū humorum,& ſupernorum,ac infernorum ventriculorum,& mentis,& morum,& eorum,quæ per annū fiunt,tempore quodam anni præcociore,velut puſtulæ,& huiuſcemodi:ſimile enim eſt his,quæ quotidie citius, aut ſerius accipiuntur. Similiter & bilioſum, & ſanguineum corpus atrabiliarium fit:ſi non habet euacuationes. Lycino poſtremum ſplen magnus doloroſus,in quarta, aut quinta,

Sectio VII.

Tuſſes cœperunt circa ſolſtitia hyberna decimaquinta,aut vigeſima die, ex frequenti auſtralium,& aquilonarium,ac niuoſorum tranſmutatione. Ex his aliæ breuiores,aliæ diuturniores fiebant, & poſt has multæ peripneumonicæ affectiones. Ante æquinoctium rurſus pleriſque reuertebantur,quadrageſima vt plurimum ab initio die; & aliquibus ſanè valde breues,ac iudicatu faciles erant, aliquibus autē fauces inflammatæ ſunt,quibuſdā anginæ obortæ; quibuſdā leues ſyderationes,alijs nyctalopes,atq; hi magis pueris. Verùm peripneumonicæ affectiones valde breues erant. Faucium verò inflammationes poſt tuſſim,aut omnino parum pro tuſſi fiebant,atque hę breues,magis autem nyctalopes. Anginæ verò,& leues ſyderationes,aut duræ,& ſiccæ, aut paruæ,& raro matura educentes: quibuſdam verò etiam valde. Qui igitur aut vocibus amplius ſe fatigarunt, aut riguerunt,in anginas magis deſierunt. Qui verò manibus laborarunt,manibus tantum ſyderati,ac reſoluti ſunt. Qui verò equitauerunt,aut amplius iter fecerūt,aut alios labores cruribus perfecerūt;his ad lumbos,aut crura impotentiæ reſolutoriæ obortæ ſunt, & ad femora,ac tibias laſſitudo,ac dolor. Duriſſimæ autem, & violentiſſimæ tuſſes erant, quæ ad leuem ſyuerationem,ac reſolutionem perducebant. Verùm omnia hæc in recidiuis fiebāt. In principijs verò nō ita valde. Pleriſque autem horum tuſſes in medio remiſerunt; ſed perfectè nō defecerunt,verùm cum recidiua affuerunt. Quibus voces frangebantur ad tuſſim,horum plurimi ne febricitarunt quidem; quidā verò parum. Sed neque peripneumonicæ affectiones vlli horum fiebant,neque leues ſyderationes,neque vllus alius morbus de ſe ſignificationē præbuit; ſed in ſola voce iudicabantur. At verò nyctalopicæ affectiones firmabantur, vt quæ etiam ex alijs cauſis fiebant. Fiebant autem pueris maxime. Oculorum autem nigræ partes aliquantum variegabantur,quæ pupillas paruas habebant. In ſumma, oculus niger vt plurimum erat. Et magnos magis,quàm paruos oculos habebant, & plurimi rectos capillos, ac nigros. Cæterùm mulieres non ſimiliter à tuſſi afflictę ſunt. Verùm paucæ febricitarunt, & ex his valde paucæ ad peripneumonicam affectionem deuenerunt, atq; hæ ſeniores, & omnes ſuperſtites euaſerunt. Cauſabat autem hoc fieri; eo quòd non ſimiliter velut viri prodirēt,& quod nequaquā ſimiliter,vt viri morbis corripiuntur. At anginæ liberis duabus obortiebantur, atque hæ manſuetiſſimi moris erant; abundantius autem famulas corripiebant, quibus & violentiſſimæ fiebant, ipſasque celerrime perimebant: Viris verò multis fiebant,qui partim euaſerunt,partim perierunt. In ſumma, qui ſolum deglutire non poterant, his valde mites, ac toleratu faciles erant. Qui verò etiam inſuper obſcure loquebātur,his moleſtiores,ac diuturniores. Quibus verò etiam venæ circa tempora,& ceruicem attollebantur, his aliquatum malæ erant:peſſimæ verò his,quibus & ſpiritus ſublimis coeleuabatur. Hi enim etiam incaleſcebāt: nam,ſicut ſcriptum eſt,ita conſortia affectionum habebant. Et quæ quidem primum ſcripta ſunt, etiam ſine poſterioribus fiebant: quæ verò poſterius, non ſine prioribus Celerrime autem moriebantur,vbi febrili rigore inſuper riguiſſent. His ita preſſis nihil memorabile proderat,non ventris turbatio,non venæ ſectio,neque quæcunque alia tentaui. ſecui etiam venam ſub lingua:quoſdam & ſurſum purgaui. Hęc igitur omnino in æſtate fiebant,ſicut etiam eruptiones omnino multæ, & potiſſimum in ſiccitatibus lippitudines doloroſæ populariter graſſabantur. Sanguinis venarum ſuppreſſiones faciūt animi deliquiū figura alterata, interceptio, linamentum intortum, appoſitio, deligatio. Inguinum glandularumq; tumores plurimi fiebant; eo quòd hepatitis affecta eſſet. Erat autem & ab arteria male affecta malum ſignum,veluti Poſidonię. Quibus ſanguis erumpebat, morientes fronte non exudarunt,ſed velut contracti præ ſiccitate erant. Et anheloſi,ac cum ſudoribus pereuntes,male habebant. Ventrium abundantiæ turbationem ferunt,velut Poſidoniæ;& quę animalcula in aluo inducunt. In attenuatione circumtenſio ante obitum, & vmbilicus oblongus ipſi protractus eſt: & gingiuarum dentes ambientium exulcerationes. Multa de vnoquoq; recte præcipi poſſunt, quæ partim eadem poſſunt,partim non; velut eſt talia diffundi,exolui,& educi,& indurari,& maturari,& vbi mutatione opus eſt,de lecto propellere timidos,& torpentes excitare ad ea, quæ relinquunt. Hydropicos citius ſecare oportet,tabeſcentes ſtatim vrere, caput ſecare, & huiuſmodi. Hydropicorum pectinem ne contingito,neq; internas partes: ſimile eſt enim multis genibus. Affectiones circa cor,ſiue vētriculi oſculum Xenarcho, & calidum aceruatim exſpirare, & vlcus per euacuationem ab initio fouere. Vox qualis eſt iraſcentibus,ſi talis fuerit nō irato,ex natura fuerit;& oculi tales fuerint ex natura turbulenti,quales ſunt,vbi iraſcuntur hi, qui tales non ſunt: & alia iuxta morborum rationem, velut verbi cauſſa, Morbus tabidam ſpeciem inducit, ſi talis ex natura æger fuerit; ex tali morbo ſuperſtes euadet: & alia eodem modo. Tuſſes laborioſæ contingunt locos læſos, & maximè articulos. Sed & in febribus laſſitudinem inducentibus tuſſes ſiccæ ad articulos decumbunt cum febre; ſi intus relinquantur. Spiritus tabeſcentibus obſcuri mali,& non parientibus,& quicunque alij tales ab eadem conſtitutione. Tabeſcentibus autumnus malus:malum item ver:quū ſici folia cornicis pedibus ſimilia fuerint. In Perintho vere plurimi ægrotarunt. Simul cauſa fuit tuſſis per hyemem populariter vagata,& alijs quicunq; diuturni ſunt morbi:nam & in ambiguis confirmati ſunt. Quibuſdam

verò

verò diuturni non sunt oborti, velut his, qui dolores renales habent. Sed & alijs, velut homo ille, ad quem Cynisçus me adduxit. Dolorum in lateribus, & pectore, & alijs partibus, tempora an multum differant considerandum est: nam, quum melius habuerint; rursus deterius habebunt, non delinquentes. In longis dysenterijs cibi fastidia mala, tum aliàs; tũ si insuper febrierint. Vlcera circumglabra maligna sunt. Lumbos dolenti recursus ad latus, & pustulæ, quæ seps vocantur. Renum affectiones non vidi sanatas supra quinquagesimum annum. Quæ in somnis exacerbantur, & quibus extremæ partes perfrigerantur, & mens turbatur, & alia, quæ circa somnum fiunt eiusmodi: & quibus contraria. Quibus nihil intra constitutum tempus accidit, singulis partus vitales fiunt. Apparentia in quibus mensibus fiunt. Labores in circuitibus, quicquid in septuaginta mouetur, in triplicitate perficitur: & quicquid in nonaginta mouetur, in triplicitate perficitur. Post menses, dextera, & sinistra hiant. Humiditas per prodeuntia, diæta sicca opus habet. Quod citius discretum, ac motum est, rursus augescit tardius, & ad longius tempus. Labores tertio, quinto, septimo, nono mense: & secundo, ac quarto.

Hæc ex parua tabula considerauda sunt.

Victus ratio fit repletione, vacuatione, ciborum, potuum. Mutationes horum qualia ex qualibus, prout se habent. Odores delectantes, offendentes, implentes, placantes. Mutationes ex qualibus, prout se habent. Illabentes, ingressos, aut egressos spiritus, aut etiam corpora. Sermones, qui audiuntur, alij meliores, alij offendentes. Et à lingua ex qualibus qualia alliciuntur. Spiritus, tãta caliditas, frigiditas, crassicies, tenuitas, siccitas, humiditas: plenus, imminutus, & copiosior: à quibus mutationes, quales ex qualibus, prout se habent. Conuenientia, aut contẽta, aut intus permeantia corpora. Sermonibus, silentio, dicere, quæ vult, sermonibus, quibus dicit, an magni, aut multi, veri, aut cõficti. Prodeuntia, & egressa nosse oportet, vnde cœperunt, aut vbi desiuerunt, aut quantum diuulsa sunt: itemque colores, in quibus aut caliditatem, aut salsuginem, aut dulcedinem, aut tenuitatem, aut crassiciem, æqualiter, aut inæqualiter: corpus, tempus: mutationes quales ex qualibus habent. Incœpit eructationem, non obtinuit. Lachrymæ volenti, nolenti, multæ, paucæ, calidæ, frigidæ: crassicies, sapor. Sputum an per se excreet, aut tussiendo reijciat, itemque vomitum. Solis calor, frigus, humectatio siccitas: mutatio per qualia, ex qualibus, ad qualia se habet. Labores, ocia, somni, vigiliæ. Quæ in somno fiunt, insomnia, cubilia, & in quibus, & ex quibus. Mentis intelligentia ipsa per seipsam, citra instrumenta, ac negotia, tristatur, lætatur, timet, confidit, sperat, desperat: velut Hippothoi domestica famula mentis suæ per seipsam gnara erat, & quæ in morbo acciderant sciebat. Aetatẽ ab ætate discernere oportet, & an prius, aut posterius, quàm conuenit, quid fiat: veluti si resolutus est hyeme, & senii ætate, aut infanti, & æstate aut prius, aut posterius, quàm conuenit. Dentium emissiones, pilorum productiones, genitura magis, & minus, pilorũ augmentum, crassitudo, robur, imminutio: quod cognatum est, & quod per seipsum, quanto magis, & minus. Ani tempus, in quo & citius, aut serius. Tempus, in quo factum est, pluuiosum, aut siccum, frigidum, aut calidum, sine ventis aut cum ventis, & qualibus ventis. Temporis in principio, aut medio, aut fine, aut semper, præterito, aut præsente. Morbi tempus & hora, accidentia, circuitus, & ex circuitibus maiores, & per amplius tempus: incrementa, & totius morbi incrementum, remissio, vigor: & magis, & minus perficiens, & quando, & qualiter, & in quali hora, ac ætate. Populariter grassantium morborum modi, & si quis ex incipientibus incœperit sine vomitu, veluti aut vbi biberunt quid continentes, aut parum purgati. Febriculosi fortassis valde candidi, quorum etiam labia, qualis modus, tempora; Corpus, actio, in considerationem ducatur. Visus, auditus, nasus, tactus, lingua, cogitatio consideretur. Tumores in supernis palpebris relicti, dum alia circumcirca gracilescunt, recidiuas faciunt; In extremitate verò subrubicundi, duri, & valde viscosi, & insurgentes, ac inhærentes in his sunt, velut Pharsalio Polymedi. Erumpentes tumores, aut liuores, in lippitudinibus, aut vlceribus: sed & quæ deferuntur ex tuberculis, ac suppurationibus; quia signa sunt. Circa messem tormina circa vmbilicum, & dolores, quandoque à porro: sed & ab allio his postea. Sacri ignes quibusdamà collo, & circa has partes, in facie iudicabantur: Nigri etiam, quibus à collo, mali erant: & si pustulæ essent, malæ erant & quibus aluus turbata esset. Adamantus atrabiliarius à peplijs pluribus vomuit aliquando nigra, quandoque à cepis. Febres, in quibus vlcerantur labia, fortassis intermittentes: & tertianis perfrigerationes. At amburentes statim ad manũ soluuntur semper. Quale ineat in articulis considerandũ, an non suppurantur. Consuetudo autem, ex qualibus sani degimus, victus modis, tegumentis, laboribus, somnis, rebus Venereis, mentis affectionibus. Quomodo morbos ferant, à quibus quæ figuræ, ad quos locos conuersi sunt, quando cęperunt, affuerũt, desinerunt. In quibus intemperans horrendus. Contrariæ in morbo victus rationes, qui facile, qui ægrè toleratur. Victus rationes quantum fieri potest cognoscendæ: nam non nosse, multarum calamitatum res est. Bonis autem medicis similitudines pariunt errores, ac difficultates. Verùm contraria facit causa, & occasio. Scio, quòd difficile est ratiocinari, ac cognoscere vias, veluti si sit acuto capite, simus, subaridus, biliosus, ægrè vomens, facile vomens, niger, iuuenis, qui temere vitam degit: hæc simul inter se consentire difficile est. Cui fistula refringebatur, tussiculæ permanere impediebant. Cui apex hepatis complicatus erat, eum concussi, derepente dolor sedatus est. Satyrus in Thaso cognomẽto Grypalopex vocabatur, hic quum annorum viginti quinque esset, sępe per somnum semen effudit: & interdiu quoq; frequenter ipsi prodibat. Quum autem ad annum trigesimum peruenisset, tabidus fiebat, & mortuus est. In abderis palęstrę custos, qui Stheneus dicebatur, multùm luctatus aduersus fortiorem, & in caput lapsus, digressus multam bibit frigidam aquam. Postea illa nocte vigilię obortę sunt, angustię, & extremarum partium frigiditates. Postridie ingressus ad domum, & glandula aluo subdita, nõ subijt, verùm parũ minxit, prius autem nihil minxerat: ad noctem lauit nihilominus

minus vigiliæ,& anguſtiæ aderant: delirauit. Tertia die,frigiditas,extremarum partium,excalefactus ſudauit: pota autem aqua mulſa tertia die mortuus eſt. Atrabilitarij etiam comitali morbo corripi plerunq; ſolent, & viciſſim comitiales fieri ſolent atrabiliarij. Vterque verò morbus magis fit, prout ad alteram partem inclinarit: ſi quidem enim ad corpus inclinarit,comitiales fiunt: ſi verò ad animum; atrabilliarij melancholici dicti. In Abderis Phaethuſa Pytheæ vxor, priore quidem tempore fœcunda erat: quum autem maritus ipſius in exilium abijſſet;menſes multo tempore ſuppreſſi ſunt: poſtea dolores, & rubores ad articulos obortii ſunt. Hæc autem vbi contigiſſent; & corpus virile factum eſt,& hirſuta penitus euaſit: & barbam produxit, & vox aſpera facta eſt. Et,quum nos omnia tentaſſemus,quæ ad menſes detrahendos conferre viſa eſſent; non prodierunt, ſed mortua eſt,quum non ita multo tempore poſtea vixiſſet. Idem hoc contigit etiam Namyſiæ Gorgippi vxori in Thaſo. Viſum eſt autem omnibus medicis,in quos ſanè ego incidi,vnam ſpem eſſe;ſi menſes ſecundum naturam prodirent. Verùm & huic proili ci non potuerunt,omnia nobis molientibus: ſed paulo poſtea mortua eſt.

HIPPOCRATIS COI

De Morbis popularibus Liber VII.

Argumentum in Librum ſequentem.

1 *Febres ſudorificæ poſt carnem, nec omnino perfrigerantes.*
2 *Sudor octaua die in febre continua. Decoctum malicorij. Pectoris dolor. Cuminum cum ouo.*
3 *Dyſenteria cum febre. Silex candefacta in lac ac ſerum immiſſa. Obliuio in dyſenteria cum febre. Circa vmbilicum palpitatio,neque à curſu,neque à timore.*
4 *Lac in farina, in ventris dolore.*
5 *Febris cum auris dextra, & capitis dolore.*
6 *Tumores aquoſi circa pedes prægnantis. Eclegma ex melle, ac fabis.*
7 *Febris circa caniculæ ſydus.*
8 *Crurum ac manuum impotentia.*
9 *Febris ardēs cum multo bilis vomitu. Aqua de farina craſſa in ipſa macerata. Potus deſcendentis ſtrepitus in bibente circa pectus & ventrem.*
10 *Febris hyemis tempore cum capitis dolore.*
11 *Lateris ſiniſtri dolor & tuſſis. Peripneumonicus. Febris poſt Pleiadum occaſum.*
12 *In palato ſtertens lingua ſicca, peripneumonica.*
13 *Anginoſa,dextram manum ac crus dolens. Hydropicus ex febre ardente. Subleſus.*
14 *Febris acuta poſt ſolſtitium hybernum.*
15 *In febre vehementi, ſanguinis eruptio hyeme.*
16 *Lateris dextri dolor cum tuſſi & febre.*
17 *In anginoſa hyeme,tumor ſub gutture cum febri multa. In ſupernum ventrem ſagitta percuſſus.*
18 *Hepar iaculo percuſſus Caput percuſſus. In latus iaculo retrorſum percuſſus.*
19 *Frontis denudatio. Oſſa liuefacta. Febris ex ſolis ardore. Febres poſt oſſa fracta.*
20 *In caput retro percuſſus,contuſo oſſe ac nigrefacto. Magnus digitus,& os dextræ manus confractum. Opiſthotoni ſigna. Luxatio in pede magni digiti. Vlcus circa tibiam & malleolum.*
21 *Lateris ſiniſtri dolor ex febre æſtiua,& alui profluuio.*
22 *Febris acuta ex caſu in octimeſtrem fœtum geſtante.*
23 *Abſceſſus ex febri ardenti iuxta aurem. Puſtulæ pruriginoſæ calida velut igne ambuſtæ, per totum corpus.*
24 *Laſſitudo,horror, & calor,circa ſolſtitium hybernum.*
25 *Alui egeſtio ante, & poſt febrem, ad multum tempus.*
26 *Comitiales conuulſiones poſt vnctionem in balneo. Tumor ad genu dextrum ab exercitijs,mellis vſu. Ad oris vlcera.*
27 *Humeri dolor,& grauitas. Pectoris,& lateris dolor in partu concuſſæ. Calores ex fomentis.*
28 *Febris ſexta die intermittens. Dolor circa vmbilicum corrodens. Pituita genituræ ſimilis per vomitum reiecta.*
29 *Capitis ſutura valde cauata.*
30 *Tumor tuberculoſus iuxta hepar ad imum ventrem deſcēdens,aluo multo tempore liquefacta. Capitis dimidiam partem dolens. Suppurationibus,& affectionibus omnibus circa oculum,dolores ad noctem.*
31 *Tuſſes hyeme ac auſtro ſpirante. Calores multi ſedati. Febris acuta ex tuſſi populariter graſſante. Vrinæ erui loturæ ſimiles.*
32 *Callyphylli potus. Ventres quando purgandi. Cubiti proceſſus ex caſu ſauciatus.*
33 *Cordis dolor poſt renū affectionem. Aqua marina in clyſtere. Furfurum decoctum in clyſtere,renibus affectis.*
34 *Surditas. Dentis & maxillæ dolor vehemens. Vrinæ ſtillicidium. Capitis ex vtero dolores. Vteri affectiones. Colli tuberculum.*
35 *Gingiuæ dolor. Neruorum in cruribus diſtentio. Regio morbo laborantes.*
36 *Deſtillatio,tuſſis multa. Veneris in deſtillatione vſus. Cibi citra febrem faſtidium.*
37 *Gibboſitas in ſpina ex phrenitide. Oculorum fluxiones. Ad prægnantinm dolores ex caſu aut conuulſione aut plaga. Dolor ex pharmaco,ad fœtum perdendum.*
38 *Pythoclis curandi ratio. Perniones. Oculis incommoda. Lumborum,coxæ,& crurum dolor ex laboribus. Origanum,oculis,dentibis,malum. Voce deſtituta ex caſu. Humeri dolor ex abſceſſu.*
39 *Phreniticus.*
40 *Inguinum tubera. Cholericæ bilis eruptiones ſurſum ac deorſum ex carnis eſu. Cholericæ affectiones & febres intermittentes,quando magis fiant.*
41 *Lateris dolor.*
42 *Maculæ in corpore,calicum morſibus ſimiles.*
43 *Vocis interceptio ignorantia,delyrium. Vocis interceptionem quæ ſoluant. Tibicinæ timor noctu tantum.*
44 *Cæcutire & corpore exoluto ſibi videri, &c. Oculi affectio velut fulgur elucens.*
45 *Triſtitiæ,& deſiderium è vita diſcedendi. Mente mota ex capitis dolore. Atrabiliarius.*

46 *Horror ex potationibus: ad noctem, febris: postridie, vomitus biliosus. Vrina cineris specie.*

47 *Febris & lateris sinistri dolor circa pleiades. In semitertiana anxietas, & vomitus, & simul horror febre incipiente.*

48 *Cordis dolor in semitertiana circa accessionem. Abortus gemellorum quinto mense ex casu. Ventris dolor nono anno ex gemellorum ab ortu.*

49 *Lateris sinistri dolor ex nausea, & lassitudine. Dysenteria, alui egestiones subcruentæ & mucosæ, ante partum. Coxæ dolor in morbo articulari.*

50 *Vomitus absumptorum, per quatuordecim dies citra febrem. Anxietas, strangulatio, & dolor ventris, ex fungorum crudorum esu.*

51 *Humeri dolor, & gravitas vehemens ad brachium, anxietas.*

52 *Pustulæ in cruribus, coxis, lumbis, &c. Suppuratus ante hydropem.*

53 *Alui egestio multa in febri ardenti media macerato. Cruditas ex via & potu. Vomitorium ex aqua, aceto & sale. Pedis digiti vlceratio cum febre.*

54 *Carcinoma in facibus vsum. Vrinæ quales in capitis doloribus.*

55 *Maxillæ ex dentium dolore corruptio. Splenicus & vitiati coloris. Nephriticus sanguinem mingens.*

56 *Carcinoma circa pectus. Vmbilicus saucia tus. Febris repentina, & in somnum collapsio.*

57 *Ad splenis dolorem vehementem. Febris acuta & rubor faciei ex nulla manifesta causa.*

58 *Catapulta pectus ictus. Eunuchus ex venatione & discursu hydropicus. Inguinum tumor ad sex annos, varices, & coxendicum dolores. Natura concitata ac auersa. Caluariæ os medicina destitutum.*

1 POst canem febres fiebant sudorificæ, & non perfrigerabantur penitus post sudorem, sed rursus incalescebant; & leniter longæ, & iudicatu difficiles, & non valde siticulosæ; paucis in septimo, & nono desinebant, alijs vndecimo, & decimoquarto, & decimo septimo. Polycrati febris, & sudor, qualis descriptus est; à medicamento purgatio deorsum vehementer; & febris adeò lenis facta est, vt obscura consisteret, præterquam in temporibus; & sudores ad vesperã. circa caput, collum, pectus; deinde rursus etiam per totum ventrem, & rursus incalescebat. At circa duodecimum, & decimumquartũ febris aucta est, & modicæ alui subegestiones; post purgationem vsus est sorbitionibus. Circa decimumquintum dolores ventris iuxta splenem, & sinistram lateris mollitudinẽ. Calidorum appositio minus profuit, quàm frigidorum. Quum infuso per clysterem molli vsus esset; cessauit dolor. Idem quoque Cleoclydi profuit, ad dolorem similiter habentẽ, itemq; febrẽ. Circa decimamsextam calores leniores esse videbãtur, & egestiones bilis meracę, & animus audacior, spiritus autẽ moderatus. Quique verò aceruatim attractum, rursus aceruatim expirabat, velut prę animi deliquio, aut velut in vmbra desidens respirare solet, is qui per ęstũ iter fecit. Decimaseptima itaq; die vesperi desidẽs in sellam, animi deliquium incidit, & multo tempore sine voce, ac sensu iacebat, & vix quam mulsam suscipiebat, fibras in collo distendens, vtpote faucibus resiccatis, ac omni virium exolutione præsente. Vix itaq; intra seipsum erat, & calores leniores fiebant. Postea verò desijt morbus vigesimasecunda die.

2 Pythodoro eodem tempore febris continua: octaua die sudor obortus est, & rursus incalescebat. Decima rursus sudor, duodecima sorbuit succum, & vlq; ad decimamquartam obscura erat: in temporibus autem comparebat, & sine siti erat, & ipse sibijpsi sanus esse videbatur. Sudores fiebant omni die. Decimaquinta iusculum pulli sorbẽs vomuit bilem, & aluus infra exturbata est: & febris exacerbata est: rursus desijt: & sudores fiebant multi: & corpus totum perfrigeratum erat exceptis temporibus. Pulsus non defecit. Videbatur quieuisse modico tempore, vt incalescere se putaret. Vigesimaquarta, quum iam gustaret cibos multis diebus, & prãsus esset; multa erat febris, & ad vesperam delirium, accedente simul ẽt somno. Detinebat itaque iam continua, & vehemens, & quãdoq; vnam, quandoq; duas noctes vigilabat: reliquo verò tempore somnus abunde contingebat, vt operosum esset excitare: & delirium in somno: &, si quando ex somno excitatus esset; vix ipse subijpsius erat. Sitis exors. Spiritus moderatus, talis aliquando, qualis Polycrati. Lingua non decolor. Post septimam recidiuæ diem succi exhibebantur: post decimamquartã cibus. Circa primos septem eructabat, ac reuomebat: quandoq; cum potu subbilioſum, citra anxietatẽ donec aluus deorsum soluta est. Sudores post recidiuam defecerunt, nisi quis circa frõtem esset tantillus, vt vix significationẽ de se præberet: lingua ex somno si non collueretur, subalba præ siccitate: & ruptiones vlcerum circa ipsam, & in labio inferno: & circa dentes: alui gestiones paucæ: Circa decimamquintam vt recidiua facta est, frequentiores, & viscosæ. Decoctũ malicorij sedauit ipsas. Vrinæ quales sunt diuturnę. Sub vltimum tempus dolor pectoris deglutienti potum: & manus in pectore. Cuminum, & ouum absorbenti sedatus est: linguæ raritas profuit. Quinquagesima à prima circa arcturum, sudores breues iuxta lumbos, & pectus: & corpus perfrigerabatur, exceptis tẽporibus, valde modico tempore. Prima & quinquagesima remisit: nec iterum apprehendit.

3 Eratolai filius circa æquinoctium autumnale dysentericus fiebat, & febris tenebat. Egestiones alui erant bilioſæ, tenues, multæ, & moderate subcruentæ. Dolor autem ventris vehemens. Vbi serum, & lac bibisset, silice cãdefacta immissa; dolores, & subcruentæ egestiones moderatiores fiebant, sed bilioſæ comitabantur: & sæpe ad exonerandam aluum surgebat, sed minore dolore. Febricula vero & ægroto, & multis, omnino non adesse videbatur per omne tempus, post primos sex dies, adeò obscura erat. Verùm iuxta tempora pulsus erat: & lingua præ siccitate subalba: & moderatè siticuloſus, & sine somno. Sorbitionibus autem iam vtebatur, & vinis. Quum iam ad decimumquartum diem peruenisset; tubercula circa aurem oborta sunt tum alteram, tum vtranque, dura, ac cruda: omnia disparuerunt, moderate autem doloroſa erant. Quũ autem non desinerẽt egestiones, & semper bilioſæ essent; absorbenti herbã in farina, bilioſæ egestiones, & dolores ad tempus aliquod mitiores facti sunt: liquidas verò multas sæpe egerebat, & cibos valde auersabatur, & oĩ necessitate coactus admittebat. Calor aũt, & lingua, & sitis tales seqbantur

quales dicti sunt,& sudores nulli. Obliuio verò huiusmodi quædam. Vbi interrogasset de eo,quod paulò anteà audiuisset,modico interposito tempore rursus interrogabat: & rursus repetebat, velut qui non dixisset;& se desidere obliuiscebatur, nisi quis ipsum commonefeciſſet: & ipse sibijpsi conscius erat huius affectionis, neque ignorabat. Spiritus qualis sano. Vltra trigesimum verò vsq; ad quadragesimum diē: & dolor ventris multum augescebat, & supinus decumbebat,& se conuertere ne tantillum quidem poterat: &,quia dolor vehemens erat; alijs, qui cibum exhiberent, opus habebat. Alui egestio erat multa, & discreta,tenuis, & colores vinosi,quæcunq; tandē ingessiſſet, & quandoque subcruenti:& corporis dolor,colliquatio extrema, & impotētia:& ne alio quidem subleuante, surgere amplius poterat. In medio verò vmbilici,ac ossis pectoris,circa hāc sedem adhibita manu, talis palpitatio erat,qualis neque à cursu, neque à timore circa cor generari possit. Bibenti lac asininum coctum nouem heminarum Atticarū mensura ad duos dies, bilioſa purgatio vehemens oborta est, & cessauerunt dolores,& ciborum appetentia accessit. Postea verò bubuli lactis crudi quatuor heminas Atticas bibit,pro vice vna cyathos duos,in diem, primum sextam aquæ partem ammiscens,& vini nigri austeri parum. Semel autem in die cibum capiebat ad vesperam. Panis erat ad mensuram dimidiæ chœnicis subcineritius, & piscículus petrosus simplex,aut caruncula capræ, aut ouiculæ. Potus lactis post primos decem dies, ad quadraginta vsque fine aqua,cū vini nigri modica parte. Post septuagesimum iam à primo diem, à balneo ad noctem, sudor exiguus obortus est. Vtebatur autem modico potu, & post cibum potu austeriore.

4 Cteſicrati lac in farina magis, quā serum caprinū contulit; quum dolor esset circa totum ventrem, & dolores cum multa ad egerendū surrectione, ac subcruenta egestione, & tumor circa pedes, ferè iam ad dies vigintiquinque esset. Et Adriano eadem contulerunt: verùm Cæneæ filio lac asininum coctum.

5 Cydis filio circa solstitium hybernum rigor,& febris,& auris dextræ dolor,& capitis dolor. Talis autem auris dolor statim à paruo puero ipsum comitabatur,fluidus,fistulosus,& grauis odoris. Quum autem ita se haberet;plerunq; doloris exors erat. Tunc autem dolor erat vehemens, & capitis dolor: secunda,aut tertia die bilis vomitus: desidenti exonerandi ventris gratia, prodijt excrementum subbilioſum vi scosum, velut ex ouo subpallidum. Quarta,& quinta ad noctem aliquantum delirabat: & dolor capitis,ac auris vehemens,& febris. Sexta alui egestio à mercuriali,& calor,& dolor cessasse videbatur. Septima,velut sanus. In temporibus autem dolor non defecit: sudor nullus obortus est. Octaua,succum sorbuit,ad vesperam autem betæ succum,& in noctem somnus: & valde doloris exors, & nona lætabatur ad solis occasum. Verùm ad noctem capitis,& auris vehemens dolor. Contigit quoque aurē pure manare circa hoc tempus; quum maxime doleret statim à principio. Totam verò noctem nonam, & sequentem diem,ac noctis magnam partem,neminem nosscbat. Verùm suspirās perseuerabat,in die verò intra seipsum erat; & dolores cessabāt,& calor moderatior erat. Quum autem sorbuisset mercurialem; vndecima egessit per aluum pituitosa, mucosa, maleolentia: duodecima, & decimatertia moderate habebat. Decimaquarta initio mane facto,vsque ad meridiem per totum corpus sudabat cum somno, & sopore multo, vt operosum esset ipsum excitare: ad vesperam expetrectus est, & corpus quidem moderate perfrigeratum est, in temporibus autem pulsus perseuerabat: decimaquinta,& decimasexta succis vsus est. Decimaseptima venit rursus dolor eorundem ad noctem, & delyrium:& pus fluebat. Decimaoctaua,& decimanona, ac vigesima,insani modo degebat. Vociferabatur autem,attollere seipsum nitens,sed capiti dominari nō potens, manibus protentis semper aliquid frustra venabatur. Prima & vigesima sudor exiguus circa latus dexterum,& pectus & caput. Vigesima secunda sudor circa faciem plurimus erat. Voce autem hoc tempore,si quidem valde conaretur, quæ volebat perfectè loquebatur: si verò ex tempore citra conatum; semiperfecta:& os exolutū: & maxillæ,& labia semper in motu,velut qui loqui vellet,& oculorum frequēs motus,ac intuitus:& color in dextro oculo(velut dictum est)subcruentus: & palpebra superna intumuit:& iuxta maxillam rubor in fine: & venæ omnes in facie manifestæ,adeoq; contractę:& oculis nō amplius nictabat,sed intēte intuebatur,& palpebras diducebat ad supernam partem,velut fieri solet, vbi quid in oculum incidit;& quum biberet, descendentis potus in pectora, & vētrem strepitus audiebatur, qualis & Chartadi. Spiritus leniter semper moderatus: lingua qualis est peripneumonicis cum pallore albicans: ab initio,& semper capitis dolor. Collum semper immobile, vt vna cū capite circumageretur, opus habebat:& pars secundū spinam ex collo recta, ac inflexibilis:decubitus quales dicti sunt,& nō semper supinus decumbebat. At pus iam serosum albū, multum negocij ad detergendum cum spōgijs exhibebat: odor eius valde excellens: circa postremum tempus pedum contactum non valde percipiebat.

6 Harpalidæ sorori prægnanti circa quartum, aut quintū mensem,tumores circa pedes aquosi fiebant: & oculorum cauæ partes intumescebant:& totū corpus in tumorem eleuatum erat, velut in pituita alba affectis: tussis ficca: rectæ ceruicis spiratio,& eiusmodi anhelatio: & quandoq; strangulationes à spiritu, vt sedens in lecto perseueraret: decumbere autem non poterat,sed etiam si qua somni expectatio esset, desidebat. Sine febre erat leniter: & fœtus ad plurimum tempus immobilis erat, veluti corruptus, & translabebatur. Comitabatur autem anhelatio ferè ad duos menses. At, quum fabis melle ammixto, & eclegmate mellis vsa esset, & Aethiopicum cuminū in vino bibisset; melius habuit. Postea tussiendo eduxit multa,matura,pituitosa,alba,& spiratio illa cessauit: peperit autem fœmellam.

7 Polycratis vxori æstate circa caniculæ sydus febris. Spiritus matutinus minor, à meridie magis,& paulo densior spiritus. Tussis,& exscreatio statim ab initio,similis purulentis. Intus circa arteriā,& fauces subsibilabat stridula asperitate: facies boni coloris: in maxillis rubor, non abunde coloratus,sed leniter floridus. Progressu verò tēporis & vox raucosa,& corporis colliquatio:& circa lūbos eruptiones: & aluus circa postremum tempus liquidior. Septuagesima die febris extrinsecus valde friguit; in temporibus

autem

autem quies. Spiritus verò frequẽtior fiebat. Verùm post hanc quietẽ spiritus densior, adeò vt sedens perseueraret, donec mortua est. In arteria strepitus multus inerat: & sudores praui: & intuitus valde modesti, vsq; ad extremum tempus. Dies accesserunt ipsi perfrigeratæ plures, quàm quinque: post primos autem purulentum excreare perseuerabat.

Mulieri supra portas habitãti iam seniori febricula oborta est: quæ quum iam desineret colli dolor vsque ad spinam, & lumbos: & harum partium non valde potens erat. Maxillæ erant compactæ, & dentes in seipsos, plus quàm vt spicillum admitterent: & vox balbutiens; eo quòd resolutum, & immobile, ac debile esset corpus. prudens tamen erat. Calefactorijs, & aqua mulsa tepida, tertia ferè die hæc laxauit, & postea succis, & iusculis sana euasit. id quod ad finem autumnalis temporis contigit.

8 Apud Harpalidem vnctor, crurum, ac manuũ impotentior circa autumnum factus, bibit temere medicamentum sursum, ac deorsum purgans: ex purgatione febris: & ad arteriam defluebat fluor, qui loquẽtem impediret, & faceret, vt inter loquendum anhelaret, similiter vt anginosus raucosus. Strãgulatio deglutienti, & alia, quæ in angina. Verùm tumor non erat. Febris autem, & tussis augescebat, & excreatio liquidæ, ac multæ pituitę. Progressu temporis & dolor circa pectus, ac mammam sinistram. Quum autẽ exurgeret, aut commoueretur; anhelatio multa, & sudor à fronte, & capite: & faucium affectio mollior erat, dolore ad pectus descendente ab initio igitur fabis melle ammixto vtebatur. Postquam autem febres detinebant magis aceto mulso calido, & mellis delinctu multo. Vbi præterijssent dies quatuordecim; omnia desiuerunt: & manuum, ac crurum non longe postea potens factus est.

9 Chartadi febris ardẽs, vomitus bilis multus, & infra alui egestio, vigiliæ, & iuxta splenem tumor rotũdus. Tertia die mane surrexit, strepitu circa ventrem citra dolorem percepto. Vbi verò aluum exonerauit; sanguinis recentis plus, quàm congij mensura subijt: & vbi iterum, atque iterum cohibuisset, grumi concreti: anxietas circa cor, & os ventriculi, & sudor per totum ferè corpus, & febricula frigescere videbatur, & primùm prudens erat, progrediente verò die, & inquietudo maior, & anxietas, & spiritus paulò dẽsior: & confidentius, ac benignius, quam pro tempore homines compellabat, ac excipiebat: & quædam animi deliquia accedere videbantur. Quum autem exhiberent aliqui succos, & aquam de farina crassa in ipsa macerata, non cessauit: sed spiritus ad vesperam valde multus erat, & iactatio multa: & ad dextera, & ad sinistra transmouens seipsum nullo tempore quiescere poterat, pedes frigidi. In temporibus, & capite calor magis propinqua iam morte: & sudores multi. Et bibenti strepitus audiebatur circa pectus, & ventrem, descendẽtis potus. Quòd verò pessimum erat, vbi dixisset sibi aliquid infra subire velle, & oculis intente intuitus esset; non diu se cohibens mortuus est.

10 Hermoptolemi vxori hyemis tempore febris, & capitis dolores. &, quum bibisset, vt quæ difficulter deglutiret; surrexit, & cor se sanasse dixit: lingua liuida ab initio. Occasio videbatur ex horrore post balneum facta esse. Vigilabat & nocte, & die. Post primos dies interrogata, non adhuc solùm caput, sed & totum corpus se dolere dixit. Sitis quandoque vehemens, quandoque moderata. Quinta, & sexta, & vsque ad nonam fermè delirium: & rursus ad seipsam loquebatur semiperfecta cum sopore, & aliquando manum ad dealbatum parietem protendebat, & puluinum quendam frigidum ad caput situm etiam pectoribus adhibebat: & stragula quandoque reijciebat: & in oculo dextro subcruentum quid erat: & lachrymabatur. Vrina autem erat quæ in pueris semper pessima est. Ex aluo egerebat ab initio quidem subfulua: postea verò aquosa valde, & huiusmodi coloris. Vndecima moderatius calida esse videbatur: & quandoque sitis exors fiebat, adeo vt nisi quis dedisset, non peteret. Somni post primum tempus contingebant moderate interdiu: ad noctem vigil erat: & ad noctem magis dolebat. Nona venter exturbatus est aquosis excrementis. Similiter etiam vndecima. Sequentibus verò moderate: multum ad egerendum surgebat, & talis egestio erat. Erant autem in prioribus diebus indignationes, & eiulationes, velut pueri, & vociferatio, & timores, & circumspectiones, vbi sopore excitata esset. Verùm decimaquarta operosum erat ipsam continere exilientem, ac clamantem derepente, & pertinaciter, velut ex plaga, & vehemẽti dolore, ac timore, velut si quis ipsam apprehensam modico tempore detineret: deinde rursus quietem habebat, & sopore pressa dormiẽs perseuerabat omnino non videns, quandoque neque audiens: & totã hanc diem ad vtrunque, modo ad tumultum, modo ad quietẽ transmutabat. Sequenti nocte per aluum subijt quid cruenti velut mucosum: & rursus velut limosum: postea prasina valde, ac nigra. Decimaquinta repentinę lactationes, & timores, & vociferatio lanis fiebat. Sequebatur autem efferatio, & indignatio, & eiulatio nisi ipsi cito, quod vellet porrectum esset: & cognoscebat quidem omnes, & omnia statim iam post primos dies: & oculi subcruentum illud sedatũ est. Verùm insania iuxta temporis occasionem, & vociferatio, & mutatio prædicta sequebatur ad soporẽ: audiebat inęqualiter, aliqua valde, etsi submisse quis loqueretur: aliqua verò clarius eloqui oportebat. Pedes semper æqualiter cum reliquo corpori calidi, vsque ad extremos dies: verùm decimasexta minus. Decimaseptima moderatius, quàm alijs diebus habens: ad noctem horrore ipsi oborto, se contrahens magis febricitabat: & sitis multa erat reliqua similia sequebantur. Tremores autem circa manus fiebant: & aliquantum concutiebat caput: & oculorum intuitus praui: & sitis vehemens, vbi bibisset, rursus pustulalabat, & rapiebat; ac large bibebat: neque auellere ipsi poterant; lingua sicca valde rubicunda: & os totum ac labia vlcerata erant ac sicca: & ambas manus ad es admouens manducabat cum tremula esset: &, si quis aliquid ad manducandum, aut sorbendum obtulisset; large, ac furiose deglutiebat, ac sorbebat: & signa circa oculos mala. Diebus autem tribus, aut quatuor ante obitum horrores quandoque incidebant ipsi, adeò ut contraheret corpus, & contegeretur, & anhelaret: crura distẽdebantur, & pedes frigidi erãt. Sitis similis: & mentis affectiones similes: & surrectiones ad egerendum aut inanes, aut paucis, & tenuibus prodeuntibus, cum modico quadam tensione. Postrema tertia & uigesima, oculus magnus mane erat, & circumspectio breuis: & quietem agebat, quando-

que

que etiam absque contectione, ac sopore. Ad uesperam verò dextri oculi motus, qualis videntis, aut aliquid volentis, ab externo angulo, ad nasum, cognoscebatque & interrogati respondebat. Vox post multa subblasæ, & præ vociferatione fracta, ac raucosa.

11 Amphiphradis filio æstate lateris sinistri dolor, & tussis: & alui egestiones multę, aquosę, & subbilio sæ: & febris cessasse videbatur circa septimam: Tussis aderat. Color subalbidus, ac subpallidus. Circa duodecimam cum virore subpallidum spuebat. Spiritus progressu morbi semper densior, & anhelatio, & stridula asperitas circa pectus, & arteriam. Sorbitionibus vtebatur: prudens per omne tempus. circa uigesimamoctauam mortuus est. Sudores quanoque fiebant foras.

Caupo peripneumonicus, aluus statim subibat. Circa quartam sudor multus; febriculacessasse uidebatur: tussicula nulla, ut ita dicam. Quinta, sexta, & septima detinebat febris, sudor octaua. Nona excreauit pallidum. Decima, subibat aluus aceruatim non sæpe: circa undecimam mitius habebat. Decimaquarta, sanus.

Hermoptolemo post pleiadis occasum febris accessit. Tussis non ualde: lingua peripneumonica: nona exudauit: totus frigefactus est, uelut uidebatur: ob tulerunt ipsi succum: circa meridiem calescebat: undecima sudor: & aluus erupit biliosis egestionibus. Tussicula accessit: decimaquarta pallidū excreauit, & stertebat. Decimaquinta quum per totum tempus prudens mansisset; mortuus est.

12 Alius quidam in palato stertens: lingua sicca, peripneumonica: prudens mortuus est. Et posidonius adhuc æstate instante, iuxta pectus, & præcordia, & latus, multo tempore dolebat, citra febres. Multis autem annis antea suppuratus fuerat: hyeme uerò quum inhorruisset; dolor augescebat: & febricula tenuis: & excreatio purulenta: tussis cum stridula asperitate circa fauces: & stertens, quum prudens esset mortuus est.

Balis filius quum ex monte penitus aberrasset; sexta lingua praua, subrubra: & uocem læserat inter aberrandum: oculi colorati, natantes uelut dormitantiū: color reliqui corporis non ualde uelut in morbo regio, sed subpallidus, liuidus: vox praua: lingua obscura peripneumonica: non prudens. Spiritus ad manum malus, non densus, neque magnus. frigidi pedes lapidosi. Circa nonam mortuus est.

13 Quædam apud Metronem anginosa, dexterā manum, ac crus doluit. Febricula tenebat debilis suffocatio die tertia remisit. Septima cōuulsa, uox intercepta: stertor: dentiū collisio, ac consertio, maxillarum rubor. Hæc non longe vitam protraxit, quinta, aut, sexta mortua est. Signum circa manum subliuidum.

Bion ex hydropico diuturno cibū auersabatur ad multos dies: & vrinę stillicidio vexabatur. In sinistro genu absessus fiebat: suppuratus est: mortuus est.

Ctesiphon hydropicus ex febre ardente multa: & prius hydropicus, ac splenicus, ualde repletus est & scrotum, & crura, & peritonæum membranam, aluum, ac intestina ambientem. Ad finem tussis, & suffocationes fiebant ad noctem, magis à pulmone, velut pulmonicis, ac tabescentibus. Tribus, aut quatuor diebus ante diem obitus, rigor, febris, circa femur dextrum intus ad venam mediam ab inguine collectio velut ignis fieri, subliuidum habens ruborem: ad noctem cordis, ac oris ventriculi dolor: & non longe postea vocis interceptio: strangulatio cum stertore: & mortuus est.

Et in Olintho hydropicus, derepente voce priuatus, noctem, & diem desipiens, mortuus est.

Prodromi filius, æstate subblęsus, ęstuosus: lingua ipsi subarida, obscura: egestio alui deorsum multa. Superstes euasit.

14 Leophorbidæ febris acuta post solstitium hybernum: præcordiorum, & ventris dolor: alui egestiones liquidæ, biliosæ, multæ: & interdiu soporosus: lingua peripneumonica: tussis non inerat. Duodecima, nigra, & pauca, & prasina egessit. Decimaquarta, febricula cessasse videbatur. Postea verò sorbitionibus vtebatur. Postea verò sorbitionibus vtebatur. Decimasexta os valde salsuginosum siccum fiebat: ad summam vesperam horror, febris. Vigesimaprima circa meridiem rigor: & sudor: febris desijt: verùm calor adhuc suberat tenuis: ad noctem rursus sudor: & vigesimasecunda ad noctem sudor: & calor remisit. At prioribus diebus omnibus sine sudore erat. Aluus autem humecta fuit etiam in putata postea recidiua.

Quæ superne habitabat Theoclis cognata, sub pleiadas febris acuta: sexta videbatur cessasse: lauit velut febre sedata: septima mane maxilla valde rubicunda, vtra non memini. In vespera febris venit multa: & animi deliquium, & vocis interceptio erat: non longe verò postea sudor, & quies cessante morbo septima die.

15 Theodori vxori in febre vehemēti sanguinis eruptio facta est, hyeme: vbi febris desijsset circa nonā, non longe postea, lateris dextri velut ab vtero grauitas. Sed & primùm, & sequentibus diebus, obortus est dolor vehemens iuxta pectus: & fomento ad latus dextrum adhibito, remiserūt dolores quarta die, spiritus densior: arteria vix respirans subsibilabat: & supina difficulter se vertere poterat: ad noctem febris acutior, & delyrium breue fiebat. Quinta mane mitior esse videbatur: sudor de facie diffundebatur primùm modicus: deinde multo tempore per totum corpus, ac pedes. Postea verò videbatur ipsi febris remisisse. Erat autem ad manum frigidius corpus arteriarum. Quæ verò in temporibus sunt, etiam magis saliebant: & spiritus densior: & aliàs, atque aliàs delyrabat: & omnia ac deterius: lingua perpetuo alba valde: & tussis non inerat, nisi tertia, ac quinta die ad breue tēpus. Sitis non erat. Sputatio erat. Præcordium dextrum valde eleuabatur circa quintam: verùm postea mollius: egestio tertia die à balneo stercoris modici: Quinta rursus liquidi modici: vēter autem mollis: vrinæ acerbæ, cineris speciem referētes: oculi velut delassatæ, difficulter suspiciebat, ac circūferebat oculos. Quinta ad noctem ægrè affecta fuit: & delyrium sequebatur. Sexta rursus eadem hora, qua plenum solet esse forum, multus sudor diffundebatur, incipiebat à fronte ad totum corpus: ad multū tempus prudentes res sua disponebat: ad meridiem verò valde delirabat: & perfrigeratio similis erat: omnia verò circa corpus grauiora. Ad vesperā tibia ipsius ex cubili decidit, & puero præter rationem minabatur, & rursus silebat: & ad quietem conuertebatur. Circa primum somnum sitis multa, & insania: & erecta sedebat, & præsentibus conuiciabatur: & rursus

ſus conticuit,ac in quiete erat:& videbatur reliquũ noctis ſopore preſſa eſſe. Verùm oculos non clauſit. Ad diem indicabat pleraque nutibus, corpore quieſcens,& moderate intelligens. Sudor rurſus eadem hora: ſimiliter oculi demiſſi,ad infernam palpebram magis incumbentes,irigide,ac ſtupide intuentes: albæ oculorum partes pallidæ,& mortifere: & totum corpus pallidum,ac nigrum: manum plerumque ad parietem, aut ad ſtragula habebat: ſtrepitus autem bibenti magni fiebãt,reſpuebat,& ſurſum ad naſum abſorbebat: & floccos legebat; & faciem obuelabat. Poſt ſudorem manus velut in glaciem congelatæ:ſudor ſequebatur frigidus; corpus ad manum frigidũ: exſiliebat,vociferabatur,inſaniebat;ſpiritus multus manus tremulæ fiebant, ſub mortem progreſſæ iam etiam conuulſæ:ſeptima die mortua eſt. Sexta die in nocte ſtratum modice perminxit, quod minxerat de feſtucis detrahebatur,viſcoſum,genituræ ſimile. Vigilabat per omnes dies; poſt ſextã vrina ſubcruenta.

16 Antiphanis filio hyeme,lateris dextri dolor,tuſſis febris.edebat,deambulabat etiam febriens. Videbatur ruptio facta eſſe;nona,remiſit;febris nõ reliquit; tuſſis multa;& craſſa, ac ſpumoſa ſpuebat;latus dolebat. Circa decimaquartam, & rurſus vigeſimam febres deſinere videbantur,& rurſus corripiebant;erat autem calor tenuis,& parum quid relinquebat. Tuſſis quandoque deficiebat,quandoque abundabat,cũ multa ſuffocatione; tunc verò remittebat;& excreatio poſt hos dies multa, cum ſtrangulatoria tuſſi; & purulenta ſupra vas efferuentia,ac ſpumantia prodibant; & in faucibus plerunque ſtridula aſperitas ſubſibilabat; anhelatio ſemper detinebat,& ſpiritus dẽſior;raro bene ſpirabat. Vltra quadrageſimum diem, prope ſexageſimum opinor, odulus ſiniſter excæcatus eſt,cum tumore, ſine dolore;nec lõge poſtea etiã dexter,& pupillæ valde albẽ,ac ſiccæ fiebant. & mortuus eſt poſt excęcationem, non progreſſus vltra ſeptem dies,cum ſtercore,ac multa delitatione. Similia & ex ſimilibus eodem tempore contigerunt etiam Theſſalioni;feruentia,& ſpumantia,& purulenta;& tuſſes, & ſtridulæ aſperitates.

17 Ptolemarchi vxori hyeme anginoſæ tumor ſub gutture; febris multa;vena ſecta eſt;ceſſauit ſtrãgulatio ex faucibus; febris comitabatur. Circa quintam genu dolor,& tumor ſiniſtri,& circa cor dixit ſibi videri aliquid colligi; & reſpirabat velut reſpirant hi, qui ſub aqua merſi fuerunt;& ex pectore ſubrepebat velut qui concluſo ore loquuntur, engaſtrimythi, quaſi ex ventre loquentes appellati. Tale quid cõtingebat. Circa octauam, aut nonam ad noctem aluus prorupit,ac liquida multa,aceruata,& graueolentia egeſſit vox intercipiebatur. Mortua eſt.

Ariſtippus in ſupernum ventrem violenter. ac grauiter ſagittæ ictu petitus eſt;ventris dolor vehemẽs; & breui ardebat; deorſum verò nihil egerebat; anxius erat; biliоſa abunde colorata quum vomuiſſet, melius habere videbatur. Paulo poſt dolores rurſus vehemẽtes;& vẽter ſimiliter ardebat,velut in voluulis;calores,& ſitis;in ſeptem diebus mortuus eſt.

Neopolis percuſſus ſimiliter, eadem paſſus eſt; acri infuſo per clyſterem immiſſo, aluus deorſum erupit; color per corpus diffuſus eſt tenuis,pallidus, niger: oculi ſqualidi,ſtupore rigidi,intus conuerſi, intente intuentes.

18 Ei,qui in hepar percuſſus eſt iaculo, ſtatim color, qualis eſt mortuorum per corpus diffuſus eſt; oculi caui, anxietas, moleſtia. Mortuus eſt prius, quàm concio ſolueretur,in qua die percuſſus eſt.

Qui caput percuſſus eſt lapide à Macedone, ſupra tempus dextrum, ita vt fiſſura ſaltem facta diſſectio contigiſſet, vertigine affectus eſt, & cecidit. Tertia die voce deſtitutus erat;anxietas; febris non valde vehemens, pulſus in temporibus velut tenuis caloris; nihil audiebat,neque ſapiebat,neque quieſcebat;humiditas circa frontem, & ſub naſum,vſque ad mentum. Quinta mortuus eſt.

Eniates in Delo iaculo percuſſus eſt retrorſum inlatus, iuxta ſiniſtram partẽ, vlcus quidem ſine dolore. Verùm tertia die ventris dolor paruus; non egerebat; infuſo per clyſterem immiſſo, ſtercus prodibat;& dolor deficiebat, ſedes extra ad ſcrotum extabat;quarta die etiam ad pubem, & totum ventrem, dolor vehementer irruebat; quieſcere non poterat, biliоſa vomuit abũde colorata;oculi cum virore pallidi, quales in animi deliquiis. Poſt quintam mortuus eſt. Erat autem calor quidam tenuis in ipſo.

Billo percuſſo in dorſum,ſpiritus multus per vulnus cum ſtrepitu prodibat, & ſanguinem fundebat. Verùm deligatus emplaſtro, cruentis vulneribus cõmodo,ſanus euaſit.

19 Contigit & infeliciſſimo Philes filio, denudationẽ in fronte facta,nona die febris:deinde liuefactum eſt os:mortuus eſt.

Et Phaniæ,& Euergetæ filio,liuefactis oſſibus,& febricitantibus, eutis ab oſſe diſceſſit, & pus ſubtus depaſcebatur. His dum perforarentur, ex ipſo oſſe egreſſa eſt ſanies tenuis, ſeroſa, ſubpallida, graueolens, lethalis. Contingit autem talibus etiam vomitus accedere,& ad finem conuulſiones:& vt clangoroſam vocem edant, ac impotentes fiant,& ſi in dextris fuerit vulnus;in ſiniſtra parte:ſi verò in ſiniſtris; in dextra.

Theodori filio nona die in ſole verſato, febris acceſſit decima die, ex denudatione iuxta os nullius momenti. In febre verò denudatum eſt,diſceſſit cutis,multum clangoroſus erat. Vigeſimaſecunda venter eleuatus eſt maxime circa præcordia. Vigeſimatertia mortuus eſt. Quibus oſſa fracta fuerit, his ſeptima die febres. Si verò calidius fuerit tempus; etiã citius. At,ſi magis fracta fuerint; etiam eueſtigio.

Et Exarmodi famulus ſimiliter dolorem habebat ad femur, non è directo vulneris, & factus eſt clangoroſus, & colli erat dolor. Et Poſidocreon tertia conuulſio,calor non relinquebat,mortuus eſt die decimooctauo.

20 Iſagoræ filius percuſſus eſt retro in caput, contuſo oſſe, ac nigrefacto: quinta die ſuperſtes euaſit, os autem non diſceſſit.

Magnæ nauis gubernatori anchora digitũ mediũ, & os dextræ manus confregit: inflammatio ſucceſſit,& marcor,& febris: ſubpurgatus eſt,quinta calores moderatè remiſerunt, itemque dolores, de digito quid decidit. Poſt ſeptimum diem ſanies exibat leniter. Poſtea per linguam dixit ſe non omnia poſſe enunciare. Prædictio facta eſt opiſthotonum aduentare. Ad hoc conferebant maxillæ conſertæ,& ad collum rigidæ. Tertia die totus conuellebatur in poſteriorem partem, cum ſudore. Sed à prædictione

ne mortuus est. Harpali filius ex libera Telephanę, luxationem infra in pede magni digiti accepit, inflāmatus est, & valde doloroſus erat. &, vbi repoſitus est, & dolor remiſit; proficiſcebatur ad agrum. rediens lumbos doluit, lauit, maxillæ ad noctem conſe rebantur, & odiſthotonus aderat, ſaliua ſpumoſa vix per dentes foras prodibat. Tertia die mortuus est.

Thrinō Damonis filius habebat circa tibiam, aut malleolum vicus, iuxta neruū iam purū. Huic à phar maco corroſo contigit, vt opiſthotono moreretur.

21 Menoni ſub arcturum & prius, ex febre æſtiua, & alui profluuio ægrè affecto, & ex itinere delaſſato, dolor lateris ſiniſtri; & tuſſis, quæ ex deſtillatione quidem etiam prius aderat: verùm tunc valde intenta erat; & vigilabat: & febrem ſtatim ab initio ęgrè ferebat, & erectus ſedens tertia die ſpuebat pallidū; arteria ex ſtertore ſubſibilabat. Circa quartam ſpiritus moderate denſus; pedes, tibiæ, extremæ partes plerumque frigidæ, & extra ſtragula; alui egeſtio ab initio fiebat biliоſa, neque valde modica, neque multa, ſeptima, octaua, & nona, leuius ferre videbatur, & ſomni aliqui contingebant; & quæ excreabat crudio ra erant; decima, & vſque ad decimam tertiam, alba, & pura; & præcordium mollius fiebat; ſiniſtrum tamen diſtentum; & melius ſpirabat. Subdita glande moderate aluus ſubijt. Decimatertia rurſus pallidū ſpuebat. Decimaquarta magis: Decimaquinta praſinum. Aluus autem maleolentia. biliоſa, liquida, multa demiſit. Siniſtrum præcordium eleuabatur. Decimaſexta autem etiam valde intumuit, & ſpiritus iam ſtertoroſus; ſudor circa frontem, & ceruicem raro ad pectus: extremæ partes, & frons, leniter permanebant frigidæ. Saltatio verò uenarum circa tem pora detinebat. Somni ſoporoſi noctem, ac diem poſtremo tempore. Vrina ab initio cruda, cineris ſpeciē referens. Circa decimam, & vſque ad decimam tertiā tenues, & non decolores; Verùm à decimatertia quales ab initio.

Cleocho lateris dolor, & febris: remiſit febris; ſudauit per totum corpus. In vrina multa erant, quæ fe rebantur, ac innatabant; poſtea turbata eſt.

22 Circa pleiadum occaſum Olympiadæ vxorem, fętum octimeſtrem geſtantem, ex caſu febris acuta cor ripuit: lingua æſtuoſa, ſicca, aſpera, pallida: oculi palli di: & corpus mortiferum, fœtū corrupit quinta die, facile liberata eſt, & ſomnus, vt videbatur, ſoporoſus, veſperi excitantes non ſenſit, ſternutatoriū adhibitum percepit, potionem ſuſcepit, & ſuccum: deglu tiens potionem aliquantum tuſſiuit, vox non ſoluebatur, neque ipſa quicquam alleuabatur ex morbo, oculi triſtes, ac ſubmiſſi. Spiritus ſublimis per naſum trahebatur, color prauus, ſudor circa pedes, & crura, vbi iam morti propinqua eſſet, mortua eſt.

23 Nicolai concubinæ ex febre ardenti, abſceſſus iuxta aurem fiebant ab vtraque parte, paulo poſterius alter, quum iam febris remittere videretur, velut tumor laxus. Circa decimumquartum magni citra ſigna ſedati ſunt, recidiua facta eſt. Color qualis mortuorum, lingua aſpera, valde denſa, ſubalbida. Siticuloſa, alui egeſtio deorſum multa, liquida, male olens per omne tempus. Ante finem corruptum eſt corpus, præ multitudine egeſtionis. Mortua eſt circa vigeſimum diem.

24 Andreæ ante pleiadem horror, febris, vomitus. Ab initio ſemitertiana apparebat: verū tertiana erat. Quum rurſus in foro verſaretur, inhorruit: febris acuta: vomitus bilis meracæ: delirium ad noctē, quar ta rurſus melius habebat. Quinta difficulter. Sexta à mercuriali probe egeſſit aluus. Septima difficilius: & ſequentibus iam diebus febris magis continenter affligebat: & ſine ſudore ab initio, & ſiticuloſus. Maximè verò os reſiccabatur, & potionem nullam libenter admittebat, quum multa iniucunditas circa os eſſet: lingua ſicca, inarticulata, aſperitas efflore ſcebat, cum pallore albicans. Vigil, anxius, exolutus, fractus, lingua præ ſiccitate quandoque ſubblæſa, do nec madefeciſſet, ſuccum maxime admittebat. Nona aut decima circa aurem ſiniſtram, atque etiam alteram, tumores parui citra ſigna apparuerunt. Vrinæ ſemper non decolores, verum ſine ſubſidentia. Decimaquarta ſudor circa ſupernas partes non multus, ſed moderatior. Calor circa decimam ſeptimam euanuit: Aluus poſt decimam ſicca, citra glandem ſubdi tam non egerens. Circa vigeſimam quintam puſtulę per totum corpus pruriginoſæ calidæ; velut igne am buſtæ. Dolor autem erat circa locos ſub alis, & latera: tranſiuit ad crura citra ſigna, & deſiuit. Balneum proderat, & vnguenti illitio cum aceto. Menſe verò ſecundo, aut tertio fortaſſis, ad renes dolor, qui etiā antea quandoque fuerat, ſedatus eſt.

24 Ariſtocrati circa ſolſtitium hybernum laſſitudo, & horror, & calor. Poſtea tertia die incepit lateris do lor, itemque lumborum, & tumor ſub alis initium ſu mens, per totum dextrum latus durus, rubicundus, liuidus, velut ab igne calefactus & inuſtus, anxius, omnia moleſte ferens, valde ſiticuloſus, lingua ſubalbida. Vrinæ non procedebant, crura ſubfrigida, alui egeſtio à mercuriali modica, liquida, ſubalbida ſpumoſa: ad noctem ſpiritus eleuabatur, ſudor circa frontem, partes internæ frigidæ, collum inflabatur tuſſis non inerat: mortuus eſt prudens.

Oneſianacti circa autumnum lippitudo, poſtea verò febris quartana. Incipiente quartana cibos val de auerſabatur, in progreſſu verò libenter accipiebat. Sed & Polychari in quartana, ſimilia circa cibum accidebant.

25 Mneſianacti alui egeſtio ante febrem, & poſtea ad multum tempus ſequebatur, multis albis mucoſis prodeuntibus: & quandoque pauco ſanguine, citra dolorem. Strepitus autem in ventre. Poſt febrem abſceſſit circa ſedem tuberculum durum, quod mul to tempore inconcoctum comitabatur: erupit ad inteſtinum, & foris fiſtuloſum fiebat. Deambulante verò ipſo in foro, ſplendores præ oculis obſeruaban tur, & ſolem non valde ferebat. Quum autem parum diſceſſiſſet: extra ſeipſum erat, & collum conuulſum eſt. Poſtquam autem domum deportatus eſt; vix ſuſpexit, & ipſe vix ſuiipſius erat. Primùm autem colluſtrabat circumſtantes, & corpus perfrigeratum eſt, vix verò recalfactus eſt, vtriculis, & fomentis adhibitis. Poſtquam autem ipſe intra ſeipſum eſſet, & exurgeret, non volebat exire, ſed timere dixit. Si verò quis de grauibus morbis diſſereret; ſubducebat ſe præ timore. Quandoque etiam caliditatem ſibi ad præcordia allabi dixit, & oculorum ſplendores comitari: & alui egeſtio multa, & ſæpe, & ſimilis hyeme contigit; facta eſt venæ ſectio, datum eſt veratrum, bibit lac bubulum, prius autem aſininum: con

tulit

tulit,& alui egestiones sedauit. Aquæ potus ab initio,deambulationes quoque, & capitis purgationes.

26 Anacheti filio hæc contigerunt:hyeme in balneo dum vngeretur ad ignem, calefactus est, & statim in comitiales conuulsiones incidit.Postquam verò multæ factę essent conuulsiones;circumspexit:non apud sese erat.quum autem intra seipsum esset; rursus postridie mane correptus est,ac conuulsus: spuma non valde.Tertia lingua inarticulata. Quarta per linguã significabat. Quinta loqui non poterat,sed in principijs nominum hærebat'lingua valde:& conuulsio fiebat:& extra sese erat. Quum verò hæc remitterent; lingua vix in suum statum restituebatur. Sexta abstinebat ab omnibus, & sorbitione, & potu: & à nulla amplius affectione corripiebatur.

Cleocho ex lassitudinibus, ac exercitijs melle per dies aliquot vtenti,tumor ad genu dextrum obortus est: imò potius ad inferiorem partem circa tendines sub genu. circumibat subclaudicans:& sura intumescebat, ac dura erat,& ad pedem, & ad malleolum dexterum: & tubercula ad gengiuas circa dentes magna,velut vuæ acini,liuida,nigrefacta,doloris exortia,vbi cibum non caperet. Sed & crura doloris exortia erant;si non exurgeret: venit.n.& ad sinistrum tumor,verùm minus liuescebat.In tumoribus circa genua,ac pedes velut suppurationes erant.Tandem verò fieri non poterat,vt staret,aut calcaneis insisteret; sed in lecto decumbebat.Calores manifesti.quandoque cibum auersabatur:non valde siticulosus:neque ad sedem surgebat,anxius: & quandoque etiam pusillanimitas tenebat: veratrum exhibitum est,& capitis purgationes. Ad os pharmacum ex manna,thuris cum alijs ammixtis profuit.Ad vlcera in ore,sorbitio lenticulæ commoda erat. Circa sexagesimam sedati sunt tumores à secundo veratro; dolores tantum ad genua decumbenti venerunt.Humor autem, & bilis abscessit ad genua,etiam pluribus diebus ante veratrum.

27 Pisistrato humeri dolor,& grauitas diuturna deãbulanti,& aliàs sano: hyeme verò incidit multus lateris dolor,& calor, & tussis, & excreatio sanguinis spumosi,& in faucibus stertebat. Verùm facile ferebat,& apud seipsum erat,& calor remisit, simulque & excreatio,& stridula asperitas, & circa quartam, aut quintam diem sanus.

Simonis vxori in partu concussæ dolor circa pectus,& latus,tussis, febres, excreationes purulentæ, tabes,ad sex menses febres,& alui profluuia semper. Ad finem febres cessauerunt, post cessationem substitit aluus,& post septem dies mortua est. Euxeni uxorem ex fomentis,vt videbatur, calores nullo tẽpore relinquebant, magis tamen ad vesperam augescebant,sudores fiebant per totum corpus. Febre ad augmentum tendente frigiditas pedum,quandoque etiam tibiarum,& genuum fiebat, tussicula sicca ad modicum tempus,febre exacerbari incipiente: deinde cessabat, per multum autem tempus etiam totius corporis rigor fiebat. Sitis exors semper. Vbi medicamentum bibisset,& serum;magis læsa est. Ab initio omnino sine dolore erat,& bene spirabat. Medio verò tempore lateris dextri dolor fiebat, & tussis commota est, & anhelatio, & excreationes paruę, albæ, ac subtenues, & horror non amplius ex pedibus,sed de collo,& dorso,& aluus liquidior: remisit febris cum multo sudore, & perfrigerata est. Anhelatio verò erat varia,mortua est post remissionem septima die;quum esset mente prudens.

28 Polemarchi vxor æstate incepit febrire, dimisit autem ipsam febris sexta die: titubans obambulabat, ad noctem calores. Rursus interposito tempore corripuit febris; & non dimisit tribus ferè mensibus: tussis multa,excreatio pituitæ. Postquam verò viginti durasset diebus; spiritus semper densus, in pectore strepitus,plerunque sudor, mane febris mitior: & horrores quandoque corripiebant, somni fiebant, & aluus aliquando humectabatur, & rursus restitabat, moderate cibum gustabat. At medio tempore ad genua,& tibias dolor,& ad flectendum,ac extendendum alio opus habebat. Perseuerabant crurum affectiones vsque ad finem iam propinquum, & intumuerunt pedes vsque ad tibias, & ad contactum dolebant, & sudores, ac rigores desierunt. Febris autem semper intendebatur. Ante obitum aluus erupit, prudens permanebat. Tribus ante obitum diebus in faucibus stertebat, & spiritus reuertabatur. Mortua est.

Hegesipolis filiolus quatuor ferè mensibus dolorem circa vmbilicum corrodentem habebat. Progressu temporis augebatur dolor. Percutiebat vẽtrẽ, vellicabat, calores corripiebant, contabescebat, ossa reliqua erant, pedes tumebant. Testes, venter, partes circa vmbilicum inflata. Num & quibus futurum est, vt aluus exturbetur? cibum auersabatur, lac solum admittebat recens, & aluus liquida erat, & subcruenta sanies subibat, male olens: aluus ardebat. mortuus est, vbi vomuisset modicum pituitosum, adeò vt quis genituram putasset.

29 Plateæ filio, vbi mortuus esset, futura capitis valde cauata est. Quum autem ægrotaret,semper manu sinciput contingebat: maxime morti propinquus. Non dolebat autem caput, & in femore sinistro sub inguen partes inferiores liuidæ. Testes autem graciles erant. Similia etiam Hegetoridæ filio: mortuus est. Præterquam quòd vomitus plures sub obitum contigerunt.

Hippiæ soror hyeme phrenitica, mente aberrans, manibus negotium exhibẽs,lancinãs seipsam.Quinta, & sexta ad noctem voce destituta, soporosa, inflans in maxillas, & labia, velut dormientes: septima mortua est.

Osander vbi inhorruit; lateris dolor, & ad genua dolor, itemque ad femur: vbi comedisset;delyrabat, breui mortuus est.

30 Cleotimo sutori aluo liquefacta multo tempore, & calore oborto, iuxta hepar tumor tuberculosus ad imum ventrem descendit, & aluus liquida fiebat, & aliud ipsi tuberculum iuxta hepar sursum ad præcordium. mortuus est. Quibusdam capitis dolor vehemens cum calore: quibusdam quidem ad dimidiam capitis partem, & secundum nares humor quidam decedit tenuis, aut maturus: aut ad aures,aut ad fauces ex capite securius. Quibusdam verò hæc sicca. At marcor vehemens periculosus est. Si verò affuerit anxiosus, aut bilios vomitus, aut stupor oculorum,aut vocis interceptio,& raro quid loquutus, aut delyrium;lethalia hæc sunt,& conuulsoria. Quicunque verò ex destillatione dimidiam capitis partem dolent, & humore secundũ nares decedente insuper

febrie-

febrierint leniter; in quinta, aut sexta perfrigerantur.

Echecrati cæco capitis dolor vehemens magis ad posteriorem partem, & colli, quo loco connexio est, & ad verticem procedebat. Progrediente tempore & ad aurem sinistram: & dimidia capitis pars dolorosa erat, mucosa semper procedebant leniter combusta, & calor comitabatur tenuis, & cibum auersabatur. in die melius habebat, ad noctem verò dolebat. Postquam autem pus per aurem erupit; cessauerunt omnia, erupit autem circa hyemem. Num & omnibus suppurationibus, & affectionibus circa oculum, dolores ad noctem?

31 Quibus existunt tusses hyeme, maxime austro spirante, crassa, & multa excreantibus, febres accedūt: leniter autem quinta die sedantur. Tusses verò circa quadragesimam, velut Hegesipoli.

Quibus calores multi quandoque sedantur, hi non per totum corpus, sed aut circa ceruicem, aut sub alis, aut capite sudantes liberantur.

Chariti hyeme ex tussicula populariter grassante febris aduentans acuta corripuit: stragula reijciebat: sopor cum dolore. Vrinæ erant rubræ velut erui lotura, subsidentia statim ab initio multa, alba: postea etiam subrubra. Septima, à glande subdita pauca prodierunt, sopor detinuit sine dolore. humiditas in fronte, somnus ad noctem, & calor mitior. Octaua succum admisit, soporosus permansit vsque ad vndecimam. Hac autem die etiam calor maxime cessauit. Postquam verò tussis erat; excreatio perseuerabat semper multa, facilis, primùm viscosa, alba, crassa: postquam autem concocta esset; similis purulentis. Vrinæ ab vndecima die puriores, subsidentia aspera: decimatertia dolor ad dextera, vsque ad lateris mollitudinem, ad imum ventrem. Vrina supprimebatur.

32 Potus callyphylli contulit. Decimaquinta, rursus dolor: decimasexta, ad noctem magis dolor præcordij incipiebat ad ventrem. Mercurialis aqua subduxit. Calor intra vigesimum euanuit, & excreationes sequutæ sunt crassæ. Melius habuit ad quadragesimum.

Subpurgandi sunt ventres in morbis; vbi purganda matura fuerint: inferni quidem; vbi confidisse videris. signum habes si non anxij fuerint, neque capite grauati: & quum calores mitissimi, & quum post exacerbationes cessarint. Superni verò; in ipsis exacerbationibus: tunc enim & hi eleuantur, quum anxij, & grauati supernis partibus fuerint. propterea verò in principijs purgandum non est; quoniam sua sponte in his temporibus expurgantur.

In cubiti processu ex casu sauciato, cubitus marcore corruptus suppuratur: maturatione verò contingente, viscosa sanies, ac glutinosa exprimitur, & breui supprimitur: velut & Cleogenisco, & Demarcho Agleaotelis filio. Similiter autem & valde ex ijsdem pus nullum: velut Aeschyli filio contigit. At, vbi suppuratur; plurimis horrores, & febres accedunt.

33 Alcmani ex renum affectionibus se recolligenti, & sanguine deorsum detracto, sursum ad hepar conuersus est morbus, & ad cor dolor vehemens, & spiritus præ dolore detinebatur, & aluus difficulter egerebat parua caprini stercoris pilulis similia: anxietas non inerat. Verùm rigor quandoque, & febris corripiebat, & sudor, & vomitus: & in dolore non conferebat aqua marina per clysterem infusa: verùm furfurum decoctum infusum contulit. à cibo abstinuit ad dies septem, aquam mulsam meraciorem bibit, postea lentis succum, quandoque verò ex lenticula fresa decoctum. Inde bibit aquam postea catucula fresa decoctum. Inde bibit aquam postea catulum coctum: & mazæ parum, quę potissimum diu antea confecta esset. progressu verò temporis, aut caruices bubulas, aut extremas partes suillas coctas, vnà cum priore aquæ potu: quies, tegmen. ad renum affectionem infusum per clysterem ex cocumere syluestri.

34 Pharmenisci filio surditas: contulit clysterem auricularium non adhibere: Verùm lana expurgare, & solum oleum, aut netopum infundere, deambulare, mane surgere, vinum album bibere, oleribus abstinere, pane, & piscibus petrosis nutriri. Aspasij vxori dentis, & maxillæ dolor vehemens. Castorium, & piper colluens, ac in ore tenens, remisit. Et stillicidij vrinæ affectionem ipsi sedauit farina cum roſaceo. Capitis dolores ex vtero sedat castorium. Plurimas vteri affectiones flatus faciunt. Signum sunt ructus, & strepitus circa ventrem, & lumborum tumores, & dolores circa renes, ac coxas. Ad hos autem confert, aromatum tertiam partem, farinæ duas, in vino odorato albo coquere, & linteolo illita cataplasmatis modo imponere, qua parte ventris dolores ab vtero affligunt.

Callimedontis filio contulit ad tuberculum, quod habebat in collo durum, & magnum, & crudum, ac doloroſum, venæ bracij sectio: & seminis lini torrefacti cataplasma, vino albo, ac oleo subactum, ac imbutum, ita vt neque calidum, neque valde coctum deligatur. Aut cum aqua mulsa coquatur fœni Græci, aut ordei, aut tritici farina.

35 Melissandro quum gingiua dolore corriperetur, & vehemēter intumesceret; sectio venę brachi, & alumen Aegyptium in principio sedat. Eutychidi ex cholericis affectionibus, ad neruorum in cruribus distentionem definit, vnà cum secessu deorsum. Bilem multam abunde coloratam vomuit ad tres dies, ac noctes valde subrubram, sub vomitum bibit, & impotens erat, & anxius. Nihil autem continere poterat, neq; ex potibus, neq; ex cibis: & vrinæ, ac transitus deorsum quoque erupit.

Regio morbo correpto prodest laborare, sudare, panem edere. bibere non multum, lauare caput calida multa, sed potius tepida, vinum album, somno non multo vti.

36 Caligeni circa vigesimum quintum ætatis annum destillatio, tussis multa, quod defluebat per vim educebat, nihil infra persistebat, annos quatuor perseuerabat. Ab initio calores tenues fiebant. Veratrum nō profuit, sed modicus, cibus, & comprimi corpus, edere panem, bibere vinum nigrum, obsoniorum quorū cunque eius abstinentia ab acribus, salsis, pinguibus succo silphij, oleribus crudis, multa deambulatio. Lactis potus non contulis, sed sesamum purum, crudū, acetabuli mensura bibere, cum vino molli.

Timochari hyeme destillatio, maxime in nares. Quum Venere vsus esset; resiccata sunt omnia: lassitudo, calor successit, caput graue, sudor à capite multus, defluebat autē & per totum corpus. Erat autem etiam sanus sudare adsuetus. tertia die sanatus est.

Cleomenis filius hyeme initio facto cibum auersabatur,

ſabatur,& eius faſtidio citra febrem vexabatur,& vomebat cibos, ac pituitam. Duobus autem menſibus cibi faſtidium durabat.

37 Coco in ſpina gibboſitas facta eſt ex phrenitide. Huic nulla medicamenti potio contulit: verùm vinum nigrum,& panis eſus,& balneorum abſtinentia, & vnctio,& frictio ab vnctione,& fouere non valde, neque multo fomento,ſed leni. Quibus fluxiones in oculis tenues,ac diuturnæ,ſi maturæ in nares proceſſerint,proſunt.Quibus prægnantibus ex caſu,aut cõuulſione,aut plaga, dolores leuiter fiunt,his in tribus diebus manifeſtum fit,aut fœtum corrumpent. Cuidam, quæ circa vigeſimum ætatis annum biberat vltro pharmacũ ad fętum perdẽdum, accidit dolor,vomitus bilioſorum, multorum,pallidorum,praſinorũ, nigrorum. Quum bibiſſet,tertia die conuulſio corripiebat,linguam commãdebat. Ad quartam diem ad ipſam ingreſſus ſum:lingua nigra, magna: oculorum albæ partes erant rubræ: vigilabat,quarta mortua eſt ad noctem.

38 Pythocles ægrotantibus aquam, & lac multa aqua ammixta dabat,& renutriebat.Pernιones pertundere oportet, & calefacere,ita vt quàmmaxime excalefacias igne,& aqua. Oculis incommoda ſunt lenticula, fructus pomorum dulces,& olera. Doloribus circa lumbos, aut coxam, aut crura, ex laboribus obortis, aquæ marinæ, acetique calidum fomentum confert, ita vt vel aſpergas, vel ſpongiam his imbutam adhibeas.Deligare verò lanis oportet. Origanum potum oculis, & dentibus malum eſt.

Puella, quæ de rupe cecidit, voce deſtituta, iactatio ipſam tenebat,vomuit ad noctẽ ſanguinẽ. Quum ad ſiniſtram aurem impegiſſet; amplius inde fluebat, & aquam mulſam difficulter deglutiebat, ſtertor habebat.Spiritus denſus velut morientium.Venæ circa frontem intentæ,decubitus ſupinus,pedes tepidi,febris multa, aliquando acuta, maxime expaueſcebat, ſeptima vocem rupit,calores tenuiores erant, ſuperſtes euaſit.

Niſantides humeri dolorẽ habebat,in æſtate obortum ex abſceſſu, profuit ipſi corpus, & humerum in aqua marina madefacere; ad multum tempus: & per tres dies vinum album aquoſum bibere, ſimul vt in aqua marina decumberet, ita vt & in ipſa vrinam ęijceret.

39 Fullo in Syro phreniticus, quũ vreretur cruribus tremulis: corpus velut à culicibus compunctum:oculus magnus,motus breuis,vox fracta,ſed clara tamẽ: vrina pura ſubſidentiam non habens: nam propter alui ex thapſia egeſtionem decimaoctaua die morbus remiſit, euaneſcens, citra ſudorem.

Nicoxenus in Olyntho ſimiliter ſeptima die videbatur à morbo liber eſſe cum ſudore. Sorbitiones aſſumebat,vinum,botrum ex ſole. Decimaſeptima die ingreſſus ſum ad ipſum:lingua ardebat,calor forinſecus non valde fortis, exolutio corporis vehemens: vox fracta, vt operoſum eſſet exaudire, clara tamen; tempora collapſa, oculi caui, pedes molles, ac tepidi,iuxta ſplenem diſtentio.Infuſum per clyſterem nõ valde ſuſcipiebat, ſed reſiliebat: prodijt ſtercus compactũ modicum,& aliquid ſanguinis, arbitror ab infuſo. Vrina clara,pura,decubitus ſupinus,crura diducta,ac diſparata,ob exolutionem,penitus vigil.Intra viginti dies calor euanuit. Potus erat aqua de farina craſſa in ipſa macerata. Sed & de pomis ſimulq; mali punici ſuccus:& lentis torrefactæ,& farinæ lotura cocta,frigida,tenuis ſorbitio. Superſtes euaſit.

40 Fullonum inguina extuberabant dura, & ſine dolore,& circa pubem,ac collum,ſimilia erant tuberculа magna:febris ante diem decimum. Tuſſi vexabantur à ruptionibus. Tertio menſe, aut quarto venter colliquiuit. Calores ſucceſſerũt,lingua ſicca,ſitis,egeſtiones deorſum malignæ: mortui ſunt. Cholericæ bilis ſurſum, ac deorſum eruptiones, ex carnis eſu, maxime ſuillæ crudioris, & ex cicere,& ebrietate vini odorati veteris,& inſolatione,& ex ſepijs,& locuſtis,& gammaris: & ex olerum eſu, maxime porri, & ceparum:inſuper & à lactucis coctis,& braſſica, & rumicibus crudioribus: & à placentis, ac dulciarijs,& mellitis libris, & à fructibus pomorum, & cucumere pepone, & vino lactei teporis, & eruo, & polenta recenti. Cholericæ affectiones magis in æſtate fiunt,& febres intermittentes, & quibus horrores accedunt. Hæ quandoque malignæ fiunt, & ad morbos acutos perueniunt. Verùm cauere oportet. Iudicat autem tales morbos maxime quinta, & ſeptima, & nona dies. Melius tamen eſt cauere vſque ad decimamquartam.

41 Pherecydæ poſt ſolſtitium hybernum, noctu lateris dextri dolor etiam prius fieri ſolitus ceſſauit,praneſus eſt: & egreſſus horruit:febris ad noctem,doloris exors,tuſſicula quædam ſicca. Vrina non multa,ſubſidentia multa. Ab initio ramentoſa,glabra,diuulſa: poſt dies quatuor turbulenta, ſubſidebant: & vrina non decolor, ſubſidentiam habens, & collectio non apparebat in matula,vbi perfriguiſſet. Tertia die aluus ſua ſponte egeſſit.Quarta,ſubdita glande,ſtercoracea,& bilioſa prodierunt:fluxus erat liquidus. Somnus ad noctem non valde:verùm interdiu aliquãtum dormiebat. Sitis non vehemens. Quarta ad noctem maxime cutis circa frontem,& reliquum corpus mollis, ſemper ſuperexcedens: febris vincebatur ad manum, & ſub ea humeſcebat: pulſus in fronte valde obſcurus, venarum grauitas in conuerſionibus, & in omnibus egeſtionibus ad modicum tempus, ſemper doloris exors,ab initio anxius, & paulatim vomebat. Septima à glande ſubdita,egeſſit ter bilioſum,ac ſtercoraceum, liquidum valde, ac pallidum: & iam aliquantum delirabat: & humiditas modice quandoque circa frontem: ſtragula in faciem ducebat: oculos fruſtra velut ſi quis videret contrahebat,& rurſus nictabat: & ſtragula reijciebat. Nona die ſudor mane obortus ad pectus perſeuerabat donec moreretur: & febris,& deliratio augeſcebat. Circa frontem ſudor plurimus graueolens,color valde albus,cutis ſub pilis interpuncta: præcordium dextrum eleuatum: demiſit à ſeipſo bilioſa.

42 Octaua apparebant velut culicũ morſus:ante mortem tuſſiendo reiecit velut ex muco fungos, compacta quædam, alba pituita circundata. Excrearat autem & antea parua,alba, lactea. Quidam poſt cęnam in ſomno horruit,mane ſurrexit,capite grauatus horruit, vomuit: capite grauabatur, ad noctem remiſit: vſque ad meridiem leniter horruit: rurſus noctem grauiter tulit. Sequenti die febris acuta, capitis torpor, vomitus multæ bilis, quæ plurima praſina erat: ceſſauerũt omnia,ſomnus ad noctem,mane perfrigerabatur, ſudor, & humiditas per plurimam corporis

partem: iuxta splenem manu indicabat ad modicum tempus collectionem doloris exortē, statim euanuit, ad noctem vigil: circa fori tempus exacerbabatur febris, anxietas, vertigo, tormen, capitis dolor: vomitus prasinus, leuis, viscosus velut pituita: circa solis occasum cessauerunt omnia, sudor capitis, colli: post vomitum egessit per aluum stercoracea, liquida, biliosa, neque nigra, neque inconuenientia. Noctem moderate habebat, itemque sequentem diem ad noctem rursus vigil. Vomitus mane similiter & sequenti die, citra anxietatem dolores capitis post sudorem cessarunt, ad vesperam omnia remiserunt. Nona, non amplius vomuit, magis calefactus est. Reliquis non videbatur febrire. Venæ in temporibus saliebant: doloris omnino exors, sitis semper erat. Nona, quum ad sellam surrexisset, valde animo linquebatur: à glande subdita egessit ramenta nigra, & biliosa colore, quantum stercoracei destillabat: vox fracta, in conuersionibus grauis, oculi cani, cutis frontis circumtensa, alioqui bene spirabat, moderatus erat, ad parietem plerumque conuersus: flexibilis in decubitu, incuruatus quiescens, lingua alba, leuis. Circa decimam & postea vrinæ, rubræ in circuitu, in medio exiguum quid album: duodecima ad glandem subditam, similia destillabant biliosa, & ramentosa: post glandem animi deliquium, postea os resiccabatur. Colluebat semper, etsi non valde frigida esset aqua; calidam esse dicebat. niuem leniter gustabat, sitis non inerat, stragula semper de pectore repellebat. Chalamydem calefieri non sinebat, ignis procul, isque paruus: vtriusque maxillæ rubor, postea lingua inarticulata, recalescebat vnum, aut duos dies, cessauit.

43 Androphani vocis interceptio, ignorantia, delyrium. His sedatis supererat multis annis, & recidiuæ fiebant: lingua permanebat per totum tempus ficca, &, si collutione non vteretur; loqui non poterat: & plerunq; erat valde amara. Aliquādo etiam dolor ad cor. Venæ sectio soluit hæc: aquæ potus, aqua mulsa. Veratrum quoque bibit nigrum, biliosum non prodibat, sed modicum. Tandem hyeme decubuit, & extra se positus mente motus est, & linguæ affectiones similes, calor tenuis, lingua decolor. Vox peripneumonica, de pectore stragula reijciebat, & se educi iubebat, velut micturum, quum nihil clare loqui posset, neque apud seipsum esset, educebat ipsum: ad noctem mortuus est, duobus, aut tribus diebus decubuit.

Nicanoris affectio erat, quum ad conuiuiū progrederetur, timor tibicinæ: quum sub initium vocis tibiæ, in conuiuio tibia canere audiuisset; præ timorib. turbationes, vix se sufferre posse dixit, quū nox esset. Interdiu verò audiens nihil commouebatur, & hæc multo tempore ipsum comitabantur.

44 Damocres, qui cum illo erat, cæcutire, & corpore exoluto esse sibi videbatur: & sanè præruptum locum non accessisset, neque trans pontem, & aut minimæ altitudinis scrobem ausus fuisset transgredi, præ timore ne caderet, sed per ipsum scrobem ibat: hoc ad tempus quoddam ipsi aderat.

Phœnicis affectio erat, ex oculo dextro plerunque velut fulgur elucere putabat. Vbi verò non diu ipsum clausisset; dolor ad tempus dextrum vehemens oriebatur: postea etiam ad totum caput, & collum: caput intumescebat retro ad verticula: & distentio, ac duritia erat circum tendines. Si itaque conaretur commouere caput, aut aperire dentes; non poterat, vtpote valde distentus. Vomitus si quando oborti essent; relatos dolores auertebant, ac mitiores faciebant: & venæ sectio profuit: & veratrum duxit omnigena, & non minime prasina.

45 Parmenisco etiam prius incidebant tristitiæ, & desiderium excedendi è vita: quandoque verò rursus lętus erat. At in Olyntho aliquando autumni tempore, voce priuatus decumbebat, quietem agens, ita vt parum saltē loqui conaretur, ac inciperet. Imò etiam si quid loquutus esset; rursus voce destituebatur: somni aderant: quandoque verò vigiliæ: & iactatio cum silentio, & anxietas: & manus ad præcordia velut dolenti. Aliquando auersus iacebat quietem agens, febris perpetuò, & facile spirabat. Postea dixit se cognoscere ingressos. Bibere quandoque tota die, ac nocte; etiam si potus exhiberetur, non volebat: quandoque verò vrna derepente correpta, omnem aquam ebibebat. Vrina crassa velut iumenti. Circa decimamquartam remisit.

Cononis serua ex dolore capitis incipiente, extra se mente mota erat: & clamor, & querelæ multæ, raro autem quies. Circa quadragesimum diem mortua est. Decem verò diebus ante mortem, voce destituta, & conuulsa fuit. Timocharis seruus ex atrabiliarijs esse quum putaretur à tot ac talibus viris; mortuus est similiter circa eosdem dies.

46 Nicolai filius circa solstitium hybernū ex potationibus horruit: ad noctem febres: postridie vomitus biliosus, merus, modicus. Tertia die quum concio adhuc fori plena esset; sudor totius corporis cessauit, & statim rursus calefactus est: vomitus similis. Quarta ab aqua mercurialis egessit stercoracea, & liquida. Vrina cineris specie, qualis est aqua mercurialis, non dissimilis, subsidentia non erat, neque vrina multa, pauca quædā in medio vehebantur innatantia: dolores præcordij sinistri, & lumborum. Putabat se ex vomitu insuper respirare, & insuper respirabat, quandoque dupla respiratione: lingua alba, habens ex dextra parte concretionem adnatam instar lupini. Parum siticulosus erat, vigil, prudens. Sexta, dexter oculus maior dum videret. Septima mortuus est. Verùm aluus ante mortem eleuata fuit: & mortuo posteriores partes rubefactæ sunt.

47 Metoni circa pleiadum occasum febris, lateris sinistri dolor vsque ad clauiculam, atque is adeò vehemens, vt quiescere non posset: & inflammatio tenebat, alui egestio multa, biliosa. In tribus ferè diebus cessauit dolor. Calor autem circa septimum, aut nonū. Tussis inerat, excretiones neq; biliosæ, neq; multæ fiebāt, verum pituitosæ, tusses comitabātur, cibos gustabat, quandoq; velut sanus exibat. Corripiebant aūt aliquando calores tenues modico tempore, sudores fiebant ad noctē. Spiritus in calore densior, maxillarum rubor, circa latus grauitas, & sub alas, & ad humerum, tusses tenebant, medicamentum per superna eduxit biliosa. Tertia à medicamento erupit pus, verum ab initio morbi quadragesima, repurgabatur circa trigintaquinque alios dies, & sanatus euasit.

Vxori Theotimi in semitertiana anxietas, & vomitus, & simul horror incipiēte febre, & sitis: progrediē te tēpore incipiēte febre calor ingens. Vbi aquā mulsā bibisset, & vomuisset, & horror, & anxietas sedata sunt, & mali punici succū postea accepit. Diopithis,

sorori

sorori in semitertiana, cordis dolor grauis circa accessionem,& comitabatur is totã diem: & huiusmodi cordis, siue oris ventriculi dolor etiam alijs similiter aderat. Verumtamen sub pleiadis occasum viris talia rariora fiebant.

48 Vxori Apomoti in semitertiana circa arcturũ, vehemens cordis dolor circa accessionem, & vomitus & strangulationes ab vtero simul instabãt, & ad dorsum dolores iuxta spinam. Quum autem ipsi peruenirent; cordis dolores cessabant.

Terpidæ matri à Dorisco, quum abortus factus esset mense quinto gemellorum, ex casu, ab altero quidem statim, velut in tunica quadam liberata est: ab altero verò prius, aut posterius quadraginta diebus. Postea autem concepit in ventre. At anno nono dolores vehemẽtes circa ventrem ad multum tempus, quandoque incipiebant ex collo, ac spina. considebant autem ad imum ventrem,& inguina: quandoq; ex genu dextro, considebant autem ad eundem locũ. Et quum quidem iuxta ventrem dolores essent; aluus eleuabatur: quum verò sedarentur; cordis dolor conincidebat. Verũ strangulationes non aderant. Sed frigiditas corporis, velut in aqua iacentis. Tempore, quo dolor fiebat, per totũ corpus dolores spargebantur, mitiores his, qui ab initio erant: allium, silphium, acria omnia non conferebant, neque dulcia, neque acida: neque vina alba. Verùm nigra,& balnea rara. Ab initio quoque vomitus vehementes fiebant,& ciborum exclusiones, & circa dolores mẽses non apparebant.

49 Cleomenis vxori circa Fauonij flatus, ex nausea, & lassitudine, lateris sinistri dolor, ex collo, ac humero auspicatus: febris,& horror,& sudor. Incepit autem febris,& non desijt, sed augescebat, & dolor vehemens, tussis, excreatio subcruenta, pallida, multa, lingua alba, alui egestiones moderatæ, liquidæ: vrinæ bilioſæ. Quarta ad noctem mẽses prodierunt multi: cessauit & tussis, & excreatio, & dolor: calor autem tenuis.

Epicharmi vxori ante partum dysenteria dolor, alui egestiones subcruentæ, mucosæ. Vbi peperisset; statim sana erat.

Polemarchi vxori in morbo articulari coxę dolor derepente, mensibus nõ prodeuntibus. Vbi betę succũ bibisset; vox supprimebatur per noctem,& vsque ad meridiem: attamen audiebat,& sapiebat,& manu significabat, dolorem esse circa coxam.

50 Clinię sorori seniori vomitus, quicquid accepisset per quatuordecim dies; citra febrẽ, cruentorum vomitionũ reiectiones, & cõtracta strangulatio ad cor procedebat. Castoriũ, seseli, mali punici succus, sedauerunt omnia: abscessit autẽ dolor moderatus ad lateris mollitudinẽ: bulbi succus,& vinum lactei temporis, austerum,& panes quàm pauciſſimi cum oleo.

Pausanię filiã ex fungi crudi esu, anxietas tenebat strangulatio, dolor ventris. Aquam mulsam calidam bibere, ac vomere profuit,& balneum. In balneo fungum euomuit,&, vbi illa cessatura esset; exsudauit.

51 Epicharmo circa pleiadum occasum, humeri dolor, & grauitas vehemens ad brachium, anxietas, vomitus multi, aquæ potus. Euphranoris filio pustulæ velut à culicum morsu. Post Fauonium siccitates fiebant, vsque ad æquinoctium autumnale. Sub canẽ æstus vehementes,& venti calidi, & febres sudorificæ,& statim aliquantum recalescebant. Tubercula verò iuxta aurem multis fiebant. Aniculæ à tussi vexatæ circa nonã diẽ. Adolescenti splenico ancillæ filio, aluo liquefacta circa idem tempus. Ctesiphonti sub arcturum, ferè circa septimam. Adolescenti solũ suppurata sunt. Eratylli filio euanuerũt. Circa vtraq; tempora, nullæ exudationes, lingua prę siccitate blęsi. Recti venti spirauerunt multi, ac frigidi: & niues ex clementi cœlo qñ que fiebant,& post æquinoctiũ austrina aquilonaribus permixta, aquæ multæ, populariter grassatæ sunt tusses multæ, magis autem in pueros. Circa aures multis talia, qualia Satyri habẽt. Quandoque verò ante hoc tempus hyems valde hyberna erat cum niue,& pluuijs aquilonaribus.

52 Timonactis filio fermè bimestri pustulæ in cruribus,& in coxis,& lũbis, ac imo vẽtre,& tumores valde rubicundi. His autẽ sedatis, cõuulsiones,& comitiales fiebãt sine febribus, multis diebus; & mortuus est. Polemarchi filio contigit quidẽ, vt priore tẽpore suppuratus esset,& excrearet; postea verò calores ipsi erant;& hydropicus erat,& splenicus,& anhelosus: ad locũ accliuẽ, si quando accederet, impotẽs,& sticulosus: quandoque etiam cibũ leniter auersabatur, & siccæ tussiculę ad multũ tempus ita fiebãt; titubãs obãbulabat; & si non facile solubilis esset aluus deorsum, plena reddebatur, & anhelatio, ac strangulatio magis fiebãt. Tandẽ autem defluxus,& excreatio superuenit, ac tussis. Excreatio crassa pallida, purulẽta: febris vehemens cessasse videbatur: & tussis mitior, & excreatio pura. Rediit rursus febris acuta, spiritus densus: mortuus est. Verùm antea riguerunt pedes, & postea perfrigeratus est. Spiritus magis intercluſus est. Vrina substitit, extremæ partes perfrigeratę sunt. prudens mortuus est, tertia die à recidiua.

53 Thyni filio in febre ardente inedia macerato, alui egestio multa. Verũ cum bile,& animi deliquio,& sudore multo fiebat: perfrigeratus est valde: & voce destitutu: erat totam diem, ac noctem. Instillatũ ptisanę succum continuit: sapiebat, bene spirabat.

Epicharmi filio accidit ex via,& potu cruditas. Postridie mane anxietate oborta, vbi aquam, acetum, salem bibisset, euomuit pituitam. Postea rigor apprehendit, lauit febricitans. Pectus dolebat. Tertia mane statim sopor modico tempore tenebat, & delirabat, & febris acuta: grauiter morbum tulit. Quarta vigil, mortuus est.

Aristoni vlcerato pedis digito, & cũ febre loquelæ obscuritas. Carcinoma ascendit vsque ad genu perijt. Erat autem nigrum subaridum graueolens.

54 Cui carcinoma in faucibus vstũ est, sanus euasit à nobis. Polyphantus in Abderis caput dolebat in febre vehementi. Vrinæ tenues, multæ. Subsidentiæ densæ,& conturbatæ. Quũ autẽ nõ cessasset dolor capitis; sternutatoria decima die adhibita sunt. Postea ad collũ dolor vehemẽs. Vrina prodijt rubicunda cõturbata velut iumenti: mente motus est phrenitico modo. Mortuus est in vehementibus cõuulsionibus.

Consimiliter etiam Eualcidæ famula, quum multo tempore densæ vrinæ prodijssent, & capitis dolores adessent; phrenitica facta mortua est, eodem modo ex vehementibus doloribus; nam vrinæ densæ, ac conturbatæ certum signum sunt doloris capitis, & conuulsionis, ac mortis.

Halicarnassensis, qui in domo Xanthippi diuersa-

batur,aurem hyeme dolebat,& caput non mediocriter. Erat autem annorum circiter quinquaginta. Vena secta est iuxta Mnesimachum: lęsum est caput euacuatum,ac perfrigeratum: non enim facta est suppuratio. Phreniticus factus est,& mortuus. Vrinæ erant & huic densæ.

55 In Cardia Metrodori filio ex dentium dolore corruptio maxillæ,& gingiuarũ vehemens carnis excrescentia,mediocriter suppuratio facta est, exciderunt dentes molares,& maxilla.

Anaxenor in Abderis,erat quidem splenicus, & vitiati coloris. Contigit autem ipsi, vt tumor circa femur sinistrum obortus derepente euanescret. Nõ multis verò postea diebus oborta est ipsi circa splenem,velut pustula nocturna ab initio,insuperque tumor,ac rubor durus. Post diem quartũ febris ardens oborta est,& liuefacta sunt omnia circũcirca, & putrida videbantur: mortuus est. Verùm prius subpurgatus est,& intelligentiam habebat. Clonicus in Abderis,erat quidem nephriticus, mingebat autem sanguinem paulatim plerunq; difficulter. Vexabat etiã aluus dysenterica. Huic mane quidem dabatur lac caprinum,& aquæ quinqua pars,ita vt ex ambobus cõpositum totum essent heminæ tres: ad vesperam autem,panis valde assatus,obsonia, beta, aut cucumis, vinum nigrum tenue. Dabatur etiam cucumis pepo. Hac verò victus ratione quum vteretur;& aluus substitit,& vrinæ puræ prodibant. Bibit autem lac,donec vrinæ restitutæ sunt.

56 Mulieri in Abderis carcinoma factũ est circa pectus,erat autem tale: per papillam sanies subcruenta fluebat,intercepta autem fluxione mortua est.

Dinij filio in Abderis,vmbilicum mediocriter sauciato,fistula parua relicta est,& quandoq; etiam lumbricus per seipsum satis crassus penetrauit: & quum febriret,vomebat bilios a: quandoque verò & hæc ipsa per fistulam prodibãt. Allapsum est & intestinum ipsi ad fistulam,& velut fistula corrodebatur, & rursus refringebatur; & tusses permanere prohibebant.

Pythonis filio in Pela,febris statim incepit multa: & in somnum collapsio: & cùm vocis interceptione somni fiebant,& aluus dura per omne tempus. At glande ex felle subdita,multa egerebat,& statim remittebat. Verùm breui aluus rursus eleuabatur,& febris exacerbabatur, & collapsio in somnum per eadẽm. Quum autem idem ductus esset;datum est medicamentum quoddam ex his,quæ cnico,& cucumere sylvestri,& peplo constant: & bilios a egestio erupit,& statim sopor sedatus est,& febris mitigabatur & omnia leuiora facta sunt, & iudicatus est die decimaquarta.

57 Eudemus splenẽ vehementer dolebat. imperarũt ipsi medici,vt multum ederet,& vinum biberet modicum,tenue,& multum deambularet: non mutatũ est quicquam. Vena secta est,cibos,ac potus parce sumpsit: deambulationes fecit,sensim augmento facto. Vinum bibit nigrum tenue: sanatus est.

Philistidi Heraclidæ vxori cœpit febris acuta, rubor faciei, ex nulla manifesta causa: paulò post in die rigorem habuit: quum non recalescceret. conuulsio facta est in digitis manuum ac pestum, paulò pòst recalefacta est: minxit vrinas compactis quibusdam innatantibs,nuberculosas,diuulsas: noctem dormiuit. Secunda die rursus riguit,paulò magis calefacta est, & rubor minor, & conuulsiones fiebat moderatiores. Vrinæ consimiles: noctem dormiuit, parum vigilauit; quum nulla molestia premeretur. Tertia die minxit coloratiora,modicam subsidentiam habẽtia;eadem hora rigor apprehendit. Febris acuta,sudor ad noctem per totum corpus. Verùm vesperi color ad morbi regij modũ permutatus est, noctu dormiuit,ac per totum corpus sudauit. Quarta sanguis ex sinistra nare probè fluxit,& menses pauci comparuerunt ordinatè. Rursus autem eadem hora febris exacerbata est. Vrinæ compactis quibusdam innatantibus paucæ. Aluus natura quidem dura,verùm multo magis substit, neque quicquam prodibat; si non glandem subdidissent. noctem dormiuit. Quinta,febris mitior: & ad vesperam per totum corpus sudabat,menses prodierunt,& noctem dormiuit. Sexta minxit aceruatam multam vrinam, compactis quibusdam innatantibus,modicam subsidentiam habentẽ concolorem. Circa meridiem verò parum rigore tenebatur: aliquantũ incaluit: sudauit per totum: noctem dormiuit. Septima parum calefacta est: facile tulit: sudauit per totum: vrinæ boni coloris. Iudicata sunt omnia.

58 Tychon in obsidione,circa Datum, ictus est catapulta in pectus, & paulò pòst risus erat circa ipsum tumultuosus. Videbatur autem mihi medicus eximens lignum, reliquisse ferrum in septo transuerso: & quum ipsi ita videretur,ad vesperam infusum per clysterem adhibuit, & pharmacũ deorsum purgans dedit. Noctem primam molestè transegit. Statim vẽrò vbi dies illuxisset,& medico, & alijs,melius habere videbatur;erat enim quietus. Prædictio facta est, quòd,vbi conuulsio fieret, nõ tarde moriturus esset. Sequentem noctem moleste ferens,insomnis,plerunque in ventrem decumbens. Tertia mane conuellebatur. Circa meridiem mortuus est.

Eunuchus ex venatione, & discursu hydropicus factus est. Quiddam circa Elealcis fontem ad sex annos habuit ex equitatione, inguinum tumorem, varices,& coxendicum dolores. Qui lateris mollitudine tabuit,septima die mortuus est. Præpotent crudi salsa cum melle. Scortatio turpis,dysenteriæ medela est.

Leonidæ filiæ natura concitata,auersa est: auersa in iram excãduit: ubi ira excanduit,reconciliam est. Medicus non intellexit: puella mortua est. Philotimi filius puber uenit ad me in Iechina, caluariæ os habens medicina destitutum: in quo uidebam ocultus ratiocinatinoes non esse constantes.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Victus ratione in morbis acutis.

Argumentum in Librum sequentem.

1 Præfato. Aegrotantium historias, & affectiones, à quo vis etiam qui medicus non sit, conscribi posse.
2 De victus ratione veterum nihil memorabile existere. Singulorum morborum numeros enumeraxe cur difficile. Morborum acutorum cognitio, præ alijs insigniter laudatur in medico.
3 Acuti morbi qui. A morbis sparsis & non similibus plures mori, quàm ab alijs omnibus.
4 Ab imperitis medicis scitu commodissima fuisse ignorata.
5 Medicina vaticinationi cur similis. Præsagiorum præstantia. Ptisanã merito omnibus frumentaceis, in morbis acutis esse præferendam. Ptisana quatenus vtendum.
6 Potionis, seu sorbitionis ptisanæ quantitas. Iudicationis celeritas vnde.
7 Pleuriticorum iudicatio, & purgatio. Ptisanæ quod hordeum aptum, & cur deglutientes non lædat. Ptisanæ sorbitio quatenus, & qua ratione lædat.
8 Cur à veteribus syderati vocati sint. Pleuritici anhelosi.
9 Ptisanæ sorbitio, quibus inhibenda, & quatenus.
10 Ptisanæ sorbitionis exhibendæ tempus, & vtendi modus. Pedes frigidi.
11 Pleuritidi à principio calida conferunt. Fomenta in pleuritide humida, vel sicca.
12 Clauicularum dolores soluentia. Venæ sectio quatenus pleuritidem soluat, & quæ vena secanda. Pleuriticorum aluus quatenus, & quibus mollienda.
13 Veratri nigri facultas. Peplij facultas. Ptisana in media purgatione non danda, & à purgatione etiam non nisi exigua copia. Ptisanæ sorbitio ab initio statim exhibenda.
14 Medicorum circa ptisanæ potum error. Mutationum incommodarum in ptisana, & succo vtentibus, mala. Victus ratio in sanis exploranda.
15 Victus cibi, & potus sibi ipsi semper similis, semper est securior. Victus mutationes repentinæ, noxiæ, ac morbi ferè. Bis in die cibum assumentes, nec assueti, qua ratione lædantur, & quomodo curandi.
16 Bis in die cibum assumere assueti nec pransi, quibus affectionibus obnoxij.
17 Vasa derepente euacuata, quomodo replenda. Bilioſi supernis partibus famem minus tolerant: pituitosi, contrà. Magnæ circa habitus, ac naturas nostras mutationes, maximè morbos faciunt.
18 Cibos facile qui ferant. Mazæ præter consuetudinem ingestę incommodæ. Panis calidus sitim, & repletionẽ repentinam inducit. Aquę & vini potus permutati incommoda.
19 Vini albi & nigri permutatio. Additio noxia magis, detractio noxia minus.
20 Sorbitiones quatenus primis diebus in morbis acutis dandæ. Vasa in morborum principijs non vacuanda.
21 Medicorum ignorantia.
22 Labij inferioris concussio. Cibi aut potus perperam oblata, medici arguunt ignorantiam. Vasorum vacuationem cognoscere, ridiculum, ac damnosum.
23 Mutationes repentinas, quæ circa corpus fiunt, ijs quæ circa diætã non esse absimiles. Otij nimij, ac laborum repentinorum incommoda. Lectus durior ac mollior. Vlcus in tibia.
24 Multiplex in ventre læsio. Mutationes repentinæ ex multa quiete ad ampliorem laborem, magis lædunt, quàm cõtra. Sorbitionibus quando vtendum. Vigilia fortis. Vini differentiæ, aquæ mulsæ, & aceti mulsi, quomodo constituendę.
25 Vini dulcis facultas, & quibus commodum. Vinum dulce magis educit sputum, quam vinosum. Album vinosum. Notæ de vini vtilitate, ac detrimento, ante Hippocratem ignoratæ. Vinum fuluum, ac nigrum. Vinum aquosum. Vinum meracius.
26 Aqua mulsa quibus in morbis acutis conueniat. Aquę mulsæ facultates. Aquæ mulsæ aquosæ facultates. Aquæ mulsæ meracæ facultates. Aquæ mulsæ commoda.
27 Aqua mulsa cur putetur debilitare, & mortem accelerare. Mel sumptum, duplo vino meraco fortius. Ptisanæ sorbitio, & aquæ mulsæ potus flatus excitat. Aquæ mulsæ crudæ, & coctæ differentiæ.
28 Acetum mulsum, valde acre, & parum acre. Aceti mulsi exhibendi tempus, ac modus.
29 Intestini exasperatio quibus ab aceto mulso. Aceti acrimonia, quibus potissimum conueniat. Acetum cur mulieribus magis aduersatur.
30 Aquæ potus in morbis acutis. Aquæ potus quatenus sputum educat: & quibus potissimum noxius, & qua ratione. Item quibus morbis conueniat.
31 Balneorum in morbis acutis vsus, & eorum vtendi modus.
32 Caput quomodo in balneis haberi debeat. Consuetudinis balneo vtentibus habenda ratio. Balneum cur peripneumonicis aptissimum. Balneum quibus incommodum. Lauare quibus incommodum.
33 Lauandi semel, & qui bis. Balneis quos magis deceat vti.
34 Febris ardentis causſa, & generatio. Signa. Lingua, Alui egestiones, Vigiliæ, Mentis motiones. Febrium ardentium purgationes. Signa quibus soluitur.
35 Febris ardentis aliud genus. Iudicationis signa. Venæ sectio quando in morbis acutis conueniat. Anginæ curatio. Ex sanguis detractione debiliores per clysteres reficiendi.
36 Præcordia inflammata. Medicamenta purgantia, quando his noxia.
37 Vocis repentina priuatio, curatio, signa.
38 Morbi comitiales, & semisyderati. Venæ sectio quando purgationibus præmittenda.
39 Anginæ generatio, & curatio.
40 Fluxio calida, ac nitrosa æstiuo, vel autumnali tempore.

Arteriæ vlceratio, & pulmonis ardor.

41 *Febris, à stercore non subeunte, aut à cibo recenti, cum lateris dolore, &c. Lumborum grauitas. Flatus graueolentes.*

42 *Febris ventre molli, ac vacuo. Pedes frigidi quid significēt. Pedes febre desinente calent sorbitiones in febribus, quando dandæ.*

43 *Aluus in febribus perpetuo liquida & mens perturbata in febribus.*

44 *Vertigines & capitis pulsus, a febrium initio. Vrinæ nebulosæ, & crassæ ab initio. Venues. Vrinæ concoctionem quæ impediant. Sorbitiones prope iudicationes, quatenus dandæ.*

45 *Febrium iudicationes. Febres quæ longæ. Febres anxiosæ, & & præcordia intenta. Vrinæ curationem indicant.*

46 *Vrinæ crassiores, pallidiores: tenuiores, nigriores. Febres inconstantes. Numerus impar in ægrotis cur verendus. Morborum prima principia diligentes obseruanda.*

47 *In ægrorum congressu quæ obseruanda. Præcordiorum affectus.*

48 *Alui egestio nigra, sani hominis egestioni similis. Delyrij signa. Manus tremulæ. Conuulsio in febre hyberna, lingua aspera, & animi deliquium.*

49 *In febribus horrendum quid quinta die: aluus repente liquida. Singultus. Vocis priuatio. animi deliquium. Conuulsio. Crura in febribus tuberculosa.*

50 *Noctes plus, quàm dies delyrij significationem præbent. Vocis in febre decimaquarta die interceptio. Lingua in febre conturbata loquens.*

51 *Sanguinis destillatio repentina, æstiuo, ac autumnali tempore. Febris singultuosa.*

52 *Peripneumonicæ ac pleuriticæ affectiones, & earum curationes.*

53 *Sputa matura & vrinæ maturæ. Peripneumonia in vigore auxilium non admittit: & eius curatio.*

54 *Dysenteria. Morbus regius quando febres biliosas soluat.*

55 *Tetanus, & eius curatio.*

56 *Morbi per quæ soluantur. Veratrum quibus dandum. Abscessu aut venæ ruptura laboranti, veratrum noxium. Veratrum quibus dandum.*

57 *Dolores ex itinere contracti. Morbi ex victus ratione. Ventris tumor à cibo copiosiore.*

58 *Potus aquosi. Potus meraciores, & austeriores. Ieiunium capitis dolori, & crapulæ malum. Semel in die cibum sumentes.*

59 *De alimentorum facultatibus. Allium. Caseus. Legumina. Cicer. Lens. Lupinus. Silphium. Choleræ siccæ generatio.*

60 *Carnes bubulæ, Caprinæ, Porcinæ, Suillæ.*

61 *Choleræ siccæ curatio.*

62 *Hydropicorum duæ naturæ. Quando his sanguis detrahendas. Venter infernus calidus, & egestiones acres, ac inæquales.*

63 *Tormina sine febre in hydrope. Circa victus rationem morborum intentiones, ac remissiones febrium obseruandæ.*

64 *Medicamentis qui non sint purgandi.*

65 *Sanguis aluo fluida non detrahendus. Per veratrum sursum purgari tutius. Affectio supra septum transuersum, & infra.*

66 *Hydropici potio. Sanguinem sistens medicamentum. Sesamoidis potionis descriptio. Trichiasis quid, eiusque remedia.*

67 *Hæmorrhoidarum curatio.*

68 *Suppuratorum curatio. Ad oculos.*

69 *Ad oculorum dolores. Hydropicis. Stercorā per aluum expellentia. Puerorum excrementum primum.*

1 QVi Cnidias appellatas sententias cō scripserunt, rectè quidem scripserunt ea quæ patiuntur ægroti in singulis morbis, & quomodo quædam ipsorum euenerunt: & hactenus quidem etiam qui medicus nō sit, rectè conscribere possit, si probè ex singulis ægrotis quæ patiuntur didicisset: quæ verò medicum ante discere oportet, ægroto non referente, horum pleraq; omissa sunt, alia in alijs, & quędam valde commoda ad coniecturam. Quum autem ad coniecturam dicatur, quo modo singula curare oporteat; in his multa aliter sentio, quàm velut illi prodiderunt. Et non solum ob hoc non laudo; verum quòd etiam paucis numero vsi sunt medicamentis; nam exceptis morbis acutis, plurima ab ipsis relata sunt pharmaca aluum deorsum purgantia exhibēda, & serum ac lac pro tempore. Si quidem igitur hęc bona essent, & morbis conuenientia, in quibus exhibenda esse monuerunt; longè magis laudanda essent, eo quòd quum pauca sint sufficiunt. Nunc verò res nō ita habet. Qui tamen postea eam tractationem repetiuerunt magis sanè medico modo, de his quæ singulis exhibenda sunt transegerunt.

2 At neque veteres quicquam memorabile de victus ratione conscripserunt, & quamquam magna hæc res sit, eą omiserunt; attamen multos in singulis morbis modos, multiplicemque ipsorum diuisionem nō ignorarūt aliqui. Cæterum numeros singulorū morborum clare pronunciare volentes, non recte scripserunt. Non enim facile sit enumerare, si ex eo quis ægrotantium morbum æstimet, quòd alter ab altero aliqua re differt: & ideo non putet eundem morbum esse, si non idem nomen habeat. Mihi verò placet, vt in vniuersa arte metam adhibeamus; nam quæcunq; opera bene, ac recte tractat, ea singula bene, ac recte facere oportet; & quæ cito, cito: & quæ pure, pure: & quæ citra dolorem tractare oportet, ita faceret vt quam minimus dolor sentiatur: & alia omnia eiusmodi insigniter præ alijs ad meliorem modum transigere oportet. Maxime verò laudauerim medicum, qui in acutis morbis, qui plurimos homines occidūt, prę alijs insigniter ad meliorem partem excellat.

3 Sunt autem hi acuti, quos veteres nominauerunt pleuritidem, peripneumoniam, phrenitidem, & febrem ardentem, & alij morbi, qui ex his hærent, quorum febres omnino continuę sunt, & occidūt; quum enim non pestilentis morbi modus quis communis grassatus fuerit, sed sparsi fuerint morbi, & nō similes; ab his morbis plures moriuntur, quàm ab alijs omnibus. Idiotæ igitur non valde cognoscunt eos, qui in his, alijs præstant; aliarumque curationum magis aut laudatores, aut vituperatores existunt. Et profecto magnum signum hoc est, quòd populares minime de his morbis intelligentiam habeant, veluti quos studio consequi oportet; nam qui medici non sunt, medici esse videntur, maxime propter hos morbos; facile est enim nomina edisscere, quæ proferri solēt apud ægros his morbis affectos: si enim quis ptisanæ

sanæ succum nominarit, & vinum tale, aut tale, aut etiam aquam mulsam, omnia hæc eadem plebeis hominibus,& meliores, & deteriores medici dicere videntur. At res hæc non ita se habet;sed in his sanè vel maxime alij ab alijs differunt.

4 Videntur autem mihi digna esse, quæ scribantur, maxime hæc,quæ ignorantur à medicis,maxime scitu commoda, & quæ magnas vtilitates, aut magna detrimenta afferunt. Quæ itaque ignorantur, hęc sunt. Cur nam in acutis morbis aliqui medici omne æuum terunt,ptisanas non colatas exhibentes, & recte se medicari putant? Aliqui verò plurimi faciunt, vt nullum ordeum æger deuoret: (magnũ enim detrimentum afferre arbitrantur) verùm per linteum excolantes succum exhibent. Quidam verò ipsorum neque ptisanam crassam dederunt,neque succum:atque hi partim donec ad septimum diem æger perueniat, partim verò perpetuo, donec iudicatus fuerit morbus. Sanè huiusmodi quæstiones ne proponere quidem medici consueuerunt, fortassis autem neque si proponantur, comperiantur. Proinde calumniam incurrit tota ars apud vulgus adeò magnam, vt neque omnino medicinam esse putent: nam in acutis morbis intantum inter se differunt artifices, vt quæ alter exhibet optima esse putans,ea alter iam mala esse existimet.

5 Et ferè ob id artem vaticinationi similem esse vixerint: quia vates eandem auem,si sinistra appareat: bonam esse ducunt: si dextera;malam. Et in aruspicina talia sunt,alia in alijs. Verùm aliqui vates contraria his dicunt. Assero autem hanc speculationem pulcherrimam esse, & cognatam plurimis, ac maxime commodis in arte: nam ægrotantibus omnibus plurimum ad sanitatem confert, & sanis ad securitatem,& his,qui se exercent, ad bonum habitum,& ad quod quisque voluerit. Ptisana igitur recte omnibus frumentacei edulijs prælata esse videtur, in morbis acutis:& laudo sanè eos,qui ipsam prætulerunt:nam viscositas ipsius leuis est, & continua, & iucunda, & lubrica,& moderate humida, & sitim eximit,& facile eluitur;si forte & hoc opus sit: & neque adstrictionem habet,neque malam turbationem,neque in ventre intumescit: intumuit enim in coctura quàmmaxime tumefieri solet. Quicunque igitur ptisana in hisce morbis vtuntur,nulla die vasa vacua fieri permittant,vt ita dicam;sed vtantur,& non intermittant, si non aut ob medicamenti, aut infusi per clysterem vsum,intermittere oporteat. Et qui quidem his in die capere soliti sunt,eis his danda est:qui verò semel edere consueuerunt,his semel primo die danda est. Verùm sensim progressu facto, si fieri poterit, etiam his bis detur;si sanè opus habere visum fuerit. At verò copia sufficit ab initio dare non multa, neque minus crassam: sed vt consuetudinis gratia quid ingeratur, & vt ne multa vasorum vacuatio fiat.

6 Cæterùm quod ad augmentum copiæ sorbitionis attinet,si quidẽ siccior fuerit morbus,quàm quis putarit; non ita magna copia dare oportet, sed ante sorbitionem,aut aquam mulsam, aut vinum præbendum exhibere, vtrum ex his conuenientius fuerit. Vtrum verò conueniat,in singulis modis referetur. Si verò os humectetur, & à pulmone prodeuntia, qualia oportet fuerint; sorbitionis copiam. vt in summa dicam,augere oportet:quæ enim citius,& magis humectantur,celeritatem iudicationis significant. Quæ verò tardius,& minus,tardiorem iudicationem significant. Et hæc quidem per se talia omnino existunt. Verùm multa quoque alia commoda omittuntur, ex quibus coniecturas facere oportet, quæ postea referentur:& quãto copiosior purgatio fuerit,tanto plus dare oportet,vsq; ad iudicationem, maxime duobus à iudicatione diebus, quibus sanè quinta, aut septima,aut nona iudicare videtur,ita vt etiam parium,ac imparium dierum rationem habeas. Postea verò sorbitione quidem mane vtendum est: vespere verò ad cibos transeundum. Conueniunt autem talia vt plurimùm his,qui statim tota ptisana vtuntur.

7 Nam & dolores in pleuriticis statim sua sponte cessant, vbi memorabile quid spuere ac ex purgari cœperint: & purgationes longe perfectiores sunt, & minus suppurati fiunt,quàm si quis aliter victum supeditet: & iudicationes simpliciores,& melius iudicantes,& minus reuertẽs. Ptisanam porrò ex optimo ordeo factam esse oportet, & quàmoptime coctam,& præsertim si non solo succo vti velis: nam vnà cum reliqua ptisanæ virtute, lubricitas facit, vt ordeum dum deglutitur non lædat:nusquam enim adhæret, neque secundum thoracis rectitudinem morã trahit. Lubricissima autem est,& maxime sitim eximit,& facillime concoquitur, & debilissima est: quæ optime cocta est,quibus omnibus opus est. Si quidem igitur non opem tulerit quis quantum opus est,vt sufficiens sit eiusmodi ptisanæ sorbitionis modus,multis modis lædetur: etenim verbi causa,quibus cibus intus concluſus est,si quis non facta deorsum euacuatione, sorbitionem dederit; dolorem si adest amplius exacerbauerit: & si non adest; statim induxerit,& spiritus densior fiet. Hoc verò malum est: pulmonem enim resiccat,& præcordium,& pectinem, ac septum trãsuersum dolore affligit. Quin etiam si lateris dolor assiduus est,& ad calefactoria non remittit, & sputum nõ prodit,sed citra putrefactionem,ac concoctionem valde viscosum fit, si non soluerit quis dolorem, aut ventre mollito,aut vena secta;vtrum tandem horum conducet: ptisanam autem ita habentibus dederit, cita mors talium continget. Propter has igitur causas, & alias huiusmodi adhuc magis, qui tota ptisana vtuntur,septima die,& citius moriũtur,partim mente læsi, partim ab erectæ ceruicis spiratione, & stertore suffocati.

8 Tales verò veteres sydere ictos esse putauerunt, ob hoc quidem maxime, non minus autem, quod & mortuis ipsis latus liuidum reperitur, vt simile quid plagæ appareat. Causa verò huius est, quòd prius, quàm dolor soluatur, moriuntur: cito enim anheloſi fiunt. Præ multo autem, ac denso spiritu, velut iam dictum est, valde viscosum citra cõcoctionem fit sputum,& egressum fieri prohibet. Imò stertorem inducit,chartilaginosis pulmonis arteriarũ partibus bronchijs appellatis impactum, &, vbi ad hoc deuenerit; lethale iam plerunque existit: nam & ipsum sputum impactum,prohibet quidem spiritum intro ferri,cogit autem cito extra ferri. Atque sic mutuam opem ad malum inter se conferunt, dum & sputum impactum,densum spiritum facit: & hic quum densus sit, sputum insuper viscosum facit,& lubricum fieri, ac elabi impedit. Occupant autem hæc, non solum si ptisana intempestiuè vtantur: verùm multo magis,si

quid

quid aliud ederint, aut biberint, quod minus, quàm ptisana idoneum sit: proinde plerunque consimilia sunt auxilia, & his, qui tota ptisana vtũtur, & his, qui succo ipsius: his verò, qui neutro horum, sed solo portu, quandoque etiam diuersimode auxiliari oportet.

9 At verò hoc modo omnino facere oportet. Si cui à cibo recens accepto, & aluo nondum subeuacuata, febris incepit, siue cum dolore, siue sine dolore; inhibenda est sorbitionis exhibitio, donec putarit cibum ad infernam intestini partem secessisse. Vtendum autem est potu aceti mulsi, si dolor affuerit, hyeme quidem calidi, æstate verò frigidi. Si verò multa fuerit sitis; etiam aqua mulsa, & aqua. Postea verò si dolor aliquis affuerit, aut periculosi aliquid apparuerit; dãda est sorbitio neque multa, neque crassa: atque hæc post septimum, aut nonum diem, si validus æger fuerit. Si verò non subijt vetustior cibus ei, qui recens cibum accepit, si quidem validus sit, & ætate vigeat; infusum per clysterem adhibendum est. Si verò debilior fuerit; glande vtendum est, si non sua spõte probe prodierit.

10 Tempus porrò exhibendæ sorbitionis hoc maxime obseruare ab initio, & per omnem morbum oportet. Quum quidem pedes frigidi fuerint; inhibere oportet sorbitionis exhibitionem. Maxime vero & à potu abstinendum est. Vbi verò calor descenderit ad pedes; tunc exhibere conuenit, & putare in omnibus morbis, & non minime in acutis, & maxime in his, qui magis febriles, ac periculosissimi sunt, tempus hoc magnam vim habere. Vtendum est autem primùm quidem maxime succo: deinde verò ptisana, iuxta prædictas coniecturas diligenti facta consideratione. Cæterùm pleuritis, hoc est, dolor lateris, siue ab initio fiat, siue postea, calefactorijs quidem primum non alienum est tentare dissoluere.

11 Ex calefactoriis verò optima est aqua calida in vtre, aut in vesica, aut in vase æneo, aut testaceo admota. Verùm molle quid antea ad latus supponere oportet, lenitatis ergo. Commodè etiam spongia, mollis, magna, ex aqua calida expressa apponitur. Contegere verò stragulis ipsum fomentum oportet: nam & ampliore tempore sic sufficiet, & durabit, & simul vt ne vapor ad ægrotantis spiritum afferatur: nisi fortassis & hoc ad aliquid commodum esse visum fuerit: aliquando enim ad aliquid commodat. Insuper autem & ordeum, & eruum, in aceto diluto, ita vt paulò acidius sit, quàm vt quis bibere possit, dissoluta, ac feruefacta, & in marsupia coniecta, apponere oportet: & furfur eodem modo. Siccum autem fomentum præbent sal, & milium torrefactum, in laneis sacculis conuenientissimum: nam & leue, & lene est milium.

12 Soluit autem huiusmodi mollitorium fomentum etiam dolores ad clauiculam pertingentes. Sectio autem venæ non similiter soluit dolorem; si non ad clauiculam pertingat dolor. Quòd, si ad calefactoria dolor non soluatur; nõ multo tempore calefacere oportet: reficcat enim hoc pulmonem, & suppurationem facit. At, si quidem dolor ad clauiculam de se significationem præbeat, aut grauitas ad brachium, aut circa mammam, aut supra septum transuersum; venam secare prodest in cubiti flexura internam, & non cunctari copiosum sanguinem detrahere; donec multo rubicundior fluxerit, aut pro puro, & rubicundo liuidus: vtrunque enim contingit. Si verò sub septo trãsuerso fuerit dolor, ad clauiculam autem de se significationem non præbeat; aluum mollire oportet, aut veratro nigro, aut peplio, ita vt veratro quidem daucum, aut seseli, aut cuminum, aut anisum, aut aliud quid ex odoratis ammisceas, peplio verò silphij succum. Sed & hæc inter se si misceantur, consimilis modi existunt.

13 Ducit autem nigrum veratrum melius, & ad iudicationem commodius, quàm peplium. Peplium verò flatus magis erumpere facit. Ambo autẽ hęc dolorem sedant. Sedant item alia multa aluum subducentia medicamenta. Verùm hæc inter ea, quæ ego noui, optima sunt. Alioqui & ea, quæ in sorbitionibus exhibentur aluum subducentia medicamenta, opitulantur, quæcunque non valde iniucũda sunt, aut ob amaritudinem, aut propter aliam quandam iniucunditatem, aut ob copiam, aut colorem, aut aliquam suspicionem. Ptisanam tamen statim insuper sorbendam dare oportet, postquam medicamentum bibit; non memorabili copia pauciorẽ, quàm quanta sumere adsuetus est: nam & rationi consentaneum est in media purgatione sorbendam non dare. Quum autem cessauerit purgatio; tunc minus sorbeat de ea, quàm adsuetus est. Postea verò reducat semper ad maiorem copiam; si & dolor sedatus fuerit, & nihil aliud aduersetur. Idem mihi sermo est; si etiam ptisanæ succo vti opus fuerit: melius enim esse assero, statim omnino incipere sorbere, quàm præeuacuatis nam vasis sorbere auspicari, aut tertia, aut quarta, aut quinta, aut sexta, aut septima die; si sanè non iudicatus fuerit morbus ante hoc tempus. Præparationes autem & his cõsimiles faciendæ sunt, quales dictæ sunt. De sorbitionis igitur exhibitione ita sentio. Sed & de potu, qualemcunque tandem quis ex describendis sumpturus est, eadem mihi penitus sermonis ratio est.

14 Noui autem etiam medicos maxime contraria facere his quæ fieri oportebat: omnes enim volunt, vbi sub morborum initia homines fame præmacerarunt; duobus, aut tribus, aut etiam pluribus diebus, sic sorbitiones exhibere, itemq; potus: & fortassis etiam par ipsis esse videtur, vt magna corpori mutatione contingente; etiam magnum quid valde contra obijciãtur: verùm mutare quidem non parum, bene habet. Recte tamen mutatio transferenda est, & ex mutatione adhuc magis exhibitio eorum, quæ per os sumuntur. Maxime igitur lædi poterint, si non recte mutationem fecerint, hi qui tota ptisana vtuntur. Poterint etiam lædi qui solo succo vtuntur, lædi quoque possunt qui solo potu vtuntur: minime verò hi. Oportet autem & in sanorum adhuc hominum victu addiscere, quæ conferunt: si enim sanis tales, aut tales victus multũ differre videntur, tum in alijs quibusdam, tum in mutationibus, quomodo non etiam in morbis multum differant, & maxime in acutis?

15 Atqui facile est hoc addiscere, quòd simplex victus cibi, ac potus, ipse sibijpsi semper similis, securior omnino est ad sanitatẽ, quàm si quis derepẽte ad alium meliorem, magnam mutationem faciat. Nam & his qui bis in die cibum sumunt, & his qui semel, repentinæ mutationes noxas ac ægritudines inducunt: & eos sanè qui prandere non adsueti sunt, si pransi fuerint, statim infirmos facit hoc, & toto corpore graues, & debiles, & pigros. Si verò etiam insuper

per cœnauerint,acidum ructantes. Quibuſdam verò etiam alui liquida egeſtio oboritur,quum prẽter cõſuetudinem ventriculus grauetur,ſolitus reſiccari,& non bis intumeſcere,neque bis cibos coquere. Auxiliatur igitur his,mutationem rurſus adæquare: dormire enim oportet velut nocte reducta poſt cœnam, hyeme quidem abſque frigore, æſtate verò, abſq; calore.Si verò dormire non queat, vbi multam lentam deambulationem nõ ſtando oberrauit, nihil cœnet, aut pauca,eaq; innoxia:inſuperq; minus bibat,& purum non aquoſum. Talis autem adhuc magis affligetur,ſi ter in die ad ſatietatem cibum acceperit, & adhuc magis ſi ſæpius. Quanquam ſanè multi ſint,qui facile ferunt, ſi ter in die cibum copioſe accipiant, qui ita ſunt adſueti.

16 Quin & hi qui bis in die cibum capere ſoliti ſunt, ſi pranſi non fuerint,debiles,& infirmi ſunt,& ad omne opus timidi,& ventriculi oſculum dolent. Viſcera enim pendere ipſis videntur: & calidum ac cum virore pallidam vrinam mingunt, & alui egeſtio comburitur. Quibuſdam etiam os amareſcit,& oculi caui fiunt, & tempora palpitant, & extremæ partes perfrigerantur. Et pleriq; ex his qui pranſi non ſunt,cœnam edere non poſſunt: ſi verò cœnam ſumpſerint, ventriculum grauant, & multo magis ægrè in lecto degunt,quàm ſi etiam pranſi fuiſſent. Quum igitur talia hæc ſanis fiant,ob victus dimidiæ diei mutationem præter conſuetudinem; apparet neque apponere,neq; detrahere commodum eſſe. Eum igitur qui præter conſuetudinem ſemel in die cibum accepit,ſi vbi tota die vaſa vacua fecit, quantum conſueuit cœnauerit, veriſimile eſt, ſi tunc quum impranſus eſſet doluit ac ægrotauit,& vbi cœnauit grauis fuit, multo magis grauari. Si verò etiam longiore tempore euacuatis vaſis, poſtea derepente cœnauerit, adhuc magis grauabitur.

17 Qui igitur præter conſuetudinem vaſa vacua fecit,ei hanc diem rurſus adæquare ſic conducit abſq; frigore,& calore,atq; labore. Hæc enim omnia grauiter tulerit:& cœna multo minor exhibẽda eſt,quàm conſueuit,eaq; non ſicca,ſed modi humectioris:& poſtea bibat potum non aquoſum, neq; pauciorem quàm pro cibi ratione.Sed & poſtera die pauca prandeat,quo ſenſim progreſſu contingente ad conſuetudinem reuertatur. Qui tamen ſupernas partes amarabile infeſtantur,talia moleſtius ferunt. Pituitoſi autẽ ſupernis partibus,cibi præter morem abſtinentiã omnino facilius ferunt. Quare etiam ſemel in die cibum præter morem capere,facilius vtique ijdem tulerint. Sufficiens igitur & hoc ſignum eſt, quòd maximæ mutationes eorum quæ circa naturas noſtras ac habitus contingunt, maxime morbos faciunt. Non igitur licet intempeſtiue, neque vehementiſſimas vaſorum vacuationes facere neque vigentibus morbis,& inflammatione conſiſtentibus, cibos exhibere, neque licet derepente in tota re quicquam aut huc,aut illuc mutare.

18 Multa verò his cognata, ex his qui ventri contingunt,itemq; alia referre quis poſſit,ꝙ facile quidem ferunt cibos,quibus adſueti ſunt,etiamſi natura non ſint boni: ſimiliter etiam potus: ægrè autem ferunt cibos quibus adſueti non ſunt,etiamſi non ſint mali: ſimiliter etiam potus. Et quæ quidem multus carnis eſus præter conſuetudinem aſſumptus facit,aut alliũ, aut ſilphium,aut ſuccus ipſius,aut caulis,aut alia huiuſmodi magnas quaſdam peculiares vires habẽtia, minus admiretur quis vbi talia dolores ventriculis magis quàm alia inducunt. At iuſta fuerit admiratio, ſi didiceris quantam maza turbationem, & molem, & flatum,& tormen ventriculo inducat,ſi prẽter morem ingeſta fuerit, ab eo qui mazam edere non eſt ſolitus: aut qualem ſitim panis ipſe calidus ingeſtus inducat,& repentinam repletionem,ob ſiccãdi vim, & quòd tarde tranſit: & quàm diuerſas inter ſe affectiones faciant, & panes valde puri, & qui ex toto ſunt collati, præter conſuetudinem in cibo accepti, itemque maza ſicca præter morem, aut liquida, aut viſcoſa: & quale quid faciant polentæ recentes non adſuetis, & aliæ his qui recentibus vti adſueti ſunt: itemque vini & aquæ potus, præter morem derepente viciſſim permutatus, & aquoſum vinum, & meracum, præter conſuetudinem derepente potatum. Illud enim humiditatem in ſuperno ventre inducit,& flatum in inferno:hoc verò venarum palpitationem,& capitis grauitatem,ac ſitim.

19 Quin & album vinum,& nigrũ ſi quis prẽter conſuetudinem permutet, etiamſi ambo vinoſa fuerint, tamen multa in corpore alterarint, vt minus mirum eſſe quis dixerit, dulce & vinoſum vinum non idem poſſe,ſi derepente permutata fuerint. Porrò huiuſmodi aliquam partem ſermoni contrario patrocinari oportet: quòd mutatio victus his facta eſt, corpore nõ mutato, neq; ad robur,vt cibos apponere opus ſit,neq; ad debilitatem,vt detrahere oporteat. Inſuper autem & robur coniectandũ eſt, & morbi vniuſcuiuſq; modus,& hominis natura, & conſuetudo victus ægri, non ciborum ſolum, ſed etiam potuum. Multo autem minus ad additionem procedendũ eſt. Nam detractionem omnino tollere ſæpe conducit, vbi ſuffecturus eſt æger,donec morbi vigor matureſcat. In quibus autem hoc faciendum ſit, ſcribetur: multa verò etiam alia relatis cognata ſcribere quis poſſit. Hoc tamen melius teſtimoniũ eſt. Non enim cognatum eſt rei illi de qua plurimus à me ſermo habitus eſt, ſed ipſa res opportuniſſimum eſt documentum.

20 Nam ab acutorum morborum initio,aliqui quandoq; eadẽ die qua morbus incepit,cibos comederunt aliqui poſtridie: quidam etiam ſorbuerunt quicquid oblatum eſſet,quidã etiam cyceonem. Omnia autem hæc deteriora quidem ſunt, quam ſi quis alio modo victum inſtituiſſet: multo tamen minus detrimentum afferunt in hoc tẽpore peccata,quàm ſiquis primis duobus aut tribus diebus,penitus vaſa vacua feciſſet, & quarta aut quinta die, tali victu vſus eſſet. Deterius tamen eſt, ſi omnibus his diebus vaſis euacuatis, in poſterioribus diebus hoc modo victum inſtituat,prius quã concoctus, ac mortuus ſit morbus. Etenim hoc modo mortẽ plurimis manifeſte affert, ſi non omnino facilis fuerit morbus. Quę verò abinitio committuntur peccata,non ſimiliter, vt illa medelam omnem reſpuũt,ſed multo facilius correctionem admittunt. Hoc igitur maximum documẽtum eſſe arbitror,quod primi dies ſorbitione tali, vel tali non ſint priuandi, in his qui paulò poſtea talibus, aut talibus ſorbitionibus vſuri ſunt.

21 Funditus igitur ignorant,tũ hi qui granoſa ptiſana vtuntur,quod ab ipſa læduntur,quũ ſorbere incepe-

rint

perint,si duobus,aut tribus, aut pluribus diebus antea vasa euacuauerint: tum hi qui succo vtũtur,quòd sorbentes lædũtur, vbi non recte sorbitionem inceperunt. Tunc tamen cauent,& magnam noxam afferre cognoscunt, si priusquam mortuus factus fuerit morbus,granosam ptisanã sorbuerit æger, succo vti assuetus. Omnia igitur hæc magna testimonia sunt, quòd medici ægros non recte ad victum perducunt. Sed in quibus morbis vasa vacua facere non oportet, his qui sorbitionibus vti debent,vasa vacua faciunt. In quibus verò ex vasorum vacuatione, ad sorbitiones mutationem facere non oportet, in his mutationem faciunt,& hoc plerunque absolute. Aliquando verò in his temporibus mutationem ad sorbitiones faciunt ex vasum vacuatione, in quibus sæpe ex sorbitionibus ad vasorum vacuationem accedere expediebat,si ita morbum exacerbari contingat. Aliquando autem & cruda attrahuntur de capite, & à thoracis regione, biliosa, & vigiliosæ ipsis coincidunt, ob quas non coquitur morbus: & tristes ac amarulenti fiunt,& delyrant,& splẽdores ipsis ob oculos obuersantur,& aures sonitu plenæ sunt, & extremæ partes perfrigeratæ,& vrinæ incoctæ,& sputa tenuia,& salsa,& meraco colore tincta,ac pauca, & sudores circa collum,& anxietudines,& spiritus in latione sursum versus offendens, densus, aut etiam valde magnus, supercilia distenta ac grauata deliquia animi praua, & stragulorum de pectore reiectiones, & manus tremulæ.

22 Quandoq; verò labium infernum cõcutitur. Hæc autem in principijs comparentia, vehementis delyrij significationem prębent,& plerunq; ægri morisitur. Qui verò effugiunt,aut cum abscessu,aut cũ sanguinis è naribus fluxione,aut ex crassi puris sputo effugiunt: aliàs verò minime. Neque enim talium rerum peritos medicos esse video, quomodo debilitates in morbis dinoscere oporteat,& quæ ex vasorum vacuatione efficiuntur, & quæ propter aliam aliquã irritationem,& quę propter dolorem,& præ acumine morbi: itemque quot affectiones, & omnigenas species, natura nostra & habitus singulis pariat: & quidem quum talium cognitio,aut ignorantia, salutem aut mortem afferant. Maius enim malum est,si ob dolorẽ & morbi acumen debilitato, exhibet quis potum,aut sorbitionem copiosiorem, aut cibum, ob vasorum vacuationem debilem esse existimans. Indecorum etiam est ob vasorum vacuationem debilitatum non cognoscere,& victu premere. Affert equidem periculum aliquod & hoc peccatũ,verùm multo minus quàm alterum. Multo autem magis risu dignum hoc peccatum est quàm illud alterum. Si enim alius medicus, aut etiam idiota, ingressus cognouerit ea quæ contigerunt,& edenda ac bibenda dederit ea quæ alter prohibuit, palam auxilium tulisse putabitur. Talia verò faciunt,vt artifices maxime ab hominibus vituperentur. Videtur enim ipsis ille qui ingressus est medicus aut idiota,velut mortuum suscitasse. Scribentur autem de his quoque signa,ex quibus singula dinoscere oportet.

23 Consimilia tamen illis quæ circa ventrem contingunt,& hæc sunt. Nam si totum corpus præter consuetudinem multum quiescat,nõ statim magis robustum fit. Si verò etiam vbi multo tempore quieuit, derepente ad labores prodierit, vitiosum quiddam palàm operabitur. Ad eundem modum etiã singulæ corporis partes. Nam & pedes tale quiddam operabuntur,& alij articuli laborare nõ adsueti,si interposito tempore derepente ad laborandum prodeant. Eadem etiam oculi & dentes perpetientur, & quæcunque tandem pars. Nam & lectus præter morem mollis dolorem inducit,itemq; prẽter consuetudinẽ durus. Sed & si sub dio lectus præter morem sternatur,corpus indurat. Quin & talium omnium exẽpla scribere satius fuerit. Si quis enim accepto vlcere in tibia,neque valde periculoso,neq; adeò contemnendo,ita vt neq; ipsi ita difficulter,aut adeò facile vlcera sanescant, statim prima ab initio die decũbens curetur,& nequaquam crus eleuet: hic sanè hoc modo citra inflammationẽ fuerit, & sanus multo citius fiet,quàm si obambulans curetur. Attamen si quinta aut sexta die, aut etiam prius surrexerit, & progredi voluerit,magis vtique affligetur,ac dolebit,quàm si statim ab initio obambulans curans esset. Si verò etiam multum derepente se fatigauerit,multo magis dolebit, quàm si illo modo curatus,in illis diebus ita se fatigasset. Perpetuò igitur hæc omnia inter se testimonium prębent,quòd omnia quę derepente multum supra modum huc & illuc mutantur, lædunt.

24 Multiplex igitur in ventre lęsio est,si ex multa vasorum vacuatione,plus moderato derepente ingeratur. Quin & reliquo corpore, si ex multa quiete, ad ampliorem laborem derepente deueniat, multo magis lædetur, quàm si ex multo cibo ad vasorum vacuationem transmutetur,& si ex multo labore derepente ad ocium ac segnitiem exciderit. Oportet tamen & his corpus quiescere. Oportet item illis ventrem à ciborum copia quiescere. Sin minus,& dolorem in corpore inducet, & totius corporis grauitatem. Plurimus itaq; sermo de mutatione huc atq; illuc à me habitus est,eo quòd hæc nosse ad omnia cõmodum sit, & ad hoc præsertim de quo nobis sermo erat,quòd in acutis morbis ad sorbitiones mutationẽ faciunt ex vasorum vacuatione. Facienda enim est mutatio velut ego iam iubeo. Deinde non est vtendum sorbitionibus priusquam morbus maturus factus fuerit, aut aliud quoddam signum apparuerit, vel vacuationem,vel irritatorium,circa intestinum, aut circa præcordia qualia scribentur signa. Vigilia fortis, potus & cibos crudos & inconcoctiores facit. Et rursus in contrariam partẽ mutatio,dissoluit corpus, & excoctionem ac capitis grauitatem inducit.

25 Vinum porrò dulce, & vinosum, & album, ac nigrum, & aquam mulsam & aquam, & acetum mulsum, his noctis distinguere oportet in morbis acutis. Vinum dulce minus caput grauat,quàm vinosum,& minus mẽtem ferit,& magis quàm alterũ per aluum & intestinum subit. Viscera verò magna facit splenẽ & hepar. Quare neque his qui amarabile abundant commodum est. Nam & siticulosum in talibus est, & flatuosum in superno intestino: non tamen inferno intestino inimicum pro flatus ratione, & quidẽ quũ non valde penetret flatus à vino dulci,sed circa præcordia moretur. Certè per vrinam hoc minus exit omnino quàm vinosum album. Sputum verò magis educit dulce quàm alterum: & quibus quidem siticulosum est dum bibitur, his minus quàm alterum vinũ educit. Quibus verò siticulosum nõ est, his magis q̃ alterum educit. At verò album vinosum vinum, plu-

rima

tima ac maxima ex parte iam & laudatum & vituperatum est, indulcis vini enarratione. Ad vesicam autem magis penetrat quàm alterum: & quum vrinam cieat, ac semper perrumpat, multum in his morbis profuerit. Nam etsi ad alia incommodius sit altero, attamen quæ in vesica fit ab ipso purgatio, liberat si quale oportet propellatur. Bonæ verò hæ notæ sunt de vini vtilitate ac detrimento, quas seniores me nō nouerunt. Fuluo verò vino & nigro austero, in his morbis ad hęc vti poteris, si capitis grauitas non affuerit, neq; mentis perculsio, neq; sputum ab ascensu prohibeatur, neq; vrina suppressa sit: alui autē egestiones humectiores ac ramentosiores fuerint. In talibus sanè, vel maxime conuenerit ex alba trāsmutationem facere, & si qua his similia existunt. Hoc verò insuper intelligere oportet, quòd si aquosum fuerit vinum, supernas partes omnes, & eas quæ circa vesicam sunt minus lęcet. Verùm partibus circa intesti num magis proderit, si meracius fuerit.

26 Aqua verò mulsa si bibatur per totum morbum in acutis morbis, in totum quidem his qui amara bile abundant, ac magna viscera habēt, minus commoda est quàm his qui tales non sunt. Siticulosa tamen minus est dulci vino. Pulmonem enim mollit, & sputū moderatè educit, & tussim lenit. Habet enim vim quandam exterſoriam, quæ magis moderò sputum viscosum facit. Vrinas etiā sufficiēter ciet aqua mulsa, si non aliqua ex visceribus affectio prohibeat. Sed & bilioſa per aluum magis egerit, quandoque bona, quandoque magis quàm conuenit colore saturata, ac spumosiora: atque hoc bilioſis & magna viscera habentibus magis contingit. Sputi igitur eductionem, & pulmonis mollitionem, aquosior aqua mulsa magis facit. At spumosas alui egestiones, & bilioſa magis quàm conuenit colorata, ac magis calida, meraca aqua mulsa magis ducit quàm aquosa. Talis autem egestio habet quidē & alia magna nocumenta. Neq; enim ex præcordijs ardorem extinguit, sed concitat, & anxiam molestiam, ac membrorum iactationem facit: verùm & intestina & sedem exulcerat. Horum autem auxilia scribentur. Qui igitur aqua mulsa vtitur, absque sorbitionibus, pro alio potu, in his morbis, hic multum successum percipiet, & non in multis successu destituetur. Quibus autem danda sit, & quibus non, & ob quas causas non danda, maxima ex parte dictum est.

27 Damnata verò est aqua mulsa ab hominibus, veluti quæ bibentes ipsam extreme debilitet: & propterea mortē accelerare putata est. Verùm hoc propter eos qui seipsos fame conficere constituerunt dictum est. Aliqui enim aqua mulsa sola in potu vtuntur, nimirum velut talis existat. At hoc non omnino hoc modo se habet. Sed si sola bibatur, multo quidem fortior est, q̄ aqua, si non aluum exturbet. Sed & vino albo ac tenui, & parum aquæ ferente, & indoro, aliquatenus fortior est, aliquatenus debilior. Multum tamen differt & vini & mellis meracitas, ad vtriusq; vires. Nam etiam si duplam mensuram vini meraci quis bibat, respectu mellis quod delingat, multo tamen fortior fuerit ex melle solo, si aluum non turbarit. Nam & multo plus stercoris ipsi prodibit. Si tamen ptisanę sorbitione vtatur, insuper autem aquam mulsam bibat, valde ipsum replebit ac flatus excitabit, & visceribus circa præcordia incommoda erit. At si ante sorbitionem aqua mulsa bibatur, non ita lædit velut si insuper bibatur, sed etiam aliquo modo proderit. Cæterum cocta aqua mulsa, aspectu quidem multo merior est quam cruda. Splendida enim & tenuis, albaque ac pellucida fit: sed quam ipsi virtutem attribuam, qua crudam præcellat, nō habeo. Neque enim iucundior est quam cruda, si mel bonum esse contigerit; debilior tamen, & minus stercoris ducens: quorum neutro vt castigetur, aqua mulsa opus habet. Proximè verò vtendum tali cocta, si mel prauum fuerit, & impurum, & nigrum, & non boni odoris. Coctura enim maiorem partem turpitudinis prauitatis ipsius detrahere poterit.

28 At verò acetum mulsum appellatum si bibatur, sæpe quidem commodum esse in his morbis comperies. Nam & sputum educit, & facilem spirationem facit: tempora verò huiusmodi habet. Etenim quod valde acre est, nihil moderati fecerit, ad sputa q̄ non facile prodeunt. Si enim educeret ea quæ stridulam asperitatem faciunt, & lubricitatē induceret, & guttur velut dilataret, pulmonem vtique leniret. Ipsum enim mollit: & siquidem hæc cōtingerent, magnam sanè vtilitatem afferret. Aliquando verò id quod valde acre est, eductionem sputi nō obtinet, sed insuper viscosum id facit, & lædit. Maxime autem hoc perpetiuntur hi qui etiam aliàs pernicioſe habent, & qui neq; tussire, neq; excreare inhęrētia possunt. Ad hoc igitur vires ægroti super coniectare oportet, & si spem de ipso habeas, exhibere. Exhibere autem oportet, si dederis summè tepidum: atq; tale paulatim, & non large. Quòd verò parum acre est, humectat quidem os & fauces, sputum item educit, & sitim sedat, & præcordio & viscеribus quæ sunt hac parte lene est, & detrimēta ex melle hac parte prohibet. Quod enim bilioſum est in melle, castigat. Flatus etiā erūpere facit, & ad mictionem proritat. Intestini tamen infernam partem humectiorem facit, & ramenta inducit. Quandoq; verò etiam malum hoc fit in acutis morbis, maxime quidem, cp flatum penetrare prohibet, imò recurrere facit. Insuper autem & aliàs debilitat, & extremas partes frigefacit. Atque hanc solam læsionem ex aceto mulso contingere noui, quæ sanè digna sit vt scribatur. Parum autem de huiusmod potu, nocte & ieiuno ante sorbitionem præbibendū dare commodum est. Sed & vbi multum temporis post sorbitionem interceſſit, bibere nihil prohibet.

29 His verò qui solo potu degunt absque sorbitionibus, propterea non est commodum semper & perpetuò hoc vti, maximè propter rasuram aut exasperationem intestini. Quum enim stercore vacuum sit, magis vtiq; hæc induxerit: & quum vasorum vacuatio adsit, postea etiam aqua mulsa vires detraxerit. Si tamen opitulari apparuerit ad totum morbum multus huius potus vsus, parum aceti affundere oportet, vt saltem cognosci possit. Ita enim & ea quæ lædere solet, minimè læserit: & his quæ auxilio opus habent, opem tulerit. Cæterùm vt in summa dicatur, acredines siue acriditates ex aceto, amara bile abundātibus magis conferunt, q̄ atrabiliarijs. Amara enim dissoluuntur, & in pituitam transeunt, dum ab ipso attolluntur. Nigra verò fermentantur, & attolluntur, ac multiplicantur. Acetum enim nigra sursum ducit. Mulieribus autem omnino magis aduersatur acetū, quam viris. Dolores enim vteri inducit.

Aquæ

30 Aquę porrò potui in acutis morbis, nullum aliud opus habeo attribuam. Neque enim lenit tussim in peripneumonicis, neq; sputum educit, sed minus q̄ alia, si quis semper aquæ potu vtatur. Si tamen inter acetum mulsum & aquam mulsam, parùm aquæ absorbeatur, sputum educit, propter qualitatis potuum transmutationem. Inundationem enim quandam inducit, alias autem neq; sitim sedat, sed exacerbat. Est enim naturæ biliosæ biliosa, & præcordio mala, imò pessima fit ac biliosissima, & vires maximè prosternit, vbi in vacuitatem ingressa fuerit. Sed & splenem auget & hepar, vbi inflammatum fuerit, & fluctuat ac superinnatat. Nam & tardi transitus est, eo q̄ frigida est & cruda ac incoctilis, & neq; per aluum secedit, neque per vrinas transit. Insuper autem & propterea læsionem inducit, q̄ à natura stercus non subducit. Si verò etiam dum adhuc frigidi sunt pedes, aliquando bibita fuerit, hęc omnia multo plus lędit, ad quodcunq; tandem ipsorum peruenerit. Vbi tamen in his morbis suspicatus fueris aut capitis grauitatem vehementem, aut mentis perculsionem, penitus à vino abstinendum est, & aqua in tali vtendum: aut vinum aquosum & album penitus dandum, & penitus inodorum, & post ipsius potum aqua modica insuper bibenda. Ita enim robur viui caput & mentē minus percellet. In quibus autē potu ipsius maximè vtendum sit, & quando valde multa, & quando moderata, & quando frigida, & quando calida, partim prius dictum est, partim pro temporis occasione dicetur. Cæterum de reliquis potibus, qualis est ordeacea aqua, & qui ex herbis fiunt, & qui ex vua passa, & vuarum expressarum retrimentis, & ex tritico, & tnico, & myrti baccis, & malo punico, & de alijs, vbi alicuius ipsorū vsus cōtigerit, scribetur circa ipsum morbum; quemadmodum etiam de alijs compositis medicamentis.

31 Balneum verò in multis morbis opem tulerit eo vtentibus, ad aliquos quidem assiduè, ad aliquos non item. Quandoq; verò minus eò vtendū est, propterea q̄ homines ad hoc sint imparati. In paucis enim domibus præparata sunt necessaria instrumenta, & nec ministri velut opus est parati habentur. Si verò non omnino bene quis lauetur: non modicam læsionem incurret. Nam & tugurio fumum non habente opus est, & aqua larga, & balneo multo, & non valde largè affuso, si sanè non ita opus fuerit. Et defrictione quidem potius vtendum non est. Si verò defricetur, calido vtendum est ipso defrictorio medicamento, eoq̄ue multiplici magis quam aliàs receptum est, & insuper non pauca perfundendum, & cito perfundendum. Breui quoq; via ad solium opus est, & vt facilis sit inscensus, & facilis item exitus; oportet aūt eum qui lauatur esse moderatum ac taciturnum, & nihil ipsum operari, sed alios & perfundere, & defricare. Debet etiam post ea multa aquæ mixtura parata esse, & celeres perfusione fieri, & spongijs vtendum est pro strigili, & non valde siccum inungendū est corpus.

32 Caput tamen resiccatum esse oportet, quantū eius fieri potest maxime, ita vt spongia extergeatur: & neque perfrigerari caput oportet, neq; extremas partes, neque reliquum corpus: & neq; eum qui recens sorbitionem accepit: neq; eum qui recens potū sumpsit, lauare oportet; & neq; sorbere, neq; bibere cito post balneum. Magnam tamen partem ægro tribuere conuenit, si sanus balnei valde amans fuit, & lauari adsuetus. Tales enim magis appetunt, & loti vtilitatem sentiunt, & non loti lædūtur. Conuenit autē in totum magis peripneumonijs, quam febribus ardentibus. Nam dolorem lateris & pectoris ac dorsi balneum lenit, & sputum maturum facit, ac educit; & facilem spirationem reddit, & lassitudinē eximit, articulos enim & cutis superficiem mollit. Sed & vri nam ciet, & capitis grauitatem soluit, & nares humectat: tot igitur bona balneo adsunt, quibus omnibus opus est. Si verò apparatus penuria aliqua fuerit, in vna re vel pluribus, periculū est ne magis lædat balneum quam prosit: Singula enim ex ipsis magnum detrimentum afferunt, si non à ministris velut cōuenit præparata fuerint. Minimè verò tempestiuum est eos lauare, quibus aluus in morbis liquidior iusto est: itemq̄; eos quibus plus iusto adstricta est, & non prius subijt. Sed neque debilitatos lauare oportet, neq; ex ciborum fastidio nauseantes, aut vomentes, neq; eos qui biliosum eructant, neq; eos quibus sanguis ex naribus erumpit, nisi minus quam pro occasione conuenit, fluat. Occasiones autem nosti: si verò minus, quam pro occasione fluat, lauare expedit, siue totum corpus ad reliqua inde opem sentiat, siue caput solum.

33 Si igitur præparationes cōmodæ fuerint, & æger bene susceptūrus est balneum, quotidie lauare conuenit. Eos verò qui balneo delectantur, etiamsi bis in die laueris, nihil peccaueris. Cæterùm balneis vti, multò magis licet his qui tota ptisana vtuntur, quā his qui solo vtuntur succo. Licet autem & his aliquā do. Minimè verò his qui poto solo vtuntur. Sunt tamen ex his quoque quibus licet. Coniectare verò ex præscriptis oportet, & quibus balneum in singulis vi ctus modis profuturum est, & quibus non. Quibus enim aliquid horum deest commodorum, quæ balneum facit, & quæ balneo commodant, lauare non oportet. Quibus verò nihil horum deest, & adsunt ipsis signa in quibus lauari conducit, lauare oportet.

34 Febris autem ardens fit, quum resiccatæ venulæ, hora æstiua acres ac biliosos serosos humores in seipsas attraxerint; & febris multa detinet, & corpus velut ex ossium lassitudine detentum, delassatur ac dolet. Fit autem plerunque & ex longo itinere, & longa siti, quum resiccatæ venulæ acres ac calidas fluxiones in seipsas attraxerint. Fit autem lingua aspera ac sicca, & valde nigra, & dum circa ventrem morde tur, dolet, & alui egestiones valde liquidæ ac pallidæ fiunt: & sitis vehemens inest: itemq̄; vigiliæ. Aliquādo etiam mentis emotiones. Huic & aquam, & aquā mulsam aquosam coctam, quantum voluerit, bibendam dato; & si amarum fuerit os, vomere conducit, & ventrem per clysterē subluere. Si verò ad hæc non soluatur, lacte asinino cocto purgato. Salsum autem nihil, neq; acre exhibeto. Nō enim sufferet. Sorbitionem verò, donec extra iudicationes fuerit; ne dato. Et si sanguis ex narib. fluxerit, soluitur affectio: itēq̄; si sudores accedāt iudicatorij, genuini, cum vrinis albis & crassis, ac subsidentijs leuibus etsi absessus aliquis fiat: si verò absq; his soluta fuerit, recidiua rursus ægritudinis continget: Aut coxæ, aut crurum dolor emerget, & crassa expuet, si sanus futurus est.

Febris

Febris ardentis genus aliud. Aluus subit, siti plena est, lingua aspera, ficca, salsuginosa. Vrinæ interceptio, vigilia, extremitates frigefactæ. Tali si non sanguis ex naribus fluxerit, aut abscessus circa collum fiat, crurum dolor, & sputa crassa spuerit (hæc autē suppressa aluo fiunt) aut coxæ dolor, aut pudendi liuor, non iudicatur: & testis intensus iudicatorum signum est. Sorbitiones attractorias dato. Verùm in acutis morbis venam secabis, si vehemens appareat morbus, & qui ipsum habeant, in vigoris ætate fuerint, & robur ipsis affuerit. Si quidem igitur angina fuerit, siue aliquis alius ex pleuriticis morbus, eclegmatis delinctu repurgato. Si vero debiliores appareant, si plus de sanguine dextraxeris, infuso alui per clysterem tertio quoq; die vtere, donec in tuto fuerit æger, aut etiam fame opus habeat.

36 Præcordia inflammata non ex flatuum interceptione: septi transuersi intentiones, aut spirituum protensiones: in rectæ ceruicis spiratione ficca, quibus pus non subest: verùm ex flatuum interceptione, affectiones hæ accedunt. Maxime autem & hepatis dolores, & splenis grauitates, & aliæ inflāmationes, & supra septum transuersum dolores, ac morborū collectiones, solui non possunt, si quis prius medicamētis purgare aggrediatur. Nam venæ sectio in talibus principalis est: deinde infusa per clysteres, si non magnus & vehemens fuerit morbus: sin minus, etiā postea medicamento purgante opus est. Sed & post venæ sectionem, purgans medicamentum securitate ac moderatione opus habet. Quicunq; verò ea quæ inflammata sunt, statim in principio morborum medicamento soluere aggrediuntur, hi de intēto quidem ac inflammato nihil auferunt: nō enim remittit affectio quę adhuc cruda est: quæ verò morbo resistunt ac sana sunt, colliquefaciunt. Debili verò euadente corpore, morbus inualescit. Quum autem morbus corpori prævaluerit, tale iam incurabiliter affectum est.

37 Vt aliquis derepente voce priuatus fiat, venarum interceptiones faciunt, si sano hoc contingat absque manifesta, aut alia forti causa. Venam igitur secare oportet, in brachio dextro internam, & sanguinem detrahere, iuxta habitum ac ætatem rationem ineundo, an plus aut minus oporteat. Coincidunt autem plurimis ipsorum hæc: rubores faciei, oculorum stabilitates, digitorum in manibus distentiones, dētium stridores, pulsationes, maxillarum cōtractiones, extremitatum per frigeratio, spirituum per venas interceptiones. Quum dolores accesserint, atræ bilis & acrium fluxionum affluxus fiunt. Dolent autem partes internæ dum mordentur. Conuersæ verò, & valde ficcæ factæ venæ intenduntur, & inflammatę affluentia attrahunt. Vnde corruptio sanguine, & spiritibus non potētibus naturales in ipso vias permeare, perfrigerationes fiunt ex statione, & vertigines, & vocis interceptio, & capitis grauitas, & conuulsiones, si iam ad cor, aut hepar, aut ad venā deuenerint.

38 Hinc morbi comitiales fiunt, aut semisyderati, si in ambientes locos fluxiones inciderint, & à spiritibus pertransire non potentibus resiccatæ fuerint. Quare talibus, fomentis prius adhibitis, venā secare oportet statim ab initio, dum adhuc eleuati sunt omnes affligētes spiritus, ac fluxiones. Facilius enim auxilium admittunt, & refectis viribus, & consideratis iudicationibus, medicamentū exhibere sursum purgans, si non alleuetur: ad infernam verò aluum, si nō subeat, infusum per clysterem adhibere. Postea verò lac asininum coctum dato, & non minus quā duodecim heminas bibat: si verò virium robur adsit, plures quàm sedecim.

39 Angina fit, quum fluxio ex capite multa ac glutinosa, tempore hyberno aut verno, ad venas iugulares influxerit, & hæ fluxionem ampliorem, propter amplitudinem, attraxerint. Quum autem frigida & glutinosa sit, spiritus trāsitus obturabit, & sanguinis transitus obturans, propinquas sanguinis partes congelat, ipsumq; immobilem ac stabilem facit: quum natura frigida sit, & obturandi vim habeat, & propterea suffocantur, lingua liuescente, & rotunda eua dente ac reflexa, propter venas quæ sunt sub lingua. Præcisa enim vua, quam aliqui columellam vocant, vena crassa ab vtraque parte est. Quum igitur hæ plenæ sint, & in linguam innitantur, quæ rara est ac spōgiosa, propter ficcitatem: contingit vt ipsa præ violentia humorem ex venis susciplens, ex lata fiat rotūda: ex bene colorata, liuida: ex molli, dura: ex facile flexibili, inflexibilis: adeò ut æger cito suffocetur, si non quis cito auxilium ferat, venæ sectionem à brachijs faciens, & venas sub lingua secans, & eclegmatū delinctu curans, & calidos gargarismos exhibens, & caput rādens. Debet autem & ceratum collo ac capiti circumponere, & lanas obuoluere, & spongijs mollibus ex aqua calida expressis fouere. Bibat autem æger aquam, & aquam mulsam, non frigidam. Succum verò ptisanæ tunc sumet, quum iam ex iudicatione in tuto fuerit.

40 Quum verò æstiuo vel autumnali tempore, fluxio calida ac nitrosa de capite defluxerit, vtpote ex tempore acris ac calida facta: talis vbi est mordet, & vlcerat, & spiritu implet, & erecta ceruicis spiratio accedit, & siccitas multa, & quæ videntur gracilia apparent, & tendines posteriores in collo distenduntur, & velut in tetano distenti esse videntur: & vox abrupta est, & spiritus paruus est, & retractio spiritus densa ac violenta accedit. Talibus arteria vlceratur, & pulmo ardet, quū nō possint extrinsecus spiritū inducere. Et si his affectio non vltronea ad externas colli partes deferatur, grauior ac ineuitabilior est, & propter tempus, & q à calidis & acribus sit humoribus.

41 Si febris corripiat, veteri stercore non subeunte, aut à cibo recens accepto, siue cum dolore lateris, siue absq; eo, quietem agere oportet, donec cibi descenderint prius ad infernā aluum: potu verò vti aceto mulso. Quum autem ad lumbos grauitas deuenerit, infuso per clysterem eluere, aut medicamēto purgare oportet. Vbi verò purgatus fuerit, victum præscribere ex sorbitione primùm, & aquę mulsæ potu: deinde ex cibis ac piscibus coctis, & vino aquoso, modico, ad noctem. Interdiu autem, ex aqua mulsa aquosa. Quum verò flatus graueolentes prodierint, glandula subdititia, aut infuso per clysterem vtendū erit. Sin minus, in aceti mulsi potu cohibere oportet, donec ad infernam aluum descenderint cibi: deinde sic per infusum clysteris subducere.

42 At si mollē ac vacuū ventrem habenti febris ardēs accedat, si tibi commodum esse visum fuerit medicamentis purgare, intra tres dies id ne feceris, sed quarto. Postquam verò medicamētum exhibueris, sorbi-

tionibus vtere, obseruans febrium exacerbationes, vt nunquam exhibeas quum sunt, aut futuræ expectãtur, sed vbi desinunt, aut quieuerunt, & q̃ longissimè à principio. Quũ verò frigidi sunt pedes, neq; potum, neq; sorbitionem neq; aliud quidquam eiusmodi dato; verum maximũ hoc esse ducito, vt expectes donec valde fuerint calfacti; deinde sic id quod conducit exhibe. Plerunque enim futurę exacerbationis febris signum est pedum frigidius. Si verò in tali tẽpore exhibueris, maximè per omnia peccaueris. Morbum enim non parum augebis. Quum autem febris desinit, vice versa pedes reliquo corpore calidiores fiunt. Augetur enim frigefacies pedes, accensa ex thorace, ad caput flammam remittens. Vniuerso autem calore aceruatim sursum concurrente, & ad caput exhalante, meritò pedes frigidi fiunt, vt qui ex carnes & neruosi natura existant. Insuper autem etiam quum longe à calidissimis locis absint, perfrigerantur, calore ad thoracem coaceruato. Et rursus iuxta proportionem, quum febris soluitur, & in tenues partes dirimitur, ad pedes calor descendit. Hoc igitur tempore & caput, & thorax ipsorum perfrigeratur, qua de causa sorbitio exhibenda est. Nam vbi pedes frigidi fuerint, necesse est ventriculum calidũ esse, & multo fastidio plenum, & præcordium intentum, & corpoporis iactationem, propter internã turbationem, & mentis ab alienationem, & dolores: & æger distrahitur, ac vomere cupit, & si praua vomuerit, dolet. Postquam verò calor ad pedes descendit, & vrina progressa est, etiam si non sudauit, omnia desinunt. Hoc igitur tempore sorbitionem dare oportet, alioqui pernitiosa est.

43 Quibus verò perpetuo aluus in febribus liquida est, his præcipuè pedes calefaciens, & ceratis integens, & fascijs obuoluens, animum aduerte vt ne sint reliquo corpore frigidiores. Si verò calidi sunt, cale factorium nullum adhibe, sed conserua vt ne perfrigerentur; potu autem vtendum est quã pauciſſimo, aqua frigida, aut aqua mulsa. Quibus autem in febribus aluus liquida est, & mens perturbata, & multi ex talibus floccos auferunt, & nares scalpunt, & paulatim quidem respondent si interrogentur, ipsi verò à seipsis nihil aptum dicunt; talia atrabiliaria esse mihi videntur. Talibus igitur ita se habentibus, saluus liquida fuerit, ac colliquuerit, videtur mihi sorbitiones frigidiores ac crassiores exhibere oportere, & potiones aluum sistentes, & vinosiores magis quam adstringentes.

44 At quibus in febribus vertigines ab initio, & capitis pulsus fiunt, & vrinæ tenues, in his expectare oportet, ut ad iudicationes febris exacerbetur. Nec verò admirarer, si delirarent. Quibus in principio vrinæ nebulosæ, aut etiam crassæ sunt, tales depurgare oportet, si etiam alia contulerint. Quibus verò in principio vrinæ tenues, tales ne purgato, sed si visum fuerit, infusum per clysterem adhibeto. Hos sic curare conducit. Aeger corpore quietem agat, vngaturq; ac æqualiter contegatur. Potu vtatur aqua mulsa aquosa, & sorbitione succi ptisanæ ad vesperam. Aluum verò ab initio per clysteris infusum subducito. Medicamenta autem his ne exhibeto. Si enim quid circa ventrem commoueris, vrina non concoquitur, sed absque sudore ac iudicatione, febris ad multum tempus durabit. Sorbitiones autem vbi prope iudicationem fuerit, ne dato, si turbetur; verum quum remiserit turbatio, & ad melius procedet.

45 Obseruare verò etiam omnium febrium iudicationes oportet, & in hoc tempore sorbitiones detrahere. Solent autem longæ fieri hæ febres, & impetuosos humorum de loco ad locum illapsus habere, si quidem infernæ partes frigidæ fuerint, circa aures & collum. Si verò non fuerint frigidæ, alias mutationes habent. Fluit autem sanguis ex naribus, & alui his exturbantur. Quibuscunq; verò febres anxiosæ sunt, & quæ præcordia intendunt; & decumbentes in eodem loco decubitum non sustinent, & extremę partes perfrigerantur, hi plura omnino diligentia ac custodia opus habent. Degant autem hi vt nihil ipsis exhibeas aliud, q̃ acetum mulsum aquosum. Sorbitionem verò ne exhibe, donec febris desierit, & vrina concocta fuerit. Decumbere autem debet æger in domo obscura, & in stratis q̃ molliſſimis reclinatus esse, ita vt multo tempore decubitum in eodem loco toleret, & quam minimum se iactet. Hoc enim talibus maximè prodest. Super præcordium verò, lini semen linteo illitum imponito, obseruando vt ne horrescat æger dum apponitur. Sit autem summe tepidum, aqua & oleo coctum.

46 Coniectare verò ex vrinis oportet id quod futurũ est. Si enim crassiores ac pallidiores fuerint, meliores sunt. Si verò tenuiores ac nigriores, deteriores. Si autem mutationes habent, temporis diuturnitatem significant; & necesse est vt morbus & ad deterius, & ad melius, inæqualitatem permutet. Cæterum inconstantes febres sinere oportet, donec cõstiterint. Quũ verò constiterint, & victu, & curatione conuenienti occurrere, speculatione secundum naturam facta. Sunt autem aspectus ægrotorum multi. Quare animaduertendum est medico, vt ne aliqua manifesta causa ipsum lateat, neq; ex his quæ ratiocinatione cognoscuntur, neq; ex his quæ ad numerum parem aut imparem apparere oportet. Maximè igitur, numerum imparem vereri odortet. Nam hi dies in alterutram partem ægrotos inclinare faciunt. Primum itaque diem obseruare oportet, quo æger debilis esse cœpit, cognito principio ex quo, & quando. Præcipuum enim hoc est vt sciatur.

47 Quum verò ægrum interrogaueris, etiam hęc omnia considerabis. Primùm quidem quomodo caput habet, an doloris exors sit, neque grauitatem in seipso habeat: deinde præcordia & latera an doloris exortia sint. Si enim præcordium doloroſum fuerit, aut eleuatum, aut obliquitatem aliquam habuerit, aut saietatem; aut lateris dolor affuerit, & vnà cum dolore, tussicula, aut tormen, aut ventris dolor. Quum horum quid affuerit in præcordio, aluum maximè infusit per clysterem soluere oportet. Bibet autem aquam mulsam calidam coctam. Considerandum verò est an dum exurgit, animi deliquiũ incidat, an bona spiritus tolerantia ipsum habeat, & inspiciẽda alui egestio, num vehementer nigro colore prodierit, aut pura, quales sani hominis sunt egestiones, & an febris ad tertium diem exacerbetur. Vbi verò valde probè tales cõsideraueris in his morbis tertia die, ad hæc iam etiam alia contemplare, & si quarta simile quid tertiæ habuerit ex ijsdem illis, æger in periculo versatur.

Ex

48 Ex signis autem, nigra alui egestio mortem significat. Quæ verò sani hominis egestioni similis est, si per omnes dies apparuerit, salutare signum est. At si glande subdita non obedierit, & spiritus bona tolerantia affuerit, si vbi ad sedem exurrexit, aut isthic in lecto, animi deliquium inciderit: hęc vbi ægroto, aut ægrotæ, ab initio affuerint, delyrium futurum expecta. Intentus autem sis quoq; ad manus. Si enim tremulæ fuerint, tali sanguinis de naribus destillationē futuram expecta. Inspicere verò ipsas nares oportet, an spiritus æqualiter per vtrasq; feratur: & si multus feratur è naribus, conuulsio fieri solet. Si verò cōuulsio fiat, tali mors expectāda est, & bene habet si quis hoc prædicat. Si verò in febre hyberna, lingua aspera fiat, & animi deliquia adsint, tali remissio febris contingere solet: attamen fame talē macerare oportet, & aquæ mulsæ potu, ac ptisanę succo conseruare ita vt fidem ne habeas febrium remissioni. Nam qui talia signa habent, de vita periclitātur. Vbi verò hęc cognoueris, ac probe contemplatus fueris, ita fore prædicere potes, si placuerit.

49 Quum verò in febribus horrendum quid acciderit quinta die, aut aluus derepente liquida defecerit, & animi deliquium incidat: aut vocis priuatio contingat, aut conuulsio, aut singultus fiat: ex his anxiosus fieri æger solet, & sudores sub naso, & circa frontem ac ceruicem à posteriore capitis parte oboriri. Qui verò hæc patiuntur, spirituosi facti non longe postea morientur. Quibus autem in febribus crura fiunt tuberculosa, atq; hæc tubercula moram trahentia non maturantur, febribus perseuerātibus, & strāgulatio acciderit in faucibus, ita ut partes circa fauces graciles existant, & tubercula non matura facta, sed extincta fuerint: talibus sanguis è naribus fluere solet. Et siquidem multus fluxerit, solutionem morbi significat: sin minus, morbum longum. Quanto autem minus fluxerit, tanto deterius est, & longitudo maior. Si verò reliqua facillima fiant, tali dolores ad pedes expectare oportet. Si autem contigerint pedē, & doloros us esse perseueret æger, & calore affligatur, ac non soluatur: paulatim & ad ceruicem dolores peruenient, & ad clauiculam, & humerum, & pectus, & articulum. Nam & hunc tuberculosum fieri oportebit. His autem extinctis, si manus contrahantur, aut tremulæ fiant, cōuulsio talem corripit, & delyrium. Sed & pustulæ in supercilio oriuntur, & rubores habet, & palpebra altera ad alteram progerminat, & inflammatio dura detinet, & oculus vehementer intumescit, & delyrium valde augescit.

50 Noctes autem plus q̄ dies delyrij significationem præbent. Multa verò signa ad imparem numerū magis fiunt, q̄ ad parem. Vtro autem horum numerorū fiant, lethalia existunt. Tales verò si quidem ab initio medicamentis purgare volueris, ante quintum diem id facito, si venter murmurarit: sin minus, impurgatos finito. Si verò murmurarit, & alui egestiones biliosę fuerint, scammonio dato moderate purgato. In reliquo verò victu potus ac sorbitiones parcissime exhibeto, quo melius æger habeat, si non remissione facta decimumquartum diem transgressus fuerit. Quum febricitanti decimaquarta die vocis interceptio accesserit, non cita solutio contingere solet, neque liberatio à morbo fieri, sed temporis diuturnitatem tali significat. Quum itaque apparuerit in hac die, longius protrahetur morbus. Quum febrient quarta die lingua conturbata loquitur, & aluus bilio sa liquida egerit, talis delyrare solet. Sed obseruare ac assequi euentus oportet.

51 Aestiuo ac autumnali tempore in morbis acutis, sanguinis destillatio repētina, firmitatem ac multam inflammationem circa venas significat, & in posterū diem tenuium vrinarum apparitiones. Et si ætate viguerit, & corpus in exercitio. aut bene carnosum habuerit, aut atrabiliarius fuerit, aut ex potu manus tremulas habuerit, bene habet vt delyrium aut conuulsionem prædicas. Et si quidem in diebus paribus accedat, melius est: In iudicatione verò pernitiosum, si non multus aceruatim concitatus sanguis, redundantiæ exitus faciat per nares aut per sedem, aut abscessus, aut præcordiorum dolores, aut ad testes, aut ad crura dolores inducat. His autem concoctis, exitus fiunt sputorum, crassarum vrinarum, leuium, albarum. Febri singultuosæ silphij succum, acetū mulsum, daucum tritum bibenda dato, & galbanum in melle, & cuminum in eclegmate delingendum, & ptisanæ succum post hæc sorbendum. Talis autem effugere non potest, si non sudores iudicatorij, & somni æquales accesserint. & vrinæ crassæ & acres decurrerint, aut ad abscessum morbus decubuerit. Nux pinea, & myrrha, in eclegmatæ dentur. Bibendū autem talibus acetum mulsum quàm minimum dato; si verò valde siticulosi fuerint, aquam ordeaceam.

52 Peripneumonicas ac pleuriticas affectiones sic cōsiderare oportet, an acuta sit febris, & dolores lateris alterius, aut vtriusque, & dum spiritus sursum fertur an doleat, & an tusses adsint, & sputa prodeant fulua, aut liuida, aut etiam tenuia, & spumosa, & florida; & si quid aliud diuersum habeat, ab his quæ illis fieri solēt. Hunc sic degere oportet. Si quidem dolor sursum tendat ad clauiculam, aut circa mammam, & brachium, venam in brachio secare oportet internam, vtra tandem fuerit parte, in ea ipsa; detrahere verò sanguinem, iuxta corporis habitum, & tempus, & ætatem, & colorem, plus & confidenter: & si acutus fuerit dolor, ducere vsq; ad animi deliquium: Postea verò infusum per clysterem adhibere. Si verò sub thorace fuerit dolor, & valde distendat, pleuritico medicamento aluum subpurgato, & interim dum purgatur nihil dato: post purgationem verò acetum mulsum. Medicamentum autem purgans exhibeto quarta die. Verùm per tres ab initio, infusum per clysterem adhibeto; & si hinc non alleuetur, sic subpurgato. Custodia autem fiat vsq; ad febris quietem ac septimum diem: deinde si in tuto esse videatur, succum modicum, ac tenuem primùm melle ammixto exhibeto. Si verò facile educat sputum & bene spiret, ac doloris exors sit circa latera, etiam paulò crassiorem ac ampliorem, & bis in die dabis. Si verò non facile liberetur, potionem pauciorem, & modicam sorbitionem, succum tenuem, eumque semel, & in quo tempore melius degit, exhibeto. Cognosces autem hoc ex vrinis. Sorbitionem enim exhibere in his morbis non prius oportet, quàm vrinas concoctas, aut sputa matura facta esse videris. Si verò is qui medicamentum accepit, frequenter & multum purgatus fuerit, necesse est dare, verùm pauciorem ac tenuiorem. Non enim poterit dormire, præ

vaſorum vacuatione: neque ſimiliter coquere: neque iudicationes ſuſtinere ac expectare. At vbi crudorũ colliquationes factæ fuerint, & ea quæ renituntur abiecerit, nihil obſtabit.

53 Matura verò ſunt ſputa quidem, quum ſimilia fuerint puri: Vrinæ autem ſubſidentias habentes ſubrubras, velut eſt eruum: Nihil aũt prohibet, & ad alios laterũ dolores tepefactoria apponere & cerata: Inungere autem crura ac lumbos oleo calido: & pinguedinem illinere, præcordia vero ex lini ſemine integere vſque ad mammas. At vbi in vigore eſt peripneumonia, auxilium non admittit, ſi non expurgetur: & malũ eſt ſi æger difficulter ſpirauerit: & vrinę tenues & acres, & ſudores circa collum ac caput fiant. Tales enim ſudores praui ſunt, præ ſuffocatione, & impetu ac violentia, ſuperantibus morbis, ſi non vrinæ multæ ac craſſæ prodierint, & ſputa matura, exierint. Vtrum aũt horum ſua ſpõte venerit, morbum ſoluit. Ad peripneumoniam medicamentum quod delingitur. Nux pinea & galbanum, in melle Attico: Abrotonum in aceto mulſo. Piper, veratrum nigrum feruefacito, & pleuritico, in principijs dum dolor vexat, bibenda dato. Bonum eſt & panacem in aceto mulſo feruefacere, & excolare, ac bibendum dare, tum hepaticis, tùm in doloribus ſepti tranſuerſi. Et quæcunq; ad ventrem, aut ad mictionem impellere oportet, hæc in vino & melle dabis, illa ad ventrem, cum aqua mulſa aquoſa copioſiore bibenda dato.

54 Dyſenteria ſedata abſceſſum, aut tumorem aliquẽ faciet, ſi non ad febres, aut ſudores, & vrinas craſſas, & albas, ac valde perſpicuas, aut ad tertianas, aut ad varicem, aut ad teſtem, aut ad crura, aut ad coxam dolor decubuerit. In febre bilioſa ante ſeptimum diẽ, cum rigore morbus regius accedens, ſoluit febrem. Verùm ſine rigore ſi accedat, extra temporis occaſiones, pernicioſus eſt.

55 Tetanus lumborum in anteriorem ac poſteriorem partem diſtentio: & in atrabiliarijs, vbi ſpiritum p venas interceptiones fuerint, venæ ſectione ſoluuntur. Quum autẽ à tendinibus vehementer in anteriorem partem reuelluntur, & circa collum ac faciem ſudores fiunt, dum præ dolore mordentur ac reſiccantur tendines vſque ad ſacri oſſis finem exporrecti, qui craſſiores ſpinam continent, qua parte maxima ligamẽta exorta, maxime deorſum ad pedes vſq; deſinunt: Tali ſi non febris & ſomnus acceſſerit, & ſequentes vrinæ cõcoctionẽ habentes prodierint, & ſudores iudicatorij, vinum Creticum vinoſum bibẽdum dato, & farinam coctã edendam. Et cerato vngito ac illinito, & integito crura vſque ad pedes, vbi calida aqua prius in ſcapha perfudiſti: brachia quoque ad digitos vſque integito: & lumbos ac ſpinam à collo vſque ad coxas, pinguedine incerata molli pelli illita circundato, ita vt etiam anteriores partes complectantur; & interpoſito tẽpore, per vtriculos calida aqua infuſa foueto, & circumtento linteo ipſum reclinate: Aluũ verò ne valde ſoluas, niſi glandula ſuaditicia, ſi multum tempus fuerit, quo abſque egeſtione permanſit: & ſi quidem in melius res tibi proceſſerit, ſatis eſt: Sin minus, meu radicem in vino odorato tritam, & daucum bibenda dato, mane vbi ieiunus eſt ante calidæ perfuſionẽ: & poſt hæc breui farinam coctam, tepidam, plurimam edat, & vinum vbi voluerit, bene temperatum inſuper bibat: & ſi quidem in melius res tibi proceſſerit, ſatis eſt: Sin minus, prædicere oportet.

56 Morbi porrò omnes ſoluuntur, aut per os, aut per aluum, aut per veſicam, aut alium aliquem eiuſmodi articulum. Verùm ſudoris ſpecies omnibus communis eſt. Veratrum dare his oportet, quibus à capite fluxio fertur. Quicunque verò ex abſceſſibus, aut venæ ruptura, aut propter intemperantiam, aut ob aliam quandam fortem cauſam, ſuppurati fiunt, talibus veratrum ne dato. Nihil enim profuerit, & ſi quid perpetietur æger, veratrum in cauſa eſſe videbitur. Si vero corpus diſſoluatur, aut dolor in capite ſit, aut aures obturatæ ſint, aut nares, aut ſputatio, aut genuum grauitas ſit, aut corporis tumida moles præter conſuetudinem, dato quicquid tandem horum contigerit, ſi non ex potibus, neque ex rebus venereis neque ex triſtitia, neque ex curis, neque vigilijs hæc fiant: & ſi quidem horum quid in cauſa fuerit, ad hoc ipſum curationem inſtituito.

57 Dolores ex itinere, laterum, dorſi, lumborum, coxarum, & quæcunque reſpirantes dolent, cauſam manifeſtam habentes. (Sæpe enim ex crapulis & cibis flatuoſis, dolores procedere ſolent, & ad lumbos, & ad coxam.) Quibus verò ipſorum talia fuerint, vrinæ difficultas ipſis accedit. Horum autem cauſa iter eſt, & grauedinum ac raucedinum. Quæcunque ex victus ratione contingunt, pleraque vnuſquiſque, prout præter conſuetudinem victu vſus fuerit, maxime annotat. Nam qui non ſoliti ſunt prandere, ſi pranſi fuerint, multus ventris tumor ipſis accedit, & dormitatio, ac repletio. Si verò inſuper cœna uerint, aluus exturbatur. His vbi balneo vſi ſunt, dormire conducit: Vbi verò dormierunt, deambulare lenta ac multa circuitione: & ſi quidem aluus euacuata fuerit, cœnare, & bibere vinum paucum, meracius. Si verò euacuata non fuerit, corpus oleo calido illinere; ſi ſitierit, vinum aquoſum album aut dulce bibere ac quieſcere: Si verò non obdormierit, amplius quieſcere. Reliquus victus ſimiliter vt his qui crapula grauantur, conſtituatur.

58 Quod verò ad potus attinet, qui quidem aquoſi ſunt, tardioris tranſitus ſunt, & intus obuoluuntur, & circa præcordia redundant, & ad mictionem non decurrunt. Tali vero potu repletus, nullum opus celeriter perficere poterit, ex his quæ intento corpore per violentiam aut celeritatem perfici ſolent. Quieſcat autem quàm maximè, donec vna cum cibis concoctus fuerit. Quicunq; vero potus meraciores ſunt, aut auſteriores, palpitationẽ in corpore, & pulſationem in capite inducũt. His cõmodum eſt vt inſuper dormiant, & calidum quid forbeant, ad quod maxime iucunde affecti ſunt. At verò ieiunium ad capitis dolorem ac crapulam malum eſt. Cæterùm qui ſemel in die cibum capiunt, hi & impotentes ſunt, & calidam vrinam mingunt, præter conſuetudinem vaſa vacua habentes, ſit autem & os ſalſum ac amarum, & in omni opere tremunt, & tempora ipſis diſſenduntur, & cœnam concoquere non poſſunt, velut ſi pranſi eſſent. Hos autem minus bibere oportet, quam ſoliti fuerunt, & mazam liquidiorem pro pane ſumere: & ex oleribus, rumicem, aut maluam, aut ptiſanam, aut betas: Bibere verò vinum inter cibum, moderatum & aquoſius: & à cœna modice deambulare, donec vrina deſcenderit, ac minxerit.

Vtantur

Vtantur autem & piscibus coctis.

59 Edulia porrò maxime de se significationem præbent. Allium flatum & calorem circa thoracem facit,& capitis grauitatem,& anxietatẽ,& si quis alius dolor antea fieri consueuit, eum exacerbauerit. Vrinam autem ciet,& hoc bonum habet. Optimum verò est vt quis ipsum edat,si aut ebrius est, aut ad potationem ire volet. Caseus flatum,& adstrictionem,& ciborum accessionem facit, quum crudum & incoctile sit edulium: pessimum autem est repletos ipsum inter potum edere. Legumina omnia flatuosa sunt, & cruda, & cocta, & fricta, & macerata, & viridia. His autem vtendum non est nisi cum cibis. Vnumquodq; verò ex ipsis sua peculiaria vitia habet. Cicer flatum,tum crudum, tum frictum, & dolorem inducit.Lens adstringit,& turbationem inducit,si cũ cortice sumatur.Lupinus minime inter hæc mala habet. Silphij caulis & succus, quibusdam quidem maxime, inexpertis autem non transit per ventrem. Verùm vocatur hoc malum cholera sicca. Fit autem maxime, vbi cum multo caseo mixtus fuerit, aut cum carnis bubulæ esu.

60 Nam & atrabiliariæ affectiones à bubularum carnium esu exacerbantur. Est enim insuperabilis ipsarũ natura,& non cuiusuis ventriculi est ipsas concoquere. Optime tamẽ ipsas concoxerint,ac summouerint, qui per coctis,& quàm vetustissimis vtãtur. At caprinæ carnes quæcunq; in bubulis insunt mala, omnia habẽt:itemq; à concoctione alienitatem,& flatuosiores sunt ac ructus ampliores faciunt,& choleram generant.Sunt autem odoratissimæ, solidæ ac iucundissimæ,optimæ & percoctæ & frigidæ. Verùm iniucũdissimæ & graueolentes ac duræ,pessimæ: imò etiam recentes. Optimæ verò sunt æstatis tempore: pessimæ autumno.Porcinæ verò carnes prauæ sunt,quum fuerint crudiores aut ambustæ. Magis autem choleram generant,& turbationem faciunt. Suillæ autem optimæ sunt omnium carnium: sed præstant etiã ex his quæ non vehemẽter pingues sunt, neque tenues, neque veteris victimæ ætatem habent. Edere verò ipsas oportet absque pelle, & subfrigidas.

61 In cholera sicca venter inflatus est, & strepitus insunt, & dolor laterum ac lumborum. Secedit autem nihil deorsum, sed aluus adstricta est. Talem adseruato vt ne vomat,sed aluus subeat.Infusum itaque calidum ac pinguissimũ quàm citissimè per clysterem immittito, & oleo illitum in aquam plurimam calidam demittito,in solium reclinans,& calidam paulatim affundens.Et si calescenti ipsi aluus subierit,morbus solutus est.Dormire quoque tali conducit,& bibere vinum tenue,& vetus ac meracius,& oleũ dato, vt & quiescat,& aluus subeat,& soluatur morbus: à cibis verò & alijs abstineat.Si verò non remiserit dolor,asininum lac bibendum dato,donec purgatus fuerit. At si liquida fuerit aluus, & bilis subeat, & tormina sint,& vomitus,ac suffocationes: his optimum fuerit quiescere. Bibere verò aquam mulsam,& non vomere.

62 Hydropum duæ naturę sunt:quorum alter sub carne si fieri aggreditur, ineuitabilis est. Qui verò cum inflationibus fit, multa bona opus habet,maxime autem ærumnis,& fomentis ac temperãtia.Edat autem sicca & acria. Sic enim vel maxime vrinam eiecerit, & plurimum viribus polluerit.Si verò difficulter spirauerit,& tempus vernum fuerit,& simul ætas vigue rit,& virium robur adsit, de brachio sanguinem detrahere oportet: deinde panes calidos ex vino nigro & oleo tinctos edat, & quàm minimum bibẽs,quàm plurimum laboret, & carnes fusillas carnosas edat cũ aceto coctas,vt aduersus accliues deambulationes reniti possit. Quicunque infernum ventrem calidum habẽt,& alui egestiones acres & inæquales ipsis prodeunt præ colliquatione:his si quidem potentes fuerint,veratro albo reuellere oportet. Sin minus, succus tritici horni crassus,frigidus dandus est, & lenticulæ fresæ decoctum, & panes subcineritij, & pisces febrienti quidem cocti, non verò febricienti, assati, & vinum nigrum non febrienti: sin minus, aqua à mespilis, aut myrti baccis, aut malis, aut sorbis, aut palmulis, aut vitium œnanthe.

63 Si verò febris non habeat,& tormina adsint,lac asininum calidum modicum primùm:deinde sensim facto progressu amplius, & lini semen, & triticeam polentam, & fabas Aegyptias, exempto eo quod in ipsis amarum est,molita ac trita hæc inspergens bibat: aut oua semiconcreta assata edat, & similaginem, & milium: & alicam coctam in lacte: hæc cocta frigida edat,& quæ his similia existunt,tum pocula,tum edulia in cibo assumat.Maximi momenti circa victus rationem, est obseruare ac cauere, tum in acutis, tum in longis morbis, & intentiones febrium, & remissiones, quo temporum occasiones scias, quando cibos exhibere non oportet, & quando tuto exhiberi possunt. Insuperq; quando plurimùm ab intentione adsunt.

64 Nosse porrò oportet eos, quibus caput dolet ab exercitationibus, aut cursibus, aut profectionibus. aut venationibus, aut ex alio quopiam intempestiuo labore, aut ex re venerea: decolores item, raucosos, splenicos,exangues, spirituosos, & siccam tussim habentes,ac sticulosos, & flatuosos, & venarum interceptiones:& eos qui intenta habent præcordia, & latera, & dorsum, & torpefactos, & obscure videntes, & quibus aurium sonitus incidunt, & qui vrinariam fistulam vrinam non continentem habent. & morbo regio laborantes, & quorum alui cruda eijciunt, & ex quibus ex naribus, aut per sedem sanguis vehementer erumpit, & qui tubercula habent, & quibus vehemens dolor incurrit, & non superauerint:ex talibus nullum medicamento purgandum esse. Periculum enim habebis,& nihil opis afferes, & spontaneas liberationes ac iudicationes tolles.

65 At si sanguinem alicui detrahere cõducit, solidam aluum facere oportet, atq; sic detrahere, & fame macerare,ac vinum auferre. Postea victu conueniẽte, & fomentis humidis, reliquam curationem perage. Si verò aluus densa ac adstricta esse videatur, molle infusum per clysterem immitte.Si verò medicamẽtum dare visum fuerit,per veratrum tuto sursum purga. Deorsum verò nullum talium. Optimum autẽ est ad mictionẽ, & ad sudores, & ad deambulationes perducere,& leni frictione vti, vt ne habitum dẽsum efficias.Si verò in lecto decumbat,alij ipsum fricẽt. Et si quidem in thorace supra septum transuersum,affectio ipsum ibsistarit, plurimum resideat, et minime ipsum reclinent:quandiu vires tolerant: et sedentem multo tempore multõ oleo calido defricent. Si verò in inferna aluo sub septo transuerso dolores habeat,

decumbere conducit,& nullo motu moueri tali corpori confert,extra defrictionem. Qui verò ex inferna aluo soluũtur dolores,per vrinas & sudores,si moderate delabuntur, sua sponte soluuntur, qui parui sunt,vehementes autem praui sunt. Tales enim aut pereunt,aut absq; alijs morbis sani non fiunt. Verùm qui huiusmodi sunt incumbunt ac firmantur. Potio hydropica.

66 Cantharidas tres, detracto capite vniuscuiusque, & pedibus, & alis, corpora videlicet ipsarũ in tribus aquæ cyathis tero. Quum autem is qui bibit dolue rit,calida aqua perfundatur. Bibat autem prius illitus,ieiunus;& edat panes calidos ex oleo. Medicamẽtum sanguinem sistens. Fici succum lana exceptum intus ad venã appone;aut coagulo intorto nares obturato. Aut chalcitidem digito prius efformatam ap prime,& cartilagines extrinsecus vtrinque comprime,& aluum lacte asinino cocto solue,& caput rade, & perfrigerantia adhibe,si calidum tẽpus fuerit. Sesamoides sursum purgat,potus eius est drachma dimidia in aceto mulso trita. Commiscetur etiam veratri tertia potionis pars,& minus suffocat. Ad trichiasin, id est pilos pungentes in palpebris enascentes. Immissum in acum foramen habẽtem filum, in summa supernæ palpebræ margine deorsum versus perpunctione facta transmitte, & aliud itidem sub hoc inferne traijcere: extenta fila consue ac deliga, donec decidant,& si quidem satis habuerit,bene est:Sin minus,& quid defecerit,rursus eadem facito.

67 Sed & hæmorrhoidas eodẽ modo transmittes,filo lanæ succidæ crassissimo ac maximo in acum immisso,ac deligato. Securior.n.fit curatio:deinde compressione facta medicamento erodente vtere, & ne prosue donec deciderint:& semper vnam relinque. Postea verò refectis viribus veratrum dato:deinde exerceatur & exudet, & ante exercitationẽ mane frictio multa fiat. Verùm à cursu abstineat,& ebrietate,& ab acribus,origano excepto. Vomat autem per interpositos dies septem,aut ter in mense. Sic enim quam optime habuerit corpus. Vinum verò fuluum,austerum,aquosum,ac modicum bibat.

68 At verò ad suppurato,scillæ frusta rotunda secta in aqua coquito,& vbi valde bene efferbuerit,diffundito,& alia affusa coquito, donec ad contactum percocta ac nollia apparuerint: deinde leuiter tritis cuminum fractum ammisce,& sesama alba,& amygdalas recentes tritas, & hæc melle excepta delingenda præbe,& postea vinum dulce bibendum. Sorbitiones verò sumat, peplum, appellatum meconium album,tritum acetabuli parui mensura,in aqua loturę farinę recentis dilutum ac coctum,melle affuso tepidum absorbens. Atque sic degat per diem: deinde supputans ea quæ eueniunt,cœnam dato. Fabarum item depuratarum quadrantem, & rubiæ sarmenta duodecim,terito,misceto, coquito, & pingui addito delingenda præbeto. Ad oculos. Spodium lotum probe velut farinę massam subactum,non liquidum, vuę immaturæ acerbę succo humectatum leuiter terito,in sole resiccato,& vt ad illitionem commodum sit humectato: quum verò siccum factum fuerit,leuiter trito sicco oculos sublinito,& angulos conspergito. Ad eosdem. Ebeni drachmam,æris vsti obolos nouem,croci obolos tres. Hæc trita in coticula terito,& vini dulcis heminam Atticam affundito: deinde ad solem obuelata exponito,& vbi cocta exaruerint,ipsis vtere.

69 Ad dolores oculorum. Chalcitidis drachmã,vuæ expressæ,vt duæ partes sint reliquę,myrrham & crocum terito, & mustum admisceto, & ad solem coquito,ac illinito. Sint autem in vase æneo. Earum quæ ab vtero strangulantur cognitio. Digitis duobus comprimito,& si senserit,vteri strangulatio est: si non, conuulsio. Ad hydropicos. Pepli meconij appellati, acetabulum paruum Atticum rotundum, potio vna,squamæ æris spicilla lata tria: Hæc leuiter trita,& cum farina recenti agglutinata, ac in catapotia efformata deglutienda dato. Purgant aquam deorsum. Aliud, quod stercora per aluum expellit. In caricas succum tithymalli instilla, in singulas septies: deinde in nouum vas compositas reconde, ac exhibe ante cibum. Aliud. Peplum,quod & meconium appellatur,aqua affusa terito ac excolato, & farinam placentarum torrefactarum ammiscẽs,& mel coctum affundens,hydropicis edendum dato: & vinum dulce aquosum, aut aquam mulsam aquosam insuper bibendam. At meconium, quod primùm excrementum à pueris prodit, collectum recondito,ac curato.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Iudicationibus.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Iudicationis,quæ cito ad melius tendit signa. Aluus quando in morbis densanda. Lumbrici ad iudicationem exeuntes. Vrina optima. Vrina fulua,albam subsidentiam habens. Signa magna quid denotent.*

2 *Capitis dolor in febri nõ lethali. Doloris primis diebꝰ interceptio. Febrium iudicatio. Febres placidissimæ, Lethalissimę.*

3 *Signa bona in febribus ardentibus. Morbus regius in febribus ardentibus.*

4 *Iudicationes & remissiones febrium ardentium. Lipyria. Morbus regius febri desinente. Tertiana septem circuitibus iudicatur. Morbus regius in febribus intolerabilibus septima, aut nona, aut decimaquarta die Sudores qui febres iudicant.*

5 *Vrinarum lentæ concoctiones. Vlcerum iudicatio. Capitis dolor ante febrem. Præcordiorum molles tumores.*

6 *Vrina pura, subsidentia alba, leuis. Vrina subrubra, subsi-*

subsidentia subrubra, leuis. Podagricorum morborum iudicatio. Morborum lethalium iudicatio. Sudores pessimi qui.

7 *Alui egestiones variæ. Vrina pura, fulua, tenuis. Vrinarum in febribus mutationes. Vrinæ ab initio non similes.*

8 *Sudores frigidi cum acuta febri, lethales. Morbi longitudinem significantia signa. Sudor in febre permanente. Sudor multus in sanis. Alui egestiones in idem concedentes. Bilis atra in egestione subsidens. Venæ pulsantes sana facie. Manuum palpitationes.*

9 *Signa lethalia. Febris continuæ iudicatio. Distentio antrorsum & retrorsum. Morbus regius, & singultus in febribus quando lethalis. Recidiuæ in quibus. Febris ardentis recidiua.*

10 *Recidiuantes morbi. Abscessus ad aurem circa iudicationem non suppurati. Hæmorrhoides in atrabiliarijs cum phrenitidi. Insaniæ solutio. Suppurati ex linguæ, & labiorum impotentia. Doloris in locis infernis solutio.*

11 *Coxarum dolor in febribus ardentibus. Rigor in febre ardenti. Tremores in febribus ardentibus. Aurium surditas in febri ardenti. Rigor in febribus. Dolores repentini. Febris vehemens, &c. Hydropis solutio. Alui profluuium à pituita alba. Dolores vehementes in pedibus.*

12 *Alui diuturnum profluuium soluentia. Pueris per aures ac nares fluxio. Capitis repentini dolores. Caput circumcirca dolens. Alui profluuium lippientibus commodum. Neruorum distentio à conuulsione. Conuulsio febri superueniens.*

1 DE Iudicationibus quæ cito ad melius tendunt, plerunque eadem signa sunt, quæ etiam sanitatis. Sudores enim optimi sunt, & celerrime febrem sedant, qui in iudicatorijs diebus fiunt, & febrem perfecte summouent. Boni quoque sunt qui per totum corpus oborientes, morbum facilius ferre faciunt. Quiuerò nihil horum faciunt, incommodi sunt. Densari verò oportet alui egestionem, morbo ad iudicationem tendente. Sit autem subfulua, & non valde graueolens. Commodum est & lumbricos exire ad iudicationem. Vrina autem optima est, quæ habet albissimam subsidentiam, & leuem ac æqualem, per totum tempus donec iudicatus fuerit morbus. Significat enim securum ac breuem fore morbum. Si sudore oborto morbus deficiat, & vrina fulua albam subsidentiam habens conspiciatur: his eadem die recidiua febris fiet, atque hæc quinta die citra periculum iudicatur. His qui in breuissimo tempore sani euadent, omnia maxima signa fiunt. Nam magis sine dolore degunt, & extra periculum, & noctu dormiunt, & alia signa secura præ se ferunt.

2 Quibus in febre non lethali capitis dolor, & alia signa circumstant, in his bilis dominatur. Quibus inceperit dolor primis diebus, & quarta ac quinta magis premuntur, hi septima à febre liberantur. Febres iudicantur in ijsdem numero diebus, ex quibus & superstites euadunt homines, & ex quibus pereunt. Et enim placidissimę febres, & signis securissimis cõtingentes, quarto die desinũt, aut prius. Lethalissimæ verò & signis horrẽdissimis contingẽtes, quarto die aut prius occidũt. Primus igitur ipsarũ insultus sic desinit: Alter ad septimum deducit: Tertius ad vndecimũ: Quartus ad decimumquartum: Quintus ad decimumseptimum: Sextus ad vigesimum. Atque hæc in acutissimis morbis, per quatuor ad viginti, appositiones fiunt. Non potest autem quicquam horum integris diebus exactè numerari: neq; enim anni ac menses totis diebus constant.

3 In febribus ardentibus bona signa apparẽtia, qualia in sanis scripta sunt, si quidem minora fuerint, ad tertium diem remissionem iudicant: crassiora verò, in crastinum: crassa autem, eadem die. In febribus ardentibus si posterius septimo die morbus regius accedat, inditium est sublati sudoris. Nam morbus non solet exudare, neque vsquam alibi abscessum facere, sed sanus fit. Necesse autem est vbi calor febris discessit, & humorem in seipsum attraxit, febri contingere iudicationem, per vrinas prodeuntes, aut etiam alui egestiones, aut sanguinis ex naribus fluxum, aut mictionem multam, aut per multam humiditatem, sudorem, aut vomitum: Mulieri verò etiam per mẽsium viam. Maximè igitur hæc iudicationem faciunt, & quicquid his propinquum contingit. Facit autem & alias iudicationes, sed minus quam has. Si verò septimo die morbus regius accedat, aut posterius, in febre ardente, & difficilis multi sputi secessus, tum in ardentibus, tum in alijs febribus: si nullo talium signorum contingente dimiserit febris, necesse est tales iudicationes pro illis fieri, aut magnorum tuberculorum abscessum, aut dolores ex abscessu vehementes, aut colliquationes humorum ex calore.

4 Iudicationes & remissiones eorum quæ febrẽ ardentem significant, longiorem morbum faciunt. Si verò fortia fuerint, mors plerunque sequitur. Reliquæ verò ardentes securæ desinunt septimo aut decimoquarto die. Solet autẽ & ad lipyriam deuenire: & detinet maxime XL. dies, & in epialum transit: & lipyria eadem quoq; die corripit ac dimittit. Fit auem & capitis dolor. Si verò lipyria non dimiserit in XL. diebus, sed producta fuerit, & dolor habuerit caput, & deliret æger, ipsum purgato. Desinente verò febre ardente si accedat morbus regius, non solet amplius exudare, neque vsquam alibi abscessum facere, sed sanus fit. Tertiana in septẽ circuitibus plerunq; iudicatur. Quibuscunque in febribus intolerabilibus septima, aut nona, aut decimaquarta morbus regius accedit, bonum: si non dextrum præcordium durum fiat: Sin minus, ambiguũ. Acuti morbi in quatuordecim diebus plerunque iudicantur. Sudores febricitãti si fiant tertia die, & V. & VII. & IX. & XI. & XIIII. & XXI. & XXXI. hi sudores morbos iudicant. Qui verò non sic fiunt, dolores significant.

5 Concoctiones vrinarum paulatim matureſcentes, si in iudicatorijs diebus concoctę fuerint, morbum soluunt. Exemplum vrinarum vlcera facere oportet. Nã vlcere si repurgantur pure albo, celerẽ curationẽ indicant: Si verò in sanioſos humores transmutẽtur, maligna fiunt. Eodem modo & vrinæ significant. Si ex dolore tenues fiãt, ex occasione ratiocinari oportet, ex qua morbus accessit, & hanc inspicere vbi sedatur. Nam hac deficiente, alijs signis qualia conueniunt accedẽtibus, non putandum est morbo liberationẽ contingere. Si doluerit caput, & ex hoc febris accedat, & hinc non sedetur: dolore non cessante febris nõ iudicatur: & plurima talia iudicationis lõgæ

sunt

sunt ad melius, etiam in his quæ ad sanitatem tendunt. In præcordijs tumores molles, & doloris exortes, & ad contactum cedentes, diuturniores quidem iudicationes faciunt, minus autem horrendas tuberculis his contrarijs. Eodem modo habet, & de tuberculis in reliquo ventre.

6 Ex vrinis si quidem id quod mictū est purum fuerit: subsidentiam verò albam ac leuem habuerit, diuturnior fit morbus, & minus quàm optima secura est hęc vrina. Si verò & vrina subrubra fuerit, & subsidētia subrubra ac leuis: diuturniorem quidē hæc morbum quàm prior significat, sed valde salutarem. Quicunque podagrici morbi fiunt, hi in quadraginta diebus ab inflammatione liberi sedantur. Sed in his pleraque longæ iudicationis ad melius sunt. Quæ ad mortē tendunt, in die ac nocte iudicantur, quę videlicet debilitationis signa sunt, velut epoti medicamenti, exturbationis alui & sursum & deorsum, anxietatis, & aliorū huiusmodi. Si igitur horum signa in die ac nocte submouean tur, bene est: Sin minus, lethalia esse putanda sunt. Sudores pessimi sunt frigidi, & circa ceruicem contingētes. Hi enim mortes, & morborum longitudinem præsignant.

7 Alui egestiones variæ, diuturniores quidem sunt nigris & alijs lethalibus egestionibus, nihilo verò minus perniciosæ. Sunt autem lethales, ramētosæ, bilio sæ, cruentæ, prasinę, nigręque & aliquādo simul omnes prodeunt, aliquando singulæ particulatim. Vrina si quandoq; pura micta fuerit, quandoque subsidētiam albam ac leuem habens, diuturnæ tales sunt, & minus securæ quàm optima vrina. Si verò fulua ac tenuis fuerit vrina multo tēpore, periculum est ne suffi cere homo possit, donec concocta fuerit vrina. & si aliàs superstitis futuri signa fuerint, his abscessum afore expecta ad locos infra septum transuersum. In febribus si mutationes habeat vrina, diuturnitatem temporis significat, & necesse est ægrotum mutari & ad deteriora, & ad alteram partem. Si vrinæ ab initio non similes fuerint, sed ex tenuibus crassæ fiant, & penitus tenues, tales ægrè iudicant, ac inconstantes sunt.

8 Frigidi sudores cum acuta quidem febre, lethales sunt; cum mitiore verò, longitudinem morbi significant. Et vbi in corpore caliditas aut frigiditas, hic morbus est, & ibi in toto corpore mutationes repentinę fiunt: & si corpus perfrigeretur, aut rursus calefiat, aut color alius ex alio transmutetur, morbi lōgitudinem significat. Si febricitanti sudor accedat, febre non deficiente, malum; prolongatur. n. morbus, & humiditatem significat. Febricitanti frigidi sudores accedentes, longam febrem significant. Sudor multus intemperatè oboriens sano, morbum significat, æstate minorē, hyeme maiorem. Alui egestiones si in idem concedere ac consistere permiseris, velut tamenta subsident: si pauca, modicus est morbus: si multa, multus: his infusum per clysterem adhibere cōducit. Quibus verò in egestione inferne bilis atra subsidet, si copiosior, maior est morbus. Si paucior, minor. Si venæ pulsarint, & facies sana fuerit, & præcordia nō mollia, sed in tumorem eleuata, diuturnus est morbus, & absque conuulsione non soluitur, aut multa sanguinis ex naribus fluxione, aut vehementi dolore. Et palpitationes in manibus, diuturnę febris signum sunt, aut breuis iudicationis in deterius: & in his pleraque quæ ad mortem tendunt. His qui breuissimo tempore perituri sunt, maxima signa ab initio fiunt. Nam & difficulter spirant, & noctu non dormiunt, & signa periculosa præ se ferunt. In febre continua si quis quarta die & septima affligatur, & vnde cima non iudicatus fuerit, plerunque perit. Quicunque à distentione antrorsum ac retrorsum corripiuntur, in quatuor diebus pereunt. Si verò hos effugerint, sani fiunt. In febribus ardentibus si accedat morbus regius, & singultus quinto die, lethale est. Recidiuæ fiunt in his, quibus febribus desinentibus vigiliæ fortes accedunt, aut somni turbulenti, aut corporis robur, aut dolores vniuscuiusque mēbri: & quibus febres sedātur, neque signis solutorijs contingentibus, neque in iudicatorijs diebus: & si deficiente febre, & sudore accedente, vrinam fuluam minxerint, albam subsidentiam habentem, his febris recidiuam eadem die expecta. Hę verò recidiuæ quinto die iudicantur extra periculum. Et si ex iudicatione facta vrinam rubicundam, rubram subsidentiam habentem minxerint, etiam his recidiua febris fit eadem die: & pauci ex hac seruantur. Quum recidit febris ardens, plerunque etiam exudat. Et si reuertens tot diebus detinet quot prius, etiam tertio recidiuat, si non impari die dimiserit reuersa.

10 Plerunque si crudæ sint vrinæ, & alia signa non secundum rationem eueniant, morbus in die iudicatoria recidiuat. Quandoque verò etiam reuertitur in die iudicatoria, his talibus relictis. Abscessus circa aurem quibus circa iudicationem oboriens non suppurātur, his submotis recidiua fit iuxta recidiuarum rationem, similis circuiti: in his spes est ad articulos abscessum fieri: aut vrina crassa, qualis est alba in quartānis delassatorijs, liberat abscessu. Quibusdam verò horum etiam sanguinis è naribus eruptiones fiunt. Hæc autem sanguinis eruptio quartanas non soluit, neq; morbos qui per alui egestiones sanari solent. Atrabiliarijs cum phrēnitide occupatis, si hæmorrhoides oboriantur, bonum est. Quicunque insaniunt sua sponte liberati ex morbis, his insaniam soluit dolor ad pedes progressus, aut ad pectus: aut tussis vehemens oborta. Si verò horum nihil fiat, insania soluta oculi priuatio cōtingit. Qui lingua offendunt, & labiorum non sunt potentes, si hæc sedata fuerint, suppurati fiunt. Dolorē in locis infernis fortē soluit aut surditas, aut sanguinis multus è naribus erūpens.

11 Insania, magni morbi ex more contingentis solutio. Quibus in febribus ardentibus coxarum dolor, oculorum distortio, aut cęcitas, aut testium tumores, aut mammarum eleuatio, febrem ardentem soluit, autem etiam sanguinis ex naribus fluxus. In febre ardenti si insuper corripiat rigor, exudare solet. A febre ardente occupato rigore accedente, solutio fit. Quibus in febribus ardentibus tremores oboriuntur, mentis emotio soluit. Quibus in febribus aures obsurduerunt, his non soluta febre, insanire necesse est. Soluit autem sanguis ex naribus erumpens, aut aluus biliosa egerens, aut dysenteria accedēs, aut coxarum, aut genuum dolor. Quibus febribus rigor accedit, febris soluitur. Quibus dolores fiunt derepente, præcordium eleuatum est superne: & si circa spuriam costam graues dolores fiunt, his solutio fit venæ sectio, & purgatio deorsum. Non enim corripit febris vehemens locis impotentibus. In his qui

ab

ab hydrope detinentur, si aquositas per ventrem ad vesicam aut ventrem fluat, solutio fit. Si à pituita alba occupato, alui profluuium vehemens accedat, solutio fit. Qui ab alui profluuio multo tempore detinentur vna cum tussi, non liberantur, si non dolores vehementes in pedibus inciderint. Si verò vult commutatio ac correctio naturæ fieri, postquam non amplius aluus profluit, aut inanem omnem egestionem habuerit, flatus foras prodeuntes accidunt. Nullum itaque humorem manifestum habent. Quare ei qui ita habet securè exhibere scies ea quæ conueniunt: & si voluulus accedat, vinum frigidum multum meracum paulatim bibendum dato, donec somnus, aut crurum dolor fiat. Soluit autem & febris, aut dysenteria. Caput circumcirca dolenti ac ægrotanti, si pus per aures, aut per nares fluxerit, soluit morbum. Qui buscunque sani derepentè dolores oboriuntur in capitibus, & statim voce priuantur, ac stertunt, hi in septem diebus pereunt, si non febris corripuerit. Caput circumcirca dolenti, quicunque ex supernis locus doluerit, cucurbitam affige. Soluit dolor ad coxas, & genua, & anhelatio, quicquid horum factum fuerit. Lippienti, ab alui profluuio corripi, bonum est. A conuulsione aut distentione neruorum vexato, febris accedens soluit morbum. Si à febre detentum cõuulsio corripuit, sedatur febris eadem die, aut postridie, aut tertia die.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Diebus iudicatorijs.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Artis magna pars est iudicium rectũ, de ijs quæ rectè scripta sũt. Medico quæ cognoscẽda. Ex morbis victuri signa. Quæ secundũ naturã non horrenda. Tempus cũ morbo pugnans.*
2 *Partes circa faciem graciles, & venarum tranquillitas. Lingua bifida.*
3 *Oculorum albæ partes quando denigrentur. Oculorum morborum bilis caussa est. Oculorum pupillæ vnde spargantur, & obtusè videant.*
4 *Delyrantes. Vocis priuatio. Causæ huius morbi.*
5 *Tetani tres species. Tetanus ex vulnere. Cibi potusque per nares redeuntes. Opisthotonus. Alius tetanus, prioribus minus lethalis.*
6 *Coxendicum morbus. Causa.*
7 *Morbus regius. Eorum affectiones.*
8 *Peripneumonia.*
9 *Dies iudicatorij. Et quibus ea potissimum accidat.*

MAgnam artis partem esse arbitror, de his quæ recte scripta sunt posse cõsiderationem facere ac iudicare. Qui enim hoc nouit, & his vtitur, non vt mihi in arte multũ falli posse. Oportet aũt exactè perdiscere vnãquamq; temporũ constitutionem, & quenq; morbum, & qui morbus sit bonus, & qui periculosus, aut in constõne, aut in morbo, & qui morbus longus sit & lethalis: & qui longus, & non pernicios ad vitã, & qui acutus ac lethalis: & qui acutus, & supereſſe sinẽs. Ex his.n. ordinem dierum iudicatoriorum considerandi ac prędicẽdi facultas datur: & ex his cognoscere datur, quibus & quando, & qũo victũ præscribere oportet. Maximum itaque signum in ægrotis qui victuri sunt, si non præter naturam fuerit febris ardens, & alij morbi eodem modo. Nihil enim horrendum, neque lethale fit in his quæ secundum naturam sunt. Secundum est, si non etiam ipsum tempus simul cum morbo impugnet. Plerunque enim hominis natura, vniuersi potestatem non superat.

2 Postea verò si partes circa faciem gracilescant: & venæ in manibus, & in oculorum angulis, & supercilijs quietem habeant, quum prius non quieuissent. Huic si vox fuerit debilior, & fit leuior, & spiritus rarior ac tenuior, sequenti die remissio morbi contingit. Hæc igitur considerare oportet ad iudicationes: & an bifida linguæ pars velut saliua alba obducitur, & an in summa lingua hoc idem factum sit, verùm minus. Si quidem igitur parua hæc fuerint, ad tertium diẽ remissio fit morbi. Si verò aliquanto crassior sit saliua, in crastinum. Si verò adhuc crassior, eadem die.

3 Quin & albas oculorum partes in principio morbi denigrari necesse est, si inualuerit morbus. Hæ igitur si puræ fiant, perfectam sanitatem indicant: leniter quidem, tardius: vehementer autem, citius. Cæterùm acuti morbi fiunt à bile, vbi in heparinfluxerit, & ad caput constiterit. Hæc igitur patitur hæpar. Intumescit, & expanditur ad septum transuersum præ tumore: & statim ad caput dolor irruit, maximè verò ad tempora: & æger auribus non acutè audit. Sæpe etiam oculis non videt; & horror, & febris corripit. Atq; hæc quidem ab initio morbi ipsi fiunt ex interuallo, quandoq; vehementer, quandoque minus. Quanto autem morbi tempus magis progressum fecerit, tanto maior fit dolor in corpore: & pupillæ oculorum sparguntur, & obtusè vident: & si digitum admoueris ad oculos, non sentit, eo quòd non videt. Quòd autem non videat, inde cognoueris. Non enim nictat dum digitus admouetur: & floccos aufert de stragulis, si quidem viderit, pediculos esse putans.

4 Et quum hepar magis expassum fuerit ad septum transuersum, delirat; & ob oculos sibi obseruari putat reptilia, & alia omnigena animantia fera, & milites armatos pugnantes, & ipse aduersus ipsos pugnare sibi videtur; & talia dicit velut qui videat, & egreditur, & minatur si quis ipsum aggredi non permittat. Et vbi surrexerit, crura eleuare non potest, sed cadit. Pedes aũt semper fiunt frigidi. Et quũ dormierit,

rit, exilit à somno, & insomnia horrenda uidet. Hoc autem cognoscimus, quod ab insomnijs exilit ac perterretur, postquam ad sanam mentem redijt. Exponit enim insomnia hæc, qualiaque & corpore fecit, & lingua loquutus est: Atque hæc quidem sic patitur. Quandoque uerò etiam uoce priuatur, per totam diem ac noctem multum aceruatum spiritum respirat. Postquam uerò delyrare cessauit, statim ad sanam mentem redit. Et si quis ipsum interroget, rectè respondet, & intelligit omnia quæ dicuntur: deinde rursus paulo post in ijsdem afflictionibus iacet. Hic morbus accidit maximè in peregrinatione, & si alicubi desertam uiam iuerit, & timor ipsum ex spectro corripuerit. Corripit etiam alijs modis.

5 Tetani tres. Si quidem ex uulnere tetanus, siue distētio neruorum antrorsum, ac retrorsum fiat, æger hęc patitur. Maxillæ congelantur ac rigent, uelut ligna: & os aperire non potest, & oculi frequenter lachymantur ac distrahuntur, & dorsum riget, & crura flectere non potest, neque manus, neque spinam. Quum uerò lethalis fuerit, potus & cibi quos prius accepit, per nares quandoque redeunt. At opisthotonos, retrorsum contingens distentio, reliqua quidem eadem ægro inducit vt plurimum: fit autem quum in ceruice tēdines retrorsum ęgrotarit. Ægrotat autem ab angina, aut ab uua, aut locis circa tonsillas suppuratis. Aliquando etiam à capite febribus accedentibus conuulsio succedit. Iam verò etiā à vulneribus. Hic trahitur in posteriorem partem, & præ dolore dorsum ac pectora rigent, & eiulat. Hic conuellitur vehementer, vt vix detineatur à præsentibus, ne è lecto excidat. Alius tetanus est minus lethalis prioribus: fit autem ab ijsdem, & totum corpus similiter conuellitur. Febris ardens prædictis non similiter fit. Vrit enim semel, vt necesse sit febricitare. Sitis igitur multa hominem tenet, & febris vehemens: lingua verò rumpitur exasperata, & ficca fit: & color ipsius primùm quidem pallidus est, velut solet: progressu verò temporis nigrescit. Et si quidem in principijs nigrescat, citiores iudicationes fiunt: Si verò posterius, diuturniores.

6 Coxendicum morbus ex his maximè causis fit in plerisque: si quis diutius in sole uersetur, & coxendices fuerint calfacti, & humor qui est in articulis, à calore fuerit resiccatus. Quod autem id quod resiccatur condensatur ac compingitur, hoc magnum signum est. Aeger enim articulos uertere ac mouere non potest, præ dolore articulorum, & eo quòd uerticula sunt compacta. Dolet autem magis lumbos & uerticula ea quæ sunt ex obliquo coxarum, & genua. Consistit autem dolor plurimo tempore in inguinibus simulque coxendicibus, acutus, ac æstuosus: & si quis ipsum erigat aut transmoueat, eiulat præ dolore quàm maximè potest. Quandoque verò etiam conuulsio accedit, & rigor ac febris. Fit autem à bile & pituita, fit etiam à sanguine: & dolores consimiles ab omnibus morbis: & rigor & febris aliquando corripit debilis.

7 Morbus regius acutus est, & celeriter occidens. Color totus malicorij speciem refert, & est vehementer cum virore pallidus, quemadmodum lacerti cum virore pallidiores: consimilis autem est cutis. Et in vrina subsidet velut eruum suluum: & febris & horror debilis habet. Quandoque etiam stragula habere non sustinet, sed mordetur ac raditur in matutino tempore, vbi nondum cibum accepit, internis partibus; deinde viscera plerunque sugunt. Et si quis erigat ipsum aut alloquatur, non sustinet. Hic vt plurimum moritur intra quatuordecim dies. Has autem vbi effugerit sanus fit.

8 Peripneumonia talia facit. Febris vehemens tenet: & spiritum densum ac calidum respirat: & anxietas adest, & impotentia, & iactatio, & dolores circa scapulas, & clauiculas, & mammam: & grauitas in pectoribus, & delyrium. Quandoque verò doloris exors æger est, donec tussire inceperit. Verùm hic morbus diuturnior ac difficilior illo est. Saliuam autem albam & spumosam primùm spuit. Lingua flaua est, verùm progressu temporis nigrescit. Si quidem igitur in principio nigrescat, citius morbus finitur: Si verò posterius, tardius. Tandem verò etiam rumpitur lingua: & si digitum apponas, inhæret. At liberationem à morbo significat lingua, similiter velut in pleuritide. Hæc autem patitur æger minimùm diebus quatuordecim: ad summū vna, & viginti: & tussit hoc tempore vehementer: & vnà cum tussi purgatur: Primum quidem saliua multa ac spumosa. Septima verò & octaua die, vbi febris in vigore fuerit, & humida sit peripneumonica, crassior: Sin minus, non. Nona verò & decima, cum virore pallida ac subcruēta. Duodecima autem vsque ad decimamquartam, multa & purulenta.

9 Atque hoc in his contingit, quorum naturæ & corporis affectiones humidæ sunt, & morbus fortis est. Quorum verò & natura, & morbi constitutio ficca est, in his minus. Cęterùm de iudicatorijs diebus, etiā iam antè à me dictum est. Iudicantur autem febres quarta die, septima, vndecima, decimaquarta, decimaseptima, vigesimaprima. Ex his autem acutis quædam etiam trigesima: deinde quadragesima, postea sexagesima. Quum verò hos numeros excesserint, diuturna iam febrium constitutio fit.

HIPPOCRATIS COI

Liber Aphorismorum.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Nulla Aphorismorum libris argumenta adiecimus, propterea quòd hæc tractatio vulgò omnibus nota sit, aut certe esse debeat; & illam in Indice copiosissime prosequuti sumus.*

Sectio prima.

1 VIta breuis, ars longa, tempus præceps: experimentum periculosum, iudicium difficile. Oportet autem nō solùm seipsum exhibere, quæ decent facientem, sed etiam ægrotum, & præsentes, & quæ externa sunt. II. In perturbationibus alui, & vomitibus sponte contingentibus, si quidem qualia purgare oportet purgētur, confert, & leuiter ferunt: Sin minus, vice versa. Sic & vasorum vacuatio, si quidem talis fuit, qualis fieri debet, confert, & bene ferunt: sin minus, vice versa. Inspicere itaq; oportet regionem, & tēpus, & ætatem, & morbos, in quibus conuenit, aut non. III. In exercitantibus boni habitus ad summum progressi periculosi sunt, si in extremo fuerint. Non.n. manere possunt in eodem, neq; quiescere. Quum verò non quiescant, non amplius in melius augescere possunt, reliquū est igitur vt in deterius. Ob has igitur causas bonam habitudinem non tardè soluere confert, quo corpus rursum renutritionis principiū sumat. Neq; verò collapsiones ad extremū ducere oportet, periculosum.n.est. Sed qualis natura est eius qui perferre debet, ad hoc ducere conuenit. Similiter autem euacuationes ad extremū ducentes periculosæ sunt: & rursus renutritiones in extremo existētes, periculosę sunt. IIII. Tenues & exacti victus, & in lōgis semper affectionibus, & in acutis, vbi nō expedit, periculosi sunt: & rursus victus ad extremā tenuitatem progressi, difficiles sunt. Et repletiones ad extremum progressæ, difficiles sunt. V. In tenui victu delinquentes ægrotantes, magis læduntur. Omne enim delictum quod committi poterit, magis magnū committitur in tenui, quàm in paulò pleniore victu. Quapropter etiam in sanis periculosus est valde tenuis, & constitutus, ac exactus victus: quoniā delicta grauius ferūt. Ob hoc igitur tenuis & exactus victus periculosus est magis quàm paulò plenior. VI. Ad extremos morbos exacte extremę curationes optimę sunt. VII. Vbi quidem peracutus est morbus, statim etiā extremos labores habet, & extremè tenuissimo victu vti necesse est. Vbi verò non, sed pleniore victu vti licet, intātum subdescendēdum est, inquantum morbus extremis mollior fuerit. VIII. Quum in vigore fuerit morbus, tunc tenuissimo victu vti necesse est. IX. Simul autem coniectare oportet, an æger ex victu durare possit ad morbi vigorem: & vtrum ille prius deficiet, & ex victu durare non possit: aut morbus prius deficiet ac obtundetur. X. Quibus igitur statim vigor est, his statim tenuis victus exhibendus est. Quibus verò vigor posterius, his ad illud, & paulò ante illud tempus, subtrahendus est. Antea verò mitius æger victu tractandus, quo durare possit. XI. In exacerbationibus subtrahere victum oportet. Nam apponere noxa est. Et quibus per circuitus exacerbationes fiunt, in exacerbationibus subtrahere oportet. XII. Exacerbationes & cōstitutiones indicabunt morbi, & tempora anni, & circuitum inter se collata incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per amplius temporis interuallum fiant. Sed & ex apparentibus indicia fiunt, velut in pleuriticis, si sputum statim appareat incipiente morbo, ipsum abbreuiat. Si verò posterius appareat, producit: & vrinæ, & alui egestiones, & sudores apparentes indicāt, & ægrè & facile iudicandos, & breues & longos morbos. XIII. Senes facillimè ieiunium ferunt, deinde ætate consistentes. Minimè adolescentes: omnium verò minime pueri, & inter hos ipsos qui ipsi seipsis alacriores fuerint. XIV. Qui crescunt, plurimum habent innatum calorem; plurimo igitur opus habent alimento: Sin minus, corpus consumitur. Senibus autem modicus est calor: quapropter paucis fomitibus opus habent, à multis enim extinguuntur. Ob hanc etiam causam febres senibus non similiter acutæ fiunt. Frigidum est enim ipsorum corpus. XV. Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: Quapropter in his temporibus alimenta plura exhibenda sunt. Nam innatum calorem ampliorem tunc habent: alimento igitur ampliore opus habent. Signum sunt ætates, & athletę. XVI. Victus huiusmodi omnibus febricitantibus conferunt: Maxime verò pueris, & alijs ita ali adsuetis. XVII. Et quibus semel aut bis, & plus aut minus, & ex parte exhibere oportet, considerandum est. Dandum verò etiam aliquid est tempori, & regioni, & ætati, & consuetudini. XVIII. Aestate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillime: deinde vere. XIX. His qui in circuitibus exacerbantur, nihil dare oportet, neque cogere: sed auferre de appositionibus ante iudicationes. XX. Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere oportet, neque nouare, neque medicamentis, neque alijs irritamentis, sed sinere. XXI. Quæ ducere oportet, quò maximè repunt, eò ducere opurtet, per conuenientes locos. XXII. Concocta medicamentis aggredi oportet, & mouere non cruda, neque in principijs, si non turgeant. Plurima verò non turgent. XXIII. Quæ prodeunt, non multitudine æstimare oportet, quamdiu prodant qualia oportet, & facilè æger ferat. Et vbi opus est, vsque ad animi deliquium ducere oportet: & hoc facere, si sufficiat æger. XXIV. In acutis affectionibus raro etiam in principijs medi-

medicamentis vti oportet: atque hoc facere diligenti prius æstimatione facta. xxv. Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt. Contraria verò difficulter.

Sectio II.

1. In quo morbo somnus laborem facit, mortale: Si verò somnus prosit, non lethale. II. Vbi somnus delyrium sedat, bonum est. III. Somnus, vigilia, vtraque modum excedentia, malum. IIII. Non satietas, non fames, neque aliud quicquam bonum est, quod naturæ modum excedat. V. Lassitudines sponraneæ denuntiant morbos. VI. Quicunque aliqua corporis parte dolentes, plerunque dolores non sentiunt his mens ægrotat. VII. Quæ multo tempore attenuantur corpora, lente reficere oportet: Quæ verò breui, breui. VIII. Si ex morbo cibum capiens, quis non fiat validus, significat quòd corpus vberiore alimento vtitur: Si verò cibum non accipienti hoc contingat, nosse oportet quòd euacuatione opus habet. IX. Corpora quocunque quis purgare voluerit, fluida facere oportet. X. Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes. XI. Facilius est repleri potu quàm cibo. XII. Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere solent. XIII. Quibuscunque iudicatio fit, his nox grauis ante exacerbationem. Quæ verò sequitur, plerunque tolerabilior est. XIIII. In alui fluxionibus, mutationes egestionum prosunt, si non ad prauas mutentur. XV. Vbi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore nascuntur, excretiones considerare oportet. Si enim bilioſæ fuerint, corpus simul ægrotat. Si verò similes sanis fiant, tutum est corpus nutrire. XVI. Vbi fames, non oportet laborare. XVII. Vbi cibus præter naturam copiosior ingressus fuerit, morbum facit. Ostendit autem sanatio. XVIII. Eorum quæ aceruatim, & velociter nutriunt, veloces etiam egestiones fiunt. XIX. Acutorum morborum non omnino tutæ sunt prædictiones, neque mortis, neque sanitatis. XX. Quibus dum iuuenes sunt, ventres humidi sunt, his senescentibus reficcantur. Quibus verò dum iuuenes sunt, ventres sicci sunt, his senescentibus humectantur. XXI. Famem vini potus soluit. XXII. Quicunque morbi ex repletione fiunt, euacuatio sanat. Et quicunque ex euacuatione, repletio. Et aliorum contrarietas. XXIII. Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. XXIIII. Septimæ quarta index est. Alterius hebdomadæ octaua principium est. Considerandа verò est vndecima. Hæc enim quarta est secundæ hebdomadæ. Considerandа rursus decimaseptima. Ipsa enim est quarta quidem à decima quarta, septima verò ab vndecima. XXV. Aestiuæ quartanæ plerunque sunt breues. Autumnales verò longe, & maxime quæ ad hyemem pertingunt. XXVI. Febrem in conuulsione fieri melius est, quàm conuulsionem in febre. XXVII. His quæ non secũdum rationem leuant, non oportet credere, neque valde timere ea quæ praua fiunt præter rationem. Pleraque enim ex talibus incõstantia sunt, & nõ valde permanere, neq; morari solent. XXVIII. Febricitantium non omnino leuiter, permanere, & nihil minui corpus, aut etiam magis quàm pro ratione colliquari, malum est. Illud enim morbi longitudinem, hoc verò debilitatem significat. XXIX. Incipientibus morbis si quid mouendum videtur, moue: vigentibus verò, quietem agere melius est. XXX. Circa principia & fines, omnia debiliora sunt: Circa vigores verò, fortiora. XXXI. Ex ægritudine bene cibum accipienti, nihil augescere corpus, malum est. XXXII. Plerunque omnes male habentes, ab initio cibum bene capientes, & nihil augescentes, ad finem rursus cibos fastidiunt. At ab initio quidem valde cibum auersantes, postea verò bene cibum capientes, melius liberantur. XXXIII. In omni morbo valere mente, & bene se habere ad ea quæ exhibentur, bonum: contrarium verò, malum. XXXIV. In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & tẽpori morbus magis affinis fuerit, quàm hi quibus non affinis in aliquo horum existit. XXXV. In omni morbo partes circa vmbilicum & pectinem, crassitudinem habere melius est. At vehemens tenuitas & eliquatio, praua est. Periculosa verò talis est etiam ad infernas purgationes. XXXVI. Sana habentes corpora, dum medicamentis purgantur, cito exoluuntur. Itemque qui prauo cibo vtuntur. XXXVII. Qui bene habent corpore, eos operosum est medicamentis purgare. XXXVIII. Paulò deterior & potus & cibus, verùm iucundior, melioribus quidem, sed iniucundioribus præferendus est. XXXIX. Senes iuuenibus plerunque minus ægrotant. Quicunque verò ipsis fiunt morbi diuturni, vt plurimum commoriuntur. XL. Raucedines & grauedines, in valde senibus non coquuntur. XLI. Qui exoluuntur sæpe & fortiter, absque manifesta causa derepente moriuntur. XLII. Syderationem fortem quidẽ soluere, impossibile est, debilem verò non facile. XLIII. Ex his qui strangulantur, & submerguntur, nondum autem mortui sunt, non reconualescunt quibus spuma circa os fuerit. XLIV. Crassi admodum secundum naturam magis cito moriuntur, quàm graciles. XLV. Iuuenibus comitialium liberationem faciunt mutationes, maxime ætatis, & regionum & victuum. XLVI. Duobus doloribus simul instantibus, non secundum eundem locum, vehemẽtior obscurat alterũ. XLVII. Circa generationẽ puris, dolores & febres magis contingunt, quàm facto iam ipso. XLVIII. In omni corporis motu, quum inceperit dolere, quiescere statim lassitudinem eximit. XLIX. Adsueti consuetos labores ferre, etiam si fuerint debiles, aut senes, non adsuetis fortibus ac iuuenibus facilius ferunt. L. Ex multo tempore consueta, ẽt si deteriora fuerint, inconsuetis minus molestare solent. Oportet igitur ẽt ad incõsueta transmutationem facere. LI. Multum & repente euacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut omnino quomodocunq; corpus mouere, periculosum est. Et omnis multitudo naturæ contraria est. Quod verò paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum si ex altero ad alterum transitus fit. LII. Oia secundum rationem facienti, si non secundum rationem fiant, non transire oportet ad aliud, manẽte eo quod visum est ab initio. LIII. Quicunque ventres humidos habent, dum quidem iuuenes sunt, melius degũt quàm hi qui siccos habent. Verùm ad senectutem deterius degunt. Reficcantur enim plerunque senescentibus. LIV. In corporis magnitudinem iuuẽtutem quidem degere, liberale est & non indecorum. Senectutem verò degere, inutile, & deterius paruitate.

Sectio

Sectio III.

1. Mutationes temporum maxime pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes frigoris, aut caloris,& reliqua iuxta rationem hoc modo. II. Naturarum aliæ quidem ad æstatẽ,aliæ verò ad hyemem,bene aut male se habent. III. Morborum alij ad alia tempora, bene aut male se habent: & ætates quædam ad tempora, & regiones, & victus. IV. In temporibus quum eadem die, modo calor,modo frigus fit,autumnales morbos expectare oportet. V. Austri auditum grauantes, caliginosi, caput grauantes, torpidi,dissoluentes. Quum hic præualuerit,talia in morbis patiuntur. Si verò Aquilo fuerit, tusses, fauces,alui duræ, vrinæ difficultates, horrores, dolores costarũ pectoris. Quum hic dominatur,talia in morbis expectare oportet. VI. Quum æstas fit verisimilis, sudores in febribus multos expectare oportet. VII. In siccitatibus febres acutæ fiunt:& si quidem annus amplius talis fuerit,qualem constitutionem fecerit,plerunque tales etiam morbos expectare oportet. VIII. In constantibus temporibus,si tempestiue tempestiua reddantur, morbi constantes & iudicatu facillimi fiunt. In inconstantibus autem,inconstantes, & qui difficulter iudicantur. IX. In autumno morbi acutissimi, & omnino mortiferi: Ver autem saluberrimum, & minime lethale. X. Autumnus tabidis malus. XI. De temporibus, si quidem hyems sicca & aquilonaris fuerit:Ver aũt pluuiosum & australe, necesse est æstate febres acutas, & lippitudines, & dysenterias fieri, maxime mulieribus, & viris natura humidioribus. XII. Si verò hyems australis, & pluuiosa, ac clemens fiat: Ver autem siccũ & aquilonare,mulieres quidem quibus partus ad ver instat, ex omni occasione abortiunt. Quæ verò pariunt,impotentes ac morbosos pueros pariunt, ita vt aut statim pereant, aut tenues ac morbosi viuant. Alijs autem dysenteriæ, & lippitudines siccæ fiunt. Senioribus verò defluxiones breui perimentes. XIII. Si verò æstas sicca fiat & aquilonaris: Autumnus aũt pluuiosus & australis,capitis dolores ad hyemẽ fiũt, & tusses,& raucedines ac grauedines:quibusdã etiam tabes. XIV. Si verò aquilonaris, & aquarum exors autumnus fuerit, his quidẽ qui humidas naturas habent, & mulieribus commodus erit. Reliquis verò fient lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines. Quibusdam verò etiam atræ biles. XV. Ex anni verò constitutionibus,in summa siccitates pluuiosis salubriores sunt,& minus lethales. XVI. Morbi in pluuiosis quidem plerunque fiunt, febres longæ, & alui fluxiones, & putredines, & comitiales,& syderationes,& anginæ. In siccitatibus verò,tabes, lippitudines, arthritides, vrinæ stillicidia,& dysenteriæ. XVII. Quotidianæ verò constitutiones, aquilonares quidem corpora compingunt, & robusta, & ad motum idonea,& bene colorata,& melius audientia faciunt, & ventres reficcant, & oculos mordent, & si circa thoracem aliquis dolor prius est, magis affligunt. Australes autem corpora dissoluunt,& humectant, & grauem auditum, ac capitis grauitatem, & vertigines faciunt: In oculis autem & corporibus ægrum motum,& ventres humectant. XVIII. Secundum tempora vere quidem, & prima æstate, pueri, & qui his ætate cohærent, optime degunt, & maxime sani sunt: Aestate verò & autumno aliquandiu, senes: Reliquo autumno & hyeme,mediam ætatem habentes. XIX. Morbi omnes quidem in omnibus tẽporibus fiunt. Quidam tamen magis in quibusdam ipsorum,& fiunt,& exacerbantur. XX. Vere etenim insaniæ,& atræ biles,& comitiales, & sanguinis fluxiones,& anginæ,& grauedines,& raucedines,& tusses,& lepræ,& impetigines,& vitiligines,& pustulæ vlcerosæ plurimæ,& tubercula,& morbus articularis. XXI. Aestate verò & quidam ex his,& febres continuæ,& ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ,& vomitus,& alui profluuia,& lippitudines, & aurium dolores,& oris exulcerationes, & pudendorum putredines,& paplæ sudorosæ. XXII. Autumno autem & ex æstiuis multi,& febres quartanæ,& errones,& splenes,& hydropes,& tabes,& vrinę stillicidia,& intestinorum leuitates,& dysenterię,& coxendices,& anginæ,& anhelationes,& voluuli,& comitiales,& insaniæ, & atræ biles. XXIII. Hyeme verò pleuritides,peripneumoniæ,& grauedines, raucedines,tusses,dolores pectorum,laterum, ac lumborum capitis dolores,vertigines,syderationes. XXIV. In ætatibus autem talia contingunt: Paruis ac recens natis pueris feruida oris vlcera,vomitus,tusses,vigiliæ,timores,vmbilici inflammationes, aurium humiditates. XXV. Ad dentitionem verò accedentibus, gingiuarum pruritus,febres,conuulsiones, alui profluuia, & maxime vbi dentes caninos producunt, tum crassissimis pueris, tum his qui duros ventres habent. XXVI. Senioribus autem euadentibus,tonsillæ,verticuli in occipitio intro luxationes,anhelationes,calculorum generationes,lumbrici rotundi,ascaridæ, verrucæ,tumores glandularum circa aures oblongi,satyriasmi appellati,strumæ.& alia tubercula,maxime verò prædicta. XXVII. Adhuc verò senioribus, & ad pubertatem accedentibus,pleraque ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus sanguinis fluxiones. XXVIII. Plurimæ verò affectiones pueris iudicantur, partim in quadraginta diebus,partim in septem mẽsibus,partim in septem annis,partim ad pubertatem accedentibus. Quæ verò permanserint pueris affectiones,& non exolutæ fuerint circa pubertatẽ, aut fœmellis circa mensium eruptiones, diuturnæ fieri solent. XXIX. Iuuenibus autem sanguinis spuitiones, tabes,febres acutæ, comitiales,& alij morbi, maxime verò prædicti. XXX. His verò qui hanc ætatem excesserunt,anhelationes,pleuritides, peripneumonię, lethargi,phrenitides,febres ardentes, alui profluuia diuturna,bilis sursum ac deorsum effussiones, dysenteriæ,intestinorum leuitates, hæmorrhoides. XXXI. Senibus autem spirandi difficultates, & defluxiones cum tussi, vrinæ stillicidia, vrinæ difficultates, articulorum dolores,nephritides,vertigines, syderationes,mali habitus,pruritus totius corporis,vigiliæ,alui,oculorum,& narium humiditates,visus hebetudines,glaucedines,auditus grauitates.

Sectio IIII.

1. Prægnantes medicamentis purgare oportet, si turget humor,quarto mense,& vsque ad septimum. Minus verò has:Iuniores autẽ & seniores fętus vereri oportet. II. In medicamentorum vsu,talia ex cor-

pore ducere oportet, qualia etiam ſponte prodeuntia commoda iunt: Contrario autem modo prodeuntia, ſedare. III. Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt. Contraria verò difficulter. IIII. Medicamentis purgare oportet æſtate quidem, ſuperiores magis: hyeme verò inferiores. V. Sub canem, & ante canem, operoſæ ſunt medicamentorum purgationes. VI. Graciles, & facile vomentes, ſurſum purgare oportet, vitantes hyemem. VII. Difficulter vomentes, & moderate carnoſos, deorſum, vitantes æſtatem. VIII. Tabeſcentes autem, vitantes ſuperiores. IX. Atrabiliarios verò plenius inferiores. Eadem ratione contraria apponentes. X. Purgare oportet in valde acutis, ſi humor turget, eadem die. Morari enim in talibus malum eſt. XI. Quibus tormina, & circa vmbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliàs ſoluitur, in hydropem ſiccum firmatur. XII. Quibus alui inteſtinorum leuitate affecti, eos hyeme ſurſum purgare malum eſt. XIII. Ad veratrum, his qui non facile ſurſum purgantur, ante potionem corpora humectare oportet, ampliore cibo ac quiete. XIIII. Vbi biberit quis veratrum, ad motus quidem corporum magis ducere oportet, ad ſomnos autem, & quietem minus. Declarat autem nauigatio, quòd motus corpora turbat. XV. Vbi volueris magis ducere veratrum, corpus moueto. Vbi verò ſiſtere, ſomnum facito, & ne moueto. XVI. Veratrum periculoſum eſt ſanas carnes habentibus. Conuulſionem enim inducit. XVII. Sine febre exiſtenti cibi faſtidium, & oris ventriculi morſus, & vertigo, & os amareſcens, medicamento ſurſum purgante opus habere ſignificat. XVIII. Dolores ſupra ſeptum tranſuerſum, qui purgatione opus habent, ſurſum verſus purgatione indigere ſignificant: qui verò infra deorſum. XIX. Qui in medicamentorum potionibus, dum purgantur non ſitiunt, non ceſſant prius quàm ſitierint. XX. Non febrientibus ſi fiat tormen, & genuum grauitas, & lumborum dolor, deorſum medicamento purgante opus habere ſignificat. XXI. Egeſtiones alui nigræ, velut ſanguis niger, ſua ſponte prodeuntes, & cum febre, & ſine febre peſſimæ ſunt: & quanto plures fuerint peiores colores, tanto magis malum eſt. Cum medicamento verò, melius; & quanto plures fuerint colores, non malum eſt. XXII. Quibuſcunque morbis incipientibus, ſi atra bilis, aut ſurſum aut deorſum prodierit, lethale eſt. XXIII. Quibuſcunque ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliàs attenuatis, atra bilis, ſiue qualis ſanguis niger ſubierit, poſtridie moriuntur. XXIV. Dyſenteria ſi ab atra bile inceperit, lethalis eſt. XXV. Sanguis ſurſum quidem qualiſcunq; fuerit, malus eſt, deorſum verò bona ſunt nigra ſubeuntia. XXVI. Si à dyſenteria occupato, veluti carnes ſubierint, lethale eſt. XXVII. Quibus in febribus ſanguinis multitudo erumpit vndecunque, his in refectionibus alui humectantur. XXVIII. Quibus biliоſæ ſunt egeſtiones, ſurditate oboriente ceſſant. Et quibus ſurditas, biliоſis egeſtionibus contingentibus ceſſat. XXIX. Quibus in febribus ſexta die rigores fiunt, difficulter iudicant. XXX. Quibus exacerbationes fiunt, quacunque tandem hora febris dimiſerit, ſi poſtridie eadem qua antea hora corripuerit, difficulter iudicant. XXXI. Delaſſatis in febribus, ad articulos, & circa maxillas maxime, abſceſſus fiunt. XXXII. Quibuſcunque reſurgentibus ex morbis, ſi quid doluerit, iſthic abſceſſus fiunt. XXXIII. Sed & ſi ante morbum quid doluerit, iſthic morbus incumbit. XXXIIII. Si à febre occupato, tumore non exiſtente in faucibus, ſuffocatio derepente contingat, lethale eſt. XXXV. Si a febre occupato collum repente obuerſum fuerit, & vix deglutire poterit, tumore non exiſtente, lethale eſt. XXXVI. Sudores febricitanti ſi inceperint, boni ſunt tertia die, & quinta, & ſeptima, & nona, & vndecima, & decimaquarta, & decimaſeptima, & vigeſimaprima, & vigeſimaſeptima, & trigeſimaprima, & trigeſimaquarta. Hi enim ſudores morbos iudicant. Qui verò non ſic fiunt, dolorem ſignificant, & longitudinem morbi, & recidiuas. XXXVII. Frigidi ſudores cum acuta quidem febre, mortem ſignificant: cum mitiore verò, morbi longitudiſtem. XXXVIII. Et vbi in corpore ſudor eſt, illic morbum eſſe declarat. XXXIX. Et vbi in corpore frigiditas aut caliditas, iſthic morbus eſt. XL. Et vbi in toto corpore mutationes, & ſi corpus perfrigeretur, aut rurſus calefiat, aut color alius ex alio fiat, longitudinem morbi ſignificat. XLI. Sudor multus ex ſomno, citra manifeſtam cauſam oboriens, corpus multo alimento vti ſignificat. Si verò cibum non capienti hoc fiat, ſignificat quòd euacuatione opus habet. XLII. Sudor multus, frigidus aut calidus, ſemper fluens: frigidus maiorem, calidus minorem morbum ſignificat. XLIII. Febres quæcunque non intermittentes, per tertiam fortiores fiunt, magis periculoſæ ſunt. Quocunq; verò modo intermiſerint, quòd ſine periculo ſint ſignificant. XLIIII. Quibus febres longæ, his tubercula ad articulos, aut dolores fiunt. XLV. Quibus tubercula ad articulos, aut dolores, ex febribus longis fiunt, hi pluribus cibis vtuntur. XLVI. Si rigor incidat febre non intermittente, ægroto iam debili, lethale eſt. XLVII. Exſcreationes in febribus non intermittentibus, liuidæ, & cruentæ, & graueolentes, & biliоſæ, omnes malæ ſunt. At probe ſecedentes, bonæ, & per alui egeſtiones, & per vrinas. Si verò non aliquid ex conducentibus excernatur per hos locos, malum eſt. XLVIII. In non intermittentibus febribus, ſi externæ quidem partes frigidæ fuerint, internæ verò ardeant, ac ſitim habeant, lethale eſt. XLIX. In febre non intermittente, ſi labium, aut palpebra, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus diſtorqueatur: aut non videat, aut non audiat æger iam de bilis exiſtens, quicquid horum fiat, propinqua mors eſt. L. Vbi in febre non intermittente, difficultas ſpirandi, & delyrium fit, lethale eſt. LI. In febribus abſceſſus, qui non ſoluuntur ad primas iudicationes, longitudinem morbi ſignificant. LII. Quicunque in febribus, aut alijs ægritudinibus, ex volũtate lachrymantur, nihil abſurdi eſt: qui verò non ex voluntate, abſurdum. LIII. Quibus circa dentes in febribus viſcoſa adhærẽt, his fortiores febres fiunt. LIV. Quibus plerunque tuſſes ſiccæ, parum irritantes, in febribus ardentibus, hi non ita valde ſiticuloſi ſunt. LV. Ex glandularum tumoribus febres omnes malæ ſunt, exceptis diarijs. LVI. Febricitanti ſudor oboriens febre non remittente, malum. Moram enim trahit morbus, & multam humiditatem ſignificat. LVII. A conuulſione, aut diſtentione neruorum vexato, febris accedens morbum ſoluit. LVIII. A febre ardente occupato, rigore accedente, ſolutio fit. LIX.

Tertiana

Tertiana exacta in septem circuitibus ad summum iudicatur. LX. Quibus in febribus aures obsurduerunt, his sanguis è naribus effusus, aut aluus exturbata, morbum soluit. LXI. Febrientem si non in diebus imparibus febris dimiserit, recidiuare solet. LXII. Quibus in febribus morbus regius fit, ante septimum diem, malum. LXIII. Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur. LXIIII. Quibus in febribus morbus regius septima, aut nona, aut decimaquarta accedit, bonum, si non præcordium dextrum durum fiat: Sin minus, non bonum. LXV. In febribus circa ventrem æstus vehemens, & cordis siue oris ventriculi morsus, malum. LXVI. In febribus acutis conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum. LXVII. In febribus, ex somnis timores, aut conuulsiones, malum. LXVIII. In febribus spiritus offendens, malum. Conuulsionem enim significat. LXIX. Quibus vrinæ crassæ, grumosæ, paucæ, non sine febribus, vbi copia ex his successit tenuis, prodest. Tales autem maxime prodeunt his, quibus ab initio, aut breui subsidentiam habent. LXX. Quibus in febribus vrinæ conturbatæ, velut iumenti, his capitis dolores, aut adsunt, aut aderunt. LXXI. Quibus septima die morbi iudicantur, his nubeculam habet vrina, quarta die rubram, & alia secundum rationem. LXXII. Quibus vrinæ pellucidæ albæ, malæ. Maxime autem in phreniticis comparent. LXXIII. Quibus præcordia eleuata, permurmurantia, lumborum dolore accedente, his alui humectantur, si non flatus erumpant, aut vrinæ copia prodeat. In febribus autem hæc. LXXIIII. Quibus spes est abscessum fore ad articulos, eos liberat ab abscessu vrina multa, & crassa, & alba prodiens, qualis in febribus laboriosis quarta die quibusdam fieri incipit. Si verò etiam ex naribus sanguis eruperit, breui admodum soluitur. LXXV. Si quis sanguinem aut pus mingat, renum aut vesicæ vlcerationem significat. LXXVI. Quibus in vrina crassa existente, carunculæ paruæ, aut veluti pili simul exeunt, his de renibus excernuntur. LXXVII. Quibus in vrina crassa existente, furfuracea quædam simul minguntur, his vesica scabie affecta est. LXXVIII. Qui sua sponte sanguinem mingunt, his in renibus venæ ruptionem significat. LXXIX. Quibus in vrina, areno sa subsidunt, his vesica calculo laborat. LXXX. Si quis sanguinem mingat, & grumos, & vrinæ stillicidium habeat, & dolor incidat in imum ventrem, & ani ac scroti intercapedinem, partes circa vesicam affectæ sunt. LXXXI. Si quis sanguinem & pus mingat, & squamas, & odor grauis sit: vesicæ exulcerationem significat. LXXXII. Quibus in vrinaria fistula tuberculum nascitur, his suppuratione facta, & eruptione, solutio fit. LXXXIII. Mictio noctu multa contingens, modicam alui egestionem significat.

Sectio V.

I. Conuulsio est veratro lethalis est. II. Ex vulnere conuulsio lethalis est. III. Sanguine multo effuso conuulsio aut singultus accedens, malum. IIII. Ex superflua purgatione, conuulsio aut singultus accedens, malum. V. Si quis ebrius derepente voce priuetur, conuulsus moritur, si non febris corripuerit, aut vbi ad horam qua crapulæ soluuntur peruenit, loquatur. VI. Quicunque à distentione antrorsum ac retrorsum corripiũtur, in quatuor diebus pereunt. Si verò has effugerint, sani fiunt. VII. Quibuscunq; morbi comitiales ante pubertatẽ fiunt, transmutationẽ habent. Quibuscunq; verò vigintiquinq; annos natis fiunt, hi plerunq; commoriuntur. VIII. Quicunque pleuritici facti, in quatuordecim diebus non repurgantur, his ad suppurationem transitio fit. IX. Tabes maxime fit ætatibus, ab anno decimooctauo, vsque ad trigesimumquintum. X. Quicunq; anginam effugiũt, his ad pulmonem vertitur, & in septẽ diebus moriuntur. Si verò has effugerint, suppurati fiunt. XI. Qui tabe infestantur, si sputum quodcunque tussiendo reiecerint, graue olet, dum prunis injicitur, & capilli de capite defluunt, lethales est. XII. Quibuscunq; tabe laborantibus capilli de capite defluxerint, hi alui profluuio accedente moriuntur. XIII. Quicunq; sanguinem spumosum spuunt, his ex pulmone eductio fit. XIV. A tabe occupato, alui profluuium accedens lethale est. XV. Quicunque ex pleuritide suppurati fiunt, si in quadraginta diebus repurgati fuerint, ab ea die qua ruptio facta fuerit, liberantur. Si verò non, ad tabem transeunt. XVI. Calida, frequenter ea vtentibus, has noxas inducit, carnium effœminationem, neruorum impotẽtiam, mentis torporem, sanguinis eruptiones, animi deliquia. Hæc quibus mors. XVII. Frigida verò conuulsiones, antrorsum ac retrorsum distentiones, nigrores, rigores febriles. XVIII. Frigida inimica ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: Calida verò, grata. XIX. Quæcunq; per frigerata sunt, excalefacere oportet, præterquam à quibus sanguis erũpit, aut erupturus est. XX. Vlceribus frigida mordax, cutem obdurat, dolorem non suppurantẽ facit, nigrefacit, rigores febriles inducit, conuulsiones, distentiones. XXI. Quandoq; verò in distentione sine vlcere, iuueni carnoso, æstate media, frigidæ multæ affusio, caloris reuocationẽ facit. Calor aũt hæc soluit. XXII. Calida suppuratoria est, non in omni vlcere, maximum signum ad securitatem, cutem mollit, attenuat, dolores eximit, rigores, conuulsiones, distentiones mitigat, capitis grauitatem soluit. Plurimum autem confert ad ossium fracturas, maxime denudatas. Ex his aũt maxime his qui in capite vlcera habẽt, & his qui à frigiditate moriuntur, aut vlcerãtur, & herpetibus exedentibus, sedi, pudendo, vtero, vesicæ. His calida grata est & iudicans. Frigida verò inimica, & occidens. XXIII. In his frigida vti oportet vnde sanguis erũpit, aut erupturus est: non super ipsas partes, sed circa ipsas vnde fluit. Et quęcũq; inflãmationes, aut flãmei ardores, ad ruborem & subcruentum colorem ex nouo sanguine tendunt, ad eas ipsas: nam veteres nigrefacit: & ad sacrum ignem non exulceratũ, nam exulceratum lædit. XXIV. Frigida velut nix, glacies; pectori inimica sunt, tusses mouent, & sanguinis eruptiones, ac defluxiones inducunt. XXV. Tumores in articulis, & dolores absq; vlcere, & podagricas affectiones, & conuulsiones: Horũ plurima frigida multa affusa leuat, & attenuat, & dolorem soluit. Torpor enim moderatus dolorem soluit. XXVI. Aqua quę cito calescit, & cito perfrigeratur, leuissima est. XXVII. Quibus bibendi appetẽtię noctu valde sitientibus, si obdormierint bonum est. XXVIII. Menses ducit aromatum suffitus. Multis autem mo-

dis etiam ad alia commodus esset, si non capitis grauitatem induceret. XXIX. Prægnantes medicamentis purgare oportet, si turget humor, quarto mense, & vsque ad septimum. Minus verò has. Iuniores verò & seniores fœtus vereri oportet. XXX. Mulierem vterum gerentem ab aliquo acuto morbo corripi, lethale est. XXXI. Mulier vterum gerens secta vena abortit, & magis si maior fuerit fœtus. XXXII. Mulieri sanguinem vomenti, mensibus erumpẽtibus solutio fit. XXXIII. Mulieri mensibus deficientibus, sanguinem ex naribus fluere, bonum est. XXXIIII. Mulieri vterum gestanti si aluus multum fluxerit, periculum est vt abortiat. XXXV. Mulieri quæ ab vteri strangulationibus vexatur, aut difficulter parit, sternutatio accedens, bonum. XXXVI. Mulieri menses decolores, & non eodem tempore semper prodeuntes, purgatione opus esse significant. XXXVII. Mulieri vterum gestanti, si mammæ repentè graciles fiant, abortit. XXXVIII. Mulieri vterum gestanti, si altera mamma gracilis fiat, gemellos gestans alterum abortit. Et si quidem dextera gracilis fiat, masculum: si verò sinistra, fœmellam. XXXIX. Si mulier quæ neque prægnans est, neque peperit, lac habet; menses ipsius defecerunt. XL. Mulieribus quibuscunque ad mammas sanguis colligitur, insaniam significat. XLI. Mulierem si velis cognoscere, an prægnans sit, vbi dormire volet, aquã mulsam biben dam dato. Et si quidem tormen habuerit circa ventrem, prægnans est: Si verò non, prægnans non est. XLII. Mulier prægnans si quidem masculum gestat, bene colorata est: Si verò fœmellam, malè colorata. XLIII. Si mulieri prægnanti ignis facer in vtero fiat, lethale est. XLIIII. Quæcunque præter naturam tenues existentes, vterum gestant, abortiunt priusquam crassescant. XLV. Quęcunq; verò moderatè corpus habentes, abortiunt bimestres, & trimestres, sine causa manifesta, his vteri acetabula muco plena sunt, & non possunt fœtum continere præ grauitate, sed abrumpitur. XLVI. Quæcunq; præter naturam crassę existentes, non concipiunt in vtero, his omentum osculum vteri comprimit, & priusquam attenuentur, non concipiunt. XLVII. Si vterus in coxam incumbẽs suppuratus fuerit, necesse est curationem ex medicamentis, per lineamenta ipsi adhibere. XLVIII. Fœtus masculi quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis. XLIX. Vt secundæ excidant, sternutatorio indito, nares & os apprehendito. L. Mulieri menses si cohibere voles, cucurbitam quàm maximam ad mammas appone. LI. Quæcunque vterum gestant, his osculum vterorum clausum est. LII. Mulieri vterum gestanti, si multum lac ex mammis fluat, debilem fœtum significat. Si verò solidæ fuerint mammæ, saniorem fœtum significant. LIII. Quæ corrupt uræ sunt fœtus, his mammæ graciles fiunt. Si verò rursus durę fiant, dolor erit aut in mammis, aut in coxis, aut in oculis, aut in genibus, & non corrumpunt. LIIII. Quibus os vterorum durum est, his necesse est osculum vterorum clausum esse. LV. Quæcunque in utero habentes, à febribus corripiuntur, & fortiter attenuantur sine manifesta occasione, difficulter pariunt & periculosè: aut abortum facientes periclitantur. LVI. In fluxu muliebri, conuulsio & animi deliquium si accedat, malum est. LVII. Mensibus pluribus prodeuntibus morbi fiunt, & non prodeuntibus, ab vtero morbi contingunt. LVIII. Ex intestino recto, & vtero inflammato, vrinæ stillicidium accedit, & ex renibus suppuratis vrinæ stillicidium accedit. Verùm ex hepate inflammato, singultus accedit. LIX. Si mulier in ventre non concipit, velis autẽ scire an conceptura sit, vestimentis circumtectam ex infernis suffito. Et si quidẽ odor per corpus tibi procedere videatur ad nares & ad os, scito, quòd ipsa non propter seipsam infœcunda est. LX. Si mulieri vterum gestanti purgationes prodeunt, impossibile est fœtum sanum esse. LXI. Si mulieri purgationes non prodeunt, neque horrore, neque febre accedente: verùm cibi fastidia ipsi accidunt, hanc in ventre habere existimato. LXII. Quæcunq; frigidos ac densos vteros habent, non concipiunt: & quæcunq; humidos habent vteros, non concipiunt. Extinguitur enim in ipsis genitura. Et quęcunq; siccos magis & adustos. Præ inopia. n. alimenti corrumpitur semen. Quæcunq; verò ex vtrisq; temperamentum habent moderatum, tales fœcundæ. fiunt. LXIII. Similiter autem in masculis. Aut. n. propter corporis raritatem, spiritus extra fertur, vt semen non deducat: aut propter densitatem, humor non procedit foras: aut propter frigiditatem non cõ calescit, vt ad hunc locum congregetur: aut propter caliditatem, hoc idem contingit. LXIV. Lac dare caput dolentibus, malum. Malum etiam febricitantibus, & quibus præcordia eleuata permurmurantia, & fiticulosis. Malum & quibus bilioſæ alui egestiones in febribus acutis sunt, & quibus sanguinis multi egestio facta est. Conuenit autem exhibere tabescentibus, non valde multum fabrientibus, & in febribus longis, debilibus, nullo ex prædictis signis præsente, sed præter rationem consumptis. LXV. Quibus tumores in vlceribus apparent, non valde conuelluntur, neque insaniunt. His autem derepentè dissipatis, retrorsum quidem conuulsione & distentiones fiunt: antrorsum verò, insanię, laterisdolores acuti, aut suppuratio, aut dysenteria, si rubicundi magis fuerint tumores. LXVI. Si in vulneribus fortibus ac prauis tumor non appareat, magnum malum. LXVII. Tumores laxi, boni: crudi, mali. LXVIII. Dolenti posteriorem capitis partem, vena recta in fronte secta prodest. LXIX. Rigores incipiunt, mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput. Verum & viris magis posteriore corporis parte quàm anteriore, velut ex cubitis ac femoribus. Sed & cutis rara est. Indicat autem pilus. LXX. Qui à quartanis corripiuntur, non ita valde à conuulsionibus corripiuntur. Si verò prius corripiantur, & quartana insuper accedat, cessant. LXXI. Quibus cutis circumtunditur arida ac dura, hi sine sudore moriuntur. Quibus verò laxa, ac rara, cum sudore moriuntur. LXXII. Morbo regio laborantes, non ita valde flatuosi sunt.

Sectio VI.

I. In diuturnis intestinorum leuitatibus, ructus acidus accedens, qui prius non erat, signum bonum. II. Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior morbosius sani sunt: quibus verò vice versa, salubrius. III. In longis intestinorum leuitatibus, cibi fastidium, malum: & cum febre, peius. IIII. Vlcera circumglabra, maligna sunt. V. Dolores in late-

in lateribus, & in pectoribus, & in alijs partibus, an multum differunt, considerandum est. VI. Renum affectiones, & quæ circa vesicam consistunt, operose sanantur in semibus. VII. Dolores circa ventrem oborientes, sublimes quidem leues sunt, non autem sublimes, fortiores. VIII. Hydropicis facta vlcera in corpore non facilè sanantur. IX. Latæ pustulæ non valde puriginosæ sunt. X. Caput dolenti & circumdolenti, pus, aut aqua, aut sanguis fluens per nares aut os, aut aures, soluit morbum. XI. Atrabiliarijs & phreniticis, hæmorrhoides accedentes, bonum. XII. Hæmorrhoidas sananti diuturnas, si non vna seruata fuerit, periculum est hydropem aut tabem accedere. XIII. A singultu detento, sternutationes accedentes soluunt singultum. XIIII. Ab hydrope detento, vbi aqua in venis ad ventrem confluxit, solutio fit. XV. A profluuio alui longo correpto, vomitus sponte accedens, soluit alui profluuium. XVI. A pleuritide aut peripneumonia occupato, alui profluuium accedens, malum. XVII. Lippientem alui profluuio corripi, bonum. XVIII. Vesicam dissectam habenti, aut cerebrū, aut cor, aut septum transuersum, aut tenue aliquod intestinum, aut ventriculum, aut hepar, lethale est. XIX. Vbi dissectum fuerit os, aut cartilago, aut neruus, aut genæ pars tenuis, aut præputium, neque augescit, neq; coalescit. XX. Si in ventrem sanguis effusus fuerit præter naturam, necesse est suppurari. XXI. In insanientibus, varicibus aut hæmorrhoidibus accedentibus, insaniæ solutio fit. XXII. Quicunque dolores ex dorso ad cubitos descendunt, venæ sectio soluit. XXIII. Si tumor & tristitia multo tempore perseueret, atrabiliarium hoc signum est. XXIV. Si ex intestinis tenuibus aliquod dissectum fuerit, non coalescit. XXV. Ignem sacrum ab externis intro conuerti, non bonū: ab internis verò extra, bonum. XXVI. Quibus in febribus ardentibus tremores facti fuerint, mētis emotio soluit. XXVII. Quicunque suppurati aut hydropici, secantur aut vruntur, hi pure aut aqua aceruata effluente, omnino moriuntur. XXVIII. Eunuchi non laborant podagra, neque calui fiunt. XXIX. Mulier non laborat podagra, si non menses ipsi defecerint. XXX. Puer non laborat podagra, ante veneris vsum. XXXI. Oculorum dolores meri potus, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamenti potio soluit. XXXII. Balbi ab alui profluuio longo maxime corripiuntur. XXXIII. Acidum ructum habentes, non ita valde pleuritici fiunt. XXXIV. Quicunque calui sunt, his varices magni non fiunt. Quibuscunque verò caluis varices accedunt, hi rursus hirsuti fiunt. XXXV. Hydropicis tussis accedens, malum. XXXVI. Vrinæ difficultatem soluit venæ sectio. Secare verò oportet internas. XXXVII. Ab angina detento tumorem fieri foris in collo, bonum est. XXXVIII. Quibuscunq; occulti cancri fiunt, eos non curare melius est: Si enim curantur, citius moriūtur. Si verò non curentur, multum tempus perdurant. XXXIX. Conuulsio fit aut à repletione, aut euacuatione. Sic autem & singultus. XL. Quibuscunque circa præcordium dolores fiunt, absque inflammatione, his febris accedens dolorem soluit. XLI. Quibuscunque suppuratum quid in corpore existens, significationem de se non præbet, his propter puris aut loci crassitudinem sui significationem non exhibet. XLII. Morbo regio laborātibus hepar durum fieri malum est. XLIII. Quicunque splenici à dysenteria corripiuntur, his longa accedēte dysenteria, aut hydrops accedit, aut intestinorum leuitas, & pereūt. XLIIII. Quibuscunque ex vrinę stillicidio voluulus accedit, hi in septem diebus pereunt, si non febre accedente vrina satis fluxerit. XLV. Vlcera quæcunque annua fiunt, aut diutiore tempore durant, necesse est os abscedere, & cicatrices causas fieri. XLVI. Quicunq; gibbosi ex anhelatione, aut tussi fiunt, ante pubertatem pereunt. XLVII. Quibuscunque venæ sectio, aut medicamentum conducit, his vere venam secare, aut medicamentum purgans exhibere conuenit. XLVIII. Splenicis dysenteria accedens, bonum. XLIX. Quicūque podagrici morbi fiunt, hi sedata inflammatione, in quadraginta diebus decedunt. L. Quibus cerebrum dissectum fuerit, his necesse est febrem, & bilis vomitum accedere. LI. Quibuscunque sanis dere pente dolores fiunt in capite, & statim voce intercepta iacent, ac stertunt, in septem diebus pereunt, si non febris apprehendat. LII. Considerare verò oportet etiam suboculis apparitiones in somnis. Si.n. albę partis quid subapparuerit, non commissis palpebris, si id non ex alui profluuio, aut medicamenti potione fuerit, malum signum, & valde lethale est. LIII. Desipientiæ cum risu quidem oborientes, securiores sūt: cum studio verò serio, periculosiores. LIIII. In acutis affectionibus, quæ cū febre fiunt luctuosæ respirationes, malum. LV. Podagricæ affectiones vere & autumno, vt plurimum mouentur. LVI. Atrabiliarijs morbis periculos humorū à loco ad locū decubitus, aut syderationē corporis, aut conuulsionē, aut insaniam, aut cæcitatem significant. LVII. Syderationes verò maximè fiunt, ætate à quadragesimo anno vsq; ad sexagesimum. LVIII. Si omentum exciderit, necesse est putrefieri. LIX. Quibuscunque à coxendicū morbo vexatis, coxa excidit, & rursus incidit, his muci accedunt. LX. Quibuscunque à coxendum morbo diuturno vexatis, coxa excidit, his crus tabescit, & claudicant, si non vsti fuerint.

Sectio VII.

I. In acutis morbis frigiditas extremarū partium, malū. II. Ex osse ęgrotāte, caro liuida, malum. III. Ex vomitu singultus, & oculi rubicundi, malū. IIII. Ex sudore horror, non bonū. V. Ex insania, dysenteria, aut hydrops, aut mētis emotio, bonū. VI. In morbo diuturno cibi fastidiū, & meracæ alui egestiones, malū. VII. Ex multo potu rigor, & delyrium, malū. VIII. Ex tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitus & animi deliquiū fit. IX. Ex sanguinis fluxu delyriū, aut ēt cōuulsio, malū. X. Ex voluulo vomitus, aut singultus, aut cōuulsio, aut delyrium, malū. XI. Ex pleuritide peripneumonia, malum. XII. Ex peripneumonia phrenitis, malum. XIII. Ex ardoribus vehementibus conuulsio, aut distentio, malū. XIIII. Ex plaga in caput, stupor, aut delyrium, malum. XV. Ex sanguinis sputo, puris sputum, malum. XVI. Ex puris sputo, tabes, & fluxus, malum. Postquam vero sputum supprimitur, moriuntur. XVII. Ex hepatis inflāmatione singultus, malū. XVIII. Ex vigilia conuulsio, aut delyriū, malū. XIX. Ex ossis denudatione, ignis sacer. XX. Ex igne sacro, putrefactio, aut suppuratio. XXI. Ex

forti pulsu in vlcerib. sanguinis eruptio. XXII. Ex dolore diuturno partiũ circa vẽtrem, suppuratio. XXIII. Ex meraca alui egestione, dysenteria. XXIV. Ex ossis dissectione, delyrium, si ad vacuum vsq; processerit. XXV. Ex medicamenti potione conuulsio, lethale. XXVI. Ex dolore forti partium circa ventrem, frigiditas extremarum partium, malum. XXVII. Mulieri vterum gerenti, tenesmus accedens aborire facit. XXVIII. Quodcunque os perfectum fuerit, aut neruus in corpore, neque augescit, neq; coalescit. XXIX. Si à pituita alba detento, vehemens alui profluuium accedat, soluit morbum. XXX. Quibuscunque spumosæ alui egestiones sunt in alui profluuijs, his de capite pituita defluit. XXX'. Quibuscunque febricitantibus, in vrinis subsidentiæ crassiores farinæ partes referentes fiunt, longum morbum significant. XXXII. Quibus verò bilioſæ subsidentiæ, supernæ tenues, acutum morbum significant. XXXIII. Quibuscunque disparatæ vrinæ sunt, his vehemens turbatio in corpore est. XXXIIII. Quibus in vrinis bullæ superstant, renum affectiones significant, & morbum fore longum. XXXV. Quibus pingue est id quod superstat, & aceruatum, his renum affectiones, easque acutas significat. XXXVI. Quibus verò etiam nephriticis ex renibus affectis prædicta signa accidunt, doloresque circa musculos spinales fiunt, si quidem circa externos locos fiant, etiam abscessus magis intus fore expecta. XXXVII. Quicunque sanguinem vomunt, sine febre quidem, salutare est verùm cum febre, malum. Perfrigerantibus autem & adstringentibus curare oportet. XXXVIII. Defluxiones in ventrem supernum, in viginti diebus suppurantur. XXXIX. Si quis sanguinem mingat, & grumos, & vrinæ stillicidium habeat, & dolor incidat in ani ac feroti intercapedinem, & imum ventrem ac pectinem, partes circa vesicam ægrotare significat. XL. Si lingua derepente impotens fiat, aut aliqua corporis pars syderata, atrabiliarium tale existit. XLI. Si seniorib. nimiũ purgatis singultus accedat, non bonum est. XLII. Si febris non à bile habeat, aqua multa calida in caput affusa, febris solutio fit. XLIII. Mulier ambidextra non est. XLIIII. Quicunque suppurati vruntur, si quidem pus purum fluat & album, euadunt: Si verò subcruentum, & cœnosum, ac graueolens, pereunt. XLV. Quicunque hepar suppuratum vrantur, si quidẽ pus purum fluat, & album, & superstites euadunt. (In tunica enim pus his inest.) Si verò velut amurca fluat, pereunt. XLVI. In doloribus oculorum, vbi merum bibẽdum dediſti, & multa calida lauiſti venã secato. XLVII. Hydropicum si tussis vexet, desperatus est. XLVIII. Vrinæ stillicidium, & vrinæ difficultatẽ, vini potus, & venæ sectio soluit. Secare verò oportet internas. XLIX. Ab anginæ detento, tumor in pectore accedens, bonum. Foras enim vertitur morbus. L. Quibuscunque corruptum fuerit cerebrum, in tribus diebus pereunt. Si verò has effugerint, sani fiunt. LI. Sternutatio fit ex capite, percalescente cerebro, aut vacuo quod est in capite perhumescente. Aer enim qui intus est, foras erumpit. Strepitum verò edit, quia transitus est ipsi perangustum. LII. Quibuscunque hepar circumcirca dolet, his febris accedens soluit dolorem. LIII. Quibuscunque sanguinem de venis auferre conducit, his vere venam secare conuenit. LIIII. Quibus inter ventrem & septum trãsuersum pituita cõclusa est, & dolorem exhibet, non habens exitum ad neutrum ventrem, his per venas ad vesicam conuersa pituita, morbi solutio fit. LV. Quibus hepar aqua repletum, ad omentum eruperit, his venter aqua impletur, & moriuntur. LVI. Anxietatem, oscitationem, horrorem, vinum æquali mensura aquæ ammixta potum soluit. LVII. Quibus in vrinaria fistula tubercula fiunt, his suppuratione facta & eruptione, soluitur dolor. LVIII. Quibus cerebrum concussum fuerit ex aliqua causa, eos statim voce priuari necesse est. LIX. Corporibus humidas carnes habẽtibus, famem inducere oportet, fames enim corpora siccat. LX. Vbi in toto corpore mutationes, & corpus perfrigeratur, & rursus calescit, aut color alius ex alio mutatur, longitudinem morbi significat. LXI. Sudor multus, calidus aut frigidus, semper fluens, humorem abducere oportet significat, forti quidem superne, debili verò, inferne. LXII. Febres non intermittentes, si per tertiam fortiores fiant, periculosę sunt. Quocunque verò modo intermiserint, sine periculo esse significat. LXIII. Quibus febres longæ sunt, his aut tubercula, aut ad articulos dolores fiunt. LXIIII. Quibus tubercula diutina, aut ad articulos dolores, ex febribus fiunt, hi cibis pluribus vtuntur. LXV. Si quis febricitanti cibum det, quem sano exhibet, sano quidem robur, ęgroto verò morbus est. LXVI. Quæ per vesicam prodeunt, inspicere oportet, an qualia sanis prodeunt. Quæ igitur minimè similia his sunt, ea morbosiora sunt. Quæ verò similia sanis, ea minimè morbosa. LXVII. Et quibus alui egestiones, si stare permiseris, & non moueris, subsistunt veluti ramẽta; si paucę fuerint, modicus morbus est: si multæ, multus. His confert subpurgare aluum. Si verò non purgata aluo, sorbitiones dederis, lædes: & quanto plures dederis, magis lædes. LXVIII. Quibuscunque cruda deorsum secedunt, ex atra bile sunt: si plura, copiosiore: si pauciora, pauciore. LIX. Excretiones in febribus non intermittentibus liuidæ, & cruentæ, & graueolẽtes, & bilioſæ, omnes malę sunt. At probe secedentes, bonæ, & per aluum, & per vesicã: & vbi sanè quid secedens constiterit nõ purgatũ, malum. LXX. Corpora quocunque quis purgare voluerit, fluida facere oportet: Et si quidem sursum, sistere aluum: Si verò deorsum humectare. LXXI. Somnus, vigilia, vtraque modũ excedẽtia morbus. LXXII. In non intermittentibus febribus si externæ quidem partes frigidæ fuerint, internæ verò ardeãt, & febris habeat, lethale est. LXXIII. In febre non intermittente, si labium, aut nasus, aut oculus, aut superciliũ distorqueatur, aut non videat, aut non audiat æger iam debilis existens: quicquid horũ fiat, propinqua mors est. LXXIIII. Ex pituita alba, hydrops accedit. LXXV. Ab alui profluuio, dysenteria. LXXVI. A dysenteria, intestinorum leuitas, accedit. LXXVII. Ex corruptione, abscessus ossis. LXXVIII. Ex sanguinis vomitu, tabes, & puris purgatio sursum. Ex tabe, fluxus ex capite. Ex fluxu, alui profluuium: ex alui profluuio, suppressio purgationis sursum versus: ex suppressione, mors. LXXIX. Qualia etiam sint in vesicæ ac alui egestionibus, inspicere oportet, & in his quæ per carnes excernuntur, & si cubi alibi à natura recedat corpus, si parum, paruus est morbus: si multum, multus: Si verò valde multus sit receſſus, lethale hoc est. LXXX. Quicunque supra quadraginta annos phreni-

tici fiunt, non ita valdè sani fiunt. Minus enim periclitantur, quorum naturæ, & ætati, morbus assinis fuerit. LXXXI. Quibuscunque in ægritudinibus oculi ex voluntate lachrymantur, bonum. Quibus verò citra voluntatem, malum. LXXXII. Quibus in febribus quartanis sanguis ex naribus fluxerit, malum est: LXXXIII. Sudores in diebus iudicatorijs oborientes, vehementes & veloces periculosi sunt, qui expellun tur ex fronte velut guttæ, & aquæ salientes & frigidi valde ac multi. Necesse est enim talem sudorem prodire cum violentia, & doloris excessu, ac expressione diuturna. LXXXIV. Ex morbo diuturno, etiam alui defluxus, malum. LXXXV. Quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat. Quæ ferum non sanat, ea ignis sanat. Quæ ignis non sanat, ea incurabilia putare oportet.

HIPPOCRATIS COI

Liber Prænotionum.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Præsagiendi duplex vtilitas. Morbos omnes sanari non posse. Affectionum naturæ, quantum corporũ vires excedãt. Si quid diuini in morbis insit.*
2 *Faciei notæ in morbis acutis.*
3 *Oculorum subapparitiones. A decubitu notæ, seu quomodo cubare ægrum oporteat.*
4 *In ventrem decumbere quomodo malum. A dentium stridore in febribus notæ. Ab vlcere prænotiones seu notæ. A manuum gesticulatione. A spiratione.*
5 *A sudore. Sudorum causa. Causa. A præcordijs.*
6 *A tumoribus in hypochondrijs. Tumores in ventre.*
7 *A suppuratione. Puris optimi signa.*
8 *De aqua inter cutem.*
9 *De somno. Alui excrementa.*
10 *Lumbrici rotundi, cum egestione. Flatus sine strepitu.*
11 *De vrinis. Vrina subrubra. Subsidentiæ, crassiores polentæ partes referentes. Nubeculæ in vrinis. Vrina fulua & tenuis. Vrinæ fœtidæ, aquosæ, nigræ, crassæ, tenues, & crudæ.*
12 *In vrinis pinguedines supernè instantes. De vomitu.*
13 *De sputo. De grauedine & sternutamento.*
14 *De suppuratione. Signa in ægrotis bona.*
15 *Signa in ægrotis mala. De suppurationibus.*
16 *Suppuratorum cognitio.*
17 *Suppurationum diuturnarum signa. Ex suppuratis qui potissimum superstites maneant, aut intereant.*
18 *Abscessus circa aures ex inflammati pulmonis morbis. Abscessus ad crura in pulmonis inflammationibus fortibus. Abscessus euanescentes & recurrentes.*
19 *Suppurati ex pulmonis inflammatione. Dolores cum febre. Suppurati vsti. Vesicæ inflammatæ notæ.*
20 *De febrium iudicationibus. De morborum circuitionibus, & quo pacto integris numerari nequeant.*
21 *Morbi qui cognitu faciliores. Quo pacto in mulieribus à die qua pepererint, iudicationes existant.*
22 *Capitis dolores cum febri continua. Sanguinis è narib. fluor, cui ætati magis familiaris. Auris dolor acutus.*
23 *Fauces exulceratæ in febri. De angina.*
24 *De gurgulione. Febres desinentes, neque signis solutorijs apparentibus, neque in diebus iudicatorijs. Abscessus ex febribus, quibus magis fiant. Abscessus quibus potissimum & quo tempore magis fiant.*
25 *De vomitione spontanea.*
26 *De conuulsione. Prænoscere volentẽ, quæ discere oporteat.*
27 *Morborum populariter grassantium impetus & temporis constitutiones. Medico prænotionem adhibituro quæ cognoscenda.*

1 MEdicum prænotionẽ adhibere, optimum esse mihi videtur. Prænoscẽs enim & prædicens apud ægrotos, & præsentia, & præterita, & futura, & quę ipsi ęgroti relinquunt exponens, fidem vtique fecerit, quod ægrotorum res magis cognoscat, quare audebũt homines seipsos medico committere. At verò curationem optimè fecerit, vbi prænouerit futuras affectiones. Sanos equidem facere omnes ægrotos impossibile est, hoc enim præstantius esset, quam prænoscere in posterum euentura. Quandoquidem verò homines moriuntur, alij prinsquam medicum vocent, prę violentia morbi: alij verò accito etiam medico, dere pente vita decedunt: quidam vbivnam vixerunt diẽ, quidam tempore paulò diutiore, anteaquam medicus per artem aduersus singulos morbos repugnet: itaq; nosse oportet talium affectionẽ naturas, quantum corporum vires excedunt: simul verò & si quid diuini in morbis inest, etiã huius prænotionum edicere. Ita.n. merito admirationi fuerit, & medicus bonus extiterit. Nam quos superstites manere possibile est, eos adhuc magis recte conseruare poterit, ex multo tempore antea consilium adhibens ad singula: & & tum morituros, tum seruandos, prænoscens ac prędicens, ac culpa exors fuerit.

2 Considerare porrò hoc modo conuenit in morbis acutis, primùm quidem faciem ægroti, an similis sit his quæ in sanis sunt, maximè verò an ipsa sibijpsi. Ita.n. optima fuerit. Si verò maxime contraria simili fuerit, horrendissima est: talis autem fuerit, nasus acutus, oculi cauí, tempora collapsa, aures frigidæ ac cõtractæ, & extremitates aurium auersæ, & cutis circa frontem dura & circumtenta ac arida, & color totius faciei pallidus, aut etiam niger, & liuidus, aut plumbeus. Si quidem igitur in principio morbi facies talis fuerit, & nondum ex alijs signis coniecturã facere licuerit, interrogare oportet, num vigilauerit homo, aut alui excremẽta valde liquida sint, aut fames aliqua ipsum teneat. Et si quidem horum aliquid cõfiteatur, minus graue esse putandum est. Iudicantur autem & cognoscuntur talia in die ac nocte, si ob has

causas

cauſas facies talis fuerit. Si verò nihil horum eſſe dicat, neq; in prædicto tempore conſidat, noſſe conuenit morti proximum eſſe. At ſi vetuſtiore exiſtente morbo, aut triduano, aut quatriduano, talis fuerit facies, de his interrogare oportet, de quibus etiã prius iuſſi: itemq; alia ſigna conſiderare, & in vniuerſa facie, & in corpore, & in oculis. Si enim lucem fugiãt, aut inuoluntariè lachymentur, aut diſtorqueantur, aut alter altero minor fiat, aut albas partes rubentes habeant, aut venulas liuidas aut nigras in ipſis habeant, aut lemæ ac ſordes circa oculos appareant, aut etiam inſtabiles, aut eminentes, aut cauí vehemẽter facti, aut ſqualentes & obſcuri fuerint: aut color totius faciei alteratus fuerit. Hęc omnia mala & pernicioſa eſſe putandum eſt.

3 Conſiderare verò conuenit etiã oculorum ſubapparitiones in ſomni. Si.n. albæ quid partis ſubapparuerit, palpebris non commiſſis, ſi id non ex alui profluuio, aut medicamenti potione fuerit, aut ægrotus non ita dormire conſueuerit, malum ſignum & valde lethale eſt. Si verò retorta, aut contracta fiat, aut liuida, aut pallida palpebra, aut labiũ, aut naſus, cum aliquo ex alijs ſignis, morti proximum eſſe ſciẽdum eſt. Lethale eſt etiam habere labia reſoluta, & pendentia, & frigida, & albicantia facta. Decumbentem ægrotum à medico deprehendi cõuenit in latus dextrum aut ſiniſtrum, & manus, & collum, & crura modicè inflexa habentem, & totum corpus flexibile ſitum. Ita enim plurimi ex ſanis decumbunt. Optimi autem ſunt decubitus qui ſanorũ decubitibus ſimiles exiſtunt. At verò ſupinum iacere, & manus, & collum, & crura extenta habere, minus bonum eſt. Si verò etiam pronus fiat, & de lecto ad pedes delabatur, magis horrendum eſt. Si verò nudos quoque pedes habere comperiatur, nec admodum calidos: & manus, & collum, ac crura inæqualiter diſiecta, ac nuda, malum eſt. Anxietatem enim ſignificat. Lethale eſt & hiantem ſemper dormire, & crura ſupinii iacentis valde incuruata eſſe ac complicata.

4 At in ventrem decumbere, ſi quis non ſit adſuetus, dum ſanus fuit ita dormire, delyrium ſignificat, aut dolorem loculorum circa ventrem. Cęterùm erectum ſedere velle ægrum in morbi vigore, in omnibus morbis acutis malum eſt: peſſimum autem in peripneumonicis pulmone inflammato. Dentibus ſtridere in febribus, quibus non familiare, ideſt a pueris: furioſum ac lethale eſt. Verùm prædicere oportet ab vtriſq; periculum futurum. Si verò etiam delyrus hoc faciat, pernicioſum valde iam exiſtit. Vlcus autẽ ſiue prius factum fuerit, ſiue in morbo acceſſerit, cõſiderare oportet. Si.n. periturus eſt, homo, ante mortẽ liuidum, ac ſiccum erit, aut etiam pallidum & ſiccũ. At de manuũ latione ita ſentio. Quæ in febribus acutis, aut peripneumonijs, aut in phrenitide, aut capitis dolore, ante faciẽ feruntur, & fruſtra venantur, & feſtucas legũt, & floccos de veſtibus euellunt, & de pariete paleas detrahunt, eas oẽs malas & lethales eſſe. Spiritus denſus dolorem ſignificat, aut inflammationem, in locis ſupra ſeptum trãſuerſum. Qui verò magnus expiratur, & per multum temporis interuallũ, delyrium indicat. Si verò frigidus è naſo et ore exſpiretur, valde iam pernicioſus eſt. Bonam autem ſpirationem valde magnam vim habere ad ſalutẽ, in omnibus acutis morbis putare conuenit, qui cum febribus ſunt, & in quadraginta diebus iudicantur.

5 Sudores optimi ſunt in omnibus acutis morbis, qui in diebus iudicatorijs fiunt, & febrem perfecte ſubmouent. Boni verò ſunt, qui per totum corpus contingentes, hominem facilius morbum ferre faciunt. Qui verò tale quid non effecerint, incommodi ſunt. Peſſimi autem ſunt frigidi, & tantùm circa caput & faciem oborientes, & circa ceruicem. Hi enim cum acuta quidem febre, mortem præſignificant: cũ mitiore verò longitudinem morbi. Et qui per totum corpus fiunt, ſimiliter ſignificant his qui circa caput. At verò milioformes, & ſolum circa collum contingentes, mali ſunt. Qui verò cum guttis fiunt, & euaporant, boni ſunt. Conſiderare porrò conuenit ſudores in ſumma: fiunt enim aliqui propter corporum exolutionem, aliqui propter inflammationis vigorẽ. Præcordium optimum eſt doloris exors, & molle, & æquale, tum in dextra, tũ in ſiniſtra parte. At inflammatum, aut dolorẽ exhibens, aut dextræ partes inæqualiter affectæ ad ſiniſtras: hæc omnia obſeruare oportet. Si verò etiam pulſus inerit in præcordio, turbationem ſignificat aut delyrium. Verùm oculos talium inſuper intueri oportet. Si enim oculi frequenter moueantur, furioſos hos fore timor eſt.

6 Tumor in præcordio durus exiſtens & doloroſus, peſſimus quidem eſt ſi per totum fuerit præcordiũ. Si verò fuerit in altera parte, minus periculoſus eſt in ſiniſtra. Significant autem eiuſmodi tumores, in principio quidem, mortem breui affuturam. Si verò viginti dies tranſgrediatur tum febris detinens, tum rumor non confidens, ad ſuppurationem conuertitur. Contingit autem his in primo circuitu, etiam ſanguinis eruptio è naribus, & valde prodeſt. Verùm interrogare conuenit, an caput doleant, aut hebetẽ viſum habeant. Si enim horum quid fuerit, ad eum locum repit. Magis tamen in iunioribus quinque ac triginta annis, ſanguinis eruptionem expectare conuenit. At verò molles tumores, & doloris exortes, & qui digito cedunt, diuturniores iudicationes faciunt, & minus illis ſunt horrendi. Si verò tranſgrediatur ſexaginta dies febris detinens, & tumor non confidat, ſuppuratum fore ſignificat & hũc, & eum qui in reliquo ventre eſt eodem modo. Quicunque igitur tumores doloroſi ſunt, & duri, & magni, periculũ mortis breui affore ſignificant. Qui verò molles, & doloris exortes ſunt, & digito compreſſi cedunt, diuturniores illis ſunt. Cæterùm tumores in ventre minus faciunt abſceſſus, quàm hi qui ſunt in præcordijs. Minime verò hi qui ſub vmbilico conſiſtunt, ad ſuppurationem conuertuntur. Sanguinis verò eruptionem, ex ſupernis locis maxime expectare oportet.

7 Omnium autẽ tumorum diuturnorum circa hos locos, ſuppurationes conſiderare conuenit. Sunt autem ſuppurationes hinc contingentes hoc modo cõſiderandę. Quæcunq; extra vertuntur, optimę ſunt, quæ paruæ ſunt, & quàm maxime foras eminentes, & in acutum faſtigiatæ. Quæ verò magnæ ſunt, & latæ, & minimè in acutum faſtigiatæ, peſſimæ ſunt. Quæcunque verò intro rumpuntur, optimæ ſunt quæ nihil cum externo communicant, ſed ſunt contractæ, & doloris exortes, & totus externus locus concolor apparet. At verò pus optimum eſt, ſi eſt album & æquale, & leue, & quam minime graueolens. Quod verò huic contrarium eſt, peſſimum eſt.

Aquæ

8 Aquæ porrò intercutem, ex acutis morbis oborte, omnes malæ sunt. Neque enim à febre liberant, & valde dolorosæ sunt, ac lethales. Incipiunt autẽ pleræq; à laterum mollitudine, & à lumbis: aliquę verò etiam ab hepate. Quibus igitur à laterum mollitudine & lũbis principia fiunt, his & pedes intumescunt, & alui profluuia diuturna ipsos tenent, quæ neq; dolores ex laterum mollitudine ac lumbis soluunt, neque ventrem molliunt. Quibuscunque verò ab hepate aquæ inter cutem oriuntur, his tusses tussiẽdiq; promptitudo accedit, & nihil memorabile expuunt, & pedes tument, & venter non egerit, nisi dura, & coactus, & circa aluum fiunt tumores, aliqui in dextra, aliqui in sinistra parte, tum consistentes, tum confidentes. Caput autem, & manus, & pedes, si frigida sunt, malum est, vbi & venter, & latera calida sunt. Optimum verò est, & totum corpus æqualiter calidum esse, ac molle. Conuerti autem conuenit facile ægrotum, & in attollendo se leuem esse. Si verò grauis esse appareat & reliquo corpore, & manibus & pedibus, magis periculosum est. Si verò supra grauitatem, vngues & digiti liuidi fiant, mors euestigio expectanda est. At si digiti ac pedes pentus nigrescunt, minus pernicioſi sunt quam liuidi. Verùm & alia signa considerare oportet. Si enim facile ferre videatur malum, & aliud quoddam ex salutaribus ad hæc signa subindicet, morbũ ad abscessum verti spes est, ita vt æger quidem superstes mansurus sit, corporis verò partes nigrefactæ casuræ. Testes & pudenda reuulsa, dolores fortes significant, & periculum lethale.

9 Quod verò ad somnos attinet, quemadmodum secundum naturam consuetum nobis est, interdiu vigilare oportet, noctu dormire. Si verò hoc fuerit transmutatum, peius est. Minime verò lædi æger poterit, si dormiat mane ad tertiam partem diei. Qui verò ab hoc tempore fiunt somni, deteriores sunt: pessimum autem est non dormire, neque noctu, neq; interdiu. Aut enim præ dolore ac afflictionibus vigiliæ adsunt; aut delyrium aderit ab hoc signo. Egestio alui optima est, mollis & cohærens, & secundum horam, in qua etiam à sano egerebatur. Iuxta copiam verò pro ratione ciborum ingestorum. Tali enim cõtingente exitu, venter infernus sanus fuerit. Si verò liquida fuerit egestio, conducit neque stridere, neque frequentẽ esse, & paulatim secedere. Delassatur enim homo ex frequenti defessu, & vigilias vtique cõtraxerit. Si verò sæpe aceruatim egerit, periculũ est ne in animi deliquium incidat. Quin & iuxta copiã ingestorum egerere oportet, bis aut ter in die, & noctu semel. Plura verò mane, quemadmodum in consuetudine est homini. Inspissari autem oportet egestionem morbo ad iudicationem tẽdente. Sit autem subfulua, & non valde graueolens.

10 Commodum est & lumbricos rotundos cum egestione prodire, morbo ad iudicationem tendente. Oportet autem in omni morbo mollem esse vẽtrem, & iusta mole præditum. At verò aquosum valde, aut album, aut pallidum, aut viride, aut vehementer rufum, aut spumosum stercus egerere: hæc omnia mala sunt. Malum insuper est & quod exiguum est, & viscosum ac album, & quod subpallidum aut subuiride ac leue. His verò magis lethalia fuerint stercora nigra, aut pinguia, aut liuida, & æruginosa, & male olentia. Quæ verò varia sunt, diuturniora quidẽ his sunt, nihilominus autem pernicioſa. Sunt autem talia, ramentora, & bilioſa, & cruenta, & prasina, & nigra, aliquando simul inter se exeuntia, aliquando particulatim. Flatum porrò sine strepitu ac crepitu prodire, optimum est. Melius autem est & cum strepitu exire, quàm isthic reuolui: & qui sic progressus est flatus, aut dolere quid hominem significat, aut delirare: nisi sua sponte homo ita flatum emittat. Cæterùm præcordiorum dolores ac tumores, si fuerint recentes, & non cum inflammatione, soluit murmur in prę cordio obortum, & maxime quidem si per transierit cũ stercore, & vrina ac flatu: sin minus, etiam ipsum per se si transierit. Prodest item si subdescenderit ad infernos locos.

11 Optima verò est vrina, quum fuerit alba subsidentia, & leuis, & æqualis, per totum tempus, donec iudicatus fuerit morbus. Significat enim & securitatem, & morbum fore breuem. Si intermiserit, & aliquãdo quidem pura mingatur, aliquando verò subsidet album ac leue, diuturnior fit morbus & minus securus. Si verò fuerit & vrina subrubra, & subsidentia ipsius similis, & leuis, diuturniorem quidem hæc morbum quàm prior significat, sed valde salutarem. At subsidentiæ in vrinis, crassiores farinæ partes referentes, prauæ sunt. His autem peiores sunt, laminosæ. Albæ verò & tenues valde malæ sunt. Verùm his deteriores sunt furfuraceæ. Nuberculæ quæ feruntur in vrinis, albæ quidem bonæ sunt: nigræ verò malæ. Quandiu verò fulua fuerit vrina, & tenuis, morbum inconcoctum esse significat. Si verò & diuturna fuerit talis existens, periculũ est ne sufficere homo possit, donec vrina concocta fuerit. Lethaliores autem sunt vrinæ, & fœtidæ, & aquosæ, & nigræ, & crassę. At tum in viris tum in mulieribus, nigræ vrinæ pessimæ sunt: in pueris autem aquosæ. Quicunque vrinas tenues, & crudas mingunt multo tempore, si alia velut superstitibus futuris signa fuerint, his abscessum expectare oportet ad locos infra septum transuersum.

12 Sed & pinguedines supernæ inflantes, araneorum telis similes, damnare oportet. Sunt enim colliquationis signa. Considerare verò conuenit in vrinis in quibus nubeculæ sunt, an supernæ aut inferne sint: & quales habeant colores. Et quæ quidem deorsum feruntur, cum coloribus relatis, eas bonas esse putare, ac laudare. Quæ verò sursum feruntur, cum coloribus relatis, mala esse, & tales damnare. Nec verò decipiat te, si vesica morbum aliquem habens, eiusmodi vrinas reddiderit. Non enim totius corporis signum est, sed ipsius per se vesicæ. Vomitus commodissimus est, ex pituita ac bile quàm maxime permixtus, & non crassus valde, neque multus. Nam meraciores, deteriores sunt. Si verò id quod vomitu reiectum est prasini fuerit coloris, aut liuidum, aut nigrum: quicunque horum fuerit colorum, malum esse putandum est. Si verò omnes colores idem homo vomit, valde pernicioſum hoc est. Celerrimam autem mortem significat liuidus vomitus, si graueolẽs fuerit. Omnes verò subputridi ac fœtidi odores, in omnibus vomitibus mali sunt.

13 Sputum verò in omnibus doloribus, qui circa pulmonem & costas fiunt, cito ac facile expui conuenit, & flatum sputo valde permixtum apparere. Si

enim

enim longe poſtea, poſt principium doloris, expuerit quod flauum eſt, aut fuluum, aut quod multã tuſſim inducit, & nõ valde permixtum eſt, deterius eſt. Nam & flauum meracum, periculoſum eſt, & album ac viſcoſum & rotundum, inutile eſt. Malum eſt & quod viride eſt valde, itemq; pallidum, & quod ſpumoſum. Si verò ita fuerit meracum, vt etiam nigrum appareat, hoc ipſum deterius eſt quàm illa. Malum etiam eſt ſi nihil repurgetur, neq; emittat pulmo, ſed plenus ferueat in gutture. Grauedines & ſternutationes in omnibus circa pulmonem morbis, & anteceſſiſſe, & ſuccedere, malum eſt. At in alijs morbis letha liſſimis ſternutationes proſunt. Sputum autem flauũ, ſanguine permixtum non multo, ſi in pulmones inflammationes, in principio morbi reijciatur, ſalutare eſt, & valde prodeſt. Si verò ſeptimo die, aut poſterius, minus ſecurum eſt. Omnia ſputa mala ſunt, quæ dolorem non ſedant. Peſſima verò ſunt nigra, velut deſcriptum eſt. Quæ verò dolorem ſedant, omnium optima exiſtunt.

14 Quicunq; dolores ex his locis non ſedantur, neque ad ſputorũ purgationes, neq; ad ſtercorũ alui ſubductionẽ, neq; ad venæ ſectiones, & victus rationem ac medicamenta, eos ad ſuppurationem verti ſciendum eſt. Ex ſuppurationib. quęcũq; dũ ſputũ adhuc biliоſum eſt ſuppurãtur, pernicioſæ valde ſunt, ſiue biliоſum illud in parte, ſiue ſimul cũ pure expuatur, & hoc potiſſimũ ſi morbo ad ſeptimũ diẽ progreſſo, ſuppuratio ab hoc ſputo procedere incipiat. Timor autẽ eſt eũ qui talia expuit moriturũ eſſe decimaquarta die, ſi non aliquod bonum ſignum ipſi acciderit. Sũt autem bona hæc: facile ferre morbum, bene ſpirare, à dolore liberatum eſſe, ſputum facile tuſſiendo reijcere, corpus æqualiter calidum ac molle apparere, ſitim non habere, vrinas & alui egeſtiones, & ſomnos, & ſudores, velut deſcriptum eſt; hæc ſingula noſſe conuenit accidere, vt quæ bona ſint. Nam omnibus his ſic contingentibus, homo non morietur. Si verò aliqua ex his acceſſerunt, aliqua non, non ampliore tempore vita producta, decimaquarta die homo peribit.

15 Porrò mala ſigna his cõtraria ſunt: ægrè ferre morbum, ſpiritum magnum & denſum eſſe, dolorem nõ ſedari, ſputum vix tuſſiẽdo reijcere, valde ſitire, corpus inęqualiter à febri teneri, ventrem quidem ac coſtas fortiter calidas eſſe, frontem verò, & manus ac pedes frigidos. Vrinas autem & alui egeſtiones, & ſomnos, & ſudores, velut deſcriptum eſt: hęc ſingula noſſe oportet mala eſſe. Si enim ita acceſſerit horum aliquid ad ſputum, peribit vtiq; homo priuſquam ad decimumquartum diẽ peruenerit, aut nono die, aut vndecimo. Sic igitur cõiecturã facere oportet, quòd hoc ſputum lethale ſit valde, & non perducat ad decimumquartum diem. Proinde & mala & bona ſigna expendentem ex his prędictiones facere oportet. Ita enim potiſſimum veritatem conſequi quis poterit. At verò alię ſuppurationes rumpuntur, plurimę quidem vigeſimo die, alię verò trigeſimo, alię quadrageſimo, aliquę verò ad ſexaginta dies perueniunt.

16 Conſiderare verò futurę ſuppurationis principiũ oportet, ſuppuratione facta ab ea die qua primum homo febricitauit, aut ſi forte ipſum primum rigor apprehendit: & ſi pro dolore grauitatem ſibi factam eſſe dixerit, in eo loco in quo dolebat. Hęc enim in principijs ſuppurationum fiunt. Ex his igitur temporibus eruptionem ſuppurationum fore expectare oportet ad prædicta tempora. Si verò ſuppuratio fuerit in altero latere ſolum; vertere & cõſiderare oportet in his, num aliquem habeat dolorem in altero latere, & an alterũ altero ſit calidius: & reclinato ęgro in latus ſanũ, interrogare ipſum, an videatur ipſi graue quid ex ſuperno latere incumbere. Si enim hoc fuerit, in altero eſt ſuppuratio, in quo grauitas affuerit. Cæterùm omnes ſuppuratos ex his ſignis cognoſcere oportet. Primùm quidem ſi febris nõ dimittit, ſed per diem quidem tenuis eſt, noctu verò amplior; & ſudores multi oboriuntur, tuſſesque ac tuſſiendi promptitudo ipſis adeſt, & nihil memorabile expuunt: & oculi caui fiunt, & maxillæ ruborem contrahunt, & vngues quidem manuum curuantur, digiti verò caleſcunt, & potiſſimum ſummi: & in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & poſtulæ per corpus naſcuntur.

17 Quæcunque igitur ſuppurationes diuturnæ ſunt, hęc ſigna habent, & fidem ipſis valde habere oportet. Quæ verò breues ſunt, ex his ſignis cognoſcere oportet, ſi quid apparuerit ex his, qualia in principijs fiunt. Simul autem & ſi aliquanto difficilius ſpirauerit homo. At verò quæ ex ipſis citius & tardius rumpuntur, his ſignis cognoſcere oportet. Si quidẽ enim dolor in principijs fiat, & ſpirandi difficultas, & tuſſis, & ſputatio perſeuerans, ad vigeſimum diem pertingat, eruotionem tunc expectare oportet, aut etiã prius. Si verò quietior fuerit dolor, & alia omnia pro huius ratione, eruptio poſterius expectanda eſt. Neceſſe verò eſt accedere & dolorem, & ſpirandi difficultatem, & ſputationem, ante puris eruptionem. Ex his autem maximè ſuperſtites manent hi quos febris eodem poſt eruptionem die dimiſerit: & qui cibos cito appetiuerint, & à ſiti liberati fuerint: & ſi venter parua & compacta egeſſerit, & pus album & leui, & eiuſdem coloris fuerit, & à pituita liberum & citra dolorem ac tuſſim fortem repurgetur. Ac optime quidem ſic ac celerrime liberantur: ſin minus, hi quibus proxima his contigerint. At verò intereunt hi quos febris non dimiſerit, aut vbi ipſos dimiſiſſe putata fuit, rurſus recaleſcens apparuerit: & qui ſitim quidem habuerint, cibos autem non appetiuerint, & ſi venter liquidus fuerit, & pus pallidum ſiue viride, & liuidũ expuerint, aut pituitoſum & ſpumoſum Si hæc omnia contigerint, pereunt. Quibus verò ex his quædam acceſſerint, quædam non, horum aliqui intereunt, aliqui in multo tempore ſuperſtites euadunt. Verùm ex omnibus ſignis quæ adſunt, tum in his, tum in alijs omnibus, coniecturã facere oportet.

18 Quibuſcunque ex inflammati pulmonis morbis, abſceſſus circa aures fiunt, & ſuppurantur, aut ad infernas partes, ac fiſtulantur, hi ſuperſtites euadunt. Verùm huiuſmodi ſic conſiderare oportet. Si & febris detinuerit, & dolor non ſedatus fuerit & ſputũ pro ratione non prodierit, neq; biliоſæ, neque ſolutu faciles, & meracæ alui egeſtiones fuerint, neq; vrina valde multa, & multam ſubſidentiam habens: indicatur autem ſuperſtes futurus ab omnibus reliquis ſalutaribus ſignis: tunc abſceſſus huiuſmodi fore ſperandum eſt. Fiunt autem partim ad infernas partes, quibus videlicet inflammatio aliqua circa præcordia affuerit: partim in ſupernis, quibus præcordium molle & doloris exors permanſerit, & vbi ſpirandi difficultas,

tas,quæ per tempus aliquod affuit, desierit citra aliã manifestam causam. Cæterùm abscessus ad crura, in pulmonis inflammationibus fortibus ac periculosis, omnes quidem vtiles sunt, optimi verò sunt,qui dũ sputum iam in mutatione est fiunt.Si enim tumor & dolor fiat,sputo pro flauo purulento euadente,& foras procedente: ita securissime homo superstes euaserit,& abscessus absque dolore celerrime sedabitur. Si verò sputum non bene processerit, neque vrina subsidentiam bonam habens apparuerit, periculum est claudum fore articulum, aut multum molestiarum exhibiturum. At si euanescant & recurrant abscessus, sputo non prodeunte,febreque permanente, horrendum est: periculum enim est, ne deliret homo,& moriatur.

19 Ex suppuratis à pulmonis inflammatione, seniores magis intereunt.Ex alijs autem suppurationibus iuniores magis moriuntur. Dolores cum febre contingentes,circa lumbos,& infernas partes,si septum transuersum attigerint,infernas partes relinquẽtes, pernicioſi valde sunt.Proinde alijs quoq; signis animum aduertere oportet. Nam si quod etiam ex alijs signis malum apparuerit,desperatus est homo.Si verò assiliẽte ad septum transuersum morbo, alia signa non mala accesserint, hunc suppuratum fore multa spes est. Quicunque verò suppurati vruntur,quibus quidem purum pus fuerit,& album,& nõ fœtidum, hi seruantur:quibus autem subcruentum, & cœnosum,hi pereunt. Porrò vesicæ duræ & dolentes,penitus quidem horrendæ ac pernicioſæ sunt, pernicioſissimæ verò quæ cum febre continua fiunt. Etenim dolores ab ipsis vesicis ad occidendum sufficiunt; & alui non egerunt hoc tempore,nisi durum quiddam & hoc coactæ. Soluit autem vrina purulenta mixta, quæ albam ac leuem subsidentiam habet.Si verò neque ab vrina quicquam remiserit dolor, neq; vesica molliatur,& febris continua fuerit, in primis circuitibus morbi ægrum moriturum esse timor est. Atque hic modus potissimum pueros corripit septennes, donec ad quintumdecimum annum peruenerint.

20 Febres iudicantur in ijsdem numero diebus, ex quibus & superstites euadunt homines,& ex quibus pereunt. Etenim placidissimæ febres, & signis securissimis nitentes,quarto die desinunt,aut prius. Maligniſſimę verò,& signis horrendissimis oborientes, quarto die aut prius occidunt. Primus igitur ipsarũ insultus sic desinit.Secundus autem,ad septimũ producitur. Tertius ad vndecimum. Quartus ad decimumquartum.Quintus ad decimumseptimũ.Sextus ad vigesimum. Hi igitur impetus ex acutissimis morbis, per quatuor ad viginti, ex additione desinunt. Non potest autem quicquam horum integris diebus exacte numerari. Neq; enim annus,& menses,integris diebus numerari possunt.Postea verò eodem modo,iuxta eandem additionem, primus circuitus quatuor & triginta dierum est,secũdus quadraginta dierum,tertius sexaginta dierum. At in horum principijs difficilimum est cognoscere eos qui in plurimo tempore iudicabuntur. Similima enim sunt ipsorum principia. Verùm à primo die animaduersionem facere oportet, & prout singuli quaternarij adduntur considerare, & non latebit te quò vertetur morbus. Fit autem & quartanarum febrium constitutio ex huiusmodi ordine.

21 Qui porrò morbi in breuissimo tempore iudicabuntur,faciliores cognitu sunt. Maximæ enim differentiæ ab initio ipsis sunt. Qui enim superstites ab ipsis euasuri sunt, facile spirantes, & doloris exortes sunt,& noctu dormiunt, aliaq; signa securissima habent. Qui verò morituri,ægrè spirantes fiunt,delirantes,vigilantes,aliaque signa pessima habentes.Vt igitur his ita contingentibus, coniectare oportet, & iuxta hoc tempus, & iuxta vnamquamq; additionẽ, tendentibus ad iudicationem morbis: iuxta eandem rationem mulieribus quoque iudicationes fiunt ex partu.

22 Capitis dolores fortes & continui cum febre, si quidem lethalium signorum quid accesserit, pernicioſi valde sunt. Si verò absque talibus signis, dolor viginti dies transmiserit,& febris tenuerit,sanguinis à naribus eruptionem, aut abscessum quẽdam ad infernas partes expectare oportet.Sed & quàm diu dolor recẽs fuerit,similiter sanguinis è naribus eruptionem, aut puris eruptionem sperare conuenit, cum aliàs, cum si dolor circa tempora & frontem fuerit. Verùm sanguinis eruptio magis expectanda est iunioribus triginta quinque annis,senioribus verò puris eruptio. Auris dolor acutus cum febre continua ac forti,horrendus est. Periculum est enim deliraturum esse hominem,ac periturum.Proinde quum hic modus minime tutus sit, cito mẽtem aduertere oportet etiam alijs signis,à primo statim die.Pereunt,autem iuniores homines septimo die, & adhuc citius à ex hoc morbo: senes verò longe tardius. Nam & febres & deliria minus ipsis accidunt, & hac de causa aures antea suppurantur. Verùm his quidem ætatibus recidiuæ morbi contingentes, plurimos occidunt.At verò iuniores,priusquam suppuretur auris. pereunt. Nam si pus album effluxerit ex aure, spes est iuuenem superstitẽ euasurum esse,si sanè & aliud quoddam bonum signum ipsi accedat.

23 Fauces exulceratæ cum febre,horrendæ sunt.Verùm si quod aliud item signum accedat,ex his quę antea mala esse iudicata sunt,in periculo hominem versari prædicendum est. Anginæ horrendissimæ sunt, & citissimè accidunt, quæ neque in faucibus quicquam conspicuum faciunt,neque in ceruice: verùm plurimum dolorem exhibent,& erecta ceruice spirationem inducunt Hæ enim eodem die suffocant, secundo item ac tertio & quarto. Quæ vero alioqui similiter dolorem exhibent, attolluntur autem,& in faucibus rubores faciunt, pernicioſæ quidem valde sunt,verùm prioribus magis diuturnæ,si rubor fuerit magnus. Quibuscunque vero fauces & ceruix simul rubuerint, hæ anginæ diuturniores sunt, & ex ipsis maxime euadunt, si & ceruix, & pectus ruborẽ habuerit, & erysipelas ignis sacri non intro recurrerit. Si verò neque in diebus iudicatorijs dissipetur erysipelas, neque tuberculum ad externam partem conuertatur, neque pus tussiendo reijciat, facileque ac sine dolore degere videatur, mortem significat, aut ruboris recidiuam. Securius est autem tumorem & ruborem quàm maxime foras verti. Si verò ad pulmonem vertatur,& delyrium inducit,& quidam ex ipsis suppurati plerumque fiunt.

24 Gurgulliones periculosi sunt vt & resecentur, & scarificentur, quàm diu rubicundi fuerint & magni. Nam inflammationes ad hos succedunt, & sanguinis

nis eruptiones. Quare tales alijs machinamentis attenuare conari oportet hoc tempore. Quum verò totũ iam fuerit secretum, quod sanè vuam appellãt, & fiat extrema gurgulionis pars maior & rotunda, superior autem tenuior, in hoc tempore tutum est rem aggredi. Præstat tamẽ & aluo subducta, chirurgia hac vti, si & tempus permittat, & homo non stranguletur. Quibus febres cessant, neque signis solutorijs apparentibus, neque in diebus iudicatorijs, his reuersuras esse expectandum est. Quæcunque febris longiorem moram traxerit, homine alioqui ad salutem disposito, ita vt neq; dolor teneat ob inflammationem, aut ob aliquam aliam manifestam causam: huic abscessum expectare oportet cum tumore ac dolore ad aliquem articulum, vel maximè infernum. Fiunt autem huiusmodi abscessus magis, & in breuiori tempore, his qui iuniores sunt triginta annis. Expectare verò statim oportet abscessum, si febris detinens viginti dies transmiserit. Senioribus autem minus fiunt diuturniore etiam existente febre. At verò huiusmodi abscessum expectare oportet febre continua existente. Verùm ad quartanam deducetur, si intermiserit, & erroneo modo apprehenderit, & si hæc faciens ad autumnum appropinquarit. Quemadmodum autem junioribus triginta annis abscessus fiunt: ita quartanę magis his qui triginta sunt annorũ, & senioribus. Cæterùm hæc nosse expedit, abscessus magis hyeme fieri, tardiusque cessare, & minus recurrere.

25 Quicunq; verò in febre non lethali, dixerit sibi caput dolere, aut etiam præ oculis obscurum quiddam apparere, si & oculi ventris morsus huic accesserit, ei bilios us vomitus aderit. Si verò etiam rigor accesserit, & partes infra præcordium frigidas habuerit, citius adhuc vomitus aderit. At si quid biberit aut ederit sub hoc tempus, valde cito vomet. Porrò quibus horum dolor fieri incœperit primo die, hi quarto magis q̃ quinto premuntur: septimo verò liberantur. Plerique tamen ipsorum tertio die dolere incipiunt, vexantur autem maximè quinto, liberantur nono, aut vndecimo. Qui verò incęperint quinto die dolere, aliaq; iuxta rationem priorum ipsis fiant, his ad decimumquartum morbus iudicatur. Fiũt autem hæc & viris, & mulieribus, maximè in tertianis. Junioribus verò fiũt quidem & in his, verum magis in continuis febribus, & in sinceris tertianis. Quibuscũque verò in huiusmodi febre caput dolentibus, pro eo quòd obscurum quiddam præ oculis appareat, visus hebetudo contingit, aut splendores ob oculos obuersantur: & pro oculi ventris morsu, in pręcordiorum dextra aut sinistra parte aliquid tenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione: sanguinem de naribus his, pro vomitu fluxurum esse expectandum est. Magis tamen hic in iuuenibus sanguinis eruptionem expectare oportet: his autem qui triginta sunt annorum, & seniores adhuc minus: verùm vomitus in his expectari debent.

26 At verò pueris conuulsiones fiunt, si febris fuerit acuta, & venter non egesserit, & vigilarint, & terreãtur, & eiularint, & colorem mutarint, & viridem siue pallidum, aut liuidum, aut rubrum cõtraxerint. Fiunt autem hæc promptissimè quidem pueris nuperrimè editis, vsque ad septimum annum. Seniores aut pueri, & viri, non amplius in febribus corripiuntur conuulsionibus, si non quid ex signis fortissimis ac pessimis accesserit, qualia sanè in phrenitide fieri solent. Perituros porrò & superstites futuros, tum pueros, tum alios ex omnibus signis coniectare oportet, prout singula de singulis perscripta sunt. Atque hæc & de acutis morbis, & de his qui ex ipsis fiunt, dico. Qui verò recte prænoscere volet & superstites futuros, & morituros: & quibus per plures dies, & quibus ad pauciores morbus duraturus est; eum signa omnia edisscere, & iudicare posse conuenit, ita vt vires ipsorum inter se conferendo expendat, quemadmodum perscriptum est, & de alijs, & de vrinis, & de sputis, vbi simul & pus & bilem ægrotus tussiendo reiecerit.

27 Quin & impetus morborum semper populariter grassantium cito animaduertere oportet, & temporis constitutionem non ignorare. Probè tamen id nosse expedit de coniecturis certis, & alijs signis, & non ignorare, quòd in omni anno, & omni tempore, mala malum, bona bonum significant. Nam & in Libya, & Delo, ac Scythia, præscripta signa vera comperiuntur. Proinde sciendum est, minimè difficile esse, in ijsdem regionibus posse aliquem pleraque ex ipsis assequi, si memoria tenens ipsa, iudicare ac recte expendere sciat. Cæterùm nullius morbi nomen desiderare oportet, quod hic non est adscriptum. Omnes enim qui in prædictis temporibus iudicantur, ex ijsdem signis cognosces.

HIPPOCRATIS COI

Prædictionum Liber I.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Phrenitici. Nasus destillans. Alui profluuium rubicundum. Linguæ asperæ. Vrinæ phreniticorum. Insomnia phreniticorum. Screatio frequens. Ardores in præcordio relicti. Desipientiæ prædebilitatorum pessimæ. Phreniticæ affectiones.*

2 *Vomitus aruginosi. Faucium affectiones. Mansuetudo in phreniticis. Sputatio frequens. Alui alba egestio. Rigores. Tremores qui pessimi. Insaniæ signa.*

3 *Aurium sonitus in febribus. Mentis perculsiones cum voce clangorosa. Linguæ tremulæ. Excrementa spumosa. Excrementa florida. Circa latus rari dolores. Vocis interceptiones. Mentis motiones modicè feroces.*

4 *Morbum molestè ferre. Phrenitidis notæ. In phreniticis permutationes. Vrinæ quæ minguntur à non recordantibus.*

tibus. Palpitationes per totum. Sputationes in phrenitide. Surditas & vrinæ non considentes. Fatuitas ex morbo regio. Surditas in morbis acutis. Mentis emotiones. Torpores ex rigore.

5 Dolores circa vmbilicum. Vrinæ innatantia. Mente mouendorum signa. Sudores circa caput. Impotentiæ præter vasorum vacuatorum rationem. Alui interceptæ.

6 Lumborum dolor. Extremitates cito in vtramque partem transmutatæ. Responsio ferox in moderato. Oculus hebes, & fixus. Dentium stridor. Toruitas vehemens.

7 Egestiones alui spumosæ. Excrementa spumosa. Vrinarum interceptiones. Egestiones spumosæ albæ. Vocis interceptiones in febribus. Febres ex præcordiorum doloribus. Sitis in morbis acutis præter rationem soluta. Vrinæ malæ.

8 Vomitus mali. Sopor. Ignorātia. Perfrigerationes ex rigore. Ardores. Rigores æstuosi. Dolor in pectore firmatus.

9 Vomitus nigrorum. Qui medicamentis non sunt purgandi. Oris ventriculi dolor. Vrinæ fermentatæ. Colli dolor.

10 Febres malignæ. Horrores per dorsum delabentes. Anxiè se iactantes. Perfrigeratio cum duritia. Excrementa prodeuntia non sentire. Vomitiones biliosæ. Alborum ex partu detentio. Excrementa biliosa aquosa. Siderationes repentinæ.

11 Lumborum dolores & ad os ventriculi recursiones. Oculi confractio in morbo acuto. Fauces dolorosæ. Opisthotonos Rigor. Præcordiorum dolores. Coxarum dolores.

12 Vocis defectus. Fatuitas ex affectionibus ardentibus. Singultum indicantia. Sopor spumosis prodeuntibus. Vocis interceptio, ex capitis doloribus. Nigra quibus ventura. Vocis interceptiones cū exolutione. Lateris dolor ex sputis biliosis

13 Aluus inflata. Alui circumtensio. Lumborum dolores diuturni. Affectiones insuper rigentes.

14 Sudores in principio, vrinis concoctis. Capitis dolor verum gerentium. Dolores strangulatorij in faucibus. Tremores conuulsorij. Lumborum dolor. Excrementa subluuida.

15 Fauces exasperatæ. Somnus multus. Purgationes veratrū. Exercitationes è somno. Dorsi & colli perfrigerationes. Cubiti & colli dolores. Sonitus in faucibus. Dolores ad infernas partes.

16 Caput exudantes. Egestiones subfriabiles, liquidæ. Albi egestiones albæ. Lumborum dolores ad collum, & caput progressi.

17 Conuulsiones in vteri strangulationibus. Vesica intercepta. Ossium circa tempora dissectio. Sputa in sudore febricitantium defluentia. Mentem modicè emouentia. Vocis interceptiones cum sopore.

18 Conuulsorum oculi. Sanguis ex contrario erumpens, malum. Excrementa nigra post sanguinis eruptionem. Vulnera sanguinem fundentia, exudantia. Surditas post sanguinis eruptionem. Lumborum & oris ventriculi dolor, aut hæmorrhoides.

19 Sanguinis eruptiones. Morbi statim turbulenti. Vrinæ aquosæ. Sanguinis eruptiones, plures. Sanguinis eruptiones in iudicatorijs perfrigerationibus. Sanguinem fundentes.

20 Recursus ex lumbis ad caput. Egestio nigrorum, ex sanguinis larga eruptione. Parua è naribus destillatio. Febres ex rigore cum lassitudine. Sanguinem effundentia.

21 Sanguinis è naribus fluxum soluit venæ sectio. Sanguinis eruptionis signa. Sanguinis stillicidia. Sudor in horroribus. Sanguinis stillicidia. Rigor quibus fluxionem sistat. Sanguinis eruptiones quos morbos soluant. Sanguinis erumpentis bona. Abscessus iuxta aures.

22 Subsoporati morbo regio affecti. Abscessum iuxta aures futurorum notio. Anxiosæ vigiliæ. Ex volunlis grauedolentibus. Ex surditate. Leuiter syderatis.

23 Conuulsorio modo exacerbata. Vrinæ aquosæ alba innatantia habentes. Spiritum magnum & frequētem habentes. Soporosa, anxiosa, præcordia, dolentia.

24 Aluus nigra stercoracea egerēs. Tussiculæ cum sputatione. Sopor & surditas in capitis dolore. Præcordij distentio.

1 SOporosi in principijs euadentes, cū capitis, lumborum, præcordij, colli dolore, vigilantes, num phrenitici sunt? Nasus in his destillans, perniciosus, tum alias, tum quarto ab initio die. Alui proluuium valde rubicundum, malum quidem est in omnibus morbis, nō minimè verò in prædictis. Linguæ asperæ & reficcatæ phreniticæ. In turbatis vigilantibus, vrinæ de colores, nigræ, innatantes, in sudoribus phreniticæ. Insomnia etiam in phreniticis manifesta sunt. Screatio frequens, si sanè & aliud quoddam signum affuerit, phrenitica sunt. Qui relinquuntur in præcordio ardores, febre perfrigerata, mali sunt, tum alias, tum in sudoribus. Prædebilitatorum desipientię pessimę, velut etiam Thrasynonti. Phreniticæ vehemētes affectiones, tremulæ desinunt.

2 Vomitus in capitis doloribus ærugimosi, cum surditate & vigilijs, cito insaniam affore denuntiant. Loci circa fauces in acutis morbis dolorosi, graciles, parui suffocatorij, quando hiarit æger vtros claudere & aperire non facile possit, mentis emotionem portendunt. Ex talibus phrenitici fiunt, & pernitiosę affecti. In phreniticis in principio mansuetudo. Verum frequenter transmutari, malum id est, & sputatio mala est. In phreniticis alba alui egestio malum: quemadmodum & Archecrati. Num & in his torpor fit? Rigor in his pessimus. Quibus melancholico modo mente motis, tremores accedunt, malum hoc est. Mente moti acute, vbi insuper febrierint, cum sudore phrenitici fiunt. Phrenitici paucibi, strepitum valde percipientes, tremuli. Ex vomitu nauseabundo oborta clāgorosa vox, oculi pulullum incumbentem habentes, insaniam portendunt: quēadmodū etiam Hermozygæ vxor, insania acutè correpta, voce destituta mortua est.

3 In febre ardenti sonitibus aurium accedentibus, cum visus hebetudine, & grauitate in naribus accedente, melancholico modo mente mouentur. Mentis perculsiones cum voce clangorosa, linguæ conuulsiones tremulæ, & voces tremulæ euadentes, mentem alienant: duricies in his pernicioſa est. Linguæ tremulæ signum sunt mentis non firmæ. In biliosis meracis alui egestionibus, spumosa florulentia, mala, tum alias, tum si cui lumbi antea doluerint, & mente motus fuerit. Rari circa latus in his dolores, desipientiam significant. Vocis interceptiones cum singultu, pessimæ. Vocis interceptiones cum exolutione, pessimæ. In vocis interceptione, spiritus velut his qui strangulantur præ manibus expositus, malus est. Num & talis mentem emouet? Modicè ferocis mentis emotiones, serinæ sunt.

4 Molesta ferre morbum, cū perfrigeratione, si nul-

ſine febre exſudent partes ſupernæ, phrenitim portendit: quemadmodū etiam Ariſtagoræ. Sed & pernicioſum hoc eſt. Frequentes in phreniticis permutationes, conuulſoriæ. Vrinæ quæ minguntur à non recordātibus, nec commonefactis, pernicioſæ. Num his minguntur velut ſi ſubſidentiam conturbaſſes? Palpitantes per totum, num voce deſtituti moriuntur? Sputationes in phreniticis cum perfrigeratione, nigræ reuomuntur. Surditas, & vrinæ non conſidentes, valde rubicundæ, innatantes, mentis emotionem portendunt. His morbo regio fatuitas. Hos voce quidem deſtitui, verùm ſentientes eſſe contingit. Arbitror autem & aluos his perrumpere, velut contigit Hermippo, & mortuus eſt. Surditas in morbis acutis & turbulentis conſequens, mala. Mentis emotiones tremulæ, obſcuræ, palpatoriæ, valde phræniticæ ſunt. Velut & Didymacho in Co. Torpores ex rigore, non valde apud ſeipſos ſunt.

5 Dolores circum vmbilicum palpitantes, habent quidem aliquid quod mentem emouet. Verùm circa iudicationem his ſpiritus aceruats cum prōpta tenſione penetrat. Et dolores circa ſuram, in his mentis emotionem faciunt. Si innatarit quid in vrina, dolore circa femur diſſipato, mentis emotionem portendit: & qualia circa aurium ſonitus contingunt, talia exiſtunt. In aluo liquida, laſſato, caput dolenti, ſiticuloſo, vigilanti, obſcurè loquenti, impotenti, quibus talia ſunt, his timor eſt vt mēte moueantur. Exudantes & maximè circa caput, in morbis acutis ſubmoleſtè ferentes, malum, tum aliàs, tum in vrinis nigris: & turbidus ſpiritus in his malus. Impotentiæ præter vacuatorum vaſorum rationem contingentes, non exiſtente vaſorum vacuatione, malum. Alui interceptæ, ſed parua, nigra, velut caprarum ſtercora ad neceſſitatem coactè emittentes, naſus in his erumpens, malum.

6 Quibus lumborum dolor diutinus, cum ardore faſtidioſo ac nauſeabundo, hi ſi exudent, malum eſt. Num his tremores fiunt? Sed & vox velut in rigore conſpicua? Extremitates ſi in vtranque partem citò tranſmutentur, malum eſt. Et ſitis huiuſmodi, mala eſt. Ex moderato ferox reſponſio, malum. Vox acuta, his præcordia intro trahuntur. Oculus hebes, malus; & fixus ac caliginoſus, malus. Vox acuta clangoroſa, mala. Dentium ſtridor pernicioſus eſt, quibus non & ſanis familiaris eſt. Suffocatio in his valde mala. Faciei bonus color, & vehemens toruitas, malum. Egeſtiones alui deſinentes in ſpumoſas meracas, exacerbatoriæ ſunt. Vrinarum in morbis acutis ex perfrigeratione interceptiones, peſſimæ. Pernicioſa ſi citra ſigna, leuia facta fuerint mortem ſignificant.

7 In morbis acutis biliōſis valde albæ, ſpumoſæ, circumbibioſæ egeſtiones, malæ. Malæ item & vrinæ eiuſmodi. Num his hepar doloroſum eſt? Vocis interceptiones in febribus conuulſorio modo contingentes, ſi ad mentis emotionem cum ſilentio deueniunt, pernicioſum. Vocis ex dolore interceptiones, doloroſam mortem inducunt. Febres ex præcordiorum doloribus malignæ. Sitis præter rationem ſoluta in acutis morbis, mala eſt. Sudor multus cum febribus acutis oboriens, malus eſt. Et vrinæ doloroſę, maleſunt. Et rubicundæ ex his florulentiæ detentæ, itemque æruginoſæ, malæ ſunt: & paruas apparere veluti ſtillas. Et vomitus cum varietate mali ſunt, tum aliàs, tum ſi proprius inter ſe prodeant. Quæcunque in diebus iudicatorijs, cum anxietudine, abſque ſudore perfrigerantur, malum eſt: & quæ ex his inſuper riguerint, mala ſunt.

8 Vomitus meraci, anxioſi, mali. Sopor num vbique malus eſt? Ignorantia cum rigore, malum. Malum item obliuio. Perfrigerationes ex rigore non recaleſcentes, malæ ſunt. Sudantes ex perfrigeratione recaleſcentes, malum. In his ardor doloroſus in lateribus, & inſuper rigere, malum eſt. Aeſtuoſi rigores aliquatenus pernicioſi: & flammea facies cum ſudore in his mala eſt: in his poſteriorum partium frigiditas, conuulſionem accerſit. Exudantes vigiles recaleſcentes, malum. Ex lumborum recurſu, oculi diſtortio, malum. Dolor in pectus firmatus cū torpore, malus. Hi ſi inſuper febriant, acutè ardentes, moriuntur.

9 Qui nigra reuomunt, cibos auerſantur, deliri ſunt, iuxta pubem parum doloroſi, oculum ferocem, aut clauſum habent, eos medicamentis purgare nō oportet. (Pernicioſum enim eſt:) Neque intumeſcentes vertiginoſos, in leuiter vagando deficientes, cibos auerſantes decolores: neque in febre fractos, ſi ſoporoſi fuerint. Pernicioſum enim eſt. Oris ventriculi dolor, malignum, & quippiam anheloſum. Nam hi repente moriuntur? velut in Dyſodę. Huic etiam vrinæ vehementer fermentatę, erant valde rubicundę. Colli dolor malum quidem in omni febre, peſſimum autem his quibus timor eſt, vt inſaniant.

10 Febres ſoporoſę, laſſatorię, caliginoſę, vigilias inducentes, exudantes, malignę. Horrores frequentes ex dorſo, celeriter tranſlibentes, moleſti, vrinę interceptionem doloroſam ſignificant. Qui anxiè ſe iactantes, citra vomitum exacerbantur, malè habent. Perfrigeratio cum duricia, ſignum malum. A ventre tenuia non ſentienti prodire, ei qui eſt apud ſeipſum, pernicioſum; velut hepatico. Vomitiones exiguę biliōſę, maleę, tum aliàs, tū ſi inſuper vigilauerint ęgri. Naſus in his deſtillans, pernicioſum eſt. Quibus ex partu alba detinentur cum febre, ſurditasq; adeſt, & in latere dolor acutus, hæ pernicioſę mente mouentur. In febribus ardentibus ſubperfrigerantibus, egeſtionibusq; alui biliōſis aquoſis frequentibus. oculorum diſtortio, ſignum malum eſt, tum aliàs, tū ſi ſtupore prehenſi detineantur. Syderationes repentinę ei qui exolutè ac diutinè inſuper febrijt, pernicioſę ſunt; quale quiddam paſſus eſt Numenij filius.

11 Ex lumborum dolore ad os vētriculi recurſiones, febriculoſę, horridę, reuomentes aquoſa tenuia multa, mente motę, voce deſtitutę, nigrorum vomitu facto moriuntur. Oculi confractio in morbo acuto, mala. Num anxiè ſe iactantibus citra vomitum, lumbos dolentibus, ſi ferociter mente moti fuerint, ſpes eſt vt nigra per aluum prodeant? Fauces doloroſę, graciles, cum ęgre tolerabili moleſtia, ſtrangulatorię, pernicioſę acutè. Quibus ſpiritus retrahitur, vox autem ſtrangulatoria eſt, & vertebra intrò conſidet, his in fine velut contrahente quodam ſpiritus fit. Caput dolentes, & ſtupore detenti delirantes, aluo intercepta, oculum ferocem prę ſe ferentes, floreſcentes, opiſthotono (poſteriorum partium conuulſoria diſtentione) corripiuntur. In oculorum

diſtor-

distortione, febriculoso, lassato, rigor pernicioſus. Et ſoporoſi in his, malum. In febribus ad præcordium dolores, ſine voce, ſi ſudore non ſoluantur, maligni ſunt. His dolores ad coxas, vnà cum febre ardente, & ſi aluus aceruatim eruperit, pernicioſum.

12 Quibus voces cum febribus deficientes poſt iudicationem, hi trementes ac ſoporoſi moriuntur. Quibus affectiones ardentes, fatuitatem inducentes, ſtuporis detentionem inferentes, præcordia variantia, & ventris tumor, cibis interceptis, in ſudoribus: num his turbidus ſpiritus, & genituræ ſimile quid ſuperueniens, ſingultum indicat? Sed & aluus ſpumoſa, bilioſa, inſuper egerit? Splendidum in his mictum prodeſt. Venter autem his inſuper turbatur. Quibus ſopor fit ſpumoſis prodeuntibus, his febris exacerbatur acuta. Ex capitis dolore vocis interceptiones ſi ſint, cum ſudoribus febriculoſi laxantur in ſeipſos, fiuntq; morbi reuertentes diutius durantes; his inſuper rigere, non malum eſt. Manus tremulæ, caput dolentes, collum dolentes, ſubſurdi, mingentes nigra denſata; quibus hæc ſunt, his nigra ventura eſſe expectare oportet, pernicioſum. Vocis interceptiones cũ exolutione, ſtupore detinente, pernicioſæ. Lateris dolor, ex ſputis bilioſis, citra rationem ſi euanerit, mente mouentur.

13 Ex colli dolore, ſoporoſo, ſudanti, aluus inflata, ſi ſanè ad neceſſitatem liquida demiſerit, infuſo immiſſo ſubluta: ex his ea quæ bilioſa non ſunt ſupprimuntur. Talia verò ſi ſeruentur retenta, longius ægrotat. Num itaque proluuia quæ bilioſa non ſunt, meliora ſunt? & flatuoſo tumori profuerint? Alui circumtẽſio, ad neceſſitatem liquida demittens, cito intumeſcens, habet quid conuulſorium, velut etiam Aſpaſij filio. Supererrigere his pernicioſum. Ex his conuulſus factus ac inflatus, vbi diutius ęgrotaſſet, ori putre factio viridis ſuperuenit. Quibus circa lumbos tenus diuturni dolores, ad prȩcordium ſe reuoluentes, & ciborum faſtidium inducentes vnà cum febre: his ad caput dolor intentus progreſſus, repentè conuulſorio modo occidit. Affectiones inſuper rigentes, & quę ad noctẽ aliquanto magis exacerbantur, cũ vigilijs, & delirio in ſomnis, aliquando vrinas inuoluntarie emittentes, in cõuulſiones ſoporoſas deſinunt.

14 A principio exudantes vrinis concoctis, ardentes qui citra iudicationem perfrigerantur, breui circumcirca ardentes: torpidi item, ſoporoſi, conuulſi, pernicioſe affecti ſunt. Verum gerentibus capitis dolores, ſoporoſi, cum grauitate, oborientes, mali ſunt. Fortaſſis autem his etiam conuulſorium quid pati contingit. In faucibus gracilibus dolores ſtrangulatorij, habent quid conuulſorium, tum aliàs, tum a capite oborti; velut etiam Thraſynontis conſobrinæ. Tremores conuulſorij, contingentes in ſudoribus, reuerti ſolent. Iudicatio his fit vbi ſupererriguerint. Supererrigent hi ardore circa ventrem prouocati. Lumborum dolor, & capitis dolor, & oris ventriculi dolor, cum exſcreatione violenta, conuulſorium quid habet.

15 A ventre ſubliuida, turbulenta, & lotia tenuia ac aquoſa, ſuſpecta. Fauces exaſperatæ parum, & vẽter murmurans inanibus ad egerendum ſurrectionibus, & frontis dolores, & palpitãtes, delaſſati, in ſtragulis ac veſtimentis doloroſi. Quæ ex his augentur, difficilia ſunt. Somnus multus in his conuulſorius, & dolores in frontem graues, & mictio difficilis. Vrinæ ſuppreſſio quibus rigores, & in conuulſorijs affectionibus: velut & ipſa vbi inhorruit, ſudauit. Meracę deſinentes purgationes, omnibus quidem exacerbatoriæ ſunt: his verò etiam valde. Ex talibus etiam circa aurem abſceſſus exurgunt. Turbulentæ ferociſſimæ è ſomno excitationes, conuulſoriæ ſunt, tum aliàs, tum cum ſudore. Et colli, & dorſi perfrigerationes apparentes, ſed & per totum corpus: in his etiam ſpumoſæ mictiones, vnà cum animi deliquio, & oculorum obſcuratio, conuulſionem propè adeſſe ſignificant. Cubiti ac colli dolores, conuulſorij. A facie autẽ hi. In faucibus ſonitus frequentes, cum ſaliuæ ſputatione. In his inſomnis ſudores, boni. Num & ſudore leuari, plurimis non malum eſt? Dolores ad infernas partes, his toleratu faciles.

16 In febribus exudantes caput dolentes, aluo intercepta, conuulſi fiunt. Subfriabiles liquidæ alui egeſtiones, perfrigerantes non ſine febre, malæ ſunt. Rigores ex his veſicam & ventrem occupantes, doloroſi. Proinde ſoporem his habere aliquid conuulſorij, non ſanè mirum apud me fuerit. Quæ in acutis vomitorio modo trahuntur, mala ſunt. Et albę alui egeſtiones, difficiles. Non viſcoſa ex his progreſſa, cum multo ardore ad mentis emotionem perueniunt. Nũ ex his ſoporoſi torpidi fiunt? Morbi ex talibus diutius durant. Num circa iudicationem hi areſcentes difficulter ſpirantes? Quæ ex lumbis ad collum ac caput progreſſa ſunt, & leuis ſyderationis modo reſoluerunt, conuulſoria fiunt & mentem emouentia. Num & ſoluuntur talia conuulſione? Ex talibus variè ægrotant, & per eadem progreſſi.

17 Conuulſiones in his quæ ab vtero ſtrangulantur ſine febre, faciles ſunt, velut etiam Dorcadi. Veſica intercepta tum aliàs, tum cum capitis dolore, habet quid conuulſoriũ. Quæ in his cum torpore exoluuntur, difficilia ſunt, non tamen pernicioſa. Nu id quod tale eſt etiam mentem emouet? Num & ocium circa tempora diſſectiones, conuulſionem accerſunt? aut ſi quis ebrius verberetur, aut ſanguis multus effluat in principijs, num hoc facit conuulſionem? In ſudore ſputa defluentia febricitanti, leuia ſunt. Num ad dies aliquot alui humectantur? arbitror. Num his ad articulos abſceſſus fiet? Quæ modicè ferociter mentem emouent, atrabiliaria ſunt. Si verò à muliebrium purgationum retentione fuerint, ferina. Hæc verò ſæpius accidunt. Num & conuulſæ ſunt hę? Nũ & vocis interceptiones cum ſopore, cõuulſorię ſunt? velut Coriarij filiæ, quæ muliebribus purgationibus præſentibus affici cœpit.

18 Quibus conuulſis oculi intentæ relucent, neque apud ſeipſos ſunt, & diutius ęgrotant. Sanguinis eruptiones ex contrario, malæ ſunt: velut in ſplene magno, ſi ex dextra nare fluat. Et circa præcordia eodem modo res ſe habet. Verùm cum ſudore hoc peius eſt. Ex naribus erumpente ſanguine, cum exiguis ſudoribus, perfrigeſcentia maligna ac praua. Poſt ſanguinis eruptionem, nigrorum per aluum trãſitus, malus. Praua ſunt etiam valde rubra. Num verò quarto die hæc ſanguinis eruptio contingit? Soporoſi ex his conuulſione moriuntur. Num nigris præegreſſis, & ventre tumefacto? Vulnera ſanguinem fundentia, exudantia, maligna. Sic affecti loquentes latenter moriuntur. Poſt modicam ſanguinis

eruptionem,& nigrorum egestionem,in acutis surditas malum. Sanguinis egestio in his pernicioſa. Verùm surditatem ſoluit. Lumbis dolentibus oris ventriculi dolores accedentes,ſigna hęmorrhoidum fluxionis futuræ ſunt. Arbitror autem & hos prægressæ hæmorrhoidum eruptionis ſignum esse.

19 Sanguinis eruptiones ſtatis temporibus contingẽtes, ſiticuloſæ, difficiles ac exoluentes, ſi ſanguinem non effuderint,in comitialem morbum finiunt. Morbi qui ſtatim turbulẽti ſunt,inſomnes,ſanguinem de naribus ſtillãtes,ſexta die alleuati,noctu afflixerunt, poſtridie exudarunt,in ſomnumq́; delati mentẽ emouerunt,hi largè ſanguinem fundunt. Num & aquoſa vrina tale quid ſignificat? Quibus ſanguinis eruptiones plures, his temporis progreſſu alui male afficiuntur,ſi non vrinę concoctę fuerint. In iudicatorijs perfrigerationibus,ſanguinis eruptiones fortes peſſimæ ſunt. Capite grauati,iuxta ſinciput dolentes,inſomnes,ſanguinem profundunt,tum aliàs,tum ſi quid ad collum contendant. Vigilijs infeſtati,derepentè cum inquieta iactatione, ſanguinem fundunt, tum aliàs, tum ſi quid antea perfluxerit. Num vbi inhorruerunt? Colli dolores,oculi valde rubicundi,ſanguinis eruptionem ſignificant. Quibus aluo ſuppreſſa ſanguinis eruptio fit,& inſuper rigent; num aluus inteſtinorum leuitate corripitur,& obdura fit,aut aſcarides inſunt,aut vtrunque?

20 Quibus ex lumbis recurſus fit ad caput, & manus, hi torpidi, os ventriculi dolentes, ſanioſis ac ſeroſis humoribus pleni,largè ſanguinem profundunt. Sed & aluus his turbulentis erumpit. Quibus ex ſanguinis eruptione larga ac frequẽti,nigrorum multorum fit egeſtio,hi ſuppreſſa aluo doloroſi ſanguinem profundunt. Cum quadam verò fluxione,facilè ferunt. Num hi multos frigidos ſudores excludunt? Contur bata in his vrina, non mala,neque id quod genituræ ſimile in ipſa reſidet. Verùm frequenter hi aquoſa mingunt. Quibus in ſurditate & torpore parua eſt à naribus deſtillatio,ea habet quid difficultatis. Vomitus his confert,& alui perturbatio. Quibus ex rigore febres cum laſſitudine, his menſes muliebres decurrunt. At collum in his doloroſum,ſanguinis eruptionis è naribus ſignum eſt. Et per nares ſanguinem effundere ſpes eſt ea quæ caput concutiunt;& quæ aurium ſonitum faciunt, ſanguinem profundunt, aut menſes deducunt, tum aliàs, tum ſi iuxta ſpinam ardor conſequetur. Fortaſſis autem & dyſenteriam facient. Et circa ventrem palpitationes,cum præcordij intenſione ſublonga ac tumente, ſanguinis eruptionem ſignificant. Inhorreſcunt autem hi.

21 Quę larga,violẽta,multa ex naribus fluxerint,aliquando ad conuulſiones adducunt. Venæ ſectio ſoluit. Frequentes & paulatim contingentes ad egerendum ſurrectiones,ſufflauæ,viſcoſę, modica ſtercoracea habentes, cum præcordij ac lateris dolore, morbo regio participant. Num autem his ſuppreſſis hi exoluuntur? arbitror ſanè:& ſanguinem profundũt? His tenſio lumborũ, & dolores in his, ſanguinis eruptionem ſignificant. Præcordij tenſio, cum capitis grauitate, ac ſurditate, & quæ ad hæc conſequenter diuexant,ſanguinis eruptionem indicant. Vndecimo die ſanguinis ſtillicidia difficilia,tum aliàs,tum ſi ſuperſtillauerint. Qui in horroribus ſimul iudicatorię exudarunt, poſtridie verò poſtquam inhorruerunt præter rationem vigilant, eos ſanguinem effuſuros eſſe arbitror. Quibus ab initio largæ ſanguinis eruptiones,rigor fluxionem ſiſtit. Ex ſanguinis eruptione, rigores longi. Quibus capitis dolores, ac colli dolores,& totius corporis impotentia quędam, ſanguinis eruptiones ſoluunt. Sed & tempore ſic ſoluuntur. Vrinæ quæ in his qui iuxta aures abſceſſus habent, cito & modicè concoquuntur, malæ ſunt. Et perfrigerari hoc modo malum eſt.

22 Subſoporati, morbo regio affecti, non valde ſentientes,quibus ſingultus,his aluus erumpit, fortaſſis & ſuppreſſa eſt. Hi exoluuntur. Num his etiam abſceſſus iuxta aures fiunt? Suppreſſæ cum rigore vrinæ,malæ,tum aliàs, tum ſi antea ſopor apprehenderit. Num iuxta aures abſceſſus parotides dictos, in his foreſpes eſt? Ex torminoſo ſubſidentia limoſa ſubluuida, mala eſt. Num ex præcordijs dolet puto dexterum? & exoluitur? Num abſceſſus iuxta aures talibus parum doloroſi? Aluus erumpens his in omnibus pernicioſa eſt. In anxioſis quibuſdam vigilijs abſceſſus circa aures maxime. Ex voluulis graueolentibus, in febre acuta, præcordijs ſublimibus diutius permanentibus,abſceſſus circa aures oborti occidũt. Ex ſurditate leniter abſceſſus circa aures fiunt, tum aliàs,tum ſi anxioſum quippiã ſuccedat,& ſoporoſis inter hos adhuc magis. Abſceſſus iuxta aures leuiter ſyderatis mali ſunt.

23 Quæ conuulſorio modo exacerbantur,cum ſtuporis detentione,abſceſſus iuxta aures producunt. Conuulſio, tremor, anxietas, cum ſtuporis detentione, paruos circa aures abſceſſus exacerbant. Num quibus abſceſſus ſunt iuxta aures, capitis dolore affecti ſunt? Num & ſupernis partibus exudant? num inſuper rigent quoque aliquo modo? Deinde & aluus erumpit, & ſoporoſum quippiam habent? Num & aquoſæ vrinæ alba innatantia habentes,& quæ variè exalbidæ ſunt,ac fętidę,abſceſſus iuxta aures faciũt? Num quibus tales vrinæ,frequentes ſanguinis è naribus ſtillæ profluunt? num & lingua his leuis eſt? Quibus magnum & frequentem ſpiritum habentibus,morbus regius, & febres acutæ cum præcordijs duris perfrigeratæ ſunt, num his abſceſſus magni ad aures conſiſtunt? Soporoſa, anxioſa, præcordia dolentia, vomitoria parua ſymptomata. In his abſceſſus iuxta aures oboriuntur. Antea verò & ea quæ circa faciem ſunt.

24 Aluo nigro ſtercoracea egerente,ſopor inſuper apparens, abſceſſum iuxta aures producit. Tuſſiculæ quę ſunt cum ſputatione,abſceſſum circa aurem ſubmouent. In capitis dolore ſopor & ſurditas, circa aurem abſceſſum aliquem eructat. Præcordij diſtentio cum ſopore anxioſo, ac capitis dolore, abſceſſus circa aurem attollit. Doloroſi aurium abſceſſus,citra iudicationem diſſipati,mali ſunt.

HIPPOCRATIS COI

Prædictionum Liber II.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Veterum medicorum prædicendi modi varij.*
2 *Hippocratis prædictiones quales, quantumq; à prioribus illis differant. Dylirij cognitio ante iudicationem ex anteacta vita. Ex hæmorrhoidibus prædictiones.*
3 *In prædictionibus prudentia adhibenda.*
4 *De exercitatis nihil certi prædici posse. Peccata in morbis cognitu difficilia, tametsi ægri decumbant.*
5 *Potus vberior spirandi difficultatem inducit, & plus ruinæ ejcitur. In febrientibus nares multæ significant.*
6 *Morborum ac ægrotorum mores cogniti, non tamen certam prædictionem permittunt.*
7 *Aegrorum inobedientia quomodo cognoscatur. Quam prædictionem Hippocrates approbet aut damnet. Leuia ægrorum delicta cognitu difficilia, maiorum verò ab Hippocrate his cognoscendi ratio proponitur. Aegri matutinis horis considerandi & inspiciendi. Mens, mores, & corporis vires in ægrotis considerandæ. Ructuum ac flatuum consideratio.*
8 *Cœna liberior absque exercitio. Otiosorum excrementa. Ebrij magis sudant. Coitus modicus aut frequens.*
9 *Exercitatorum egestiones. Excrementa tarde prodeuntia. Egestiones liquidiores. Excrementa otiosorum. Egestiones liquidiores & sine febribus fientes.*
10 *Vrina potionis quantitati debet respondere. Vrina aquosior. Vrina stridens. Sanguinem mingere, raro quidem & sine febre ac dolore. Urina crassa cum subsidentia alba. Hippocratis de medicorum sui temporis prædictionib. iudicium.*
11 *Morbi congeniti, curationem vix admittunt. Hydropici vt sint superstites, quomodo debeant effecti. Tumores hydropici. Tussis, hydropici sitis, lingua resiccata. Ciborum appetentia. Aluus. Hydropicorum vrinæ. Labor. Hydropici qui desperati. Medij. Sanguinis multa sursum ac deorsum eruptio in hydrope. Tumores magni emarcescentes ac rursus sublati.*
12 *Tabidi qui superstites. Sputum tabidorum.*
13 *A capite fluentia. Venter. Habitus corporis. Pectus.*
14 *Qui interituri. Pectore suppurati. Qui potissimum suppuratione, aut tabe moriantur. Pectore suppurati ex sanguinis eruptione. Abscessus sanguinolentissimi.*
15 *Podagrici. Senes à podagra non liberari. Dysenteriæ podagras inueteratas sanant. Iuuenum podagra curabilis.*
16 *Morbo sacro qui difficulter liberentur. Morbi sacri differentiæ. Qui curari debeant, ac possint. Atrabiliariæ mentis emotiones incommodæ. Abscessus ad inferna conuersi.*
17 *Vlcerum cognitio, quomodo fieri debeat. Species vlceribus curandis bonæ.*
18 *Quibus ætatibus tubercula suppurato potissimum fiant. Cæria vlcera. Cancri occulti. Herpetes. Vlcerum curatio secundum loca facilis aut difficilis. Ex articulis qui maxime periculo obnoxij. Vlcus in obliqua linguæ parte.*
19 *Vulnera magis lethalia. Corporum structuras in affectionibus, multum inter se differre. Qua ratione in vulneribus mors sequatur.*
20 *Vulnera in locis vilibus sæpe molesta. Delyrium & mors ex vulnere non graui. Animæ & corpora hominum differunt. Quorum vulnerum curatio non tentanda.*
21 *Nomę lethalissimæ. Putredines albæ, ac mucosæ. Herpetes. Febrem quibus vlceribus superuenire commodum. Nerui aut ossis, aut amborum corruptio.*
22 *Capitis vulnera quæ lethalissima. Os nudum, os infractum, & diffractum. Osculum vlceris paruum, ossis fissura aliquandiu permanente. Quæ circa capitis vulnera considerauda. Vlceribus capitis quæ symptomata inimica.*
23 *Inflammationes ex vlceribus in doloribus conferunt. Quæ febres in capitis vulneribus lethales. Delyrium in febrium principijs.*
24 *Vulnera in articulis magna: eorum signa. Nerui elapsuri cognitio.*
25 *Dissectiones in cubiti gibbis.*
26 *Medulla spinæ ægrotans.*
27 *Fauces sanguine impletæ.*
28 *Oculi lippiętes. Sordes siccę. Tumor magnus doloriſq; exors & siccus. Lachryma calida ac salsa. Lachryma multo tempore effusa. Oculus ruptus prominęs. Vlcerum cicatrices. Oculi læsioni maximè obnoxij. Pupillæ flaueſcentes, aut argenti speciem referentes. Caligines & nubeculæ.*
29 *Lippitudinum prædictiones.*
30 *Dysenteriæ. Ex dysenteria qui moriantur.*
31 *Intestinorum leuitas.*
32 *Profluuiorum alui consideratio. Sedis auersio.*
33 *Quæ mulieres magis, aut minus in vtero concipiant. Mulieres paruæ. Mulieres venas conspicuas habentes. Mulieris mammæ, tumidæ, ac magnę. Męses optimi. Vterus qualis ad concipiendū fętum eſſe debeat. Non concipientiū signa.*
34 *Vlcus in vtero. Conceptum impedientes variæ cauſſę. Vlcus solum in sinistra vteri parte factum. Sexus, pro vlcerum in vtero situ, differre. Febres in concipere nequeunte. Febris soluta à sanguinis eruptione.*
35 *Conceptus falsi signa. Mulieres quæ conceperunt, de quibus interrogandæ. Subbilioſorum vomitus in mulieribus grauidis, dum ieiunæ sunt. Lumbricorum vomitus.*
36 *Dolores sine febribus. Dolores circa caput ac frōtem ex magnis ventis. Grauedines quos morbos soluant. Grauedines quando perfectæ fiant. Dolores sine manifestis causis & diuturni, & in toto capite, &c.*
37 *Torpores & puncturæ pruriginosæ per caput discurrentes.*
38 *Vertigines cum capitis doloribus. Mulieribus in capitis doloribus alia omnia fiunt, quæ & viris.*
39 *Colores praui ad multum tempus num iuuenes sunt. Pallidi cum virore colores. Pallidi cum tumore.*
40 *Nyctalopes. Verticis & temporum dolor, sine febre.*
41 *Sanguis ex naribus fluens.*
42 *Gingiuæ vitiatæ, & ora graueolentia. Tibiæ vlcera paruæ habentia. Partes sub oculis eleuatæ. Tumores in*

pedibus. Faciei distorta consideratio. Ad motum inepti, & parte corporis morbosa attenuata, &c.
43 *Temporum anni differentiæ in morbis considerandæ.*
44 *Dolores in humeris. Bilem nigram vomentes.*
45 *Coxendicum morbus.*
46 *Lumborum, ac crurum dolor.*
47 *Quibus hic morbus fiat circa articulos.*
48 *Impetigines & lepræ.*

1 MEdicorũ prędictiones narrantur multæ, & variæ, & admirandæ, quales ego quidem neq; ipse prædixi, neq; alium aliquem prædicere audiui. Sunt autem aliquæ ex ipsis huiuscemodi. Hominẽ pernicioſe affectum esse, & medico ipsum curanti, & alijs videri: verùm medicum alterum superuenisse, ac dixisse. Non peribit hic homo, verùm cæcus euadet. Item ad alium, qui omnino male habere videbatur, ingressum prædixisse, hominem quidem euasurum esse, verùm manum claudam habiturum: & ad alium quendam, qui similiter superstes fore non putabatur, dixisse, ipsum quidem sanum fore; verùm pedum digitos nigrefactos putrefactione corrumpendos esse. Et aliæ huiuscemodi prædictiones in tali prædictionis specie dicuntur. Alius autem prædictionis modus est, ementi bus ac negotiationes tractantibus prædicere, alijs mortem, alijs insaniam, alijs alios morbos: & ad hæc omnia, etiam ea, quæ prioribus tẽporibus facta sunt, prædicere, ac omnia vera narrare. Alia porrò adhuc forma prædictionum est, athletas, & eos qui morborũ causa exercentur, ac se fatigãt cognoscere; si quid aut circa cibum deliquerint, aut alteratum quippiam ederint, aut potu vberiore vsi fuerint, aut deambulationem intermiserint, aut res venereas quasdam exercuerint. Horum omnium nihil illos latet, adeò vt etiam minima quæq; in quibus non paruerit homo, exacte cognoscant. Hi omnes prædictionum modi esse feruntur.

2 Ego verò talia quidem non vaticinabor: verùm signa scribam, ex quibus & sanos futuros homines, & morituros coniectare oportet: & tum breui tẽpore, tum longiore, sanos futuros, aut perituros. Scriptum est autem à me & de abscessibus, quomodo singulos considerare conueniat. Arbitror autem & eos, qui de claudicationibus prædixerunt, alijsq; eiusmodi, confirmato iam morbo prædixisse, & quũ iam manifestũ esset, quod abscessus non esset recursurus; si modo intelligentiam habuerunt. multo sanè magis, quã prius quam abscessus fieri inciperet. Spero itẽ & alia prædixisse, magis humano more, quã refertur (quę videlicet emẽtibus, & negotiationes tractantibus prædixisse dicuntur) mortes, & morbos, & insanias. Atque hæc mihi videntur talia facta esse, & nulla mihi videtur esse difficultas prædicendi, si quis circa talia studium, ac curam adhiberi velit: Primùm etenim aqua inter curem laborantes, & tabidos quis non cognouerit? Deinde deliraturi non diu latere possunt, si quis nouerit, quibus hic morbus cognatus est, aut prius aliquando insaniuerunt: si enim hi homines ebrioſi fuerint, aut carnes vorauerint, aut vigilauerint aut in frigore, aut calore inconsiderate versati fuerint; multus timor est ex tali victus ratione ipsos deliraturos esse. Et eos, qui hæmorrhoidas habent, si quis hyeme multo potu vti viderit, & bono colore prædítos, de his prædicere licet, quòd ad ver multa spes sit sanguinis eruptionis, & vt decolores, & aquatici sub æstatem fiant.

3 Verùm omnia hæc addiscere, ac prædicere oportet; si quis in talibus studijs palmam ferre expetat: licet enim ex scriptis prædicere, & mortem, & insaniã, & bonam habitudinem. Possem autem referre & alia multa huiusmodi, sed quæ facillima cognitu sunt, visum est mihi scribere. Consulo autem, vt quàm prudentissimè agant, tum in reliqua arte, tũ in huiusmodi prædictionibus, illius probe memores: quòd, si cui successerit prædictio; is apud ęgrotum intelligentia præditum in admiratione fuerit. Si verò quis aberrarit; supra hoc, quod odio habetur, fortasse etiam insanire videbitur. Quapropter iubeo, vt tum alias omnes, tum has prædictiones prudenter faciat: quanquam sanè & audiam, & videam, neq; iudicare recte homines ea, quæ dicũtur, ac fiũt in arte, neq; narrare.

4 Cæterùm de his, qui exercentur, ac laboribus se fatigant, eas asseuerationes, quas afferunt hi, qui ipsas afferunt, neque esse puto, neque si quis putat, prohibeo: à nullo enim signo neq; bono, neq; malo, lædũtur suspiciones, cui signo fide habita quis sciat, an recte pronunciatum sit, aut secus: alioqui per me licet, vt si quis velit, credat: non enim ego impedimento sum. Arbitror autem si quid veri ab ipsis dicitur, aut his, qui de his, qui exercentur, asseuerant: aut illis, qui prius scripti sunt, primùm quidem hunc, qui cognouit, ex signis coniectasse: deinde verò ambigue, & humano more prędixisse, & simul eos, qui id narrant, monstrosius, quàm factum fuit recensere: nam neque in morbis facile est peccata cognoscere; etiam si decumbant homines, & victu parum nutriente vtantur, vt non adeò multa intueri opus sit eum, qui hæc considerandi curam suscepit: alij enim bibunt solum: alij ad hoc quod bibunt, aut sorbitionem, aut cibum pauciſſimum assumunt.

5 Necesse igitur est eos, qui vberiore potu vsi sunt, magis difficulter spirare, & plus vrinæ eijcere: eos verò, qui sorbitionẽ, aut cibum auxerũt, magis & sitire, & febrire. Si verò qs vtrisq;, & potu, & cibo immodice vsus fuerit; ad hoc quod febrit, & difficulter spirat, ẽt ventrem circũtentum, & maiorem habebit. Licet porrò & hæc, & alia omnia experimentis optime explorare, quæ & habemus, & omnibus recte vtimur. Primùm equidem & intelligentia, & oculis cognoscere facile est, hominem in eodem loco decumbentem, & exacta victus ratione vtentem, si non paruerit, aut obambulando, aut multa edendo. Deinde qui manibus contrectauit ventrem, ac venas, minus falli potest, quàm qui nõ contrectauit. Et nares in febrientibus quidem & multa, & bene significant: odores enim multum inter se differunt. At verò in sanis, & recto victu vtentibus, haud scio, qua re vel in hoc experimento faciẽdo vti possim. Postea audiendo vocẽ, & spiritum auribus cognoscere datur, quę in sanis non similiter sunt manifesta, sed qualiter etiã antea.

6 Quòd, si etiam mores morborum, ac ægrotorum didicerit medicus; non tamen quicquam prædicere oportet: non enim difficilius spirabit homo, morbo adhuc errante, & febriet acutiore febre, & vẽter intẽtus fuerit. Quare propter hæc non tutũ est prædicere, priusquam statum accipiat morbus: verùm post

hoc tempus, quicquid præter rationem acciderit, dicere oportet. Manifesta verò sunt mala, quæ propter ægri inobedientiam fiunt: nam & spirandi difficultates, & alia huiusmodi postridie sedabuntur; si ob peccatum fiunt. Si igitur quis hanc iudicationem considerans dixerit; non delinquet. Atque ego quidem hunc considerandi modum nunc consulo tum de his, qui domi manent, tum de his, qui exercentur, itemq; de alijs omnibus, qualia peccata committãt. At exactam illam narrantes rationem & audio, & de rideo. Quum enim parum inobedientes fuerint homines, haud scio, quomodo id deprehendere possim. Si verò maiora fuerint peccata, quem in modum considerare oporteat, scribam.

7 Oportet aũt primũ hoĩem, in quos quis per inobedientiã admissa cognoscere volet, per totũ diẽ intueri, & in eodem loco, & eadẽ hora, sole præsertim recens orto; hoc enim tempore subeuacuatus fuerit, & adhuc ieiunus est, & nullo labore fatigatus est, pręter quam matutinis deambulationibus, in quibus minime inobediens est: si sanè, vbi de somno surrexit homo; ad deambulandum prodierit. Quare necesse est eum, qui iusta victus ratione vtitur, hac hora maxime æqualiter haberè, & coloris, & totius corporis constitutionem. Quapropter & is, qui huius considerationis curam gerit, acutissimus fuerit & mente, & oculis, eo tempore. Contemplari præterea oportet hominis mentem, & mores, & corporis vires. Alij enim alia facilius, aut difficilius imperata faciunt. Primùm igitur is, cui inedia imperata est, si plura comederit, & biberit; per hæc manifestius fiet, & tumidius corpus ipsius apparebit, & plenius, ac coloratius erit, si non excrementa alui male ipsi processerint. Erit item animosior ad ferendum laborẽ. Considerandum etiam, an ructum edat, aut à flatibus vrgeatur: hæc enim fieri solent his, qui ita affecti sunt, propter hoc peccatum.

8 Si verò, dum edere multa cogitur, & fortiter laborare, aut cibum imperatum non ederit, aut ebrius factus fuerit, aut à cœna larga non obambulauerit: hoc modo explorare oportet. Si quidem cœnã non ederit, solito autem more deambulauerit; iucundiorem aspectum præse feret, & vegetior, ac operosior in exercitijs erit. Verùm alui egestio modica, & compacta maxime in hoc fuerit. Si verò cœna sumpta nõ deambulauerit: ructum vtique edet, & flatuosus fuerit, & plenitudo non minor apparebit, & inter laborandum magis, quàm antea sudabit, & difficulter spirabit, ac grauis erit, & transitus alui maiores, ac minus viscosi his fuerint. Quòd, si neq; cibum consumpserit, neque deambulauerit: pigrior vtique fuerit, ac tumidior. Si verò ebrius factus fuerit: sudabit magis, quàm antea, & difficulter spirabit, & ipse seipso grauior erit, ac humidior: sed & lætior erit: si non caput ipsi affligatur. Quòd si vxore semel vsus fuerit: vegetior vtique erit, & magis solutus. Si verò sępius rem peregerit; durior euadet, & squallorem quendam habebit, & decoloratior, ac magis lassatus erit.

9 Porrò egestiones alui procedere oportet his, qui laboribus exercentur, quandiu parum ederint, ac parum potauerint, modicas, & duras, atque hoc quotidie. Si verò tertio quoque die, aut quarto, aut ex longiore interuallo prodierint; periculum est aut febri, aut alui profluuio corripiẽdos esse. Quæcunq; verò egestiones liquidiores sunt, quàm vt in transitu conformẽtur, hæ sanè omnes peiores sunt. At verò his, qui multum edunt, & multum laborant, egestionis transitum mollem, oportet esse siccum, & copiam ciborum ingestorum pro ratione laboris. Procedunt autem ab æquali ciborum copia, his quidem, qui minimum laborant, plurimæ egestiones: his verò, qui plurimum laborant, modicæ; si sani fuerint, & iusta victus ratione vtantur: nam ad hæc coniecturam facere oportet. Liquidiores autem egestiones, & sine febribus contingentes, & quæ septima die, aut citius iudicantur, commodæ sunt; si semel vna vice omnes fiant, & non reuertantur. Si verò insuper febrierint homines, aut alui profluuia redierint; si longa fuerint, penitus mala sunt, siue bilioſa fuerint, siue pituitosa, siue cruda: & victus ratione propria, singula opus habent, itemque medicamentis alia alijs.

10 Cæterùm vrinam iuxta potionis copiam mingere oportet, & semper æqualem, & quàm maxime acerua tim, & momento paulò crassiorem, quàm id, quod in potu acceptum fuit. Si verò fuerit aquosa, & copiosior, quàm pro eo, quod bibi imperatum est; significat hominem non obedire, sed copiosiore potu vti: aut non posse renutriri, quàm diu talia vrinã faciũt. Si verò paulatim stridat vrina; aut medicamentis hominem opus habere significat, aut morbum aliquem circa vesicam habere. At sanguinem mingere, raro quidem, & sine febre, ac dolore, nihil mali significat, sed lassitudinum solutio fit. Si verò sæpius mingat, & aliquid ex his accesserit; malũ est. Verùm prædicere oportet, siue cum dolore mingatur, siue cum febre, fore, vt insuper pus mingat, atq; ita dolores, ac afflictiones quiescant. Crassa verò vrina albã subsidẽtiã habens, aut circa articulos dolorẽ aliquem, aut tumorem significat. Aliæ verò omnes subsidentiæ in vrinis eorum, qui exercentur, à morbis circa vesicam fiunt, id quod ipsi manifestum faciẽt: cum doloribus enim erunt, & tales, vt difficulter quis ab ipsis liberari possit. Atque hæc quidem de his scribo, & huiusmodi alia dico. Cæterùm ex his, qui exactam, ac certam prædictionum rationem prædicant, cum aliquibus ipse cõuersatus sum, cum aliquorum vero filijs, ac discipulis rem cõtuli, quorundam verò scripta accepi. Quare, quum probe sciam, qualiter quisque ipsorum sentiat, & exactas certitudines nusquam comperierim; hæc scribere aggressus sum.

11 At verò de aqua inter cutem, & tabidis, & podagris, & his, qui à morbo sacro appellato corripiuntur, hæc dico: ex aliqua quidem parte de omnibus idem: nam qui hos morbos congenitos habet, is ægrè ab ipsis liberari potest. Reliqua verò singulatim scribam de singulis. Eum, qui ab hydrope, siue aqua inter cutem correptus est, & superstes esse volet; bonis viscerib̃us præditum esse oportet, ita vt natura se exerat, simulque facile concoquat, & bene spiret, sitq; sine dolore, & totum corpus æqualiter tepidum habeat, & non circa extremas partes colliquatum. Melius est autem, vt tumores potius habeat in extremis partibus. Optimum verò est neutrum horum habere: nam molles, ac graciles esse conuenit extremas partes, itemque ventrem ad contactum mollem. Tussim verò adesse non oportet, neque sitim, neque linguam resiccari, tum reliquo tempore, tum post somnos; quando hæc valde fieri solent. At cibos libenter

benter accipere oportet, &, vbi multum satis comedit; non affligi. Aluum verò ad medicamẽta quidem celerem habere, reliquo autem tempore egerere recrementum molle efformatum. Vrinam autem apparere conuenit, pro studiorum ratione, & vinorum mutatione transeunte. Laborem verò ferre oportet facile, & lassitudinis exortem esse. Ac optimum quidem est hominem ita per omnia dispositum esse, & sic securissime sanus fieri poterit: sin minus; plurima ex his habeat: nam spes erit, vt superstes euadat. Qui verò nihil horum habuerit, sed contraria; eum desperatum esse scito. Qui autem pauca horum habuerit, quæ bona esse dixi, si hydrope laboranti adsint; huic exiguæ spes restant. Cui verò multum sanguinis sursum, ac deorsum eruperit, & febris insuper accesserit, eum multa aqua repletum iri timor est, atq; hic hydrops breuissimi temporis est, & ex quo pauciſſimi euadunt. Verùm de hoc alteri prius significare oportet. At quibus magni tumores facti emarcescunt, ac rursus attolluntur, hi magis cũ ualescunt, quàm illi, qui ex sanguinis eruptione implentur. Verùm fallunt hi hydropes ipsos ęgrotos, faciuntque, vt ipsi à medicis discedant, ac pereant.

12 De tabescentibus quod ad sputum, ac tussim attinet, eadem dico, quę de pectore suppuratis scripsi: oportet enim eũ, qui probe liberari volet, facile sputum per tussim reijcere, & id esse album, & ęquales, & eiusdem coloris, & ab inflammatione alienum. Quod verò à capite dexuit; ad nares conuerti: febrem autem non inuadere, vt ne à cęnis prohibeatur, neque sitiat. Venter autem egerat quotidie, & id, quod egerit, sit durum, copia pro ratione ciborũ ingestorum. Hominem verò quàmminime tenuem esse oportet. Pectus autem laudare conuenit quadrãgulum, & hirsutum, & os ipsius paruum sit, & robuste carnosum: quicunque enim hęc omnia habuerit, maxime superstes erit. Qui verò nihil horum habet, interitui proximus.

13 Quicunque verò pectore suppurati facti fuerint, dum iuuenes sunt, ex humorum illapsu, aut fistula, aut alio quopiam huiuscemodi, aut ex abscessus recursu, hi non euadunt; nisi valde multa bona signa ipsis accesserint. Pereunt autem homines hi ad autumnum. Sed & ex alijs morbis longis plerique ad hoc tempus maxime moriuntur.

14 Cęterùm ex alijs minime superstites manent, & virgines, & mulieres, quibus ex suppressis mensibus tabes oborta est. Si verò aliqua virgo, aut mulier euasura est; & aliorum signorum bonorũ multa accedere oportet, & menses splendide, ac pure apparere, aut nulla spes est. Qui verò ex sanguinis eruptione, pectore suppurati fiunt & viri, & mulieres, & virgines; non minus euadunt. Verùm signis omnibus tum suppuratorum, tum tabescentium collectis, & superstitem futurum, & periturum prędicere oportet. Maxime verò euadũt ex sanguinis eruptione, hi quibus dolores sunt atrabiliarij, & in dorso, & in pectore: & qui post eruptionem minus dolent: nam & tusses non valde insuper accedunt, & febres plerąque perseuerant, sitim facile ferentes. At reuersiones eruptionis sanguinis maxime fiunt his; si non abscessus succedant. Optimi verò sunt abscessus sanguinolentissimi. Quibus autem in pectoribus dolores insunt, & per tempus attenuantur, & tussiunt, ac difficulter spirant, neque febribus insuper corripientibus, neq; suppurationibus succedentibus; eos interrogare oportet, quum tussiant, & difficulter spirent, an & compactum quiddam, & modicum odorem habens tussiendo reijciant.

15 De podagricis hęc dico. Quicunque aut senes sunt, aut circa articulos callos tofaceos concretos habent, aut ęrumnosæ viuunt, ac siccam aluum habent, hi omnes sani fieri non possunt humana arte, quãtum ego noui. Sanant quidem hos optime, dysenterię si successerint. Sed & alię eliquationes valde prosunt, quę ad infernos locos repunt. Qui verò iuuenis est, & circa articulos nondum tofaceos callos concretos habet, & accurate viuit, & laboris amans est, & aluum bonam habet ad obediendum pro studiorum ratione; hic sanè medicum intelligentiam habentem nactus, sanus fieri poterit.

16 Ex his porrò qui à sacro morbo corripiuntur, difficillime quidem liberantur hi, quibus à puero conti git morbus, & simul ad virilem ętatem peruenit: deinde hi, quibus corpore in vigore ętatis constituto factus est, & fuerit à viginti quinque annis vsque ad annum quadragesimum quintum. Post hos autem, quibus factus fuerit morbus, nullam significationem prębẽs, ex qua corporis parte initium sumat. At quibus ex capite initiũ capere videtur, aut à latere, aut à manu, aut pede, facilius curatur. Verùm differunt etiam hęc morbi genera. Qui enim à capite initium sumunt, ex his grauissimi sunt: deinde qui à latere. Qui verò à manibus, ac pedibus, maxime sanari possunt. Cęterùm horum curam aggredi oportet medicum, qui medendi modum nouit; si homines fuerint iuuenes, & laboris amantes, nisi mens mali aliquid habuerit, aut quis stupore attonito sideratus fuerit: nam hæ atrabiliariæ mentis emotiones non sunt conducibiles. Alij verò, qui ad infernas partes conuertuntur abscessus, boni sunt. Longe verò optimi & hic sunt, qui sunt sanguinolentissimi. Quicũq; verò senes apprehendi incipiunt, maxime moriuntur. Et si non pereant; statim celerri meque per se liberantur, à medicis autẽ minime opem ferunt. At quibus pueris oculi repentè distorti fuerunt, aut maius quoddam malũ perpessi sunt, aut tubercula sub ceruicem oborta sunt, aut vocem graciliorem adepti sunt, aut tusses siccæ diuturnæ adhærent, aut maioribus factis dolor procedit ad ventrem, & non exturbatur, aut in lateribus distortiones habent, aut venas crassas circa ventrem varicosas, aut omentum descendit, aut testis magnus factus est, aut manus tenuis, & impotens, aut pes, aut tibia tota clauda facta est, citra aliam causam; his omnibus morbum antea factum fuisse, scire oportet, præ his vniuersis. Et plurimi, qui pueros educant, si interrogentur, cõfitebuntur: quosdam verò etiam res latet, negantque se scire quicquam tale factum esse.

17 Qui porrò de vlceribus cognoscere volet, quomodo singula finient, cum primum hominũ species perscrutari oportet, tum eas, quæ meliores sunt ad vlceta, tum quæ deteriores: deinde ætates nosse, in quibus singula vlcera curatu difficilia existunt. Locos item in corporibus perspectos habere, quantum alij ab alijs differunt. Sed & alia qualia in singulis accedunt tum bona, tum mala, nosse oportet: si quis enim omnia hæc nouerit; is sanè sciet etiã, quomodo

singulo-

singulorum euentus continget. Qui verò non nouerit hæc, non nosse poterit, quales fines vlcerũ erunt. Species equidem bonæ sunt hæ Leues, & commoderatæ, & bonis visceribus prædite, & neque valde carnosæ, neque duræ. Iuxta colorem verò sit species alba, aut nigra, aut rubẽs: hæ enim omnes bonæ sunt; si puræ sunt. Si verò pallidus color ammixtus fuerit, aut color ipse pallidus, aut liuidus fuerit: peius est. Species verò, quæ præscriptis contrariæ sunt, eas deteriores esse scito.

18 At verò quod ad ætates attinet, tubercula quidẽ suppurata fiunt, & strumosa hæc plurimos pueros occupant, & facillime ex ipsis liberantur. Senioribus verò pueris, & adolescentibus, minus quidem oriuntur, verùm difficilius ab ipsis liberantur. Viris autem talia quidem tubercula non valde fiunt, verum ceria Græcis dicta, ad modum faui concreta, horrenda: & cancri occulti submersi, & ex pustulis nocturnis herpetes; donec sexaginta annos transmiserint. Senibus autem nihil talium tuberculorum accedit, verũ cãcri & occulti, & summas partes occupantes, & cõmoriuntur. Cæterum ex locis subalares difficiliores curatu sunt, & laterum mollitudines, ac femora: nã & moræ in ipsis fiunt, & recidiuæ. Ex articulis periculo maximè obnoxij sunt magni digiti, & præsertim pedum. Quibus autem in obliqua linguæ parte vlcus fit diuturnum, in his dentes considerare oportet, an quis iuxta illam vlceris partem acutior sit.

19 Vulnera magis lethalia sunt, quæ in venas crassas in collo, ac inguinibus infliguntur: deinde quæ in cerebrum, & in hepar: postea quæ in intestinum & vesicam. Sunt autem hæc omnia pernitiosa valde, non tamen ita vt nemo ex his euadat, velut putatur; nam & loci, qui hæc nomina habent, multum inter se differunt, & iidem modi. Multum etiam differt corporis ipsius hominis structura: aliquando enim neque febricitat, neque inflammatur sauciatus. Aliquando etiam citra causam febricitat, & aliqua corporis pars omnino inflammatur. At, quando is, qui vlcus habet, delirat, & facile fert vulnus; tunc vulnus aggredi oportet, velut iuxta medicinæ, & accedentium rationem, euentum habiturum: moriuntur enim homines ab omnis generis vulneribus. Multæ enim venæ sunt & tenues, & crassæ, quæ sanguinem fundentes occidunt, si glisceret, ac eò ferti ipsas contigerit; quas alia temporis occasione si quis pertundat; corporibus prodesse sentiat.

20 Multa verò vulnera in locis vilibus, ac non malis esse, & nulla re grauia videntur, & tamen sic dolore affligit plaga, vt respirare non possit. Alij verò præ vulneris dolore, quod sanè graue nulla re erat, spiritum quidem duxerunt; verum delirarunt, & febrientes mortui sunt: quicunque enim aut corpus febricitans habent, aut mentem turbatam, talia patiuntur. Sed neque hæc admirari oportet, neque formidare, illud expendendo, quòd & animæ, & corpora hominum plurimum differunt, & vim maximam habent. Quæcunque igitur vulnera tempus nanciscũtur, aut corpus, & mentem huiusmodi: aut ita glisc ẽtem sanguinem, aut magnitudine tanta fuerint, vt homo ad curationem adduci ab eius contemptu non possit, ab his quidem discedere oportet, qualiacunque tandem fuerint, diarijs animi deliquijs exceptis: alia verò omnia aggredi, quæ recens sunt incussa, quo & febres effugiãt homines, & sanguinis eruptiones, & nomas vlcerum proserpentes, hi qui euadent. Exactissime verò & ad plurimum tempus eorum, quæ grauissima sunt custodiam facere oportet: nam ita facere iustum est.

21 At verò nomæ lethalissimæ sunt, quarum putredines profundissimæ, & nigerrimæ, ac siccissimæ existunt. Prauæ etiam sunt ac periculosæ, quæ nigrã saniem remittunt. Albæ verò, ac mucosæ putredines, minus quidem occidunt, magis autem reuertuntur, & diuturniores sunt. Herpetes autem minime omnium vlcerum, quæ depascendo proserpunt, periculosi sunt: verum maxime difficulter submoueri possunt, quemadmodum cancri occulti. In omnibus autem talibus febrem superuenire vna die confert, & pus quam albissimum, ac crassissimum. Commodat & corruptio nerui, aut etiam ossis, aut etiam amborum, tum in profundis, tum in nigris putredinibus. Nam in corruptionibus pus multum fluit, & putredines soluit.

22 Porrò ex capitis vulneribus lethalissima sunt, quæ ad cerebrum pertingũt, velut etiam antea scriptum est. Grauia sunt & huiusmodi omnia, os nudum magnum, os infractum, os diffractũ. Si verò etiam osculum vlceris paruum fuerit, fissura verò ossis aliquandiu permanserit; periculosius est. Hæc autem omnia grauiora fiunt: si & iuxta futuram sunt: & ex locis semper periculosiores summi in capite existunt. Cæterùm in omnibus memorabilibus vulneribus interrogare oportet, si adhuc recentes fuerint plagæ, aut etiam iactus fuerint, an conciderit homo, aut an in soporẽ altiorem collapsus sit. Si enim horum quippiam factum fuerit, ampliore custodia opus habet, nimirum quum cerebrum vulnus tunc perceperit. Si verò non recens sauciatus fuerit: ad alia signa respicere oportet, ac consilium capere. Optimum quidem igitur est, neque febrire eum qui vlcus in capite habet, neque sanguinem insuper ipsi erupisse, neque inflammationem, neque simul vllum aliquem dolorem accessisse. Si verò quid horum apparuerit: securissimum est, vt in principio fiat, & modico tempore permaneat.

23 Conducit autem in doloribus, etiam inflammationes ex vlceribus accedere: In sanguinis autem eruptionibus, pus in venis apparere. Quæ verò in acutis morbis conferre febribus scripsi, ea etiam in his fieri conducit, & eadem hic quoque bona esse assero; contraria verò mala. At incipere febrem in capitis vulnere quarta die, aut septima, aut vndecima, valde lethale est. Iudicatur autem pleri sque, si quidem quarta vulneris die febris inceperit: ad vndecimam: si verò septima die febris incohoarit: ad decimam quartã, aut decimam septimã: si verò vndecimo febrire inceperit: ad vigesimam: quemadmodum in febribus descriptum est, quæ absque manifestis causis fiunt. Cæterùm in principijs febrium, siue delyrium accesserit, siue alicuius membri sideratio, periturum hominem sciendum est: si non omnino aut ex optimis signis aliquod accedat, aut corporis uires adsint: verùm considerabis modum: nam homini adhuc spes salutis est, sed claudum fieri articulum, in quem incubuit necesse est, etiam si superstes maneat homo.

24 Porrò vulnera in articulus, quæ quidem magna sunt, & neruos coniungẽtes penitus præsecant, clarum

rum est, quòd claudos efficient. Si verò ambiguum fuerit de neruis, quomodo se habeant, si quidem fuerit acutum telum quod rectum vulnus fecit; melius est obliquo. Si verò graue, & obtusũ fuerit id, quod vulnerauit; nihil refert. Sed plagæ profunditatem, & alia signa considerare licebit. Sunt autem hæc. Pus si insuper accedat ad articulum; duriorem fieri necesse est. Si verò etiam tumores simul permanserint; hunc locum ad multum tempus durum esse necesse est: &, quum sanum iam est vlcus; tumorem permanere necessarium est, simulq; flecti, ac extendi, quæcunque, dum articulus incuruus est, curantur. Quibus verò etiam neruus elapsurus esse videtur, securius de claudicatione prædicere licet, tum aliàs, tum si inferiorum neruorum aliquis fuerit exolutus. Ex his autem cognosces neruum, qui excidet. Pus album & crassum, multo tempore defluit, doloresque, ac inflammationes circa articulum in principijs fiunt. Eadem fiunt etiam si os elabetur.

25 At verò dissectiones in cubiti gibbis, præsertim quę sunt cum inflammatione; ad suppurationem perueniunt, ad sectionesque, ac vstiones.

26 Medulla verò spinæ si ægrotarit, siue ex lapsu, siue ex alia aliqua causa, siue sua sponte; homo & cruribus impotens fit, vt neque si tangatur, percipiat, & ventre, ac vesica, vt circa prima tempora, neque stercus, neque vrinam egerat, nisi ad necessitatem. Quũ autem vetustior factus fuerit morbus; non vrgente homine, & stercus prodit, & vrina. Moritur autem postea, non multo interposito tempore.

27 Quòd, si verò cuipiam fauces implentur sanguine sæpe singulis diebus, ac noctibus, cui neque caput antea doluit, & qui neque tussim habuit, neque vomuit, neque febre correptus fuit, neque dolorem habuit, nec pectoris, nec dorsi; huius considerandæ sunt nares, & fauces, an vlcus aliquod habere compareat in hoc loco, aut hirudinem.

28 Oculi porrò lippientes optimè permutantur, si & lachryma, & sordes, & tumor, simul fieri inceperint. Si verò lachryma sordi fuerit permixta, & non valde calida: sordes autem alba fuerit, & mollis, & tumor leuis solutus: Si ita hæc se habuerint; oculus conglutinabitur ad nocte, vt doloris exors sit. atque hoc modo res minimè periculosa fuerit, ac minimè diuturna. Si verò lachryma procedit multa, & calida, cum pauciſſima sorde, ac paruo tumore, atque hoc ex altero oculo tantum; tunc diuturnum valde fit malum, verùm nõ periculosum, & doloris exors est hic modus. Et iudicationem in his maximè expectare oportet, primam quidem ad vigesimam diem. Si verò hoc tempus transmittat; ad quadragesimam expectanda est. Si verò neque in his diebus sedetur; in sexaginta iudicatur. Per totum autem tempus hoc, sordem considerare oportet, an in digito misceatur & alba, ac mollis fiat, maximè sub iudicationis tempus: si enim desinet; hæc faciet. At, si vtrique oculi hæc perpetiantur; in maiori periculo sunt, ne vlcerentur. Verùm iudicatio breuioris temporis erit. Sordes autem siccæ valde dolorosæ sunt, sed cito iudicantur; si non vulnus acceperit oculus. Si verò tumor magnus fuerit, doloriſq; exors, & siccus; periculo vacat. Si verò cum dolore fuerit; malus est, si siccus sit, & periculum est, ne vlceretur oculus, ac concrescat. Sed & grauis est tumor; si lachrymam coniunctam habeat, itemq; dolorem: si enim lachryma procedit calida, ac salsa; periculum est, & pupillam exulcerari, & palpebras. Si verò tumor consederit, sed lachryma multa multo tẽpore effundarur, & sordes fuerint; viris quidem palpebrarum euersionẽ præ dicere oportet: mulieribus autem, & pueris exulcerationem, ac euersionem palpebrarum. At, si sordes pallidæ, aut liuidæ fuerint, & lachryma multa, ac calida, & in capite ardor fuerit, & de tempore dolores in oculum decubuerint, & vigiliæ his accesserint; necesse est vlcus in oculo factum esse, & timor est quoque, vt talis rumpatur. Prodest autem febris accedens, aut dolor ad lumbos innixus. Prædicere verò his futura oportet, ita vt respectus, & ad tempus habeatur, & ad ea, quæ ex oculo fluunt, & ad dolores, itemq; vigilias. Postquam verò & oculum contueri datum fuerit, si quidem compertus fuerit ruptus, & per fissuram prominuerit oculus; malum est, & difficile, vt sedetur. Si verò & putredo tali suberit; penitus inutilis oculus redditur. At verò alios vlcerum modos prædicere oportet, locos considerando, & putredines, & profunditates: necessarium enim est iuxta vlcerum vehementiam cicatrices fieri. Quibus igitur rumpuntur oculi, & postea prominent, vt extra locum oculus sit; his &, tempore, & arte, opem ferre non datur, ad hoc vt videant. Paruæ verò oculorum transmotiones sedari possunt: si nihil mali accesserit; & homo iuuenis fuerit. At vlcerum cicatrices, quibus nihil aliud mali affuerit, omnes & à temporibus, & ab arte, opem ferre posse putandum est, maximè recentissimas, & in iuuenum corporibus. Cæterùm ex locis maximè oculi læduntur, si exulcerantur: deinde pars, quæ est supra supercilia, postea quicquid vi ciniſſimum his locis fuerit. Pupillæ verò glaucescentes, aut argenti speciem referentes, aut ceruleæ, non bonæ sunt. His autem paulò meliores sunt, quæ aut minores apparent, aut ampliores, aut angulos habentes: siue ex causis tales factæ fuerint, siue sua sponte. Caligines, & nubeculæ, & cicatrices subalbicantes leuigantur, ac delentur: si non vulnus aliquod in eo loco accesserit, aut prius cicatricem habuerit in hoc loco, aut vnguem pterygion dictum. Si verò splendicãs cicatrix in nigra oculorum parte fiat, partem aliquam nigredinis dealbat, adeo vt si multo tẽpore permaneat, & aspera, & crassa: etiam memoriam sui relinquat.

29 Porrò iudicationes quemadmodũ in febribus scripsi: ita & hic se habent. Verùm signa edoctum, iuxta differentias lippitudinum prædictionem facere oportet, quum pessima signa accesserint: diuturnarum lippitudinum, velut de singulis perscriptũ est: quum verò apparuerint optima signa: breuium: tunc enim septima die desituras esse prædicendum est, aut prope hoc tempus, & alioqui securas esse putandum est. Recidiuas autem expectare oportet his, quibus melius habere contingit, neque in diebus iudicatorijs, neque signis bonis cõspectis. Omnium verò maximè vrinæ statum in oculorum affectionibus considerare oportet: nam temporum occasiones repentinæ sunt.

30 Dysenteriæ si quidem cũ febre inuaserint, aut varijs alui egestionibus, aut cum hepatis inflammatione, aut præcordij, aut ventris: aut quæ dolorosæ fuerint, aut cibos intercipiunt, sitimque inducũt: hæ omnes malæ sunt. Et qui sanè plurima horum malorum habuerit,

habuerit,citissimè peribit. Cui verò pauciſſima taliũ affuerint,huic plurimæ ſpes ſunt. Moriuntur autem ex hoc morbo maximè pueri quinquennes, & ſeniores adhuc, decennes: reliquæ verò ætates minus. At quæ dyſenteriæ commodatæ ſunt, hæ mala hæc nõ inducunt. Verùm ſanguine,& ſamentis egeſtis,deſiuerunt ſeptima die,aut decimaquarta, aut vigeſima, aut quadrageſima,aut intra hæc tempora: huiuſmodi enim egeſtiones etiam eos, qui prius ſunt in corporibus,morbos ſanant,antiquiores quidem diutiore tempore, recentiores autem in paucis diebus ſubmouere poſſunt: nam & quæ vterum geſtant, etiam ipſæ euadunt ſuperſtites magis ad partum,& ex partu,& fœtus conſeruant, ſanguine, & ramentis egeſtis, etiam per multos menſes: niſi dolor ipſis affuerit, aut aliud quoddam malum ſignum ex his,quę in dyſenterijs fieri ſcripſi,acceſſerit. Si verò aliquod illorum apparuerit; & fœtui perniciem ſignificat, & prægnanti periculum, ſi non poſt fœtus effugium, & ſecundæ exolutionem,ipſa dyſenteria eadem die, aut poſt modicum tempus definat.

31 Leuitates porrò inteſtinorum, liẽteriæ Græcis appellatæ, quæ quidem ſunt continuæ,& diuturnæ,& per omnem horam,& cum ſtrepitibus,& ſine ſtrepitibus exturbantur, & ſimiliter noctu, ac interdiu incumbentes,& egeſtiones ſubeunte aut valde cruda, aut nigra, & leui, ac graueolente: hæ omnes malæ ſunt:nam & ſitim inducunt,& potum non ad veſicã promoueſit, ut per vrinam eiiciatur: & os exulcerant, & ruborem eleuatum in facie efficiunt, & maculas ſolares varios colores habentes. Simul autem & ventres emollitos, & ſordidos,ac rugoſos reddũt. Ex talibus autem homines impotentes fiunt ad cibũ capiendum, ad deambulandum, ad faciendum alia, quæ facere debent. Eſtq; morbus hic grauiſſimus ſenioribus. Vehemens eſt etiam viris. Reliquis autem ætatibus multo minor. Quiſquis autem neque in ætatibus his eſt,quas male tractari ab hoc morbo dixi, & pauciſſima ex ſignis habet, quæ mala eſſe ſcripſi; hic ſecuriſſimè diſpoſitus eſt. Indiget autem curatione hic morbus; donec & vrina pro ratione eius, quod in potu acceptum eſt, procedat, & corpus ab ingeſtis cibis augmentum capiat, & à malis coloribus liberatum fuerit.

32 At verò alia profluuia alui, quæ ſine febre ſunt,& breui tempore durãt,& mitia exiſtunt;aut enim eluta ſedabuntur, aut ſua ſponte. Prædicere autẽ oportet excretionem ſubtus erumpentem deſituram eſſe; quum tangenti ventrem manu nullus motus occurrerit,& in fine egeſtionis flatus penetrarit. Sedes autem euertuntur,ac procidũt, viris quidem,quos vbi hæmorrhoidas habent,alui profluuium corripit:pueris autem calculo laborantibus, & in dyſenterijs longis,ac meracis: ſenibus verò, quibus muci agglutinati inſunt.

33 Porrò ex mulieribus, quæ magis,aut minus in vtero concipere ſolent,ita conſiderationem facere conuenit; primum quidem ſpecierum: paruæ enim ad conceptionem præſtantiores ſunt maioribus;tenues craſſis,albæ rubicundis,nigræ liuidis. Quæ item venas conſpicuas habent, meliores ſunt quàm quibus non apparent. Carnem autẽ vberiorem habere, aniculæ malum eſt: mammas autem tumidas, ac magnas,bonum. Atque hæc quidem ad viſum expoſita ſunt. Verùm interrogare oportet etiam de menſtruis purgationibus, an omnibus menſibus cõpareant, & an copia ſatis magna,& an boni coloris ſint,& æquales in ſingulis temporibus,& in iiſdem menſium diebus:ſic enim has fieri optimum eſt. Locum verò, in quo conceptio fit,quem ſanè vterum nominamus,ſanum eſſe oportet,& ſiccum,ac mollem. Sit item neque retractus, neq; pronus, neque os ipſius ſit auerſum,neque concluſum,neq; euerſum:fieri enim non poteſt, vt conceptio fiat, quodcunq; tandem talium impedimentorum affuerit. Quæcunq; igitur mulieres in vtero concipere nõ poſſunt,verùm pallidæ apparent,neq; febre,neque viſceribus in cauſa exiſtentibus; hæ capite ſe dolere dicent, & menſes ſibi malè,ac meracos prodire. Siue autem breui,ſiue longo tempore, ipſis ſic affectis menſes non comparuerint; vteri in his purgatione opus habent. Quæcunq; verò bene coloratæ ſunt,& carnem multam,ac pinguẽ habent, & venulas occultatas, & dolore carent: & menſes his aut omnino non apparent,aut modici,& meraci prodeunt; hic modus difficillimus eſt ad cogendum,vt concipiant. Si verò menſibus comparentibus inculpate, & mulier ſic corpore diſpoſita fuerit, & non conceperit; locus, in quo eſt vterus, in cauſa eſt, ut fœcunda fœtu fieri non poſſit; aut enim reuulſus eſt,aut euerſus: nam & alia, quæ iſthic fiũt, cum doloribus, decolorationeque, ac colliquatione fiunt.

34 Quibus porrò vlcus factum fuerit in vtero,ſiue ex partu, ſiue ex tuberculo, ſiue ex alia quadam cauſa; his febres,& inguinũ tumores ſuccedere neceſſe eſt, & dolores in his locis. Si verò & puerperij purgamẽta ſimul fuerint intercepta,hæc mala ſi fuerint;omnino meraciora ſunt,& diuturniora. Et ad hæc præcordiorum,ac capitis dolores. Vlcere autem facto,& ſanato,locum hunc leuiorem, ac duriorem fieri neceſſe eſt,& minus concipere poſſe. Si verò ſolum in ſiniſtra parte fiat vlcus,& mulier in vtero concipiat, ſiue dum adhuc habet vlcus,ſiue vbi iã ſana eſt: maſculum magis enixuram eſſe ſpes eſt. Si verò in dextra parte vlcus fiat,& mulier concipiat; fœmineum magis fore fœtum expectandũ eſt. At,ſi febres corripiant concipere non potentem, & attenuata ſit muliercula; interrogare oportet,an vteri vlcus aliquod habeant,aut aliud quippiam ex malis,de quibus ſcripſi: ſi enim in hoc loco nihil mali ſubeſſe apparuerit, quod cauſa ſit attenuationis, & quòd concipere non poſſit; ſanguinem vomituram eſſe mulierem expectandum eſt, menſes autem tali neceſſario euanuerunt. Si verò febris ſoluta fuerit à ſanguinis eruptione,& menſes comparuerint; in vtero concipiet. Si verò priuſquam ſanguis erumpat,alui excrementa liquida facta fuerint prauo modo; periculum eſt perituram eſſe mulierẽ antea, quàm ſanguinẽ vomat.

35 Quæcunque in vtero ſe concepiſſe putant, & non conceperunt, & per multos menſes falluntur, menſtruis purgationibus nõ apparentibus,& ventres augeri,ac moueri vident: hæc & caput dolent,& collũ, & præcordia, & in mammis lac ipſis non eſt,niſi modicum quiddam,atque id aquoſum. Poſtquam verò ventris tumiditas exoluta fuerit,ac molles factæ fuerint: in vtero concipient, ſi non aliud quoddam impedimentum ipſis fiat;nam hęc affectio bona eſt ad mutationem in vtero faciẽdam, vt poſt hoc tempus

in

in vtero cõcipiant. At his, quæ conceperunt, dolores hi non fiunt, nisi familiares his fuerint capitis dolores, & lac mammis gignitur. At verò eas, quæ à diuturnis fluxionibus vexantur, interrogare oportet, an caput doleant, & lumbos, & infernam ventris partẽ. Interrogandæ sunt etiam de dentium stupore, & visus hebetudine, & aurium sonitu. Quæcunq; autem dum iciunę sunt, subbilioſa vomũt per multos dies, quum neq; vterum gestent, neq; febricitent, eas interrogare oportet, an lumbricos rotundos simul vomant: si enim hoc non confitentur, prædicendũ est ipsis futurum esse. Fit autẽ hic morbus maximè quidem mulieribus: deinde verò etiam virginibus, alijs autem hominibus minus.

36 Quibuscunque verò sine febribus dolores fiunt, mortem quidem non inducunt, verùm plerique diuturni sunt, & multas mutationes, ac recidiuas habẽt. Modi autem hi sunt. Primùm quidem ex capitis doloribus aliqui sunt leues, aliqui multo graviores. Vtrosque verò hoc modo considerare oportet. Quicunque hebetem visum habent, & rubor quidam ipsis fit in oculis, & pruritus frontẽ vexat, his sanguis sua sponte manans opitulatur. Atque hic modus necessario simplex est. Quibus verò dolores circa caput, & frontem ex magnis ventis fiunt, & ex frigoribus quum vehementer calfacti fuerint; eos grauedines quidem maximè perfectè liberant; prosunt autẽ & sternutationes, & muci in naribus oborti, magis quidem sua sponte: sin minùs; coactę. Grauedines autem fiunt perfectè, adeo vt & tusses succedant: & sternutationes succedentes si dolores non sedauerint: necesse est tubercula, & decolorationes his succedere. Quibus autem dolores sine manifestis causis fiunt, & diuturni, & in toto capite, sunt quę ipsi & graciles, & debiles: his prædicendum est morbum longe graviorem priore esse. Si verò etiam ad collum, & ad dorsum dolor descendat, caput relinquẽs, & rursus ad caput recurrat: adhuc gravior fit. Verũ omnium horum grauissimus est; si ex capite ad collum, ac dorsum tendat. Vtilitates autem his ex abscessibus fore expectandum est, aut vbi pus per tussim reiecerint, aut hæmorrhoidas habent, aut pustulas in corporibus enatas. Confert etiam caput furfures habens.

37 Tot pores, & puncturæ pruriginosæ velat ab vrtica, quibus per caput discurrunt, aliquando per totũ; aliquando per aliquam partem: sæpe verò & frigiditas aliqua ab ipsis sentiri putatur, velut per caput discurrere: hos interrogare oportet, an etiã ad summam linguam punctura illa procedat; si enim hoc fecerit, perfectus morbus fit, & qui difficilius submoueri possit. Verum absque hoc facilis est. Modi verò vtilitatum consequendarum ex abscessibus contingent, velut antea scriptum est. Sed tamen abscessus minus in his succedunt, quàm in illis.

38 Quoscunque verò vna cum doloribus vertigines corripiunt, malum ægrè exolubile, ac furiosum existit. Senibus autem maximè hic modus fit. At alij morbi circa caput, & viris, & mulieribus, cum securitate vehementissimi sunt, & diuturniores; fiunt autẽ & adolescentibus, & virginibus, in ea pubertatis ętate, & maximè circa mensium progressum. Mulieribus verò in capitis doloribus, alia quidem omnia fiunt, quæ & viris. Verùm puncturæ illæ pruriginosę, & affectiones atrabiliariæ his minus, quàm viris; si non menses penitus aboliti fuerint.

39 Quibus colores dum iuuenes sunt, praui sunt ad multum tempus, & continenter, non tamen morbi regij modo: hi siue viri sint, siue fœminæ, caput dolent, & lapides ac terram comedunt, & hæmorrhoidas habent. Pallidi verò cum virore colores, qui diuturni sunt, & morbus regius vehemens non est, alia quidem eadem facere solent: verùm pro lapidũ, ac terræ esu, præcordia hos magis affligunt quàm alteros. Quicunque verò multo tempore pallidi apparent, & facies in tumorem eleuatas habent, eos caput dolere sciendum est, aut circa dolorem habere, aut in sede malum aliquod in seipsis. Ex his autem apparentibus, plerisque non vnum aliquod horum malorum apparet; sed plerunque multa, aut etiam omnia.

40 Qui nocte vident, quos sanè nyctalopas vocamus, hi morbo corripiuntur iuuenes, aut pueri, aut etiam adolescentes, & liberantur sua sponte, aliqui in quadraginta diebus, aliqui septimo mense: quibusdam verò & per totum annum permansit. Quapropter de tempore cõiectare oportet, ita vt & ad morbi robur, & ad ægri ætatẽ respicias. Abscessus autem his profunt insuper apparentes, & ad infernas partes fluentes. Verùm non valde accedunt, propter iuuentutem. At mulieres non corripiuntur ab hoc morbo, neque virgines, quibus menses comparent. Quibus autem lachrymarum fluxiones diuturnæ fuerint, & hi nyctalopes fiunt, eos interrogare oportet, an caput doluerint, antea quàm hæc reuelarunt. Quicunq; dum neque febricitant, neque decolores sunt, sæpe & verticem, & tempora dolent, si non alium manifestum habuerint abscessum in facie, aut grauiter loquantur, aut dentes doleant; his sanguinem per nares eruptu-rum esse expectandum est.

41 Quibus verò ex naribus sanguis fluit, hi alioqui sani esse videntur, hos autem vel splenem in tumorem eleuatum habere comperies, vel caput dolere, & splendicans quiddam ipsis ob oculos obuersatur. Plerisque verò horum simul & caput, & splen hoc modo se habere apparent.

42 Gingiuæ vitiatæ, & ora graueolentia his, quibus sunt splenes magni. Quicunque verò habent splenes magnos & neque sanguinis eruptiones ipsis contingunt, neq; oris graueolentia; horum tibię vlcera praua habent, & cicatrices nigras. Quibus partes sub oculis vehementer attolluntur, eos magnos habere lienes comperies. Si verò etiam in pedibus tumores acceſſerint, aquam etiam habere videbuntur. Verum & ventrem, & lumbos inspicere oportet. At verò distortiones in facie, si nulli alij corporis parti communicent, cito sedantur, aut sua sponte, aut ad necessitatem coactæ: reliqui verò syderati fiunt. Quibus vnà cum hoc quod mouere non possunt, morbosa corporis pars attenuatur, hi in sanitatem restitui non possunt. Quibus autem colliquationes non acceſſerint, hi sani euadent.

43 Cæterùm de tempore quando sanierunt prædicẽdum est, respectu habito ad vim morbi, & ad tempus, & ad ætatem hominis, & ad anni tempus, ita vt eius rei memor sis, quòd vetustissimi morbi, & pessimi, & qui reuoluuntur, grauissimè obediunt: itemq; hi, qui sunt in vetustissimis corporibus. Sed & autumnus, & hyems, ad tales morbos submouendos quàm

rem.

tem commoditatem exhibent, quàm ver, & æstas.

44 Dolores porrò in humeris oborientes, qui quidem ad manus descendunt, torporesque, ac dolores inducunt, his abscessus non succedunt, verùm nigram bilem vomentes sanantur. Qui verò isthic in humeris manent, aut etiam ad dorsum progrediuntur; eos puris, aut atræ bilis vomitu effugiunt. Verùm de his ita considerationem facere oportet. Si quidem enim facilè spirauerint, ac graciles fuerint; atram bilem ipsos vomituros esse spes est. Si verò difficilius spirauerint, & in faciem ipsis color incurrit, qui prius non erat, siue rubicundus, siue niger; eos magis pus sputuros esse sperādū est. Ad hęc verò cōsiderandū est etiā, an in pedibus tumores sint: nā & hoc signū in his cōsentit. Atque hic morbus viris vehementissimus esse solet, à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum.

45 Qua ætate ēt coxendicum morbus maximè affligit. Porrò de coxendicum morbo sic considerationē facere oportet. Quibuscunque senioribus & torpores vehementissimi sunt, & perfrigerationes tum lumborum, tum crurum: & qui pudendum arrigere non possunt: & quibus aluus non egerit, nisi ad necessitatem coacta, & prodit ipsis multus stercoraceus: his maximè diuturnus morbus erit, prædicendumq; est, annum vt minimum duraturum esse morbum ab eo tempore, quo incepit, & opem ad ver, & æstatem expectandam esse. At verò iuuenibus non quidem minus doloris inducit coxendicum morbus: verùm breuior est: nam quadragesimo die liberātur. Sed neque torpores vehementes accedunt, neque perfrigerationes crurum, ac lumborum.

46 Quibus autem hic morbus est quidem in lumbis, ac cruribus, non autem affligit adeò, vt decumbant; considerare oportet, an alicubi sint collectiones in coxa, & interrogare, an ad inguen dolor progrediatur: si enim ambo hæc habet; diuturnus fit morbus. Interrogandum insuper est, an in femore torpores insint, & ad poplitem progrediantur: &, si hoc confiteatur; rursus interrogādum, an & per tibiam ad summum pedē procedant: quicunque. n. pleraque horum confessi fuerint, his dicendū est, quòd crura ipsis aliquando calida, aliquando frigida fiant. Quòd, si morbus hic lumbos relinquens, aliquibus ad infernas partes vertatur; eos confidentes esse iube. Quibuscūque verò coxas, & lumbos non relinquens, ad supernas partes conuertitur, malum id esse prædicendum est.

47 At quibus circa articulos dolores fiunt, & tumores, & tedantur, non podagrico modo: in his comperies viscera magna, & in vrina subsidentiam albam. & talis si tempora eleuarit; dicet se sæpe dolere, dicet etiam sudores sibi nocturnos oboriri. Si verò neque in vrina subsidet talis subsidentia, neq; sudores fiunt; periculum est, ne aut claudi fiant articuli, aut affectio abscessus humore melli similis, quem melicerida vocant, sub ipsis nascatur. Fit autem hic morbus his, quibus in pueritia, & iuuentute sanguis ex naribus fluere solitus defijt. Proinde interrogandum est de sanguinis eruptione, an in iuuentute facta fuerit: & an pruriginosæ velut ab vrtica puncturæ, & in pectore, & in dorso insint: & quibus alui dolores fortes inducant, citra exturbationes: & quibus hæmorrhoides fiant: hoc. n. horum morborum principium est. Si verò etiā malo colore prædíti sint hi homines; interrogandū est, an caput doleant: hoc enim fatebuntur.

48 Quibus verò ex his alui dolores in dextris fuerint; dolores his vehementiores fiunt, & præsertim quum ad præcordium iuxta hepar, reliquię doloris fuerint. His autē doloribus prodest strepitus statim in aluo obortus. Postquam autem dolor quieuerit; vrinam crassam, ac cum virore pallidam mingunt. Atq; hic modus nequaquam lethalis est; verùm valde diuturnus. Quum autem iam vetustus fuerit morbus homines ab ipso cæcutiunt. At de sanguine interrogare oportet, an in iuuentute fluxerit, & de visus hebetudine, & de vrinæ euacuationis pallore, itemq; de strepitibus an insint, & succedentes prosint: hæc enim omnia fatebuntur.

49 Impetigines, & leprę, & vitiligines albę, laucę, appellatę, quibus quidem iuuenibus, aut pueris aliquid horum factū est, aut paulatim conspectū in multo tēpore augescit: his non putare oportet abscessum esse, eā papularum eruptionē, sed morbum. Quibus verò horū aliquid factum est multū, & derepentè, hoc sanè fuerit abscessus. Fiūt leucę quidē ex lethalissimis morbis, qualis est & morbus tabidus appellatus: Lepræ verò & impetigines, ex morbis ab atra bile factis. Ex his autem facilius sanantur ea, quæ in maximè iuuenibus fiunt, & quæ recentissima sunt, & in mollissimis, ac carnosissimis corporibus partibus producuntur.

HIPPOCRATIS COI

Coacæ Prænotionum.

Argumentum in Librum sequentem.

In sequentem librum, cum propter Indicem per se copiosum, tum quòd facilius sit has Prænotiones ex ipso contextu petere quàm argumentis legendis sibi conduplicare laborem: consilium fuit commostrare tantum generaliora.

1 *Prænotiones de rigoribus.*
2 *De capitis doloribus.*
3 *De lumborum doloribus.*
4 *De vomitibus.*
5 *De vrinis.*
6 *De alui egestionibus prænotiones.*

1 QVI ex rigore perfrigerantur, caput ac collum dolentes voce destituti, insuper exudantes, postquam se recollegerint, moriuntur. Molestè ferre morbum cum

perfrigeratione, peſſimum eſt. Perfrigeratio cum duricia, pernitioſa eſt. Ex perfrigeratione, timor, & triſtitia præter rationem, in conuulſionem finit. Ex perfrigeratione vrinas intercipi, peſſimum eſt. Ignorantia cum rigore, malum. Malum item obliuio. Soporoſi rigores aliquatenus pernicioſi, & flammeus in facie color, cum ſudore, in his malignus eſt. In his frigiditas poſteriorum partium conuulſionem accerſit. Et inſumma poſteriorum partium frigiditas, conuulſoria eſt. Ex dorſo horrores frequẽtes, & cito tranſeũtes, ægrè tolerari poſſunt. Vrinæ enim interceptionem doloroſam ſignificat. Inſuper exudare, his peſſimum eſt. Rigor continenter vexans, corpore iam debili exiſtente, lethalis eſt. Qui frequenter exudant, ac inſuper rigent, pernicioſum hoc eſt, & in fine ſuppurationem habere comperiuntur, ventresque perturbatos. Rigores ex dorſo, moleſtiores ſunt. Qui verò decimaſeptima die rigorem habuit, & quarta ac viceſima inſuper riguerit, malignum hoc eſt. Horrore affecti, caput dolentes exudantes, malignum id eſt. Horrore affecti, multum inſuper exudantes, difficili malo implicãtur. Rigores multi torpidi, maligni ſunt. Quibus ſexta die rigores fiunt, hi ægrè iudicantur. Quibus ſanis horrores frequentes ſunt, hi ex ſanguinis fluxione ſuppurantur. Horror & ſpirandi difficultas in doloribus, ſigna tabis ſunt. Ex pulmonis ſuppuratione, & circa ventrem aliquando ac clauiculam dolores, & anxie ſtertere, ſputi copiam in pulmone ſignificat. Horrore affecti, anxij, delaſſati, lumbos dolentes, aluos humectas habent. Affectiones inſuper rigentes, & quæ ad noctem aliquanto magis exacerbantur, cum vigilijs ac delirio in ſomnis, aliquando vrinas inuoluntariè emittentes, in conuulſionem deſinunt. Continui rigores in acutis praui ſunt. Ex rigore, cum capitis dolore exolutiones, pernicioſæ. Cruentæ, in his vrinæ, prauę. Rigor cum diſtentione neruorum in poſteriora, occidit. Qui inhorruerũt & exudarunt iudicatorio modo, & poſtridie præter rationem horruerunt, ſi quis non vigilijs infeſtetur, neque cõcoxerit, ei ſanguinẽ erupturum eſſe puto. Vrinæ cum rigore ſuppreſſæ, malæ & conuulſoriæ, tum aliàs tum ſi quis antea graui ſopore preſſus fuit. Spes autem in his eſt abſceſſus retro aures fore. Rigores velut in febre tertiana, ſi in media inordinata febre exacerbentur valde maligni ſunt. Si verò contrario conualentibus modo exacerbentur, cum rigore & febre, pernicioſum eſt. Vocis interceptiones ex rigore, ſoluuntur tremore. Et inſuper rigentes tremores ſuccedentes iudicant. Qui ex rigore cum capitis dolore exoluuntur, in periculo verſantur. Cruenta vrina his mala eſt. Quibus rigor, his vrinæ ſuppreſſio. Conuulſio in febre, manuum ac pedum dolores, maligni ſunt. Malignus eſt & doloris ex femore progreſſus. Neque genuum dolor bonus eſt. Sed & ſurarum dolores maligni ſunt, mentemque emouent, tum aliàs, tum ſi vrinæ ſubſidentia in medio innatet. Febres ex præcordiorum dolore malignæ ſunt, ſopor in his peſſimus eſt. Qui frequenter exudare cum præcordij intentione non ceſſant, plerunque malignè habent, & dolores in ſummum humerum ac clauiculam incumbentes in his praui ſunt. Febres tertianæ naturam referentes, cum anxietudine, malignæ ſunt. Vocis interceptiones, in febre malæ ſunt Laſſati caligantes, vigilantes, ſoporoſi, exudantes recaleſcentes, male habent. Laſſati cum horrore ſi exudarunt, iudicatorio modo, recalfacti in morbo acuto, male habẽt, tum aliàs, tum ſi circa hæc ſanguis de naribus ſtillarit. Et regio morbo abũde colorati, moriuntur. alba verò alui egeſtio his præcedit. Febres tertianæ naturam referentes erroneæ, in pares dies translapſæ, difficiles ſunt. Anxietudines in diebus iudicatorijs, ſi in his ſine ſudore perfrigerentur, & omnes qui ſine ſudore perfrigerantur citra iudicationem, male habent. Et qui inſuper riguerunt ex his, vbi vomuerunt meraca, anxij, tremuli in febre, malum. Qui ex rigoribus paruis ſudoribus perfrigerantur, malum. Exudantes vigilantes, recaleſcentes, malum. Qui inſuper exudant in febre, maligne habent. Quibus bilioſa eſt alui egeſtio, his circa pectus morſus & amaritudo, malum eſt. In febribus inflata aluo flatus non erumpere, malum. Laſſati, ſingultientes, ſtupore detenti, mali. Præter conſuetudinem quid facere, velut eſt, proponere ſibi aliquid, & expectare aliquid, prius non conſuetum, aut contrarium, malum eſt, & mentis emotioni proximum. Qui morbi in malis ſignis leuantur & qui in bonis non remittunt, difficiles ſunt. Qui exudant, & maximè capite, in morbis acutis ſubmoleſte ferentes, malum, tum aliàs, tum ſi vrinæ ſunt nigræ, & turbidus ſpiritus in his malus. Extremæ partes ſi in vtranque partem cito tranſmutentur, malum eſt. Sed & ſitis huiuſmodi mala eſt. Ex moderato ferox reſponſio, malum. Vox acuta, malum. Præcordia his intro trahuntur. Qui ex perfrigeratione ſudoroſa cito recaleſcunt, malum. Qui in acutis exudant ſubmoleſte ferentes, malum. Qui præter rationem nulla exiſtente vaſorum euacuatione, impotentes fiunt, malum. In febre tractus velut à vomitu, in ſcreationem deſinens, malum. Torpor in vtranque partem cito traslabens, malum. Sanguinis ſtillæ puſſillæ malæ. In acuto morbo ſitis præter rationem ſoluta, malum. Qui ad manum exiliunt, male habent. Quibus cum febre ardente, tumores ſomnolenti, torpidi fiunt, his dolor in latus ſuperueniens leuis ſiderationis ac reſolutionis modo occidit. Suffocatio in acutis, ægris attenuatis, pernicioſa. In pernicioſis iã parui tremores, & vomitus aruginoſus. Qui in potibus ſubſtrepunt, & ſubmurmurant in ſiccis: & qui difficulter deglutiunt ſpiritu tuſſiente, pernicioſe habent in acutis perfrigeratis. Rubores in manibus ac pedibus, pernicioſi. Efflantes & refracti, in ſomnis leuiter ſuſcipientes, morbo regio abunde colorati moriuntur, alba alui egeſtio in his præcedit. In febribus mentis emotiones taciturnæ, in eo qui voce priuatus non eſt, pernitioſę ſunt. Liuores oborientes in febre, breui mortem affore ſignificant. Quibus in febre dolore lateris oboriente, aluus multa aquoſa ac bilioſa egerit, hi alleuantur. Quibus verò inediæ conſequenter accedunt, ac ſudores, cum bono faciei colore, & aluo liquida, ita vt adſit etiã aliquis cordis ſeu potius oris ventris dolor, hi vbi longius ægrotarunt, peripneumonicorum modo moriũtur. Febriẽti ſi atra bilis in principio ſurſum aut deorſum prodierit, lethale eſt. Qui cum perfrigerationibus, non ſine febre, ſupernè exudant, moleſte ferentes, & phrenitici, in acuto morbo pernicioſe habent. Dolores modice acuti, ad clauiculam ac ſurſum trãſeuntes, pernicioſi. In longis pernicioſis morbis, ſedis dolor lethalis

lis est. Si debiliter iam affecti, non videant, aut nō audiant, aut labium, aut oculus, aut nasus ipsis distorqueatur, lethale est. In febribus inguinis, & glādularum dolor, morbum diuturnū significat. In febribus iudicationes impeditæ ac sublatæ, temporis quidem diuturnitatem inducunt, non autem pernicioſę sunt Febres ex doloribus vehementibus diuturnæ. Mētis emotiones tremulæ, palpatoriæ, phreniticæ sunt, & dolores circa suram, in his mentem emouent. Quicunque in febre continua, voce destituti iacētes, oculis conniuentes nictant, hi si postquam sanguis ipsis ex naribus fluxit, & vbi vomuerunt loquantur, & ad seipsos redeant, seruantur: si verò hæc non fiant, difficulter spirantes facti breui moriūtur. Qui melius habuerunt, si postridie exacerbentur, malum est. Si tertia die cohibiti, quartą exacerbentur, malum est. Nū & tales exacerbationes phreniticæ sunt? Quibuscunque desinunt febres, non in diebus iudicatorijs, his recidiuæ fiunt. Qui in principio tenues, cum capitis pulsu, & vrina tenui. ad iudicationem acerbātur, his nihil miri est si & mētis emotio insuperą; vigiliæ accedant. In morbis acutis, motus iactatio, somnus turbulentus, quibusdam conuulsionem significat. Turbulentæ cum ferocia excitationes mentem emouentes, malæ sunt, itemą; conuulsoriæ. tum aliàs tum cū sudoribus. Conuulsoriæ etiam vidētur colli ac dorsi perfrigerationes, imò etiam totius corporis. In his mictiones sunt pelliculosæ. Deliria cum sopore, conuulsoria. Mentis emotiones modice feroces, ferinæ sunt, sed & conuulsiones significant. In morbis longis, ventris præter rationem tumores, conuulsorij. Affectiones statim turbulentæ, vigilias inducentes, sanguinem de naribus stillantes, sexta die alleuantes per noctem, verùm postridie rursus affligentes, exudantes in somnum delatæ, mentem emouentes, large sanguinem fundunt, & morbos soluunt. Aquosa vrina talia significat. Qui cū relatis, ab atra bile mente moti, tremuli fiunt, maligne habent. Delirium in spiritu & sudore, lethale est. Lethale est & in spiritu ac singultu. Insomnia in phrenitide euidentia, bona sunt. In phrenitide egestiones alui albæ, & torpor, malū. Rigor his pessimus est. In phreniticis in principijs affectiones mansuetæ, ac frequenter transmutationem habentes, malæ sunt. Quibus ab atra bile mente motis, tremores fiunt, malum est. Qui ab atra bile mente moti, tremuli fiunt, ac saliuam fundunt, num sanè phrenitici sunt? Mēte moti, acute insuper febrientes, phrenitici fiunt. Phrenitici parum bibentes, strepitum valde percipientes, tremuli, aut conuulsi. In vehementer phreniticis, tremores lethales sunt. Deliria circa necessaria, pessima. Quæ ex his exacerbantur, lethalia sunt. Mentis perculsiones, voces clangorosæ, linguæ conuulsiones tremulæ, & voces tremulæ factæ, mentem alienant. Duricies in his pernicioſa est. Prædebilitatorum deliria, pessima. Affectiones in phreniticis frequenter transmutationē habentes, conuulsoriæ, praue. Phrenitici cum perfrigeratione saliuam fundentes, vomitum nigrum indicant. Qui varie ægrotant, & frequenter soporosi mēte mouentur, his nigrum vomitum expectandum esse dicito. Quæ conuulsorio modo exacerbantur, stupefactoria sunt. Tumores iuxta aurem, in morbis longis parui sunt: sanguinis fluxiones ac vertigines insuper apparentes, pernicioſæ. Febres vertiginosæ, & cum voluulis, & sine voluulis, pernicioſæ. Anhelosis febris postea acuta. Cum præcordio intento perfrigeratis, magnus circa aurem tumor. Quibus in febre dolores circa lūbos & infernas partes oborti, septum transuersum contingunt, infernas partes relinquentes, pernicioſi sunt, tum aliàs; tum si aliūd quoddam signum prauum accedat. Si verò alia signa non fuerint praua, suppuratum fore timor est. Pueris febris acuta, & aluus suppressa cum vigilijs, & calcitrare, & colorem mutare, & ruborem habere, conuulsorium est. Affectiones statim turbulentæ, vigilias indicentes, & nigra compacta egerentes, partim sanguinem fundunt. Affectiones cum vigilijs & anxietudine repentina, sanguinem fundunt, tum aliàs, tum si quid etiam antea profluxerit. Num & qui modice perfrigerati postea horruerunt? At qui circa exacerbationes tussiunt, & parum exudant, maligne habent. Ad latus dolore ac suffocatione accedente, hi suppurantur. Quibus in febribus continuis pustulæ per totum corpus erumpunt, lethale, si non purulentus abscessus fiat, maximè autem circa aurem his fieri solet. In morbo acuto externas partes perfrigerari, internas autem ardere, & sitire, malum est. Febres continuæ per tertiam diem augescentes, periculosæ. Quibus febris aliquando intermittit, periculo vacat. In febribus longis, aut tubercula, aut dolores, in articulis fiunt: vt si facti fuerint, non sunt inutiles. Capitis dolor in morbo acuto, præcordium reuulsum, nō profluente ex naribus sanguine, ad phrenitidem deuenit. Febres lypiricæ, bilis sursum ac deorsum effusione non accedente, non soluuntur. Morbus regius ante septimum diem accedens, malum.

Septimo verò ac nono, & vndecimo ac decimoquarto, iudicatorius est, si non præcordia induret: sin minus, ambigua res est. Frequentes per eadem recidiuæ, circa iudicationem sanguinolentæ, nigrorum vomitum faciunt, fiunt autem & tremulæ. Dolores qui in tertianis febribus exacerbantur, tertianarum generis morbum faciunt, & grumosum sanguinem egerunt. In febribus secundum venam quæ est in collo, pulsus ac dolor, in dysenteriam desinit. Color qui sæpe in colore transmutatur, vtilis est. In biliosis spiritus magnus, & febris acuta, cum præcordij intensione, iuxta aurem abscessum facit. Qui ex morbis longis se refocillantes bene cibum accipiunt, & nihil proficiunt, hi maligne recidiuam incidunt. Quibus in febribus venæ in temporibus pulsant, & facies sana est, & præcordium non molle, diuturnum morbum significat, & non desinentem citra multi sanguinis ex naribus fluxum, aut singultum, aut conuulsionem, aut coxendicum dolorem. In febre ardente, si aluus eruperit, mortale est. Ex alui dolore laborioso, febris ardens, pernicioſa. In febribus ardentibus, si aurium sonitus accedant, cum visus hebetudine, & grauitate secundum nares, melancholico modo ab atra bile mente mouentur, sanguine ipsis non erumpente. Tremores in febribus ardentibus, mentis perculsio soluit. In febre ardente fluxio sanguinis ex naribus, quarta die, mala est, si non aliud quid boni coinciderit: verùm quinta, minus periculosa est. Qui ex febribus ardentibus aliquā tulum perfrigerantibus, cū egestionibus alui aquosis ac biliosis laborant, oculis malum est, tum alias,

tum si stupidi fiant. Febris ardens rigore superaccedente soluitur. Febres ardentes recidiuare solent,& vbi per dies quatuor significationem de se præbuerunt,postea exudant: sin minus,septima die. Febres ardentes quatuordecim dies diiudicant,aut alleuantes,aut perimentes. Ex febre ardentes,abscessu purulento circa aurem non oborto, non valde seruantur. Lethargici,tremuli ex manibus, somnolenti discolores, tumidi, pulsibus tardi sunt, & partes sub oculis eleuatas habent, & sudores insuper accedunt, & aluos biliosas,intemperatas & subtumidas habent. Si verò obaridas habuerint,vrinæ & egestiones alui latenter ipsis progrediũtur: vrina velut iumentorum est;potum nõ expetunt, neq; aliud quicquam. Postquam verò resipuerint,collum dolorosum se habere dicunt,& sonitus per aures transire. Qui verò ex lethargicis seruãtur,plerunq; pectore suppurati fiunt. Quibuscunq; in febribus tremores citra iudicationẽ cessant, his temporis progressu, abscessus dolorosus suppuratus in articulos fit, & vesica dolorosa. Febribus quibus rubores sunt in facie, & dolor capitis fortis,& venarum pulsus,his sanguinis fluxio plerũque cõtingit. Quibus autem cibi fastidia sunt,& oris vẽtriculi morsus,& multum saliuæ,his vomitus fit. Quibus verò ructus adsunt,& flatus,strepitus ac eleuationes ventris,his fit alui exturbatio. Qui diutius secure ex febre continua laborant,citra dolorem aut inflammationem,aut aliam causam,his abscessus expectandus est cum dolore ac tumore, & magis in infernis partibus. Expectare autem oportet abscessus, his magis qui trigesimum annum egressi sunt,& tũc expectare abscessus oportet, vbi viginti dies febris trãsmiserit. Senioribus autem minus fiũt,& vbi multo tempore febres durant. At intermittentes & erroneo modo inuadentes, autumno maxime in quartanam leniter transeunt, & hoc magis his qui triginta annos excesserint. Abscessus autem hyeme magis fiunt,& tardius desinunt,& minus recurrunt. Quib. verò sæpe recidiua contigit his si semestre tempus transmiserint,tabes coxendicũ leniter accedit. Quęcunq; signa febri se opponunt,& non abscessus significationem habent,maligna sunt. Febres quæ neque in diebus iudicatorijs, neque post solutorium signũ decesserunt,recidiuant. Acuti morbi in diebus quatuordecim iudicantur. Tertiana exquisita in quinq; aut septem circuitibus,aut ad summum in nouem iudicatur. Quibus febrire incipientibus,sanguis de naribus sternutatione cõtingẽte destillat,& vrina subsidentiam albã in quarta die habet, his in septima die solutionem significat. Morbi acuti iudicantur,sanguine de naribus fluente,in die iudicatorio: & sudore multo oborto,& vrina purulenta ac vitri formam referentẽ,prodeunte, & bonam subsidentiam habente,& aceruatim exeunte: Abscessu item memorabili oboriente,& aluo mucosa & cruenta derepẽte egerente,& vomitibus non prauis contingentibus circa iudicationem. Somni profundi,non turbulenti,firmam iudicationem significant: Turbulenti verò cũ dolore corporis,inconstantes sunt. Septima die, aut nona, aut decimaquarta, fluxiones sanguinis à naribus contingentes,plerunque febres soluunt: similiter & alui fluxio biliosa, & qualis in dysenteria fieri solet: & genuum ac coxendicum dolor,& vrina cõcocta ad iudicationem. In muliere verò etiam menstruæ purgationis fluxus. Quibus in febribus sanguis abunde vndecunq; profluxit, his in refectionibus à morbo alui humectantur. Qui in febribus exudant, caput dolentes,aluo suppressa,conuulsi fiunt. Mentis emotiones modice feroces,& ferinum,& conuulsionem significant. Conuulsio in febre oboriens,& eadem die desinens,bona est. Conuulsio in febre oboriens, sedat febrem eadem die, aut postera,aut tertia. Si verò tempus in quo incepit transgrediatur,& non desinat,malum est. Febres intermittentes,verùm inæqualiter calescentes,aluo inflata, pauca egerente, in his post iudicationem lumborũ dolore sequuto, alui erumpunt. At amburentes ad manum,torpidæ,siticulosæ, anxiosæ, in his aluo suppressa grauati exoluuntur. Quandoq; verò & rubicundæ in pedibus ambustiones,eadem significant. Hybernæ febres quartanæ,leniter in acutos morbos transeunt.

2 Capitis dolor pertinax cum febre acuta, & alio signo maligno, lethale est. Cæterum sine signo malo, transgrediens vigesimum diem, sanguinis aut puris fluxum è naribus, aut abscessus ad infernas partes significat: fluxiones quidem iunioribus trigintaquinq; annis senioribus verò, abscessus: si verò circa frontẽ ac tempora fuerit dolor ille pertinax,fluxiones. Quibus capitis sunt dolores, & sonitus aurium, citra febrem,& vertigo,& vocis tarditas,& manuũ torpor, eos aut syderatos, aut comitiales,aut obliuiosos fore expecta. Qui caput dolent,stupore correpti,delyrantes,aluo suppressa,oculo ferociente, florulenti, hi in posteriorem partem conuelluntur. Capitis successiones,oculi rubicundi, mentem manifeste emouentes,pernitiosæ sunt. Non commoriuntur hæc,sed circa aurem tumorem faciunt. Capitis dolor,cum sedis & pudendorum dolore, & torporem, & impotẽtiam inducit,& vocem resoluit. Hæc horrenda non sunt, verum somnolenti ac singultientes fiunt nono mense,ex quibus soluta voce,in idem restituuntur. Qui in capitis dolore ascaridas habent, his surditas & sopor consequẽs,abscessus circa aurem excitat. Qui caput dolent,stupore detenti,doloros,oculum rubicundum habentes,sanguinem effundunt. Capitis cõcussiones, & aurium sonitus, sanguinem effundunt: aut mulieri menses deducunt, tum aliàs,tum si iuxta spinam ardor consequatur: fortassis autem dysentericis fluxiones. Capite grauati,iuxta sinciput dolentes,vigilijs infestati,sanguinem effundunt,tum aliàs, tum si quid ad collum se extendat. Vomitus in capitis doloribus æruginosi,cum surditate,vigilantibus, cito insaniam excitant. Quibus capitis ac colli dolor est,sed & totius corporis tremula quædam impotentia,sanguinis eruptio soluit. Quin & tempore hęc soluuntur. Verùm vesicæ in hoc supprimuntur. In acutis capitis doloribus, & in torpidis cum grauitate,conuulsiones fieri solent. Capitis dolorem soluit pus per nares,aut sputa crassa,& non olentia. Soluit item vlcerum eruptio. Quandoque & somnus,& alui fluxus. Capitis dolor moderatus cum siti cibum capiente, aut cum sudore non soluente febrem, abscessus in gingiuis, aut circa aurem significat, aluo non exturbata. Capitis dolor soporosus cum grauitate, conuulsorium quid facit. Caput dolentes, siticulosi, aliquatenus vigilantes, obscuri cognitu,impotentes, ex aluo liquida delassati, num mente mouentur? Caput dolentes, surdastri, manibus tremuli,

muli,collum dolentes, mingentes nigra condenſata, vomentes nigra,pernicioſe habent. Caput dolentes, exudantes,aluum ſuppreſſam habentes, conuulſioni obnoxij ſunt.Sopor vbiq; malus eſt.Soporoſi in principijs euadentes,cum capitis,lumborũ,colli,præcordij dolore, vigilantes, num phrenitici ſunt? Naſus in his deſtillans,pernicioſus,tum aliàs, tũ quarto ab initio die. Malum eſt etiam alui profluuium valde rubicundum.Soporoſi ab initio exudantes,vrinis concoctis ardentes,verùm citra iudicationem perfrigeſcentes,& breui rurſus ardẽtes,torpidi,ſoporoſi, cõuulſi, pernicioſe habent. Somni ſoporoſi,& perfrigerationes,pernicioſi ſunt.Soporoſis delaſſatis,ſurdis factis, aluo erumpente ſi rubicunda egeſta fuerint circa iudicationem,proſunt. Soporoſi,anxioſi,præcordium dolentes,parum vomentes,abſceſſus iuxta aurem habent: antea verò circa faciem tumores cum ſopore. Morbi derepente mẽtem percellentes cum anxietudine,ſanguinem profundunt. Soporoſa,anxioſa,doloroſa præcordia, frequenter parum ſpuentia: tumores circa autem habent. Soporoſi, num aliquid conuulſorij habent? Affectiones ſoporoſæ, fatuitatẽ inducentes,ſtuporis detentionem inferẽtes, præcordia variantia,& ventrem tumidum habentes, cibum faſtidientes,aluo ſuppreſſa exudãtes,num his turbidus ſpiritus,& genituræ ſimile quid pertranſiens,ſingultum ſignificat? Num & aluus biliоſa inſuper egerit? Splendidum in his mictum prodeſt. Ventres quoque his inſuper turbãtur. Cerebro corrupto alij in tribus diebus,alij in ſeptem moriuntur. Has verò ſi effugerint,ſeruantur.Quibus autem ex his reſectis,os diſparatum,repertum fuerit,hi pereunt.Caput dolentibus ex poſteriore parte oſſa rupta habentibus,fluxio è nare larga craſſa,mala eſt. Hi vbi oculum antea doluerint,rigent. Num & iuxta tempora oſſium diruptiones conuulſoriæ ſunt? Auris dolor pertinax, cum febre acuta,& alio quodam ſigno aliquãtum maligno, iuuenes quidem ſeptima die occidit, & citius delirio correptos,ſi nõ multũ pus effluxerit ex aure, aut ſanguis è naribus,neq; aliud quoddam bonum ſignũ cõpareat: ſeniores autem tardius & minus tollit. Nã & aures ſuppuratione præueniunt,& minus delirãt. Verùm multi ex his recidiuant,atq; ſic pereunt.Surditas in acutis ac turbulentis conſequens,malum. Malum ẽt in longis. In his autem dolores etiam ad coxas deducit.In febribus ſurditas,aluum ſiſtit. Aures frigidæ,& pellucidæ,& contractæ,pernicioſæ. Tinnitus in acutis,& ſonitus in auribus,lethale.Sonitus auriũ, cum viſus hebetudine,& narium grauedine,mentem emouet,& ſanguinem profundit.Quibus ſurditas cũ capitis grauitate,& præcordij intenſione,& ad ſplendorem turbatio,ſanguinem profundit. In febre acuta aures obſurdeſcere,furioſum eſt. Valde ſurdi, in accipiendo tremuli,linguam reſoluti,torpidi, malũ. Accedente ęgritudine ſurditas,& vrina ſubrubicundam ſubſidentiam non habens,ſed id quod in medio innatat,mentem emouet.Morbo regio corripi,in his malum eſt. Mala eſt & ex morbo regio fatuitas. Hos voce priuari,ſentiẽtes tamen eſſe cõtingit. Fortaſſis autẽ & aluus male his afficitur.Quæ circa aurem doloroſe excitantur,pernicioſa ſunt.Rubores circa aurem ex prægreſſo dolore, in febribus oborientes, ſignum quidem ſunt eryſipelatis in facie futuri.Sed & conuulſiones ex talibus fiunt,cũ vocis interceptione ac exolutione.Tumores circa aurem ex plurimis graueolentibus cum febre acuta, & præcordio intento, tardius excitati, occidunt. Tumores circa aurem leuiter ſyderatis,mali. Tumores circa aurem in longis morbis nõ ſuppurantes,lethales. Alui verò his deorſum feruntur. Num quibus abſceſſus ſunt iuxta aures,caput dolent? Num & ſupernis partibus exudãt? Num & inſuper rigent? Num & alui erumpunt, & quid ſoporoſum habent? Num & aquoſa eſt vrina,alba innatantia habens,& aliquantum varia,exalbida, graueolentia? Abſceſſus iuxta aurem ſubmouent tuſſiculæ,cum ſputationibus contingentes.Vrinæ in abſceſſibus retro aures cito, & modice matureſcentes, malæ ſunt, & ſic perfrigerari, malum eſt. Abſceſſus circa aurem in morbis diuturnis ſuppurati, non valde albo & inodoro pure,occidunt,& maxime mulieres. Abſceſſus iuxta aurem, ex acutis morbis maxime in febribus ardentibus fiunt, & ſi non iudicationem fecerint, & matureſcant,aut ex naribus ſanguis fluxerit, aut vrinæ ſubſidentiam craſſam habuerint, ægri pereunt. Plerique verò talium tumorum antea propulſantur. Verùm conſiderare oportet inſuper etiam ipſas febres, ſiue augeſcant, ſiue remittant,atque ſic pronunciare. Ex ſurditate ac torpore, de naribus aliquid deſtillare, difficultatis aliquid habet. Vomitus his conueniet,& alui turbatio.Ex ſurditate leniter abſceſſus iuxta aures fiunt, tum aliàs, tum ſi quid nauſeæ accedat. Sed & ſoporoſis ex his etiam magis abſceſſus ad aurem fiunt. Surditatem ex febribus,ſanguinis è naribus fluxio ſoluit:itemq; alui turbatio. Facies quæ ex tumida humiliatur, & vox leuior ac debilior euadens, & ſpiritus rarior ac leuior, remiſſionem in ſequentem diem ſignificat. Faciei corruptio, lethalis. Verùm minus, ſi propter vigilias, aut famem, aut alui exturbationem fiat: & ſi id quod propter hęc corruptum eſt,ſedetur per noctem ac diem. Talis autem fuerit, oculi cani, naſus acutus, tempora collapſa, aures frigidæ ac contractæ, cutis dura, color pallidus aut niger. Liueſcens verò ex his palpebra, aut labium, aut naſus, breui lethale eſt. Faciei bonus color, & toruitas, in morbo acuto, malum eſt. Frontis ex his contractio, phrenitidis ſignum eſt. Circa faciem color bonus,& ſudores non febrientibus, ſtercora vetuſta ſubeſſe ſignificat, aut victus rationem inordinatam.Rubores circa naſum, alui humeſcentis ſigna ſunt. Dolores circa præcordia aut pulmonem ſi ſuppurentur, malum eſt. Oculorum puritas, & albas ipſorum partes, ex nigris aut liuidis puras fieri,iudicatorium eſt. Si igitur cito purgentur,celerem iudicationem ſignificat: ſi tarde,tardiorem. Caligo oculorum, aut ſi alba ipſorum pars rubeſcat, aut liueſcat, aut venulis nigris impleatur, bonum non eſt. Malum eſt etiam lucis ſplendorem fugere, aut lachrymari,aut diſtorqueri. Et alterum minorem fieri, malum eſt: & oculos frequenter agitare, ac iactare, aut paruas lemas ac ſordes circa ipſos, aut concretionem tenuem albicantem habere: aut albam partem maiorem fieri, nigram verò minorem: aut nigram ſub palpebram ſupernam occultari.Mala eſt etiam oculorum cauitas,& expreſſio valde foras, & ſplendoris extritio, vt pupilla extẽdi non poſſit. Et extremitatem palpebrarum curuitas, & oculi fixi, & aſſiduè nictare, & colores permutare, & palpebras inter dormiendũ non committere, perni-

cioſum eſt. Malus eſt & oculus peruerſus. Oculorum rubor in febre oboriens, alui diuturnam malignam affectionem ſignificat. Circa oculos puſtularum eruptiones in virium refectionibus, aluum prorumpere faciunt. In oculorum diſtortione, febrienti, laſſato, rigor pernicioſus; & ſoporoſi in his, male habent. Viro lippienti, febre ſuperueniente, ſolutio: Sin minus, periculum eſt ne cæcus fiat, aut pereat, aut vtrũque. Quibus lippientibus capitis dolor accedit, & ad multũ tẽpus concomitatur, periculum eſt ne cæci fiant. Lippienti alui profluuium ſua ſponte prodiens, vtile eſt. Oculorum obſcuratio, & oculus fixus caliginoſus, malum. Oculorum obſcuratio, cum animi deliquio, breui conuulſionem inducit. Oculorum rectitudo in morbo acuto, & motus velox, & ſomnus turbulentus, & vigilię, & quandoque ſanguinis è naribus ſtillationes, nihil boni. Qui febres ad tactum non adurẽtes habent, phrenitici fiunt: & magis ſi ſanguis fluxerit. Lingua quæ in principio quidem inhorruit, in colore verò permanet: progreſſu autẽ temporis exaſperatur, & liueſcit, & rumpitur, lethalis eſt. Si verò valde nigreſcat, in quartadecima die iudicationem fore ſignificat. Periculoſiſſima autem eſt nigra, & cum virore pallida. Linguam circa bifidam ſui partem, velut ſaliua alba obduci, febris remiſſionis ſignum eſt, ſi quidẽ id quod ſuperinductum eſt, craſſum fuerit, eadem die: Si verò tenuius, poſtridie: Si verò adhuc tenuius, tertia die. Eadem ſignificant, etiam huiuſmodi, ſi circa ſummam linguam fiant, verùm minus. Lingua tremula cum rubore iuxta naſum, & aluo liquida, ſi reliqua ſine ſignis ſint circa pulmonem, malum eſt, & celeres purgationes, pernicioſas ſignificat. Lingua citra rationem tenera euadens, & cum cibi faſtidio nauſeabunda, cum frigido ſudore, ex aluo liquida, nigrorum vomituum ſignum eſt: laſſitudo in his mala eſt. Linguæ tremulæ quibuſdam etiam alũm liquidam quandoque faciunt. Denigratæ verò in his, celerem mortem ſignificant. Num lingua tremula mentem non firmam ſignificat? Linguæ aſperæ & reſiccatæ, phreniticæ ſunt. Dentes collidere aut ſtridere, quibus non familiare, id eſt à pueris, furioſum ac lethale eſt: Iam verò delyrans ſi hoc faciat, penitus lethale eſt. Pernicioſum autem eſt reſiccari dentes. Dentis corruptio, abſceſſum circa gingiuam factum ſoluit. Ex dentis corruptione vehemens febris ſuperaccedens, & delyrium, lethale eſt. Si verò ſeruentur, vlcera ſuppurabunt, & oſſa diſcedent. Quibus circa palatum humoris collectio fit, plerunque ſuppuratur. Doloris vehementes circa maxillas, periculum eſt ne ad oſſis eductionem deueniant. Labium contractum, alui bilioſæ eruptionem ſignificat. Sanguis de gingiuis, ex aluo liquida, pernicioſus. Sputi excreationes in febre, liuidæ, nigræ, bilioſæ, ſi quidem ſupprimantur, malæ ſunt: ſecedentes verò pro ratione, vtiles. Quibus ſalſuginoſa ſputa, ac tuſſis ſupprimuntur, his corpus velut à puſtulis rubeſcit: Verùm ante obitum exaſperatur Screatio frequens, ſi ſanè & aliud quoddam ſignum afferit, phrenitidem indicat. Vocis interceptiones cum exolutione, peſſimæ. Modicè feroces mentis emotiones, malæ & ferinæ ſunt. Quibus vox cum febre deficit, & cum iudicatione intercepta, tremuli moriuntur. Vocis interceptiones in febre conuulſorio modo contingentes, quæ ad mentis emotionem cum ſilentio deueniunt, pernicioſum. Vocis ex dolore interceptiones, doloroſam mortem inducunt. Vocis interceptiones cum exolutione ſtupefactorio modo, pernicioſæ ſunt. Voces confractę poſt medicamenti ſumptionem, num prauæ ſunt? Plerique horum exudant, & ventres humectos habent. In vocis interceptione ſpiritus, velut his qui ſtrangulãtur, præ manibus expoſitus, malus eſt. Num & mentem emouet? Ex capitis dolore vocis interceptiones ſi ſunt, febricitantes cum ſudore laxantur in ſeipſos, fiuntque morbi reuertentes diutius durantes: his inſuper rigere, malum non eſt. Mentis emotiones cum vocis interceptione, pernicioſæ. Vocis interceptiones inſuper rigentibus, lethales. Tales autem leniter caput dolent. Vocis interceptiones cum exolutione, in febre acuta, ſine ſudore, ſunt quidem lethales, minus verò quàm cum ſudore. Verùm diuturnitatem temporis ſignificant: fortaſſis autem & qui ex recidiua tale quid patiuntur, tutiſſimi ſunt. Perniciоſiſſimè autem ex talibus habent quibus ſanguis ex naribus fluit, & quibus alui humectãtur. Vox acuta, planctum referens, & oculorum obſcuratio, conuulſorium eſt. Dolores his ad infernas partes, toleratu faciles ſunt. Cum voce tremula, ſolutio alui præter rationem, in his moram trahentibus diuturnis, pernicies eſt. Frequentes ſubſoporatæ vocis interceptiones conſiſtentes, tabem pręſignant. Spiritus qui denſus quidem & paruus eſt, inflammationem & dolorem in locis principalibus ſignificat: Magnus autem & per multum tempus, delyrium aut conuulſionem. Et frigidus quidem lethalis eſt, lethalis autẽ eſt & febriculoſus & fuliginoſus: verùm minusquàm frigidus. Et qui magnus foras exſpiratur, paruus verò intro: & paruus foras, magnum verò intro, peſſimus ſanè eſt, & morti propinquus. Iremque extendens, & vrgens, & obſcurus, & dupla intro reuocatio, veluti ſuperinſpirantibus. Bona autem ſpiratio, in omnibus morbis qui cum febre acuta ſunt, & in quadraginta diebus iudicantur, magnum momentum ad ſalutem habet. Collum durum & doloroſum, & maxiliarum colligatio, & venarum iugularium palpitatio fortis, & tẽdinum diſtentio, pernicioſum. Dolores in faucibus gracilibus ſtrangulatorij, à capitis dolore originem trahentes, conuulſorij ſunt. Frigiditates colli ac dorſi apparẽtes: Sed & totius corporis cõuulſoria: In his mictiones fiunt, craſſiorẽ farinã referentes. Quibus circa fauces irritamenta ſnnt, his tumores circa aurẽ leniter erũpunt. Fauces doloroſæ, graciles, cum ægrè tolerabili moleſtia, pernicioſæ acutè ſunt. Quibus ſpiritus retrahitur, & vox ſtrãgulatoria eſt, & vertebra intrò conſidet, his in fine velut contrahente quodam ſpiritus fit. Fauces modicè exaſperatæ, & aluus vanis conatibus nitens, frontis dolores, ægri palpando contrectantes, doloroſi: quę ex his augeſcunt, difficilia ſunt. Dolores fortes circa fauces, tumores circa aurẽ, & conuulſiones efficiunt. Colli itẽ ac dorſi dolores. Cum febre acuta conuulſiones, pernicioſæ. Colli & cubitorum dolores, cõuulſorij. A facie autem hi, & ſecundum fauces. Pallidi, graciles, ſaliuam ſputantes: In his in ſomnis ſudores, boni ſunt. Num & ſudore leuari, plurimis non malum eſt? Dolores av infernas partes his toleratu faciles ſunt. In dorſi ac pectoris dolore, mictio cruenta ſupreſſa, pernicioſa eſt doloroſe. Colli dolor

malum

malum quidem in omni febre, peſſimum autem his quibus timor eſt, vt etiam inſaniant. In pectoris dolore febriculoſo, aluus turbata, torpida, nigrarum egeſtionum ſigna ſunt. Dolores parui in acutis iuxta fauces graciles, in gracili vbi hiarit, non facile os contrahente, mentem emouent. Ex his phrenitici pernicioſe habent. Fauces exulceratę in febre, cum alio ſigno ex his quę difficilia ſunt, periculoſę ſunt. In febribus derepentè ſuffocari, & deglutire non poſſe, citra tumorem, malum eſt. Collum conuertere non poſſe, neque deglutire, vt plurimum lethale eſt. Præcordium molle eſſe cõuenit, & doloris exors, & æquale. At inflammatum, aut inæqualiter ſe habẽs, aut dolens, ſignum eſt ægritudinis non leuis. Tumor verò in præcordijs durus & doloroſus, peſſimus quidem eſt, ſi iuxta omnes partes fuerit. Ex his autem qui ab vna parte ſunt, minus periculoſus eſt qui à ſiniſtris eſt. Significant autem in principio quidem tales mortẽ citam: Si verò viginti dies tranſmittant, febre manẽte, ſuppurationem. Contingit autem his in primo circuitu, etiam ſanguinis eruptio è naribus, & valde prodeſt. Plerunque enim hi caput dolent, & viſus obſcuratur. & magis in his ſanguinis eruptionem affore expecta. In ætatibus autem annorum triginta quinque: Senioribus verò minus. At verò molles: & doloris exortes tumores, diuturniores iudicationes faciunt, & minus periculoſi ſunt. Sed & hi ſexaginta dies tranſgredientes, febre manente, ſuppurantur. Conſimilia verò ſignificant, & tumores circa ventrẽ, his qui ſunt in præcordijs. Verùm minus ſuppurantur hi quàm illi. Minimè verò qui ſub vmbilico cõſiſtunt: & fiũt etiam hi quidem in tunica, illi verò ſurſum diffuſi. Lethales autem ſunt ex ipſis, quicunque intrò rupti fuerint: ex reliquis autem ſuppurationibus, quæ quidẽ foras rumpuntur, optimum eſt, vt in breuiſſimam & acutiſſimam molem colligãtur: quæ verò intro, vt neque mole, neque dolore, neque colore, foris ſe manifeſtas faciant. Contrarium autẽ peſſimum eſt. Quædam verò ex his propter puris craſſitudinem nullam de ſe ſignificationem præbent. Porrò recentes in præcordijs tumores, ſi non cum inflammatione fuerint, & dolores ab ipſis, ſoluit murmur in præcordio obortum, & maxime quidem ſi pertrãſierit per vrinas, & alui egeſtiones. Sin minus, ſi etiã ipſum pertranſierit. Prodeſt autem & ſi ſubdeſcenderit ad infernos locos. Pulſus in præcordio cũ tumultu, mentis emotorius eſt, & magis ſi oculi frequẽter moueantur. Oris ventriculi dolor, & pulſus præcordiorum febre perfrigerata, malum, tum aliàs, tum ſi inſuper exudarint. Dolores ad præcordiũ irruentes, tum aliàs mali ſunt, tum ſi aluos humectent. Peiores autem ſunt, ſi breui fiant: & tumores circa aurem, ex his emergentes, maligni ſunt, & aliæ ſuppurationes. Oris ventriculi dolores cum tormine, ventris animalcula erumpere faciunt. Oris ventriculi dolor ſeniorẽ frequenter impetens, mortem repẽtinam ſignificat. Quibus præcordia leuantur, aluo ſuppreſſa, malum eſt, maximè autem in morbis tabidis lõgis, & quibus alui humectãtur, in præcordio inflãmatio ſuppuratoria eſt, quibus ante mortẽ nigra per aluum ſubeunt. Præcordiorum diſtentio cum ſopore anxioſo, in caput dolente, abſceſſus circa aurem attollit. Poſt præcordiorum tumorem, biliоſis ſpiritus magnus & febris acuta, abſceſſus circa aurem attollit. In dolore

præcordiorum ſubmurmuranti, lumborum dolor ſuperaccedens in febribus, vẽtres vt plurimum humectat, ſi non flatus eruperit, aut vrinę copia prodierit. Ex præcordio diutinè afflicto, & aluo graueolenti abſceſſus circa aurem, occidit. Quibus à præcordiorum doloribus, aluus paulatim ſubuiſcoſa egerens, pauca ſtercoracea effundit, num etiam ſanguinem effundit? Quibus derepentè dum ſine febre ſunt, præcordij & oris vẽtriculi dolor, & circa crura, ac infernas partes, & aluus in tumorem eleuata eſt: ſoluit venę ſectio, & alui fluxio. His febrire nociuum eſt. Longe enim & vehemẽtes febres fiunt, & tuſſes, & ſpiritus & ſingultus fiunt. His autem ad ſolutionem tendentibus, dolor fortis coxarum, aut crurũ, aut puris ſputum, aut oculorum priuatio ſuccedit. Quibus dolores præcordiorum, oris ventriculi, hepatis, partiũ circa vmbilicum, hi ſanguine per aluum egeſto, ſeruantur: non autem egeſto, moriuntur. Quibus præcordia non mollia, facies ſana, nõ liberantur citra multi ſanguinis ex naribus fluxum, aut conuulſionem, aut coxendicum dolorem. Dolores ad præcordia in febre, voce intercepta, ſine ſudore ſoluti, malum eſt. His ad coxendices dolores fiunt. Iuxta ventrem in febre palpitationes, mentis emotiones inducunt: ſanguinis autem fluxio horrorem efficit. Dolores in febre ad præcordia exiliẽtes, ſine ſudore ſoluti, maligni ſunt. His ad coxendices dolores fiunt, & ipſis vnà cũ febre ardente, aluus deorſum erumpens, pernicioſum eſt. Dolores circa vmbilicum palpitatorij, habent quidem & aliquid mentis emotorium, verùm circa iudicationem pituita his aceruatim copioſa cum dolore penetrat. Poſt aluum ſuppreſſam, præcordia ſubleuata in tumorem, mala ſunt, maximè tabeſcentibus iam diu & quibus alui humectantur. Anxietatem in præcordio ſentientibus, tumores circa aurem oborti, ipſos occidunt. Duricies circa ventrem cum dolore, in febrientibus cum horrore, cibum auerſantibus, ſi aluo inſuper parum humectata, purgationem non faciant ad ſuppurationem peruenient. Dolor ſupra vmbilicum, & lumborum dolor, ſi medicamentis non ſoluantur, in hydropem ſiccum deſinunt.

3 Dolores ex lumbis diuturniores, qui febre tertianæ generis modo exacerbantur, grumoſum ſanguinem egerere faciunt. Dolores in lumbis, ſanguinis fluxionem inducũt. Ex lumborum dolore ſanguinis fluxiones largæ fiunt. Quibus ex lumborum dolore, recurſus ad caput, & manus torpidę, & oris ventriculi dolores, & aurium ſonitus, his ſanguis largè profluet. Sed & alui his deorſum erumpunt, & mens turbata eſt vt plurimum. Ex dorſi dolore ægritudinis principia difficilia ſunt. In lumborum dolore pertinaci, & ampliore alui ſubductione, à veratro vomere ſpumoſa multa prodeſt. Spinæ diſtortionem ac ſpirã di difficultatem, ſanguinis fluxio ſoluit. In lumbis dolentibus oris ventriculi dolores inſuper accedentes ſigna ſanguinis fluxionis ſunt, etiam prægreſſę. Affectiones ex lumbis ad collum & caput tranſeuntes, leuis ſiderationis modo reſoluentes, conuulſorię, mentis emotorię ſunt. Num tales etiam ſoluũtur conuulſionibus? Aut talium alui ægrotant per eadem prodeuntia? Ex lumborum doloris recurſu, oculorum diſtortio, malum. Dolor in pectus firmatus torpore, malus in febre eſt. Hi repentè pereunt. Ex lumborum dolore recurſiones ad os ventriculi febriculoſę,

horro-

horrorem inducentes: Sic affecti reuomentes tenuia aquosa, mente moti, voce destituti nigrorum vomitu facto moriuntur. Diuturni circa lumbos, & tenue intestinum dolores, & ad præcordia dolores, si ægri cibos auersentur vnà cum febre, his dolor intentus ad caput progressus repente ipsos occidit conulsorio modo. Quibus lumborum dolor est, hi male habent. Num his tremores fiunt, & circuli rubicundi in tibijs in rigore? Num lumbos dolentibus, cibos fastidientibus, non vomentibus, modicè ferociter mente motis, spes est nigra proditura esse? Lumborum dolor in ventriculi os dolente, cum excreatione violenta, habet quid conuulsorium. Rigor vnà cum iudicatione aliquatenus horrendus est. Lumborum dolor sine causa manifesta sæpe, impetens maligni morbi signum est. Lumborum dolor cum sopore anxioso, malus est. Lumborum distentio ex muliebrium mensiũ multitudine, ad suppurationem tendit: & varie prodeuntes viscosi, graueolentes strangulatorij menses ex prędictis, ad suppurationem tendunt. Arbitror autem tales etiam aliquantum delirare. Quibus lumborum dolor, & lateris, sine causa manifesta, hi regium morbum incurrũt. Perfrigerationes ex sanguinis eruptionibus in diebus iudicatorijs vehementes, pessimæ sunt. Vice versa sanguinem erumpere, malum est: veluti in splene magno ex dextris: & circa pręcordia eodem modo se res habet. Vulnera sanguinem fundentia, insuper rigentia, maligna. Sic affecti loquentes latenter moriuntur. Affectiones quæ quinta die sanguinẽ largè fundunt, sexta insuper riguerunt, septima perfrigeratæ fugerunt, & repẽtè recalefactæ, in his alui malè afficiuntur. Post sanguinis eruptionem nigrorum per aluum egestio, mala. Mala autem sunt & rubicunda valde & æruginosa. Quarta die tales fiunt sanguinis eruptiones. Soporosi ex talibus cõuulsi moriuntur, nigris prægressis, & ventre tumefacto. Post sanguinis eruptiones, & nigrorum egestiones, in acuto surditas, malum. Sanguinis egestio his pernicioſa. Surditas autem soluit. Quibus sanguinis eruptiones plures, his temporis progressu alui malè afficiuntur, si non vrina concocta prodierit. Num & aquosa vrina tale quid significat? Quibus ex sanguinis eruptione larga frequenti, multa fit alui cum nigris egestio, ea autem suppressa, sanguinis fluxiones: hi aluum dolent: vnà verò cum quibusdam flatibus, facilè tolerant. Num tales multis frigidis sudoribus exudant? Conturbata in his vrina, mala non est; neque id quod genituræ simile in ipsa residet, verùm plerunque hi aquosa mingunt. Quibus de naribus in surditate ac torpore pauca destillant, habẽt quid difficultatis. Vomitus his donducit, & alui perturbatio. Magnæ in principijs sanguinis eruptiones, circa refectionem aluos humectãt. Fluxiones ex naribus largæ per vim suppressæ, quandoq; conuulsionem prouocant: Venæ sectio soluit. Vndecima die contingentes sanguinis distillationes, difficiles sunt, tum alias, tum si bis superstillauerint, & rursus stillauerint. In sanguinis fluxione multa, aut singultus, aut cõuulsio, mala est. In his qui decolores vsque ad septem annos vires recolligunt, & spiritus in vijs aceruatus, & terræ concupiscentia, sanguinis corruptionem ac exolutionem significat. In morbis longis paruæ comparentes sanguinis fluxiones, pernicioſæ sunt. Vertigines ab initio sanguinis narium fluxio soluit. Ex naribus erumpente sanguine, cum exiguis sudoribus perfrigescentia, maligna sunt. Sanguinis detractio in perfrigeratione torpida, mala est. Qui aluo suppressa sanguinem effundunt, & vnà cum sanguinis effusione insuper rigent, his aluum velut ex intestinorum leuore lubricam hæc faciunt, itemque duram, & ascaridas, aut ambo. Sanguinis fluxiones statis temporibus contingentes, si ticulosæ, si sanguinem nõ effuderint, comitialis morbi mortem inducunt. Ex hæmorrhoide parum apparente, vertigines obortæ, paruam ac modicam siderationem significãt: soluit venę sectio, & quicquid hoc modo apparuerit, mali aliquid significat. Palpitantes per totum, num etiam voce intercepta moriuntur? Tremores conuulsorij oborientes in sudoribus reuerti solent. Iudicatio his fit, vbi superriguerint. Superrigent autem hi ardore circa ventrem prouocati. Somnus multus in his conuulsorius, & ad frontem grauitates, & mictio difficilis. Conuulsiones antea non cognitæ in strangulatis ab vtero, faciles sunt. Conuulsoria sine sudore sputa defluentia in febriente, lenia sunt: His insuper alui aliquantũ humectantur: fortassis autem & ad articulos aliquid abscedet. Quibus conuulsis oculi intentè relucent, neque apud seipsos sunt, & diutius ægrotãt. Quæ conuulsorio modo exacerbantur, cum stuporis detentione, ab sessus iuxta aurem excitant. Tremulis, anxiosis, parui iuxta aurem tumores conuulsionem significant, aluo malè affecta. Conuulsiones & tetanicas distentiones febris accedens soluit. Conuulsio ex vulnere lethalis est. Conuulsio in febre contingens, pernicioſa est: Minime verò pueris. Seniores septem annis in febre non corripiuntur conuulsione: sin minus, pernicioſum est. Conuulsionem soluit febris superueniẽs acuta, quæ prius non fuit: Si verò fuit prius, iam exacerbata. Prodest & vrinę transitus vitri speciem referens, copiosus, & alui fluxus, & somni. At repentinas conuulsiones soluit febris, alui fluxus. In conuulsionibus vocis interceptio diu durãs, mala est: parua autẽ, aut linguæ sidérationem, aut brachij, aut dextrarum partium significat. Soluitur autẽ vrinis multis aceruatis derepentè prodeuntibus. Sudores aũt paulatim oborientes prosunt: Aceruati verò, itemque sanguinis detractiones aceruatæ lædunt. In distentionibus & ante & retro contingentibus, & in tergum solum contingentibus, si maxillæ soluantur, lethale est. Lethale est etiam sudare in distentione in dorsum contingente, & corpus dissolui, & in eadem affectione reuomere per nares, aut clamare, aut nugari, si ab initio vox intercepta fuit. In posteram enim diem mortem significat. Febriles in dorsum distentiones, vrinæ genituræ similes soluunt. Anginę quæ neq; in collo, neque in faucibus, quicquam conspicuum faciunt, verùm suffocationem vehementem ac spirandi difficultatem inducunt eadem die & tertia occidunt. Quæ verò tumores & ruborem in collo accipiunt, in cæteris quidem consimiles sunt, verùm diuturniores. Quibuscunque verò & fauces, & ceruix, & pectus, simul rubuerint, diuturniores sunt: & ex ipsis maximè seruantur, si non recurrerint rubores. Si verò dissipentur, neq; tuberculo foras conuerso ac collecto, neque pure leniter ac sine dolore excreato, neque in diebus iudicatorijs, pernicioſæ sunt. Num ẽt suppurati fiunt? Securissimum autem est ruborem & abscessus quàm maximè foras verti. Erysipelas verò

foris

foris quidem accedere, commodum est, introò autem conuerti, lethale: Conuertitur autem introò, quum diſparente rubore pectus grauatur, & difficilem ſpirationem habet. Quibus verò anginæ ad pulmonem vertuntur, partim in ſeptem diebus pereunt, partim euadentes ſuppurati fiunt, ſi non eductio pituitoſa ſurſum ipſis fiat. Quibus per pulſationis venarum vehementiam, ſtercus derepentè per aluum ſecedit, lethale eſt. In anginis ſputa gracilium ſubarida, malum. Anginoſi in linguis tumores, citra ſigna diſparentes, pernicioſi: & dolores diſparentes citra manifeſtam cauſam, pernicioſi ſunt. In anginis, qui non breui concocta expuunt, pernicioſe habent. In angina dolores ad caput, citra notas, cũ febre, pernicioſi. In angina dolores ad crura, citra notas, cum febre, pernicioſi. Ex anginis citra iudicationem præcordij dolor, cum impotentia ac torpore oboriens, occidit occulte, etiamſi valde manſuete ſe habere putent. Ex anginoſis citra notas attenuatis, dolor ad pectus & ad aluum progreſſus concitatus, pus egerere facit: aliàs autem eius qui exoluitur tale eſt. In anginis omnia pernicioſa ſunt, quæ non manifeſtum dolorem faciunt. Sed & ad crura dolores diuturni procedunt, & difficulter ſuppurãtur. Ex angina ſputa viſcoſſa, craſſa, valde alba, quæ violenter educuntur, mala ſunt. Et omnis eiuſmodi maturatio, mala. Purgatio multa deorſum, tales leuis ſiderationis modo perimit. Ex angina, ſubarida, frequentia ſputa, cum tuſſi, lateris dolorem inducentia, pernicioſa: itemque ea quæ inter potandum per tuſſim ſubemergunt: & deglutitio violenta, mala. Pleuritici quibus in principio ſputationes penitus purulentæ ſunt, tertia die moriuntur, aut quinta. Si verò has effugerint non multo melius habentes, ſeptima, aut nona, aut vndecima ſuppurari incipiunt. Quibus ſupra aurem rubor, & ſimiliter veluti pleuritici caleſcũt, & aluus bilioſis ac graueolẽtibus exturbatur, hi vigeſima ac quadrageſima die periclitantur: vbi verò has effugerint, ſeruantur. Pleuritides ſiccæ ac ſine ſputo, difficillimæ ſunt. Horrendæ quoque hæ in quibus dolores ſupernè ſunt. Pleuritides ſine conuulſionibus, grauiores ſunt his quæ cum conuulſionibus fiunt. Quibus pleuriticis in principio lingua bilioſa fit, hi ſeptima die iudicantur: Quibus autem tertia aut quarta die, circa nonam. Bulla ſubliuida oriente in lingua, in principio, qualis eſt ferri tincti in oleum, difficilior ſolutio contingit: & iudicatio quidem ad decimumquartum diem peruenit, ſanguinem autẽ plerunque ſpuunt. Sputum in pleuriticis tertia die maturari ac exſpui incipiens, citiores ſolutiones facit: Verùm poſterius, tardiores. In doloribus pleuriticorum commodum eſt aluum molliri, ſputa colorari, ſtrepitus in pectore non fieri, vrinam bene procedere: (His autem contraria, difficilia ſunt:) itemq; ſputum dulce fieri. Bilioſæ ſimul & ſanguineæ pleuritides, plerunque nona aut vndecima die iudicantur, & maxime ſanantur. Quibus autem pleuriticis in principio quidem dolores molles ſunt, quinta verò aut ſexta die exacerbantur, hi magis ad duodecimam perueniunt, & non valde ſeruantur: periclitantur autem maximè ſeptima die ac duodecima. Vbi verò bis ſeptem dies effugerint, ſeruantur. Quibus pleuriticis ſtrepitus ſputi multus in pectore eſt, & facies triſtis, & oculus morbi regij colore infectus, ac caliginoſus, hi pereunt. Qui ex pleuritide ſuppurati fiunt, in quadraginta à ruptione diebus expuunt. Sputum in omnibus pleuriticis ac peripneumonicis facilè ac cito expui conuenit, & flauum ſputo ammixtum eſſe. Quod verò longè poſt dolorem educitur flauum, aut non mixtum, & multam tuſſim inducens, malum eſt. Prauum autem penitus eſt flauum, meracum, & viſcoſum, & album, & rotundũ, & cum virore pallidum valde, & ſpumoſum, & liuidum, & æruginoſum. Peius autem aliquanto eſt id quod ita meracum eſt, vt nigrum appareat. At ſanguine non multo permixtum flauum, in principio quidem ſalutare eſt, ſeptima verò die, aut poſterius, minus tutum. Sanguinem verò valde, aut liuidum, ſtatim in principio periculoſum eſt. Praua ſunt etiam ſputa ſpumoſa, & flaua, & nigra, & æruginoſa, ac viſcoſa, & quæcunque cito colorantur. At mucoſa ac fuliginoſa, & cito colorantur, & ſecuriora ſunt. Quæ verò intra quintum diem ad coctionem colorantur, meliora ſunt. Omne porrò ſputum non ſoluens dolorem, malum eſt: ſoluens autem, bonum. Quicunque verò cum bilioſo purulentum educunt, aut ſeorſum, aut permixtum, plerunque decimaquarta die moriuntur, ſi non mali aut boni quippiam ex præſcriptis ſuperueniat: Sin minus, pro ratione, maxime autem his quibus eiuſmodi pus ſeptima die incipit. Bonum verò eſt & in his & in omnibus circa pulmonem morbis, facile ferre morbum, à dolore liberatum eſſe, ſputum facile educere, bne ſpirare, & ſine ſiti eſſe, & totum corpus æqualiter caleſcere, ac molle eſſe. & ad hæc ſomnos, ſudores, vrinas, alui egeſtiones, bonas eſſe. Mala autem ſunt his contraria. Si quidem igitur omnia bona ad hoc ſputum acceſſerint, ſeruari homo poterit. Si verò partim affuerint, partim nõ, non vltra decimumquartum vita producta peribit: Quod ſi contraria ſigna accedant, citius etiam. Quicunque verò dolores in his locis non ſedantur, neque ad expuitiones, neque ad venarum ſectiones, ac victus rationes, ſuppurantur. Quibuſcunque autem ex peripneumonia abſceſſus circa aurem, aut ad infernas partes fiunt, & ſuppurantur ac fiſtulantur, hi ſuperſtites euadunt. fiunt autem his quibus, & febris, & dolor affuerit, & ſputum pro ratione non prodierit, neque bilioſæ alui egeſtiones, ſolutuque faciles, ac meracæ fiunt, neque vrina craſſa valde, & multam ſubſidentiam habens: & alia ſalutaria habuerit. Fiũt autem ad infernas quidem partes, his quibus circa præcordia inflammatio fit: ad ſupernas verò, quibus præcordium molle & doloris exors fuerit. & vbi per tempus aliquod difficulter ſpirauerint, ac citra manifeſtam cauſam ceſſauerint. At abſceſſus ad crura in periculoſis inflammationibus pulmonis, omnes quidem commodi ſunt, optimi autem, ſputo purulento pro flauo euadente. Non procedente verò ſputo ſecundum rationem, neque vrina bonam ſubſidẽtiam habente periculum eſt claudum fore hominem, aut multum moleſtiarum exhibitura res eſt. Si verò recurrerint abſceſſus, febre conſequente, & ſputo non procedente, periculum eſt ne moriatur ac deliret. Quicunque verò peripneumonici non purgati ſunt iudicatorijs diebus, ſed mente moti quatuordecim dies effugerunt, eos periculum eſt ſuppuratos fieri. Peripneumoniæ ex pleuritide tranſmutatæ, ſecuriores fiunt his quę ab initio fiunt. Corpora exercitata

ac denſa citius à pleuriticis ac peripneumonicis morbis pereunt quàm inexercitata. Grauedines, & ſternutationes in morbis circa pulmonem, & anteceſſiſſe,& ſuccedere,malum eſt. Reliquis autē ſternutatio non incommoda eſt. Peripneumonicis quibus lingua tota alba ac aſpera fit, ambæ pulmonis partes inflammatæ ſunt: Quibus verò dimidium,vna,iuxta quam apparet. Et quibus ad vnam clauiculam dolor fit,his ſuperna pulmonis ala vna ægrotat.Quibus autem ad ambas clauiculas dolor fit, ambæ ſupernæ pulmonis alæ ægrotant: Quibus iuxta mediam coſtam,media. Quibus ad diſcriminationem,inferna: At totam vnam partem dolentibus,omnia iuxta hāc partem dolent. Si quidem igitur aortæ appellatæ, vtrinque appendentes pulmonis partes,valde inflammatæ ſunt, vt ad latus aſſideant, hac corporis parte reſoluuntur,& liuores foris circa coſtā habent. Hos autem veteres ictos,ſiue ſyderatos vocabant. Si verò non valde inflammatæ ſunt, vt non aſſideant: dolor quidem fit per totum,non tamen reſoluuntur,neque liuores habent.Quibus verò totus pulmo inflammatus fuerit,vnā cum corde, vt ad latus allabatur,hi toti reſoluuntur, & iacet æger frigidus, ſenſus exors. Moriturque ſecunda aut tertia die.Si verò etiam ſine corde contigerit,minus diu viuunt. Quidam autem etiam ſeruantur.Qui ſuppurati fiunt maxime ex pleuritide ac peripneumonia, eos calores comitantur, interdiu tenues,noctu vehementiores,& nihil memoratu dignum ſpuunt, & circa collum ac clauiculā ſudant, & oculi cauifiunt, maxillæ verò rubent, digiti ſummi deterius caleſcunt ac aſperantur: Vngues curuantur, ac perfrigerantur,& circa pedes tumores habent, & circa corpus puſtulas, & abſtinent à cibis. Diuturnæ igitur ſuppurationes, ſigna hæc habent. Quæ verò breui rumpuntur, ex notis ad eas cōſequētibus cognoſcere oportet, & ex doloribus in principio. Simul autem, & ſi aliquanto difficilius ſpirauerit homo. Rumpuntur autē plurimæ ſuppurationes, partim vigeſima die, partim quadrageſima, partim ſexageſima.Quibus igitur dolor in principio incumbit intentus,& ſpirandi difficultas,& tuſſis cum ſputatione,ad vigeſimum diem, aut citius, eruptionem expecta: Quibus autem leuiora hæc ſunt iuxta rationem. Supputare autē oportet tempus,à quo primum doluit,aut grauatus fuit,aut febrijt,aut ſi quando rigor corripuit. Neceſſe eſt autem præcedere & dolorē,& ſpirandi difficultatē,& ſputationē, ante ruptionē. Quibus igitur & febris ſtatim poſt ruptionē decedit,& cibū appetūt,& pus facile educitur album,inodorū,leue, eiuſdē coloris, & à pituita liberū, & aluus parua cōpacta egerit,plerūq; breui ſeruantur. Quos verò & febres ſequūtur,& ſitis,& cibi faſtidiū,& pus liuidū,aut cū virore pallidū,aut pituitoſum,aut ſpumoſum, & aluus inſuper liquida fit, moriuntur. At quibus aliqua ex prædictis acceſſerint, aliqua non, horum aliqui pereunt,aliqui multo tempore ſeruantur. Qui ſuppurati futuri ſunt,primùm ſalſuginoſū ſpuunt, deinde dulcius. Quibus in pulmone tubercula fiunt, pus educunt ad dies quadraginta poſt ruptionem. Has verò tranſgredientes plerunque tabidi fiunt. In lateris dolore, ſtillatio ſanguinis de naribus, mala eſt. Quos ſuppuratos mitius habentes, ſputorum graueolentiæ ſequuntur,eos recidiua occidit. Qui ex pleuriticis exſpuunt purulenta,ſubbilioſa,rotunda:aut purulenta ſubcruenta progreſſo tempore, pernicioſe habent. Pernicioſe item qui nigra fuliginoſa ſpuunt,aut quibus velut à vino nigro ſputa fiunt. Quicunque ſanguinem ſpumoſum ſpuunt, dextrum præcordium dolentes,de hepate ſpuunt, & multi pereunt. Quibus dum concutiuntur,pus cœnoſum, & graueolens prodit, plerunque pereunt. Quibus à pure ſpicillum coloratur, velut ab igne, plerunque pereunt. Cum lateris dolore, non tamen pleuritico, & turbulentis tenuibus lenibus, hi phrenitici euadunt. In morbis pulmonis valde rubicundæ ſanguinis ſtillæ, malæ ſunt. Cum raucedine, ſputa viſcoſa, ſalſuginoſa, mala. Si verò etiam quid attollatur iuxta pectus, in his malum eſt. Dolores ad collum his attenuatis,pernicioſi. Raucedo cum tuſſi, & aluo liquida,pus educit. Quibus in peripneumonia vrinæ craſſæ in principio, deinde ante quartum diem attenuantur,lethale eſt. Qui in peripneumonijs ſiccis pauca concocta educunt, horrenda res eſt. Rubores in pectoribus ſublati, talibus pernicioſi ſunt. Lateris dolor in ſputo bilioſo, præter rationem euaneſcens, mentem emouet. Febres intermittentes ob ſuppurationem, pleræque ſudorificæ ſunt. Suppuratis ſurditas oborta,cruentam egeſtionē ſignificat.His ad finem nigræ prodeunt.Lateris dolor cū febre diuturna,puris eductionem fore ſignificat.Horrore affecti frequēter ad ſuppurationem deueniunt.Sed & febris tales ad ſuppurationem perducit. Quos ex lateris dolore cibi faſtidia ſequuntur,oris ventriculi dolore ac ſudore aliquantulum vexantur. Facie flores habente,& aluo liquidiore,ſuppurationes circa pulmonem habent. Erectæ ceruicis ſpirationes facit hydrops ſiccus. Conuulſiones omnes quidem moleſtæ ſunt, & dolores in principio intentos inducunt, & poſtea quoque aliquos commonefaciunt. Verùm difficillimæ ſunt circa thoracem, & maxime periculoſæ. Quibus eſt vomitus ſanguinis,febris multa,& dolor circa mammam,thoracem,& dorſum:quibus hæc omnia fiunt,breui moriuntur. Quibus autem non omnia,neque valde,tardius. Inflammati autem ſunt diebus quatuordecim ad ſummum. Sanguinem ſpuentibus confert,vt ſint ſine febre, & tuſſiant, ac doleant leuiter, & vt ſputum tenue fiat ad dies bis ſeptem. Febrire verò, & tuſſire, ac dolere pertinaciter, & ſanguinem recentem ſemper ſpuere, incommodum eſt. Quibus latus ſublenatum in tumorem ac calidius eſt, & inclinatis in alterum,grauitas aliqua impendere videtur, his pus ex vna parte eſt. Suppuratis pulmonem per aluum pus ſecedere, lethale eſt. Quicunque vulnerati in thoracem, externa vulneris parte ſanati ſunt, interna non, periclitantur ne ſuppurati fiant. Quibus autem debilis inducta eſt intus cicatrix, facile refringitur. Ex peripneumonicis ſuppurationibus ſeniores magis pereunt, ex reliquis iuniores. Quibus ſuppuratis dum concutiuntur, multus ſtrepitus de humeris fit, minus puris habent hi, quàm quibus paucis, ſi difficilius ſpirent & meliorem colorem habeant. Quibus autem ſtrepitus quidem nullus fit, verum difficultas ſpirandi fortis, & vngues liuidi, hi pleni ſunt pure, & pernicioſe habent. Qui ſpumoſum ſanguinem vomunt, dolore infra ſeptum tranſuerſum non exiſtente,de pulmone vomunt. Et quibus quidem magna in ipſo vena rumpitur, multum

tum vomunt & in periculo versantur: Quibus verò minor, minus educunt, & securiores sunt. Quibus tabidis sputum in igne grauem nidorem olet, & capilli de capite fluunt, pereunt. Quibus tabidis in mare expuentibus, pus ad fundum sidit, breui pereunt. Sit autem mare in æneo vase. Quibus tabidis capilli ex capite defluunt, à profluuio alui moriuntur. Et quibus tabidis alui profluuia accedunt, moriuntur. In tabescentibus sputa suppressa, mentem ad nugas garriendas emouent. His spes est hæmorrhoidem apparere posse. Tabes periculosissimæ sunt, à ruptione venarum crassarum, & à defluxu de capite. Aetates periculosissimæ sunt ad tabem, ab anno decimooctauo, vsque ad trigesimum quintum. Pruriginosa corpora post aluum suppressam, in tabidis mala sunt. In habitibus tabescentibus cum febre, fluxiones ad gingiuas & dentes comparentes, malæ sunt. In omnibus in tumorē eleuata præcordia, mala sunt, in tabidis autem pessima. Ex his qui diutina tabe pernicioſæ consumpti sunt, aliqui ante finem rigore apprehenduntur. Pustularum eruptiones velut ferro lancinatæ, habitus tabem significāt. Difficulter spirantes ex putredine, multa cruda educentes in tabe, pernicioſe habent. Quibus hepaticis multum est sputum cruentum, siue subputredum, siue bilioſum meracum, statim pernicioſum est. In hepatico colliquatio cum raucedine, malum, tum aliàs, tum si aliquantum tussiat. Hepar dolentes, os ventriculi dolentes, soporosi, rigorem habentes, & aluum turbatam, tenues, cibum auersantes, multum exudantes, purulenta per aluum egerūt. Hepar derepente circumcirca dolentibus, febris accedens dolorem soluit. Qui sanguinem spumosum spuunt, præcordium dextrum dolentes, de hepate spuunt, & moriūtur. Quibus hepar vstis, velut amurca prodit, lethale est. Hydropes ex morbis acutis doloroſi fiunt, ac pernicioſi. Incipiunt autem plerique à laterum mollitudine, aliqui etiam ab hepate. His igitur quibus à laterum mollitudine initium sumunt, pedes tument, & alui profluuia diuturna sequuntur, aluum non mollientia, neque dolores ex lumbis & laterum mollitudine soluentia. Quibus verò ab hepate, tussis adhuc prompte oboritur, & pedes tument, & aluus dura egerit, eaque ad necessitatem coacta, & tumores circa ipsam fiunt, partim in dextra, partim in sinistra, & rursus sedantur. In hydropicis siccis, vrinæ stillicidia, mala. Malæ etiā vrinæ paruas snbsidentias habentes. Hydropicis comitialis morbi affectiones accedentes, pernicioſæ sunt, & inter se signa praua sunt, & aluos humectant. In bilioſis aluus turbata, egerens parua genituræ similia, mucosa, & dolorem circa pubem inducentia, & vrinæ non facile solubiles prodeuntes, ex talibus in hydropem desinunt. Hydropico febrienti, vrina parua & turbata, pernicioſa est. In aqua inter cutem incipiente, alui profluuium aquosum oboriens, citra cruditatem, morbum soluit. In hydrope sicco sui significationem præmittente, tormina circa intestinum tenue incidentia, mala sunt. Ex hydropicis comitiales, pernicioſi. hydrops qui ad curationem remisit recurrens, desperatus est. Hydropicis, circa venas aqua, in aluum prolapsa, solutio fit. Disenteria intempestiue suppressa, abscessus in costis, aut visceribus, aut in articulis facit. Num igitur bilioſus abscessus in articulis, sanguineus in costis aut visceribus fit? Disentericis vomitus bilioſus in principio, malus est. Quibus ex dysenteria acuta, humor ad purulentiam deuenit, his id quod superstat, valde album ac multum erit. Discentericæ, subrubræ, limosæ, largæ egestiones alui, in flammeis valde rubicundis coloribus solutæ, insaniæ timorem inducunt. Dysenteria non longa splenicis commoda est, longa vero mala: desinente enim, si hydropes, aut intestinorum leuitates fiūt, lethale est. In intestinorū leuitatibus, cū animalculis, dolores tormine soluti, partes circa articulos tū faciūt, ex talibus squamulæ rubicundæ pustulosæ: hi vbi exudarunt, velut flagris cæsi rubefiunt. Qui in lō gis intestinorum leuitatibus, vna cū animalculis, tormina patiuntur, & doloribus afficiuntur, his solutis intumescunt. Insuper rigere his malum est. Intestinorū leuitates cū spirandi difficultate, & lateris punctura, in tabem desinunt. Voluulosis vomitus, & surditas, malum. Vesicæ duræ & dolentes, omnino quidē malæ sunt, pessimæ vero cum febre continua. Nam dolores ab ipsis vesicis, ad occidendum sufficiunt, & alui his nō valde egerunt. Soluit autem hos vrina purulenta prodiens, album ac leuem subsidentiam habens. His verò non solutis, neque vesica mollescente, in primis circuitibus, ægrum moriturum esse timor est. Fit autem hoc maximè à septem annis, vsq; ad decimumquintum. Calculosi ita figurati, vt lapis ad vrinarium meatum non illabatur, facile mingūt. Quibus tuberculum est circa vesicam, quod mingendi difficultatem inducit ad omnis generis figuras vexātur; huius autem solutio fit, pure erumpente. Quibus vrina clandestine allabitur ad pudendum, exoluuntur desperati. In vrinæ stillicidio voluulus accedens, septima die perimit, si non febre accedente vrina aceruatim prodeat. Torpores, & sensus stupiditates, præter mortem contingentes, futuræ syderationis signum sunt. Qui ex vulnere impotentes fiunt corpore, febre quidem accedente citra rigorem sanantur: non autem accedente, syderati fiunt dextra aut sinistra parte. Syderatis si hæmorrhoides accedāt, vtile est: Si verò frigiditates & torpores, malum. In syderatis ex spiritus ægra latione, sudor accedēs, lethale. Rursus autē in his ipsis si febris accedat, solutio fit. Syderationes derepente exolutorio modo cōtingentes, febre insuper temporis progressu accedente, pernicioſæ sunt. Quibus ex aliqua ægritudine, ad aquam inter cutem res deuenit, his alui siccæ excrementa caprini stercoris pilulis similia egerunt, cum eliquatione mucosa, & vrina non bona: & distentiones circa præcordia, & dolores ac tumores circa vētrem, & dolores circa laterum mollitudinem, & iuxta spinę musculos accidunt; febres itē, & sitis, & tussis siccæ sequuntur, & circa motus spirandi difficultas, & crurum grauitas; & à cibis abstinent, & paucis ingestis explentur. Hydropas (leucophlegmatias appellatos) alui profluuium sedat. At tristitiæ cum silētio, & hominum auersationes, leniter eo modo affectos occidūt. Qui ex timore cū perfrigeratione mente mouentur, febres cum sudoribus, & somni vocem aliquantum intercipientes, hæc soluunt. Ex insania ad raucedinē, cum tussi, fit discessus. In furioſis cō uulsio accedens, dissipationem facit. Mentis emotiones taciturnæ, nō quiescentes, oculis circumspicientes, spiritum extra efferentes, pernicioſę sunt. Faciūt autem & leues syderationes diuturnas. Sed & ita affecti

fecti ad insaniam deueniunt. Qui verò in ventris turbatione ita exacerbantur, his nigra circa iudicationē prodeunt. Quibus sanis hyeme circa lumbos frigiditas, & grauitas ex leui causa, & aluus suppressa, super no ventriculo probe officium suum præstante, his coxendicum morbus, aut renum dolor, aut vrinæ stillicidium fortassis cōtigerit. Quibus infernæ partes affliguntur, pruritibus antea fortibus obortis, his arenosa vrina fit, & supprimitur. Qui verò ex his pernicioſe habent, his mens obtorpescit. Qui circa articulos rubicundas in superficie pustulas habent, insuperque rigorem, hi circa ventrem & inguina rubefiunt, velut ex plagis dolorosis, & moriuntur. Morbo regio affecti, non ita subtili sensu præditi, quibus singultus sunt, his alui erumpunt. Fortassis autē & suppressio fit, hi viridanti pallore inficiuntur. Dolores iuxta latus, in febribus tenuiter cōsistentes, citra notas, venæ sectio læserit, siue cibum auersetur æger, siue prȩcordium sublime habuerit: & in perfrigeratione, non sine febre torpidos sanguinis detractio lędit: & putantes se melius habere, hi moriuntur. Caput & pedes, & manus perfrigerari, aluo & lateribus calidis, malum est. Optimum autem est, totum corpus similiter calidum ac molle esse. Conuerti autem conuenit facile ægrotum, & in attollendo se leuem esse. At grauitas totius corporis, & manuum ac pedum, male est. Si verò etiam ad grauitatem liuidi fiāt digiti ac vngues, mors propinqua est. Si verò penitus nigrescant, minus pernicioſi sunt liuidis. Verum etiam alia considerare oporte. Si enim facile fert morbum, & aliud quoddam ex bonis signis subinducat, morbus ad abscessum vertitur, & partes corporis nigrefactæ decidunt. Testes & pudenda reuulsa, malum significāt. Flatum sine strepitu ac crepitu prodire, optimum est. Melius autem est & cum strepitu exire, quā isthic reuolui, etiamsi tali modo progressus, dolorē, & desipientiam significet: si non volens homo vltro flatum ita emittat. Vlcus liuidum & siccum, aut cum virore pallidum, lethale est. Decubitus optimus est, velut quis sanus solitus fuit. At supinum iacere, cruribus extentis, bonum non est. Si verò etiam delabatur pronus ad pedes, deterius est. Lethale autem est & hiare, & dormire semper, & crura supinæ iacentis valde incuruata esse ac complicata. In ventrem autem decumbere, si quis non sit adsuetus, delyrium significat, & dolores circa ventrem. At pedes nudos habere & manus, si quis non vehementer calidus sit, & crura disiecte, malum est. Anxietatem enim significat. Cæterum erectum sedere velle, malum est in acutis, pessimum autem peripneumonicis ac pleuriticis. Dormire vero oportet noctu, interdiu vigilare. Contrarium autem, malum est. Minime verò lædi æger poterit, si dormiat mane ad tertiam diei partē. Verùm postea somni mali sunt. Pessimum autem est non dormire, neque die, neque nocte: aut enim præ dolore & afflictione vigilarit, aut ab hoc signo delirabit. Quibus tempora secantur, conuulsio ex cōtrarijs sectioni partibus oboritur. Quibus cerebrū concussum fuerit & doluerit, percussis, aut aliàs lapsis, hi statim voce priuantur, & neque vident, neque audiunt, & plerunq; moriuntur. Quibus cerebrum vulneratur, febris plerunq; ac bilis vomitus accedit, & corporis syderatio, atq; tales pernicioſe habēt. Ex ruptis capitis ossibus, & difficillima cognitu sunt ea, quę circa futuras rumpuntur. Rumpuntur autem maxime a grauibus ac rotundis telis, & ex his quę ex sub contrario afferuntur, & nō ex plano loco. At verò de quibus ambiguum est, ruptane sint an non, iudicare oportet, exhibito ad manducandum in vtranque maxillam asphodeli caule, aut ferula, ita vt animaduertere iubeas, an os aliquod ipsi strepere videatur. Nam fracta strepere videntur. Progressu verò tēporis fracta partim septima, partim decimaquarta, partim etiā aliter significationē præbēt. Nam & carnis ab osse dissessus fit, & os liuidum, & dolores sanie effluente. Hæc aūt ægrè iam auxilium admittūt. Quibus omentum excidit, necesse est putrefieri. Si intestinū quoddam ex gracilibus dissectum fuerit, non coalescit. Neruus dissectus, aut genæ tenuis pars, aut præputiū, non coalescit. Quodcunq ue os in corpore resectum fuerit, aut cartilago, nō augescit. Ex vulnere conuulsio accedens, mala est. Ex vulnere bilis vomitus accedens, malum: & maxime in capitis vulneribus. Nerui crassi si vulnerantur, plerunque claudi fiunt, & si obliqui vulnerantur, præsertim, & si musculorum capita, maxime in femoribus. Moriuntur maxime ex vulneribus, si quis cerebrum sauciatus fuerit, aut spinalem medullā, aut hepar, aut septum transuersum, aut cor, aut vesicā aut venā crassā. Moritur autē etiā, si in arteriam & pulmonem valde magnæ plagæ fiant, ita vt pulmone percusso, paucior spiritus per os procedat, quàm is est qui ex vulnere elabitur. Moriuntur autem qui in intestina vulnerati sunt, siue ex tenuibus aliquod, siue ex crassis vulneratum fuerit, si per transuersum fiat plaga, & magna: Si verò parua & recta, quidam euadunt. Minime verò moriuntur vulnerati in partibus corporis vbi hæc non sunt, aut ab his quàm longissime absunt. At verò visus obscuratur in vulneribus incussis supercilium, & paulo altius. Prout autem vulnus recentius est, maxime vident: cicatrice verò diutius tardante ac senescente, magis obscurari contingit. Fistulæ difficillimę sunt, quę in cartilaginosis & ex carnibus locis sunt, & cauæ sunt, & procedunt ac saniæ manant semper, & caruncula in osculo ipsis inest. Curatu autem faciliores sunt, quę in mollibus & carnosis & non neruosis existunt. Morbi hi ante pubertatem non fiunt, peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix circa tibiam, fluxus sanguineus, cancer non congenitus, vitiligo (leuce dicta) non à natura insita, defluxus medullæ spinalis, hæmorrhois, voluulus (chordapsus appellatus) nō cognatus. Horum morborum nullum ante pubertatem fore expectandum est. Verùm ab anno decimoquarto, vsque ad quadragesimum secundum, natura corporis morborum omnis generis ferax fit. Rursus ab hac ætate, vsque ad annos sexagiutatres, non fiunt strumæ, neque lapis in vesica, nisi prius existat, neque defluxus medullæ spinalis, neq; nephritis, nisi ex alia ætate comitentur, neque hæmorrhoides, neque fluxus sanguineus, nisi prius fuerit. Hi vsque ad senectutem absunt morbi. In mensibus muliebribus, qui aquosi ante partus prodeunt, mali sunt. Ora feruido aphthæ vlcere affecta, verum gestantibus, non sunt bona. Num & alui humectantur? Dolores ex laterum mollitudine, ad intestinum tenue transeuntes, in morbis longis, ex corruptione fœtus non valde purgata, pernicioſi sunt. Quæ ex partu ac fętus corruptione multa repente concitata, supprimuntur, difficilia

sunt.

sunt. Rigor his infestus est, & alui turbatio, tũ aliàs, tum si præcordium doleant. Vterùm gestantibus dolores capitis soporosi, cum grauitate oborti ac conuulsione, plerunque mali sunt. Quibus dolores pertinaces ex mensibus, circa supernam partem, & intestinum tenue, aluos humectant, aliquantũ cibos auersantur. His circa iudicationem delationes in somnũ fiunt, & impotentes ex capitis dolore exsudãt, ac perfrigerantur. Tales recidiuę pleriſq; cõtingentes post remissionem, cito occidunt. Spiritus qui cum suspirijs extra ferũtur, & colliquatio præter rationem, in vterum gestantibus abortũ facit. Dolor ventris post partum, in his purulenta purgat. Torpidæ, & præsertim in motibus, cum impotentia fractæ, circa iudicationem vexatæ, anxiosæ, multum exsudant. Alui his humectæ, malum. Menses non supprimi cõmodum est: ex talibus comitiales morbi fiunt, vt arbitror, quibusdam vero ventris subductiones diuturnę, quibusdam hæmorrhoides. Prægnantibus præcordij dolor, malum; & alui his subeuntes, malum; & insuper rigere, his malum. Dolor ventris in talibus, minus malum, si limosa purgentur. Quæ ex talibus facile pariunt, post partum vehementer molestantur. Prægnãtibus tabescentibus quibus rubor in facie fit, stillationes de naribus obortæ hunc auertunt. Quibus ex partu prodeunt alba, his vero suppressis cum febre surditas, & dolor acutus ad latus fit, mente mouentur, & pernicioſe habent. In gestantibus uterum salsuginosa, significant post partum molestias ex albis morbacibus. Tales purgationes indurant; singultus in his, malum. Ad pedes & ad lumbos distẽtiones ex mensibus, suppurationem inducunt, itemq; ea quæ de aluo viscosa graueolentia cum dolore prodeunt. Strãgulationes quoque ex præscriptis suppuration ẽ faciũt. Vterinæ in ventriculis duricies dolorosæ acutæ, pernicioſum. Vterum iam gestantibus ex feruido vlcere, fluxiones dolorosę, malum. Hęmorrhois his, peſſimum. Quibus aluo tumefacta, ad pudendũ rubor deuenit, mensibus albis humidis derepente progressis, in longis febribus moriuntur. Conuulsionis, si menses in principio apparuerint, febre non accedẽte, solutio fit. Vrinæ tenues cum aliquantula nubecula in medio consistente, rigorẽ significant. Si à quarta die sanguinis fluxus fiat, diuturnitatem significat, & aluus erumpit, & crurum tumores. Vterum gerentibus capitis dolores, soporosi, cum grauitate contingentes, mali sunt: fortassis autem his etiam conuulsorium quid pati contingit. Quæ ante partum, iuxta modum bilis sursum ac deorsum erumpentis, dolerunt, facile quidem pariunt, verùm si febricitent, maligne habent; tum aliàs, tum si circa fauces quid vexet, aut aliquod signum in febre malignũ appareat. Aquosa ante partus erumpentia, mala. Vterũ gestantibus salsuginosæ iuxta fauces fluxiones malum. Ante partum rigorem habere, & partus citra dolorem, periculosi. Vterum gerentibus ex feruido vlcere fluxiones, malum: conuulsæ, exolutæ, & postea perfrigeratæ excalescunt acutè. Sed & difficiles fiunt prægnantibus tumores circa tenue intestinũ, quales circa eminentias oſculi vteri fiunt, erectæ ceruicis spirationem indurentes. Num tales tumores gemellorũ parum significant? Num & conuulsionem tales tumores faciunt? Quæ suspiriosum efferũt spiritum in febribus, abortiunt. Horrorẽ habentibus, lassitudine affectis, capite grauatis, menses erumpunt. Ad manum torpidæ, obaridæ, sitis exortes, menses multos emittentes, suppuratæ fiunt. Alba derepentè ex abortu decurrentia, si aliquantum riguerit, & ad femur impetus, in his tremor difficilis est. Ora feruido, aphtha appellato, vlcere effectu, vterum gestantibus aluos humectant. Prægnantes præægrotantes ante partus insuper rigent. Torpefactoriæ exolutiones difficiles quidem ex partubus contingunt, & mentem emouentes, non tamen pernicioſæ. Sed & mensium copiam præsignificant. Quæ in partu os ventriculi prędoluere, paulò post eijciunt. Horrores, lassitudines, capitis grauitates, colli dolores, menses extrudunt. Circa iudicationem tale contigens cum tussicula rigorem insuper inducit. Quibus puellis erectæ ceruicis spiratio contingit vterum gestantibus, his mammæ suppurãtur, & menses apparere in principio, malum est. Insaniæ febres acutas turbulentas non bilioso os ventriculi dolenti soluunt. In sterilibus, & non parientibus, sanguinis vomitus ad conceptionem prodest. Caligines mensibus multis comparentibus soluuntur. Quibus mulieribus ex fobribes dolor mammarum fit, sputatio cruenta nõ feculẽta oborta, soluit dolores. Conuulsiones ex vtero affecto sine febre faciles sunt velut etiam Dorcadi. Quibus ex rigore febris lassatoria, menses decurrut: collũ in his doloroſum sanguinis eruptionẽ inducit.

4 Vomitus minimè molestus est ex pituita ac bile permixtus, verùm ne valde multus vomatur. At meraciores vomitiones deteriores sunt. Prasinus autem vomitus, & niger, & liuidus, malus est. Si verò etiam omnes colores idem vomuerit, pernicioſum est. Cælerrimam autem mortem significat liuidus, & male olens. Est etiam lethalis ruber vomitus, & maximè si cum necessitate doloroſa vomatur. Qui anxiè se iactantes, citra vomitum exacerbantur, male habent, itemque qui lancinantur citra vomitum. Parui vomitus bilioſi sunt, tum aliàs, tum si vigilauerint. In nigris vomitibus surditas non nocet. Pauci, celeres, bilioſi, meraci vomitus, mali sunt in alui subductione vberiore, & pertinaci lumborum dolore. Ex vomitibus anxietates, clangores, oculi concretionẽ lanuginosam habentes, furioſa. Acutè insania correpti, voce intercepta, ita affecti moriuntur. In vomitu si quis siticuloſus sit, & sitis exor fiat, malum est anxiosis vigilantibus. Abscessus iuxta aurem maximè fiunt anxiosis. Aluo turbata suppressa, breui velut culicum punctura erumpunt, & ad oculos lachrymoſus abscessus deuenit. In meracis vomitibus singultus, malus, mala etiam conuulsio. Similiter etiam in nimijs purgationibus ex medicamentis. Qui vomituri sunt, antea sputationes faciunt. Ex veratro conuulsio, pernicioſa. In omni purgatione redundante, frigiditas cum sudore, pernicioſa est: & qui insuper vomunt siticuloſi in his, malum. Anxioſi, lumbos dolentes, aluo humectantur. Purgationes valde rubicundorum, nigrorum, à veratro, malæ sunt; & cum talibus exolutio, mala. A ueratro vomere rubicunda, spumoſa, pauca, prodest; facit tamen duricias, & suppurationes magnas abducit. Sunt autem hi qui talia uomunt, aliàs & pectus doloroſi, & in rigoribus exudantes, & testes intumescunt; quod si contigerit, insuper rigent & gracilescunt. Frequentes per eadem recidiuæ vomitorię,

circa iudicationem nigrorum vomitum faciunt: fiũt item trèmulæ. Sudor optimus quidem est, qui febrem in die iudicatorio soluit: commodus autem est & qui leuat; frigidus verò, & circa caput solum ac collum contingens, malus est. Nam & temporis diuturnitatem, & periculum significat. At frigidus in febre quidem acuta, lethalis est: in mitiore vero diuturnitatem significat. Sudor vnà cũ febre in acuto morbo, malus est. Vrina in febre albam habens & leuem subsidentiam firmatam, celerem dimissionem significat. Celerem etiam ea quæ ex indiscreta, pinguedinem quandam habens, exaquescit. At subrubra, & subdentiam subrubram habens & leuem, si quidem ante septimũ diem prodeat, septima die liberat. Post septimum vero tardius, aut omnino post tempus aliquod diuturnius: Et quæ in quarto die nubeculam subrubram habet, septimo liberat, si reliqua iuxta rationem habeant. Cæterum tenuis & biliosa, & vix tenuem ac exiguam subsidentiã habens, & quæ ad melius, ac deterius mutatur, diuturna est. Hæc autẽ diutius consequens, aut temporis diuturnitate circa iudicationem trahente, periculo non vacat. Aquosa verò & alba perpetuò, in diuturnis morbis difficulter iudicat, & secura non est. Nubeculæ in vrinis albæ quidem & inferne, commodæ sunt: rubicundę verò, & nigræ, ac liuidæ, difficiles sunt. Periculosa vrina est biliosa, non subrubra, in acutis: & quæ crassiores farinæ partes refert, albas habens subsidentias: & quæ varia est colore ac subsidentia, & maximè in fluxionibus de capite. Periculosa est & quæ ex nigra in tenuem biliosam transmutatur: & quæ ex subsidentia diuellitur: & quæ ex compactis quibusdã innatantibus, subsidẽtiam habet subliuidam, limosam. Num ex talibus præcordium dolent? dextrum arbitror, aut etiam cum virore pallidi fiunt? & abscessus circa aurem dolentes? His paululum erumpens aluus, pernicioſa est. Vrinæ quæ derepentè citra rationem paulatim cõcoquũtur, malæ sunt; & in summa, quæ citra rationẽ matura est, in morbo acuto, mala est. Mala est etiam valde rubicunda ex his, florulentiam æruginosam cõtinens. Alba verò & diffusa pellucida vrina, mala est, maximè si in phreniticis comparet. Mala est quoq; quæ post potum cito mingitur & præsertim pleuriticis ac peripneumonicis. Mala est & quæ ante rigorem oleosa mingitur. Malæ sunt & in acutis viridãtis palloris, non existentes in colore. Pernicioſa est vrina nigram subsidentiam habẽs, & nigra. In pueris verò tenuis, magis quàm crassa: Verũ in tenuibus vice versa quam in crassis. Et grandinosa genituræ similis diffusa, eademque dolorosa. Pernicioſa etiam est omnis quæ latenter mingitur. At peripneumonicis pernicioſa est quæ in principio quidem cocta est, post quartum vero diem attenuatur. Pleuriticis vrina cruentia, caliginosa, cum subsidentia varia, indiscreta, lethalis est plerunq; in quatuordecim diebus. Lethalis est item in pleuriticis breui prasina, nigram subsidentiam habens, aut furfuraceam. Verum in febre ardenti stupefactorio modo detentis, pessima est vrina valde alba. Vrina cruda multo tempore manens, alijs signis salutaribus, abscessum & dolorem significat, & magis in partibus sub septo transuerso. Si verò dolores in lumbis oberrarint, ad coxã, & in febre, & sine febre. At quæ emittitur vrina pinguedinem habens in subsidentia, febrem significat: Cruenta verò in principio micta, diuturnam: turbata, cum sudore, recidiuam: Alba velut iumentorum, capitis dolorem: pelliculosa, conuulsionem. Quæ iputo similes subsidentias, aut limosas habet, rigorem indicat: Quæ aranei telis similes, colliquationem. At in febribus erroneis nigrę nubeculæ quartanam indicant. Decolores autem, nigra innatantia in medio habentes, cum vigilijs & turbatione, phrenitidem: puluerulentæ cum spirandi difficultate, aquã inter cutem. Vrina aquosa aut turbata friabili asperitate, aluum liquidam fore significat. Verum tenuis valde vrina si densa fiat, num sudorem futurum indicat? iam vero factum, spumosa in seipsam considens. In tertianis cum horrore velut nubeculæ nigræ, horroris inconstantis indicia sunt. Et pelliculosæ vrinæ, & cum horrore subsidentes, conuulsoriæ sunt. Vrina bonam habens subsidentiam, derepentè nõ habens, dolorem & mutationem significant: At subsidẽtiam habens turbata desinens, rigorem circa iudicationem; Fortassis autem & in tertianam aut quartanam transitionem. In pleuriticis vrina subrubram habens leuem subsidentiam, securam iudicationem significat: Cum leui virore ac pallore florulenta, albam subsidentiam habens, etiã celerem: At rubicunda valde & florulenta, subsidentiam cum virore pallidam, leuem, sinceram habens, diuturnum valde turbulentum morbum qui in aliũ transmutatur, non tamen pernicioſum. Alba verò aquosa, subsidentiam crassas farinæ partes referentẽ, suluam habens, dolorem & periculum significat: & quæ cum virore pallida est, suluam, crassas farinę partes referentem subsidentiam habens, tempus & periculum significat. Vrinæ quæ in his qui iuxta aures abscessus habent, cito & modicè concoquuntur, malæ sunt: & perfrigerari hoc modo, malum est. Vesica intercepta tum aliàs, tum cum capitis dolore, habet quid conuulsorium. Quæ in his cum torpore exoluuntur, difficilia sunt, non tamen pernicioſa. Nũ & aliquantum mente mouentur? Renum dolor repentinus, cum vrinæ suppressione, calculorũ aut vrinarum crassarum mictionem significat. Tremores senioribus in febre fiunt, atque sic comparentes, fortassis calculos per vrinam ægris eijciunt. Vrinæ suppressio, & grauitas in imo ventre, plerunque stillicidium vrinæ significat futurum: Sin minus, aliũ morbum ex quo ægrotare solet. In biliosis vrinæ interceptio, breui occidit. Vrina in febre densitatem habẽs diuulsam, recidiuam aut sudorem significat. In febribus longis, tenuibus, erroneis, vrinarum tenuiũ mictiones, splenicæ sunt. In febre aliàs aliarum vrinarũ mictiones, morbum producunt. Vrinæ quæ mingũtur à non recordantibus nec commonefactis, pernicioſæ sunt. Num his minguntur velut si subsidentiã conturbasses? Quibus vrinæ paucæ, grumosæ, non sine febre, copia ex his progressa tenuis prodest. Prodit aũt talibus ab initio, aut breui subsidentiã habet. Quibus vrinæ cito subsidentiã habẽt, hi cito iudicãtur. Comitiali morbo laborantibus vrinæ tenues & crudæ, præter morẽ, sine repletione, morbi inuasionẽ significant, tum aliàs, tum si quis dolor, aut cõuulsio in summũ humerum, aut collũ, aut dorsum incidat, aut torpor corporis fiat, aut turbulentũ insomniũ vi derit. Parua cõparere, veluti sanguinis stillas, & vrinã, & vomitũ, & alui egestiones, penitus quidẽ malũ

est.

est. Pessimum verò si propinquè inter se prodeant. Alui egestio optima est mollis, cohærens ac compacta, subfulua, non valde graueolens, prodiens hora consueta, copia pro ratione ciborum ingestorum. Spissum autem fiat ad iudicationem. Commodum est & lumbricos rotundos exire simul, vbi ad iudicationem tendit. In acutis spumosa, circumbilios alui egestio, mala est. Mala item valde alba. Adhuc verò peior est quę farinæ ac sterquilinij speciem refert. So por in his malus est, & cruenta egestio, & vasorũ vacuatio præter rationem. Alui interceptio parua nigra, velut caprarum stercora, ad necessitatem coacta emittens, nasus his erumpens, malum. Viscosa meraca, aut alba alui egestio, mala est. Mala est & abunde multum fermẽtata, subpituitosa. Praua item ex compactis quibusdam innatantibus, subsidẽtia subliuida, purulenta, cum bilios. Sanguinem splendidum egerere, malum est, tum aliàs, tum si quis dolor affuerit. Spumosa, circumbilios alui egestio, mala est. Sed & morbum regium ex talibus incurrunt. In biliosis alui egestionis spumosa florulentia, mala est, maximè ei cui lumbi doluerint, & mente motus fuerit. Num autem his dolores? Tenuis spumosa alui egestio, aquosam cum virore pallidam habens subsidentiam, mala est. Mala etiam purulenta: & nigra cruenta, mala, cum febre, & aliàs: & varia, abunde bile colorata egestio, mala est, tantoque deterior quantũ colore magis horrenda est, præterquam in medicamentorum vsu. In hoc enim periculo vacat, si non copia excedat: & tenuis, mollis egestio, in febre mala est. Mala quoq; sicca friabilis, decolor, tũ aliàs, tũ si aluũ humectet. Nigris verò antea egressis occidit. Liquida alui egestio, & aceruatim, & paulatim cõtingens, mala est: altera enim vigilias, altera exolutionem facere poterit. Liquida subtenuis alui egestio perfrigescens, non sine febre, mala est. Rigores in his vesicam & ventrem corripiunt. Aquosa verò valde nõ desinens in acutis, mala: & magis si etiam sitim non habuerit. Valde rubicunda egestio in alui profluuio, mala est. Mala quoque valde cum virore pallida, aut alba, aut spumosa, aut aquosa: & parua, & viscosa, & leuis, & cum virore subpallida, mala est. Et soporosis torpefactis liquida egestio, pessima est. Lethale autem & aluum sanguine manare, multa grumosa egestione, itemque alba ac liquida, cum ventre in tumorem eleuato. Egestio alui nigra velut sãguis, & cum febre, & sine febre, mala est. Malæ item omnes variæ, abunde ex bile coloratæ. Egestiones desinentes in spumosas meracas, omnes quidem exacerbant, conuulsos autem etiã valde. Ex talibus absessus iuxta aurem emergunt. At quæ valde liquidæ fiunt, & rursus cõpactæ, meracæ, stercoraceæ egestiones, longitudinem morbi significant: Valde rubicunda, in febre, delyrium. Alba stercoracea morbo regio difficilis est, itemq; liquida quæ sepositа ruborem capit. In sanguinis eruptionibus viscosa egestio nigris variegata, maligna est, maximè autem valde albidis. Valde alba egestio in febre, non bene iudicat. Aluus turbulenta paruis frequentibus ad egerendum progressibus, maxillas intendit. Soluit etiam rubores in facie obortos. Stercoracea cum contentione egestio, alui afflictionem significat: Pituitosa verò acutè cum oris ventriculi dolore, dysenteriam: fortassis autem & lumborum dolorem. Talibus alui circumtensio ad necessitatem liquida demittens, citius restitans, habet quid conuulsorium: Insuper rigere his pernicios est. Quibus nigra per aluum prodeunt, frigidum sudorem excludunt. Quibus aluus ab initio turbatur, vrinæ verò paucæ sunt, & progressu temporis aluus quidem siccatur, vrina vero tenuis redũdat, his absessus ad articulos fiunt. Progressus ad egerendum paulatim contingentes, horrorem ac rigorem inducunt: & quibus larga fit egestio, difficillimum est quartanis incipientibus. Frequentes ad egerendum progressus paulatim contingentes, pauca stercoracea subuiscosa habentes, cum præcordij & lateris dolore, morbum regium denotant. Num his suppressis hi cum virore pallidi fiunt? Arbitror autem & hoc sanguinem effundere. At dolores in lumbis, in his sanguinem fundentibus, sanguinem egerunt splendidum. Cum sopore, & capitis dolore, calescere insuper, pernicios est. Viscosæ, biliosæ, magis absessus iuxta aurem faciunt. Quicunque tumores aluo humecta eleuantur, cum doloribus, malum: Aluo vero suppressa, & nulla alia re nouata, cito rumpuntur, & malignius est. Vomitiones in his, malæ & ferinæ. Quibus & flammeis & valde rubicundis solutis, graueolens, larga, subrubra fit, hi ne insaniant timor est. Corpus squallidum aluum malè affectam significat: in his valde rubicundæ, instar purulentæ carunculæ, egestiones maximè prodeunt. Ad aluum biliosam mollem stercoracea egerentem, ardores comparentes tumorem iuxta aurem faciũt. Biliosas egestiones surditas sedat, & surditatem sedat biliosa alui egestio. Pustulæ serpiginosæ supra inguina, ad laterum mollitudinem ac pubem oboriẽtes, aluum malè affectam significant. Exolutio dolorem soluens, aluum maximè humectat. Iuxta sedem dolorosæ suppurationes aluum turbant. Lethales egestiones sunt, pinguis, nigra, liuida cum graueolẽtia, & biliosa, habens in se simile quiddam ciceri aut fabis fresis, aut veluti floridos sanguinis grumos, & quæ odore simili est egestioni infantium, & varia eademque diuturna. Talis autem fuerit cruenta, ramentosa, biliosa, nigra, prasina, & simul, & permutatis vicibus. Lethalis quoque omnis est quæ sensum ægri fugiens exit. Qui potum difficulter deglutiunt spiritu tussiente, eructatio subtracta intrò reuoluta dolorem ventris significat. Malæ sunt etiã egestiones valde rubræ æruginosæ in quartanis. Et tales sanguinis fluxiones soporosę sunt; ex his conuulsione moriuntur, nigris antea egressis. Exolutiones alui repentinæ prẽter rationem, in diuturnitate temporis consumptis, vnà cum vocis tremula interceptione, pernicios habent. Tenues nigrorum egestiones horrificę, meliores talibus sunt. Tales prosunt maximè in ætate ante vigorem. Pruriginosæ affectiones omnibus nigrorum egestionem significãt, & vomitum grumosum. Et tremulę affectiones cum morsu ac capitis dolore, nigras egestiones significãt. Ante tales, vomitus prodit: & vbi vomuerunt, multæ tales insuper detrahuntur. Quibus in alui turbatione exacerbatur morbus, circa iudicationem nigra inferne prodeunt. Ex aluo diutinè affecta, vomentibus, biliosis, cibum fastidiẽtibus, sudor multus cum impotentia repentina, occidit. In medicamentorum vsu, in defluxione, tenuis abundè sanguis eliquescens, malum est. Duricies circa ventrem cum

dolore, in febribus cum horrore cibos auersantibus, aluo parum ad purgationē humectata, non suppuran tur. Vna cum febre aluus turbata salsuginoso modo. soporosos, torpidos non valde comitatur. Ex aluo liquida lassatos, caput dolentes, siticulosos, vigilantes, valde rubicunda egestione solutos, timor est ad insaniam deuenturos esse, si difficulter spirauerint. Ad hoc vbi quis cū virore pallescit, bene spirare noxium non est aluo intuper probè egerente. Adustæ egestiones contentionē habentes, aluum malè affectā significāt. Bilioſis aluus turbata, parua, frequenter egerens distendentia cū paucis mucosis, dolorem circa tenue intestinum hæc faciunt, & vrinā non facile prodeun tem, ex talibus ad hydropem desinunt. Linguę tremu læ quibusdā alui eruptionis futuræ signū sunt. Quibus ardor fit, & ad egressas egestiones alui, insuper exsudant, his febris exacerbatur. Ex aluis liquidis perfrigeratio cum sudore, mala. Ex aluis liquidis, sanguis de gingiuis defluens, lethalis est. Alui egestio pura superueniens, soluit febrem acutam cum sudore.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Capitis vulneribus.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Capitis leuissima etiam vulnera non contemnenda. Capitis cutis contusa. Caluaria & cerebri membrana rupta.*
2 *In capite vulneratis, quid medicus interrogare debeat. Capita humana dissimilia. Capitis prominentia quid. Suturæ quando similes T in capite. Prominentia ex vtraque capitis parte duplex. Quæ futuræ H literæ respondeant. Quibus futuræ X similes sint. De duritia, & mollitia ac cauitate ossis capitis.*
3 *Capitis iuxta medium, os duplex. Ossis vtriusque color. Lamina duplicata. Capitis os spongiæ simile. Venulæ in capitis osse tenuiores.*
4 *De crassitudine, & tenuitate ossis capitis. Os circa sinciput. Cur ex vulneribus sincipitis cerebrum citissime, & maxime mala sentiat.*
5 *Os temporum, ex reliquis cur debilissimum. Os verticis omnium robustissimum. Capitis posteriorem parte vulnerati, cur serius moriantur.*
6 *Capite vulnerati hyeme, diutius viuunt. Sedes telorum ipsæ in seipsis sientes. Sutura osse denudato, in vlcere comparens.*
7 *Os capitis quot modis vulneretur. Consiones capitis vulnera consequuntur. Fissurarum species omnigenæ. Os sine fissura contusum.*
8 *Contusionis species plures. Os intrò cedens.*
9 *Teli sedes in osse. Sedes teli in osse quid sit.*
10 *Alia parte capitis vulnerati, vlcus, et os carne denudatum habentes. Teli sedes in osse cum fissura, ac contusione. Os ex sua natura intrò cedens. Sedes, & dissectio, idem.*
11 *Capillorum circa vlcus consideratio. Osse conspicuo quid agendum, & interrogandum.*
12 *Osse non conspicuo quomodo interrogandi. Contusiones & fissuræ in osse ex vulnerati responsione cognoscendæ. Spicillum contusiones, & fissuras non explorat.*
13 *Ossium rupturæ variæ.*
14 *Quæ ossa à quibus telis potissimum rumpantur, ac lædantur, & quæ non.*
15 *Tela obliqua, Rotunda, Oblonga, Multum tenuia, Acuta, leuia.*
16 *Vulnerati de omnibus apparentibus interrogandi. Sauciatorum magis, aut minus signa. Telorum sedes in futuris cognitu difficilis.*
17 *Ruptio in futuris deprehensu difficilior: & cur hac parte ossa promptius rumpantur. Ruptio circa futuram etiam futuræ dissolutio est. Fissuræ, ex contusione deprehēsu difficiles. In vulneribus iuxta futuras quid considerandum.*
18 *De vlceris in capite curatione. Partiū in capite affectarum inflammatio. Quatenus in frontis vlceribus cataplasmatis vtendum.*
19 *Capitis vlcera qua parte secanda.*
20 *Vlcera temporum non secanda. Quæ post vlcerum sectionē adhiberi conueniat.*
21 *Rasio. Perforatio quo tempore tentanda. Ossis rupti, aut contusi curatio.*
22 *Ossium rupturæ quomodo medicamento nigro explorentur.*
23 *Caro os ambiens negligenter curata. Carnes vulneratas sup puratas fieri, ac consumi oportet.*
24 *Membranæ circa cerebrum curatio. Ossis vnius ab altero discessio.*
25 *Ossium intro compulsorum, ac dissectorum curatio.*
26 *Ossa puerorum capitis tenuiora, ac molliora. Ossis carne denudati curatio. Morituorum ex capitis vulneribus signa.*
27 *Ossis rupturæ neglectæ mala. Pustulæ in lingua capite vulneratis. Cōuulsio ex vlcere capitis. Syderati ex capitis vlcere.*
28 *Febre inuadente ex capitis vlcere, quid faciendum. Tumor rubicundus, capitis osse denudato.*
29 *De capitis ossium perforationibus, ac terebrationis vsu. Ossa suppurata facilius perforari.*

1 NVllum capitis vulnus leuiter contemni debet: sæpe enim cutis sola contusa ferro, aut alia aliqua re, si non diligenter, & cum quadam cautione curetur; veluti si sanguis concretus non expurgetur, aut aliud quiddam negligatur; vlcus incrudescens non parum molestiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit: & medico quidem negotia, ægroto verò periculum non minus affert. Verùm hoc multò magis contingit, si caluaria, & cerebri membranæ rumpuntur. Quare, si non singula hæc diligenter medicus curauerit; sæpe mortis causa existit. Et de his quidem omnibus ēt albi diximus, sed & nunc dicendum est.

2 Primùm igitur capite vulnerato interrogare oportet,

tet,per quid vulneratum sit: deinde quid homo fecerit,quũ vulneratus fuit. Postea qua parte vulnus infli ctum sit: nam hominum capita nihil inter se similiter habent, neque suturæ capitis in omnibus eodem loco consistunt. Verùm quisquis ex priore capitis parte prominentiam habet: (est autem prominentia, rotunda ossis pars eminens præ alia:) huius suturæ consistunt in capite,velut litera Græca tau T pingui tur: breuiorem enim lineam ad prominentiam trãsuersam constitutam habet: alteram verò lineam per medium caput, sed secundum longitudinem ad collũ semper habet. Qui verò ex posteriore capitis parte prominentiam habet,huius suturæ etiam cõtrario priori modo consistunt: breuior.n.linea ad prominentiam transuersa consistit: longior aũt per mediũ caput, secundum longitudinem ad frontem semper constituta est. Quisquis autem ex vtraq; capitis parte, & anteriore, & posteriore, prominentiam habet: huic suturæ sunt similiter cõstitutæ,velut litera Græca Π scribitur. Consistunt autem longæ quidem lineæ ad vtranq; prominentiam transuersæ. Breuis autem per medium caput, secundum longitudinem ad vtranq; longam lineam desinens. At qui neutra parte vllam prominentiam habet, hic suturas habet velut litera Græca ⋈ pingitur. Consistunt autem hæ lineæ,altera quidem transuersa ad tẽpora pertingens, altera verò secũdum lõgitudinem, per medium caput.

3 Duplex autem est os iuxta medium caput: durissima verò, ac densissima suprema ipsius pars existit, & infima,quæ est ad membranam. Consimilis est color ossis sub carne: consimilis est color ossis inferne. Secedit autem à supremo, ac infimo osse à durissimis, ac densissimis ad mollius, ac minus densum, & communius,ad duplicatam laminam. Est autem duplicata lamina cauissima, ac molliissima, & maximè antrosa. Est aũt & totum os capitis,excepta valde modica suprema,ac infima parte,spongiæ simile: & habet os in seipso caruncũlas similes multas humidas:&,si qs ipsas digitis cõterat; sanguis vtiq; ex ipsis prodierit. Sunt etiam in osse venulæ tenuiores,ac cauiores,sanguine plenæ. Quòd igitur ad duritiam,& molliciem, & cauitatem attinet, sic habet: quòd verò ad crassitudinem,ac tenuitatem, hoc modo.

4 Vniuersi capitis os tenuissimum est, ac debilissimum, quod est circa sinciput: & carnem pauciss imam,ac tenuissimam hac parte os in seipso habet: & cerebrum hac capitis parte plurimum subest. Et,quia hæc ita se habent, vt & vulnera, & tela æqualia sint magnitudine,& minora: & similiter vulneratus quis sit, & minus; os hac capitis parte, & magis contunditur,& rumpitur,& magis intrò contusum cedit:& lethaliora,ac ad curandum,& effugiendam mortem, difficiliora sunt vulnera hac parte, quàm alibi in capite: & vt sint æqualia vulnera, & similiter vulneratus quid sit, & minus: homo vbi etiam aliàs ex vulnere moriturus est; breuiore tempore moritur, qui hac parte capitis vulnus habet, quàm qui alia: cerebrum enim & citissimè,& maximè iuxta sinciput sentit mala,quæ & in carne,& in osse fiunt:sub tenuissimo enim osse, ac modica carne cerebrum est hac parte:& plurimum cerebrum sub sincipite iacet.

5 Cæterùm ex reliquis ossibus id, quod circa tempora est,debilissimum est:commissura enim est infernæ maxillæ ad caluariam, & motus in temporibus sursum,ac deorsum,velut articuli: & auditus prope ipsum est: & vena per tẽpora extenta est caua, ac fortis. Omni verò capitis osse robustius est os verticis: & quod est retro aures, robustius est, quàm totum, quod in anteriore parte est: & carnem ampliorẽ, ac profundiorem in seipso hoc os habet. Et sanè his ita se habẽtibus,si quis & vulneribus,& telis, omnibus æqualibus,ac similibus,& maioribus, ac minoribus similiter fit vulneratus, & magis; hac capitis parte os minus rumpitur,& contunditur: &, si homo aliàs moriturus est ex vulnere,si in posteriore capitis parte vulnus habet, diutiore durãs tempore morietur: in longiore enim tẽpore os suppuratur, & deorsum ad cerebrum transpuratur propter ossis crassitudinẽ: & paucius etiam cerebrum hac parte subest: & plures mortem effugiunt plerunq; ex his,qui posteriore capitis parte vulnerati sunt,quàm qui anteriore.

6 Sed & in hyeme diutiore tempore viuit homo, quàm æstate, quisquis etiam aliàs moriturus est ex vulnere,quacunque capitis parte vulnus habeat. At verò sedes telorum acutorum,ac leuiorũ,ipsæ in seipsis contingentes in osse,& cum fissura,& contusione,ac intrò cessione: (fiunt autem hæ similiter & in anteriore,& in posteriore capitis parte:) ex his mors non contingit secundum iustitiam: etiam si contingat. Sutura verò in vlcere si compareat,osse denudato, quacunque capitis parte vlcere oborto, debilissimus æger est ad resistendum vulneri,ac telo;si in ipsam futuram telum incubuerit;& maximè omnium si telum in sincipite, iuxta debilissimam capitis partem incussum fuerit, & suturæ circa vlcus,si ita contingat,fuerint,& telum ipsas futuras contigerit.

7 Vulneratur porrò os in capite tot modis. Singulorum autem modorũ plures species fracturæ in vulnere fiunt. Os vulneratũ rumpitur, & ossi fissurã continenti, ac ambienti necesse est contusionem accedere;si ruptum fuerit: nam telum,quod os rumpit,idẽ hoc etiã os aut magis, aut minus contundit, ipsum videlicet os,in quo fissuram rumpit. Atque hic vnus modus est. Species autem fissurarum omnigenæ fiunt: nam & tenuiores, & valde tenues conspicuæ fiunt. Quædam verò neq; statim post vulnerationẽ, neq; in diebus,in quibus dolorum vtilitas mors homini contingere potest. Rursus autem aliquæ fissuræ crassiores,ac ampliores fiunt:quædam verò etiã valde amplæ. Et aliæ quidem in longiorẽ modum rumpuntur, aliæ verò in breuiorẽ:& aliæ rectiores sunt, aliæ etiam valde rectæ: aliæ verò curuiores, & curuæ,ac profundiores: aliæ autẽ ad infernam partem, & per totum os. Poterit autem & os in sua ipsius natura contundi,ita vt nulla fissura ad cõtusionem ossi accedat. Atque hic secundus modus est.

8 Species aũt cõtusionis plures sunt: nam & magis, & minus contunditur, & altius,ac per totũ os,& minus in altum,ac per totum os, & in ampliorẽ, & minorem tum longitudinẽ,tum latitudinem. Verũ harum specierum nullam oculis intuẽti cognoscere datur,qualisnam specie existat, & quãta magnitudine; neq; enim etiam si sint cõtusa, & malum factum sit: an contusa sint, oculis videre conspicuum fit, statim post vulnerationem: quemadmodum neque aliquæ fissuræ videri possunt, quæ ruptu osse procul absunt. Intrò etiam cedit os ex natura sua vnà cum fissuris:aliàs enim non intrò cesserit:nam quod intrò

cedit,abrumpiturque,ac frãgitur,intrò cedit ab alio osse,quod in sua ipsius natura manet,& sic sanè fissura adest intrò cessioni. Atque hic tertius modus est. Intrò autem cedit os per multas species: nã & maior ossis pars, & minor intrò cedit; & magis, ac profundius deorsum, & minus,ac magis in superficie.

9 Quin & sede teli in osse contingente,fissura vtiq; ad sedem accesserit, & ad fissuram etiam contusionẽ magis, aut minus accedere necesse est; si quidem & fissura accedat ea parte, qua & sedes facta est: & fissura fit in osse continente,& sedem,& contusionem. Atque hic quartus modus est, in quo sedes teli fit in osse. Sedes autem vocatur; quum manente osse in sua ipsius natura,telum,quod in os incubuit,manifestum fecerit,vbi incubuit. Verùm in singulis modis plures species fiunt. Et de contusione quidem,ac fissura, si ambo hæc ad sedem accedant, & si contusio sola fiat;iam dictum est,quòd multæ species & contusionis,& fissuræ fiunt. Hæc autem sedes ipsa in seipsa longior, ac breuior fit, & curuior,ac rectior, & orbiculatior; & multæ aliæ species talis modi sunt, prout etiam figura teli fuerit,& eędem etiã profundiores deorsum,& magis, & minus, & angustiores, & ampliores,& valde amplæ; si dissectione intercisa fuerit. Quanta autem dissectio in longitudinem, ac latitudinem fiat,in osse sedes est;si alia ossa dissectionem ambientia in sua ipsorum natura manserint, & non vnà cum dissectione intrò cesserint ex sua natura: nam si ita contingat,intrò cessio fuerit,& nõ amplius ossis sedes.

10 Si verò alia capitis parte vulneratur, & vlcus habet homo,& os carne denudatũ est;quintus hic modus est: & hanc calamitatẽ, vbi facta est;nulla re iuuare queas; nam, si passus est hoc malum; non est, quod ex ipso exquirere possis, an passus sit hoc malum,neque qua capitis parte; & ex his fracturæ modis ad perforationem deuenit,tum si contusio ad visum inconspicua est, tum si aliquo modo manifesta fuerit; si fissura si inconspicua visui fuerit, & ad visum manifesta.Sed,& si sede teli in osse cõtingente, fissura, ac contusio ad sedem accedat: & si contusio sola accedat ad sedẽ,absq; fissura;hæc quoque ad perforationem deuenit. At vero os,quod ex sua natura intrò cessit,parum perforatione opus habet; & quæ maximè intrò cesserũt,& maximè fracta sunt,& perforatione minimè opus habent. Neque sedes ipsa in seipsa contingens absq; fissura, ac contusione,perforatione indiget: neq; dissectio ipsa;si magna,ac ampla fuerit; dissectio enim, & sedes idem sunt.

11 Cæterùm primùm expectare oportet in vulnerato,qua capitis parte, & num in debilioribus, vulnus habeat: & capillos considerare circa vlcus, an dissecti sint à telo, & an intus sint in vulnere:quòd si est; periculum est os carne nudũ esse. Itaq; dicere oportet,os aliquam læsionem à telo habere,Atq; hæc longe prius considerasse, ac dixisse oportet, ante aquam hominem contingas. Vbi verò iam contigeris; clare nosse conari,an nudũ carne os sit, aut non, & si quidem oculis conspicuũ fuerit os nudum; bene habet; sin minus;spicillo considerato: &,si quidem inueneris os carne nudum esse, & nõ sanum à vulnere: eius quod in osse est dinotionem primũ facere oportet, inspiciendo, & quantũ sit malum,& quo opere opus habeat. Oportet etiam vulneratum interrogare, vt passus sit, & quo modo.

12 Si verò non conspicuũ fuerit os; multo adhuc magis interrogationẽ facere oportet,an habeat quid mali,aut non habeat:&,si nudũ est os;vt factũ sit, & iuxta quem modum; nam contusiones, & fissuras in osse non apparentes, & tamen præsentes, ex vulnerati responsione cognoscere primùm conari oportet, an tale quid passum sit os,aut non passum:deinde ratione, & opere exquirere, citra spicilli admotionẽ: spicilli enim admotio non indicat, an tale quid mali os passum sit,& an habeat quid in seipso,aut nõ passum sit. Sed sedem teli indicat spicillum, & an intrò cesserit os ex natura sua,& an vehementer fractum sit os:quę etiam oculis conspicua videnti cognoscere datur.

13 Rumpitur autem os & obscuris fissuris, & manifestis:& contunditur obscuris contusionibus; & intrò ex sua natura maxime cedit; quum alter ab altero sauciatur, de industria sauciare volens: aut quum ex altiore loco fit iactus,aut plagæ ictus,vter tandem fuerit, magis, quàm ex plano loco; & si contineat manu telum, siue iaciat, siue percutiat; & si fortior debiliorem vulnerat. Ex his verò,qui cadentes vulnerantur ad os, aut in ipsum os, is, qui ex altissimo loco cadit,& in durissimum,ac obtusissimum; huic periculum est,vt os & rumpatur,& contundatur,& intro cedat ex sua natura. Ei verò,qui ex plano magis loco cadit, & in molliore, os minus hæc patitur, aut etiam non patitur.

14 Quæcunq; verò illabentia in caput tela,ad os vulnerant, ex his id, quod ex altissimo loco illapsum est, & minime ex plano, & quod durissimum, ac obtusissimũ,& grauissimum,ac minime leue est,& quod minime acutum, ac molle; hoc & ruperit os,& contunderit:& maxime sanè periculum est,vt os hæc patiatur;quum & hæc fiãt,& è directo aduersus telum, os sauciari contingat,siue ex manu percutiatur, siue iactum suscipiat,siue quid ipsi incidat,siue ipse collapsus saucietur, ita vt quomodocunque sauciatus, osse aduersus telum occurrat.

15 Quæ verò tela ex obliquo os sauciant,minus & os rumpunt,& intro ad caput contundunt;etiam si carne fuerit os denudatum:nam quędam vulnera ita inflicta,neq; denudant os carne. Profecto ex telis maxime os rumpunt,& manifestis,& obscuris fissuris,& contundunt,& ex natura sua os intro cedere faciunt, quæ sunt rotunda,& orbiculata,& vndiquaq; plana, & obtusa,& grauia, & dura: & carnem hæc contundunt,& maturã faciunt,ac concidunt; & vlcera fiũt à talibus telis in obliquum. Sed & in circulum,subcaua,& suppurata magis fiunt, ac humida sunt, & diutiore tẽpore purgantur. Necesse est enim carnes contusas,ac concisas pus fieri,ac consumi. At tela oblonga,multũ tenuia,& acuta,& leuia,carnem magis dissecant,quàm contundant,& os eodem modo. Et sedem quidem inducit id ipsum, quod etiam dissecauit; dissectio enim & sedes idem sunt. Verùm non valde os contundunt talia tela, neque rumpunt, neque ex natura sua intrò cedere faciunt.

16 Cæterùm oportet supra conspectum tuum, quicquid tandem apparuerit in osse, etiã de omnibus his interrogationem facere:nam magis,& minus sauciati signa hæc sunt,si vulneratus soporem altiorem inciderit,& caligo offusa fuerit,& vertigo,& si ceciderit. Quum autem os carne denudatum à telo fuerit,

& circa ipsas futuras vlcus fieri contigerit; difficile est sedem teli deprehendere, quæ in alio osse manifesta est, an insit in osse, aut non insit, & an sedes facta sit in ipsis futuris; occultat enim ipsa futura, asperior existens reliquo osse, & non satis clarum est, vbi in ipso futura est, & vbi ossis sedes; si non valde magna sedes fiat. Accedit etiã ruptio ad sedem, plerunq; & ipsa in futuris contingens, & fit etiam hęc ruptio rupto osse deprehensu difficilior; eo quod circa ipsam futuram ruptio fit, si rumpitur, vt plurimum: procliue. n. est hac parte os rumpi, ac dissolui propter ossis hac parte debilitatẽ, ac raritatem, & propterea quod parata sit futura, vt rumpatur, ac dissoluatur: nam reliqua ossa futuram ambientia ruptionis exortia manere possunt, eo quod robustiora sunt, quam futura.

17 Verùm ruptio circa futuram facta, etiã dissolutio futuræ est, & non facile est deprehendere, neque si à teli sede fiat in futura, vbi rupta fuerit, ac dissoluta. Verùm difficilius est deprehendere fissuram ex contusione; fallunt enim & mentem, & visum medici hæ futuræ, fissuræ speciem referentes, & reliquo osse asperiores existentes; nisi vehementer dissectæ fuerint, ac dissolutæ. Dissectio autem & sedes idẽ sunt. Proinde si circa futuras vulnus factũ fuerit, & ad os telum incubuerit; animadversionem habere oportet, ac inuenire, quos os passum sit: nam ab æqualibus magnitudine telis, & similibus, ac multo minoribus & similiter & multo minus vulneratus, longe magis malũ accipit, qui in osse in futuras id recepit. Et pleraq; horum perforare oportet. Verùm ipsas futuras perforare non oportet; sed secedendo in propinquo osse perforationem facere, si perfores.

18 Porrò de curatione vulnerũ in capite, & quo modo deprehendere oportet affectiones in capite obortas non manifestas, ita mihi videtur. Vlcus in capite nullo humore humectare conuenit, ac ne vino quidem: neq; cataplasmate integere, neq; linamento curationem facere. Neque verò comprimere oportet vlcus in capite; si non in fronte fuerit, aut in loco pilis nudato, aut circa supercilium, & oculum: hic. n. facta vlcera, cataplasmatis, ac deligatione magis opus habent quam in alijs capitis partibus. Continet, ac ambit reliquum caput totam frontem: partes autem vlcus ambientes, in quacunque tandem parte vlcera fuerint, inflamantur, ac intumescunt propter sanguinis influxionem. Oportet autem neque ea, quæ in fronte sunt vlcera, per omne tempus cataplasmatis integere, ac deligare, sed, postquam inflammatio sedata est, & tumor sedatus; à cataplasmatis, ac deligatione cessare. At in reliquo capite vlcus, neque linamentis, neq; cataplasmatis, neq; deligatione curare oportet, si non & sectione opus habeat.

19 Secare autem oportet vlceribus in capite, ac fronte factis, qua parte os carne nudum fuerit, & læsionẽ aliquam ex telo habere visum fuerit. Vlcera verò, quæ non habent sufficientem magnitudinem, longitudinis, ac latitudinis, ad ossis inspectionem, an quid mali passum sit à telo, & quale id passum sit, & quantum caro contusa est, & quantam os lęsionem habet; & rursus an illęsum sit os à telo, & nihil mali passum sit: & ad curationem, qualinam opus habet vlcus, & caro, & ossis affectio; talia sanè vlcera sectione opus habent. Si verò etiam os quidem carne fuerit denudatum, subcaua verò fuerint vlcera in obliquum; caruitatem quàmplurimum resecare oportet, vbi non facile est medicamento quocunque peruenire. Sed & orbiculatiora vlcera, ac plurimum subcaua, etiam ipsa resecare oportet, circulo diuisim inciso secundum longitudinem pro hominis natura, vt longius fiat vlcus.

20 At verò in capitis sectione, reliquæ quidem capitis partes securitatem habent dum secantur. Verùm tempora, & adhuc supra tempora venam, quę per tẽpora fertur, secare non oportet: conuulsio enim corripit sectum. Et, si quidem sinistra tempora secta fuerint; dextera conuulsio corripit. Si verò dextra secta fuerint; sinistra conuulsio apprehendit. Quum igitur vlcus in capite secas, ossium gratia carne denudatorum, scire cupiens, an habeat os quid mali à telo, aut non habeat; secare oportet vulnus tanta magnitudine, quanta sursum opus habere visum fuerit. Secantem verò carnem ab osse diducere oportet, quæ ad membranam, & ad os existit. Deinde linamentum per totum vlcus adhibere oportet, quod vlcus quàm ampliſſimum in posterum diem faciat, cum minimo dolore: vbi verò linamentum adhibuisti; cataplasmate vtere, quanto tempore etiam linamento, ita vt mazam ex tenui polenta in aceto subigas, aut coquas, & quàm maximè viscosam facias.

21 Postridie verò vbi linamentum exemeris, inspecto osse, quod passum est, si non conspicua tibi sit vulneratio, qualisnam sit in osse: neq; cognoscas, an os aliquid mali in se habeat, aut non habeat, telum autem ad os peruenisse, ac læsisse videatur; radere oportet spicillo rasorio, secundum longitudinem, ac profunditatem pro hominis natura: & rursus si etiam transuersum sit os, ruptionum gratia ad visum inconspicuarum, & contusionis obscurę gratia, quę non intro cessit ex natura alterius ossis capitis. Indicat enim ipsa rasio magis, si non etiam aliàs conspicuæ fuerint hæ affectiones ex telo in osse existentes. Et si sedem teli in osse videris; tum ipsam teli sedem radere oportet, tum ambientia ipsam ossa, ne sæpe ad sedem ruptio accedat, & contusio, aut sola contusio, & deinde lateant; quum non conspicua existant. Postquam autem os scalpro raseris, si quidem ad perforationem tendere ossis sauciatio videatur; perforare oportet, & citra perforationem triduum non excedere, sed in hoc perforare tum aliàs, tum tempore calido; si ab initio curationem susceperis. Si verò suspiceris os ruptum, aut contusum, aut ambo hæc; coniectura facta quod vehementer sauciatus sit, ex vulnerati verbis, & quòd à forti id contingit, qui sauciauit, si alius ab alio vulneratus fuerit: & quòd telum, quo vulneratus est, ex maleficorum telorum ordine fuit: deinde quòd vertigo, & caligo ipsum corripuerit, & quòd in soporem profundiorem inciderit, & quòd ceciderit: his ita contingentibus, si non cognoscas, an os ruptum sit, aut contusum, aut ambo hęc, neque aliàs videas; super os aliquid maxime nigri coloris, nigro medicamento liquato subactum, imponere oportet: & subextento linteo oleo imbuto super vlcus, & deinde mazæ cataplasmate appositio deligare: postridie verò exoluto, ac expurgato vlcere deradere.

22 Et si sanum non fuerit, sed ruptum, ac contusum, reliquum quidem os rasum album erit, fissura verò, & contusio, quæ nigrum medicamentum eliquatum in seipsam susceperit in reliquo osse albo nigra erit.

Cæterùm

Cæterùm hanc fissuram conspectam rursus secũdum profunditatem radere oportet. Et,si quidem radens fissuram hanc conspectam nigram exemeris, & deleueris è conspectu sublatam; contusio quidem ossis aut magis, aut minus facta fuit, quæ sanè etiam fissuram à scalpro rasorio deletam rupit. Verùm minus horrenda hæc est,& minus negotij exhibuerit, fissura delata. Si verò in profundo sit, & dum raditur deleri nolit; ad perforationem deuenit hæc calamitas. Sed perforare oportet, ac de cætero vlcus curare. Cauere autem conuenit, vt ne aliquid mali os contrahat ex carne;si male curetur: nam & perforato ossi,& aliàs denudato,sed sano, & si læsionem aliquam ex telo habeat, & tamen sanum esse putetur; periculum magis imminet,vt suppuratum fiat;etiam si aliàs futurum non esset.

23 Si & caro os ambiens male curetur, & inflammetur,ac constringatur. (Ignescit enim,& multa flamma implebitur. Et sanè os ex ambientibus carnibus in seipsum calorem, & flammam, & quæcunq; mala in seipsa habet caro,trahit, & ex his ita suppuratum fit. Malum est etiam humidam esse carnem in vlcere, & putrescentem,& ad multum tempus purgari.) Quare suppuratum quidem,quàm celerrime vlcus facere oportet: sic enim ambientes vlcus partes quàm minimum inflammabuntur,& vlcus citissime purum erit: necesse est enim carnes concisas, ac contusas à telo suppuratas fieri, ac consumi. Postquam autem purgatum fuerit; siccius fieri vlcus oportet: sic enim citissime sanum fiet, sicca carne germinante, & non humida. Et sic quoque vlceri caro non superincrescet.

24 Eadem ratio membranæ circum cerebrum est:statim enim osse perforato, & ex secto,ac de membrana detracto, ipsam denudatam membranam puram, quàm citissimæ,ac siccam facere oportet,vt,ne vbi ad multum tempus humida sit; computrescat, ac in tumorem attollatur: his enim ita contingentibus, periculum est ipsam putrefieri. At verò os,quod discedere à quouis alio osse oportet, vlcere in capite facto, & sede teli in osse existente, aut aliàs osse plurimum denudato,discedit; vbi plurimum exangue factum est: resiccatur enim sanguis ex osse & à tempore,& à plurimis medicamentis. Citissime enim discessit; si quis vlcus quàm citissime purgarit, & de cætero & vlcus, & os tum maius,tum minus resiccauerit. Quod enim citissime resiccatum,ac testaceum factum fuerit, ex hoc facto maxime dimittitur ab alio osse, quod sanguinolentum ad viuum existit. & quum exangue,ac siccum fiat,à sanguinolento,ac viuo valde discedit.

25 Quæcunq; verò ossa intro contusa cedunt ex sua ipsorum natura, rupta, aut etiam dissecta, valde ampla, talia minus periculosa sunt; vbi membrana sana fuerit: & quæ pluribus fissuris, & amplioribus intro rupta sunt,adhuc minus periculosa sunt,& ad detractionem faciliora fiunt: & nullum ex talibus perforare oportet, neq; periclitari ossa auferre conando: priusquam sponte sua emergant,priore forma exoluta. Emergunt autem carne subnascente. Subnascitur autem ex duplicata ossis lamina,& ex sano osse; si superna ossis pars sola fuerit corrupta. Sic verò quàm citissime & caro subnasci, ac germinare poterit, & ossa emerserint,si quis vlcus quàm citissime suppuratum redditum,purum faciat. Et si per totum os ambæ partes intro contusę cesserint ad membranam,& superna ossis pars,& inferna; si quis similiter medeatur,vlcus celerrime sanum erit,& ossa,quæ intro cesserunt,celerrime emergunt,ac reuertuntur.

26 At verò puerorum ossa & tenuiora, & molliora sunt ea de causa,quod sanguinolẽtiora sunt, & caua, & neq; antrosa,neq;densa,neq; solida:& à telis equalibus,ac debiliorib si similiter, ac minus fuerint vulnerati,iunioris pueri vulnus,& magis, & citius suppuratur,& in breuiori tẽpore,quã senioris:&,si aliàs ex vulnere moriturus est; iunior seniore citius perit. Cęterũ,si os denudatum carne fuerit;animaduersione habita cognoscere conari oportet, si oculis videre,ac noscere non datur,an ruptum sit os, & an contusum,aut solum contusum:& an sede teli facta,adsit contusio,aut fissura,aut ambo hæc. Et si quid horum os passum fuerit; detracto sanguine,paruo terebello modice & cũ cautione,os terebrare oportet: tenuius est.n.os,& minus profundum iuuenibus,quam senioribus. Quicunq; verò ex vulneribus in capite moriturus est,& fieri non potest,vt sanus fiat,ac seruetur, ex his signis dinotionem moritur facere oportet, & quod futurum est prædicere. Patitur enim hæc.

27 Quum quis os fractum,aut ruptum,aut cõtusum, aut quocunq; modo fractum intelligẽs,per errorem deliquerit, & neq; raserit, neq; perforauerit,veluti os nõ opus habeat,& velut os sanum existat:ante decimumquartum diem febris corripiet,vt plurimum in hyeme. In æstate verò post septimum diem febris corripit:& postquam hoc factum fuerit; vlcus colorem amittit,& ex ipso sanies pauca fluit: & quod inflammatum est ex ipso emoritur,& viscosum fit,& apparet velut salsamentum colore fuluum, subliuidum: & os tunc corrumpi incipit,& fit valde nigrũ, postremum pallidum, aut valde album euadens. Quum verò iam suppuratum fuerit: in lingua pustulæ oboriuntur,& desipiens æger moritur, & conuulsio plerosque corripit in altera corporis parte:si quidem in sinistra parte capitis vlcus habeat; in dextra corporis parte conuulsio corripit. Si verò in dextra capitis parte vlcus habeat; in sinistra corporis parte conuulsio corripit. Sunt autem & qui syderati fiunt, atque sic pereunt ante septimum diem in æstate,aut decimumquartum in hyeme. Similiter autem significant hæc signa & in seniore,& in iuniore;si vulnus existat.

28 Quapropter vbi intellexeris febrem inuadere hominem: & ex alijs signis aliquod ipsi accedere, non cunctari oportet; sed os vsque ad membranam perforare, aut scalpro rasorio deradere: est enim & ad perforationem, & ad rasionem facile ac expeditum: deinde reliqua sic curare,prout cõducere vitium fuerit,respectu ad id,quod sit habito. Quũ verò in vulnere, in capite hominis terebello perforato, aut non perforato, osse autem denudato,tumor rubicundus, ignis sacri speciem referens, accesserit in facie,& in oculis vtrisque,aut altero: &, si quis tumorem contingat; doleat: & febris corripiat, ac rigor: & vlcus ipsum,tum quod ad carnem attinet,tum quod ad os, bene habeat ad aspectum: & ambientes vlcus partes bene habeant,excepto timore,qui in facie existit: & aliud peccatum nullum tumor habeat, quod ad reliquam victus rationem attinet: huius infernam aluũ

deorsum

deorsum purgare oportet medicamento, quod bilẽ ducit: &, vbi sic purgatus fuerit; & febris dimittit, & tumor sedatur, & sanus euadit. Medicamentum verò dare oportet, ad vires hominis respiciendo, prout robore validus fuerit.

29 Cæterùm de perforationis, ac terebrationis vsu, vbi ea necessitas ingruat, vt necesse sit hominẽ perforare; sic statuendum est. Si ab initio assumptam curationem administras; nõ oportet statim os ad membranam perforare, ac excindere: non enim conducit membranam osse denudatam esse ad multum tẽpus male afflictam: sed postremum, vbi madore corrumpi, ac putrescere ipsam periculum est. Est & aliud periculum, si statim osse ad membranam perforato, ipsum auferas, ne in ipso opere membranam per terebellum vulneres. Verùm terebrantem oportet, vbi iam valde parum abest, vt os sit perforatũ, & os iam mouetur: à terebratione desistere, & sinere, vt os sua sponte discedat: nam in osse perforato, & a perforatione relicto, nihil mali accedere poterit; tenue enim iam id, quod restat, fit. Reliqua verò curare oportet, prout vlceri conducere visum fuerit. Terebrantem autem frequenter eximere terebellum oportet, caliditatis ossis gratia, & in frigidam aquam immergere: calescens enim ex circumductione terebellum, etiã os excalfaciens, ac resicans adurit, & maius os perforationẽ ambiens, discedere facit, q̃ alias discessurum fuisset. Si verò etiam statim volueris vsque ad membranam perforare, & postea os auferre: eodem modo frequẽter eximere terebellum oportet, & in frigidã aquã demergere. At si nõ ab initio curationẽ assumpseris, sed ex alio traditã susceperis, ita vt posterior tarde ad curationem deuenias: terebello exsculpto statim os ad membranã perforare, ac excindere oportet, & exempto sæpe terebello speculari, tum alias, tũ per admotum spicillum, circumcirca ipsius terebelli viã: nã multo citius perforatur os si suppuratũ iam, ac transpuratũ perforaueris: & sæpe contingit, vt non profundũ os sit, tũ alias, tũ si ea capitis parte fuerit vulnus, qua tenuius magis, q̃ crassum os ipsũ existit. Quare cauere oportet, vt terebelli admotione ne fallaris: verùm qua parte crassissimum os esse visum fuerit, in eam semper terebellum admotum adigito, ita vt frequenter consideres, ac commoueas os, & eijcere coneris. Postquam autem abstuleris: reliqua, velut vlceri conferre visum fuerit, curato.

HIPPOCRATIS COI

Chirurgiæ officinæ.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Sensibus exposita à quibusuis facile cognosci. Lucis species duæ, ac vtriusque vsus duplices.*
2 *Pedum, ac genuum situs, in curatione qualis esse debeat. Vestitus, vngues.*
3 *Actionum instrumenta in chirurgia habilia esse oportet. Deligationis duæ species: cita, expedita: bona, pulchra.*
4 *Pulchræ deligationis species. Bonæ ligationis species. Compressio. Nexus & filium quomodo in deligationibus procedere debeant. Deligatio omnis ad decliuia, & acuminata fugit.*
5 *Deligatio quomodo fieri debeat.*
6 *Deligamenta qualia esse debeant. Obuolutionis capita. Linteorum præparatio.*
7 *Deligationis initium.*
8 *Spleniorum longitudo, latitudo, multitudo, crassitudo. Subligationes linteorum duæ. Deligamentorum multitudo, longitudo, latitudo.*
9 *Ferulæ quales esse debeant. Ceratum.*
10 *Positio qualis esse debeat. Quæ in aqua spectentur.*
11 *Distentio circa quas partes maxime fiat. Defrictio. Deligationis modus.*
12 *Figurarum deligationis summa. Sugillationum, contusionum, conuulsionum, tumorum, cum effusione sanguinis, deligatio.*
13 *Luxationum, auulsionum, aut elapsionum deligationes. Imminutionum deligatio.*
14 *Fulcimenta quibus partibus adhibenda.*

1 AVt similia, aut dissimilia, à principio, à maximis, à facillimis, ab his, quæ vndiquaq; penitus cognoscũtur: quæ & videre, & tangere, & audire licet: quæ & visu, & tactu, & auditu, & naribus, & lingua, & intelligentia sentire licet: quæ & quibus cognoscũtur, omnibus cognoscere licet. Quæ verò ad chirurgiæ officinam; ægrotans, agens, ministri, instrumẽta, lumen: vbi, quomodo: quot, quomodo, qñ: corpus, vasa commoda: tempus, modus, locus: agens aut sedens, aut stans, moderate ad seipsum, ad id quod tractatur, ad splendorem lucis. Lucis igitur species duæ sunt, altera communis, altera artificialis. Communis in nobis non est. Artificialis etiam in nobis non est. Artificialis etiã in nobis est. Vtriusq; verò duplices vsus sunt, aut ad lucem, aut sub lucem. Sub lucem, & modicus vsus est, & moderatio manifesta. Ad lucem verò, ex præsentibus, ex conferentibus luminibus, ad splendorem conuertere oportet id, quod tractatur, exceptis his, quæ aut latere oportet, aut videre turpe est: ita vt id, quod tractatur, ex aduerso sit luci; qui verò tractat, ex aduerso eius, quod tractatur; veruntamen vt ne tenebras inducat: sic enim & qui agit videre poterit, & quod tractatur, non videtur.

2 Ad seipsum verò, si quidem sedeat: pedes secundũ rectitudinem sursum versus e directo ad genua sint, distantia autem parua in consistendo intercedat. Genua autem superiora sint inguinibus, modice distantia, pro commoda cubiti positione, ac appositione.

Vestitus

Vestitus expedite, distincte, æqualiter, similiter, cubitis, humeris. Ad id verò, quod tractatur, vltra, & prope, & sursum, ac deorsum, & hac, aut illac, aut in medio. Vltra quidem, & prope termini sunt cubitorum gibbi, ita vt in anteriorem partem non excedant genua, in posteriorem costas. Sursum verò, vt nō supra mammas, summas manus habeat. Deorsum, vt non inferius, quā vti vbi pectos ad genua habet, summas manus angulares, ac brachia figuret, & in medio quidem hoc modo se habet. Hac verò, aut illac, vt non extra sedem: sed pro ratione conuersionis & corpus, & operātem corporis partem producat. Si verò stet; vtrisque pedibus ex æquo insistere satis est. Agere verò oportet, ita vt altero pede insendat, non eo, qui est ad manum agentem, genu ad inguen sublato, velut in sede; sed & alij termini ijdem sunt. At qui tractatur, reliqua corporis parte tractanti inseruiat, aut stans, aut sedens, aut decumbens, quo quàm facilime ita velut figuram habens perseueret, seruans subfluxionem, subsidentiam, euersionem, decliuitatem. Sic quæ debet, seruatur & figura, & forma eius, qui tractatur, in exhibitione, in tractatione, in habitu postea sequente. Vngues neque præminere oportet, neque deficere: digitorum vertices ad vsum exercere, digitis quidem summis pleraque, indice ad magnum admoto: tota verò manu prona, ambabus autem aduersis. Digitos generose extendere cogit magnū quiddam in medio digitorum positum, & oppositum facere magnum digitum indici. Morbum autem esse manifestum est, per quem etiam læduntur hi, quibus ex natiuitate, & educatione, assueuit magnus digitus ab alijs contineri. Opera omnia exercere oportet vtrisque seorsum agendo, & ambabus simul: similes enim sunt, ambabus coniectando bene, pulchre, cito, non laborioſe, concinne, expedite.

3 Instrumenta quidem, & quando, & qualiter dicetur. Vbi oportet, vt ne quid impediat opus, neq; impedimento sit inter accipiendum circa operantem corporis partem. Si verò alius det; paulò prius paratus sit, & faciat vbi iusseris. Qui verò circa ægrotā tem sunt, id, quod tractatur, exhibeant prout visum fuerit. Reliquum autem corpus detineant, vt totum quiescat, tacentes, & præfecto obediētes. Deligationis species duæ sunt, quæ facta est, & quæ adhuc fit. Quæ adhuc fit, cito, non laborioſe, expedite, concinna. Cito quidem, perficiendo opera. Non laborioſe, facile agēdo. Expeditio verò ad omnia parata est. Concinnitas autem iucunda aspectu est. Ex quibus verò exercitationibus hæc contingant, dictum est. Quæ facta est, bene, pulchrè: Pulchrè quidem, simpliciter, distinctè: aut similia, ac æqualia, æqualiter, ac similiter: aut inæqualia, ac dissimilia, inæqualiter, ac dissimiliter.

4 Species verò hæ sunt, simplex, rotunda in orbem, ascia, sima, oculus, rhombus, & semisecta: ita vt species congrua sit speciei, & affectioni eius, quod deligatur. Eius verò quod bene deligatur, duæ sunt species, roboris quidem, aut cōpressione, aut copia linteolorum; & partim quidem ipsa deligatio sanat, partim curantibus inseruit. Ad hęc igitur lex hæc est. In his autem maxima deligationis vis est. Compressio quidem, vt incumbentia non abscedant, neque penitus innitantur; sed sint quidem firmata, non autem coacta; & minus quidem extrema, minimè verò media. Nexus, & filum procedant, non deorsum, sed sursum, in exhibitione, & præparatione, & deligatione, & habitu postea sequente. Initia non super vlcus injcere oportet, sed hinc, aut illinc facere nexū. Nexum verò neque in semita, neq; in opera, neque illic, vbi inane est, vt ne in vanum iaceat. Nexum autem, & filum, mollia non magna. Hoc tamen probè nosse conuenit, quòd omnis deligatio ad decliuia, & acuminata fugit, velut in capite, ad partem supernā: in tibia, ad infernam.

5 Deligare oportet dextras partes in sinistras: & sinistras in dextras, excepto capite. Hoc verò secundū rectitudinem: verùm contraria ex duobus initijs. Si verò ex vno: ad id, quod simile est, ad subtilitatem: velut est media pars capitis, & si quid aliud huiusmodi. Quæ verò mouentur, veluti articuli, qua quidem parte inflectuntur, quàm minimis, ac expeditissimis linteis obuoluere oportet, velut poplitem: qua verò circumtenduntur, ex passis, ac latis, velut est patella. Circumdare quoq; insuper oportet, comprehēsionis quidem gratia eorum, quæ circa hæc sunt, appēsionis verò vniuersi deligamenti, in quiescētibus; & depressioribus corporis partibus, qualis est & supra, & infra genu. Conuenit autem in humero quidem, circumductio circum alteram alam: in inguine verò, circum alteram lateris mollitudinem: in tibia, supra suram: & quibuscunque sursum contingit fuga, his inferne appensio conuenit: quibus autem deorsum, vice uersa. Quibus verò non est; velut in capite, his in æqualissima parte, comprehensiones facere oportet, & minimè obliquo deligamento vti; nam stabilissimum postremum circundatum, vel maximè vagabunda continet. Quibuscunque autem neq; cō prehensio, neque appensio linteorum, commodè se habet: his per fila appensiones facere conuenit, ex iniectione, aut consutione.

6 Deligamenta sint pura, leuia, mollia, tenuia. Obuoluere verò oportet ambabus simul, aut vtrisq; seorsum exercere: conueniente autem deligatione vti, cō iectura ad latitudinem, ac crassitudinem partium facta. Obuolutionis capita dura, æqualia, distincta sint. In quibus autem futurum est, vt decidant, ea peiora sunt, q̄ si cito decidant. Quædā verò sunt eiusmodi, vt neque comprimere, neq; decidere oporteat. Quæ verò spectat deligatio, aut subligatio, aut ambo, hæc sunt. Subligatio quidem in causa est, vt aut disperata attrahantur, aut expassa contrahantur, aut contracta diducantur, aut distorta dirigantur, aut vice versa. Præparare autem oportet lintea leuia, tenuia, mollia pura, lata, non consuta, neq; extuberantias habentia, & sana, vt extensionem ferant, & paulò præstantiora, non sicca, sed succo imbuta singulis affectionibus familiari: ad ea quidem quæ disparata abscesserunt, ita vt sublimia sedem quidem contingant; non tamen comprimant.

7 Initium autem sumere oportet ex sana parte, & ad vlcus desinere, quo id quidem, quod subest, excoletur, aliud autem non amplius colligatur. Deligare autem oportet recta quidem in rectum: obliqua verò oblique: in figura doloris exorte, in qua neq; constrictio, neque discessio contingat: ex qua vbi translatio fit ad appensionem, aut positionem, non transmutent, sed similia habeāt hæc, musculos, venas, neruos ossa, & bene posita, & bene detenta. Appensa verò

aut

aut posita esse conuenit, in figura doloris exortę, quę est secundum naturam: in quibus verò discesserint, vice versa. At quibus expassa sunt, contrahere oportet, quod ad alia quidem attinet eodem modo: ex multo verò temporis spatio interposito contractionem facere oportet, & sensim progressu facto compressionē, primùm minimè, deinde magis, ita vt terminus quod maximè facta sit, mutuus contactus fiat. Quibus verò contracta sunt, diducere: cum inflāmatione quidem vice versa: sine hac autem, præparatione quidem eiusmodi, deligatione verò contraria. Distorta verò dirigere oportet, quod ad alia quidem attinet, eodem modo: verùm quæ quidem abierunt, ea reducere oportet, subligatione, agglutinatione, appensione. Contraria verò contrario modo.

8 Spleniorum longitudines, latitudines, crassitudines, multitudines. Longitudo, quanta est deligatio: latitudo, quatuor, aut triū digitorum: crassitudo, vt triplices; aut quadruplices sint: multitudo, vt dum circumdantur, non excedant, neq; deficiant. Quibus verò ad directionem, in longitudinem circūdando, latitudinem, ac crassitudinē defectu coniectare oportet, ita vt non aceruatim expleamus. At verò linteorum subligationes duæ sunt, prima ex loco lęso ad supernas partes desinit: altera ex loco læso ad infernas. Iuxta locum affectum maxime cōprimere oportet: minime extremas partes; reliqua verò pro ratione. Deligatio autem multam sani loci partem occupet. Deligamentorum multitudo, longitudo, latitudo. Multitudo quidem, vt ne superetur à loco læso, neq; per ferulas illisio fiat, neq; pondus, neq; circumcirca inclinatio, neq; effœminatio deligamenti contingat. Longitudo verò, & latitudo trium, aut quatuor, aut quinque, aut sex cubitorum quidem longitudo, digitorum autem latitudo. Et affulcimēti circumductiones tot sint, vt ne comprimant. Mollia verò, & non crassa sint hęc omnia, pro longitudine, & latitudine, ac crassitudine partis affectæ.

9 Ferulæ porrò sint leues, æquales, iuxta extremitates simæ, hinc, atq; illinc paulo minores deligatione, crassissimæ autem ea parte, qua extat fractura. Quæcunq; verò partes incuruæ sunt, & excarnes, in his, quæ præminent, cauendę sunt, velut circa digitos, & malleolos, aut positione, aut breuitate. Affulcimētis autē fulcire, ac firmare oportet, non comprimere primùm. Ceratum molle, & leue, & purum sit. In aqua spectatur caliditas, multitudo. Caliditas, vt supra suā ipsius manum medicus affundat. Multitudo, ad laxādum quidem, & attenuandum, plurima optima est: verum ad incarnandum, ac molliendum, moderata. Moderatio autem in perfusione ea est, quod dum, ad huc attollitur pars, priusquā concidat, desistere oportet: primùm enim attollitur: postea verò attenuatur.

10 Positio sit mollis, æqualis, sursum vergens, in eminentibus corporis partibus, velut calcaneo, & coxa, vt neq; refrangatur, neque euertatur. Canalem toti potius cruri, quā dimidio adhibere oporttet. Ad affectionem tamen respicere oportet: & reliqua, quæ lædere solent, manifesta sunt. Exhibitio verò, & distentio, & restitutio, & reliqua secundum naturam fiant. Natura in operibus est, operis actione quid illa velit coniectandum est: Ad hæc autem ex quiescente, ex communi, ex consuetudine. Ex quiescente quidem, ac remisso, rectitudines considerare oportet, velut in manus figura: Ex communi verò, extensionem, & inflexionem, veluti figura cubiti ad brachium, quę prope ad angularem accedit. Ex cōsuetudine, quod non alias figuras magis ferre possunt, velut crura extensionem: in hac enim figura plurimum tempus facilli me durarint, nulla facta immutatione. In immutatione verò ex distentione, similia hæc habent, ad habitum, aut positionem, musculosis, venas, neruos, ossa, & bene posita, & bene detenta.

11 Distentio fit maxime circa maxima, & crassissima, ac æqualia, & vbi ambo ossa læsa sunt: secundo loco vbi subiectum, minime, vbi supernum. Si verò magis moderato fiat; detrimentum affert, pueris exceptis. Oportet autem ipsa paululum accliuia habere. Directionis exemplum, æquinocum, coniugatum, simile, sanum. Defrictio potest soluere, ligare, incarnare, minuere: dura, ligare: mollis, soluere: multa, minuere: moderata, crassefacere. Deligare verò oportet primùm, vt is, qui deligatur, dicat, maxime se compressum esse circa læsam partem, minime circa extremas: & firmatum se esse, non compressum, copia linteorum, non robore: & hac die, ac nocte paulò magis, postridie minus, tertia laxè. Reperiatur autē postridie in extremis partibus tumor mollis. Tertia verò die deligatum solutum gracilius fit, atque hoc per omnes deligationes. Secunda verò deligatione. an iustè deligatum apparuerit, discere oportet. Hinc autem magis, & pluribus cōprimatur: tertia adhuc magis, itemq; pluribus. Septima verò à prima deligatione soluta, inueniantur gracilia ossa, ac depressa. At verò in ferulas deligata, si gracilia, & pruritus exortia, & sine vlcere fuerint; sinere oportet vsque ad dies viginti à lesione. Si verò quid suspectum sit; soluere in medio tempore, & ferulas tertio quoque die firmare. Appensio, positio, deligatio, vt in eodem statu sint custodire oportet.

12 Figurarum summa hęc est, consuetudines, naturę singulorum membrorum, species ex currendo, ambulando, stando, decumbendo, ex opere, ex remittendo. (Nam vsus corroborat, ocium autem colliquat.) aut compressione, aut copia linteorum. Quæcunque verò effuso sanguine sugillationes, aut contusiones, aut vulsiones, aut tumores inflammationis exortes, ex vulnere oboriuntur, ad supernam partem plurimum, ad infernam etiam parum deligare oportet, ita vt manum, aut crus non habeat in decliue, & initium supra vulnus ponat, ac maxime firmet, minime extremas partes, medio modo medias, vltimam partem ad supernas corporis partes distribuendo, deligatione, cōpressione: sed & hæc, copia magis, quàm robore. Maximè autem his lintea tenuia, leuia, mollia, pura, lata, sana debētur, vtpote sine ferulis: & vberiore perfusione vti oportet.

13 At verò elapsiones, aut luxationes, aut tortiones, aut distantiæ disparatæ, aut auulsiones, aut abruptiones, aut distortiones, veluti mutilationes ad alteram partem vergentes, vnde quidem excesserunt, remittendo deligare oportet: quo verò excesserunt, intendendo deligamentum, vt ad contraria vergant deligata, etiam priusquam fuerint deligata, paulò magis, quam vt ex æquo sint, & deligamentis, & splenijs, & appensionibus, & figuris, extensione, defrictione, directione: & hic etiam vberiore perfusione. Cæterùm imminutiones multam sanam partem occupādo deligare

ligare oportet, vt ex influxione, qua colliquata plus, quam sua spõte imminuta sunt, alia deligatione permutata, ad augmentum declinent, & carnium efformationem faciant. Melius autem est, vt & superna pars simul deligetur, velut tibiæ, & femorum, & alterum crus cũ sano crure; quò similius sit, & similiter quiescat, & similiter alimentum excludant, & suscipiant. Linteorũ verò copia, non compressione vtendum est, remittendo primùm id, quòd maxime opus habet, & vtendo defrictione incarnante, & perfusione absque ferulis. Fulcimenta porrò, ac stabilimenta adhibere oportet, veluti pectori, costis, capiti, & alijs, quæ eiusmodi sunt, partim pulsuum gratia, vt ne concutiantur: partim etiam distantiarum dispara tarum gratia, circa iuncturas in ossibus capitis, quò firmentur. Et in tussibus, aut sternutationibus, aut alio motu, qualia fiunt circa thoracem, & caput stabilimenta. Horum omnium eædem sunt deligationis commoderationes: qua enim partes lęsiones sunt, maxime comprimendum est. Supponere igitur oportet lanam mollem, affectioni conuenientem: deligare verò non amplius comprimendo, vt ne pulsus concutiantur, neque amplius, quam vt distantium iuncturarum extremitates mutuo se contingant: neq; vt tusses, & sternutationes fiant, sed vt prohibeantur, stabilimentum adhibeatur; quò neq; cogatur quid, neque concutiatur.

HIPPOCRATIS COI

Liber de fracturis.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Luxationum, & fracturarũ extensiones quàm directissimè faciendæ. Manum fractam tractare, non multi esse studij.*
2 *Cõtra imperitos medicos, qui ex figuris in manus deligatione sapientes sibi videntur. Artes aliæ robore, alia artificijs operantur. Manuum figuræ ad omnes artes naturales.*
3 *Manus supinæ extensæ deligatio incommoda.*
4 *Manus fracta recta extensio, & deligatio. Sedendi modus in deligatione manus. Os cubiti maius fractum, cur minore curatu facilius. Os cubiti vtrunque fractum.*
5 *Extensione facta quomodo deligandum.*
6 *Ferulam qualem esse in fractura partibus conueniat.*
7 *Victus eorum quibus vlcera ab initio non fiunt. Manum fractam quomodo in fascia gestare conueniat.*
8 *Brachij fracti, iusta extensio, & compositio.*
9 *Brachij os fractum quadraginta diebus corroboratur. Victus eorum ratio. Brachij ossis incuruatio, quomodo præcauenda.*
10 *Pes hominis ex multis & paruis ossibus constat. Pedis ossium loco motorum compositio eadem quæ manuum. Pedis ossium fractorum curatio. Quot diebus sanentur.*
11 *Pedum fracturæ propter neglectum decubitum, perfectè curari nequeunt. Tibiæ ossa cur diuturniorem cæteris pedis ossibus curationem requirant. Aquæ calidæ in articulorũ læsionibus vsus.*
12 *Calcanei ex saltu vehementi læsi curatio.*
13 *Signa recrudescẽtis calcanei vulneris. Quot diebus sanetur.*
14 *Tibiæ ossa duo. Laxatio eorundem & curatio.*
15 *Ossium tibiæ extensio.*
16 *Extensionum multi modi.*
17 *Corporis attenuatio in tibiarum ossibus fractis. Quot diebus curentur. Coxæ, fœmoris, & tibiæ extenuatio.*
18 *Tibiæ os vtrunque fractum.*
19 *Lintea circa cruris deligationem qualia esse debeant. Canales cruribus impositi.*
20 *Cruris fracti decubitus.*
21 *Ferularum locationes in quibus vitanda. Tibiæ ossa quadraginta diebus corroborantur. Osse directione egente, quid faciendum. Tibiæ os alterum fractum. Tibiæ os internum, maiorem in curando molestiam exhibet.*
22 *Tibiæ os extremum fractum.*
23 *Femoris breuius effecti dedecus. Quot diebus corroboretur.*
24 *Femur magis gibbosum ad partem externam.*
25 *Tumores iuxta poplitem, aut circa pedem, aut aliam quampiam partem ex compressione eleuati, quomodo curentur.*
26 *Genuflectio deligationibus in femore, ac tibia, turbationem inducit. Calcanei summi in tibiæ, & femoris fracturis cura habenda.*
27 *De ossibus simplici modo fractis. Vlcerum curatio simplex. Splenia vino imbuta in vlcerum deligatione.*
28 *Vlcera perfrigeratione sanantes, male agunt.*
29 *Vlcerum horum eadem, quæ eorum quibus os fractum est, curatio. Victus horum ratio.*
30 *Vlcerum curatio quibus ossa quidem fracta fuerunt, sed vlcus ab initio non fuit curatum. Fracturæ hæ quomodo cognoscantur.*
31 *Ossium valde tenuium discessus.*
32 *Qui deligatione curari nequeant. Extensio iusta per machinamenta.*
33 *Fracturarum cum & sine vlceribus aliæ curationes. Vulnera ante tertium, aut quartum diem non mouenda.*
34 *Lanarum in vlceribus vsus ad septimum diem. Ligatio ab initio cum linteis fiens, omnium præstantissima. Ossa fracta & extra eminentia, quæ in sua sede collocari non possunt.*
35 *Instrumentorum omnium quę fortissima. Quando vectis instrumento vtendum.*
36 *Ossium discessurorum cognitio. Ossa quæ citissimè discedant.*
37 *Os extra eminens cur præsecandum. Ossium frigidis madefactorum primo tempore pericula.*
38 *Os femoris, aut brachij extra eminẽs. Ossis inferna pars eminens, minus superna periculosa.*
39 *Venarum in interna brachij parte multæ & periculosæ exten-*

extensiones. Ossium discessus diuturnus est.

40 *Luxationes ossium circa genua mitiores sunt ijs, quæ circa cubiti flexuram.*

41 *Ossium circa genu luxatio frequens, sed repositio facilis. Ossium cubiti repositio molestior.*

42 *Articulus supra cubitos transgressus.*

43 *Brachium in anteriorem partem rarissimè luxatur.*

44 *In posteriorem partem luxatum.*

45 *Os cubiti brachio subiectum fractum. Ossium fracturæ, venarum, aut neruorum in ijs contusione, minus noxiæ.*

46 *Epilogus.*

1 Portet medicum & luxationum, & fracturarum extensiones quàmdirectissimas facere: hæc.n. iustissima natura est. Si verò quid vel hac, vel illac inclinarit; ad pronam partẽ vergere conuenit: minus.n. hoc peccatum est, quàm ad spinam. Qui igitur nihil præmeditati sunt, plerunque nihil peccant: Ipse.n. qui deligatur, manũ porrigit, vt qui ita à iusta natura cogatur. Qui verò sapientes sibi videntur, hi sunt nimirum, qui peccant. Studij igitur non multi est manum fractam tractare, & quilibet (vt ita dicam) medicus hoc potest. Verum cogor plura de hoc scribere, quòd sciã medicos esse, qui sibi sapientes esse videntur ex figuris manus in deligatione, ex quibus ipsus indoctos esse putare oportebat. Sed enim multa in hac arte hoc modo iudicantur. Quod enim peregrinum est, quum nondum intellexerint, an bonum sit, magis laudant, quàm familiare, quod iam bonum esse sciunt: & alienum magis laudant, quàm probè notum.

2 Dicẽdum igitur, quęnam medicorum peccata de natura manus, tum dedocere, tũ docere velim: nã & aliorum corporis ossium doctrinam hic sermo affert. Manum itaque, de qua nobis sermo est, quidã pronã deligandam dedit, ille verò cogebat sic tenere velut sagitantes, quũ humerum inijciunt, atq; ita habẽtem deligabat: hoc ipsum illi secũm naturã esse existimãs: & in testimonium adducebat tũ omnia cubiti ossa, q̃ directionem inter se haberent: tum coloris concordiã, quod ipsa per seipsam rectitudinẽ haberet, idq; hoc modo & externa, & interna parte. Hoc modo etiam dicebat & carnes, & neruos, à natura productos esse, & artem sagittandi testimonium citabat. & hæc dicens, ac faciens, sapiens esse sibi videbatur. Verùm aliarum artium oblitus erat, & eorum, quæ robore, & eorum, quæ artificijs operantur, ac efficiunt: non animaduertens aliam in alio figuram secundum naturam esse, & in eodem opere aliàs dextræ manus figuras secũdum naturam esse, alias sinistræ; si ita cõtingat: alia enim figura in iaculatione secundum naturam est, alia in fundę iactu, alia in lapidis iactu, alia in pugilatu alia in quiescendo. Quot verò artes inuenire quis possit, in quibus non eadem figura manuũ naturalis est? & in vnaquaque arte, aliter ad instrumẽtum, quod quisque habet, & ad opus, quod perficere vult, manus figurantur. Ei verò, qui sagittandi artem exercet, hanc figuram alterius manus optimam esse, consentaneum est. Cardinoformis enim brachij pars in cubiti sede in hac figura innitens, ossibus cubiti, & brachij rectitudinem facit, velut totum vnum esset: & refractio articuli fracta est in hac figura. Verisimile est igitur hoc modo minimè flexibilem, & rigidissimũ esse hunc locũ, & nõ superari, neq; remittere, dum à dextra manu neruus trahitur: & sic neruũ quidẽ quàmplurimùm trahet, à firmissimo verò, ac confertissimo emittet: ex talibus.n. sagittarum emissionibus celeres, & vehemẽtiæ, & lõginquitates fiũt. Deligationi verò cum arte sagittãdi nihil cõe est: nã & vbi deligauit, si manum ita habiturus esset; multos vtique dolores maiores vulnere aderet: &, si flectere iuberet: neque ossa, neque nerui, neque carnes in eodem permanerent, sed superata deligatione alia trãsferrentur. Et quæ tandem est figuræ sagittarij vtilitas? Et in hac parte fortasse non peccaret is, qui sibi sapiens esse videtur: si ipsum vulneratum sibi manũ exhibere permitteret.

3 Alius porro modicus supinam manum præbẽs ita extendere iubebat, atque hoc modo habentem deligabat hanc figurã naturalem esse putans, coniectura ex colore facta; & ossa hoc modo secũdum naturam esse existimans: eo q̃ os eminens circa manus iunctu rã, vbi paruus digitus est, è directo esse apparet eius ossis, ex quo vlnam homines metiuntur: & hæc testimonia adducebat, quod secundum naturam hoc modo figura se haberet, & recte dicere putabatur. At vero, si quidem manus supina extendatur: vehementer vtique doluerit. Cognoscere autem poterit hoc quisque sua manu ita extenta, q̃ dolorosa est hæc figura: nam & debilior vir, fortiorem ita manibus suis comprehensum, vt cubiti flexura supina frangitur, quocũq; voluerit duxerit: neque enim si gladium in hac manu habeat: eo vti poterit, adeo violenta hæc figura est: deĩde, si vbi deligauit quis, in hac figura sinat: maior quidem dolor, vbi obambularit: magnus autẽ etiam, vbi decubuerit, sentietur. Quin & flectere manum si opus fuerit; omnino necesse est & musculos, & ossa aliam figuram habere. Sed & citra reliquã peritiã, in hac figura hæc ignorabat. Os.n. circa iunctu rã manus eminens, iuxta paruũ digitum, hoc quidẽ cubiti est. Quod verò in flexura est, à quo vlnã hoĩes metiũtur, id brachij caput est. Ille verò idem os esse, & hoc, & illud putabat; itemq; multi alij. Est autem idem cum illo is, qui cubitus, siue cubiti gibbus vocatur, in quem innitimur. Si quis igitur ita supinã manum habeat; tunc & os distortum apparet, & nerui à manus iunctura tendentes, ex interna parte & de digitis, distorti fiunt: tendunt enim hi nerui ad os brachij, vnde vlna mensuratur. Tanta sanè, ac talia sunt peccata, & ignorantiæ naturæ manus.

4 Si verò velut ego iubeo, manum fractam quis extẽdat: os quidẽ, q̃ est circa paruũ digitũ, ad cubiti flexuram tendens, in directum cõuertet, & rectitudinẽ verò habebunt nerui à manus iunctura ad brachij summas partes tendentes: & manus dum appensa excipitur, in consimili figura erit, in quali ẽt erat, dum deligaretur, ita vt neq; ambulanti, neq; decumbenti vllus dolor, aut fatigatio accedat. Desidere verò hominẽ ita oportet, vt ossis pars ad clarissimam præsentem lucẽ constituatur; ne is, qui extensionẽ tractat, circa sufficientẽ directionem fallatur; nam periti artificis manum admotam, ne os quidem eminens in contactu latere poterit. Porrò ex cubiti ossibus vbi non ambo fracta sunt; facilior curatio est, si supernum os sauciatum est, etiam si crassius id exĩstat: partim quòd sanum subtentum fundamẽti loco ipsi est, partim quòd facilius occultari potest; nisi iuxta ma-

nus iunctura fauciari cõtigerit: crassa enim est caro, quæ superne innascitur. In fernũ verò os ex carne est, & nõ facilè occultari põt, & vehementiore extensione opus habet. Si verò hoc contritum non fuerit, sed alterum illud; vilior extensio sufficit. At, si ambo fracta fuerint, fortissima extensione opus habent. In puero etenim vidi extenta magis, quàm oportebat; verùm plerique minus, quàm oportet extenduntur.

5 Conuenit autem facta extensione, volis admotis dirigere; deinde cerato illito non ita multo, vt ne deligamenta circũ fluitent, ita deligare, vt summã manũ non inferius cubiti flexura habeat, sed etiã paulò superius: ne ad summam partẽ sanguis influat, sed intercipiatur: Postea linteo deligare, initio eius supra fracturam iniecto, ita vt firmet quidẽ, non tamẽ admodum premat. Postquam autẽ circumdedit eodẽ loco bis, aut ter; ad supernam partem deligans distribuat; quo sanguinis influxiones intercipiantur, & illic desinat. Conuenit autem prima lintea nõ esse longa: secũdorum verò linteorum initium supra fracturam inuicere, ita vt semel circumdet eodem loco, deinde deorsum distribuat, & minus premens, & magis traducens; quò linteum ipsi sufficiens sit ad recurrendum eo, vbi alterum desinit. Hic igitur lintea ad sinistram, aut dextram deligentur, aut ad vtram partem contulerit ad fracturæ figurã, & in vtram declinare expedierit. Postea verò splenia extendere oportet modico cerato illita: (nam sic & mitius & stabilius se habẽt:) deinde sic linteis deligare alternatim, modo in dextrã, modo in sinistrã: & plerunq; in ferne initio facto, sursum ducere; aliqñ etiã supernè deorsum. Extremitates autẽ subaridas, & in acutũ ab eũtes, splenijs obuolutis curare oportet, ita vt copia opertoriũ non totũ aceruatim, sed particulatim corrigat. Insuper aũt circa manus iunctura, siue articulum laxè circumdare splenia oportet aliàs, atque aliàs. Copia verò linteorum sufficiens primùm, duæ partes sunt. Signa autem bene curati, & terminus rectè deligati, hæc sunt: si interrogaueris ipsum, an cõpressus sit: & si cõpressum quidem se esse dixerit, sed leniter, & maxime circa ipsam fracturam. Huiusmodi ita facta esse perpetuò dicere oportet, eũ, qui rectè deligatur. Signa verò mediocritatis hæc sunt. Ea die ac nocte, qua deligatus est, ipse sibiipsi videatur non minus, sed magis compressus esse; postridie verò tumorem paruum, mollem ad summam manum obortum esse: mediocritatis enim factæ à te compressionis signum hoc est. Desinente autẽ die minus cõpressus esse sibi videatur. Tertiò verò die deligamenta laxa esse ipsi videantur. Et si quid horum iam relatum defecerit; noscere oportet deligationem moderata laxiorẽ esse. Si verò quid ex relatis abundauerit; nosse oportet vltra modum compressum esse. Et ex his coniectura facta, postea deligans aut laxabis, aut comprimes magis. Resoluere autẽ oportet tertia die: vbi extenderis, ac dixeris. Et, si primũ moderate deligasti; hãc deligationẽ paulò magis, quàm illã cõprimere oportet, & initia supra fracturã inijcere, quẽadmodũ etiã antea; si quidẽ enim hãc prius deligaueris, sanies ex hac ad extremitates hinc, atq; illinc exhauritur. Si verò aliquã aliã partem prius cõpresseris; in illam ex compressa exhauritur. Intelligentia autem ad multa vtilis existit. Sic igitur semper incipere oportet & deligationẽ, & cõpressionẽ ex hoc loco. Reliqua verò iuxta rationem, ita vt quãtò lõgius à fractura digressus fueris, minus cõprimas, nunquã quidem laxa omnino circundando, sed adhærentia. Postea verò pluribus linteis deligare oportet in singulis deligationibus. Et, si interrogetur, dicat se paulò magis compressum esse, q̃ prius, & præsertim circa fracturã. Sed & alia & circa tumorẽ, & circa dolorem, & circa alleuationẽ, pro prioris deligationis ratione fiãt. Postquam verò tertius iam aderit dies; laxiora esse ipsi videãtur deligamenta: deinde resoluere oportet, & rursus paulò magis comprimendo deligare, & hoc cum omnibus linteis, quibus deligandus erat. Et postea omnia ea ipsum apprehendant, quæ etiam in primis deligationũ circuitibus cõtigerant. Vbi verò tertius aderit dies, & septimus à prima deligatione, si quidem rectè deligatus fuerit: tumor in summa manu, atq; hic non valde magnus erit; locus autem qui deligatur, in omnibus deligationibus tenuior, ac gracilior cõperietur; verũ in septimo etiã valde tenuis; & ossa fracta magis mouentur, & facilius ad corrẽctionem ducuntur. Et, si hæc huiusmodi fuerint, facta coaptatione velut ad ferulas adhibendas deligare oportet, paulò magis comprimendo, quàm antea, si non dolor aliquis maior fuerit ex timore, qui est in summa manu. Postquam autem linteis deligaueris: ferulas circumponere oportet, & vinculis quàmlaxissimis circundare, quietis saltem gratia, vt ferularum appositio ad compressionem manus nihil faciat. Postea verò & dolor, & alleuatio eodem modo fiant, velut in primis deligationum circuitibus.

6 At verò, vbi tertio die laxas esse dixerit; tunc postea ferulas firmare oportet, maximè quidem circa fracturam, sed & alia iuxta rationẽ; si quidẽ & deligatio magis laxa fuerit, quàm cõprimat. Crassissimã aũt ferulam esse oportet, qua parte extat, fractura, non tamen multum. Et ad hoc studium vel maximè adhibendũ est, vt ferula è directo magni digiti non ponatur, sed hac, vel illac: immo neq; à directo parui digiti, qua parte os supereminet in manus articulo, sed hac, vel illac. Quod si ad fracturã cõferat, hac parte aliquas ferulas poni; breuiores ipsas alijs esse oportet, vt ne perueniant ad ossa prẽminẽtia iuxta manus articulum; periculum est enim vlcerationis, & denudationis neruorum. Oportet autẽ tertio quoq; die ferulis valde leniter firmare, hoc cogitantes, q̃ ferulæ deligationis conseruandæ gratia apponuntur, nõ autem compressionis gratia alligantur. Si quidem igitur probè nouerit, quod in prioribus deligationibus ossa sufficienter sunt directa, & neque pruritus infestent, neque vlla aliqua vlceratio suspecta sit; ita cũ ferulis deligatum finere oportet, donec viginti dies transgressus fuerit: in triginta enim diebus vniuersis maximè ex toto cubiti ossa corroborantur. Certũ tamen nihil est; nã & natura à natura, & ætas ab ætate valde differt. Postquam autẽ solueris; aquã calidã affundere oportet, & postea deligare, paulò minus cõprimendo, quàm antea, & paucioribus linteis, quàm prius: & postea tertio quoque die soluere, ac rursus deligare, ita vt minus cõprimas, & paucioribus linteis vtaris. At verò, si, vbi ferulis deligatus est; ossa nõ rectè posita esse suspiceris, aut aliud quid vulnerans vexet; in dimidio tẽporis spatio, aut paulo prius soluere, & rursus deligare oportet.

7 Victus porrò his, quibus ab initio vlcera nõ facta

fuerint,

fuerint, neque ossa extra eminent; sufficit aliquanto simplicior: verùm parciore victu vtendum est ipsis vsq; ad diem decimum, vt qui iam etiam quiescant: & obsonijs tenellis vtendũ, quæ trãsitui mediocritatem exhibent. A vino verò, & carnis esu abstinendũ. Postea tamen sensim progressu facto reficiendi sunt. Hic sermo velut lex iusta posita est de fracturarum curatione, & quomodo tractare oporteat, & quomodo euẽtus sequi, ex iusta tractatione. Quicquid verò non ita euentum habuerit, scire oportet, quòd in tractatione quid defectuose, aut redundanter factũ est. Quin & hæc insuper in hoc simplici modo cõsiderare oportet, quę non ita valde curare solent medici, & quidem quum omnem curationem, & totam deligationem corrumpere possint; si non rectè fiant: si enim ambo ossa frafacta fuerint, aut infernum solum: is verò, qui deligatus est, in fascia quadam manum exceptam, ac appensam habeat, & plurima fasciæ pars circa fracturã existit, ita vt manus hinc, atque hinc pendeat: hunc necesse est reperiri os ad supernam partem distortum habentem. Si verò sic fractis ossib. & summam manum in fascia habet, & partem iuxta cubiti flexuram: reliqua verò cubiti pars non sit eleuata; hic ad infernam partem os distortum habere comperietur. Proinde in fascia molli latitudinem habente maximam cubiti partem, & manus articulum suspendere, ac eleuata gestare oportet.

8 At verò, si brachium fractum, si quidem quis extẽtam manum in hac figura extẽdat; musculus brachij extentus deligabitur. Postquam autem deligatus cubiti flexuram inflexerit; musculus brachij aliam figuram habebit. Iustissima igitur brachij extensio hæc est. Lignum cubitale, aut paulò breuius, qualia sunt ligna, quæ in foramina ligonum immittuntur, suspendere oportet hinc, atque illinc catena deligatum. Hominem verò in alta quapiam sede collocatum, ita manu superincumbere oportet; vt lignum sub ala sit, moderate habens, vt homo vix sedere possit, & ferè subleuatus sit, suppositio postea alio quopiã fulcimento, & coriaceo puluino vno, aut pluribus subiectis; quò moderatam altitudinem habeat cubitus, ad rectum angulum obliquatus. Optimũ quidem est corium latum, ac molle, aut fasciam latam circundare, & magnum aliquod pondus appendere, quod moderate intendere possit: sin minus; vir aliquis robustus in hac figura cubiti, circa cubiti flexuram deorsum cogat. At verò medicus erectus stans, & alterum pedem in altiore quopiam habens aggressionem faciat, ita vt volis os dirigat, ac componat: facile autem dirigetur. Nam hæc extensio bona est; si quis ipsam recte præparet: deinde deliget fasciarum principijs supra fracturam iniectis: & reliqua omnia, quemadmodum prius monuimus, tractet: & easdem interrogationes faciat: & ijsdem signis vtatur, an moderate habeat, aut secus. Et per tertium diem deliget, & magis comprimat: & septima, aut nona die cum ferulis deliget. Et, si suspicionem habeat os non bene positum esse; intermedio tempore soluat, &, vbi probe collocauit; rursus deliget.

9 Corroboratur autem maxime os brachij in quadraginta diebus. Postquam verò os excesserit; soluere oportet, & minus comprimere, & paucioribus quoque linteis deligare. Cęterùm victum quẽdam exquisitiorem, quàm prius constituere oportet, & ad longius tempus. Eius verò coniecturam facere oportet ad tumoris, qui summa manu est, robur respiciendo. Insuper autem & ad hæc animum aduertere oportet: quòd brachium à natura ad externam partem incuruatum est, & distorqueri solet; si non bene curetur. Sed & alia omnia ossa, quæ à natura ad hanc partem distorta sunt, etiam dum curantur, vbi fracta sunt; distorqueri solent. Vbi igitur tale quippiam in suspicionem venerit; lata insuper fascia brachiũ circumcirca complecti oportet, & circum pectus deligare: &, vbi quiescere volet; inter cubiti flexuram, & costas, splenium quoddam multiplex cõuolutum, ac complicatum supponere: aut aliud quid, quod huic simile existat: hoc enim modo incuruatio ossis recta euadet. Cauere tamen oportet, vt ne nimis ad internam partem vergat.

10 Pes verò hominis ex multis, ac prauis ossibus compositus est, quemadmodum etiam summa manus. Franguntur quidem non ita valde hæc ossa; si non vnà cum corpore, ab acuto aliquo, aut graui vulnerato. Vulnerata igitur quomodo curare oporteat, in vlcerationum parte refertur. Si verò quid è loco suo motum fuerit, aut digitorum articulus, aut aliud quoddam ex ossibus summi pedis; vnumquodque in locum cogere oportet, quemadmodum & ea, quæ in manu sunt. Curare verò oportet cerato, & splenijs, & linteis velut etiam fracturas, exceptis ferulis, eodem modo comprimendo, & per tertium diem deligando. Interrogetur item is, qui deligatur similiter, velut in fracturis, & de compressione facta, & an laxa sit deligatio. At verò sana fiũt in xx. diebus perfecte omnia, exceptis his, quę cum tibię ossibus communionem habent, & cum ipsa è directo. Conducit autem hoc tempore decumbere. At nõ tolerant contemnentes morbum: verùm priusquam sani fiant; obambulant.

11 Et propterea plurimi non perfecte sanantur, sed dolor ipsos sæpe merito commonefacit: totum enim corporis pondus pedes vehunt. Quum igitur nondũ sani iter faciunt; articuli moti male curantur: ideoq; aliàs, atque aliàs hi, qui ad tibiam sunt, dolent. Quæ verò cum tibiæ ossibus communionẽ habent, & maiora alijs sunt, & vbi hæc mota sunt, diuturniorẽ medelam requirunt. Curatio tamen eadem est. Verùm linteis, & splenijs pluribus vbi oportet: & in totum hinc, atq; illinc deligare, cõprimere item velut alia omnia, ea maxime parte, qua emota sunt, & primas quoq; linteorum obuolutiones eodem modo facere. In vna quaq; verò resolutione multa calida aqua vti oportet. In omnibus enim circa articulos lęsionibus, multa aqua calida affundenda est. Cæterùm cõpressiones, & laxationes in ijsdem temporibus eadem signa ostendunt, quæ in superioribus: & religationes eodem modo fiant. Sani verò perfecte hi fiunt in xl. maxime diebus; si decumbere sustinuerint; Sin minus; eadem patiuntur, quæ prius relata sunt, & adhuc amplius.

12 Porro quicunque saltu de alto copiam loco facto, in calcaneum vehementer se fulciuerunt; his ossa quidem disparantur, venulæ verò sanguinem effundunt, carne circa os contusa: tumor autem accedit, & dolor multus. Os enim hoc paruũ non est, & super eminet quidem sub tibię rectitudinẽ, communionẽ verò hẽt cũ venis, ac neruis principalibus. Tẽdo au-

tem posterior huic ossi annectitur. Hos curare oportet cerato,& splenijs,& linteis,& aqua plurima calida, & linteis pluribus. Et ab his opus est etiam alijs quàmoptimis,ac leniſſimis. Et,si quidē mollis fuerit à natura cutis circum calcaneum;sic finere oportet:si verò crassa & dura, veluti quidam habent; incidere oportet æqualiter,& attenuare, ita tamen vt ne vulneretur. At verò talia bene deligare,nō cuiusuis est: si enim deliget quis, quomodo alia circa malleolos deligantur,ita vt aliquando circum pedem,aliquādo circum tendinem, fasciæ circūdentur:hę constrictiones calcaneum superēt, qua parte contusio facta est. Atq; ita periculum est,ne calcanei os corrūpatur. Et sanè si corruptum fuerit,per omne ęuum morbus durare potest:nam & alia,quæ non ex tali modo sunt,ipsum corrumpūt;sed in decubitu denigrato calcaneo, ex figuræ neglectu:aut in tibia vulnere facto periculoso, ac diuturno, & communionem cum calcaneo habente:aut in femore,aut vbi ex alio morbo diuturnus decubitus contingit. Attamen & talibus diuturnæ, ac molestæ affectiones fiunt, & quæ sæpe refringantur;si non bona diligentia, & multa quiete curentur. Quare etiam ea,quæ ex tali modo corrumpūtur, supra aliquam læsionem, magna corpori pericula inducunt: Febres enim peracutę oboriuntur,continuę, tremulæ, singultuosæ,mentem contingentes, paucis diebus durantes, ac occidentes. Fieri etiam possunt venarum sanguifluarum liuores, venarum nauseę,& canceratione ex compressione. Fieri autem possunt hæc absque alia corruptione. Atque hęc quidē relata sunt;vbi vehementissimæ cōtusiones fiunt. Plurima tamen leniter circumcirca contunduntur, neque vllum magnum curationis studium exigunt, sed recte tamen tractare oportet. Quum verò vehemens in fulciēdo illi sio facta esse visa fuerit;tūc sanè relata facere cōuenit, & deligationem plurimam facere circum calcaneum obuolutam, ita vt aliquando ad summas pedis partes, aliquando ad medias, aliquādo ad tibiæ partes,ex oppositolintea obuoluantur. Deligare insuper oportet & vicina omnia hinc, atq; illinc, velut etiam prius dictū est,& vehementem compressionem non facere,sed cum multis linteis. Præstat autem,& veratrum bibendum dare eadem die, aut postridię: & tertia die resoluere,ac rursum deligare.

13 Signa porrò an recrudescant, aut non, hæc sunt. Quū sanguis è venis effusus, & denigrationes, & his vicina,fiūt subrubra,& subdura;periculum est,ne recrudescāt. At, si quidem febre careat;sursum purgās medicamentum dandū est,velut dictum est:itemque si non continua febre laboret. Si verò continua fuerit febris;medicamentum dandum nō est. Verùm & à cibis, & à sorbitionibus abstinēdū:potu verò vtendum aqua, non vino,sed fauorum cremore decocto, aut aceto mulso dulci. Si verò non recrudescent;sanguis è venis effusus, & denigrationes, & vicinæ partes,cum virore subpallidæ fient,& non duræ: & bonum est hoc testimonium in omnibus fugillatis,sanguine è venis subter cutem effuso,quòd non recrudescent. Quęcunq; verò cum duricia liuescunt, ea vt denigrescant,periculum est. Cęterùm hoc studio habere oportet, vt pes plerunque paulo altius reliquo corpore habeatur. Sanus autem fieri poterit in sexaginta diebus, si quieuerit.

14 At verò tibia duo ossa sunt, quorum alterum altero hac parte multò tenuius est, illa verò parte non multò tenuius. Cohærent autem inter se iuxta pedē, & appendicem communem habent. Verùm in rectitudine tibiæ non cohærent:iuxta femur autem cohærent,& appendicem habent, & appendix discrimina tionem. Longius verò paulò alterum hoc est,quod secundum paruum digitum est. Et talis quidem est natura ossium in tibia. Luxantur autem aliquando iuxta pedem ambo ossa,quandoq; cum appendice:quandoque verò appendix tantum emouetur, quandoq; alterum tantum os. Hæc autem minus molesta sunt, quam ea,quæ in articulo manus existunt; si quiescere homines sustineant. Curatio verò consimilis est, velut illorum: nam & positionem ex extensione,velut in illis, facere oportet.

15 Verū vehemētiore extensione opus habent,quanto fortius est ea parte corpus. Plerunq; tamen sufficiunt viri duo,alter hinc,alter illinc extendentes. Si verò nō satis robusti fuerint;facile est vehementiorē extensionem facere:aut.n. rotæ modiolum,aut aliud quid huic simile defodere oportet, & mollo quiddā pedi circundare,& postea latis bubulis loris pede deligato,principia lororum aut ad pistillū, aut ad aliud lignum alligare,atque ita ligno in summum modiolū indito refringere, ita vt alij contra extendant humeris,& poplite apprehēsis. Post etiam superna corporis pars necessitate hac extensionis vrgeri, partim quidem si ita voles, ligno rotundo leuigato alte defosso,partem quandam ipsius supereminentem intra crura iuxta ani, & scroti intercapedinem applicato quò corpus sequi prohibeat ad eos,qui à pedibus extendunt: deinde ad crus, quod extenditur,declinare non oporttet,sed aliquem à latere assidere,qui nates retrudat, ne corpus circumtrahatur: partim verò si etiam circa alas hic, atque illinc ligna affigantur,manus autem extentæ seruentur, apprehendat autem quis circa genu,atq; ita cōtrà extendat: partim item si quis velit,alijs loris circa genu, aut circa femur deligatis,& alio rotæ modiolo supre caput defosso,& loris ex ligno quopiam alligatis,& ligno ita in rotæ modiolum defixo,ad contrariam partem his qui à pedibus extendunt,adtrahere potest. Quin,& si voles; pro rotarum modiolis trabem mediocrem sub lectū extēdes,deinde ad trabis hinc,atq; illinc caput ligna fulciens,ac refringens,lora ipsis alligata intendes. Si verò & hoc velis;asellis hinc, atque illinc constitutis,in ipsis extensionem facies.

16 Sunt autem & alij multi extensionum modi. Optimum autem fuerit; si quis in magna ciuitate medicū agit,vt lignum habeat preparatum,in quo omnes necessitates insint tum ad omnes fracturas,tum ad omnes articulorum repositiones, ex extensione, ac vectiū vsu. Satis autem est,si lignum fuerit & longitudine,& latitudine,& crassitudine tale,quales columnę querneæ quadrangulæ fiunt. Postquam autem sufficienter extenderis; facile iam est articulū reponere: eleuatur enim in directum supra pristinam sedem. Dirigere itaq; manuum volis oportet, ita vt his partim in id,quod eluxatū eminet,innitaris, partim ab altera parte infra malleolū renitaris. Vbi verò reposueris,si quidem fieri poterit;extentum ita deligabis. Si verò præ loris impediaris; his exolutis distentionem facias,donec deligaueris. Deligare autē eodem modo oportet,& fasciarū initijs similiter,in id quod

luxa-

luxatum ēminet iniectis, & primis obuolutionibus plurimis supra id factis, imò etiam splenijs plurimis supra id impositis, & compressione maxime isthic contingente. Sed & hinc, atque illinc multum insuper deligaret oportet. Magis autem hic articulus cōpressione opus habet in prima deligatione, quàm is, qui in manus est. Postquam autem deligaueris; sublimius reliquo corpore deligatam partem habeat. Posi tum autem ipsius ita facere opertet, quò quàmminime pes dependeat.

17 At verò attenuationē corporis ita facere oportet, prout talem, vel talem vim ipsa luxatio habet: aliqua enim paulum, aliqua multum luxantur. In totum verò magis & longiore tēpore, in vulneribus circa crura, quàm his, quæ circa manus fiunt, attenu are oportet: nam & maiora & crassiora hæc, quàm illa sunt: & sanè etiam necessarium est quiescere corpus, ac decumbere. Verùm postea deligare articulū tertia die, neque prohibet quicquam, neq; vrget: & alia omnia similiter, velut superius relata curare oportet. Et si quidē quiete decumbet; sufficient quadraginta dies, si solum in suū locum ossa rursus desederint. Si verò quiescere nolet; non facile quidā crure vti poterit, & deligatione ad multū tempus vti cogetur. Quæcunque verò ossa non perfectè desident in suum locum, sed aliquid deficit: progressu temporis attenuatur coxa, & femur, & tibia. Et, si quidem intro luxata fuerint; externa pars attenuatur. Si verò extra: interna. Plurima autem ad internam pariem luxantur.

18 Postquam verò ambo tibiæ ossa fracta fuerint citra exulcerationem; extensione vehementiore opus habēt. Extendere autem oportet quibusdam modis ex prædictis; si magnæ emotiones fuerint. Sufficiunt etiam à viris factæ extensiones: plerunque enim sufficerint duo viri robusti, alter hinc, alter illinc distendentes. Intendere autem oportet in directum secundum naturam, & secūdum rectitudinem tibię, ac femoris; siue tibiæ fractæ, siue femoris ossa extenderis. Sed & deligare sic oportet vtrisque extentis, vtrum tandem horum deligaueris: non enim eadem cruri, & manui cōferunt: nam, vbi cubiti, & brachij ossa fracta fuerint deligata; manus appēsa excipitur. At, si extenta deligaueris; figuræ carnium alterātur inter flectendum in cubiti flexura: fieri enim non potest, vt cubiti flexura ad multum tempus maneat extenta: nō enim sæpe in hac figura, sed in flexione esse consueuit. Quin, & quum homines obambulare possint: vbi circa manum sauciati fuerint, opus habent flexione in cubitu flexura. At crus quum & in ambulando, & in stando consueuerit aliquando quidem extentum esse, aliquando verò ferè extentum esse, ad infernam partem secundum naturam: & sanè etiam ad hoc vt reliquum corpus vehat: propterea facile est ipsi extentum esse, vbi eius necessitatem habuerit. Quin & in cubilibus sępe in hac figura est, vt videlicet sit extētum. Postquam autem vulneratum fuerit: necessitas animi propositum in seruitutem adigit: impotentes enim fiunt ad se attollēdum, adeo vt ne meminerint quidem, vt inflectant, ac exurgat: sed quiescunt in hac figura decumbentes. Propter has igitur causas neque extensionis, neque deligationis figura eadem manui, & cruri conducit. Si quidē igitur suffecerit extensio, quæ per viros fit: nihil aliud laboris frustra insumere oportet: imperitiam enim arguit machinas adhibere, vbi ipsis non est opus. Si verò non sufficiens fuerit extensio per viros: etiam ex alijs necessarijs quædam adhibere oportet, si quę commoda fuerint. Quum autē satis iam extenta fuerint; facile est dirigere ossa, & ad naturam reducere, manuū volis, ac palmis corrigendo, ac coaptando. Vbi verò direxeris: linteis deligare extēta, siue ad dextram partem, siue ad sinistram, circunducere prima lintea conducat. Initia autem ipsorum supra fracturam iniiciātur, & circum hanc primę quoq; obuolutiones circū ducantur, deinde deligando sursum ad tibiam distribuantur, velut in fracturis dictum est.

19 Cæterū lintea latiora esse oportet, & lōgiora, eaq; multò plura circa crus, quam in manu. Vbi verò deligaueris: super planum quoddam, & molle deponere conuenit: vt neque hac, neq; illac distorqueatur, neque repandum, neque gibbum fiat. Maxime autē cōfert puluinar, aut lineum, aut laneum, non durum, laxum, per medium secundum longitudinem subiectum, aut aliud quid quod huic simile existit. Nā de canalibus, qui sub crura fracta subijciuntur, quid cōsulam ambigo, an supponere ipsos conueniat, aut nō: prosunt enim, non tamen quantum putant hi, qui ipsos supponunt: non enim quiescere cogūt canales, velut illi putant; nam neque dum reliquum corpus aut hac, aut illac vertitur; cogit canalis, vt crus ne sequatur, si non ipse homo huius rei curam habeat. Neque rursus absque corpore crus moueri canalis prohibet, vel in hanc, vel in illam partem. Quin & crudelius est lignum subiicere, si non simul molle quiddam in ipsum indatur: at vtilissimum est in strato permutando, & in progressibus ad aluum exonerandum. Licet igitur & cum canali, & sine canali, & bene, & male rē moliri. Verùm vulgo persuasum est, etiam medicum minus delinquere, si canalis subiiciatur: etiamsi minus hoc artem referat.

20 Oportet enim super plano quopiam, ac molli cubare crus ipsum, penitus, in directum: alioqui necesse est deligationem superari à distortione, quæ in positu contingit, quocunque, & quantumcunque tandem inclinarit. Respondeat autem deligatus eadem, quæ etiam prius dicta sunt: nam & deligationem talem esse oportet, & tumorem ita attolli ad extremas partes, & laxationes ita, & religationes per tertium diem: & quod deligatus gracilius inueniri, & deligationes magis facere, & pluribus linteis, & circumdare pedem laxe: si non vulnus valde propinquum genu fuerit. Extendere autem moderate, & dirigere ossa, in vnaquaque deligatione oportet: si enim recte curetur, & tumor secundum rationem procedat; tū locus, qui deligatur, tenuior, ac gracilior erit, tum ossa adductu facilio, & extensioni magis obedientia. Postquam autem septimus, aut vndecimus aderit dies; ferulas apponere oportet, quemadmodū in alijs fracturis dictum est.

21 Cæterùm ferularum locationes vitare oportet, & secundum malleorum rectitudinem, & supra tendinem, qui est in tibia pedis. At tibiæ ossa corroborantur in quadraginta diebus, si rectè curentur. Si verò suspicionē habeas, os aliquod directione opus habere, aut de vlceratione aliqua timeas; intermedio tempore soluere, & probe coaptata religare oportet. Porro, si alterum tibiæ os fractum fuerit; extensione quidē debiliore opus habet, non tamen defice-

re,neque segniter agere in extendendo conuenit, & maximè quidem omnes fracturas in prima deligatione,quantum eius fieri debet,extendere oportet; sin minus,quàm citissime: quodcunque enim os non recto modo coaptatũ deligans quis compresserit,locus maiori dolore vexabitur. Reliqua verò curatio eadẽ est. At verò ex ossibus his internum,tibia,& prima tibia appellatum,molestiam maiorem in curãdo exhibet,& extensione magis opus habet: &, si non rectè coaptata ossa fuerint;occultari non possunt:est enim totum conspicuum,& carnis exors:& hoc fracto,lõge tardius progredi eo crure poterint.

32 Si verò externum os fractum fuerit;& multò facilius ferunt,& multò melius occultare possunt,etiam si non bene fuerit coaptatum: est enim carnosum,& cito in pedes cõsistunt; plurimum enim oneris internum tibiæ os vehit. Nam simul & vna cum ipso crure,& oneris secundum crus rectitudine, maiorem laboris partem internum os suffert: femoris enim caput supernam corporis partem sustinet. Hoc autem intra crus est,& non extra; sed secundum tibiæ rectitudinẽ; & simul reliqua dimidia corporis pars huic rectitudini magis appropinquat,& non externè;& simul crassius est internum,quàm externum,quemadmodum etiam id,quod in cubito est,secundum parui digiti rectitudinem, tenuis est,& longius. In articulo tamen inferno non similis est ossis longioris cõstitutio;inæqualiter enim cubiti gibbus,siue flexura & poples flectuntur. Propter has igitur causas externo quidem osse fracto,celeres progressus fiunt interno verò fracto, tardi.

33 At verò si femoris os fractum fuerit;extensionem præ omnibus facere oportet, ita vt ne defectuosius fiat;amplior enim facta nihil læserit. Neque enim si quis distantia ex vehementia extensionis ossa deliguerit; fieri poterit, vt deligatio ipsa teneat, vt ita distent; sed coeunt inter se ossa quàmcitissimè; vbi intendentes ipsa remiserunt: crassissimæ enim,ac fortissimæ quum sint hac parte carnes; deligationem superabunt, non ab ipsa superabuntur; magnum enim dedecus est,ac detrimentum femur breuius afficere. Nam si quidem manus breuior fiat,& occultari potest;& nõ magnus est error:at crus si breuius fiat;claudum hominem afficiet: sanum enim crus longius est & id redarguit. Quare vtilius fuerit, vt, si quis male curandus sit;ambo potius crura fracta habeat,quàm alterum tantum; equilibris enim ipse sibi ipsi fuerit hoc modo. Postquam verò sufficienter extenderis;directione,ac coaptatione per manuũ volas facta,eodem modo deligare oportet, velut etiam prius scriptum est,iniectis etiam fasciarum initijs,velut dictũ est,& deligationis distributione sursum versus factę & deligatus eadẽ respõdeat, velut ẽt prius:& doleat eodẽ modo,& melius habeat,& similiter rursus deligetur,& ferularum appositio eadem sit. Corroboratur autem femur in quinquaginta diebus.

34 Insuper verò & hoc considerare oportet,quod femur gibbosum magis est ad externam partem,quàm ad internam,& magis ad anteriorem,quàm posteriorem. In has itaque partes etiam distorquetur;si non probe curetur: & sanè iisdem partibus etiam ipse seipso magis excarnis est, vt neque occultari possit in distortione. Si igitur huiusmodi quippiam suspectũ habueris; machinari ea oportet, quæ in brachio distorto consuluimus. Pauca insuper lintea circa coxã, & locum inter coxas & lumbos,circumdare oportet; quò & inguina, & articulus circa intermediam crurũ,ac inguinum partem (plechada appellatam,) insuper deligetur: nam & aliàs confert,& vt ne extremæ ferularum partes læpant, si ad non deligata adhibeantur. Deficere autem oportet semper ferulas à nuda parte,& hinc,atq; illinc multum: positionem ferularum semper ita prouidere cõuenit, vt neque super os aliquod circa articulos natura prominens, neque super neruum circa articulum fiat.

35 Tumores verò iuxta poplitem, aut circa pedem, aut iuxta aliam quampiam partem ex compressione eleuatos,multis lanis succidis probe carminatis, vino,ac oleo respersis,cerato sublito,deligare oportet, & vbi presserint ferulæ;citius laxare. Graciles autem fieri poterint, si supra ferulas gracilibus linteis tumores deligaris, ab infima parte initio facto, ad supernam procedendo: sic enim quàmcitissimè tumor gracilis fieri poterit,& trãscenderit supra priores deligationes. Verùm hoc deligationis modo vti non oportet; si non periculum fuerit in tumore,pustularum,aut denigrationis. Tale verò nihil fit,si nõ quis valde premat fracturam, aut suspensam habeat, aut manu scalpebat,aut aliud quid,quod irritet,corpori allabatur. At verò canalem si quis sub ipsum femur supponat, qui poplitem non excedat; læserit magis, quàm profuerit: neque enim prohibuerit,quominus & corpus, & tibia, sine femore moueatur: noxius enim erit ad poplitem pertingens, & quod minimè oportet,id facere impulerit.

36 Minime verò oportet genu flectere:omnem enim turbationem deligationibus inducit,& femore,& tibia deligata, quisquis genu flexerit: necesse enim erit propter hoc, musculos, atque aliàs aliam figurã habere. Necesse est item ossa fracta moueri. Præ omnibus itaque faciendum, vt poples sit extentus. Videtur igitur carnalis similiter prodesse,qui à coxa ad pedem vsque subiectus contineat; & aliàs circa poplitem, fasciam cum canali laxe circumdare oportet,quemadmodum infantes in cunis, fascijs obuoluuntur: deinde si femur ad supernam partem distorqueatur,aut ad latus;melius ita cõtineri poterit vnà cum canali. Cæterùm calcanei summi valde magnã cũram habere conuenit; vt & in tibiæ,& in femoris fracturis apte se habeat: si enim dependeat pes, reliqua tibia firmata; necesse est iuxta anteriorem tibiæ partem ossa incurua esse. Si verò calcaneum quidem moderato altius fuerit firmatum reliqua verò tibia aliquantulum eleuata; necesse est huic ossi, vt circa anteriorem tibiæ partem moderato cauius appareat: atque hoc adhuc magis; si calcaneum hominis natura fuerit magnum. Sed & omnia ossa tardius corroborantur; si non secundum naturam posita fuerint; itemque ea, quæ non in eadem figura quescunt: & calli quoque debiliores ipsis obducuntur. Atque hæc quidem de his, quibus ossa quidem fracta sunt,non autem extra eminent,neque aliàs vlcus factum est.

37 Quibus verò ossa fracta sunt simplici modo,& nõ multifido,ita vt eadem die reposita sint,aut postridie in sedem suam recepta, & nullus timor sit fissorum ossium discessionis: aut etiam quibus vlcus quidem factum est, ossa verò fracta nõ extra eminent, neque

modus

modus fracturę talis est, vt sint segmenta à fissis ossibus separata; tales spes est simplici modo curari posse. Et quidem sanè neque magni quippiam boni, neque mali facientes, vlcera quidem curant aliquo purgatorio, aut picatum ceratum, (vt emplastrum cruentis vulneribus idoneum) aut aliud quid ex his, quę facere solent, imponentes. Ego verò eos laudo, qui spleniа vino imbuta, aut lanas succidas, aut quid huiusmodi deligant. Vbi verò vlcera pura facta fuerint, & iam coalescunt; tunc multis linteis deligare, & ferulis dirigere conantur. Hæc quidem curatio boni aliquid facit, nihil autem magni mali: ossa tamen non simiter in suam sedem firmari possunt. Verùm corpora aliquanto tumidiora ea parte fiunt, quā sit opportunum: fiunt autem & breuiora his, quibus vtraque ossa, aut cubiti, aut tibiæ fracta sunt.

28 Alij verò rursus sunt, qui talia statim linteis curāt, hinc, atque illinc linteis deligant, vlcus verò ipsum relinquunt, & perfrigerari sinūt: deinde super vlcus purgatorium, aliquod imponunt, & splenijs vino imbutis, & lanis succidis curant. Hæc curatio mala est, & verisimile est eos, qui ita curāt, tum in alijs fracturis, tum in huiusmodi maximè imprudenter se gerere: maximum.n. est cognoscere, quomodo initium lintei inijcere oportet, & qua parte maxime comprimere: & quæ vtilitas contingat, si quis initium lintei recte inijciat, & qua maximè oportet parte premat: & quæ detrimenta inducantur, si quis non recte inijciat, neq; qua maxime oportet premat, sed hinc, atq; illinc id faciat: & dictū quidem est etiam in superioribus, quæ ex vtrisque eueniant. Testatur autem & ipsa hæc medicina: necesse est enim ei, qui ita deligatur, tumorē ad ipsum vlcus eleuari: etenim, si sanum corpus hinc, atque illinc fuerit deligatum, in medio verò relictum, iuxta relictum vtique spatium maximè intumuerit, ac decoloratum reddetur; quo modo vlcus hęc non perpetietur; necesse igitur est, vt vlcus quidem decoloratum sit, & labijs euersum, ac pertuberans, verùm lachrymosum, & non suppurans: ossa verò etiam, quæ discessura non erant, discedant: sed & pulsans, & febriens vlcus fuerit. Coguntur autem propter tumorem cataplasmata insuper imponere, quod & ipsum incommodum est his, qui hinc, atque illinc deligantur. Pondus enim inutile ad reliquum pulsum accedit. Postremùm verò deligamenta resoluunt; vbi iam malum ipsis recrudescit, & de cætero citra deligationem curāt. Neque verò minus, etiam si aliud quoddam eiusmodi vulnus acceperint, eodē modo curant: non.n. deligationem hinc, atque illinc factam, & vlceris perfrigerationem, in causa esse putant, sed alius quoddam infortunium. Attamen de hoc tam multa non scripsissem; si non certò scirem incommodam esse hanc deligationem, & multos esse, qui ita curent, & magi momenti esse hanc rem dedicere, & testimonio hæc esse, quòd rectè scripta sint ea, quæ prius scripta sunt; siue maximè premendæ sint, siue minimè ipse fracturæ.

29 Oportet autem (vt in summa dicam) quibus his non est futuri discessus ossis expectatio, eandem curationem adhibere, velut his, quibus os fractum fuerit, vlcus autē non habent: nam & extentiones, & directiones, ac coaptationes ossium eodem modo facere oportet, & consimilem deligationem: super ipsum enim vlcus splenium tenue duplex, picato cerato illitum deligandum est, & circumsitæ partes cerato albo illinendæ. Verùm lintea, & reliqua latiora, aliquā tum fissa sint magis, quàm si non vlcus haberent: & id, quo primum deligamus, multò latius sit ipso vlcere. Quæ enim angustiora sunt, quàm vlcus, cinctum vlcus tenent, id quod fieri non conueniat: sed prima circumductio totum vlcus cōprehendat, & linteum hinc, atque illinc premineat. Itaque secundum vlceris rectitudinem, linteum inijcere oportet, & premere paulò minus, quàm si vlcus non haberent. Distribuenda verò est deligatio, velut etiam prius dictum est. Lintea autem semper quidem mollis modi sint, magis tamen in talibus, quàm si vlcus non esset. Copia verò linteorum non minor sit prius relatis; sed etiam aliquanto amplior. Si verò deligatus fuerit; videatur is sibi lintea firmata quidem esse, non autem compressa: dicatque super vlcus maximè firmata esse: eadem autem tempora esse oportet, ad hoc vt magis firmata esse videantur, quemadmodum etiam in superioribus dictum est. Deligatio etiam post ea facienda per tertium diem, ita vt omnia postea faciamus consimili modo, velut prius dictum est, præterquam quòd in totum, minus aliquanto hæc, quàm illa comprimenda sunt. Quòd, si secundum rationem, quæ fieri par est, facta fuerint; gracilior quidem semper comperietur vlceris pars, graciliores autem & reliquæ omnes, quæ à deligatione continentur: & suppurationes citiores erūt, quàm in vlceribus aliter curatis: & quocunque carunculæ in vulnere denigratę sunt, & mortificatæ, citius abrumpuntur, ac excidūt in hac curatione, quàm in alijs: & ad cicatricem citius peruenit vlcus, si hoc modo quàm si alio curetur. At omnium horum causa est, quòd & locus circa vlcus gracilis fit, & quæ circumsita sunt, gracilia omnia fiunt. In reliquis igitur omnibus consimiliter curare oportet, velut ossa sine vlcerationibus fracta: verùm ferulas apponere non oportet. Et propterea lintea his plura esse debent, quam alijs, & quòd minus comprimantur, & quòd ferulæ tardius apponantur. Si tamen ferulas apposueris; nō secundum rectitudinem vlceris appones sed ita laxe adhibeantur, prouidendo, vt nulla magna ab ipsis constrictio fiat. Dictū autem hoc quoque est in his, quæ prius scripta sunt. Victus autem rationē exquisitiorem, & longiori tempore constituere oportet his, quibus ab initio vlcera fiunt, & quibus ossa extra eminent: &, vt in summa dicatur, in vehementissimis vulneribus exquisitiore, eoque diuturniore victu vti conuenit.

30 Eadem etiam curatio vlcerum est in his, quibus ossa quidem fracta sunt, sed vlcus ab initio non fuit; verùm inter medendum factum est, aut vlcere linteis magis compresso, aut ferularum insessu, aut ab alia quapiam causa. Cognoscuntur autem tales fracturę, an vlcus subsit, & dolore, & pulsibus: & tumor qui in extremis partibus est, talibus durus efficitur, &, si digitum admoueris; attollitur: sed & cito rursus subterfugit. Si igitur tale quid suspicatus fueris; soluere oportet: &, si quidē pruritus circa subligationes fuerit, aut alia quopiam parte deligata; cerato picato pro altero vti. Si verò horum nihil fuerit, verùm ipsum vlcus irritatum, reperitur nigrum valde, aut impurum. & futurū est, vt & carnes suppurentur, & nerui insuper excidant: hos omnino perfrigerare non oportet, neque quicquam has suppurationes vereri,

sed

Sed curare in reliquis omnibus consimili modo, velut eos, quibus ab initio vlcus factum est. Linteis verò deligare incipere oportet valde laxis, à tumore, qui in extremis partibus consistit, atque ita deligationem distribuere semper sursum versus, nusquam quidem comprimendo, sed maximè super vlcus firmando, super alia verò minus: & prima quidem linteа hæc munda sint, & non angusta. Copia verò linteorum tanta sit, quanta est, si cum ferulis deligatio fiat, aut paulò minor. Super ipsum autem vlcus sufficiens est splenium cerato albo illitum: siue enim caro, siue neruus denigratus fuerit, excidet: talia n. acribus curare non oportet, sed mollibus velut ambusta. Deligare verò postea per tertium diem conuenit, ferulas autem non apponere: Quiescere verò magis, quàm prius, & modico cibo vti. Scire verò expedit, siue caro, siue neruus sit, id quod excidet, quod hoc modo multo minus vltra depascitur, & multo citius excidet, & multò graciliores circumsitæ partes erunt, quàm si quis exolutis linteis, aliquid medicamentorum purgatoriorum super vlcus imponat. Quin, & si exciderit id, quod suppurasset, & citius carne repletur, & citius ad cicatricē peruenit, quàm si illo, aut alio modo curetur: omnia sanè in hoc sita sunt, vt quis hæc rectè, & moderatè deligare sciat. Conferunt insuper & figuræ, quales esse oportet, & reliqua victus ratio, & linteorum aptitudo. Si verò in recens vulneratis decipiaris, ossium discessum nō fore putans, quum tamen expectatio sit, illa emersura esse; modum curationis timere non oportet: nihil enim magni mali contigerit, si modo bonas, ac innoxias deligationes manu facere noueris. Signum autem hoc est, si ossium discessus in hoc curationis modo futurus est: pus enim multum fluit ex vlcere, & glescere, ac turgere affecta pars videtur. Frequentius igitur deligare oportet, ob nimiā humiditatem, & quòd aliàs etiam febres fiunt. Et si quidem valde premantur, à deligatione, & vlcus, & circumsitæ partes graciles fiunt.

51 Quicunque itaque valde tenuium ossium discessus fiunt, hi nulla magna mutatione opus habēt, nisi vt laxius deligatio fiat, vt ne pus intercipiatur, sed facilè effluere possit. Sed & frequentius deligare oportet, donec os discesserit, & ferulas non apponere. Quibus verò maioris ossis discessus expectatur, siue hoc à principio prænoueris, siue etiam postea cognoueris; non amplius eadem duratione opus habet. Sed extentiones, & directiones ita facere oportet, velut dictum est: splenia vero duplicata, latitudine quidem dimidio palmo non minora: (quale tamen fuerit vulnus, iuxta hoc coniectura facienda est:) longitudine verò paulò quidem breuiora, quàm vt bis circumsauciatum corpus circumduci possint, multò verò lōgiora, quàm vt semel. Copia verò tot sint, quot facere conducit. Hæc in vino nigro austero madefacta, ex medio initio facto circumuoluere oportet, quemadmodum fascia ex duobus initijs deligatur: & deinde asciatim alternatione ipsorum facta, initia dimittere. Hæc & super ipsum vlcus adhibēda sunt, & ab vtraque vlceris parte, & ne comprimantur, sed saltem fulciendi vlceris gratia incumbant. Supra ipsum verò vlcus, ceratum picatum imponere oportet, aut aliquod ex emplastris cruentis vulneribus destinatis, aut aliud quoddam medicamētum, quod familiare, ac idoneum sit humectationi adhibendæ: & si quidem æstatis tempus fuerit; vino madefacere splenia frequenter oportet. Si verò hyems; lanas succidas multas vino, & oleo imbutas adhibeto. Oportet autem capræ pellem substernere, & defluxiones obseruare, vt facilè effluere possint, ita vt meminerimus, quòd hi loci in eiisdem figuris multo tempore permanentes, intertigines curatu difficiles faciunt.

32 Qui verò deligatione sanari per aliquem ex relatis, aut referendis modis non possunt, eos magnam huc curam adhibere conuenit, vt fractam corporis partem commodè positam habeant secundum rectitudinem, animaduersione ad hoc habita, vt sursum magis, quàm deorsum vergat. Si verò quis bene, ac facile opus perficere velit; operæprecium est etiam machinamenta facere; quò iustam & non violentam extensionem pars corporis fracta habeat. Maximè verò in tibia machinamenta adhibere expedit. Sunt igitur aliqui, qui in omnibus tibiæ fracturis, & quæ deligantur, & quæ non deligantur, pedem summum ad lectum alligant, aut ad aliud quoddam lignū iuxta lectum defossum. Hi itaque omnia mala faciunt, nihil autem boni: neque enim vllam opem affert extensioni hæc pedis alligatio: nihilo enim minus ad pedem concedet reliquum corpus, atque sic nō amplius extenditur: neque rursus ad rectitudinē quicquam prodest, sed etiam obest: dum enim vertitur reliquum corpus aut hac, aut illac; nihil prohibebit vinculum illud, quo minus & pes, & ossa pedi annexa, reliquum corpus sequantur: imò, si pes alligatus non fuisset; minus distorqueretur. Si verò quis pilas duas ex corio Aegyptio consuat tales, quales gestant hi, qui multo tempore in magnis compedibus vincti sunt: habeant autem pilę hinc, atque illinc tunicas, ad vulneris quidem partes, profundiores: ad articulorum verò partes, breuiores: sint item tumidæ, ac molles, & congruentes ad hoc, vt altera supra malleolos, altera infra genu coaptetur. Habeat insuper vtraque duas vtrinque appendices à latere, aut ex simplici, aut ex duplici loro, breuiores velut ansas, ita vt alteræ sint ab vtraque malleoli, alteræ ab vtraque genu parte: & superna pila alteras tales habeat secundum eandem rectitudinem. Postea virgis corneis acceptis, æqualem inter se magnitudinem habentibus, crassitudine quidem digitali, longitudine verò vt flexæ appendicibus congruant, huc diligentiam adhibeas, vt extremæ virgarum partes non ad corpus, sed ad summas pilarum eminentias innitantur. Oportet autem tria esse virgarum paria, aut etiam plura: & alias alijs aliquanto longiores, & aliquanto breuiores, ac minores, vt si velis magis distēdere possis. Locentur autem virgæ vtræque hinc, atque illinc à malleolorum vtraque parte. Hæc itaque si bene machinatus fueris, & extensionē iustam exhibuerint, & secundum rectitudinem æqualem, & vulneri nullus dolor accesserit: nam quæ expressa fuerint, si quid tamen exprimetur; parum ad pedem abddcentur, partim ad femur: & virgæ hinc, atque illinc à malleolis accommodatiores erunt, vt tibiæ positio non impediatur, & vulnus probe impingat, ac sustentetur: neque enim impedimento est, si quis velit duas virgas superiores, ipsas inter se coniungere, & si quis leuiter quid superimponere velit, vt id, quod si superimponitur, à vulnere eleuatum sit. Si-

quidem

quidem igitur & pilæ lenes, & molles, & bonę, & recenter consuetæ fuerint: & virgarum intentio probe intenta fuerit, velut iam dictum est; commodum erit machinamentum. Si verò quid horum non rectè habuerit; læserit magis, quàm profuerit. Conuenit autem & alias machinas, aut bene machinari, aut non machinari: turpe enim est, & minimè artificiosum in machinis struendis à machinis aberrare.

33 Plerique porrò medici fracturas & cum vlceribus, primis diebus lanis succidis curant, & nihil ab arte alienum ipsis hoc esse videtur: & qui quidē à recens vulneratus coguntur, ex linteorum inopia lanis vti, his plurimus veniæ locus patet: non enim habuerit quis in linteorum penuria, aliud quid multò melius ad tales deligandas, q̄ est lana. Verùm omnino multæ lanæ esse debent, & valde bene carminatæ, & non asperæ: nam paucarum, & malarum vires etiam modicæ sunt. Qui verò ad vnum, aut duos dies, lanis deligare iustum esse cēsent, tertia verò, ac quarta linteis deligantes premunt, ac extendunt tunc vel maximè, hi in re multi adeò, ac magni in medicina momenti, se imprudenter gerunt. Mmimè etiam tertia ac quarta die, omnia vulnera mouere oportet: & vt in summa dicam, etiam omnes spicillorum admotiones vitare conuenit in his diebus, & alia quoque, quibus vulnera irritātur: in totum enim tertia, ac quarta dies in plerisq; vulneribus recrudescētias pariunt, & quæ ad inflammationem, ac immunditiam procedunt, & quæ ad febres deueniunt. Et hæc res multi momenti est, vt discatur, vt si qua alia. Cum qua enim ex vtilissimis in medicina rebus, non solum circa vulnera, verùm etiam circa alios multos morbos, communionē non habet? nisi quis etiam alios morbos vlcera esse dixerit. Habet enim & hic sermo aliquam verisimilitudinem: multis enim modis alijs cognati sunt.

34 Quicunque tamen iustum esse putant lanis vti, donec septem præterierint dies, deinde verò extendere, ac dirigere, & linteis deligare; hi non similiter imprudentes videri poterint: nam & maximum inflammationis periculū præterijt; & ossa laxa, ac apta post hos dies sunt. Longe tamen & hæc curatio superatur ab ea deligatione quæ ab initio linteis fit: ille enim modus præparat, ac efficit, vt septima die ferulis perfectè deligari possint: hic autem modus multo tardior est. Sed & alia quædam detrimenta habet. Verùm longum esset omnia scribere. Quibus verò ossa fracta, & extra eminentia in suam sedem collocari non possunt, his hæc restitutio debetur. Ferramenta facere oportet ad eum modum, quem vectes habent illi, quibus lapicidę vtūtur, alia latiora, alia angustiora. Esse verò conuenit tria, aut plura etiam, quo quis maximè congruis vtatur. Postea cum his vnà cum extensione motionem aggredi oportet, ita vt ad inferiorem ossis partem subijcias, ad superiorem verò partem ossis, superiorem ferramenti partem innitendo firmes, in summa, quemadmodum si quis lapidē, aut lignum vehementer vecte commoueat. Sint autem valida ferramenta quantum eius fieri potest, vt ne flectantur. Hoc magnum auxilium est, si & ferramenta idonea fuerint, & si quis, velut conuenit, commotionem faciat.

35 Nam ex omnibus instrumentis, quæ homines machinati sunt, fortissima hæc tria existunt, aselli circūductio, per vectes commotio, & cuneorum vsus. At sine horum vno aliquo, aut sine omnibus, nullum vehementissimum opus homines perficiunt. Non igitur spernenda est hæc per ferreos illos vectes commotio: aut enim hoc modo, aut nullo alio in sedem suam collabentur. Si verò superna ossis pars immutata fuerit, ac confracta, vt vecti adhibendo locus non sit commodus, sed acutum quid prominet; tunc osse scalpendo derasō, securam vecti sedem facere oportet. Hanc autem per vectes commotionem, & extensionem eadem die, aut secunda facere oportet: non autem tertia: minime verò quarta, aut quinta: nam, etiamsi nō reponas, sed aliàs molestiam exhibeas in his diebus, inflammationem induxeris; quāto magis si reponas? Conuulsionem tamen multo magis induxeris, si reponas, quam si reponere omittas. Atq; hæc probè nosse conuenit; si enim reponenti conuulsio accesserit; non multa salutis spes est. Commodum autem est rursus eijcere os à sua sede; si hoc fieri citra molestiam possit: non enim in laxioribus, quàm opportunum est, conuulsiones, ac distentiones accedunt; sed in his, quæ magis extenta sunt. Cæterùm de qua re nunc nobis sermo est, in prædictis illis diebus molestiam exhibere non oportet, & curam adhibere, vt vlcus minime inflammetur, & maximè suppuretur. Postquàm verò septē præterierint dies, aut paulò plures, si sine febre fuerit, & vlcus non inflammatum sit; tunc minus vetat, vt reponere tētes, si spes obtenturum te esse; sin minus; non oportet frustra molestiam suscipere, & inferre. Si igitur ossa reposueris in suam sedem, iam scripti sunt modi, quomodo curare oportet, siue ossa discessura esse, siue non, expectatio sit: & si quidem ossium discessus expectatio sit, eo, quem dixi, modo cum linteis; in omnibus talibus deligationem facere oportet, ex medio linteo initio facto vt plurimum, velut ex duobus initijs fascia deligatur. Coniecturam autē facere oportet iuxta vlceris formam, quo fit quàmminimū hiās, ac labijs protuberās, & expassum: alijs enim ad dextram deligare commodum est, alijs ad sinistram, alijs ex duobus initijs.

36 Quęcunq; verò ossa repositionem effugerunt, ea discessura esse nosse oportet; itemq; ea, quæ carnibus penitus nudata sunt. Nudatur autem quorundam superna pars, quorundam verò carnes circūcirca mortificātur. Et quibusdā quidem ex veteri vulnere aliqua ossa emarcuerunt: quibusdam verò non: & aliquibus magis, aliquibus minus, & partim parua, partim magna. Propter hæc igitur relata, vno verbo dici nō potest, quādo ossa sint discessura. Aliqua enim ob paruitatem, aliqua ex eo q̄ in summa parte existunt, citius discedunt: aliqua eo q̄ non discedunt, resiccata, & marcida effecta desquamantur. Præterea differt curatio à curatione. In totum igitur ossa citissimè his discedunt, quibus citissimæ fiunt suppurationes, & citissimæ, ac optimæ carnis productiones: subnascentes enim iuxta læsam partem carnes, plerunque ossa ipsa elcuant. Totus tamen ossis circulus, si in quadraginta diebus discesserit; bene discedet; quędam enim ad sexaginta dies perueniunt: nam & rariora ossa citius discedūt, solidiora verò tardius. Alia autem minora, multò minore temporis spacio alia aliter.

37 Cæterùm os extra eminens his de causis præsecare oportet, si reponi non possit, & parum absit, vt reponi

poni posse videatur,& fieri poterit,vt auferatur,& si noxium fuerit,& de caruibus quid rumpat,& sensus molestiam exhibeat. Sed & si nudum fuerit: tale auferre oportet. Reliqua siue præseces,siue non præseces: non multum refert: hoc enim certo scire expedit, quòd ossa,quæ carnibus perfectè priuantur, ac exarescunt,omnia penitus discedent. A quibus verò squamæ discessuræ sunt, ea præsecare non oportet. Coniecturam verò eorum quæ discedent, ex constitutis signis facere oportet; curare autem tales splenijs & vinosa curatione,velut etiam prius de discessuris ossibus scriptum est.Sed cauere decet,ne primo tempore frigidis madefiant; rigorem enim febriliũ periculum est: periculum item conuulsionum;frigida enim semper conuulsionem prouocant: quandoque verò etiam vlcera. Nosse quoque id conuenit, necesse esse ibi corpora breuiora fieri, vbi ossa fracta, ac immutata curantur, & quibus totus ossis circulus discessit.

38 At verò quibus femoris, aut brachij os extra eminet:hi nõ valde superstites euadunt:nam & ossa magna sunt,& multũ medullæ habẽt: & quæ simul vulnerantur,multa sunt,& magni momenti,& nerui,& musculi,& venæ. Et,si quidem reposueris: conuulsiones accedere solent. Si verò non reposita fuerint: febres acutæ, & bilioſæ, singultuosæ oboriuntur,& denigrantur. Non minus autem superstites euadunt hi,quibus reposita non sunt, neq; tentatum est,vt reponerentur. Adhuc verò magis euadunt,quibus inferna ossis pars eminet extra, quàm quibus superna. Euadũt etiam quibus reposita fuerint,attamen raro: nam & curationes à curationibus multum differũt, & naturæ corporum à naturis.ad facile tolerandum. Multum etiam differt,an in interna brachij,ac femoris parte ossa extra promineant.

39 Multæ enim, & periculosæ venarum extensiones in interna parte sunt,quarum aliquæ si vulnerentur; lethales sunt. Sunt autem & in externa parte, verùm minus. In talibus igitur vulneribus qualia pericula immineant, ignorare non oportet, & ad temporum occasiones prædicere. Si verò reponere hæc ossa cogaris, & reponendi aliqua tibi spes sit,& non multa ossis immutatio fuerit,& musculi non concurrerint (solent enim concurrere) vectis molitio etiam his cum extensione: opem bene ferre poterit. Vbi verò reponis; veratrum molle bibẽdum dare oportet eadem die,si eadem die reposita fuerint: sin minus: ne aggredi quidem oportet. Verùm vlcus curare oportet, velut in capitis ossibus fractis,& frigidi nihil adhibere, & cibos penitus auferre: & si quidem amara bile præditus natura fuerit,fauorem cremorem odoratum coctum,aut acetum mulsum dulce, in aquam instillato,eoque pro victu vtatur. Si verò amara bile præditus non sit; aquæ potione vtatur. Et si quidem continua febre laborarit: ad quatuordecim dies vt minimum hoc victu degat. Si verò sine febre sit; septem diebus. Postea sensim progressu contingente secundũ rationem ad vulgarem victum adducatur. Et quibus ossa non reposita fuerint, eandem itidem medicamenti purgationem facere oportet,& vlcerũ curationem,eundem item exhibere victum:& depẽdentem de corpore partem non extendere, sed magis adducere; quò laxior sit pars circa vlcus. At ossium discessus diuturnus est, velut etiam prius dictũ est:maximè verò talia fugere oportet; si modo quis honestam fugam habeat:nam & spes paucæ sunt,& pericula multa: &, si quis non reponat; artis expers esse videri poterit: &, si reponat; propinquius ad mortem,quàm ad salutem perduxerit.

40 Cæterùm luxationes, & emotiones ossium circa genua multo mitiores sunt emotionibus,ac luxationibus circa cubiti flexuram: nam femoris articulus pro magnitudine expeditior est, quàm brachij,& iustam naturam solum habet,eamq; rotundâ. Brachij verò articulus & magnus est, & sinus plures habet. Ad hæc verò tibiæ ossa longitudine inter se similia sunt:& externum os paululum, ne memorabili quidem modo excedit, nullum magnum impedimentũ afferẽs, à quo externus tendo circa poplitem enascitur. At cubiti ossa inæqualia sunt, & quod breuius est,multò crassius est: quod verò tenuius est, multũ superat,& excedit articulũ. Dependet tamen & hoc ex neruis iuxta communem ossium connexionem. Maiorem autem partem connexionis neruorum in brachio os tenue habet, quàm crassum. Horum itaque articulorum,& ossium flexuræ cubiti natura huiusmodi est.

41 Et propter naturæ modum, ossa circa genu sæpe quidem luxantur, facilè autem rursus incidunt, ac reponuntur. Inflammatio verò nõ magna accedit, neq; vinculũ articuli.Luxantur autẽ plerunq; in internam partẽ,aliqñ etiam ad externam, quandoque etiam ad poplitem. Horum omnium repositiones non sunt difficiles. Verum si quidem foras,aut intro luxẽtur; hominẽ in humili aliquo sedili sedere oportet,ita vt crus altius,non tamen multo habeat. Extẽsio autem plerunq; moderata sufficit, ita vt ab altera parte tibia,ab altera femur in diuersum extendatur. At ossa circa cubiti flexuram molestiora sunt,quam quæ circa genu sunt,& difficilius reponi possunt,ẽt ob inflammationem:si quis non statim reponat. Luxãtur quidem minus,quàm illa;verùm difficilius reponuntur,ac coaptantur: insuperq; inflammãtur,ac callum acquirunt. Sunt autem & horum plerunque paruæ inclinationes,aliquando ad partem ad costas, aliquando ad externã, non ut totus articulus sit emotus:sed manet quid iuxta ossis brachij cauitatẽ, qua parte cubiti os excedens habet.Talia igitur siue hac, siue illac luxentur: facilè est reponere: & sufficit extensio indirectum facta, secundum brachij rectitudinem,ita vt alter iuxta manus iuncturam extendat,alter locum sub alis amplectatur:Medicus verò altera manu ad emotum articulum admota,volis impellata altera prope ad articulũ iniecta retrudat. Obediũt autem tales luxationes, & non tarde reponuntur: si quis antea,quàm inflammentur,reponat. Luxantur autem plerunq; magis ad internam partem: luxãtur etiam ad externam. Innotescit id ex figura: & talia fæpe etiã absq; vehementi tensione rursus incidunt. Oportet autem in his,quę intrò luxantur,articulum quidem ad naturam suam repellere,cubitũ verò magis in pronam partem vergentem circumducere. Ex plerunque sane cubiti luxationes huiusmodi sunt.

42 Si verò transgressus fuerit articulus,aut hac,aut illac,supra cubiti os,quod ad brachij cauitatem excedit:fit quidem raro hoc: si verò fiat; non amplius similiter extensio in directum contingens,talibus luxationibus idonea est: in tali enim extensione, os à

cubito

cubito excedens, brachij tranſgreſſionem prohibet. Oportet itaq; ſic emotis extenſionem talem facere, qualis prius deſcripta eſt; vbi quis oſſa brachij fracta deligat, vt ab alia quidem in ſupernam partem tenſio fiat, ab ipſa verò cubiti flexura ad infernam cogatur: ſic enim brachium ſupra ſuũ ſinum maximè eleuabitur. Si verò eleuatum fuerit; facilis eſt reſtitutio cum volis manuum, ita vt emotam quidem brachij partem apprehendentes impellamus: os verò cubiti iuxta articulum retrudamus, vtraq; eodem modo, minus tamen. Atque talis extenſio huiuſmodi luxationis iuſtiſſima eſt. Poterit etiam reponi per extenſionem indirectum, verùm minus, quàm hoc modo.

43 At, ſi in anteriorem partem brachium luxetur: rariſſimè autem hoc contingit. Sed quid repentina eluctatio non ciecerit? Multa enim etiam præter naturam ſuam excidunt; etiamſi magnum quid ſit quod prohibeat. Huic autem eluctationi magnum quoddam obſtaculum eſt, & os craſſius, quod ſuperexcedit, & multa neruorum extenſio; attamen quidam ſanè eluctantur. Signum autem his, qui ita eluctati ſunt. Nihil enim de cubito flectere poſſunt. Manifeſtus eſt etiam articulus ad contactum. Si quidem igitur non ſtatim repoſitus fuerit; vehementes, ac violentæ inflammationes, itemq; febriles fiunt. Si verò ſtatim quis occurrat; facile reponi poteſt. Oportet autem linteum durum conuolutum (ſuffecerit non magnum) imponere obliquum in cubiti flexuram, & derepente cubitum inflectere, & manum quàmmaximè ad humerum adducere. Sufficiens igitur fuerit hæc repoſitio his, qui ita eluctati ſunt. Sed & extenſio indirectum, hunc repoſitionis modum coaptare poteſt: volis tamen manus in eminentẽ brachij partem iniectis, iuxta flexuram retro impellere oportet, ita vt aliquis inferne ijſdẽ in cubiti gibbum iniectis, ad cubiti rectitudinem retrudat. Efficax eſt etiam in hoc luxationis modo illa extenſio, quæ prius ſcripta eſt, quomodo oſſa brachij fracta extendere oportet, vbi ſunt deliganda. Poſtquam verò extenta fuerint; ſic cum manuum volis iniectis coaptationes facere, velut etiam prius ſcriptum eſt.

44 Cæterùm ſi in poſteriorem partem brachium exciderit; (raro autem hoc contingit) hæc luxatio omnium maxime doloroſa exiſtit, & febres continuas meracæ bilis paucorum dierum, ac maxime lethales inducit, & tales extendere brachium non poſſunt. Si igitur ſtatim aſtueris; extento cubiti gibbo cogere oportet, & ſponte incidit. Si verò febris præuenerit; non amplius reponere oportet: dolor enim in cogendo augeſcet. Vt autem in ſumma dicam, neque alium articulum febrienti reponere oportet, minime verò cubiti gibbum. Sunt autem & aliæ læſiones, ac moleſtiæ circa cubiti gibbum: hoc enim os craſſius, ſi quando ab altero emotum eſt, neque flecti, neque extendi ſimiliter poteſt. Manifeſtum autem fit ex contactu, iuxta cubiti flexuram, circa venę diſciſſionem ſupra muſculum tendentem. Quibus autem tale accidit, his non amplius facile eſt ad ſuam naturam reducere: neque enim aliam vllam communem duorum oſſium connexionem emotam, ad priſtinam naturam collocare facile eſt: ſed neceſſe eſt tumorem habere ipſam diſparationem. Quomodo verò deligare oportet in articulo, dictum eſt in deligatione circa malleolum.

45 Quibuſdam autem os cubiti brachio ſubiectum frangitur, quandoq; quidẽ cartilaginoſa ipſius pars, ex qua tendo retro brachiũ enaſcitur: & vbi hæc emota fuerit; febrile eſt, ac malignum. Articulus tamen manet in ſuo loco; ęqualiter enim baſis ipſius hac parte excedit. Quum autem abductus fuerit ea parte, qua caput brachij excidit; vagabundus magis fit articulus, quàm ſi penitus ſit abruptus: nam vt in ſumma dicam, omnia oſſa, quæ franguntur, minus noxia ſunt, quàm ſi oſſa quidem non frangantur, venæ autem, & nerui alicuius momenti in his locis contundantur; vicinius enim ad mortem accedunt hæc, quàm illa, ſi febris coutinua acceſſerit. Paucæ tamen tales fracturæ fiunt. Quandoque verò hoc brachij caput iuxta appendicem frangitur: atque hoc quum videatur multo magis noxium eſſe; longe mitius noxis circa cubiti gibbum contingentibus exiſtit.

46 Quomodo igitur ſingulas luxationes reponere, & præſertim curare oportet, ſcriptum eſt: & quòd ſtatim reponere articulum maxime confert, propter celeritatem inflammationis neruorum: nã etiamſi elapſæ ſtatim repoſita fuerint; ſimiliter tamen nerui diſtentionem facere ſolent, & ad tempus aliquod tum extenſionem, quam facere ſolent, tum influxionem impedire. Confert autem omnia hæc ſimiliter curare, & quæ franguntur, & quæ diſparantur, & quæ luxantur: omnia enim multis linteis, & ſplenijs, & cerato curare oportet; velut etiam alias fracturas. At figuram cubiti gibbi in his etiam omnino talem facere oportet, qualem in his, quibus brachium fractum, & cubitus deligabatur: communiſſima enim omnibus luxationibus, & emotionibus, & fracturis, hæc figura eſt. Communiſſima item ad diſtentionem poſtea faciendam, & ad ſingula extendenda, ac inflectenda: hinc enim viæ ſunt ad vtraſque partes conſimiles. Commodiſſima eſt etiam hæc figura ipſi ægroto, vt ipſum, & geſtet, & appenſum excipiat. His adde, ſi à callo apprehenſus fuerit, ſi quidem extenta manus apprehendatur; melius fuerit, ſi non adſit; multis enim impedimento erit, paucis adiumento: ſi verò inflexæ; magis quidem commoda fuerit. Verùm longe commodior, ſi mediam figuram obtinens callo apprehendatur. Et hæc quidem de figura. Deligare verò oportet, primum lintei initio ſuper ipſam læſam partem iniecto, ſiue fracta fuerit, ſiue emota, ſiue diſparata: primas etiam obuolutiones ſuper ipſam facere, ita vt maximè hac parte innitantur, minus verò hinc atque illinc. Deligationem autem cõmunem facere oportet, & cubiti, & brachij, vtriuſq; multo plus, quàm plerique faciunt; quò quàm remotiſſimè à læſa parte tumor hinc, atque illinc exprimatur. Circumdetur inſuper etiam acuta cubiti pars, ſiue læſio in hac fuerit, ſiue non; vt ne tumor ibi circa ipſam colligatur. Fugiendum verò eſt in deligatione, quantum eius fieri poteſt, vt ne circa flexuram multa lintea coaceruata ſint. Compreſſio autem quàmmaxime circa læſam partem facienda eſt. Sed & reliqua compreſſio, ac laxatio eadem adhibeatur, & ijſdem temporibus ſingula, quemadmodum in oſſium fractorum curatione antea ſcriptum eſt. Et deligationes poſtea per diem tertium fiant. Videatur autem laxa eſſe deligatio tertia die, velut etiam tunc. Et ferulæ conueniente tempore adhibeantur: neque enim alienum hoc eſt & in his, quibus oſſa fracta, &

quibus

quibus non fracta sunt; si non febriant. Sint autem quàm laxissimæ partim à brachio extentæ, partim ad cubitum positæ: & non sint crassæ. Necesse est etiam inæquales ipsas esse inter se, vt vicissim permutentur, qua parte conducit, cõiectura iuxta inflexionem facta. Quin & spleniorum appositionem eiusmodi facere oportet, velut de ferulis dictum est, ita tamen vt paulo tumidiora super læsam partem apponantur. Tempora verò ab inflammatione, & ab his, quæ prius scripta sunt, coniectare oportet.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Articulis.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Humeri articulus vno modo luxatur. Hippocratis sententia, de humeri articulo contra cæteros medicos.*
2 *Humeri frequenter elapsi repositio facilis, adeò vt quibus id actidit plerunque ipsi sibi ipsis ad reponendum sint sufficientes.*
3 *Alius, atque alius humeri reponendi modus. Repositiones præscriptæ in palæstris vsitatæ.*
4 *Repositionum omnium optima.*
5 *Luxationes recentiores citius reponuntur. Luxationes etiam inueteratas eo modo reponi posse. Alius reponendi modus.*
6 *Humiditas homini fit ab articulis. Luxationes, & repositiones quibus faciles, aut difficiles. Boues cur luxationi maxime obnoxij. Boues quo tempore fiant tenuissimi.*
7 *Boues cur breuem herbam depascere nequeant. Herbæ breuiores, meliores, ac solidiores sunt. Bos quare pedem magis, quàm alia animalia retrahat. Humeri quibus facile, aut difficile inflammentur.*
8 *Articuli ex carnibus mucosiores. Mucus cum inflammatione luxationes prohibet.*
9 *Neruorum inflammationem in articulis luxatis curatio. Medicus multarum rerum sit peritus. Frictio qualis huiusmodi humero conueniat.*
10 *Brachij luxati cognitio.*
11 *Humeri frequenter excidentis curatio. Humeri luxati vstio.*
12 *Vstoria instrumentu. Glandulæ sub alis.*
13 *Figura iusta in omnibus artibus seruanda. Ignis neruis est inimicus.*
14 *Galeancones ex natiuitate, & casu.*
15 *Humeri summi auulsio, & eius curatio. Os cum altero communionem habens, à naturali sede auulsum reponi nequit.*
16 *Clauicula duobus modis fracta. Ex clauicula fractura detrimentum nullum.*
17 *Deligationis clauiculæ modus. Clauiculæ deligandæ modi varij.*
18 *Clauicula quomodo plerunque frangatur.*
19 *Clauicula fracta quatuordecim diebus sanatur. Os quod à pectore est subsidens, à summo autem humero supereminens. Clauicula in obliquum fracta. Ad pristinam naturam residens.*
20 *Luxationes, brachium coactum corrigit. Luxationes ex supernis oblique ad latus, aut deorsum.*
21 *Cubiti gibbus luxatus, aut emotus.*
22 *Cubiti gibbus quibus recrudescat. Disparationis ossium signa.*
23 *Manus articulus luxatus. Manus tota luxata. Manus ex natiuitate fit breuior.*
24 *Digiti articulus luxatus, cognitu facilis. Maxillæ luxatio. Musculi manducatorij.*
25 *Maxilla superior motus expers, & cur non valde luxetur: Maxillam luxari raro, laxari verò sæpe.*
26 *Maxillæ luxatæ cognitio. Repositio curatio.*
27 *Maxillæ vtriusque luxatæ curatio. Maxillam non repositam vitæ periculum sequitur. Maxilla inferna fracta, & eius curatio.*
28 *Maxillæ os caulatim diffractum. Corium carthaginiense.*
29 *Maxilla confracta viginti diebus corroboratur. Maxillæ fractæ deligatio, ossa ad fracturam magis vergentia inclinat, quàm ad naturam ducit.*
30 *Nasi fractura. Sinu propter fracturam, eius que curatio.*
31 *Nasus fractus, & deorsum & in sinum vergens. Deformitas omnibus detestabilis. Nasus ad infernam partem subsidens, decem diebus persanari potest.*
32 *Os in obliquum fractum quomodo curetur. Nasus inflammatus.*
33 *Ouillus pulmo naso inxta cartilaginem facto inditus quatenus seruiat. Nasus in obliquum fractus.*
34 *Fracturæ cum vlceribus.*
35 *Auris fracta nullam admittit deligationem.*
36 *Ganglia. Auris incisæ curatio.*
37 *Verticula spinæ in gibbum tracta. Varices quæ gibbositatem soluant. Gibbositas supra septum transuersum. Spirandi difficultas interdum à gibbo. Pulmonis tubercula, plerunque gibbosis.*
38 *Gibbositas infra septum transuersum. Coxæ gibbosorum infra septum transuersum, magis excarnes. Pubes, & barba tardior. Infœcundiores. Gibbositas aucto iam corpore. Verticula in latere obliqua.*
39 *Spina gibba ex casu. Medici vulgo inseruientes. Extensiones gibbosorum in scalis, impostoribus potius, quàm medicis sunt in vsu. Gibbositas prope ceruicem.*
40 *Concussio per scalam in gibbosis quomodo præparnda.*
41 *Spinæ dorsi cognitio in omnibus morbis multum, in gibbosis verò plurimum momenti habet. Articulorum verticula. Neruorum, & ossium processus. Costarum.*
42 *Vesicæ, genituræ, & intestini recti laxioris partis situs.*
43 *Gibbositates iuxta verticulum non facile pelluntur.*
44 *Reprehenduntur medici, qui putant verticula intrò delapsa curari posse. Venter homini omnium animalium angustissimus.*
45 *Supinæ obliquatio multifaria. Gibbositates ex casibus.*
46 *Coactorij instrumenti fabrica.*
47 *Gibbi coactiones variæ.*
48 *Experimentum coactionis gibbi per inflatum, ac subiectum vtrem.*

vtrem. Experimenta finceßu etiam carentia, ſunt cognoſcenda. Verticulorum intro obliquatorum nullam haberi coactionem.

49 Cucurbitas magnas in verticulorum intro obliquatorum at tractione, nullam vim habere.

50 Verticula in repādum emota, eße lethalia: quæ verò in gibbum, minime. Spinæ concuſſio vehemens.

51 Coſtarum fractura. Moderata ventris repletio, coſtarum ſit directio. Coſta viginti diebus corroboratur.

52 Carnis circa coſtas contuſio. Eorum dieta, & curatio.

53 Deligatio, ac curatio eorum quouſque progredi debeat.

54 Carni circa coſtas contuſæ quando vſtio conueniat. Mucoſitatis detrimentum.

55 Femoris articulus ex coxa elapſus.

56 Signa eorum quibus femur intro excidit. Figuræ eorum, quibus articulus elapſus, non fuerit repoſitus.

57 Femoris, & tibiæ, & pedis decurtatio ex articulo non repoſito. Emuſculatio partium corporis vnde contingat.

58 Scipione quare nonnulli vtantur. Effœminationem quæ partes magis patiantur. Amazones infantes muſculos eluxant.

59 Luxatio extra, & intro. Luxatio ad malleolum. Oſſium coauctio.

60 Luxationum circa coxas ratio. Galeancones.

61 Cur cubitus, & manus, non eiuſdem cum coxæ luxata calamitatis ſunt participes. Membrorum carnoſitati labor prodeſt.

62 Coxa ad internam partem eluxata à natiuitate aut adhuc infanti. Femoris caput in exteriorem partem elapſum.

63 Crus totum quando breuius appareat. Crus læſum luxationi minus obnoxium.

64 Cruris luxatio in ventre, vel auctione.

65 Crurum amborum articuli partim ſtatim à natiuitate, partim præ morbo elapſi. Femoris caput in poſteriorem partem elapſum.

66 Articulus qui eſt poplitem, ſiue illo qui eſt ad inguen in ſanis etiam extendi nequit. Femoris in poſteriorem partem elaſi ſigna.

67 Femur non repoſitum.

68 Carnium imminutios ijs quibus femur non eſt repoſitum. Incurabilium etiam morborum tractionem eſſe neceſſariam.

69 Articulus femoris ex natiuitate aut dum corpus augeſcit elapſum. Partes corporis exercitare augeſcunt & ſanæ ſunt: non exercitatæ, contra.

70 Femoris caput in anteriorem partem elapſum.

71 Articulorum magna inter ſe differentia.

72 Modi mutilationis plures.

73 Calceus plumbeus. Arbyla lutigrada quid. Creticus calceamentorum modus.

74 Articuli circa pedem eminentes, tibiæ oſſibus luxatis ac vlcere inducto. Curatio.

75 Betarum ac bechij folia quibus vlceribus conueniant.

76 Cubiti oſſa circa manus articulum cum vlcere. Os tibiæ circa genu cum vlcere eminens.

77 Os femoris ad genu cum vlcere. Articuli circa gibbum cubiti. Quorum articulorum repoſitio ſit lethalis.

78 Digitorum, aut pedis, aut manus articuli luxati cum vlcere: repoſitio, atque curatio. Buphthalmifoliæ, quibus vlceribus ſeruiant. Quando reponendi articuli. Reſecata penitus circa articulos digitorum.

79 Oßa iuxta digitos fracta. Oſſium reſectiones plerunque innoxiæ.

80 Corruptiones carnium. Denigrationes, oſſibus adhuc ſanis.

81 Femoris oſſis abſceſſio. Tibiæ. Curatio.

82 Femoris circa coxam luxatio. Repoſitio.

83 Naturarum in hominibus magna differentia.

84 Ligni ad oſſium luxatorum repoſitionem deſcriptio.

85 Repoſitio per vectes commodiſſima.

86 Femoris caput ad externam partem luxatum.

87 Femur in poſteriorem partem luxatum.

88 Articulorum per virum repoſitio. Femorum natura.

89 Vtre quomodo vtendum.

90 Alia femoris articuli repoſitio. Alius repoſitionis modus. Articuli ante repoſitionem præmolliendi. Attenuatio articulorum repoſitionem præcedat.

91 Digitorum articuli luxati. Repoſitionis modus.

92 Saurę, viminea texturæ ad repoſitionem. Articulus digiti quot diebus reſtituatur. Attenuatio circa articulorum repoſitionem quouſque progredi debeat.

93 Genu propter expeditam, ac facilem naturam minus eſt, quàm cubiti gibbus.

94 Articulorum circa malleolos luxatio. Pedum articuli quo modo reponendi. Culcanei contuſio.

95 Calcaneus denigratus, & eius curatio.

96 Pedis luxatio.

1 HVmeri verò articulum vno modo luxari noui, ad locum ſub alis: ſurſum autem nunquam, neque ad externam partem. Non tamen adfirmauerim, an luxetur, aut non: etiamſi habeam quod dicam de ipſo. Sed neque in anteriorem partē vnquā vidi, neque videtur mihi vnquam excidiſſe. Medicis tamen videtur valde in anteriorem partem luxari, & maximè decipiuntur in his, quorum carnes tabes circa articulū, & brachiū occupauit. Apparet enim in talibus caput brachij omnino in anteriorem partem eminens. Atque ego tale aliquando non excidiſſe aſſerens, ob hanc rem apud medicos, & vulgus male audiui: ſolus enim ipſis ignorare videbar, alij verò omnes cognoſcere. Nec potui ipſis perſuadere, niſi admodum difficulter, rem ita ſe habere. Si quis in brachio ſupernam humeri partem carnibus denudarit, denudarit autem qua parte muſculus ſurſum tendit: nudari item tendinem, qui ſub alis, & iuxta clauiculam ad pectus eſt: apparuerit vtique caput brachij in anteriorem partem, reliquum autem brachij os, ad externā partem incuruum. Conuerſatur autē brachium cū ſcapulę cauitate obliquum: quum iuxta coſtas fuerit porrectum. Quum verò ad anteriorem partem extenta fuerit tota manus: tunc brachij caput è directo eſt in ſcapulæ cauitate, & non amplius in anteriorem partem eminere cōſpicitur. Verùm de quo nunc eſt ſermo, nunquam vidi in anteriorem partem elapſum: non tamen affirmarim ne de hoc quidem, an ita excidat, nec ne. Quum igitur exciderit brachium ad locum ſub alis, multi reponere nouerunt, vtpote quod multis elabatur. Eruditi autem eſt omnes modos noſſe, quibus medici id reponunt, & quomodo quis his modis quàmoptime vtatur. Optimo verò horum modorum vti oportet: ſi fortiſſimam neceſſitatem videris. Optimus autem eſt, qui poſtremus deſcribetur.

2 Quibuſcunque igitur frequenter humerus excidit,

si plerunq; ipsi sibiipsis ad reponendum sufficientes sunt: immissis enim alterius manus digitis, ac nodis in locum subalarem, articulum sursum rogunt, cubiti verò gibbum ad pectus adducunt. Eodem etiam modo medicus reponet; si ipse quidem sub alam, articulo magis intrò elapso, subtentis digitis à costis diducat, ita vt capite suo in summum humerum iniecto, renitendi gratia, genibus verò iuxta cubiti gibbum ad brachium admotis, ad costas retrudat. Conducit autem eum, qui reponit, fortes manus habere: aut ipse quidem manibus, & capite ita faciat; alius verò quidam cubiti gibbum ad pectus adducat. Est autem & humeri repositio, vt cubitus retrorsum ad spinam subducatur, deinde altera manu in summam gibbi cubiti partem iniecta retortio fiat, altera verò iuxta articulum retro innitatur. Hęc repositio, & ea, quæ prius dicta est, quum non sint secundum naturam; tamen articulum circumagitantes incidere cogunt. Qui verò calcaneo reponere conantur, propinquum quid ei, quod est secundum naturam, cogunt. Oportet autem hominem humi supinum reclinare, eum verò, qui reponit, humi sedere qua parte articulus excidit: deinde apprehensam manum læsam cum suis manibus extendere, calcaneo verò in subalarem locum iniecto, dextro in dextrum, sinistro in sinistrum retrudere. Oportet autem in cauitatem sub ala rotundum quid congruens indere. Commodissimæ verò fuerint pilæ valde paruæ, ac duræ, quales multæ ex corijs consuuntur: si enim non eiusmodi quid inditum fuerit, calcaneū ad brachij caput perue nire non potest: dum enim manus extenditur, locus sub ala cauatur; tendines enim, qui hinc atque illinc locum sub ala constringunt, contrarij sunt. Oportet autem aliquem ab altera parte eius, qui extenditur confidentem, sanum humerum continere, vt ne corpus circuntrahatur, dum læsa manus in alteram partem extenditur. Postea vbi pila sub alam subdita fuerit; molle lorum sufficienti latitudine præditum, circum pilam circumdare oportet, ita vt quidem eo lōro ex vtrisq; initijs apprehenso sursum retrahat, a capite eius qui extenditur confidens, & pede ad summi humeri os innitēs. Pila verò quampenitissime, & maxime intus ad costas fita sit, & non ad brachij caput.

3 Est & alia repositio, quum humerum alter subdit, maiorem tamen esse oportet eum, qui humerum supponit, ita vt apprehensa manu, humerum suum acuminatum sub illius luxati tam supponat, & deinde aliquantum verset, vt velut sedi insideat, ea coniectura facta, vt homo illr circa humerum suum ex ala pē deat, ipse verò se ipsum in hunc humerum altiorem faciat. q̄ n altejum, brachium autem pendētis ad pectus suum n citissimè cogendo adducat. In hac verò figura insuper cōcutiat, vbi hominem sustulerit; quò reliquum corpus in aduersam partem brachio, quod continetur, vergat. Si verò valde leuis fuerit homo: puer aliquis leuis insuper ex ipso rearorsum dependeat. Atque hæ omnes repositiones in palæstra vsitatæ sunt; eo quòd non opus habent aliorum instrumentorum importatione. Poterit tamen quis etiam alibi his vti. Sed & qui circum pistillum cogunt, propemodum secundum naturam reponunt. Oportet autem pistillum molli quadam fascia esse inuolutum: minus enim ita labarit: & inter costas, ac brachij caput subter intrusum: &, si quidem breue fuerit pistillum collocare hominē in sedili aliquo oportet, quo vix brachium circum pistillum circumdare possit. Si autem potius longum pistillum, quo homo stans fermè circum pistillum dependeat: postea brachium quidem, & cubitus circa pistillum porrigantur, ab altera verò corporis parte quis manibus circa ceruicē ad clauiculā circumiectis deorsum cogat: hæc repositio moderate secundum naturam est, & repositionem facere potest; si probe ipsam tractent. Quin & per scalam alia quędam huiusmodi repositio fieri potest, & adhuc melior; eo quod corpus hinc, atq; illinc eleuatum securius librando adęquari potest: nam circum pistillum, etiamsi humerus fixus maneat; periculum tamen est, ne corpus hac, aut illac circumagatur. Oportet tamen & super scalam superne rotundū quid deligatum esse, quod ad loci sub ala cauitatem congruum sit, & quod brachij caput ad naturam redire insuper cogat.

4 Optima verò ex omnibus repositionibus talis est, lignum esse oportet latitudine quidem quinque, aut quatuor in totum digitorum, crassitudine verò duorum digitorum, aut etiam tenuius, lōgitudine autem bicubitali, aut paulo breuius. Sit autem altera parte summa rotundum, & angustissimum ac tenuissimum hæc parte, habeatq; crepidinem paululum superemi nentem, in extrema rotunditatis parte, sed non ea, quæ ad costas: verùm ea, quæ ad brachij caput existit; quò sub alam congrua sit iuxta costas sub brachij caput subdita. Linteo autem, vel fascia molli, lignum summa parte obuoluatur, quò leuius reddatur: deinde subdito ligni capite quampenitissime sub alam, inter costas, ac brachij caput, totam manum ad lignum porrectam alligare oportet, iuxta brachium iuxta cubitum, & iuxta manus iūcturam; quò quàm maximè sit quieta: præ omnibus autem curandū est, vt summa ligni pars, quàmpenitissime intra subalarē locum recipiatur, brachij caput transgressa. Postea inter duas columnas trabem transuersam probe alligare oportet, & deinde manum cum ligno supra trabem transmittere; quò manus ab altera parte sit, corpus ab altera, trabes verò sub ala, & postea ad alterā partem manum deorsum cogere vnà cum ligno, circum trabem: ad alteram verò reliquū corpus. Trabs autem ea altitudine alligetur, vt reliquū corpus eleuatum summis pedum digitis innitatur. Hic modus repositionis humeri longe optimus est; iustissimè enim commotionem facit, si solum penitus intus ad brachij caput lignum fuerit. Iustissimæ item sunt in vtranque partem adæquationem facientes libr ationes, & ad hæc ossi brachij securæ.

5 Recentes itaque luxationes citius incidunt, q̄ quis putare possit, & priusquam extentæ esse videantur. Sed & veteres sola hæc repositio reponere potest, si non iam ob vetustatem; caro quidem in acetabulum deuenit, caput autem brachij in loco, ad quem declinauit, semitam sibiipsi iam fecit. Veruntamen etiam ita inueteratū brachij elapsum, mihi posse reponere videtur. Quid enim iusta molitio non nouerit? manere tamē in loco posse, non ita mihi videtur, sed prout consueuit rursus luxabitur. Idem facit etiam si circum scalam, eodem modo velut dixi præparatam, coactio transmissi brachij fiat. Abunde itē sufficit circum magnam sedem Thessalicam coactionem facere; si recens fuerit luxatio. Præparatum autem esse

oportet

oportet lignum, velut dictum est: hominem verò locare oportet in sede obliquum: deinde brachium vnà cum ligno supra sedis reclinatorium transmittere, & ad alteram partem corpus deorsum cogere, ad alterã brachium cum ligno. Idem quoque facit coactio supra biforem ianuam. His autem quæ forte præsentia fuerint, vtendum est. Nosse igitur expedit, quod natura à naturis multum differunt, ad hoc vt elabentia facile rursus incidant: differt etiam acetabulum ab acetabulo; quum aliud facile transcendi possit, aliud minus.

6 Plurimum item differt neruorum ligamentum; quum in quibusdam remissum sit, in quibusdã intentum: nã humiditas hominibus fit ex articulis propter neruorum connexionem, si laxa fuerit, & intẽsiones facile ferat: multos. n. videas qui adeo humidi sunt, vt quando velint, articuli ipsis citra dolorem excidant, & absque dolore restituantur. Differt etiam habitus quiddam corporis: nam his, quibus bene se habet mẽbrum, & carnosis, & minus excidit, & difficilius incidit. Vbi verò ipsi seipsis tenuiores, & magis excarnes fuerint; tunc & magis excidit, & facilius incidit. Argumentum autem, quòd hæc ita se habeant, hoc est. Bobus enim tunc magis femora excidunt ex acetabulo; quum tenuissimi existunt. Fiunt autem tenuissimi boues ad finem hyemis. Tunc igitur etiam maxime luxantur: si tamen & huiusmodi quiddam in medicina scribere conuenit. Verũ conuenit vtique. Bene enim Homerus didicit, quod ex omnibus pecudibus boues quàm maxime laborẽt hoc tempore, & ex bobus potissimum aratores; eo quod hyeme operentur. His itaque maxime excidũt articuli: hi enim maxime attenuantur.

7 Nam reliqua quidem pecora breuem herbam depasci possunt: Bos autem non ita valde, priusquam alta fiat. Reliquis. n. tenuis est labri prominẽtia, tenuis itẽ superna maxilla: Boui verò crassa est labij prominentia, crassa item, & obtusa superna maxilla. Quapropter in breues herbas subijcere non potest. Rursus solidipeda animalia, vtpote vtrinq; dentata, & dẽtes inter se committere possunt, & sub breuem herbã dentes subijcere queunt, delectanturq; tali herba magis, quàm alta: breuis enim herba in totũ melior, ac solidior est quàm alta, adde, quod alia etiam prius fructum offert. Ob hoc igitur ita cecinit,

Haud secus ac bobus nigris gratissima veris
Tempora proueniunt:

quia gratissima apparet ipsis alta herba. Sed & alias bos laxum habet hunc articulum magis, quàm alia animalia, & ob id etiam magis quàm alia pedem trahit, & maximè quum macilentus est, & iam senex. Propter omnia hæc etiam maxime boui excidit. Plura autem de ipso à me scripta sunt; eo quod omnium antea relatorum testimonia hæc sunt.

8 Verùm de quo nunc sermo est, excarnibus magis excidit, sicut etiam citius incidit, quàm probe carnosis: & humidis, ac excarnibus minus inflammatur, quàm siccis, ac carnosis: & in posterum tempus quoque minus vincitur: sed & mucus amplior moderato subest; si non adsit inflammatio, & sic sanè lubricus fuerit: mucosiores enim omnino sunt articuli ex carnibus, quàm carnosis: nam & ipsæ carnes eorum, qui non recte ex arte fame macerati sunt, in macilentis mucosiores sunt, quàm in crassis. Quibus tamen cum inflammatione mucus subest, his inflammatio vinculo facto articulum continet: & ob id hi, qui submucosi sunt articuli, non valde excidunt, & exciderent vtique, si non plus, aut minus inflammationis accessisset. Quibus igitur quum articulus incipit, circumsitæ partes non inflammantur, & statim citra dolorem humero vti possunt; hi putant qui dem nihil opus esse, vt sui ipsorum curam gerant, medici tamen est, vt contra tales vaticinẽtur: talibus excidit rursus magis, quàm his, quibus nerui sunt inflãmati. Atq; hæc res in omnibus in homine ita habet, & maxime circa humerum, & genu. Maxime igitur etiam hæc excidunt.

Quibus autem nerui inflammati sunt, hi humero vti non possunt: prohibet enim dolor, & inflammationis distentio. Tales igitur curare oportet cerato, & splenijs, & linteis multis deligando. Sub alam verò lanam mollem puram conuolutam subijcere oportet, ad cauitatem explendam, quo fulcimentum quidem fit deligationi, articulum verò sustentet. At brachium plerunque sursum vergens tenere oportet: sic enim procul fuerit humeri caput à loco, in quem excedit. Oportet autem, postquam humerum deligaueris; brachium ad costas adalligare, fascia quadam in orbem circum corpus obducta. Fabricare quoque humerum oportet placide, & accurate. Multarum autem rerum peritum medicum esse expedit, & non minus frictionis; ex eodem enim nomine non idem euentus subsequitur: nam & vincire potest frictio articulum iusto laxiorem, & soluere articulum iusto duoriorem. Verùm de frictione in alio opere à nobis tractabitur. Talem igitur humerum mollibus manibus fricare conuenit; confert enim & alias leniter: articulum autem commouere non violenter, sed intantum vt citra dolorem commoueatur. Restituuntur verò omnes articuli partem longiore, partem breuiore tempore.

10 An autem brachium exciderit, his signis cognoscere oportet: nam, vbi iustum corpus habent homines, manus item, ac crura; sano in exemplum vti oportet, ad non sanum, & non sano ad sanum, non alienos articulos inspiciendo, (alij enim alijs magis extantibus natura sunt articulis) sed ipsos eius, qui affectus est, an dissimilis sit sanus ęgroto. Et hoc recte quidem dictum est, multam tamen erroneam intelligentiam talia habent: & non satis est solum sermonis doctrina artem hanc nosse, sed conuersatione etiam versare oportet: multi enim præ dolore, aut ex alia causa, quum non exciderint ipsis articuli; tamen non possunt in similes figuras restitui, in quales sanum corpus figuratur. Proinde & talem figuram insuper intelligere, ac considerare oportet. Sed & in loco sub ala, caput brachij multo magis incumbere videtur in luxato, quàm in sano. Quin & superne iuxta supernam humeri partem cauus apparet locus, & summi humeri os ectans conspicitur, vtpote articulo ad infernum locum digresso: & est etiam aliqua erronea in hoc intelligentia, sed postea de ipso scribetur: est enim dignum, de quo scribatur. Præterea in luxato cubiti gibbus magis à costis distare videtur, quàm in altero. Si tamen quis vim afferens cogat; adducitur

quidem, sed cum dolore. Sed & sursum ad aurē manum attollere cubiti gibbo extento, nō valde potest, velut sanam; neque hac, & illac similiter diducere. Hæc igitur signa sunt humeri luxati; re positiones item præscriptæ, & curationes hæ sunt.

11 Operæprecium verò est discere, quomodo frequēter excidentes humeros curare oporteat. Multi enim à certaminibus iam prohibiti sunt ob hāc calamitatem; quum aliàs penitus fuerint inculpabiles. Multi etiam ad res bellicas inutiles fuerunt, & ob hanc calamitatem perierunt. Sed & propterea res digna est, quæ discatur, q̄ nullū nouerim, qui recte medeatur, sed alios ne aggredi quidem sciam, alios cōtrà quàm conducit & sentire, & facere; multi enim humeros luxatos vsserunt, & iuxta supernam humeri partem, & iuxta anteriorem, qua parte caput brachij extuberat, & iuxta posteriorem paululum retro supernam partem. Hæ igitur ustiones, si quidē sursum brachiū excidissent, aut in anteriorem, aut posteriorem partē recte inustæ essent. Nunc verò, quum deorsum excidit, ejiciunt magis hæ vstiones, q̄ impediunt; à superna enim spacij amplitudine caput brachij excludūt. Verùm hæc ita vrere oportet. Cutem sub ala digitis apprehensam attrahere oportet, secūdum ipsam maximè rectitudinem, secundum quam brachij caput excidit; deinde ita attractam cutem in vlteriorem partem perurere.

12 Ferramentis autem talia vrere oportet non crassis, neq; valde caluis, sed oblongis: citius enim penetrant, & manu firmata transfigi possunt: pellucidis item his vrere oportet: quò quàm celerrime pro viribus penetrent: nam crassa tarde penetrantia latiores crustarum elapsiones faciunt, & periculum est ne cicatrices rumpantur, & nihilo quidem deterius hoc esset; verùm turpius, & ab arte alienius. Postquam autem in vlteriorem partē perusseris; in plurimis satis est, vt infernæ parti soli has crustas inuras. Quòd, si periculum esse non videatur, ne cicatrices rumpantur, sed multum spacij interpositum sit; tenue quoddam spicillum per inusta foramina traijcere oportet, cute ad huc attracta (neq; enim aliàs traijcere possis) vbi verò traieceris, cutem dimittere: postea inter crustas aliam crustam tenui ferramento infligere, ac inurere, donec spicillum contingas. Quantum verò de cute sub ala apprehendere oportet, hinc conijcta re licet. Glandulæ sub ala sunt, sicut etiam in alijs corporis partibus. Verùm in alio libro de tota glandularum natura scribetur, quòd sint, & qualia in quibus significant, ac possunt. Glandulas igitur simul apprehendere non oportet, neque ea, quæ glandulis sunt interiora: magnum enim afferunt periculum: sunt enim neruis maximi momenti vicina. Quantū verò extra glandulas est, eius quàm plurimam partem apprehendere oportet: nihil enim periculi est. Nosse tamē hoc expedit, quòd, si fortiter brachium extenderis; nihil cutis sub ala apprehendere potetis, quod sanè attractu memorabile sit; distrahitur enim in extensione. Nec verò neruos vlla machina vulnerare oportet; hi enim prompti, expositiq; sunt, ac extenti in hac figura. Si verò parum brachium eleuaris; multum quidem cutis apprehendes; nerui verò, quorum curam gerere oportet, intus vltra apprehensionem consistent.

13 Nonne igitur in omni arte præ omnibus curandū est, vt in singulis figuræ iustæ inueniantur? Atq; hęc quidem de loco sub ala. Et sufficiunt hæ apprehensiones; si crustæ fuerint inustæ. Extra verò alam duo solum loci sunt, vbi quis crustas inurere queat huic affectioni auxiliantes: vnam in anteriore parte inter brachij caput, & tendinem iuxta alam. Et hac quidē parte cutem penitus perurere oportet, sed nō altius: vena enim crassa propinqua est, & nerui, quorū neutra igne calfacienda sunt. Retrorsum autem alteram crustam inurere licet, multum supra tendinem, qui est iuxta alam, & paululum infra brachij caput. Et cutem quidem penitus perurere oportet: verùm neque hic valde altam crustam facere: inimicus enim est ignis neruis. Curare igitur vlcera per omnem curationem oportet, ita vt brachium nunquam vehementer extendas; sed moderate, vlcerum saltem curandorum gratia: minus enim perfrigerantur: conducit enim omnes vstiones tegere, vt etiam leniter curentur, & minus disparentur, minusq; sanguinis erūpat, & minus conuulsio accedat. Vbi verò pura facta fuerint vlcera, & ad cicatrices deuenerint: tunc sanè penitus brachium semper die, ac nocte costis alligatum esse oportet. Sed, & quum sana facta fuerint vlcera, similiter ad multum tempus; brachium ad costas alligandum est: sic enim maximè cicatrix induci poterit, & spatij amplitudo intercipietur, in quam maximè luxatur brachium. Quibuscunque verò humerus repositione fuerit destitutus, si quidem homines adhuc crescant; os brachij non similiter vt sanū coaugescit, sed augescit quidem, verùm altero breuius aliquanto efficitur. Et qui mustellæ cubito prēditi sunt, paruumque, ac macilentum brachium ex natiuitate habent, galeancones vocati, ob duplices has calamitates fiunt tales, tum si talis aliqua luxatio ipsos dum in vterò sunt corripuerit, tum ob aliam calamitatem, de qua postea aliquando scribetur.

14 Quin & hi, quibus dum adhuc infantes sunt, profundæ ac submersæ suppurationes circa brachij caput fiunt, omnes galeancones efficiuntur: & siue secti fuerint, siue vsti, siue sua sponte ipsis eruperint, hæc ita se habere nosse oportet. Qui tamen ex natiuitate galeancones sunt, etiamsi manu potentissimè vti possint; tamen neque ipsi extento cubiti gibbo, brachium ad aurem extendere, ac eleuare possunt: sed multò minus hanc, quàm sanam manum. Quibus verò iam viris exciderit humerus, & repositus non fuerit; his superna humeri pars magis ex carnis efficitur, & habitus hac parte tenuis fit. Quum tamen dolor cessauerit: non omnia ea similiter operari possunt, quæ eleuato cubiti gibbo à costis in obliquum operari oportet. Quæ verò transmoto brachio iuxta costas, aut in anteriorem, aut in posteriorem partem operari oportet, ea operari possunt: nam & scobinam, & serram trahere poterint, securi item findere, & fodare: si non valde sursum cubiti gibbum attollant, sed & alia iuxta tales figuras operantur.

15 At verò quibus summus humerus fuerit auulsus, his os auulsum extra eminēs apparet. Est autem hoc velut vinculum clauiculæ, & scapulæ: alia enim est hominis natura hac parte, quàm aliorum animaliū. Medici igitur in hoc vulnere maximè fallūtur: nam, quum os auulsum emineat; superna humeri pars humilis,

milis, & caua apparet, vt etiam velut humeri elapsi curam adhibeant. Multos igitur noui medicos alias non malos, qui grauiter afflixerunt, tales humeros reponere conantes, ita excidisse rati, & non prius desistunt ipsi existimare se humerum reponere, quàm vel desperarint, vel frustati fuerint. His curatio quidem eadem, quæ etiam alijs huiusmodi, ceratum, splenia, & lintea, & deligatio eiusmodi: deorsum tamen cogere os supereminēs oportet, & splenia super hoc ponere plurima, & hac parte maxime premere: & brachium ad costas adalligatum ad supernam partem tenere: sic enim os auulsum maximè appropinquarit. Hæc tamen probè nosse expedit, & velut certa prædicere, si alioqui voles, quòd nullum detrimentum neque paruum, neque magnū, humero contingit ex hoc vulnere. Sed locus turpior euadit: neque enim hoc os in pristinam sedem similiter firmari poterit, velut natura exigit; sed necesse est plus, aut minus tumidum esse ad supernam partem: neque enim aliud vllum os in eundem locum restituitur, quod cum alio osse communionem habet, & adhærens à veteri naturali sede auulsum fuerit. Paucis autem diebus summus humerus doloris exors fit; si probè deligetur.

16 Clauicula porrò fracta, si quidem penitus caulatim hoc contigerit; curatu facilior est. Si verò oblonga; difficilius sanatur: & contraria in his contingūt, aliter quàm quis putauerit: nā quæ pēnitus caulatim fracta est, cogi magis poterit, vt ad naturam redeat. Et si diligens cura adhibeatur; partem, quæ superior est; inferiorem fecerit figuris idoneis, & deligatione conueniente. Si verò perfecte non firmata fuerit; attamen supereminens ossis pars non valde acuta fit. At quorum os in longitudinem fractum fuerit, his similis ossibus auulsis calamitas contingit, de quibus antea scriptum est: neque enim ipsum ad seipsum valde firmare solet, & summa ossis eminentia, valde acuta fit. In vniuersum igitur nosse expedit, quòd nullū detrimentum neque humero, neque reliquo corpori ob clauiculæ fracturam accedit, si non insuper corruptio aliqua contingat; Raro autem hoc fit. Deformitas tamen circa clauiculæ fracturam accedit, primùm turpissima, deinde verò minor fit. Coalescit autem clauicula cito, itemque alia ossa laxa: celerem enim callo obductionem talia faciūt. Quum igitur recens fracta fuerit; vulnerati ad curationem festinant maius malum esse putantes, quam est, & medici quoque prompti sunt ad rectè curādum. Progressu verò temporis, & vulnerati, vtpote qui neque dolent, neque iter facere, neque cibum capere prohibentur, negligunt; & medici, vtpote qui suis sedibus restituere non possunt, aufugiunt, neque vulneratorum negligentiam ægrè ferunt. In hoc autem calli obductio ac celeratur.

17 Deligationis verò modus pleriſque consimilis est, vt cerato, & splenijs, & mollibus linteis curatio fiat. Insuper autem & hæc curatio, & hæc animaduersio habenda est, & præsertim in hac aggressione, quòd plurima splenia iuxta eminentem partem imponere oportet, & plurimis deligationibus maximè circa hanc partē premere. Sunt autem aliqui, quibus cōplacuit plumbum graue insuper adalligare, vt supereminentem partem deorsum cogat. Fortassis autem neq; intelligunt, qui simpliciter deligant. Sed neque hic modus ad clauiculam fractam pertinet: neq; enim fieri potest, vt id, quod eminet, memorabili modo deprimatur. Alia verò quidem sunt, qui quum cognouerint, & hæ deligationes erroneæ sunt, & non secūdū naturā supereminentia deorsum cogunt; deligāt qui dē ipsos splenijs, & linteis vtentes, velut etiā alij: verùm cincto homine fascia quadam qua parte maximè cingi solet, postquàm splenia supra eminētes fracturas imposuerunt, ita vt isthic magna mole extubērēt; tunc initiū lintei ad cincturam ex anteriore parte alligant, atque ita deligant in directum clauiculę extendentes, ac retrorsum ducentes, & isthic cincturæ circundatum in anteriorem partem reducunt, & rursus in posteriorem. Aliqui verò non cincturæ linteum circumdant, sed circum interfœmineum iuxta sedem, & per spinam linteum circumdantes, hoc modo fracturam comprimunt. Hæc itaque si quis inexpertus audit; prope secundum naturam esse vidētur: verùm si quis vtatur, inutilia existunt: neque.n. stabilia sunt, etiamsi decumbat quis; quamuis ita vel maximè stabilitas cōtingat: attamē, si decumbens aut crus inflexerit, aut ipse se inclinet; omnia deligamēta mouebuntur: & alioqui noxia est hæc deligatio: nam & sedes intercluditur, & lintea in hac angustia acerbata fiunt: & quę rursus cingulo circumdantur, non ita valida facta cinctura circumdari possunt, vt nō cingulum sursum ascendere cogant, neq; ita necesse est omnia deligamenta laxari. Quàm proximè verò quis rē cōficere videri possit, etiamsi non magna faciat; si quibusdam linteis cingulū circūdet, plurimis aūt linteis priorem deligationē perficiat: sic.n. maximè stabiles fuerint deligationes, & mutuam inter se opem tulerint. Plurima igitur ex his, quæ contingunt his, quibus clauicula fracta est, relata sunt.

18 Insuper autem & hoc adintelligere oportet, quòd clauicula plerunque frangitur, ita vt os, quòd a pectore est, ad supernam partem emineat: quod verò à summo humero est, in infernam partē subsidat. Causę verò horum hæ sunt quòd pectus neque multo inferius, neque superius procedere potest: nam articuli in pectore motus paruus est: ipsum enim sibiipsi, & spinæ, ex continuitate cōmissum est. Proxime quidē clauicula ad humeri articulū fluctuat: cogitur enim frequentem motum habere propter summi humeri connexionem: & alioqui vbi vulnerata est; ad supernam partem defugit ea pars, quæ pectori adhæret, & non valde ad infernam partem cogi potest: nam & à natura leuis est, & loci amplitudo ipsi supernè maior est, quàm inferne. At humerus, & brachium, & quæ his annexa sunt, à costis, ac pectore facile exolui possunt: & propterea multo superius, ac inferius abduci queunt. Quum igitur facta fuerit clauicula, os, quod ad humerum est, magis deorsum repit: huc enim ipsum vnà cū humero, & brachio defluere procliuius est, quam sursum ferri. Quum igitur hæc ita se habeant imprudenter se gerunt, qui supereminentem ossis partem deorsum cogere oportere putant: nam infernam ad supernam ad ducendā esse manifestum est: hęc enim motum habet: hæc est, quæ a natura discessit. Clarū itaque est aliter nullo modo ipsam cogi posse: deligationes.n. nihilo magis appellunt, quàm repellunt. Si verò quis brachiū quammaximè ad costas admotū sursum cogat, vt quā acutissimus esse humerus videatur; perspicuum est, & sic adaptari pote-

rit ad os, quod à pectore est, vnde est diuulsum. Si quis igitur legitima deligatione vtatur, celeris durationis gratia, & reliqua omnia frustra fieri putet præter figuram relatam: is & recte intellexerit, & celerrime, ac optimè curauerit.

19 Decumbere tamen hominem multum refert, & sufficiunt dies xiiij. si quieuerit, aut ad summũ vigin ti. Si tamen contrario modo clauicula fracta fuerit, quod non valde contingit, vt os, quod à pectore est, subsidat, quod verò à summo humero est supereminеat, alteriq; superstet: nulla magna curatione in his opus fuerit: ipse enim humerus, & brachium si demittatur, ossa inter se committere, ac firmare potest: & vilis quæpiam deligatio sufficerit, & pauci dies satis erunt ad callum obducendũ. Quòd, si hoc modo fracta nõ fuerit, sed in obliquum hac, vel illac iuxta: ad naturam reducere oportebit, humero cũ brachio sursum adducto, velut etiam antè dictum est. Quum autem ad pristinam naturam resederit, reliqua curatio velox erit. Pleraq; igitur immutationes, ac luxationes, brachium si sursum cogatur: corrigit.

20 Quæcunque verò luxationes ex supernis obliquę ad latus fiunt, aut deorsum, his correctio præparatur, si homo supinus decubuerit: iuxta medias autẽ scapulas aliquid altius suppositũ fuerit, quo pectus maximè in vtranq; partem inflexum sit, & brachiũ adducat quis ad costas porrectum. Medicus autem altera manus vola in brachij caput iniecta retrudat, altera ossa fracta componat: sic enim quàmmaximè ad naturam reduxerit. Verùm quod iam dictum est, supernum os facilè ad partem subsidere solet. Pleriq; igitur vbi deligati fuerint; figura ipsa opitulatur, ita vt ad ipsas costas cubiti gibbum habentes, hoc modo humerũ ad supernam partem cogant. Quibusdã verò humerum quidem sursum, velut dictum est, cogere oportet, cubiti autem gibbum ad pectus adducere; summam verò manum ad summum sanum humerum adhibere. Si quidem igitur decumbere sustinet; fulcimentum aliquod, quod obfirmet, apponere oportet, quo humerus quàmmaximè supernè maneat. Si verò obambulare volet: fundam ex fascia factam, & acutæ gibbi cubiti parti circumdatam de collo appensam gestare oportet.

21 Cubiti porrò gibbi articulus vbi emotus aut luxatus est: ad costas, aut foras, acuta ipsius parte in brachij cauitate manente, extensione in directum facta, id quod eminet retrorsum, & in obliquum repellere oportet. Vbi verò perfecte excidit, aut hac, aut illac: extensio, in qua brachium fractum deligatur, requiritur: ita enim incurua gibbi pars non impediet. Excidit autem maximè ad partem versus costas. Correctiones verò facere oportet quàm plurimum abducẽdo, & vt ne brachij caput cornicẽ contingat, sublimem circumducere, ac inflectere, & non in directum cogere, simul autem contraria in vtranq; partem detruderẽ, & in sedem compellere. Contulerit etiam in his gibbi cubiti inuersio, modò in supinam, modò in pronam partem. Curatio verò ex figura est, vt summam manum paulo altiorem cubiti gibbo habeant, brachium verò ad costas. Sic etiã appensi exceptio, & positio, & gestandi facilitas, & natura, & usus, in communi sunt: si modo non male callus obducatur. Obducitur autem cito. Curatio fit linteis iuxta legẽ articularem, ita vt acuta eius pars insuper deligetur.

22 Recrudescit autem maximè cubiti gibbus febribus, doloribus, nausea, & vomitu meracæ bilis præsertim si retrorsum luxatus fuerit ob torporem: deinde, si in anteriorem partem. Verùm curatio eadem est. Repositio verò retrorsum luxati, vt extentum distendamus. Signum autem est, ꝙ extendere ipsum non possunt, sicut in anteriorem partem luxati, quòd inflectere nequeunt. Verùm tunc durum quiddam inuolutum indere oportet, & circum hoc ab extensione derepente inflectere. Disparationis autem ossium signum est manifestum ex contactu iuxta venam, quæ in brachio finditur. At verò callus cito his obducitur. Ex natiuitate autem breuiora sunt ossa infra coxam, plurimum quæ proxima sunt, cubiti, deinde manus, postea digitorum. Verùm brachium, & humerus robustiora fiunt propter inuersionem. At altera manus propter opera adhuc fortior est. Imminutio verò carniũ fit: si foras excidit, intrinsecus: sin minus: in contrarium prout excidit. Cubiti verò gibbus si intro, aut extra exciderit, extẽsio fit in communi figura cubiti ad brachium: fascia enim sub alã data, ipsam exceptam suspendere oportet: ad summum vero cubiti gibbum iuxtam articulum pondus appendere, aut manibus deorsum cogere. Vbi verò articulus vltra eleuatus est: coaptationes manuum volis fiunt, velut etiam in manibus. Deligatio quoq; in hac figura, & exceptio appensi, & positio. At, si in posteriorem excidit partem: statim extẽtum palmis dirigere ac coaptare oportet. Simul autem in directione etiam alijs opus est. Si in anteriorem: circum linteum conuolutum iustæ molis inflectendo simul directionem facere oportet. Si verò in alteram partẽ inclinarit: in directione simul vtraq; facere oportet. Verùm curationi communis est figura, & deligatio. Possunt autem & ex distentione omnia in communi contingere. At verò repositiones aliæ ex supereleuatione reponuntur, aliæ ex extensione, aliæ ex circumuolutione. Hæ verò ex figurarum exceſſibus aut hac, aut illac celeriter fiunt.

23 Manus articulus aut intro, aut extrà luxatur, pleruq; verò intro. Signa autem facilia cognitu sunt. Si enim intro luxatus est: digitos inflectere non pñt: si extra: extendere nequeunt. Repositio fit, digitis supra mensam positis, vt ab alijs, atq; alijs in diuersum extensio fiat: & id, quod eminet, aut vola, aut calcaneo retrudatur, & in anteriorem partẽ deorsum protrudatur. Inferne verò iuxta alterũ os moles aliqua conuoluta mollis supponatur: si supra eminet, manu prona locata: si infra; supina. Curatio verò linteis fit. Tota porrò manus aut intrò, aut extra, aut hac, aut illac luxatur: maximè verò intro. Quandoq; autem & appendix emota est. Quandoq; verò alterũ os disparatum distat. His extensio fortis facienda est: & quod quidem eminet retrudatur, alterum verò contra trudatur, duabus speciebus simul contingentibus, & retrorsum, & in obliquum, aut manibus supra mẽsam, aut calcaneo. Quæ verò recrudescunt, ac deformia sunt, tempore ad vsum corroborantur. Curatio fit linteis cum manu, & cubito: & ferulę vsq; ad digitos pertinuntur. At ferulis hęc deligata frequentius, q̃ fracturas soluere oportet, & perfusionem ampliorem adhibere. Ex natiuitate autẽ manus breuior fit, & carnes imminuuntur maxime in contraria parte ei, in qua luxatio facta est. At adulto iam ossa manent.

Digiti

24 Digiti verò articulus luxatus facilis cognitu est. Repositio fit extendens in directum, ita vt quod eminet os protrudatur, contrarium verò contra trudatur. Curatio fit fascijs, ac linteis. Si verò non reponatur; forinsecus callo obducitur. At si ex natiuitate, aut dum adhuc crescit homo, luxata fuerint ossa; breuiora fiunt infra luxationem, & carnes imminuũtur contraria maxime parte ei, in qua luxatio facta est. In adultu verò ossa manent. Maxilla verò paucis iã perfectè iuxta est: os enim, quod à superiore maxilla prodit, cum eo osse subiugatum est, quod sub aurem annexum est, quòdque capita infernæ maxillæ concludit, ac dirimit: quum altero capite superius sit, altero inferius: & extremæ infernæ genæ partes ita se habent, vt altera ob longitudinem non facile accessum admittat: altera verò cornix est, & supra iugale os excedit. Simul autem & ambarum harum extremitatum neruosi tendines existunt, ex quibus musculi dependent, qui temporales, ac manducatorij appellantur.

25 Propterea autem appellantur, & propterea mouẽtur; eò quòd hinc dependent. Nam in edendo, & in loquendo, & in reliquo oris vsu, superna quidem maxilla quiescit: est enim capiti connexa, & non coarticulata: inferna autem maxilla mouetur: coarticulata enim est à superna maxilla, & à capite. Cur igitur in conuulsionibus, ac distentionibus hic articulus distentus primus de se significationem præbeat: & cur plagę temporales periculosę sint, ac soporem inducant, alio libro refertur. Quòd verò nõ valde luxetur, causę hæ sunt. Sed & hęc quoque causa est, quod non valde tales ciborum necessitates hominem apprehendunt, vt magis, quàm potest, hiet. Excident autem à nulla alia figura, quàm si quis valde hians maxillam in alteram partem diducat. Confert tamẽ ad hoc, vt excidat, hoc ipsum: quicunque enim nerui, & quicunque musculi circa articulos sunt, aut ab articulis, ex quibus colligantur, horum quicunque in vsu sæpe mouentur, hi etiam maxime ad extensiones remittunt, quemadmodum etiam pelles mollissimæ multum remittunt. De quo igitur sermo est, luxatur quidem & excidit maxilla rarò: laxatur tamen sæpe in hiatibus, velut etiam aliæ musculorum, ac neruorum immutationes hoc faciunt.

26 Manifestum verò ex his maxime fit, vbi excidit: prominet enim inferna maxilla in anteriorẽ partem, & in contrariam luxationi partem abducitur: & ossis cornix circa supernam maxillam tumidior fit; & infernas maxillas difficulter committunt. Quæ verò repositio his conueniat, manifestum est: oportet.n. aliquem vulnerati caput detinere, & alterum infernam maxillam intrinsecus ac extrinsecus ad mẽtum digitis apprehendere, hiante homine quantum moderate potest, & primum maxillam aliquandiu hàc, atque illàc manu abducere, & ipsum hominem iubere, vt maxillam laxam habeat, & simul abducat, ac quàm maximè remittat: deinde repente tribus figuris simul laxare oportet, deligenti in hoc animaduersione habita: nam & ex distortione ad naturam deducere oportet, & infernam maxillam retrorsum protrudere, ita vt æger hæc sequatur, & maxillas committat, ac non hiet. Atque hęc quidem repositio est, & neque alijs figuris fieri poterit. Curatio verò breuis sufficit: splenum enim inceratum apponitur, ac laxo deligamento deligatur. Securius autem hæc aggressio perficitur, homine supino reclinato, & coriaceo puluinari pleniſſimè farcto capiti suppositò; vt ipsum innitenti quàm minimum cedat. Insuper autem & caput vulnerati aliquis detinere debet.

27 Si verò ambæ maxillę luxatę fuerint; curatio quidem eadem est, verùm hi os minus committere possunt: nam his genę prominentiores sunt, sed indistortæ. Quòd verò distortæ non sint, maximè cognoueris ex dentium tum supernorum, tum infernorũ terminis è directo inter se correspondentibus. His confert, vt quàmcitissimè reponantur. Repositionis autem modus prius dictus est. Si verò non reponantur; animæ periculum imminet, præ febribus continuis, & torpido sopore: soporiferi enim hi musculi sunt, & dum alterantur, & dum intenduntur præter naturam. Solet etiam aluus his biliosa, meraca, pauca egerere. Et, si vomuerint; meraca vomunt. Hi igitur ẽt moriuntur decima maximè die. At si fracta fuerit inferna maxilla, si quidem non omnino caulatim hoc contigerit, sed cohæret adhuc os, confractum tamen fuerit; dirigere quidem os oportet digitis circa linguam obliquam subiectis, forinsecus verò contrà niti, prout contulerit. Et si distorti fuerint dentes iuxta vulnus commoti, postquam os directũ fuerit; dentes inter se coniugare oportet, non duos solum, sed etiam plures, atque hoc maximè auro, sin minus, lineo filo, donec os corroboretur: Postea cerato, & splenijs paucis, & linteis modicis deligare, non nimium firmis, sed laxis: nã hoc probè nosse expedit, quòd deligatio per lintea, maxillæ fractæ parum quidem cõtulerit, si rectè fiat: magnopere verò læserit, si praue deligetur. Frequenter autem circa linguam explorare oportet, & multo tempore reniti, ac digitis dirigere os confractum; optimumque esset, si hoc semper fieri posset, sed fieri nequit.

28 Si verò os penitus caulatim diffractum fuerit (rarò autem hoc contingit) dirigere quidem os oportet, velut dictum est: vbi verò direxeris, dentes coniugare, quemadmodum antea dictum est: magnopere enim contulerit ad quietem, & adhuc magis si quis rectè coniungat, & velut oportet futuras consuat: at enim non facile est omnem chirurgiam scripto exquisitè prodere: sed ex his, quæ scripta sunt, formã, & imaginem concipere oportet. Postea corio opus est Carthaginensi: &, si quidem iunior fuerit vulneratus; satis est squama inde detracta vti: si verò adultior; ipso corio, ita vt desecta inde particula trium digitorum latitudine, aut prout congrua fuerit, sublita prius è gummi maxillæ (ita enim mitius fuerit) glutine agglutinetur summa sui parte, ad diffractam maxillæ partem, digiti aut paulo ampliore distantia à vulnere. Et hæc quidem particula ad infernam partem agglutinanda est, & habeat fissuram è directo menti, quo acutam eius partem circumcirca complectatur. Alterum autem eiusmodi lorũm, aut paulo latius, ad supernam maxillæ partem agglutinare oportet, tanta à vulnere distantia, quanta illa altera lori particula abfuit. Sit autem & hoc fissum, vt circũcirca aurem ambiat. Sint autem hæc lora acuta, qua parte cõmittuntur, & vbi ipsorum extremitates connectere, ac colligare oportet. In agglutinatione verò caro corij ad cutem vergat: sic enim magis agglutinatum adhærescit. Postea extento hoc loro, magis

autem

autem eo,quod circa mentũ est,quàm maximè,quod maxilla euacuatur, lora ipsa circa verticem connectere oportet,& deinde linteo frontem deligare: & superiniectum quid esse oportet,velut moris est,quo vincula quieta sint ac firma. Decubitum autem faciat in sanam maxillam,non maxillæ,sed capite innitens. Attenuandum verò est corpus vsque ad dies decem,deinde renutriendum non tarde.

29 Si enim primis diebus inflammatio non accesserit; in viginti diebus maxilla corroboratur:perfecte enim callo obducitur, quemadmodum etiam alia ossa rara,si non corruptio infestarit. Verùm de corruptionibus omnium ossium alia longa tractatio restat. Hæc extensio per agglutinamenta contingens, mitis est, & prompta ad moderationem faciendam, & ad multas, ac multis locis faciendas directiones accommodata. At medici non intelligentia æquè ac manibus prompti tum in alijs vulneribus,tum in maxillarum fracturis tales existunt: varijs enim modis, & bene,& male, maxillam fractam deligant: omnis enim deligatio maxillæ sic fractæ, ossa ad fracturam magis vergentia inclinat,quàm ad naturam ducit. Si verò inferna maxilla circa connexionem ad mẽtum diuulsa fuerit: (Sola autem hæc connexio in inferna maxilla est: verùm in superna multæ. Sed non volo sermone longius aberrare: in alijs enim morborum speciebus de his dicendum est.) Si igitur connexio ad mentum disparata fuerit; ipsam coaptare cuiuslibet viri est:os enim, quod eminet, ad internam partẽ digitis admotis detrudere oportet: quod verò intro vergit, ad externam partem digitis immissis reducere. Hæc tamen extensione distendendo facere oportet: facilius enim sic ad naturam redibũt,quàm si quis ossa inter se complicans cogere conetur. Vbi verò coaptata fuerint; coniugare oportet dentes inter se hinc,atque illinc,velut prius dictum est; curare verò cerato, & splenijs paucis, ac linteis, Deligationem autem breuem potius, quàm variam hic locus maxime admittit:nam vt æquilibris non est, prope tamen ad æquilibrium accedit. At lintei obuolutionem facere oportet; si quidẽ dextra maxilla eminet,in dexteram: in dexteram enim fieri putatur, si dextra manus deligationi præit. Si verò altera maxilla eminuerit: aliter deligationem ducere oportet. Et si quidem recte quis coaptationem adeptus fuerit,& velut conuenit,quieuit; cita curatio cõtinget, & dentes illæsi manent:sin minus;diuturnior fiet curatio,& distortionem habebit,dentes autem læsi,& inutiles fiunt.

30 Porrò si nasus fractus fuerit;fracturæ modus non vnus est. Verùm qui pulchris deligationibus gaudẽt citra intelligentiam; tum in alijs multis damnum incurrunt,tum in fracturis circa nasum vel maxime:ex deligationibus enim hæc maxime varia est, & quæ plurimas asciας habeat,& interruptiones,ac interceptiones cutis maxime varias rhombiformes. Sicut igitur dictum est, qui nulla intelligentia prædicti aggressionis studio tenentur, vltro se offerũt ad nasum fractum deligandum. Vna itaque,alteraque die lætatur medicus, gaudet quoque is, qui deligatur: deinde cito quidem is,qui deligatur,fatiatur: noxia enim,& molesta est gestatio: satis autem est medico ostẽtasse,quòd nasum varie deligare nouit: facit autem talis deligatio omnia cõtrà,quàm conuenit: partim enim qui propter fracturam simi fiunt,si superne quis magis premat,simiores nimirum fient: partim verò quibus nasus hàc,aut illàc distorquetur, aut circa cartilaginem,aut superius, palam est, quòd neque ipsis superne deligatio proderit, sed etiam magis lædet: non enim ita congruit splenijs altera nasi pars; quanquam neque hoc faciant deligantes. Proximè verò deligatio resistere mihi videtur:si iuxta mediũ nasum circa acutam partem, contusa caro ad os fuerit,aut etiam os parum, & non multum contusum sit:talibus enim nasus callo obducitur, & aliquanto asperior euadit. Sed tamen neque his deligatio multo negotio opus habet;si modo etiam deligare oportet. Sufficit autem super contusionem splenium inceratum extendere. Postea velut ex duobus initijs deligatio sit, ita semel linteum circumdandum est. Optima tamẽ curatio est per farinam triticeam hornam,lotam,viscosam,subactam, modicam, ita vt talia ex illa velut cataplasmate integantur.Si igitur tritícea farina bona fuerit,& tractu facilis;ea ad omnia huiusmodi vti oportet. Si verò non facilis tractu sit; modicam mannam leuissime tritam,& aqua dilutam cum farina subigere oportet,aut gummi parum,simiter ammiscere.

31 Quibuscunque igitur nasus fractus est, vt deorsum,& in sinum vergat,si quidem ex anteriore parte iuxta cartilaginem subsidat; fieri potest, vt aliquid quod ipsum dirigat in nares indatur:sin minus; omnia talia digitis in nares iniectis dirigere oportet, si id fieri datur. sin minus; erassum spicillum nõ in anteriorem narium partem digitis indere oportet, sed qua parte nasus subsidit: extrinsecus autem ab vtraque parte nasum apprehendere, simulque cogere, ac sursum ducere. Et si quidem valde in anteriore parte fuerit fractura; fieri poterit, vt aliquid intra nares indatur,velut iam dictum est,nimirum lintei rasura, aut aliud quid huiusmodi,linteo inuolutum,aut potius in corio Carthaginensi consutum, ea figura,quæ congruat loco,cui incumbet. Si veeò vlterius facta fuerit fractura; fieri non potest, vt aliquid indatur: si enim in anteriore parte molesta est gestatio, quomodo non sit in interiore? Primùm igitur & intrinsecus conformando, & forinsecus non parcendo, ad pristinam naturam reducere ac dirigere oportet:valde enim conformatur nasus factus, maxime quidem eadem die: sin minus; paulò postea. Verùm segniter agunt medici,& leuius,quàm conuenit,primùm contingunt:inijcere enim manus hinc,atque illinc iuxta naturam nasi quàm infime oportet, ex infernis sursum cogendo, & sic quàmmaxime erigere, vnà cum interna directione etiam extrinsecus dirigendo. Postea ad hæc nullus talis medicus est, si studium adhibere, ac tolerare vult, velut ipsius digiti indices: hi enim maxime secundum naturam sunt: vtrunque.n. digitum inijcere, eoque totum nasum firmare oportet, atque ita in quiete habere, si quidem fieri posset, semper donec corroboretur:sin minus plurimo tempore velut dictũ est. Quòd si fieri nequeat;aut puer, aut aliqua mulier hoc faciant: molles enim manus esse oportet. Sic enim quàmoptime nasus curari poterit; vbi non in obliquum, sed ad infernam partem æqualiter subsidat. Ego igitur nullum vnquam nasum vidi, qui sic fractus dirigi non potuisset,si statim ita cogeretur, priusquam callus obduceretur; si modo

do quis recte curare velit. Verum homines, vt ne deformes fiant, multo quidem precio coemerint, ſtudium autem adhibere non ſciunt, ſimulque non tolerant, ſi non dolore vexentur, aut mortem timeant: quamquam breui tempore naſus callo obducatur; decem enim diebus corroboratur, ſi non corruptio inſuper accedat.

32 Quibuſcunque verò os in obliquum frangitur, curatio quidem eadem eſt. Verum directionem non æqualem vtrinque facere oportet, ſed quod inclinatum eſt. extrinſecus cogendo ad naturam compellere, & in nares facta contrectatione, ea, quæ introrepunt, impigre dirigere, donec correcta fuerint: ita vt eius probe memineris. Quod, ſi non ſtatim corrigantur; fieri non poſſit, vt naſus non diſtortus fiat. Poſtquam autem ad naturam reduxeris; digitos plures, aut vnum digitum ad locum admouere oportet, qua parte eminebat, atque ita vt ipſum, aut alium quendam ſuſtentare; donec vulnus corroboratum fuerit. Sed & in narē paruum digitum immittere oportet, & alias, atque alias impellendo ea, quæ inclinata ſunt, dirigere. At, ſi quid inflammationis his accedat; farina ſubacta vti oportet: & tamen incumbente etiam farina digitos ſimiliter admouere opus eſt. Si verò iuxta cartilaginem in obliquum fractus ſit; neceſſe eſt ſummum naſum diſtorqueri. Talibus igitur in ſummam narem aliquid, quod dirigat ex relatis, aut quod his ſimile ſit, indere oportet. Poterit autem quis multa idonea inuenire, quæ neque odorem habeant, neque alias lenia ſint.

33 Ego verò quandoque pulmonis ouilli fruſtum defectum indidi: hoc enim forte obtingebat: nam ſpongiæ inditæ humiditates ſuſcipiunt. Poſtea Carthaginenſis corij ſquamā magni digiti Latitudine, aut prout contulerit reſectā, extrinſecus ad naſum inclinatū agglutinare oportet, & deinde hoc corii lorum prout contulerit extendere. Paulò tamen amplius extendere conuenit; quò erectus, & abſolute directus ſit naſus. Longum autem ſit hoc lorum, vt poſtea infra aurem abductum circum caput obducatur: & licet quidem lori extremitatem ad frontem agglutinare, licet etiam longius ducere, & deinde capiti obductū deligare. Hic modus ſimul iuſtam directionem habet, & ſimul ad moderationem faciendam promptus eſt; ſi quis magis, aut minus naſi inclinationem ad cōtrarium facere velit: nam quibus in obliquum naſus frangitur, eos in reliquis velut relatū eſt curare oportet. Plurimis tamen inſuper opus eſt, vt inclinationis in contrarium gratia, lorum ad ſummum naſum agglutinetur.

34 Quibuſcūque verò cum fractura etiam vlcera adſunt, eos ea propter turbari non oportet: verum ſuper vlcera ceratum picatum imponere, aut ex emplaſtris aliquod cruentis vulneribus idoneum: facilia enim curatu talia ſunt. Similiter etiam, ſi oſſa diſceſſura ſunt; primam directionem impigre facere oportet, nihil omittendo, & directionem per digitos etiā poſtero tempore, ita vt laxius quidem admoueas, admoueas tamen: ex omnibus enim corporis partibus naſus facillime conformari poteſt. Cæterum lororum agglutinatione, ac in cōtrarium inclinatione vti omnino nihil prohibet; ſiue vlcera affuerint, ſiue inflammatio: nullam enim moleſtiam exhibent.

35 At verò, ſi auris fracta fuerit; deligationes omnes inimicæ ſunt: neque enim ita laxam quis circumdare poterit. Si verò magis premat; maius malum operabitur: nam & ſana auris deligatione preſſa, dolore, & pulſatione, & febre afficitur. Sed & cataplaſmata peſſima quidem omnino ſunt, quæ grauiſſima ſunt. Verum & alia pleraq; omnia mala ſunt, & abſceſſus inducunt, & mucum ampliorem ſuggerunt, & deinde ſuppurationes noxias. His autem fracta auris minime opus habet. Proximum tamen locum habet, ſi quid imponi debet, farina viſcoſa, quā neque ipſam eſſe oportet. Contingere verò quam minime conducit: bonum enim aliquando medicamentum eſt, etiā nullum adhibere medicamentum, & ad aures, & ad multa alia. Vellicationē inſuper, ac ſcalpturā vitare oportet. Corpus autem attenuare, & magis in quo periculum eſt, ne auris ſuppuretur: melius eſt quoq; aluum mollire. Si verò quis facile vomat, ex moderata aliqua purgatione vomitum faciat. At, ſi ad ſuppurationē deueniat; cito quidem aperire non oportet (multa enim ex his, quæ ſuppurari videntur, quandoque reſorbentur, etiam ſi nondum quis vllum cataplaſma impoſuit.) Si verò quis aperire cogatur: celerrime quidem ſana fit, ſi in vlteriorem partem perurat. Illud tamen certo ſcire expedit, quod mutila fiet auris, & minor altera; ſi peruſta fuerit. Si verò non in vlteriorē partē peruratur; tumidā partē nō valde parua ſectione incidere oportet: ſub craſſiore enim cute pus reperitur, quàm quis putauerit. Verum, vt in ſumma dicā, alia quoq; omnia mucoſa, & mucos facientia, vtpote quæ ſunt viſcoſa, ad contactum ſub digitis hac atque illac cito dilabuntur: & propterea ſub craſſiore cute mediti talia inueniunt, quam putarint.

36 Nā & aliquas neruorum contortiones, ganglia appellatas, quæ ſanè laxæ, ac fluidæ ſunt, mucoſamq; carnem habent, multi aperiunt, humorē in talibus ſe inuenturos eſſe putantes. Medicus quidem igitur ſententia ſua fallitur, verum rei huiuſmodi nullum ex apertione accedit detrimentum. Qui verò aquoſi loci ſint, aut muco pleni: & in qualibus locis ſingula ſi aperiantur mortem afferant, aut ēt alia detrimēta inducant, de his in alio opere ſcribetur. Quum igitur inciderit quis aurē; ab omnibus quidam cataplaſmatis, & ab omni linamentorum vſu abſtinere oportet: curare aūt vel emplaſtro aliquo cruentis vulneribus idoneo, vel aliquo alio, quod neque grauitatem, neque dolorem inducat: ſi enim cartilago denudari inceperit, & ſubſidentia purulenta, aut mucoſa habuerit, moleſtum eſt. Fit autem & hoc propter illas curationes. Cæterum omnium eorum, quæ recruduerūt peruſtio in vlteriorem partem ſufficientiſſima medela eſt.

37 Verticula verò ſpinæ quibuſcunque in gibbum trahuntur ex morbis, pleraque vt ſoluantur, fieri nō poteſt. Inſuperque & quæ ſupra ſepti tranſuerſi iuncturam, ac cōnexionem gibba fiunt. Quæ verò infra, eorum aliqua ſoluunt varices, in cruribus aboriētes. Magis autem hæ varices, quæ in vena iuxta poplitē fiunt, quibuſcunque gibboſitas contigerit, eam ſoluunt. Fiunt autem & in vena circa inguina. Iam verò quibuſdam etiam dyſenteria diuturna ſoluit. Et quibus quidem gibba fit ſpina, dum pueri ſunt, priuſquam corpus ad augmentum plenum perfectum fuerit; his corpus iuxta ſpinā coaugeri nō ſolet. Sed crura quidē, ac manus perficiūtur, illæ verò partes defectuo-

ctuosiores fiũt. Et quibus supra septum transuersum gibbositas est, his & costæ in amplitudinem augeri non solent, sed in anteriorem partem: & pectus acutum fit, sed non latum: ipsique & difficulter spirant, & stridulam faucium asperitatem habent: nam ventriculi, qui spiritum suscipiunt, ac emittunt, minorẽ amplitudinem habent. Sed & iuxta magnum verticulum ceruicem repandam habere coguntur; vt ne caput ipsis pronuum sit. Multam igitur angustiam faucibus exhibet etiam hoc os intro vergens: nam & his, qui natura recti sunt, spirandi difficultatẽ hoc os inducit, si intro vergat, donec regressum fuerit. Ob talem igitur figuram eiusmodi homines eminentis gutturis magis, quam sani apparent: tuberculis circa pulmonem duris, ac crudis plerunque tales affecti sunt: nam & gibbositatis occasio, & distentio plerisque propter tales collectiones fit, cum quibus vicini nerui communionem habent.

38 Quibus verò infra septum transuersum gibbositas est, horum quibusdam morbi renum, ac vesicæ accedunt: sed & abscessus ad suppurationem, & circa laterum mollitudines, & inguina diuturni, ac ægre curabiles: & neutri horum gibbositates soluunt. Coxæ verò his magis excarnes fiunt, quã his, quibus superne gibbositas contingit. Vniuersa tamẽ spina his longior est, quam superne gibbosis: rubes verò, & barba tardior, ac imperfectior. Sed & infœcundiores hi sunt, quam superne gibbosi. At verò quibus iam aucto corpore gibbositas facta fuerit, his palam præsentis tunc morbi iudicationem gibbositas facit; per tempus tamen aliquid ex ijsdem significationem de se plus, aut minus præbet, quemadmodum etiam in pueris. Minus autem maligne in totum talia se habent. Et multi sanè iam facile, ac sano modo gibbositatem sustinuerunt vsque ad senectutem: & maxime hi, quibus ad carnositatem, ac pinguitudinẽ promotum fuerit corpus; pauci tamen talium sexaginta annos transgressi sunt: plerique vero breuioris vitæ sunt. Quibusdam etiam in latus aut hac, aut illac, verticula obliqua fiunt. Et omnia, aut pleraque talia propter collectiones intra spinam fiunt. Quibusdam vna cum morbo etiam figuræ insuper conferunt, ad quas reclinari consueuerunt. Verum de his diuturnis pulmonis morbis dicitur: illic enim de his, quæ futura sunt, pulcherrimæ prænotiones habentur.

39 Porro quibus ex casu spina gibba fit, horum sanè pauca superantur, ita vt dirigi possint: nam quæ in scala fiunt extensiones, nihil direxerunt, quod ego sciam: vtuntur enim ipsa maxime hi medici, qui multitudinis famam aucupantur: apud tales enim hæc in admiratione sunt, si aut pendentem, aut proijci aliquem, aut quæ his similia sunt, videant, & hæc celebrãt semper, neque ipsis curæ est, quale quid eueniat ex hac congressione; siue bonum idfit, siue malum. Medici tamen, qui talia studio habent, quo sanè ego noui, imperiti sunt. Inuentum equidem vetus est, & laudo sanè vehementer eum, qui primus excogitauit & hoc machinamentum, & quoduis aliud secundũ naturam inuentum. Nihil enim despero si quis recte constructum concutiat, fieri posse, vt quædam dirigãtur. Ipse tamen omnia huiusmodi hoc modo curare erubui; propterea quod impostorũ magis tales sunt modi. Quibus igitur prope ceruicem gibbositas fuerit, his verisimile est has in caput extensiones minus Prodesse: paruum.n. pondus habet caput, & summ humeri deorsum vergentes. Verùm tales verisimile est magis dirigi posse: si in pedes concutiantur: ita enim maior propensio ad huiusmodi fieret. Quibus autem magis inferius gibbositas est, hos par est, vt magis in caput concutiantur.

40 Si quis igitur concutere volet: recte sanè hoc modo præparare poterit. Scalam coriaceis, aut laneis puluinaribus insternere oportet probe alligatis, paulo amplius & in longitudinem, & in vtranque partem, quàm quantum corpus hominis occuparit: deinde hominem supinum supra scalam reclinare, & postea pedes quidem alligare iuxta malleolos ad scalã non disparatos, vinculo quidem satis valido, verùm molli: alligare verò etiam oportet infra, & supra vtrũq; genu, itemque circa coxas: circa laterum autem mollitudinem, & circa pectus, laxas fascias circũdare, ita vt ne impediant concussionem: manus verò ad costas extentas, ad corpus applicare, & non ad scalam. Vbi verò hæ præparaueris: scalam ita ad turrim aliquam altam, aut ad domus lacunar attrahere oportet. Locus autem, in quo concussionem facis, renitens sit. Eos verò, qui extendunt, probe doctos esse conuenit, quòd æqualiter, & probe, & ex æquilibrio, ac derepente demittant, vt neque scala in alterã partem repens ad terrã deueniat, neque ipsi prõnui sint. Quòd, si tamen à turri, aut malo defixo carchesium habente, quis demittat: adhuc melius præparabit, ita vt ex trochlea, aut asella laxatis instrumentis, ac funibus demissio fiat. Verùm iniucundum est de his longius verba facere: attamen ex his structuris maximè quis concuti poterit. Si verò valde superne fuerit gibbositas, & concutere sit opus: omnino in pedes id faciendum est, velut dictum est: ita enim maior propẽsio ad hæc contingit. Et firmare quidem oportet iuxta pectus ad scalam fortiter deligando iuxta ceruicẽ verò fascia quàm laxissima, directionis saltem gratia. Sed & ipsum caput iuxta frontem ad scalam alligare oportet, manus autem porrectas ad corpus alligare, non ad scalam. Reliquum verò corpus indeligatum esse oportet, nisi quantum satis est directionis gratia, alia, atque alia laxa fascia circundatum esse. Verùm considerandum est, ne concussionem impediãt hæc vincula. Crura verò ad scalam quidem ne deligentur, sed inter se, ita vt secundum spinam in directum vergant. Atque hæc quidẽ hoc modo facienda sunt: si omnino opus fuerit in scala concussionem fieri. Turpe tamen est & in omni arte, & non minimè in medicina, multam turbam, & multam ostentationẽ, & multum rumorem cõcitare, & deinde nullam vtilitatem afferre.

41 Oportet autem primùm spinæ naturam qualis est cognoscere: ad multos enim morbos ea opus fuerit: nam qua parte ad ventrem vergit, verticula intus inter se paria sunt, & inter se ligata vinculo mucoso, ac neruoso de cartilaginibus extorto, vsque ad medullam. Alij verò nerui neruosi perpetui annexi, hinc, atque illinc iuxta ipsa porriguntur. Verùm venarum, & arteriarum communitates, in alio sermone declarabuntur, quot, & quales sint, & vnde proficiscãtur, & in qualibus qualia possint. Itemque quibus inuolucris ipsa medulla intecta fit, & vnde profectis & vbi desinẽtibus, & quibus cũ communionem habẽtibus, & qualia potẽtibus. At in vlteriore parte in

arti-

articulis verticula inter se cardinis in modum conserta sunt. Nerui verò communes iuxta omnia. externis, & in internis partibus porriguntur. Et processus ossis ad externam partem, ab omnibus verticulis vnus de vnoquoque, tum à maioribus, tum à minoribus. In his autem processibus cartilaginum appendices, & ex illis neruorum progerminatio, cognata, ac consimilis extremis neruis. Costæ verò annexæ sunt ad internam partem magis, quàm ad externam capitibus vergentes; ad vnumquodque autem verticulum adarticulatæ sunt. Curuissimæ autem sunt hominis costæ obtorto modo. Intermediam verò partem costarum, & ossium de verticulis procedentium, explent vtrinque musculi, à ceruice initio sumpto vsque ad septi transuersi annexionem.

42 Ipsa autem spina secundum longitudinem, recto-obliqua est: A sacro quidem osse vsque ad magnum verticulum, iuxta quod crurum annexio dependet, gibbosa est: (Nam & vesica, & genitalæ, & intestini recti laxa pars in hac parte constituta sunt.) Inde verò vsque ad septi annexionem, in directum repanda est: & musculos adnatos habet solus hic locus ex internis partibus, quos lumbarios vocant. Ab hac autē parte vsque ad magnum verticulum, quod supra supernas humeri partes est, è directo gibbosa est, immo magis esse videtur quàm est: nam spina media sui parte, altissimas ossium propagines habet, hinc autem, atque illinc minores. Ipse verò ceruicis articulus repandus est.

43 Quibuscunque igitur gibbositates iuxta verticula fiūt, his expulsio magna à cōnexione abrupta, vnius, aut plurimum verticulorum, non ita multis, sed paucis cōtingit: neque enim talia vulnera fieri facile est, neque ad externam partem expelli facile est; si non ex anteriore parte, forti aliqua re per ventrem quis vulneratus fuerit: (Sic autem vtique perierit) aut nisi quia ex alto loco delapsus, aut humeris impegerit. Sed & hic vtique morietur; etiam si statim non intereat. At ex posteriore parte ad internam, huiusmodi expulsionem fieri non est procliue; si non in immensum graue aliquod onus irruat: nam ex ossibus, quæ foras enata sunt, vnumquodq; eiusmodi est, vt prius ipsum frangatur, quàm magnam intro inclinationē faciat, ita vt & ligamenta, & articulos inter se alternatos, ac articulatos violet. Præterea & spinalis medulla affligeretur; si ex modico loco inflexionem haberet, vbi verticulum tali expulsione exiluisset: & verticulum, quod exiluisset, spinalem medullam vtique premeret; si non etiam abrumperet. At ea pressa, ac intercepta, multarum, & magnarum, & nobilium partium torporem induceret. Quare neque curæ fores medico, quomodo verticulum dirigat, ac coaptet; quum multa, & violenta alia mala adsint. Itaque si tale contingat, palàm est quod neque concutiendo, neque alio quodam modo, reponi possit, nisi quis dissecto homine, & manu in ventrem iniecta inquisitionem faciat, & ex intenta parte ad externam manu retrudat: atque hæc in mortuo quidem fieri possent, in viuo autem non ita.

44 Cur igitur hæc scribo? Quia sunt quidam, qui putant se curasse homines, quibus intro exciderint verticula articulos penitus trāsgressa; & sanè facillimam hanc distortionem esse, vt quis inde conualescat, aliqui censent, eamque nulla repositione opus habere, sed sua sponte talia sanescere. Ignari autē multi sunt, & lucro hoc habent, quod ignorant: persuadēt enim alios. Verum falluntur hi hac de causa. Spinam, quæ in spina ipsa eminet, verticula ipsa esset putant; quia vnumquodque ex his ossibus ac contactum rotundū apparet, ignorantes, quod hæc ossa sunt ea, quæ a verticulis enata sunt, de quibus paulò antè dixi. At verticula longe magis in anteriorem partem absunt: angustissimum enim ventrem ex omnibus animalibus homo habet, quantum ad magnitudinem attinet, a posteriore ad anteriorem partem, insuperque etiam iuxta pectus. Quum igitur horum supereminentium ossium aliquod vehementer fractum fuerit, siue vnum, siue plura; ea parte humilior locus redditur, quàm hinc, atque illinc; & propterea decipiuntur putantes verticula intro abijsse. Decipiunt autem insuper ipsos etiam figuræ vulneratorum: si enim inclinare se conantur; dolent: quum ea parte, qua vulnerati sunt, cutis sit circumtēta: & simul ossa fracta ita magis corpus affligunt. Si verò in repandum recuruantur; melius habent: nam & cutis iuxta vulnus laxior fit, & ossa minus affligunt. Sed & si quis ipsos contingat; ea parte repandi cedunt, & locus vacuus, ac mollis hac parte ad contactum apparet. Hæc omnia relata insuper medicos decipiunt. Verum tales cito sani, & illęsi sua sponte fiunt: cito enim omnia eiusmodi ossa quæ laxa sunt, callo obducuntur.

45 Obliquatur igitur spina etiam sanis iuxta multos modos nam & in natura, & in vsu ita se habet. Sed & præ senectute, ac doloribus. Nam hæc colligādi vim habent. At gibbositates ex casibus contingentes plerunque fiunt; si aut in costas innitatur, ac impingat, aut in humeros cadat: necesse est enim foris apparere in gibbositate vnum aliquod altissimum verticulum minus verò ea, quæ sunt hinc, atque illinc. Non igitur prosilit multum ab alijs, sed parum; quum singula aceruatim concedat. Propter hoc igitur etiam spinalis medulla eiusmodi distortiones facile fert; eo quod circularis ipsi distortio cōtingit, non angularis.

46 Oportet autem fabricam instrumenti coactorij huiusmodi construere. Licet equidem lignum robustū, & latum, incisuram oblongam habens, defodere. Licet etiam pro ligno, in pariete incisuram oblongam facere, quæ aut cubiti altitudine, aut prout congruū fuerit, a pauimento extet. Postea columnam quernā, quadrangularem, obliquam ad parietē adijcere oportet, tanto spacio in medio relicto, vt aliquis pertransire possit, si forte opus sit. Et super columnam quidem, aut tunicas, aut aliud quid molle, quod tamen non multum cedat, insternere oportet: homini verò fomentum adhibere: si vero admittat; ipsum etiam multa calida lauare. Deinde pronum extentum recli nare, & manus ipsius secundum naturam extētas ad corpus alligare. Postea vero loro molli satis lato, ac longo, ex duobus perpetuis inter se aduersarij loris constāte, ex media ipsius parte iuxta medium pectus quam proxime sub alas, bis circundare oportet: & qđ supereſt de loris vtrisque iuxta alam circum humeros obuoluatur, & initia ipsorum ad lignum quoddā pistilliforme alligentur, ita vt congruant secundum longitudinem subiectæ columnæ, ad quam lignum illud pistilliforme apponere, & renitendo extensionē facere oportet. Tali vero quoddam alio vinculo, & supra genua, & supra calcanea alligato, initia item

ad

ad eiusmodi lignum alligare oportet. Postea autem alio loro lato, ac molli, & robusto fasciæ formam habente, longitudinemq; ac latitudinem sufficientem partē inter coxas, & lūbos quàm proxime ad coxas, circumcirca fortiter deligare, atq; ita tum huius lori aliorum duorum capita, ad lignum à pedibus extans alligare, & postea in hac figura hinc, atq; illinc, aqua simul inclinatione, simulq; in directū extēsionem facere: nullum.n. magnum malum talis extensio induxerit; si commode preparata fuerit, nisi quis de industria se extendendū exhibeat. Ad medicus, siue alius quisquā fortis, & non imperitus, imposita manus vola supra gibbū, & altera manu insuper alteri superim posita, deorsum cogat, animaduersione habita, an in directū deorsum cogere oporteat, siue ad caput, siue ad coxas. Atque hæc coactio maxime innoxia est.

47 Sed & si quis insideat super gibbum, & attollendo se dum ille distenditur, incutiat, innoxium est. Neq; quicquam prohibet pede inscendere ac gestari supra gibbum, atque ita sensim incutere. Ad hoc autem moderate faciendum idoneus, quis fuerit ex his, qui in palæstra adsueti sunt. Efficacissima tamen coactio est, si aut paries incisuram habeat, aut lignum defossum infra spinæ altitudinem incisum sit, quantū moderate habere videatur, ita vt tabula tiliacea, aut cuiusdam alterius ligni, nō tenuis incisuræ indatur, & postea linteum quoddam multiplex, aut paruū quoddam coriaceum puluinar super gibbum imponatur. Quàm paucissima tamen imposita esse conducit, cauendi saltem gratia; vt ne tabula præ duricie dolorem aliquem importune inducat. Si autem gibbositas è directo maxime incisurę in pariete, quò qua parte maxime extat, ea quàm maxime tabula imposita premat. Vbi verò imposita fuerit; aliquis extremam tabulæ partem deprimat, aut duo hoc faciant, si vnus non suffecerit: alij verò corpus secundum longitudinem, velut dictum est extendant, partim hinc, partim illinc constituti. Potest etiam asellis extensio fieri, aut iuxta lignum defossis, aut in ipso ligno asellorum postibus constructis, siue erectos velis vtrinq; paululum supereminentes, siue hinc, atque illinc iuxta ligni verticem. Hæ coactiones moderationem admittunt, vt & vehementissime, & moderate fieri possint. Talem autem vim habent, vt si quis etiam ad perniciem tales necessitates adhibere velit, & non ad curationem; tunc quoque multum possint: nam, si quis secundum longitudinem hinc, atque illinc saltē sic extendat, & nullam aliam necessitatem addat; tamē sic etiam extensionem facere poterit. Sed, & si non extēdat, & tabula solum ita quis vtatur; etiam sic sufficiēter deorsum cogere poterit. Bonæ autem sunt huiusmodi violentiæ, quibus, & vehementioribus, & debilioribus vti licet, vsu ipsorum prout quisq; vult moderato. Et sanè etiam secundum naturam coactionē faciunt: nam ea, quę extant, ad locum suum redire cogit depressio. Quæ verò præter naturam coiuerunt, ea extēdunt extensiones secundū naturam. Proinde neque meliores his necessitates ego habeo, neque iustiores rectitudo enim extensionis iuxta ipsam spinā, inferne, & iuxta os sacrum appellatum, nullā ansam habet: superne verò iuxta ceruicem, & caput, habet quidem ansam, sed in speciem indecora est: &, si hac parte extensio fiat redundans; etiam alias læsiones inducere poterit.

48 Experimentum autem aliquando feci, vt homine supino extento, vtrem non inflatum sub gibbum subderem, & postea folle ex officina fabri in subiectum vtrem immisso inflarem. Verùm res mihi non successit: quum enim bene extenderem hominem; vincebatur vter, & non poterat flatus aliquam coactionem facere. Sed & aliàs hæc res prompta erat ad dilapsionem, nimirum quum in idem & hominis gibbositas, & vtris pleni incurua turgiditas cogantur. Quum autem rursus non valde extenderem hominem; vter quidem præ flatu incuruus turgebat, homo verò omnino magis, quàm conducebat repandus fiebat. Scripsi autem hoc de industria: pulchrum enim est etiam ea addiscere, quæ in experimentum assumpta successu caruerunt, & cur successum non habuerunt. Quibuscunque porrò verticula intro obliquantur aut ex casu, aut graui aliqua re illapsa; his nullum quidem verticulum extat plerunque ita multum ab alijs. Si verò extiterit multum, aut vnum, aut plura; mortem inducunt, velut etiam antea dictum est. Circularis etiam hęc, & nō angularis emotio existit. Vrinæ igitur talibus magis supprimūtur, itemq; alui egestio, quàm his, qui extra gibbosi fiunt: & pedes, ac tota crura magis perfrigerātur: & lethalia sunt hęc magis, quàm illa, quæ dixi. Sed, & si superstites euadunt hi; magis profluam vrinam habent, & cruribus impotentiores, ac torpidiores fiunt. Si verò etiam in superna parte magis repandi fiant; totius corporis impotētia, ac torpor accedit. Atque ego sanè nullam machinam habeo, per quam talia in idem restitui possint, si non alicui concussio per scalam opem tulerit, aut etiam alia quædam eiusmodi curatio, aut extensio, qualis est ea, quæ paulò antea relata est.

49 At coactionem vnà cum extensione nullam habeo, quæ sanè fieri ita posset, velut in gibbo tabula coactionem faciebat: quomodo enim quis ab anteriore parte per ventrem coactionem facere possit? Neq; enim fieri hoc potest. Sed neq; tusses, neq; sternutationes vllam vim habent, vt extensioni auxiliari possint. Nec verò flatus immissio in ventrem quicquam efficere poterit. Quin, & si magnæ cucurbitæ affigantur, attractionis nimirum gratia verticulorum intro repentium, magno hoc mentis errore contingit: propellunt enim magis, quàm attrahunt, & neq; hoc animaduertunt hi, qui ipsas affigunt: quanto enim magis ipsas quis adigit, tāto magis repandi fiunt hi, quibus affiguntur, cute simul sursum coacta. Possem autem & alios concussionum modos, quàm hi sunt, quos antea retuli, exponere, quos sanè affectioni magis conuenire quis putare possit: verùm non valde ipsis fidem habeo, & propterea non scribo.

50 In summa igitur de his, quæ relata sunt, ita acerua tim constituere oportet, quòd ea quidem, quæ in repandum emota sunt, lethalia sunt, ac noxia: quæ verò in gibbum, innoxia in totum, quantum ad mortē, & vrinæ suppressionem ac torporem attinet: non enim riuos, qui sunt in ventre gibbositas ad externā partem intendit, neque fluidos esse prohibet. Repanditas verò ambo hæc facit, & ad alia multa hæc accedunt: nam multò plures & cruribus, & manibus impotentes fiunt, & corpore torpescunt, & vrinæ his supprimuntur, quibus gibbositas quidem neque extra, neque intro extiterit, verùm in rectitudinem spinæ vehemēter cōcussi fuerint. Quibus verò gibbosi-

tas

ſtas extat, hi minus talia perpetiuntur. Multa verò etiam alia in medicina quis videre poterit, ex quibus ea quidem, quæ fortia ſunt, innoxia ſunt per ſe totã morbi iudicationem inducentia: quæ verò debiliora noxia, ita vt & diuturnos morbos progenerent, & cum reliquo corpore ampliorem communionem habeant.

51 Nam & coſtarum fractura eiuſmodi quid perpetitur: quibus enim fractura fuerit coſta vna, aut plures, vel vt plurimis frangitur, ita vt oſſa ad internam partem non vergant, neque denudata ſint; ex his pauci iam febricitarunt. Sed neque ſanguinem multi iam expuerunt, neque ſuppurati multi fiunt, neque curatione medicamẽtorum ex illitis linamentis opus habent, neque oſſium corruptiones accedunt, & victus vulgaris ſufficit, ſi enim febris continua ipſos non corripuerit; etiã vaſa per inediam his vacua fieri deterius eſt, quàm ſi non vacua fiant. Maiorem item dolorem, ac febrem, & tuſſim inducit: moderata enim ventris repletio, coſtarum ſit directio. Verùm vacuatio pendentes coſtas facit, & hæc dependentia dolorem inducit. Extrinſecus autem vulgaris deligatio talibus ſufficit, ita vt cerato, & ſplenijs, & linteis, plana deligatio placide firmetur, aut etiam laneum quiddam inſuper imponatur. Corroboratur autem coſta diebus viginti: celeriter enim his oſſibus calli obducuntur.

52 At contuſa circa coſtas carne, aut plaga, aut caſu, aut reniſu; aut alio quopiam eiuſmodi, multi iam multum ſanguinem ſpuerunt: riui.n.in molli ad vnã quanq; coſtam extenta parte, & neruis à principaliſſimis in corpore partibus progreſſus habent. Multi itaque iam tuſſiculoſi, & tuberculoſi, ac ſuppurati facti ſunt, & linamentis opus habuerunt, & coſta ipſis corruptionem ſenſit. Sed & quibus nihil tale acceſſit, carne circa coſtas contuſa: tardius tamen dolor in ipſis ſedatur, quàm in his, quibus coſta fracta fuerit: & in talibus vulneribus locus dolorum recidiuas magis habet. Proinde aliqui tales noxas magis contemnunt; ſi coſta ipſis fracta fuerit. Quin & curatione exactiore tales indigent; ſi modo ſapiant; victũ enim contractum eſſe conducit, & corpore quàm maximè quieſcere, & à Venere abſtinere, edulijsque pinguibus, & fauces exaſperantibus, ac fortibus omnibus: venamq; in cubiti flexura ſecare, & quàm maximè ſi lere. Deligare verò locum contuſum conducit ſplenijs nõ multiplicibus, ſed multis & multò latioribus tota contuſione, & cerato ſublinire, & linteis cum faſcijs latis ac mollibus deligare, & moderatè firmare, vt deligatus non valde ſe compreſſum eſſe ducat, neque rurſus laxum. Initium autem ſumere debet, qui deligat in ipſa contuſione, atque iſthic maximè firmare, facienda verò eſt deligatio, velut à duobus initijs, deligandumq;, vt ne circuflua ſit cutis circa coſtas, ſed æquilibris. Deligandum autem aut ſingulis, aut alternis diebus. Præſtat autem & aluum & molli te leui aliquo medicamento, cibi ſaltem euacuandi gratia: & ad decem quidem dies attenuare: poſtea verò corpus renutrire, ac tenerum facere. Quandiu verò attenuas, deligatione magis firmata vtendum eſt: quum autem ad teneritudinem deducis: laxiore.

53 Et ſi quidem ſanguinẽ ab initio expuerit: quadraginta dierum curationẽ, ac deligationẽ facere oportet. Si verò ſanguinem non ſpuat; ſufficit viginti diebus vt plurimum curatio. Verùm eſt robore vulneris tempora coniectare oportet. Qui porrò tales contuſiones neglexerint, etiam ſi aliud nihil maioris mali ipſi contingat: tamen locus contuſus mucoſiorem carnem habet, quàm antea habebat. Vbi vero quippiã relinquitur, & curatione non probe exprimitur: deterius quidem eſt ſi iuxta ipſum os mucoſitas relicta fuerit: neque.n.caro amplius ſimiliter os contingit, & os ipſum morboſius redditur, & corruptiones oſſis diuturnæ, multis iam ex huiuſmodi occaſionibus factæ ſunt. Sed & ſi iuxta os non fuerit, verùm ipſa caro mucoſa ſit: attamen etiam ſic recidiuæ, ac dolores, aliàs, atque aliàs fiunt; ſi quis fortè corpore ægrotauerit. Quapropter deligatione vti oportet bona, ſimulque multum conueniente, quoad ea humoris effuſio, quæ in contuſione facta eſt, reſiccetur, ac reſorbeatur, locus autem carne ſana augeatur, & oſſis quoque caro augeſcat.

54 At quibus ex neglectu vetuſtatem contraxerit, ita vt locus ſit doloroſus, & caro ſubmucoſa; his vſtio medela optima eſt. Et, ſi quidẽ ipſa caro mucoſa fuerit, vſque ad os vrere oportet, non tamen vt os perca leſcat. Si verò inter coſtas mucoſitas fuerit: ne ſic quidem in ſuperficie vrere oportet, cauere tamen, ne in vlteriorem partem peruras. Si verò ad os ipſum contuſio eſſe videatur, & ſit adhuc recens, & nondum os corruptionem ſentiat: ſiquidem parua admodũ fuerit, ſic vrere oportet veluti dictũ eſt. Si verò oblonga fuerit iuxta os contuſionis eleuatio; plures cruſtas incutere oportet. Cæterùm de corruptione coſtæ vnà cum eorum, qui linamentis opus habent curatione, dicetur.

55 Si verò femoris articulus ex coxa exciderit. Excidit autem iuxta quatuor modos, intrò quidem ſæpe, foras aũt præ alijs ſæpe. Verùm in poſteriorem, ac anteriorem parte excidit quidem, ſed rarò. Quibus igitur intrò exceſſerit, his longius apparet crus; ſi ad alterum comparetur; atque hoc meritò, propter duas cauſas; nam os, quod à coxa procedit, & ſurſum ad pectinem fertur, fundamentum fit capitis femoris, & articuli ceruix in acetabulo vehitur: & nates forinſecus cauæ apparent, vtpote quum intrò ceſſerit femoris caput. Et rurſum ſumma femoris pars iuxta genu extra repere cogitur; tibia item, & pes, eodem modo. Quum igitur foras repat pes; medici ob imperitiam ſanum pedem ad hunc exibent, & non hunc ad ſanum: & propterea multò longius læſum crus apparet, quàm ſanum. Multis aũtem etiam alijs locis talia ſiniſtram intelligentiam habent. Nec vero flecteræ iuxta inguen ſimiliter, vt ſanum poſſunt. Sed & ſi femoris caput in interſemineo contingatur, quàm extuberare comperitur,

56 Signa igitur hæc ſunt in his, quibus femur intrò excidit. Quibus igitur articulus elapſus non fuerit repoſitus, ſed aut fruſtra tentatus eſt, aut neglectus: his & ambulatio per cruris circumuolutionem, velut in bobus fit, & plurima vexatio ipſis in ſano crure cõtingit: & cogũtur iuxta lateris mollitudinem, aut iuxta elapſum articulum, mutili ac obliqui eſſe. Iuxta ſanum verò crus nates ad externam partem rotundæ eſſe coguntur: ſi quis enim ſani cruris pedes extra ambularet, protruderet vtique reliquum corpus, vt ad læſum crus veheretur. Læſum autem vehere hoc non poterit, quomodo enim poſſe? Cogitur igi-

cùr ne ſani cruris pede intrò ambulare,& non extra: ita enim maximè vehit ſanum crus, & ſuam ipſius, & læſi cruris partē corporis vtriſque incumbentem. Quum autem iuxta lateris mollitudinem,ac iuxta articulum cauētur: parui apparent,& baculo inniti coguntur à latere iuxta ſanum crus:hac enim parte fulcimento opus habent: ad hanc.n.& nates repunt,& in hac corporis pondus vehitur.Cogūtur item ſe inclinare:manū enim,quę eſt à parte cruris læſi,ad obliquum femur firmare coguntur.Non enim poteſt lęſum crus vehere corpus, in crurum permutationes:ſi non detineatur,dum ad terram premitur. In his igitur figuris eſſe coguntur hi, quibus intrò elapſus,nō fuerit repoſitus articulus,homine nō pręmeditante, vt quā facillimè ſit figuratur. Sed ipſa hęc calamitas ex præſentibus ea,quæ facillima ſunt,eligere docet: nā & qui vlcus habent in pede, aut tibia, non omnes crure valde ingredi poſſunt:& infātes ſic iter faciūt: extra.n.ingrediuntur læſo crure. Et duplex lucrum conſequuntur:duplici.n.opus habēt.Nam & corpus nō ſimiliter vehitur in eo crure quod extra ingreditur,ſicut in eo quod intro: non.n.ſecundum rectitudinē ipſi incūbit pondus, ſed multò magis ei, quod ſubingreditur: ipſi.n.è directo incumbit pōdus tum in ipſa ambulatione, tum in crurum permutatione. In hac.n.figura ſanū crus celerrimè ſupponere poterit:ſi eo,ꝙ læſum eſt,exterius:ſano interius ingrediatur.Verùm de quo nunc ſermo eſt,bonum eſt,vt corpus ipſum ſibiipſi facillimas figuras inueniat.

57 Quibus igitur nondum perfectis ad augmentum, elapſus articulus non fuerit repoſitus: his femur decurtatur,& tibia, & pes:neque enim oſſa ſimiliter in longitudinem augeſcunt, ſed breuiora fiunt: maxime autem femoris. Excarne item,& emuſculatum, ac effœminatum, & tenuius totum fit crus,ſimul quidem propter priuationem loci articuli, ſimul autem ꝙ eo vti non poſſunt:eo quod ſecundum naturam ſitus non eſt:vſus enim aliquis liberat ad effęminatione,liberat etiam aliquantum ab intercepto in longitudinem augmento.Maxime igitur lęduntur hi,quibus dū in ventre ſunt; hic articulus fuerit luxatus:ſecundo loco ei,quibus valde infantibus idē contigit: minime verò hi,qui perfecti ſunt. Qualis igitur ambulatio perfectis cōtingat,dictū eſt.Quibus verò dū infantes ſunt,calamitas hæc incidit, pleriq; ad corporis directionē tardi ſunt, imò male ad ſanum crus deuoluūtur,manu,quæ eſt ad ſanum crus,ad terram ſe fulcientes. Sed & ex perfectæ ætatis hominibus quidam, quibus hæc calamitas contigit,ad ambulationem rectam cunctantur.

58 Quicūque verò infantes hac calamitate preſſi,recte educati fuerint,ſano quidem crure in rectum vtūtur; verùm ſub alam ſecundum ſanum crus ſcipionē ferunt,aliqui etiam ſub vtranque alam. Crus autem læſum eleuatum habent,& verò melius habent,quā tò breuius ipſius læſum crus fuerit.Sanum autē crus nihilo minus ipſi robuſtū eſt, quam ſi ambo ſana eſſent. Effœminantur tamen omnibus talibus carnes cruris,& plerumq; hoc magis perpetiuntur hæ,quæ ſunt ab externa parte,quàm quæ ab interna.Cæterū quidam fabulantur Amozonides maſculam ſuam ſobolem ſtatim dum infantes ſunt luxare,alias circa genua, alias circa coxas; quò nimirum claudi fiant, & maſculum genus fœmineo inſidias nō ſtruat.Vtūtur itaque his pro opificibus ad conriatria, aut fabrilia, aut alia ſedentaria opera. An equidem vera hęc ſint, ego non noui:quod autem tales fiant,ſcio, ſi quis ipſos ſtatim dū infantes ſunt luxet. Iuxta coxas igitur magna differentia eſt,an extra,aut intro fiat luxatio. Iuxta genua verò, differentia quidem aliqua eſt, ſed minor. Modus autem vtriuſque claudicationis proprius eſt.

59 Decurtantur enim magis hi,quibus extra luxatio facta eſt. Recti aūt minus ſtant,quibus intro luxatio contigit. Eodem modo etiam ſi iuxta malleolum luxatio fiat:ſi quidē ad externam partem id contingat, mutili quidem fiunt, verùm ſtare poſſunt. Si verò ad internam: valgi quidem fiunt,minus autem ſtare poſſunt.At verò coauctio oſſium talis fit. Quibus quidē circa malleolum tibiæ os exceſſit, his pedis quidem oſſa minimè coaugeſcuut: hæc enim proxime ad vulnus ſunt. Verùm tibiæ oſſa augentur quidem,non multo defectuoſius,carnes tamen minuuntur. Quibus verò iuxta melleolum manſerit articulus ſecundū naturā,iuxta genu autem exceſſerit:his tibię os ſimiliter coaugeſcere non ſolet,ſed breuius fit:hoc.n. proximè ad vulnus eſt. Pedis autem oſſa minuuntur quidem, ſed non ſimiliter, velut paulò ante dictum eſt,quia articulus circa pedem ſaluus eſt.Si verum ipſo etiam uti poſſent, velut mutilo: minus adhuc pedis oſſa his minuerentur.

60 At quibus circa coxam luxatio cōtingit, his femoris os non ſimiliter coaugeſcere ſolet: hoc enim proximè ad vulnus eſt:ſed breuius ſano fit. Tibiæ tamen oſſa non ſimiliter his augmento deſtituuntur,neque oſſa pedis;atque hoc ea de cauſa, quòd femoris articulus,qui ad tibiam eſt,& tibiæ articulum,qui ad pedē eſt,in ſua natura manet. Carnes tamen minuūtur his totius cruris.Si verò vti crure poſſent,adhuc magis oſſa augerentur,velut etiam prius dictum eſt,excepto femore,& minus excarnes eſſent. Multo tamē minus carnoſi,quàm hi,qui ſani ſunt eſſent. Argumēto autem,quod talia ita ſe habent,hoc eſt: Quicunq; enim brachio elapſo, muſtellæ cubito prædīti ſunt, paruumque,ac macilentū brachium habēt,aut ex natiuitate, aut etiam dum augeſcunt, priuſquam perfecti euadāt,galeancones appellati,hi os quidem brachij breue habent, cubitum autem, & ſummam manum paulò defectuoſiorem,quàm ſani, propter relatas cauſas:eo quòd brachium vulnerato articulo proximum eſt,vt ideo breuius factum ſit.

61 Rurſus autem cubitus propterea non ſimiliter calamitatem percipit;quia brachij articulus, qui eſt ad cubitum, in veteri natura manet. Et rurſus manus adhuc lōgius abeſt à calamitate,quam cubitus. Propter has igitur cauſas contingit, vt & oſſa, quæ non coaugentur, nō coaugeſcant & quæ coaugentur, coaugeſcant. Cæterùm ad carnoſitatē & manui & brachio multum profuerit;ſi quis manu laborando ſe fatiget:quęcunque enim manuum opera ſunt,plurima ex ipſis galeancones hac manu operari conantur,velut altera poſſunt,& nihilo defectuoſios, quàm cum illæſa efficiunt; non enim ſupra manus, velut ſupra pedes,corpus vehi neceſſe eſt. Verum lenia ſunt ipſis opera. Propter vſum autem non minuuntur carnes galeanconibus,neque circa manuum,neque circa cubitum. Sed & brachium propterea aliquam opem ſentit ad carnoſitatem.

Quum

62 Quum autem coxa eluxata fuerit ad internam partem à natiuitate, aut adhuc infanti, carnes ideo magis minuuntur, quàm in manu, quòd crure vti non possint. Quod autem hæc hoc modo se habeant, testimonium vnum quoddam in paulò posterius referendis habebitur. At quibus in exteriorem partem femoris caput excesserit, his crus breuius apparet; si ad alterum extendantur, atque id merito; non enim super os fundamentum fit capitis femoris, sicut quum intro excidebat, sed iuxta os, quod inclinatam naturã habet, in carne humida, ac cedente firmatur. Et propterea quidem breuius apparet. Intrinsecus autem iuxta plechada, intermediam crurum, ac inguinum partem, femur magis mutilum, & excarne fit: nates autem extrinsecus incuruiores, vtpote quum extra femoris caput elapsum sit. Sed & superius apparent nates, vtpote quum caro, quæ isthic est, femoris capiti cesserit. Summa verò femoris pars circa genu, intro repere videtur; tibia item, & pes. Sed neque inflectere velut sanũ crus possunt. Et signa quidem femoris extra elapsi hæc sunt.

63 Quibus igitur perfectis iam elapsus articulus non fuerit repositus, his totum crus breuius apparet. In ambulatione autem calcaneo terram pertingere nõ possunt; verùm pectore pedis in terra consistunt, ac progrediuntur, parum autem ad internam partem summis digitis vergũt. Aut crus læsum in his multo magis corpus vehere potest, quàm quibus ad internam partem excidit, partim quòd caput femoris, & ceruix articuli, quum natura obliqua sit, sub multam coxæ partem subsistit, quòd summus pes non ad externam partem inclinatus esse cogitur, sed prope est ad rectitudinem corporis, & tendit etiam interius. Quum igitur semitam, ac callem acceperit articulus; in carne, ad quam elapsus est, & caro viscositatem cõ traxerit, doloris exors progressu temporis fit. Quum autẽ doloris exors factus fuerit, possunt qui dẽ absq; baculo iter facere, si alias voluerint; possunt autem & vehere corpus supra crus læsum. Itaq; propter vsũ carnes talibus minus effeminãtur, quàm illis, de quibus paulo ante dictum est. Effœminantur autem aut plus, aut minus. Magisq; adhuc effeminãtur plerunque iuxta internã partem, quàm iuxta externam. Pleriq; tamen ex his calceamentũ sibi inducere non possunt propter cruris inflexibilitatem. Quidam verò etiam hoc possunt.

64 At quibus dũ adhuc in ventre sunt: hic articulus fuerit luxatus, aut dum adhuc augescunt, vt elapsus, non fuerit repositus, aut etiam præ morbo hic articulus excesserit, ac luxatus fuerit (multa enim huiusmodi fiunt) talium quibusdam si corruptionem senserit femur, suppurationes diuturnæ, & linamentis indigentes fiunt, & aliquibus ossium denudationes. Similiter autem & quibus corruptionem femoris os sentit, & quibus non sentit: multo breuius fit, & velut sanũ coaugescere non solet. Tibiæ tũ ossa breuiora quidem fiunt, quam alterius tibiæ, sed paululum ob causas antea relatas. Ambulare verò tales possunt, & quidam ex ipsis eo modo quo perfecti, quibus elapsus articulus repositus non est: aliqui verò etiam pede consistentes progrediuntur: declinant tamẽ inter ambulandũ propter cruris breuitatem coacti. Hæc autem hoc modo fiunt, si diligenter educati fuerint in figuris, & rectè in quibus oportet: priusquam ad iter faciendum corroborati fuerint: diligenter item & rectè, postquam corroborati fuerint. Plurima autem diligentia opus habent hi, quibus dum maxime infantes sunt; hæc calamitas contigerint: si.n. neglecti fuerint dum infantes sunt; inutile penitus, & omni augmento priuatum, totum crus euadit, & carnes totius cruris magis minuuntur, quàm sani. Multo tamẽ minus his minuuntur, quàm illis, quibus intro excidit, propter vsum, & laborem, ita vt statim crure vti possint, velut etiam paulò ante in galeanconibus dictum est.

65 Sunt autem aliqui, quibus partim statim à natiuitate, partim præ morbo, amborum crurum articuli exciderunt ad externam partem. His igitur ossa quidem easdem affectiones habent, ac perpetiuntur. Carnes tamen minimè effœminantur. Sed & satis carnosa crura fiunt, præterquam si quid sanè circa internã partem paululum deficiat. Propterea vero satis carnosa sunt; quia vtrisque cruribus similiter vtũtur: similiter enim fluctuant hàc, atque illàc inter ambulandũ: & vehementer eminentibus natibus hi videntur propter articulorum excessum. Si verò ossa ipsis corruptionem non senserint, neque gibbosi supra coxas fiant: nonnullos enim etiam talia corripiunt. Si igitur tale quid non contigerit; satis sani de cætero durant. Totum tamen corpus hi minus augescens habent, capite excepto. At verò quibus in posteriorem partem femoris caput exciderit: (paucis autem excidit:) hi crus extendere non possunt, neque iuxta articulum elapsum, neque ita valde circa poplitem, & multò minus, quàm hi, quibus iamdudũ id contigit: hi enim magis & circa inguen, & circa poplitem articulum extendunt.

66 Illud tamẽ insuper intelligere oportet: (Est enim cõmodum, & magni faciendum, & plerisq; ignotũ) quòd neque sani articulum circa poplitem extendere possunt, si non simul extendant ẽt articulũ circa inguen, præterquam si pedem valde sursum attollant: sic.n. poterint. Hi itaq; neq; inflectere articulum circa poplitem similiter possunt; sed multo difficilius, si non etiam articulum circa inguen inflexerint. Multa verò etiã alia circa corpus, huiusmodi fraternitates, ac cognationes habent, & circa neruorum distentiones, & circa musculorum figuras, plurima, & pluris facienda, vt cognoscantur, quam quispiã putauerit. Itẽ circa intestini naturam, & totius ventris, & circa vterorum errores, ac distentiones. Verùm de his alibi nobis sermo erit cognatus his, quę nunc dicũtur. Sed de quo nunc sermo est, neq; extendere possunt, velut iam dictum est, & breuius crus apparet, atq; hoc ob duas causas, & quod non extenditur, & quod ad natium carnẽ elapsum est: natura.n. ossis coxæ ea parte est, qua & caput, & ceruix femoris existit. Vbi verò luxatũ fuerit; pronum ad externam partem natium defertur. Inflectere tamẽ possunt, si dolor non prohibeat, & tibia, & pes moderate recta apparent, & neque hàc, neque illàc multum inclinata. Iuxta inguen verò caro insuper aliquanto mollior esse videtur, præsertim ad contactum, vtpote articulo ad alteram partem elapso. A dipsas autem nates si attrectetur femoris caput; aliquanto etiam magis extuberare videtur: atque hæc quidem signa sunt. si cui in posteriorẽ partem femur excidit.

67 Cui igitur iam perfecto elapsum, nõ fuerit repositum,

tum,hic ambulare quidem poteſt: vbi tempus interceſſerit, & dolor ſedatus fuerit, & articulus in carne verſari adſueuerit. Cogitur tamen vehemẽter ſe inflectere circa inguina, dum iter facit, atque hoc ob duas cauſas:tum q̃ multò breuius crus fit, ob ea quæ antea dicta ſunt:tum q̃ multum valde abeſt ab eo,vt calcaneo terram cõtingat:ſi enim conaretur vel paululum pede illo vehi,ita vt nihil aliud habet, quo ſe firmet,retro ſane corruerit: magna enim fuerit momenti inclinatio,& coxis multum in poſteriorẽ partem ſupereminentibus ſuper pedis greſſum, & ſpina inſuper ad coxas vergente. Vix autem pectore pedis terrã attingit, & ne ſic quidem, niſi ipſe ſeipſum circa inguina inflectat, & altero crure circa poplitẽ inſuper ſe inflectat.Ob hęc autem cogitur,vt manũ, quæ eſt ſecundum læſum crus,ad ſupernam femoris partem in ſingulis greſſibus firmet. Cogit igitur aliquantum hoc ipſum,vt circa inguina inflectatur:nã in permutatione crurum in ambulando ſupra læſum crus vehi non poteſt: ſi nõ inſuper firmetur crus per manum ad terram, nimirum quum non ſub corpore articulus ſubſiſtat, ſed ad poſteriorem partem iuxta coxam extet. Abſque tamen baculo tales iter facere poſſunt, ſi aliàs adſueuerint:eo quòd greſſus pedis in vteri rectitudine manet, & nõ ad externam partẽ inclinatus eſt. Quapropter nihil opus habent baculi fulcimento. Quicunque tamen pro femoris per manum apprehenſione,ſuppoſito ſub alam,quæ ad ſiniſtrum crus eſt,ſcipione inniti volunt,hi ſi quidẽ longiorem ſcipionem ſuppoſuerit: erectiores quidem iter facient,pede autem ad terram nõ innituntur. Si verò pede inniti volent:breuior ipſis baculus faciendus eſt, & ad inguina vt ſe inflectant neceſſe fuerit.

68 Cæterùm carnium imminutiones etiam his ſecũdum rationem fiũt,velut antea dictum eſt: qui enim eleuatum habent crus,& nihil laborant,his etiã maximè minuuntur. Si verò plurimo vtuntur ingreſſu, his minimè minuuntur. Sanum tamen crus nihil inde vtilitatis conſequitur, ſed etiam deformius fit, ſi læſo crure ad terram innitentes vtantur: illi enim ſimul inſeruiens, & extra prominente coxa eſſe cogitur, circa poplitem ſe inflectere. Si verò quis læſo crure non ad terram vtatur,ſed eleuatum habeat, & ſcipioni innitatur: ſic ſanum crus robuſtum fiet; nam & in naturali ſtatu degit, & exercitationes ipſum corroborant. Poſſit aliquis dicere, extra medicinam talia eſſe. Quid enim opus eſt de his, quæ incurabilia iam facta ſunt, amplius tractare? At hoc facere multum refert: eiuſdem enim profeſſionis eſt & hæc cognoſcere:non enim fieri poteſt,vt inter ſe dirimantur; oportet enim curabilia ita tractare, vt ne incurabilia fiant,ea intelligentia,vt quàm maximè prohibeamus,ne ad hoc deueniant,vt incurabilia reddantur.Oportet autem & incurabilia cognoſcere,vt ne maximè lædant.Prædictiones autem ſplẽdidæ ſunt, ac glorioſæ ex cognitione, quò,& qualiter,& quando,ſingula deſinent,ſiue eo vertantur, vt incurabilia fiant, ſiue curationis ſpem exhibeant.

69 Quibuſcunque verò ex natiuitate,aut dum adhuc aliàs augeſcunt,ita elapſus fuerit articulus,& non repoſitus, ſiue ex violentia elapſus ſit,ſiue præ morbo: (multæ enim huiuſmodi luxationes fiunt in morbis: qui verò ſint hi morbi, in quibus articuli elabuntur poſtea ſcribetur:)Si itaque elapſus non fuerit repoſitus,femoris quidem os breue fit,affligitur autem totum crus, & augmento deſtituitur, & multò magis excarne ſit:eo quòd ipſo non vtantur:nam & articulus circa poplitem his affliguntur;nerui enim ob ea, quæ antea dicta ſunt, intenduntur. Quare articulum circa poplitem extendere non poſſunt hi quibus hoc modo coxa excidit: vt enim in ſumma dicam; omnia, quæ in corpore ad vſum facta ſunt, ſi quis moderate ipſis vtatur, & in his laboribus exerceat, ad quos ſingula ſunt adſueta; ſic quidem ſana ſunt, & augeſcunt, & probe conſeneſcunt. Si verò quis non vtatur, ſed quieſcat: morboſiora fiunt, & non augeſcunt, & cito conſeneſcunt. Inter hæc autem non minimè perpetiuntur hoc & articuli, & nerui: ſi quis non ipſis vtatur.Propter has igitur cauſas,magis in hoc luxationis modo, q̃ in alijs affligũtur totũ enim crus & in oſſium,& in carnium natura,augmento deſtituitur. Tales igitur vbi iam in viros euaſerunt,eleuatum,ac inclinatum crus hoc habent, altero verò vehuntur baculo innitentes,aliqui vno,aliqui duobus.

70 Quibus porro in anteriorem partẽ femoris caput elapſum fuerit(paucis autem hoc contingit)hi extẽdere quidem crus perfecte poſſunt,inflectere autem ſe minime poſſunt circa inguen. Affliguntur autem etiam, ſi circa poplitem ſe inflectere coguntur.Longitudo verò cruris conſimilis apparet,& circa calcaneum quidem valde. Verùm ſummus pes aliquanto minus in anteriorem partem prominere ſolet. Totum autem crus rectitudinem habet ſecundum naturam, & neque hac, neque illac vergit. Cæterum hi ſtatim dolore corripiuntur maxime, & vrina imprimis ſupprimitur, aliquanto magis, quàm in alijs luxationibus: Caput enim femoris proxime his incumbit ad præcipuos neruos, circa inguen quidẽ extuberantes videntur,& locus extentus apparet:verùm circa nates rugoſior, & maxime excarnis. Atque hæc quidem,quę relata ſunt ſigna ſunt eorum,quibus ita femur excidit.Quibuſcunque igitur viris iam factis, hic articulus elapſus,non fuerit repoſitus,hi vbi dolor ipſis ſedatus fuerit,& articulus in eo loco,in quẽ excidit,verſari adſueuerit;ſtatim ferè recti ambulare poſſunt abſque baculo,& valde quidem recti,vtpote quum ad læſum crus,neque circa inguen,neque circa poplitem,facile ſe flectere poſſint. Propter inguinis itaque inflexibilitatem,rectiore toto crure in ambulando vtuntur,quàm quum ſani eſſent. Sed & aliquando ad terram pedem trahunt, vtpote quum ſupernos articulos nõ facile inflectant, & totõ pede in grediantur:nihilo enim minus hi calcaneo ingrediũtur,quàm anteriore pedis parte.Si verò magnis greſſibus progredi poſſent; etiam valde calcaneo inſiſtentes progrederentur: nam & ſani quanto minoribus greſſibus iter faciunt, tantò magis calcaneo ingrediuntur,alterum pedem deponentes,contrarium eleuantes. Quibuſcunque itaque hoc modo excidit, adhuc etiam magis calcaneo terram contingunt, quã anteriore pedis parte: anterior enim pedis pars, vbi reliquum crus extentum fuerit; non ſimiliter in anteriorem partem inflecti poteſt,ſicut vbi crus fuerit inflexum. Neque rurſus ſinuari pes poteſt crures inflexio,ſicut vbi crus fuerit extentũ.Sana igitur natura hoc modo eſt,veluti dictum eſt.Quũ verò elapſus articulus repoſitus non fuerit; ſic iter faciunt,

velut

velut dictum est, ob prædictas has causas. Magis tamen excarne crus fit, quam alterum, & iuxta nates, & circa suram, & iuxta posteriorem rectitudinē. At verò quibus dum adhuc infantes sunt, articulus sic elapsus, non fuerit repositus, aut etiam à natiuitate ita habuerint, & his femoris os aliquanto magis minuitur, quàm tibiæ, aut pedis ossa. Minimum quidem in hoc luxationis modo femur minuitur. Carnes tamen vndique minuuntur, maxime circa posteriorem rectitudinem, quemadmodum etiam prius dictum est. Quicunq; igitur recte educati fuerint, hi vbi augescunt, crure vti possunt, breuiore aliquantum existēte quā altero, ita tamē vt baculo innitantur ea parte, qua læsum crus est: non. n. absque calcaneo, pedis pectore admodum vti possunt, vt in id innitātur, quemadmodum in alijs claudicationibus aliqui possunt. Causa vero, cur nō possint, ea est, quæ paulo antè relata est. Ob id igitur baculo insuper opus habent. Qui verò neglecti fuerint, & crure ad terrā nō vtuntur, sed eleuatum id habent, his minuuntur quidem ossa, vbi augescūt, magis, quam his qui eo vtuntur (Minuuntur autem & carnes magis multo, quam his, qui vtūtur.) Verum circa articulos in directū mutilatur his crus, aliquanto magis, quam quibus alio modo luxatio facta est. Quo igitur in summa dicatur, Articuli excidētes, ac qui luxantur, inequaliter inter seipsos excidūt ac luxantur, aliquando multo plus, aliquando multo minus. Et quibus quidē multo plus luxati, aut elapsi fuerint; his omnino difficilus reponuntur. Et, si repositi non fuerint; maiores, & manifestiores mutilationes, ac afflictiones tales habent, & ossium, & carniū, & figurarū. Vbi vero minus exciderint, & luxati fuerint; tales facilius, quam alij reponi possunt. Si verò frustra tentati, aut neglecti fuerint; minores, ac minus noxiæ mutilationes his fiunt, quam illis, de quibus paulò ante dictum est.

71 Reliqui igitur articuli etiam valde multum differunt ad hoc, vt aliquando minor, aliquando maior luxatio fiat. Verùm femoris, & brachij capite quàmsimilime inter se vtraq; excidunt: nam capita prout rotunda sunt, simplicem, & caluam rotunditatem habent. Orbiculatiores autem sinus sunt, qui capita excipiunt, capitibus tamen ipsis congruentes. Quapropter fieri non potest, vt dimidium articuli ex ipsis elabatur: nam ob rotunditatis circumferentiam, aut ad externam, aut ad internam partem luxari poterit. Sed de quo nunc sermo est, perfectè excidunt; nam alioqui non excidunt. Attamen, & hi aliquādo plus, aliquando minus, à naturali statu prosiliunt, & femur aliquanto magis, quàm brachium patitur: nam aliquæ etiam ex his luxationibus, quæ à natiuitate fiunt, si parum elapsæ fuerint, ad naturalem statum reduci possunt, & maxime articuli circa pedem. Quicunque à natiuitate mutili fiunt, plerique ex his curabiles sunt, si non valde magna emotio facta fuerit, aut etiam præauctis iam pueris contigerit. Optimum igitur est, vt talia quàmcelerrime curentur, priusquam valde magnus ossium defectus fiat, & priusquam admodum magnus carnium defectus circa tibiam contingat.

72 Modus itaq; mutilationis non vnus est, sed plures. Plurima quidem eluxata non sunt penitus, sed per figurę consuetudinem, in quadam pedis interceptione mutilata. Animaduertendum autem in horum curatione est, vt tibiæ circa malleolum os, quod intrinsecus est, ad internā partem detrudatur, ac dirigatur, & calcanei os, quod è directo illi subiacet, ad externam partē retrudatur, quo ossa, quę eminēt, sibiipsis occurrāt iuxta medium ac obliquū pedē. Digiti verò aceruati vna cū magno digito ad internam partem inclinentur, atq; ita circumcirca cogantur. Probe autem diligare oportet cerato resinato, & splenijs, & linteis mollibus non paucis, neq; nimis compessis, atque ita deligationis circunductiones facere, velut etiam manibus directio pedis fiebat; quo pes paulo magis ad valgum vergere videatur. Soleam etiam quandam facere oportet, aut ex pelle non nimis dura, aut è plumbo, eamq; insuper alligare nō ad corpus posita m, sed vbi iam postremis linteis deligares voles. Quum verò iā deligatus fuerit; vnius alicuius lintei ex his, quibus deligatur, initium, ad deligamēta, quę infra pedē sunt assuere oportet, è directo parui digiti, & postea sursum extendere, ita vt moderate habere videatur, atq; sic supra suram circūdare, quo sic extentū, ac collocatum stabile maneat. In summa, quasi quis certā fingat, ad naturam iustā adducere oportet, ita vt & inclinata, & distenta præter naturam & manibus sic digamus: & similiter deligatione: adducamus autem non violēter, sed leniter. Assuere vero ita oportet lintea, vt conducat ad reparationes, ac appensiones faciēdas: alia enim claudicationes alia reparatione, ac appensione opus habent.

73 Calceum insuper plumbeum facere oportet, extra deligationē adalligatū, qualem modulum: crepidæ Chiæ habebunt: verum nihil ipso opus est; si quis & manibus recte direxit, & linteis recte deligauerit, & appensiones, ac reparationes per assuta lintea recte fecerit. Atque hæc quidem est curatio, & neque sectione, neq; vstione, neq; alia varietate quicquam opus habet: citius. n. talia medicinæ obtemperant, quam quis putarit. Deuincire tamen tempore oportet, donec in iustis figuris corpus auctum fuerit. Vbi verò calceatio habenda est, Arbylæ lutigradæ, calceamēti ita appellati species, accommodatissimæ existunt: hoc enim calceamentū minime a pede superatur, sed potius ipsum superat. Idoneus est etiam Creticus calceamentorum modus.

74 At verò quibus tibiæ ossibus luxatis ac vlcere inducto, articuli circa pedem penitus eminent, siue intro vergant, siue extra, tales reponere non oportet, sed permittere vt quicunque velit medicus reponat: Illud. n. clare scire oportet, quòd homo morietur, si repositi permanserint. Sed & vita paucorum dierum his continget: pauci enim ex ipsis septimum diem transgrediuntur. Conuulsio enim est quæ ipsos occidit & cancerati contingit tibiam, ac pedem. Hæc ita futura esse certo scire oportet. Et neque veratrum mihi videtur profuturum esse, & eadem die datum, & rursus epotum, proxime autem si quicquam huius modi facit, non tamen mihi hoc videtur. Si verò repositi non fuerint, & ne tentati quidem ab initio, plerique ipsorum superstites euadunt. Sic autem & tibiam, & pedem coaptari oportet, prout ipse volet, modò non sint dependentia, aut commota. Curatio verò facienda est cerato picato, & splenijs vino imbutis paucis non ualde frigidis: frigiditas enim in talibus conuulsionem accersit. Idonea etiam sunt folia betarum, aut tussilaginis, bechij appellatæ, aut ali

cuius alterius huiusmodi, in vino nigro austero semi cocta, ac imposita. Et facienda est curatio super vulcus, & super partes adiacentes. Et cerato tepido ipsum vlcus illinendū. Si verò hyemis tempus fuerit; etiam lanæ succidæ vino, ac oleo tepidis imbutæ supernè ipsum madefaciant. Deligatio verò nulla, neq; vllum cataplasma adhibendum est: probe enim nosse conuenit, q̄ compressio, ac omnis oneris gestatio talibus omne malum affert. Accommodata autem sunt ad talia, & ex emplastris aliqua, quæ cruentis vulneribus destinata sunt, quibus videlicet ex ipsis confert, vt lanæ superimpositæ vino madefiant, & multo tempore sinantur. Quæ verò ex illis cruentis emplastris, pauciſſimis diebus incumbere debeant, & quæ resina comprehenduntur forinsecus adiecta, nō similiter vt illa idonea sunt: diuturna enim fit horū vlcerum purgatio; quum multo tempore madore abundent. Quosdam tamen ex his deligare bonum est. Verum illud clare nosse oportet, q̄ necesse est hominem turpiter claudum fieri; nam pes in talibus in supernam partem retractus est: & ossa luxata, extra eminentia apparent: neque enim vllum ex talibus ossibus plerunque denudatur, nisi leuiter aliquātum: neque abscedit, sed tenuibus ac debilibus cicatricibus circunducitur: atque hoc si multo tempore quieuerint: sin minus periculum est, ne vlcusculum immedicabile relinquatur. Verum de quo sermo est, qui sic curantur, seruantur. Si verò repositus fuerit articulus, ac permanserit; moriuntur.

76 Eadem ratio est, si etiam cubiti ossa circa manus articulum vlcere facto eminеant, siue ad internā manus partem, siue ad externā: clare enim nosse id oportet, quod is morietur intra paucos dies tali morte, qualis antea dicta est, cui reposita ossa permanserint. Quibus verò reposita non fuerint, neq; repositio tētata est; hi multo plures superstites manent. Curatio autem eiusmodi etiam talibus commoda est, qualis iam dicta est. Figuram verò claudicationis turpem esse necesse est, & digitos manus debiles, ac inutiles: si enim ad internam partem ossa luxata fuerint; digitos inflectere non potest: si verò ad externam; extendere nequit. Quibus vero tibiæ os facto vlcere, circa genu eminuerit foras, siue ad externam partem, siue ad internam, his si quis reponat; adhuc promptior mors adest, quam alijs; etiamsi etiam illis prompta aderat. Si verò omissa repositione medearis; spes quidem salutis hoc solo modo existit. Verum periculosiora hæc ossa sunt, quanto superiora, ac robustiora sunt, & a fortioribus elapsa.

77 At, si os femoris quod ad genu est, vlcere facto elapsum fuerit, & repositum permanserit; mortem adhuc violentiorem citius induxerit, q̄ prius relata. Si verò repositum non fuerit; longe magis periculosum est, quam priora. Sola tamen hæc salutis spes est. Eadē verò ratio est, & de articulis circa gibbum cubiti, & de cubito ac brachio: quæcunq; enim ex his luxata, vlcere facto eminuerint, ea omnia si reposita fuerint; mortem inducunt: non reposita, spem salutis: claudicationem vero superstitibus. Lethaliores autem sunt superiores articuli; si reponantur. Sed, & si non reponantur; periculosiores ijdem sunt. Si verò alicui superiores articuli luxati, facto vlcere emineant; hi, & sic reponantur; celerrimā mortem inducunt: &, si non reponantur; periculosiores sunt. Curatio verò iam relata est, quæ mihi accommodatissima esse videtur.

78 At verò quibus articuli digitorum aut pedis, aut manus luxati, facto vlcere eminuerint, osse non facto, sed circa ipsam connexionem auulso; his, si repositi permanserint; adest quidem periculum conuulsionis, si non bene curati fuerint: attamen operæprecium est, vt repositio fiat, cū prædictione, quod multa custodia, ac cura opus habet. Reponere vero facillimum est, efficaciſſimumque; ac artificioſiſſimum per vecticulum, velut etiam antea dictum est in fractis ac eminentibus ossibus. Postea quiescere quam maxime conuenit, & decumbere, ac pauco cibo vti. Melius est & pharmaco sursum purgante leui aliquo vti. Vlcus verò curare oportet, aut cruentis emplastris, quæ madefiunt, aut polyophthalmi siue buphthalmi folijs impositis, aut quibus ossa in capite fracta curantur: nihil autem valde frigidum adhibere. minime igitur primi articuli periculosi sunt: superiores autem periculosiores. Reponere vero oportet eadem die, aut postridie; tertio, ac quarto minime: quarto enim die maxime recrudescere solent. Quibus autem non statim repositi fuerint, in his dictos dies transgredi oportet: quicquid enim intra decem dies repositum fuerit, omne id cōtinetur. Si verò reposito osse conuulsio accedat; articulum statim eijcere oportet, & calida quam sepiſſime humectare: & totum corpus, & præsertim circa articulos calide, & leniter, ac molliter tractare. Verum inclinatum magis, quam extentum totum corpus esse oportet. Expectandum tamen est articulos circa digitos, qui reponuntur abscessuros esse: plerunque enim ita contingit, si vel quæuis inflammatio subsit. Quare si non propter vulgi imperitiam, medico verenda esset accusatio; nullum penitus reponere oportebat. Atque ad hunc modum periculosa sunt ossa, circa articulos eminentia foras; si reponantur, quemadmodum dictum est.

79 Quæcunque verò circa articulos digitorum penitus resecantur; ea plerunque innoxia sunt, si nō quis in ipsa vulneratione ex animi deliquio lædatur. Et curatio vulgaris talibus vlceribus sufficit. Sed & quæ non circa articulos, sed iuxta aliam quandam ossium rectitudinem resecantur, & hæc innoxia sunt, & adhuc alijs curatu faciliora. Et quæ iuxta digitos ossa fracta extra eminent, non ad articulum, & hæc, si reponantur, innoxia sunt. At resectiones ossium perfectæ circa articulos, & in pede, & in manu, & in tibia ad malleolos, & in cubito ad iuncturam manus, pleriſque quibus resecantur innoxiæ sunt; si non statim animi deliquium euertat, aut quarta die febris continua accedat.

80 Corruptiones tamen carnium cōtingunt & in vulneribus sanguifluis euadentibus, & vehementibus constrictionibus, & in ossium fracturis magis, quàm oportet compressis: & alijs vinculis violentis intercepta pleriſque decidunt. Et plerique ex talibus superstites euadunt, & quibus femoris pars aliqua & carnium, & ossis decidit, & quibus brachij pars. (Minus autem si cubiti, aut tibiæ pars deciderit) & amplius facile ferentes superstites euadunt. Quibus igitur fractis ossibus corruptiones statim fiunt, & denigrationes; his abruptiones corporis celeres circum circa fiunt, & decidentia cito decidunt, vt quum ossa

iam

iam antea remiserint emollita. Quibus verò dum ossa sana sunt, denigrationes fiũt, carnes quidem etiam his cito moriuntur, ossa verò tarde abscedũt, qua parte termini sunt denigrationis, & ossis nudatio extat. Oportet autem partes corporis quæcunq; infra terminos denigrationis sunt; quum iam penitus mortuę fuerint, & doloris exortes, iuxta articulum auferre, prouidendo, vt ne vulneres: si.n.is, cu resectio fit, dolore affectus fuerit, & corpus nondum mortuum fuerit ea parte, qua resecatur; magnum periculum est, ne præ dolore animi deliquium incidat. Talia verò animi deliquia multos iam uestigio peremerunt.

81 Femoris itaq; os tali modo denudatum octogesimo die abscedere vidi. Tibia tamen huic homini circa genu vigesima die ablata fuerat, aut vt mihi videbatur, etiam citius: non enim simul, sed ad maiorem prouidentiam facere quid mihi visum fuit. At tibiæ ossa ex eiusmodi denigratione circa mediam tibiam, sexagesimo die mihi deciderunt, quæcunque ex ipsis fuerunt denudata. Differt equidem & curatio à curatione, ad hoc vt ossa denudata citius, aut tardius decidant. Differt etiam compressio à compressione, prout vehementior, aut debilior fit, ad hoc vt citius aut tardius denigrati emoriantur, carnes item, & arteriæ, ac venæ: nam quæcunq; non vehementer intercepta moriuntur, ex talibus quædã ad ossium denudationes non perueniunt, sed magis in superficie decidunt. Propter has igitur causas, non vnum numeri nomen tempori poni potest, in quanto singula ex his iudicantur. Assumere verò valde oportet tales curationes. Sunt enim magis horrenda aspectus, quam curationis, & curatio lenis omnibus talibus sufficit; ipsa enim seipsa solum iudicant. Et circa victum diligentiã adhibere oportet, vt pro viribus febris exorsit: & in iustis figuris corpus collocare. Iustæ autem hæ sunt, vt neq; sublimius eleuatum sit, neque deorsum repat. Sed magis præterea sursum vergat; donec perfecte fuerit circumcirca abruptum: nam in hoc tẽpore sanguinis eruptionum periculum imminet. Ob id igitur uulnera deorsum repentia facere non oportet, sed vice versa. Alioqui vbi tempus amplius accesserit, & vlcera pura facta fuerint; nõ amplius hç figuræ commodæ sunt, sed positio recta, & aliquando deorsum repentes: temporis enim progressu quibusdam horum ossis discessiones fiunt, & subligaminibus opus habent. Expectare tamen oportet, vt tales per tempus à dysenteria corripiantur: nam in pleriſque denigrescentibus dysenteria accedit, & in sanguinis eruptionibus ex vlceribus. Accedit autem iudicatis iam denigrationibus, ac sanguinis eruptione, & procedit quidem large, ac vehementi impetu, sed non ad multos dies durat, neque lethalis est: neque enim valde cibum auersantur tales, neq; aliàs vasa vacua facere conducit.

82 Femoris porrò luxationem circa coxam hoc modo reponere oportet; si ad internam partem elapsum fuerit. Bona quidem, ac iusta, & secundum naturam hæc repositio est, & sanè etiam aliquid ostentationis habens, si quis talium rerum iactatione superbire velit. Ex pedibus hominem ad transuersam mediæ domus trabem suspendere oportet, vinculo forti; sed molli, ac lato, ita vt pedes quatuor digitorum spatio, aut minus, inter se distantes habeat. Sed & supra genua latum, ac molle lorum circundatum esse oportet, quod item ad trabem illam extendat. Crus autẽ læsum duobus digitis amplius; q̃ alterum extentum esse oportet. A terra verò absit caput ad duorum cubitorum spatium, aut paulò plus, aut minus. Manus autem iuxta latera extentæ, aliquo molli sint alligatæ. Omnia verò hæc supino iacenti ipsi præparẽtur, vt quàmbreuissimo tempore pendeat. Postquam verò suspensus fuerit; virum peritum, & non debilem immisso inter femora cubito ita agere oportet, vt cubitum inter caput femoris elapsum, & inter fęmineũ locumq́; inter anum ac pudendum ponat, & postea altera manu ad illam interpositam coniuncta, rectus astans ad suspensi corpus, derepente se appendens sublimis, quàm æquabilissime dependeat. Hæc repositio omnia, quibus secundum naturam opus est, exhibet: nam & ipsum corpus suspensum sua ipsius grauitate extensionem facit: & is, qui appendet, vna cũ extensione, femoris caput super acetabulum eleuari cogit, simulq́; cum cubiti osse, velut cum vecte molitur, ac cogit, vt ad pristinam naturã relabatur. Oportet autem vincula omnino bene constructa esse, & curare, vt fortissimus sit, is qui se appendit.

83 Quemadmodum igitur etiam antea dictum est. Magna est differentia naturarum in hominibus, ad hoc vt vel facile, vel difficulter repositio fiat. Et cur magna sit differentia, dictum est antea, vbi de humero egimus: quibusdã enim femur rursus incidit, nullo adhibito apparatu, sed ex modica extẽsione, quantum manibus directio fieri potest, & ex leui commotione. Multis autem qui crus iuxta articulum inflexerunt, iam facta circumagitatione rursus incidit. At multò plura vulgari cuilibet apparaturi non obtemperant. Quapropter scire quidem oportet de singulis optima in omni arte, vti verò his, quæ singulis vicibus idonea visa fuerint. Relati igitur sunt extensionum modi etiam in superioribus, vt quis vti possit ex his, qui forte affuerint: oportet enim in contrarias partes fieri extensionem vehementer in alteram, cruris: in alteram, corporis. Si enim probe extensio facta fuit; femoris caput supra pristinam sedem eleuabitur. Et, si quidem ita supereleuatum fuerit: ne prohibere quidem facile sit, quò minus ipsum in suam sedẽ insideat. Quare omnis iam vectis molitio, ac directio sufficit: sed enim in extensione deficiunt, & ob id maiorem turbationem exhibet repositio. Oportet igitur non solum iuxta pedem vincula alligata esse, sed etiam supra genu: quò non magis circa articulũ sit deligatio in extensione, quàm circa coxæ articulũ. Sic igitur extensionem ad pedis partem pręparatã facere oportet. Sed & in alteram partem extensionem, non solum ex deligatione circa pectus, & alas, in contrarium extendere oportet: sed etiam loro longo, duplicato, robusto, leni, circa interfœminem inserto, & à posteriore parte ad spinam porrecto, ab anteriore verò ad clauiculam tendente, i biq́; ad alterum initium alligato, ita coactionem facere oportet, vt alij hinc, alij illinc extensionem faciant, ita tamen vt lorum circa interfœmineum, nõ superfemoris caput porrectum sit, sed inter caput, & interfæmineũ. Verùm inter extendendum pugno ad femoris caput quis innixus, id ad exteriorem partem propellat. Si verò is, qui trahitur, eleuetur, iniecta manu, & cũ altera manu coniuncta, simul deorsum trahat, simulq́; ad externam partem cogat. Alius verò quispiam par-

tem

tem femoris ad genu, placidè ad internam partem dirigat.

84 Dictum autem est etiam antea, operæprecium esse, vt, si quis in vrbe populosa medicinam exerceat: dignum possideat quadrangulare sex cubitorum, aut paulò minus: latitudine bicubitali: crassitudo autem sufficit dodrantalis. Id secũdum longitudinem hinc, atq; illinc sectionem incisam habere oportet, vt ne altior, q̃ oportet, machinatio fiat, deinde postes aselli breues, robustos, vtrinque inaptatos habere. Postea sufficit quidem in dimidia ligni parte, nihil tamẽ vetat etiam per totum, velut fossas longas quinque vel sex, quatuor digitorum spatio inter se distantes, incisas esse: & satis est, vt sunt hæ & latitudine, & profunditate trium digitorum. Habere etiam in medio hoc lignum debet excauationem profundiorem quadrangulam trium digitorum; quò in hanc excauationem, vbi opus esse visum fuerit, lignum cauitati congruum infigatur, quod superne sit rotundum. Infigẽdum autem hoc est, si quando conducere visum fuerit: inter caput femoris, & locum inter anum, ac pudendum. Hoc lignum erectum stans prohibet, ne concedat corpus, dum à pedibus extendatur: quandoque enim hoc ipsum lignum sufficit pro extensione in contrarium superne facienda. Aliquando etiã dum hinc, atq; illinc crus extenditur; hoc ipsum lignum hac, vel illac laxum incumbens, commodũ ad hoc fuerit, vt instar vectis, caput femoris ad externã partem extrudat: ob hoc enim etiã fossæ incisæ sunt; quo in quibuscunq; ex ipsis congruum id facere fuerit, vectis ligneus immissus molitionem faciat, aut circa articulorum capita, aut ad ipsa penitus capita infixus, vna cum extensione, siue ad externam partẽ, siue ad internam, molitionem facere expedierit: siue etiam rotondum vectem esse conducat, siue latum: alius enim alij articulo conducit.

85 Commoda autem est in omnium articulorum cruris repositione, hæc per vectes molitio vnà cum concussione. Verùm de quo nunc sermo est, teretem, ac rotundum vectem esse conuenit. Ex his machinis, coactionibus, non videtur mihi fieri posse, vt vllius articuli repositio frustra tentetur. Inuenire tñ quis possit etiam alios modos repositionis huius articuli; si enim lignum hoc magnum, habeat in medio, & à lateribus duos postes pedales, eius altitudinis, quæ conferre videtur, alterum hinc, alterum illinc. Deinde lignum transuersum, velut scalæ gradus, postibus impositum sit, atq; ita sano crure inter postes transmisso, læsum crus supra gradum adaptatum habeat. Verùm ad altitudinem & ad articulũ qua parte excidit, facile quiddam adaptare oportet; gradum enim moderato altiorem facere oportet, & stragulum multiplex prout congruum fuerit, sub corpus subextendere: deinde lignum moderatam latitudinem ac longitudinem habens, sub crus ad malleolum vsque extentum esse oportet, quod vltra femoris caput, quantum eius fieri potest porrigatur, & ad crus alligetur quotiescunq; opus fuerit, vt moderate habeat. Postea, dum extenditur crus, siue ligno pistilloformi, siue aliqua alia ex his extensionibus: crus simul circũ gradum vnà cũ alligato ligno, deorsum cogere oportet, ita vt aliquis supra articulum iuxta coxam hominem detineat: hoc enim modo simul & extensio femoris caput super acetabulum attollet, simulq; molitio femoris caput in pristinam naturam detrudet. Hæ omnes relatæ necessitates, ac coactiones fortes sunt, & omnes calamitates superiores, si quis recte ac bene præparet. Quemadmodum autem etiam antea dictum est, à longe debilioribus extensionibus, & viliore apparatu plerisq; rursus incidit.

86 At verò si ad externam partem femoris caput luxatum fuerit, extensiones quidem hinc, atq; illinc facere oportet, eodem modo velut dictum est. Verùm molitionem cum vecte lato, vnà cum extensione facere conuenit, ab externa parte ad internam cogendo, ita vt ad ipsas nares, & paulò superius vectẽ adhibeas. Ad sanam verò coxam iuxta nates aliquis manibus renitatur, vt ne cedat corpus: aut alio quopiã eiusmodi vecte submisso, & ex fossa conueniente fulcito contra obnitatur. Partem autem femoris luxati, quæ ad genu est, ab interna parte foras placidè abducat. Cæterùm suspensio in hoc modo luxationis articuli non conuenit: cubitus enim eius, qui se appẽdit, caput femoris ab acetabulo propellit. Molitionem tamen cum ligno subiecto, ita quis adaptare possit, vt huic luxationis modo conueniat, si forinsecus adhibeat. Sed quid opus est plura dicere: si enim rectè extensio fiat, & recte per vectes molitio contingat, qui articulus hoc modo elapsus non reponi possit?

87 At si in posteriorem partem femur exciderit; extẽsiones, & in diuersum tensiones ita facere oportet, velut dictum est, ita tamen vt super lignum multiplex stragulum insternatur, quo molliſſimum sit, & homo pronus reclinetur, ac sic extendatur. Verùm vnà cum extẽsione, etiam tabula deorsum cogere oportet eodem modo veluti gibbositates, è directo natium tabula collocata, aut magis ad infernã, quàm ad supernam coxarum partem & incisura in pariete ad tabulã excipiendam non recta sit, sed paululũ decliuis ad pedum partem. Hæc repositio maximè secundũ naturam est huic luxationis modo, & simul fortissima. Sufficerit autem fortassis pro tabula, vt aliquis insideat, aut manibus innitatur, aut inscendat derepente, simulq; cum extensione incumbat. Nulla verò alia ex relatis repositionibus secundum naturam est huic luxationis modo. Si verò in anteriorem partem elapsum fuerit, idem quidem modus extensionum faciendus est. Verùm virum & manibus validissimum, & alias peritissimũ, vola manus alterius circa inguina firmata, & altera manu insuper iniecta, simul luxationem deorsum propellere, simulq; femoris partẽ, quæ ad genu est, ad anteriorem partem compellere oportet: hic.n. modus repositionis huic luxationi maximè secundum naturam est. Sed & suspensio finitimum quid secundum naturam habet. Oportet tamen eum, qui se appendit, peritum esse, vt ne cubito articulum excutiat; sed circa medium inter anum, ac pudẽdum locum, & iuxta os sacrum se appendat.

88 Laudatur etiam is, qui per vtrem hunc articulum reponere conatus est. Et iam sanè aliquos vidi, qui præ imperitia etiam extra, & retro luxatos, per vtrẽ reponere conabantur, non animaduertentes, q̃ magis ipsum eijcerent, quàm reponerẽt articulum: nam qui primus excogitauit, haud dubie ad intro elapsos articulos, per artem repositionem tentauit. Nosse igitur oportet, quod alia multa vtre sunt potiora. Oportet autem vtrem non inflatum intra femora ponere, quantum fieri potest supremæ ad locum inter

anum

anum,ac pudendum adductum:& facto à patellis genu initio,femora per fasciam vsq; ad mediam femorum partem deligare: deinde in partē vtris solutam folle ex officina fabri immisso inflare, & vtrē cogere vt distendatur. Hominem verò in latus decumbere oportet, ac læsum crus superne habere. Atque hic quidem est apparatus: sed pleriq; peius præparant, quàm ego nunc dixi: non enim deligant femora ad multam partem,sed solum genua, & non insuper extendunt: est autem insuper extensio quoque facienda. Attamen aliqui iam reposuerunt,facile rem assequuti. Non autem ita facile est coactionem hoc modo perficere: nam & vter dum inflatur;tumidissimas partes suas ad articuli caput non habet, quod maximè emoliri oportet:sed inferius ipso,medius ipse locatus est circa media femora,aut adhuc inferius:& rursus femora ipsa natura sunt curua: superne enim carnosa sunt,& inter se sociata:inferne verò sicca, vt etiam natura femorum vtrem ab opportunissimo loco repellat.Si verò quis parum vtrem imponat; fieri non potest,vt paruum robur articulum cogat.

89 Si itaque vtre vti velit;femora inter se ad multam partem colliganda sunt, & vnà cum corporis extensione vter inflandus est. Crura verò ambo deliganda sunt vsque ad finem in hoc repositionis modo. At verò in vniuersa arte hoc plurimi facere præ omnibus oportet,vt id quod ægrotat sanū facias: si verò multis modis fieri possit sanatio,vt eum,qui minime molestus est eligas: nam & virum bonum, & artis peritum, hoc declarat, qui populo imponere non studeat. Verùm de quo nunc sermo est. Tales quædam sunt familiares extensiones corporis, vt ex his, quæ adsunt expedita,ac facilis reperiri possit: nam, si vincula ex loris mollia, ac lenia non affuerint; sed aut ferrea,aut pāniculis laneis ea maximè parte amplius obuoluere oportet,qua vincula detentionem factura sunt,atq; ita vinculis deligare: deinde in lecto robustissimo, & ex præsentibus maximo, hominem bene extendere oportet, hoc modo. Lecti pedes, qui ad caput sunt,aut a pedibus,ad limen ianuæ,intus,aut foris prout commodum fuerit firmentur. Ad alteros autē lecti pedes lignum quadrangulare transuersum obijciatur,ita vt a pede ad pedem pertingat. Et si quidem tenue fuerit lignum; ad pedes lecti deligetur. Si verò crassum; non est opus: deinde initia vinculorum, & eorum, quæ a capite sunt, & eorum, quæ a pedibus,vtraq;alligentur ad pistillum,aut ad aliud huiusmodi lignum: ita vt è directo corporis sint,aut paulò superius. Moderate verò extēdantur ad pistilla erecta consistentia, quorum alterum ad limen, alterum ad lignum obiectum firmetur, atq; sic refractis pistillis extensio fiat. Sufficit autem scala, quæ robustos gradus habet, sub lectum extenta,pro limine, ac ligno obiecto, quo pstillis ad conuenientes gradus hinc, atque illinc firmatis, ita vinculorum extensio fiat.

90 Porrò reponitur femoris articulus etiam hoc modo; si ad internam, & ad anteriorem partem luxatus fuerit. Supra scalam in terram defixam hominem collocare oportet: deinde sanum crus placide extētum deligare; vbi commodum fuerit:ex sinistro verò vas testaceum aqua plenum, aut sportulam lapidibus refertam appendere. Alius repositionis modus; si ad internam partē luxatus fuerit. Inter duas columnas trabem moderata altitudine deligare oportet. Præmineat autem vna pars trabis pro magnitudine natium: &,vbi stragula circum pectus hominis deligaueris; ipsum hominem supra præminentē trabis partem collocato, & deinde pectus ad columnam lato aliquo vinculo alligato. Postea sanum quidem crus detineat aliquis,vt ne circumagatur. Ex læso verò appendatur pondus quantū congruit, velut etiā prius dictum est. Primum igitur scire expedit, quòd omnium ossium commissurę plerunq; sunt caput,& acetabulum. In quibusdam verò & locus acetabuli formam refert,& oblongus est. Quidam verò loci leuiter sinuosi sunt. Semper autem reponere oportet omnes articulos elapsos,maxime quidem statim dum ad huc calidi sunt:sin minus;quàmcelerrime:nam & ei, qui reponit,facilis,ac citius reponere contingit, & ægroto multo minus doloris affert repositio priusquam intumuerit. Omnes etiam articulos vbi reponere voles; præmollire, ac commouere oportet: sic enim facilius reponi solent. Circa omnes autem articulorum repositiones hominem attenuare oportet, maxime circa maximos articulos,& repositu difficillimos:minimum circa minimos,& faciles.

91 At verò,si digitorum articulus,siue primus, siue secundus, siue tertius in manu exciderit; idem, ac æqualis repositionis modus est:difficilius tamen semper maximi articuli reponuntur. Excidunt autē quatuor modis,aut sursum,aut deorsum,aut in obliquū vtrinque: maxime quidem superne, minime autem in obliquum,in vehemēti motu. Vtrinque autem in ea parte,in quā exciderunt,velut crepido est. Si quidem igitur ad supernam, aut infernam partem exciderit articulus, eo quod leuior est hic locus, quam a lateribus, & simul parua facta est transgressio; facile est reponere. Modus autem repositionis sic habet. Digitum summum aut deligamento aliquo; aut alia quapiam huiusmodi re obuoluito; vt ne vbi summū digitum apprehensum extendis elabatur. Quum autem obuolueris; alter quispiam manum supra iunctura apprehendat,alter digitum obuolutum,atq; ita vterq; ad seipsum probe extendat, simulq; elapsum articulum ad sedem suam detrudat. Si verò in obliquum excidit; extensionis quidem idem modus est. Vbi vero iam visus fuerit tibi articulus lineam transgressus esse; simul cum extensione statim ad locum suum detrudere oportet,ita vt alius quidam ex altera digiti parte obseruet, ac repellat, vt ne rursus illic elabatur.

92 Moderate quoque repositionem faciunt vimineæ texturæ,sauræ,id est lacertæ, appellatæ,ex palmis cōtextæ,ita vt dum digitum hinc,atque illinc distēdis, altera manu lacertam,altera manus iunctura apprehendas. Postquam autem reposueris; deligare oportet linteis quam citissime tenuissimis inceratis, cera neq; valde molli,neq; valde dura: dura enim de digito abscedit. Mollis autem,& liquescens eliquatur,& digito calescente deperit. Soluendus autē est digiti articulus tertia, aut quarta die. In summa,si inflāmatus fuerit; frequentius soluēdus est:sin minus;rarius. De omnibus articulis hæc dico. Restituitur digitiarticulus decimaquarta die. Idem vero est curationis modus digitorum manus,ac pedis. Circa omnes autem articulorum repositiones attenuare oportet, ac fame macerare vsq; ad septimum diem: &,si inflammati

mati sint; frequentius soluere: sin minus rarius. Quietem vero semper habere oportet afflictum articulū, & quam optime figuratum positum esse.

93 Genu porro propter expeditam, ac facilem naturam, mitius est, quàm cubiti gibbus. Quare etiam facile excidit. Excidit autem sæpe intro. Sed & extra, & in posteriorem partem. Repositiones autem fiunt ex repentina conflexione, aut ex calcitratione: aut conuolutam fasciæ molem in ploplitem ponito, & circum illam corpus ad flectendum genua in terram dimittito. Potest etiam vbi in posteriorem partem excidit; moderata extensione reponi, veluti cubiti gibbus. Si verò hac, aut illac exceſſit; ex conflexione, aut ex calcitratione reponitur. Cæterum directio ex moderata extensione omnibus communis est. Si vero non inciderit: hi quibus in posteriorem partē excidit, flectere non possunt: sed neque alij ita valde: minuitur autem femoris, & tibiæ anterior pars. Si verò intro; valgiores fiunt. Minuuntur autem externæ partes. Si verò extra; magis vari, ac detorti, minus claudi fiunt, crassiore autem osse vehuntur, & interne partes minuuntur. At si ex natiuitate, aut in augmento hæc fiant; iuxta priorem rationem res se habet.

94 Cæterum articuli circa malleolos luxati extensione vehementi opus habent, aut manibus, aut alijs huiusmodi: & simul directione vtrunque præstante. Commune autem hoc est omnibus. At vero luxationes articulorum in pede, velut eas, quæ in manu fiūt, sanabis. Qui vero cum tibia communionem habēt, & ex natiuitate elapsi sunt, aut etiam in augmento luxati; eandem cum manu repositionem expetunt. Quicunque vero facto saltu ex supernis, calcaneo innitentes se firmarunt, sic vt ossa disparata sint, & venæ humores effuderint, & nerui contusi sint; si graui ter hæc acciderint; periculum est, ne corruptione accedente per omnem vitam affligantur; obtorta enim fiunt ossa, nerui autem inter se communionē habent.

95 Quin & quibus fractis, aut ex vulnere, vel in tibia, vel in femore, aut neruis exolutis qui his communicant, aut ex negligenti decubitu, calcaneū fuerit denigratum, etiam his maximæ recrudescentiæ ex talibus fiunt. Quandoq; etiam ad corruptionē accedunt febres acutæ, singultuosæ mentem percellentes, citam, mortem inducentes, & insuper venarum sanguī fluarum liuores. Signa recrudescentium sunt, si effuso sanguine fugilata, & denigrata, & vicina his, subdura, ac subrubra fuerint: si enim cū duritia liuescāt; periculum est, ne denigrescant. Si verò subliuida sint aut etiam liuida mollia, & diffusa: aut cum virore sub pallida, ac mollia; hæc in omnibus talibus bona sunt. Curatio si febris absit; veratro in potu dato fit: sin minus; non: sed potu si opus sit, fauorum cremor decoctus, aut acetum mulsum dulcedetur. Deligatio conuenit qualis in articulis. Ad contusiones autem magis quam ad omnia, linteis pluribus, ac mollioribus vtendum est, & minus comprimendum, & plurima insuper calcaneo obuoluenda. Figura sit, velut deligatio postulat, ut ne ad calcaneum exprimatur. Ferulis vtendum non est.

96 Quibus verò aut ipse pes solus exceſſerit, aut cum appendice (excidit quidem magis ad internam partem) his si non rursus incidat, attenuatu progressu temporis & coxa, & femur, & tibiæ pars luxationi oppositā. Repositio est velut iunctura ad manum: extensio autem vehemens: curatio pro lege articulorum. Recrudescit; sed minus, quam manus articulus siue iunctura, si quieuerint. Victus parcior quiescentibus expedit. Quę verò ex natiuitate, aut in augmento fiunt, iuxta priorem rationem.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Vlceribus.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Vlcera non nisi vino humectare oportet, si non in articulo fuerit vlcus. Vlcus natura humidum. Vlcera quædam neque cataplasma ferre queunt. Diæta.*

2 *Motus cuiuscunque generis vlceribus inimicus. Vlcerum inflammatio quomodo præcauenda. Vlcerum inflammatio & suppuratio. Cataplasmate in vlceribus quatenus vtendum. Vlcerum acuto spicillo incisorum eadem quæ vulnerum curatio.*

3 *Carnis ex telo contusæ, ad dissectæ curatio. Sanguinis frequēs defluxus quibus vlceribus conueniat. Quæ post sanguinis defluxum ijs vlceribus conueniant.*

4 *Olei illitio quibus vlceribus & quo tempore adhibenda. Ventris purgatio quibus vlceribus & vulneribus cōueniat. Deligatio quando adhibenda.*

5 *Quæ anni tempora quibus vlceribus magis conueniant. Vlcerum purgationis signa. Vlcerum coitionem quæ impediant. Vlcerum cicatrices quæ cauiores. In vlceribus rotunda subcaua excidenda.*

6 *Insignis sacer vlceri superueniens. Tumor obortus circa vlcera. Vlcus ex inflammatione tumidum. Vlcera ex casu, aut alio quouis modo dissecata.*

7 *Vlcus sub profunda carne. Vlcera ventris. Cataplasma tumorum & inflammationis in circumsitis partibus.*

8 *Vlceris puri inflammati curatio. Vuæ albæ immaturæ succus in vlcera.*

9 *Pharmachum ad vlcera inueterata ac recentia, & ad puden di & capitis & aurium vlcera.*

10 *Vulnera recentia auertens ne putrefiant. Ad cruenta vulnera. Pudendorum verrucis conferentia.*

11 *Caua vlcera replentia. Lagopyrus. Aliud liquidum.*

12 *Sicca, ad cruenta vulnera. Aliud siccum mordax. Ad vetera vlcera in tibis fientia. Ad neruos dissectos.*

13 *Medicamenta mollientia & cicatrices pulchras facientia.*

14 *De ambustis. Aliud non mordax.*

15 *Tumores in pedibus & sponte, & non sua sponte, oborti, in*

in quibus neque tumores, neque inflammatio à cataplasmatis sedatur.

16 *Tumorum pertusio. Varix in tibijs perspicuus aut in carne.*

17 *De venæ sectione.*

1 VLcera vniuersa, nisi vino, humectare non oportet; si non in articulo fuerit vlcus: nam siccum sano propius est, & humidum non sano: est. n. vlcus, humidum: quod verò sanum est, siccum. Præstat autem absque deligatione sinere, præterquam quod cataplasma ponitur: quanquam aliqua vlcera neque cataplasma ferre possint, magis autem recentia, quàm vetustiora, & quæ sunt in articulis. Modicus cibus, & aqua, quàmmaxime omnibus vlceribus conducunt, & magis recentioribus, quàm vetustioribus (& si quod aliud vlcus inflammatum est, aut inflammationē minatur, & si periculum est corruptionis.) & vlceribus ac inflammationibus in articulis: & vbi conuulsionē fieri periculum est: & vulneribus in ventre: maxime verò omnium, fracturis in capite, ac femore, & si cui alij parti fractura contigerit.

2 Stare autem vlceri minime conducit: præsertim si quis in crure vlcus habeat: imò neque sedere, neque ambulare. Verùm ocium, & quies maximè conferūt. At verò recentia vlcera omnia, tum ipsa, tum circūsitæ partes, minime inflammationē incurrent; si quis quā citissime suppuret, & pus ab osculo vlceris non interceptum supprimatur: aut si quis auertat, vt omnino non suppurentur, præterquam necessario, eoq; pauciſſimo pure, & sicca sint quàmmaxime ex medicamento non molesto: igneum enim feruorem hoc inducit, vbi horror, & pulsatio accesserit: inflammantur. n. vlcera tunc, quum ad suppurationem tendunt. Suppurantur autem alterato sanguine, ac calefacto, donec putrefactus talium vlcerum pus fiat. Quum verò cataplasmate opus esse visum fuerit; non ipsum vlcus cataplasmate integere oportet, sed circumsitas partes; quò pus decedat, & quæ indurata sunt, molle scant. Cæterùm ex vlceribus si quod acuto spicillo incisum, aut dissectum fuerit; cruētis vulneribus aptum medicamentum suscipit, & resiccatorium quoddam, quod prohibet suppurationem.

3 Si qua caro ex telo contusa, & dissecta est, eam curare oportet; quò quàm celerrime suppuretur: nam & minus inflammatur, & necesse est carnes contusas ac dissectas putrescere, ac pus fieri, & eliquari ac consumi, & postea nouas carnes nasci. Omni recenti vlceri, præterquam in ventre, conducit frequenter sanguinem defluere facere, prout opportunum esse visum fuerit, & ab ipsis partibus vlcus cōplectentibus; tum aliàs, tum si in tibia vlcus fuerit, aut in digito pedis, aut manus, magis, quàm si alicubi in alia corporis parte: sanguine. n. defluente, gracilescentia sicciora fiunt, ac minora: prohibet enim hoc maximè talia vlcera humectari: deinde verò in omnibus, putredo sanguinis ex sanguinis transmutatione fit. Confert autem post sanguinis defluxionem in talibus vlceribus, etiam spongiam deligare densam, mollem, conciſam, ſicciorem, quàm humidiorem: aut super spongiam superne folia multa ponere.

4 At oleum & quæcunq; mollia, aut oleosa sunt medicamenta, talibus vlceribus non conducunt; si non valde iam ad sanitatem tendant. Neque vlceribus ex recenti vulnere oleum cōducit, neq; molliētia, neq; adiposa medicamēta, tum aliàs, tum quòd vlcus ampliare purgatione opus habet. Vt autem in summa dicam, oleo illitio facienda est, & in æstate, & hyeme, in his, ad quæ talibus medicamentis opus habemus. Depurgatio ventris deorsum plurimis vlceribus cō fert, & in vulneribus, quæ sunt in capite, & in vētre, & in articulis, & in quibus corruptionis periculū est, & in his, quę consueta sunt, & in excedentibus, ac serpentibus, & aliàs inueteratis vlceribus. At, vbi deligare voles; pharmaca non prius imponere oportet, quàm vbi valde, siccum feceris vlcus. Tunc verò apponere oportet, vlcus autem sæpe spongia detergere: & rursus linteum siccum, ac purum sæpe adhibere, atque sic impositio medicamento, quod conferre videtur, deligare, aut non deligare.

5 Pleriſque vlceribus tempus calidius commodius est hyeme, exceptis his, quę in capite sunt, ac ventre: magis verò æquinoctij tempus. Vlcera quæcunque probe, & prout oportet purgata sunt, semper ad ſicciorem modum germinationem faciunt. Hæc autem plerunque carne non superexcrescunt. Si vndecunq; tandem os discesserit, aut vstum, aut sectum, aut alio modo; horum vlcerum cicatrices cauiores fiunt. Vlcera non purgata, non commiti solent etiamsi adducantur, neque sua sponte coeunt. Vbi circumsitę vlceris partes inflammatæ sunt, quandiu durat inflammatio, vlcera coire non solent: sed & vbi circumsitæ partes denigratæ fuerint, & sanguinis putredine, aut etiam varice, influxionem sanguinis exhibente: neq; hæc coire solent, si non circumsitas vlceris partes sana feceris. Ex vlceribus rotunda si subcaua fuerint; excidere oportet vndiquaque in orbem ea, quæ discesserunt, aut omnia, aut ex dimidio circuli, secundū longitudinem naturæ hominis.

6 In omni vlcere, igne sacro accedēte, corporis purgationem facere oportet, in vtrā partem vlceri contulerit, siue sursum, siue deorsum. Cui tumor obortus fuerit circa vlcus, vlcere nō inflammato, huic postea temporis progressu tumor puris subsidētiam habet. Quodcunque vlcus ex inflammatione tumidū non sedatur, dum alia, quæ simul inflammari, ac tumescere cœperunt, sedantur, etiam hoc non coalescere periculum est. Quęcunq; verò ex casu, aut alio quopiā modo dissecantur, & contunduntur, & intumescunt ita vt vicinæ circumcirca partes suppuratę, pus de tumoribus per vlcus egerant: in talibus quicquid cataplasmate opus habere visum fuerit, non super ipsum vlcus cataplasma ponere oportet, sed super circumsitas partes; quò pus deceda t, & indurata molliantur. Postquam autem mollita fuerint, & inflammatio sedata; spongijs super ea, quæ absceſſerunt deligatis compescito, initio à sana parte facto, atque ita procedendo. Supernè verò super spongiam folia sint multa. Quum verò compesci non poterit caro, quæ humida exiſtit; in causa est, vt hanc eijcias.

7 Si sub profunda carne vlcus fuerit; ex vtrisque, & ex deligatione, & ex eo, quod insuper copressit, hoc sane incuruum subattollitur: &, siquis id secet spicillo; si fieri poterit, ad fluxionem accommodatum abore vlcus resecare oportet, vbi commodum tempus esse visum fuerit, atq; ita curationē adhibere, qualicunque

eunque tandem indigere videbitur. Plerunque verò in omni vlcere, quod ventrem habet, in directum ad visum conspicua sunt omnia, tumore non præsente. Et si quidem in ipso fuerit putredo, aut caro suberit humida, ac putrida; hoc vlcus & complectentes vlcus partes, aspectu nigra subliuida erunt. Et in exedē tibus vlceribus, qua parte phagedæna affuerit, vehementissimeq; depascitur, ac edit, ea parte circumsita vlceris pars colorem habebit nigrum, subliuidum. Cataplasmata tumorū, & inflammationis in circumsitis partibus sunt, verba scum coctū, & trifolij folia cruda, & ligustri folia cocta, & polium. Si verò etiam purgari opus habuerit vlcus; omnia quidem etiā hæc purgant: sed & fici, & oleæ folia, & marrubium. Coquere autem oportet hæc omnia, & maxime viticē, & fici, ac oleæ folia: & mali punicæ folia similiter coquere oportet. Crudis vero his vtendum est. Maluæ folia terito cum vino, & rutę folia, & origani viridis. Omnibus his lini semen torrefactum, ac tusum quā leuissime ammiscere oportet. Vbi verò periculū est ignem sacrum in vlceribus oboriturum esse, isatidis folia trita cruda cum lini semine imponito: aut lini semen solani, aut isatidis succo subactum imponito.

8 Quum autem vlcus purum quidem fuerit, verum inflammatum est & vlcus, & circumsitę itidē inflammatæ partes. lentem vino coctam, ac leuiter tritam, oleo modico subactam imponito, ac deligato: & rubi canini folia in aqua cocta, leuiter trita imponito, linteo tenui subextento, puro, vinoque ac oleo madefacto. Et, vbi committere, ac coalescere vlcus voles; rubi canini folia velut lentem prę parato: nasturtium item sauridion à lacerti similitudine appellatum, vinum, & lini semen tenuiter tritum commiscētur. Et hæc, lini semen, & vitex crudus, & alumen Melium: hæc aceto subacta. Vuam albam immaturam per colum in vas æris rubri expressam, per dies ad solem exponito, noctu autem tollito, vt ne irroretur. Per dies verò indesinenter terito, vt æqualiter ficcetur, & de æneo vase quàm plurimum assumat. Tanto autem tempore ad solem exponere oportet, donec ad mellis crassitudinem deuenerit. Postea & hunc succum, & mel quàmoptimum, & vinum dulce, in æneam ollam infundito, ita tamen vt prius resinam terebinthinam in vino coquas, donec dura fiat instar mellis cocti, & postea resinam eximas, & vinum affundas. Sit autem plurimus vuę immaturę succus: secundo loco vinum: tertio mel. Myrrham etiam stactē quàmoptimam leuiter tritam, eodem vino paulatim affuso diluito, & postea ipsam per seipsam cum vino sæpe agitando coquito: & vbi ad bonam crassitudinem deuenisse videbitur; ad vuæ immaturę succum affundito: & nitrum optimum torrefactum sensim ad pharmacum ammiscēto, & floris æris minus quā nitri. Hæc postquam miscueris; coquito non minus tribus diebus, lignis siculneis non multis succensis, aut prunis, vt ne torreatur: &, vbi hoc pharmacum illinitur; omnia, quæ imponuntur, sicca sint, & vlcera non humectentur.

9 Vtendum autem est hoc pharmaco ad vlcera inueterata, ac recentia: & ad pudendi, & capitis, ac aurium vlcera. Aliud ad eadem vlcera. Fel bubulū siccum, mel quàmprimum, vinum album, in quo cocta sint loti ramenta, thus, myrrha æqualis, crocus æqualis, flos æris similiter. Ex liquidis autem vinū sit plurimum, deinde mel pauciſſimum verò fel. Aliud. Vinum, mel, oleum cedrinum: ficca verò sint, flos æris myrrha, malicorium siccum. Aliud. Flos æris tostus, dimidia parte, myrrhę duę partes dimidiæ, croci partes tres, mel modicū, cum vino hęc torrentur. Aliud. Thuris pars, gallæ pars, croci tres. Hæc singula ficca quàmleuissime terito: deinde mixta ad solem calidissimum, affuso vuæ immaturæ succo, donec viscosa fiant, per tres dies terito: postea vino austero, nigro, odorato, paulatim affuso diluito. Aliud. In vino dulci albo ilicis radices coquito, & vbi probe habere visum fuerit, de vino defuso duas partes sumito, & amurcæ olei quàmsiccissimæ partem vnam. Postea agitando coquito; vt ne torrefiant, lento igne, donec ad bonam crassitudinem deueniant. Aliud. Reliqua quidem eadem sint. Verùm pro vino acetum sit albū acerrimum, in quo tinctæ sint succidæ lanæ. Postea ammixta amurca coquito, & succum caprifici affundito, & alumen Melium, & nitrum ac æris florem, vtraque tosta ammiscēto. Hoc magis priore vlcera purgat. Verùm prius non minus reficcat. Aliud. Lanas succidas pauciſſima aqua tingito, deinde uini tertiam partem aliquam miscēto, ac coquito, donec bona prouenerit crassitudo. Ex his recentia vulnera quàmcitissime suppurari possunt. Aliud. Aron siccū inspergito, ac adaptato. Aliud. Ficidum succulenta est corticem viridem in vino tritum immittito: & sine vino, ipsum etiam cum melle. Aliud. Ad acetum in quo cocta sunt loti ramenta (sit autem acetum album) amurcam oliuarum, & picis serum crudum ammiscēto, & illinito, & instillato, & deligato sicca. (Hoc recentia vulnera auertit ne suppurentur:) aut aceto abluito, & vino imbuta spongia extergito.

10 Aliud. Plumbum tritum cum spodio Cyprio leuigatum inspergito. Et loti ramenta inspergito: & squamam æris, & chalcitidem cum ære, & solam per se, & cum loti ramentis. Et aliàs vbi siccis opus fuerit; talibus utendum est, & spodio Illyrico trito cum ramentis, & ipsis solis ramentis, & flore argenti solo quàmleuissime trito: & aristolochiam rasam, ac tritā leuiter, inspergito. Aliud, ad cruenta uulnera. Myrrha, thus, galla, ærugo, flos æris tostus, alumen Aegyptium tostum, œnanthe, lanarum sordes, plumbago. Horum singulorum æquale pondus diluitur cum uino uelut superius, & reliqua præparatio fit eodē modo. Aliud. Acetum quàmacerrimum album, mel, alumen Aegyptium, nitrum optimum leuiter tostum, fellis parum, simul coquito. Hoc carnem superexcrescentem consumit, & cauat, & nō mordet. Aliud. Herba est paruis folijs prædita, cui nomē est Parthenium microphyllum. Hæc uerrucas de pudendo aufert: & chalcitis ex insula Melo cruda, & elaterium tenue siccum adaptato: & malicorium tenue siccum eodem modo.

11 Maxime autem replet caua, pura, herba Lagopyrus nomine: est autem tritico similis ubi arescit, folio paruo uelut olea, sed longiore: & marrubij foliū cum oleæ folijs. Aliud. Caricæ sicciſſimæ internam partem pinguem, mellis speciem referentem duabus portionibus cum seminis lini tosti non admodum, ac triti quàm tenuissimè parte una. Aliud. Caricæ partē internam, & florem æris tenuem modicum, & fici succum. Aliud. Caricæ partem internam, chamæleonē nigrum, bubulum fel siccum. Aliud. Reliqua quidē

eadem

eadem sint. Verùm sicca, nasturtium tenue crudum, irio, vtrunque pari pondere: caricæ verò partes duæ sint, & seminis lini partes duæ, cum fici succo. Quũ autem aliquo horum, pharmacorum vteris; splenia aceto imbuta superne imponito, & spõgia superspleniã imposita deligato, & paulò magis apprimito. Si verò circumsitæ partes inflãmatæ fuerint: quicquid conferre visum fuerit circumponito. Si liquido vti uoles; etiam caricum pharmacum illinito, & velut supra scriptum est deligato eodem modo. Est autem ex his pharmacum factum: veratro nigro, sandaracha, squama æris, plumbo usto, cum multo sulphure, auri pigmento, cantaride. Ex his prout visum fuerit componito, ac vtitor. Diluuntur oleo cedrino. Postquam verò satis fuerit illitum: pharmacum eiicito, & aron coctum, tritum imponito: aut siccum, tritum oleo subactum. Et, si ficco Carico vti voles: liquida remouere oportet, & pharmacum inspergere. Facit autem siccum ex veratro solo constans, ac sandaracha. Aliud liquidum. Herba est, cuius folium simile est aro natura, verùm album, lanuginosum, ad hederæ folij magnitudinem. Hæc herba cum vino imponitur. Aut ilicis partem eam, quæ est circum truncum, cum vino tritam imponito. Aliud. Vuæ immaturæ succus, acetum acerrimum, flos æris, nitrum, succus captifici. Ad vuæ immaturæ succum alamen inijcito tenuissime tritum, & in vas æris rubri immissum ad solem exponito ac agitato, & vbi ad bonam spissitudinem deuenerit. tollito.

12 Sicca ad cruenta vulnera hæc faciunt. Veratrum nigrum tenuissime tritum inspergitur, quandiu aliquid humoris inerit, ac depascentis. Deligatio verò eadem est quæ in emplastris. Aliud. Salis grana siccissima in æneam ollam, aut fictilem nouam immittito, magnitudine maxime æqualia, non magna: & mel optimum dupla salis mensura, pro coniectura facta, ad salem affundito; deinde ollam prunis imponito, & dum totum combustum fuerit, sinito. Postea exterso, ac expurgato per spongiam vlcere inspergito, & velut prius deligato, & paulo magis comprimito. Postridie verò qua parte non adhæserit, pharmacum inspergito, comprimito, ac deligato. Vbi verò pharmacum discedere voles: acetum calidum affundito, donec discedat: & rursus eadem facito, si opus fuerit exterstione per spongiam facta. Aliud siccum mordax. Misy quàm leuissime tritum inspergito in ea, quę humida sunt, ac putrida; & florẽ æris tenuem non penitus leuiter tritum. Aliud siccum similiter mordax. Vbi spongia exterstisti; lanas quàm maxime succidas in testa exurito, face admota donec totas combusseris: hoc pharmacum leuiter tritũ inspergito, & eandem deligationem adhibeto. Aliud siccum ad eadem vlcera. Chamæleo niger, alumen fici succo subactum: subigito autem tostũ, & anchusam misceto. Aliud. Anagallis, & alumen Aegyptiũ tostum. Aliud. Puluillum inspersilẽ Orchomenium inspergito. Cæterùm ad nomas proserpendo depascentes, alumen Aegyptium tostum, itemq; Melium facit. Verùm nitro tosto inspersо prius præparare ac spongia extergere oportet. Facit & chalcitis tosta. Torrere autem oportet: donec flammæ speciem induat. Ad vetera vlcera in tibijs oborientia: (fiunt autem sanguinolenta, & nigra) meliloti florem tritum, melle subactum, cataplasmatis modo vtere.

At verò supra neruos dissectos, myrti syluestris radices contusas ac cribratas, & oleo subactas deligato. Et herbam quinquefolium (est autem alba, & lanuginosa, & altior à terra, quam nigrum quinquefolium:) in oleo tritum deligato, & tertia die exoluito. His autem medicamentis in hyeme potius, quàm æstate vtendum est.

13 Medicamentis mollientia, quæ etiam cicatrices pulchras faciunt. Scillæ internam partem mucosam terito, & resinam de picea, cum recenti adipe suillo, & oleo modico, resinaque, ac ceruса modica. Et adipem anserinum, ac suillum recentem purum, & oleum modicum, & scillam, & ceram albissimam. Aut scillam, oleum album, resinæ parum, ceram, adipem suillum ueterem, ac recentem. Facit & oleum, & ærugo, & scilla, & resina. Sint autem duæ partes veteris adipis ad recentem: de reliquis autem quantum opportunum esse visum fuerit. Adipem recentem liquefactum in aliam ollam defundito, & plumbaginem leuissime tritam, ac cribratam commisceto, ac coquito, & primùm agitato. Coquito autem, donec destillatum in terram congeletur: deinde tollito, ac reliquum diffundito, præter lapidem subsidentem: & resinam inijcito, ac agitato, & modicum oleum cedrinum, & quod prius diffusum, ac ablatum fuit ammisceto. Porrò in omnibus mollibus, in quibus resinam ammisces, vbi pharmacum ab igne abstuleris; in calidum adhuc resinam immittito, ac agitato. Aliud. Adeps suillus vetus, & nouus, & cera, & oleum. Sicca verò, loti ramenta, thus, plumbago: thuris videlicet, pars vna, plumbaginis vna, & ramentorum loti vna. Sint autem adipis veteris partes duæ, ceræ vna, & noui adipis vna. Vna adipem solum veterem suillum, & cum ipso adipem caprinum recentem, quàmminime cum membrana, sed purgatum, parum terito, aut contundito, & oleum affundito, & plumbum cum spodio inspergito, & ramentorum loti dimidium. Aliud. Adeps caprinum, spodium, chalcitis cærulea, oleum.

14 De Ambustis. Ilicis radices coquere oportet teneras. Quarum si cortex crassissimus est, ac viridissimus; confectum in tenues partes, vino albo affuso, lento igne coquito, donec ab bonam crassitudinem deueniat, vt illini possit. Potest & in aqua coqui eodem modo. Aliud non mordax. Suillum adipem solum veterem liquefactum illinito. Superne verò scillæ radicem dissectam imponito, ac deligato. Postridie verò foueto, ac perfundito, & adipem suillum veterem liquato, & ceram ac oleum ammisceto, thus item, & loti ramenta, ac minimum: hoc vbi illeueris, ari folia in vino, ac oleo cocta apponito ac deligato. Aliud. Postquam suillo adipe illeueris vetusto; hastulæ regiæ radices in vino coctas, ac tritas superillinito. Aliud. Adipem suillum veterem liquato, & resinam, ac bitumen ammisceto, & hæc linteo illita, ad ignem calefacta, imponito, ac deligato. Quum in dorso ex plagis, aut alias vlcus factum fuerit; scilla cocta, trita, ac linteo illita deligato. Postea verò adipem caprinum, & recentem suillum, & spodium, & oleum, & thus illinito.

15 Tumores in pedibus oborti, & sponte, & non sua sponte, in quibus neque tumores, neque inflammatio à cataplasmatis sedatur: &, si quis spongias

deliget, aut lanas, aut aliud quid ſuper ſanam partē, poſtea intumeſcunt ſua ſponte, ac inflammantur: influxio ſanguinis per uenas in cauſa eſt, ſi cui non contuſio cauſa eſt. Et, ſi alicubi alia in corporis parte tale quid fiat: eadem ratio eſt. Verùm ſanguinem detrahere oportet, de venis præſertim influentibus; ſi conſpicuæ fuerint.

16 Sin minus: pertundere tumores oportet, profundioribus, ac frequētioribus vulnuſculis impactis. Sed & in alijs omnibus, quæ pertūdis, ſic facere oportet, atque hoc acutiſſimis, ac tenuiſſimis ferramentis. Quum verò ſanguinem detrahis: ſpicilſo ne valde premas, vt ne contuſio accedat. Aceto autem perluito, & grumum ſanguinis in hiatibus ne relinquito: & illito cruentis vulneribus deſtinato medicamēto, lanas ſuccidas, carminatas, molles deligato, vino, & oleo reſperſas. Et pertuſam partem æger ita habeat, vt refluxus ſit ſanguinis, non defluxus: & omnino nō humectet: & parum tibi capiat, & aquam bibat. Si verò vbi ſolueris, fiſſuras repereris inflammatas: cataplaſma ex vitice, ac lini ſemine imponito. Si verò vlceratæ fuerint fiſſurę, ac eruperint: ad rem reſpiciēs, & quod opus fuerit adhibens, de cætero curato. At, vbi varix ineſt in tibia, aut conſpicuus, aut in carne, & tibia eſt nigra, & videtur opus habere ſanguine ab
ipſa defluente: talia nequaquam pertundere oportet: plerunq; enim magna vlcera ex fiſſuris fiunt propter varicis influxum. Verùm varicem ipſum aliàs, atque aliàs compungere oportet: vbi opportunum eſſe viſum fuerit.

17 Cæterùm, quum venam ſecueris, poſtquam ſanguinem dimiſeris, & faſciam ſolueris, & nō ſiſtatur; in contrarium, partem habeat, quò reflexus ſanguinis fiat, ſiue manus fuerit, ſiue crus, vtpote ſanguine retro fluente: atque ita tempus longius, aut breuius decumbens expectet. Poſteà ipſum ſic habentem deligato, nullo grumo exiſtente in fiſſura: deinde ſplenium duplum vino imbutum apponito, & ſuper ipſum lanam puram oleo imbutam: nam, etiam ſi influxus ſanguinis fuerit violentus: ſuppreſſio fit influentis. Et ſi grumo in fiſſura manente ſic inflammetur: ſuppuratur. Pranſum autem, & potum plus, aut minus venam ſecare ſinere oportet, & aliquantum cale factum: & die calidiore, quàm frigidiore. Si verò influat ſanguis; cucurbitam affigere oportet: & ſi ablata cucurbita, multum ſanguinis, aut ſeorſus ſanguis fluat: cito priuſquam repleatur rurſus affiges, & quod reſtat extrahere; ſin minus: grumi in fiſſuris inhærent, & deinde ex ipſis inflammata vlcera fiunt. Aceto autem omnia talia perluere oportet, & poſtea non humectare, neque in fiſſuras decumbere: verùm aliquo medicamento cruentis vulneribus deſtinato fiſſuras illinere. Et quum infra genu, aut ad genu affigere cucurbitas oportuerit: ſtanti erecto, ſi ſtare potuerit, affigantur.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Fiſtulis.

Argumentum in Librum ſequentem.

1 *Fiſtularum generatio.*
2 *Fiſtulæ primum creſcentes ſunt reſecandæ. Ægrotantis ex fiſtula curatio. Alio curatio.*
3 *Inteſtini recti inflammatio. Cauſæ huius morbi. Curatio.*
4 *Vrinæ ſtillicidium vnde. Sedes elapſa.*
5 *Inteſtini recti humectatio, & ſaniei fluor. Sedes ſeu inteſtinum rectum elapſum. Curatio.*
6 *Inteſtinum rectum prolapſum & ſanguis profluens. Morbi huius generationis cauſa. Inteſtini recti inflammatio. Curatio.*

1 FIſtulæ fiunt quidem ex contuſionibus, & tuberculis: fiūt autem & ex remigatione, ac equitatione, quum in natibus congregatus fuerit ſanguis prope ſedem; putreſcens enim diſtribuitur ad molles partes, nimirum quum & inteſtinum rectū ſit humidū, & caro mollis, in quam diſtribuitur; donec tuberculū eruperit, & deorſum ad rectū inteſtinum cōputruerit. Poſtquā autē hoc factum fuerit: in fiſtulā abit, ac ſanie manat, & ſtercus per ipſam fluit & flatus, & abominatio multa. Ex cōtuſionibus itaq; fit fiſtula, vbi aliquis circa rectū inteſtinū locus cōtuſus fuerit ex plaga, aut ex caſu, aut vulnere, aut equitatione, aut remigatione, aut quæcunq; talia ſunt: cōgregatur enim ſanguis. Putreſcens autem ſuppuratur, à ſuppurato verò ea, quæ de tuberculis dicta ſunt patitur. Primùm igitur quum tale quoddā tuberculū naſcēs ſenſerit, crudum quàmcitiſſime ſecare oportet, priuſquam ſuppuretur ad rectum inteſtinum.

2 Si verò iam ægrotantē ex fiſtula aſſumpſeris, allij caulem recentem accipe, & homine ſupino reclinato, diductis criribus altero huc, altero illuc, caulē immitte, donec offendas, ac impinguas: & fiſtulæ profunditatē per caulē metire, & ſeſelis radicem teuiſſime tritā, aqua affuſa ad dies quatuor macerato, eāq; aquā trium cyathorū menſura, melle ammixto æger bibat ieiunus. Cū hac ēt aſcaridas purgato. Quicūq; verò relicti fuerint non curati, moriuntur. Poſtea linteum byſſinū tithymalli magni ſucco imbutū, flore eris toſto trito inſperſo, in penicilli figuram intorq; longitudine fiſtulæ æqualem, filo per ſummum penicillum tranſmiſſo, & rurſus per ſummum caulem; & homine ſupino reclinato, adhibito catoptere inſtrumento ſedem expandente, corroſam recti inteſtini partem inſpicito, & ſic caulem immittito: & vbi in inteſtinum inciderit, apprehenſum retrahito, donec penicillus fuerit intruſus, & ſuperiori ac inferiori parti adæquatus. Poſtquam verò fuerit intruſus;

sus glandem corneam in intestinum indito, & podice ex terra cimolia oblito finito. Vbi vero ventrem exonerat; eximito, ac rursus indito, donec ad quintũ peruenerit diem. Sexta autem eximito, extrahens pe nicillum ex carne, & alumen terito, eoq; glandem ex pleto, & in intestinum indito ac finito; donec alumẽ liquidum fiat. Podicem verò myrrha illinito, donec coaluisse visus fuerit. Alia curatio. Crudum linum te nuissimum accipito, & ad palmi longitudinem quin cuplicato, & pilum equinum circundato: deinde facto spccillo stanneo in summa parte perforato, & ini tio lini complicati in specillum immissa, spicillum in fistulam demitto, & simul sinistræ manus digitum in dicem in sedem indito: vbi verò spicillum contingerit digitum, inflexa summa spicilli parte initium lini quod est in spicillo per digitum adducito: & spicillum quidem rursus extrahito, lini verò initia bis, aut ter connectito, & reliquam lini partem intortam ad nexum deligato. Postea verò dimissum negotia sua obire iubeto. Cæterum quantum putrescente fistula de lino luxatur, tantum intendere oportet, ac intorquere semper singulis diebus, Si verò linum crudum computrescat, priusquam fistula corrodatur; aliud li num ad pilum innecte, immitte, ac connecte: pilus enim ea de causa ad crudum linum additur, quod nõ putrescit. Postquam verò fistula computruerit; spon giam mollem in tenuissima frusta concisam apponere oportet: deinde in fistulam quidem florem æris tostum multum per spicillum immittere: spongiam verò melle illinere, & subiecto digito indice sinistræ manus, vltra protrudere: & appositam alteram spongiam deligare (eodem modo velut in hæmorrhoidibus.) postridie verò exoluere, & aqua calida abluere, & cum spongia per sinistræ manus digitum fistulam purgare conari: & rursus æris florem immittere, ac spongiam deligare. Atque hæc facere per dies septenos. (In his enim maximè tunica fistulæ computrescit:) de cætero verò donec sanata fuerit spongiã deligare: nam, dum per hunc modum fistula à spongia cogitur, ac explicatur; neque rursus cõcidere poterit, neque alia ipsius pars sanabitur, alia verò rursus complebitur, sed in seipsa tota sana erit. Verùm in hac curatione multa aqua calida proluere oportet, & fame macerare. Si verò non corrosa fuerit fistula; spicillo immisso secato, donec diduxeris, & æris florem inspergito, & ad dies quinque finito: deinde aquam calidam affundito, & polentam aqua subactam superimponito, & betarum follia deligato. Vbi verò exciderit æris flos, & fistulæ vlcus purum fuerit; velut priorem curato. Si verò in loco sit, vbi fieri id non possit, & profunda etiam fistula; flore æris, & myrrha, & nitro in vrina dilutis colluito: & in fistulæ osculum plumbeam glandem indito, vt ne coalescat. Collutio verò facienda est, pennæ fistula ad vesicam alligata, & fistula intro immissa, atque sic collutione infusa. Verùm sanus non fit; si non secetur.

Si intestinum rectum inflammatum fuerit, & dolor habeat, & febris, & frequenter ad exonerandum aluum desideat, & nihil egerat, & præ inflammatione sedes exijsse videatur, & aliquando vrinæ stillicidium corripiat; hic morbus fit, quum pituita ex corpore ad intestinum rectum decubuerit. Conferunt autem calida: quum enim hæc adhibentur, pituitam attenuare, ac consumere possunt, & simul acrimonia sua salsam pituitam aquosam reddere; vt non fit ardor, neque morsus aliquis in intestino. Curare itaque oportet hoc modo. Aegrum in calidam aquam collocato, & trita grani cnidij grana sexaginta in vini hemina, & olei hemina dimidia diluito; tepefacito, & infundito. Hæc pituitam educunt, & stercus. Si verò in aqua non sedet; oua cocta in vino nigro odorato, ad sedem apponito, calido quopiam inferne fubstrato, aut vesica aqua calida plena. Aut lini semen tostum, molitum, tritum, pari farina in vino odorato, & oleo ammixta, cataplasmatis modo calidissime imponito. Aut ordeum, & alumen Aegyptium tritum misceto, & glandem oblongam efformato, & ad ignem tepefaciens digitis effingito, deinde summe tepidam effectam in sedem indito. Forinsecus autem cerato oblinito, & illũ in vino nigro diluto coctum pro cataplasmate imponito. Postquam verò exemeris; in aquam calidam collocato: & solan succum, & anserinum, ac suillum adipem, & chrysocollam, & refinam, & ceram albam commisceto, simulq; liquefacito, & cum his illinito: & quandiu inflammatio durauerit; allium coctum cataplasma adhibeto. Et, si quidem ad hæc a dolore liberetur; satis sit: sin minus; hibat peplum, meconiũ album appellatum, aut aliud quoddam, quod pituitam purgat. Et quandiu durat inflammatio; edulijs leuibus nutriatur:

Vrinæ stillicidium ex his incidit. Vesica ex intesti no recto calescens, caliditate pituitam adducit: a pituita vero vrinæ stillicidium fit. Si quidẽ igitur vnà cum morbo sedetur (plerunque ita fieri) satis est: sin minus; medicamenta adurinæ stillicidium destinata exhibeto. Si vero sedes elabatur; fomento per mollem spongiam adhibito, & cochleæ muco illito, è manibus deligatum suspendito ad modicum tempus & redibit. Si verò amplius excidat, & non maneat intus; laterum mollitudines præcingito, & retrorsum fasciam ex cingulo submittito: &, vbi sedem intro protrudisti; spongiam mollem aqua calida, in qua loti ramenta cocta sunt, imbutam imponito. Sed & de aqua ipsa ad sedem affundito, spongiam vero ex primito: deinde fasciam per media crura subextentã circa vmbilicum deligato. Vbi verò aluum exonerare voles; inter tabulas angustissimas insidens id faciat: si verò puer fuerit; intra mulieris pedes ad genua acclinatus, Dum autem ventrem exonerat, crura extendat: sic enim minime sedes exciderit.

At, si intestinum rectum humidum fiat, & sanies defluat; fece vini vsta, & aqua ex myrti decocto abluito, & adiantum siccum, tusum, cribratum inspergito. Si verò sanguis profluat; ablutione ex ijsdem facta calcitidem, & cupressi, aut cedri, aut pini, aut terebinthi ramenta inspergito; pari mensura dehis ad calcitidem ammixta. Forinsecus autem certum crassum oblinito. Quum sedes, siue arectum intestinum exciderit, & in loco suo manere noluerit; silphium optimum, ac densissimum derasium tenue inspergito: & sternutatorium medicamẽtum ad nares apponito, & hominem ad iram exacerbato. Aut, vbi aqua calida abluisti; malicorium, & alumen, in vino albo trita, ad sedem affundito: deinde panniculos apponito, & femora per dies tres colligato, & ieiunet. Vinum autem bibat dulce.

Si verò neque sic retro cedat, minium mixtum cum melle illinat.

6 Intestinum rectũ si procidat, & sanguis profluat; de ari radice detractum corticem in aqua coquito, deinde tritum farina ammixta calidum imponito. Aliud. Vitis sylvestris, quam aliqui psilotrium vocant, radices tenerrimas derasas in vino nigro meraco austero coquito, deinde tritas tepide imponito. Sed farinã ammisceto, & in vino albo, ac oleo subigito, & tepide imponito. Aliud. Cicutæ semen vino albo odorato instillato terito, deinde tepide imponito. Si verò inflammatum fuerit; hederæ radicem in aqua coctam, leuiter tritam, ammixta farina optima, in vino albo subactam imponito, & oleum ad hæc ammisceto. Aliud. Mandragoræ radicem maxime viridem: sin minus; siccam: viridem itaque lotam, ac cõcisam, in vino diluto coquito, ac imponito: siccam verò tritam similiter imponito. Aliud. Cucumeris ponis internam partem leuiter tritam imponito. Si verò dolor fiat, & inflammatum nõ sit; nitrũm rubrũ assato, ac leuiter terito, & alumen, ac salem torreto, ac leuiter terito, & pari mensura singula misceto, deinde ad picem optimam ammisceto, & linteo illita apponito, ac deligato. Aliud. Capparis folia viridia trita in marsupium conjecta adalligato: &, vbi vrere videberis, auferto, ac rursus apponito. Si verò folia non affuerint; corticem radicis capparis contusum, vino nigro subactum, eadem modo alligato. Hoc etiam ad splenis dolorem bonum est. Ex his cataplasmatis, quæ quidem frigefaciunt, fluere prohibent: quæ verò molliũt, ac calefaciunt, diffundunt: quæ in sese trahunt, siccant, & attenuant. Porrò hic morbus fit; quum bilis, & pituita ad hos locos decubuerit. At recto intestino inflammato, medicamento, in quod resina, & oleum, & cera, & plumbago, & adeps calidissimus commiscentur, illinere oportet.

HIPPOCRATIS COI

Liber de Hæmorrhoidibus.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Hæmorrhoidum generatio. Curatio.*
2 *Cognitio. Curatio quæ post hæmorrhoidum vstionem adhiberi solet.*
3 *Alia curatio. Alius modus.*
4 *Extuberantia penitus intus delitescens. Cur sanguis non fluat in hæmorrhoidibus, ablata extuberanta. Manus aut crura in articulis resecata sanguinem non fundunt: suprà verò vel infrà fundunt.*
5 *Alius modus curationis hæmorrhoidum. Phragmites.*
6 *Hæmorrhoidum per glandes curatio. Muliebris hæmorrhoidis curatio.*

1 HÆmorrhoidum morbus hoc modo fit. Quum bilis, aut pituita ad venas recti intestini decubuerit; sanguinem, qui in venis est, calefacit. Calescentes autem venæ ex vicinis venulis sanguinem attrahunt: &, vbi replentur, interna sedis pars intumescit, & capita venarum supereminent: & partim dum à stercore exeunte comprimuntur, partim dum à coaceruato sanguine coguntur; sanguinem eiaculantur: atque hoc maximè quidem vna cum stercore, aliquando verò etiam sine stercore. Curare autem oportet hoc modo. Primùm equidem nosse oportet in quo loco sint hæmorrhoides: rectum enim intestinum & secans, & resecans, & consuens, & vrens, & putrefaciens, etiam si grauissima hæc esse videantur, nihil læseris. Iubeo autẽ præparari ferramenta septem, aut octo, magnitudine parmi, crassitudine spicilli crassi, ex summa parte reflexa ac lata, velut in obolo paruo. Et, vbi priore die purgatorio medicamento purgasti, ea, qua aggrederis, vrito, & homine supino reclinato, & pulvinari sum lumbos subiecto, sedẽ quammaxime per digitos foras extrahito: ferramentaq; candentia facito, ac vrito, donec resiccaueris, & hoc ita vt ne contingas: vrere enim oportet, & nullam hęmorrhoidẽ sine vstione sinere, sed omnes exurere.

2 Cognosces autem hęmorrhoidas non difficulter: supereminent enim in internam recti intestini partem, velut vuæ acini, liuidæ, & simul vt sedes extrahitur, sanguinem eiiculantur. Detineant autem aliqui ipsius caput, & manus, dum vritur, vt ne moueatur: & dum vritur, vociferetur; sedes enim magis inde eminet. Postquam verò vsseris; lentes, ac eruum coquito, & ex aqua trita imponito ad quinque, aut sex dies. Septima vero die spongiam mollem in tenuissima frusta concidito. Sit autem latitudo spongiæ vndiquaque sex digiturum: deinde super spongiam linteum tenue, ac leue, spongiæ æquale, melle illitum imponito, & postea subiecto digito iudice sinistræ manus, mediam spongiam in sedem quam penitissime protrudito, deinde supra spongiam lanam apponito, quo in sede quieta permaneat. Et laterũ mollitudines præcingito, & retrorsum fasciam ex cingulo summito, quam per media crura receptam ad cingulum circa vmbilicum deligato. At pharmacum, de quo dixi, ad densam, ac robustam carnem faciendam, ac producendam deligatur, & non minus, quam viginti diebus hæc deligare oportet. Sorbenda autem est semel in die farina, aut milium, aut furfurum decoctum: & aqua bibenda. Si verò ad aluum exonerandam desideat, aqua calida proluito, & tertio quoque die lauet. Alia curatio.

3 Extractam quàmmaxime sedem, aqua calida perfundito: deinde summas hæmorrhoidum partes præsecato. Pharmacum autem ad sectionem præparatum sit hoc. In æreum vas mingito, & in vrinam,

æris

æris florem tostum, tritum, leuem inspergito, deinde diluito, ac vas agitato, & in sole siccato. Vbi verò siccatum fuerit, eradito, terito, & leuiga tũ ad anum apponito, & splenia oleo imbuta addito, ac spongiam supra deligato. Alius modus. Adnascitur ad venam sanguifluam extuberantem, velut mori fruæus, &, si quidem valde extra fuerit extuberantia: carnis tectorium circum ipsam nascitur. Hominem igitur flexis genibus in duo mortaria, siue excisos lapides locato, ac videto: comperies enim inflatas partes internares circa sedem, sanguinem verò intrinsecus procedere. Si itaque mollis sit, & sub tectorio cedat extuberantia; digito ipsam auferre oportet: nihilo enim plus difficultatis hæc res habet, quàm si quis dũ ouicula excoriatur; digitum inter cutem, ac carnem adigat. Atque hæc interim dum loqueris; ægro non animaduertente facito. Postquam autem extuberantiam abstuleris; necesse est sanguinis cursus ex tota detractione promanare. Itaque vino austero, in quo gallæ maceratæ sunt, cito abluere oportet: & vena sanguiflua vnà cum extuberantia peribit, & tectorium sedabitur, & quanto vetustior affectio fuerit, tanto facilior sanatio erit.

4 Si verò penitius intus delituerit extuberantia; percatopterem inspicito, & ne catoprete decipiaris videto: dum enim aperitur; extuberantiam explanat: dum verò rursus contrahitur; recte ostendit. Auferre autem oportet, veratro nigro in anum sublito, deinde tertia die auferre, ac vino austero infuso colluere. Cæterùm quòd sangnis nõ fluit, quum abstuleris extuberantiam; mirari non oportet: neque enim si in articulis disfeces manus, aut crura, sanguis profluet. Si verò supra, aut infra articulos secueris: cauas, ac sanguifluas venas comperies: & difficile fuerit vt expedite sistas. Sic etiam hæmorrhoidem in sede, si supra, aut infra extuberantiæ detractionem seces; sanguis profluet. Si verò ipsam extuberantiam in connexu abstuleris; non profluet. Si quidem igitur ita sedatur; bene habet: sin minus; vrito, cauendo, vt ne contingas ferro, sed prope admotis ferramentis resiccato, & florem æris ex vrina apponito.

5 Alius modus curationis hæmorrhoidum. Clysterem facere oportet, velut arundinem sepiariã, phragmiten appellatam, & in ipsum ferramentum probe congruum adaptare; deinde indita in sedem clysteris fistula, ferramentum candens immittere, ac frequenter eximere, quo magis calefieri sustineat, & neque vlcus ex calore habeat, & venæ resiccatæ sanæ fiant. At vero, si neque vrere, neque resecare voles, vbi multa calida aqua profluisti, & sedem euersam extraxisti, myrrham tritam, leuigatam, & gallam, & alumẽ Aegyptium vstum, vna & dimidi ad reliqua parte, & melanteriæ tantundem accipe, atque siccis his vtere: hæmorrhois enim ab his medicamẽtis decedet, velut corium combustum. Hæc facito, donec omnes extirpaueris. Et dimidia chalcitidis vstæ pars idem efficit.

6 Si verò glandulis sanare voles; sepiæ testam, plum baginis tertiã partem, bitumen, alumen, florem æris modicum, gallam, æruginem modicam commisceto, & mel coctum affundito, & formatam ex his glandem oblõgiorem apponito, donec extirpaueris. Muliebrem hæmorrhoidem hoc modo curato. Multa calida aqua proluito. In aqua vero, odorata, velut est myrica, trita, coquito: deinde spumam argenti tostam, & gallam misceto, & vinum album, & oleum, & anseris adipem affundito, omniaq; simul trita, post factam prolutionem illinenda dato. Proluere verò oportet sede quàmmaxime extracta.

HIPPOCRATIS COI

Liber de visu.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Oculi corrupti cærulei fientes. Oculi maris speciem referentes. Oculorum color inter cæruleum, & marinum medius.*
2 *Palpebræ quàm pro sua natura crassiores. Palpebræ scabie laborantes.*
3 *Nyctalopes. Oculi sani visum corrumpentes.*
4 *Lippitudo annua, & popularis curatio.*

1 Oculi corrupti sponte quidem cærulei euadentes, derepente tales fiunt: &, vbi facti fuerint; non est talium sanatio. Qui verò maris speciem referunt, paulatim per multum tempus procedendo corrumpuntur: & sæpe alter oculus in multo tempore postea corruptus est. Huius caput purgare oportet, & venas vrere. Et, si quis ab initio curatus fuerit hoc modo; malum sedatur, & in deterius non procedit. At qui colorem inter cæruleum, ac marinum medium referunt, si qui dem puero tales fiant, vbi senior fit, sedantur. Si verò seniori septimum annum egresso fiant; melius videt magna valde, & splendida: & videt quidem procul, sed: non clare: & si quid valde ad oculum admouerit, etiam hoc videt, aliud autem nihil. Confert autem huic capitis purgatio, & capitis vstio. Sanguinem verò his detrahere non conducit, neque cæruleo, neque maris speciem referenti. Et visum oculorum, oculo sano existente, in iunioribus hominibus tum fœmellis, tum masculis, quicquam faciendo nihil iuueris, quandiu adhuc augescit corpus. Quum autem non amplius augescit; ipsius oculi palpebras intuitus radendo attenuato, & si opus esse visum fuerit; etiam ferramentis non admodum candentibus intrinsecus inurito.

2 Quum verò palpebras oculi raseris; lana Milesia, crispa, pura, circumfusum obuoluta, radito, ipsam

sam oculi coronam vitando, vt ne ad cartilaginem vsque peruras. Signum autem sufficientis rasuræ est, non amplius splendidus sanguis exit, sed sanies cruēta aut aquosa. Tunc vero liquido aliquo medicamento, in quo flos æris est, defricare oportet. Postea autem vbi & rasionis, & vstionis crustæ exciderint, & vlcera purgata fuerint, ac germinauerint, fissuram per sinciput secare oportet, & quum sanguis defluxerit; medicamento cruentis vulneribus idoneo illinere: deinde verò & huius, & omnium caput purgare operæ precium est.

2 Palpebræ si crassiores, quàm pro natura fuerint, ex inferna parte carne quantum potes quàm expeditissime resecta, postea palpebram inurito, non candentibus ferramentis, vitando naturam pilorum: aut flore æris tosto tenui adstringito. Quum autem crusta exciderit; velut reliqua curato. Quum palpebræ scabie laborant, & pruritus habet; floris æris glebulam ad cotem terito, & ex ipso palpebram defricato. Et tunc squamam æris quàm tenuissime terito, deinde vuæ immaturæ succum excolatum affundito, ac leuiter simul terito: & postea reliquum succum in vase æris rubri affundens, paulatim terito, donec crassitudo fiat velut allij intritum: &, vbi resiccatum fuerit medicamentum; leuiter trito vtere.

3 Nyctalops medicamentum bibat deorsum purgans, & caput purgetur, & ceruicem eius quàmmaxime scarificato, & fame ad multum tempus premito. Vbi verò remiserit; vnum, aut duo frusta, prout maxima deuorare potest, de hepate bubulo crudo in mele tincto exhibeto. Si cui oculi dum sani sunt, visum corrumpāt; huic sectione, & insuper ex coriatione in sinciput facta, os exscindere, & aquam auferre oportet, sicque curare: & ita sani fiunt.

4 Ad lippitudinem annuam, ac popularem conducit purgatio capitis, & ventris inferni. Et si corpus habeat; sanguinis detractio ad quosdam eiusmodi dolores confert. Conferunt & cucurbitæ circa venas affixæ. Cibus modicus panis, & aquæ potus. Decumbat autem æger in tenebris, procul à fumo, & igne, & alijs splēdidis, atque hoc in obliquum, modo in dextram, modo in sinistram partem. Caput verò ne humectet; neq; enim conducit. Cataplasma, si dolor non adest, verùm velut ad fluxionem cohibendam, non confert; quum tumores sint doloris exortes. Verùm post acria medicamenta, quæ ad dolorem illinuntur, postquam dolor sedatus fuerit, ac separatus, post medicamenti illitionem; tunc cataplasmata imponere conducit, si quod commodum fore visum fuerit. Nec verò ad multum tempus contente intueri confert: lachryma enim prouocatur; quum non possit oculus ad splendida officio suo fungi. Sed neque ad multum tempus claudere oculos conducit; maximè si fluxionem calidam habeat: lachryma enim suppressa, calefacit. Si verò fluxio non sit; cum puluillo sicco sublitionem facere conducit.

HIPPOCRATIS COI

Epistolæ.

Argumentum in Librum sequentem.

1 *Anxietas spiritum magnum ac densum habet. Pestilentis morbi grassationem naturali auxilia non, sed ars ipsa corporum mutationem iudicans curat.*

2 *Hippocratis genus & familia. Medicina ab Hippocrate ex paruis, ac vulgaribus ad magna est euecta. Hippocrates à Crisamide rege nonus, ab Aesculapio decimusoctauus, à Ioue vigesimus. Hippocrates ab vtroque semine à dijs ortum habet. A quibus medicinam cognouerit. Hippocrates æquales cum dijs honores, & donaria consecutus est.*

3 *Consilio præstantem virum inuenire difficile est.*

4 *Hippocrati sapientiæ quàm auri potior fuit ratio.*

5 *Risus Democriti. Aerem Democrito esse idolis plenum.*

6 *Sapientia res est omnibus cognata.*

7 *Viri boni, & eruditi populi sunt munimenta. Artes, dona deorum: homines verò naturæ sunt opera. Artis opera libera esse debent. Scientiæ quatenus seruire dicantur.*

8 *Auaritia. Animæ morbi insaniæ. Hippocrati censentur Diuitiæ, patriæ inimicæ.*

9 *Hostes seruare & amicos mercede sanare, æquale peccatum.*

10 *Atra bile percitorum actione & studia. Disciplinarum studiosi soliditudinis & tranquillitatis amantes. Cupiditates malorum ministræ. Mens ab externis curis agitata quiete reficitur.*

11 *Quatenus Democritus insaniæ morbo laborare videatur.*

12 *Doctrina quantumuis multa, non tamen immodica putanda. Anno salubri, morbi minus infestant.*

13 *Mulier semper moderatore eget. Amicus quàm parentes in custodienda vxore deligentior.*

14 *Risus immodicus insaniæ signum. In mundo res duæ præcipuè.*

15 *Hippocratis de Democrito somnium.*

16 *Veritatis cultus.*

17 *Medicina vaticinationi cognata. Crateuas radicisecа.*

18 *Auaritiæ radix. Herbæ montanæ cur aquosis præstantiores. Herbæ lacustres quales. Dilatio ab omni arte aliena est.*

19 *Animæ curationes. Periclitantium natura. Medico fines duo propositi.*

20 *Medicamentorum purgantium natura incerta.*

21 *Purgationes per veratrum semper sunt stabiliores. Melampus.*

22 *Bilis causa furoris hominibus. Humana studia circa res*

inanes

inanes, ac nullo studio dignas versari.
23 *Mundorum infinitates Democrito multæ. Humanorum studiorum vanitas.*
24 *Vitæ omnes Thersitæ sunt.*
25 *Omnium rerum vicissitudo. Successuum fortunæ magnitudo periculosa.*
26 *Auaritia malorum omnium causa. Hominis natura ad cæterorum animantium naturam collata.*
27 *Pæonia pharmaca. Æsculapius propter seruatos homines fulmine ictus. Homo totus ex natiuitate morbus est. Humanæ naturæ miseria.*
28 *Medicinæ contemptus vnde. Veritatis cognitio nulla, neque vllum testimonium. Virtutis labor, stolidis insania iudicatur.*
29 *Veratrum. Medico quæ in ægrotis consideranda. Insaniæ causa.*
30 *Quies cerebri sapientiæ in homine causa. Cerebri corruptio.*
31 *Hominum erga medicos maleuolentia. Medicinæ finē Hippocrates etiam senex non est consecutus.*
32 *Veratrum sumpturi quomodo præparandi. Motus corpora turbat. Veratrum quibus inimicum. Ex veratro conuulsio. Purgatio sursum ac deorsum versus, quibus conueniat. Pharmaca quibus vitanda.*
33 *Inflammatione in principio laborantibus pharmaca inimica Veratrum quibus dandum, & quibus non.*
34 *Veratri purgatio per superiora, quam inferiora tutior. Sesamoides.*
35 *Geometriæ cognitio Medico necessaria.*
36 *Dierum criticorum ratio & cognitio.*
37 *Medicinæ cognitio vniuerso hominum generi necessaria. Sapientiæ cum medicina cognatio. Sapientia præsente sanitate augescit.*
38 *Naturæ humanæ descriptio. Cerebrum. Pili. Oculi. Pupilla. Nares. Labium. Mentum. Aures. Lingua. Guttur, & gula. Cor. Hepar & vena caua. Bilis flauæ sedes. Venter. Intestina. Renes. Omentum. Vesica. vterus. Pylorus. Testiculi. Pubes. Crura & brachia.*
39 *Morborum vniuersorum animalium genera duo. Febris cōuulsioni succedens.*
40 *Caput humanorum morborum radix.*
41 *Decretum Athenienſium. Hippocrates ob innumera sua in Græcos bene merita, magnis sacris publicè ab Athenientibus fuit initiatus.*
42 *Hippocratis oratio ad aram consistentis.*
43 *Hippocratis de Athenienſibus præsagium.*
44 *Locis omnibus non eadem conuenire auxilia.*
45 *Potestas, mala res.*

Rex Regum magnus Artaxerxes, Pæto gaudium.

MOrbus pestilens appellatus, inuasit exercitus nostros: & quum nos sępe multa fecerimus; nihil adhuc remisit. Quare magnopere, & per omnia tibi a me data dona, te rogo, vt aut aliquid ex natura tua excogitatum, aut aliquam ex arte actionē, aut aliquod alterius viri mederi potentis consilium, celerrime ad
1 nos mittas. Propulsa oro hoc malum. Multa enim anxietas populum corripuit, quæ spiritum magnum ac densum habet. Non belligerantes debellamur: quū hostem habemus bestiam illam ouilla deuastantem. Sauciauit multos: ægre curabiles fecit: amara spicula immittit. Consilij inops sum. Non amplius habeo quod cum viris natura prudentibus consultem. Solue hæc omnia, neque nos bono tuo consilio destituas. Vale.

Pætus Regi regum magno Artaxerxæ gaudium.

Naturalia auxilia pestilentis morbi populare grassationem non soluunt. Qui enim ex natura fiūt morbi, eos ipsa natura iudicans sanat. Qui verò ex popularī grassatione, eos ars curat, artificioſe iudicans corporum mutationē. Hippocrates autem medicus curat hoc malum. Et genere quidem est Dorienſis, ex ciuitate vero Co, patre Heraclida, qui filius fuit Hippocratis, qui Gnosidici, qui Nebri, qui Sostrati, qui Theodori; qui Cleomittadæ, qui Crisamidis. Hic diuina natura præditus est, & ex paruis ac vulgaribus, ad magna ac artificioſa, medicinam euexit. Est igitur diuinus Hippocrates, nonus quidē a Crisamide rege, decimus autem octauus ab Æsculapio, vigesimus vero a Ioue: ex matre vero Praxithea Phenaretes filia; ex familia Heraclidarum. Quare ex vtraque semine a dijs ortum habet diuinus Hippocrates: vt qui a patre quidē Asclepiades est, a matre verò Heraclides. Dedicit autem artem, tum a parte Heraclida, tum ab auo Hippocrate. Verum ab his quidem primum, velut verisimile est, in re medica initiatus est, quantum sanè credibile est hos nouisse. Vniuersam vero artem ipse seipsum docuit, diuina natura vsus, & intantum in mi industria progenitores transgressus, quantum etiā artis præstantia eosdem superauit. Tollit autem non bestiarum genus, sed ferorum ac agrestium morborum, per magnam terræ ac maris partem, Æscula pij auxilia (quemadmodum Triptolemus Cereris semina) dispergens. Proinde iustissime in multis terræ locis diuinos honores etiam ipsæ consequutus est, & ijsdem donarijs cum Hercule & Aesculapio ab Athenienſibus dignus factus est. Hunc ipsum accerse, & auri atque argenti quantum voluerit. ipsi dare iube. Hic enim non vnum modum curationis huius morbi nouit. Hic est sanitatis pater, hic seruator, hic dolorum curator. In summa, hic diuinæ scientiæ princeps est. Vale.

Rex regum magnus Artaxerxes Hystanidi Heleſponti præfecto.

Hippocratis medici Coi ab Aesculapio originem ducentis, gloria artis etiam ad me peruenit. Dato igitur ipsi auri quātum voluerit, & reliqua abunde, quibus opus habet & ipsum ad nos mittito: Nam optimatibus Persarum ęqualis erit. Et si quis alius bonus vir est in Europa, eum domus regiæ amicum facito, nil diuitijs parcens. Viros enim inuenire, qui consilio præstent, non est facile. Vale.
3

Hystanis Helleſponti præfectus, Hippocrati ex Asclepiadis prognato gaudium.

Magnus rex Artaxerxes te opus habet, & misit ad nos præfectos, iubens tibi argentum, & aurum, & reliqua quibus opus habes, & quæcunque voles, dare, & breui ad se mittere. Fore enim te optimatibus

Persa-

Persarum æqualem. Tu itaque cito adsis. Vale.

Hippocrates medicus Hystanidi Hellespontiprafecto gaudium.

Ad epistolam quam misisti, a rege veniisse adserés, remitte Regi quæ dico, quam celerrime scribens: Quod & victu, & vestitu, & domo, & omni ad vitam sufficienti opulentia fruimur. Persarum autem diuitijs vti, fas mihi non est: neque barbaros homines a morbis liberare, qui hostes sunt Græcorum. Vale.

Hippocrates Demetrio sanitatem.

4 Persarum Rex non accersiuit, ignarus quod apud me maior est sapientiæ ratio, quam auri. Vale.

Regi regum meo magno domino Artaxerxi, Histanis Hellespontiprafectus gaudium.

Quam misisti epistolam, iubens demittere ad Hippocratem Coum ab Aesculapio originem ducentem demisi. Sed & ab ipso responsum tuli, quod scriptū; tradidit, & ad domum tuam transmittere iussit. Itaq eius latorem, ac nuncium Gymnasbem Dieutychen ad te misi. Vale.

Rex regum magnus Artaxerxes Cois hæc dicit.

Date meis nuncijs Hippocratem Medicum malignis moribus præditum, & in me, & in Persas petulanter se gerentem: Sin minus, cognoscetis, etiā primi peccati pœnam vos daturos esse. Vrbem .n. vestrā deuastatam, & insulam distructam, in pelagus cōuertam, vt posterum tempus nemo sciat, an in hoc loco fuerit insula, aut vrbs Cos.

Coorum responsum.

Visum est populo, respondere nuncijs ab Artaxerxe missis. Coi nihil indignum facient neque Meropę, neque Hercule, neque Asculapio. Quapropter omnes ciues non dabunt Hippocratem, etiam si pessima morte sint interituri. Nam quum Darius & Xerxes epistolas scripserint, & terram ac aquam a patribus nostris petiuerint, populus nō dedit: quum eos ipsos se impetentes, similiter velut alios homines, mortales esse videret. Et nunc idem responsum dat. A Cois discedite: quoniam Hippocratem in manus vestras non dant. Renunciate igitur ipsi vos nuncij, quod neque Dei ipsi nostri negligentes erunt.

Senatus, populusque Abderitarum Hippocratigaudium.

Nunc maxime vrbi nostræ in periculo versatur uir noster, o Hippocrates, qui & præsenti tempore & futuro semper gloria vrbi sperabatur. (Neq; nunc, ò vos Dei omnes, nobis inuideatur) Hic præ multa quæ detinet ipsum sapiētia ægrotat, vt timor nō vulgaris sit, si Democritus mente motus fuerit, reuera
5 vrbem nostram Abderitarum pessum iturā esse. Etenim oblitus omnium, & primum suiipsius, vigilās & noctu & interdiu, & singula parua ac magna deridens, & totam vitam nihil esse putans, vitam transigit. Ducit aliquis vxorem, alius mercaturam exercet, alius concionatur, alius imperat, alius legatum agit, eligitur, abrogatur, ægrotat, vulneratur, moritur: At hic ridet omnia, dum alios mœstos ac tristes, alios gaudentes videt. Quin & de his, quę apud infcros sunt, hic vir perscrutatur, hęc scribit. Et idolis aerem plenum esse dicit. Et voluerum voces intentis auribus explorat. Et sæpe noctu exsurgens solus cantilenas sensim canenti similis est. Et se aliquando in rerum immēsitatem proficisci dicit, & Democritos esse similes sibijpsi innumerabiles. Et corpus vnà cū mente corrumpens viuit: hæc timemus ò Hippocrates, ob hæc perturbati sumus. Quapropter nos serua, & patriæ nostræ cōsulturus cito adsis: neque nos cō tempseris. Nam neque ita viles sumus: & in nobis testimonium situm est. Ob ipsum enim conseruatum, & gloriam, & pecunias, & doctrinæ famam cōsequeris: quamquam doctrinæ ratio multo potior apud te est, quàm fortunæ. Attamen & huius bona multa ac luculenta tibi à nobis obuenient. Etenim animæ Democriti gratia, etiam si vrbs aurum esset, non nostræ voluntati responderet, aut quacunque tandem re illi carendum esset. Leges nostras putamus ægrotare, ò Hippocrates, leges præuaricari. Adsis optime vir, curaturus virum insignem. Non medicus: sed conditor, sacratiorem tota Ionia murum nobis circundabis. Ciuitatem, non virum curabis: & Senatum ægrotantem, & ne claudatur periclitantem, aperies. Ipse legislator, ipse iudex, ipse princeps, ipse seruator, & horum artifex aduenies. Ob hæc te expectamus, ò Hippocrates, atque hęc etiam fient vbi veneris. Vna ciuitas non ignobilis, imò tota Græcia rogat te, seruua corpus sapientiæ. Quin potius ipsam apud te legationem agere puta doctrinam ab hac præuaricatione liberari supplicantem.

6 Cognata equidem res est omnibus, velut apparet, sapientia. Verùm his qui propius ipsam complexi sunt, velut nobis, etiam longe amplius. Et, sicut probe nosti, gratificaberis etiam futuro sæculo, si non destitueris Democritum propter veritatem, cuius primas se laturum esse sperat. Tu enim & genere, & arte coniunctus es Aesculapio. Hic verò Herculis est ex fratre nepos. A quo est & Abderus, & quemadmodum omnino audiuisti, cuius cognomen vrbs nostra refert. Quare etiam illi gratia fuerit Democriti sanatio. Quum igitur videas ò Hippocrates, & populum, & virum insignem, ad stupiditatem diffluentē: festina, rogamus, ad nos. Heu vt etiá bona redundantia, morbi existunt. Quantum enim Democritus ad summam sapientiam generose peruenit, tantum nūc pariter periclitatur, ne mentis stupore, & stoliditate affligatur. At reliquum vulgus Abderitarum, quod mansit absque eruditione, communem sanè sensum habet. Imò nunc prudentiores sunt ad sapientis morbum iudicādum, qui prius desipuerunt. Adsis igitur cum Aesculapio patre. Adsis cū Herculis filia Epione. Adsis cum Aesculapij filijs, qui ad Illium militarunt. Adsis nunc Pæonias adferens morbi medelas. Nunc terra radicibus, & herbis, & auxiliaribus floribus, insaniæque medicamētis fęcunda est. Fermè igitur nunquā fertilius producent, neq; terra, neq; mōtium cacumina, quàm nunc proferunt ea quæ pertinent ad Democriti sanitatem. Vale.

Hippocrates Senatui, populoque Abderitarum gaudium.

Ciuis vester Amelesagores venit in Co, & erat tunc in illa die Virgæ assumptio, & annua festiuitas, ac publicus (velut nostis) conuentus, & pompa sumptuosa

ptuosa fiebat, quam mos est eos, qui deo dicati sunt, ad Cyparissum deducere. Quandoquidem autem & ex verbis, & ex aspectu, Amelessagoras festinare videbatur, credens, velut erat rem ipsam vrgere: epistolam vestram legi, & admiratus sum quod ob vnũ hominẽ, velut si vnus homo esset ipsa ciuitas, turbati
7 estis. Et beati profecto sunt populi, qui sciunt bonos viros sua esse munimenta, & non turres, neque muros sed sapientum virorum sapientia consilia. Ego vero, qui credo artes quidem esse Deorum dona, homines autem naturæ opera (& ne ægre feratis viri Abderitæ) non vos puto, sed ipsam naturam me vocare, ad conseruandum ipsius opus quod periclitatur, ne præ morbo collabatur. Quare præ vobis ego nunc, naturę, ac Dijs, obediens, festino ægrotantem Democritum sanare: si quidem sanè & hoc morbus est, & non potius error vobis tenebras offundit: id quod opto. Atque vtinam sit hoc vberius vestræ beneuolentiæ signum, quod etiam ad suspicionem turbamini. Argentum autem mihi venienti, neq; natura, neque Deus promittere poterit. Quare neque vos viri Abderitæ cogatis: sed liberæ artis etiam opera libera esse finatis. Qui vero mercedem capiunt, hi scientias seruire cogunt, velut captiuas facientes ipsas ex prio re libertate: deinde, velut verisimile est, mentiri etiã poterint, velut de magno morbo: & negarint, velut de paruo; & polliciti nõ venerint, & rursus venerint
8 non vocati. Misera est profectò humana vita: quoniam per totam ipsam intolerabilis auaricia, velut hybernus ventus, distributa est ac penetrauit. Ad quam vtinam potius omnes medici conueniissent, quo grauiorem insania morbum curarent: quoniam quum morbus sit, & affligat, etiam laudatur. ego vero arbitror etiam animæ morbos omnes vehementes esse insanias, quæ opiniones quasdam ac imaginationes rationi inducunt. A quibus qui per virtutẽ depurgatus est, sanus euadit. Quod si ego omnino ditescere voluissem, viri Abderitæ non vtique decẽ talentorum gratia ad vos proficiscerer: sed ad Magnum accessissem Persarum regem, vbi totæ ciuitates humanis opibus refertæ mihi obtigissent: sanassem autem illic ipsorum pestem. Verum denegaui, inimicam Græciæ regionem a malo morbo me velle liberare. Et ego, quantum in me fuisset, Barbaros expugnassem. Habuissem autem ignominiam ipsas a rege diuitias, & opulentiam patriæ inimicam. Hæc vero mihi adfuissent, velut ei qui vrbium Græciæ deuastator esset non sunt diuitiæ, vndiquaque lucrari. Magna enim sunt sacra virtutis, quæ a iustitia non occultantur, sed manifesta existunt. Aut non æqua-
9 le peccatum esse putati, hostes seruare, & amicos mercede sanare? At non hoc modo se res nostræ habent o Abderitæ. Non cupio fructum ex morbis, neque libenter audiui Democritum mẽte motum esse. Qui siue sanus est, amicus est: siue ægrotat, curatus magis amicus erit. Audio autem ipsum grauibus ac solidis moribus præditum esse, & vrbis vestræ ornamentum. Valete.

Hippocrates Philopœmeni gaudium.

Legati, qui vrbis epistolam mihi rediderunt, etiam tuam tradiderunt. Et valde gauisus sum, & hospitiũ & reliquũ victum te promittente. Veniemus autem bona fortuna: & meliore spe, velut arbitramur, accedemus, prout in literis est declaratum: quum non insaniam, sed quandam excellentem menti sanitatem vir ille declaret, dum neque liberorum, neque vxoris, neque cognatorum, neque rei familiaris, neque omnino alicuius curã gerit: sed & diu & noctu apud seipsum consistit, & priuatim vitam degit, plerunque, in antris & solitudinibus, aut sub arborum vmbris, aut in mollibus herbis, aut apud frequẽtia aqua
10 rum fluenta. Contingunt igitur talia plerunq; atrabile percitis. Taciturni enim aliquando sunt, & solitarij, ac deserti amantes, & rerum familiarium conspectum auersantur, alienum putantes. Nec verò dissimile vero est, etiam his qui circa disciplinas versantur ab vna erga sapientiam adfectione, alias curas excluſas esse. Quemadmodum enim famuli ac ancillæ in domibus tumultuantes, & seditionem agentes, vbi derepente ipsis hera comparuit, consternati conquiescunt: sic etiam reliquiæ in anima cupiditates malorum sunt hominibus ministræ. Postquã autem sapiẽtiæ conspectus seipsum ingesserit, reliquæ affectiones velut famulæ discedunt. Non autem omnino insani antra & quiẽtem expetunt: sed etiã hi qui humana negotia contemnunt, ob tranquillitatis cupiditatem. Cum enim mẽs ab externis curis vexata, corpus reficere voluerit, tunc cito ipsum quieti tradit: deinde recta exurgẽs, circumcirca veritatis regionem collustrat, in qua non est pater, non mater, non vxor, nõ liberi non frater, non cognati, non famuli, non fortuna, non omnino quicquam ex his, quæ multum inducunt. Omnia autem perturbantia, excluſa stãt prę timore: & neque appropinquare audent præ reueren
11 tia eorum, quæ isthic habitant. Habitant autem illam regionem, & artes, & virtutes omnis generis, & Dei, & dæmones & senatus, & consilia: Et magnus populus in illa regione, stellis multum mobilibus coronatus est: in quam fortassis etiam Democritus præsapientia transmigrauit: deinde quum nõ videat amplius eos qui sunt in vrbe, vtpote procul profectus, insaniæ morbo laborare putatur, propter solidituditatis amorem. Student autem Abderitæ argenti amorem & studium detegere, & in se manifestum facere, eo quod Democritum non intelligunt. At tu hospitium nobis o amice Philopœmen præpara. Nõ enim volo perturbatæ vrbi molestiam exhibere, quum veterem te proprium hospitem, velut nosti, habeam. Vale.

Hippocrates Dionysio gaudium.

Aut in Halicarnasso me expecta, aut ipse ad me veni re o amice, festina. Per summam enim necessitatẽ abeundum est mihi in Abderam, Democriti causſa, ad quem ægrotantem vrbs me accersiuit, Cæterum admiranda est hominum, ò Dionysi, per consensum adfectio: velut vna anima cum ciue coægrotat. Quare mihi videntur etiam ipsi curatione opus habere.
12 Ego verò neque morbum ipsum esse puto, sed immodicam doctrinam, quæ reuera non est immodica, sed ab idiotis putatur. Nam nunquam nociua est virtus immodica. Excellentia verò morbi opinionem de se præbet, proter iudicantium imperitiam. Vnusquisque enim ex his quæ ipse non habet, iudicat id quod in alio abundat, superfluum esse. Sic sanè etiam timidus fortitudinem immodestiam putat, & auarus magnanimitatem. Et omnis defectus, virtutis mo-

dera-

derationem excedere putatur. Illum igitur vbi viderimus cum prænotione hinc contingente,& vbi sermones eius audiuerimus: melius cognoscemus. Tu verò,ò Dionysi, studio habe,vt ipse accedas. Volo enim te in patria mea cõmorari donec rediero: quo & rerum nostrarum, & imprimis vrbis nostræ curã geras. Nam haud scio quomodo ex casu contigit, vt saluber sit annus,& pristinam naturam habeat. Quare nequẽ multi infestabunt morbi: attamen venito. Inhabitabis autẽ meam domum nimis quàm opportunam, nimirum quum & vxor apud parentes ma-
13 neat propter meam profectionem. Attamen & illius res inspecta, quo pudice degat,& non ob viri abscentiã, alios viros approbet. Honesta equidem ab initio fuit,& parentes bonos habuit. Patrem autem mirificè virilem,& malos valde odio habẽtem,egregie semen. Attamen semper opus habet mulier moderatore. Habet enim à natura in se lasciuiam, quæ, nisi quotidie resecetur,velut arbores in materie multæ effusionem, extuberat. Ego vero amicum parentibus diligentiorem puto ad vxorem custodiendam. Non enim,velut illis, etiam huic cohabitat beneuolentiæ adfectio, per quam sæpe vmbra admonitioni obtenditur. In omnibus autem rebus prudentior est alienitas ab adfectione,vt quæ minime à beneuolentia infringatur. Vale.

Hippocrates Damageto gaudium.

Cum apud te Rhodi essem; Damagete, vidi nauem illam,cui Solis inscriptio erat,penitus pulchrã, & in puppi probe instructam, & sufficientem carinã habentem. Habebat & tranxtra multa. Et tu laudabas etiam in ipsa nauigandi præstantiam,quòd velox esset,& tuta,& ad inseruiendum artificiosa. Et insuper prædicabas probũ in ipsa nauigationis cursum. Hanc mitte nobis; verum, si fieri potest, non remis, sed alis ad remigium instructam. Vrget enim res ipsa,ò amice,vt valde cito in Abderam,nauigem. Volo enim ægrotantem curare vrbem, propter vnum ægrotantem Democritũ,si vnquam viri fama ad aures tuas peruenit. De hoc patria dicit,quòd insania adflictus sit: ego autem cupio,imò magis opto,non reuera ipsum insanire,sed illos ita putare. Ridet,inquiunt, semper, & ridere non cessat in omnibus negotijs. Et hoc ipsis insaniæ signum esse videtur. Quare tuis in Rhodo amicis dicito, vt semper moderatè se gerant,& non multum rideant,neque multum tristes sint: sed inter ambo hæc modum teneant: vt alijs comis esse videaris,alijs solicitus,de virtute cogitãs.
14 Est profecto mali quiddam, dum ad singula ille ridet. Si enim immodestia malum est: ea sanè perpetua longe peior est. Et dicam sanè ad ipsum; Democrite,& si quis ægrotat,& occiditur,& mortuus est, & obsidetur,& quotidie malum ingruit: singula quę fiunt,materiam risus tibi præbent. Non autem repugnas Deo,si,quum duo sint in mundo, Gaudium & Tristitia,tu alterum ipsorum eieci sti? Beatus profecto fueris,(verùm impossibile est) si neque mater,tibi ægrotat,neque pater, neq; postea liberi,aut vxor, aut amicus; sed propter tuũ risum conseruãtur,penitus felix es. At si,dum ægrotãt,rides: dum moriũtur gaudes;& si quid mali audieris,exhilararis: pessimus es ò Democrite,& procul sanè à sapiẽtia. Si verò putas hæc ipsa neq; mala esse, acrite atra bile pcitus es Democrite, periclitans ne & ipse Abderita fis: prudentior autem sit ipsa ciuitas. Cæterùm de his exactius illic dicemus Damagete. At verò nauis etiam hoc tempus,quo hæc tibi scribo,remoratur. Vale.

Hippocrates Philopœmeni gaudium.

15 Cogitans,ac sollicitus de Democrito, illa ipsa nocte dormiẽs,sub ipsius auroræ initium,somnium mihi oblatum habui, ex quo puto nihil valde periculo si fore. Mirabiliter.n.expergefactus sum. Videbar mihi videre Aesculapium ipsum coram,& iam ad ipsas Abderitarum portas aderamus. Aesculapius autem non vt imagines eum aliàs ostendunt, mitis ac blandus apparebat: sed habitu concitato, & aspectu horrendo. Sequebantur autem ipsum dracones reptilis generis immanes,longum tractum ducentes,& horribile quiddam velut in desertis ac saltibus subsibilantes. Sequebantur & socij,pyxides medicamentaria probe obsignatas gestantes: deinde porrexit mihi manum Deus: quam vbi libentissime apprehendissem,rogabam,vt simul mecum pergeret,& ne me in medendo destitueret. Verùm is: Nihil,in præsens me opus habes: sed hæc immortalium ac mortalitũ com-
16 munis dea te peregrinum deducet. Et ego conuersus video mulierem pulchram ac magnam,simpliciter ornatam,splendidam, cuius oculorum circuli puro lumine micbaant,vt stellarum fulgorem putares. Et Deus quidem dispar uit. Mulier verò illa apprehensum me manu,lento gradu benigniter per vrbem ducebat. Et vbi prope domum essemus,in qua hospitium mihi paratum esse putabam,velut spectrum disparuit, hoc saltem dicens: Cras te apud Democritum deprehendam. Cum verò iam se illa conuerteret. Rogo,inquam,optimam fœmina,quæ nam es,& quo nomine vocari debes? Veritas inquit illa. cæterùm quam accedentem vides (& derepente altera quædam mihi apparuit) neque ipsa mala videtur,audacior autem aspectu,& concitatior: Opinio,inquit appellatur,& habitat apud Abderitas. Ego igitur vbi de somno surexissem, mihijpsi somnium interpretatus sum, quòd non indigeret medico Democritus, quando sanè ipse medendi Deus discessisset, velut qui medendi occasionem & materiam non haberet. Sed ipsa quidem Veritas, quòd Democritus sanus sit, apud Democritum manet: Opinio verò, quòd Democritus ægrotet, reuera apud Abderitas habitat. Atque hæc vera esse, mi Philopœmen,credo,& sunt sanè. Et non contemno somnia,maxime vbi ẽt
17 ordinem conseruant. Medicina autem & vaticinatio valde cognatæ sunt: quandoquidem & pater ambarum artium vnus est Apollo progenitor noster, & præsentes & futuros morbos prædicens,& egrotantes sanans. Vale.

Hippocrates Grateuæ gaudium.

Scio te,ò amice,optimum radicisecam esse,& propter tuam ipsius exercitationem,& propter progenitorum gloriam, adeo vt in hac facultate, Crateuæ proauo minime cedas. Proinde nunc,si vnquã aliàs, herbas colligе,quot & quales poteris: vrget enim necessitas: atque has mihi trasmitte,ad virum toti ciuitati comparandum. Abderitam quidem,verum Democritum. Aegrotare enim ipsum ducunt,& purgatione valde opus habere,vt qui insania sit correptus. Non vtemur fortassis medicamentis, quemadmodum

dum etiam credo. Attamen vndiquaque instructum esse oportet. At verò rem herbariam apud te sæpe admiratus sum, quemadmodum etiam vniuersorum naturam ac constitutionem, & sacerrimum terræ fundamentum, ex qua animalia, & plantæ, & alimenta, & medicamenta, & fortuna, & ipsæ diuitiæ exoriuntur. Neque enim aliàs haberet vbi constiteret Auaritia, neque sanè Abderitæ nunc decem talentis inescassent me, pro medico mercenarium declarantes.
18 Si verò possis Crateua amaram auaritiæ radicem ex scindere, vt nullæ ipsius reliquiæ restent: probe scito quòd hominum vnà cum corporibus etiã animas ægrotantes purgassemus. At hæc quidem vota sunt. Tu verò quod, quod fieri potest, nobis montanas maxime & in altis collibus nascentes herbas radicitus reseca. Sunt enim aquosioribus solidiores & acriores, propter terræ densitatem, & aeris tenuitatem. Nam quod attrahunt, frigidus est. Conare tamen vt etiam de his quæ circa stagna nascuntur, & de palustribus, & fluuiatilibus, aut fontanis, flores colligas: quas sanè debiles, & exsolutas, ac dulcis succi esse scio. Omnia autem medicamenta, quæ succi & liquoris fluidi sunt, in vitreis vasis ferantur: quæ verò folia, aut flores aut radices sunt, in fictilibus nouis probe obturatis: vt ne ventis perflata, medicamenti vigorem, velut in animi deliquium collapsa, amittant. Cæterùm statim nobis hæc mittito. Nam & tempus anni cõgruum est, & necessitas dictæ insaniæ vrget. Ab omni equidẽ arte aliena res est dilatio, verũ maxi
19 me à medicina, in qua dilatio est animæ periculum. Curationum verò animæ sunt temporum opportunitates, quarum obseruatio finis est. Spero quidem sanum esse Democritum, etiam citra medelam. Si verò aliquis error naturæ, aut temporis, aut alterius alicuius causæ contingat (multa enim nos, qui mortales sumus, latent, vtpote non omnino per veritatem corroboratos) ad id quod obscurum est, omnem vim cõgregatam esse oportet. Non enim contentus est is, qui in periculo versatur, his quæ possumus: sed concupiscit etiam ea, quæ non possumus. Et fermè semper ad duos fines militamus, alterum hominis, alterum artis. Quorum alter obscurus est, alter scientiæ determinatus. Opus est autem in vtrisque his etiam
20 fortuna. Incerta enim est coniectura eorum, qui in purgationibus caute procedunt. Nam & stomachi adflictionem veremur, & medicationis congruentiã ad naturam ignotam coniectamus. Non enim vna & eadẽ est omnium natura, & aliud semper sibi ipsi decernens adsimilat, ac familiare facit: Aliquando verò totũ perdit. Sed & herbis multa reptilia venenum immittunt, & hiatu suo internæ ipsarum teneritudini adflictionem pro auxilio inspirant. Et huius rei ignorantia erit, nisi sanè nota aliqua, aut macula, aut odor ferus & grauis, rei factæ indicationem fecerit. Deinde ipsa ars, propter fortunæ casum, à recte fa-
21 ciendi proposito aberrat. Stabiliores autem semper sunt purgationes per veratrum, quibus etiam Melãpus in Prœti filiabus, & Anticyreus in hercule vsi esse narrantur. Minime verò vtemur nos vllo aliquo ex his in Democrito: sed contigerit opto illi sapientia, efficacissimorum ac medicatissimorum pharmacorum finis. Vale.

Hippocrates Damageto gaudium.

Hoc erat illud Damagete, quod coniectabamus: non insanit Democritus, sed super omnia sapit, & nos sapientiores effecit, & per nos omnes homines. Remisi autem tibi amice, reuera Aesculapeam nauẽ: cui cum Solis signo etia sanitatis insigne apponito. Nam reuera secundo numine vela fecit: & illa die in Abderam nauigauit, qua scripseram ipsis, me peruẽturum esse. Omnes igitur ante portas cõgregatos inuenimus nos, velut verisimile est, expectantes, non viros solùm, sed etiam mulieres: insuperq; senes & pueros (per Deos) tristes itemq; infantes. Atq; hi quidẽ sic habebant, velut ob Democritum insanientem. Ille verò syncere tunc in philosophando excellebat. Postquam autem me vidissent, visi sunt mihi paululum ad seipsos redijsse, & bonas spes ostentabant. At Philopœmen me ad hospitium ducere gestiebat, & hoc ab illis comprobabatur. Ego verò: O viri Abderitæ, inquam, nullum mihi maius operæprecium est, quàm Democritum videre. Illi verò hoc audito, collaudarunt, & gauisi sunt, & compendio duxerũt me per forum, partim sequentes, partim præcurrentes, alij ab vtraque parte: Serua, clamantes, auxiliare, medicare. Et ego adhortabar ipsos vt confiderent, tanquam fortassis nihil esset mali: aut si quid esset, modicum id esset: & correctu facile, confisus horis anni Etesijs. Et simul hæc dicens ibam. Neq; enim procul erant ædes: immo neq; tota ciuitas. Aderamus igitur: propinquæ enim muro erant, & me placide eò deducunt. At retro turrim collis erat altus, longis ac densis populis nigris vmbrosus, vnde Democriti habitacula conspiciebantur. Et ipse Democritus subampla ac humillima platano sedebat, in veste crassa citra humeros desinente, solus, discalceatus, super lapidea sede, valde pallidus ac macilẽtus, promissa barba. Iuxta ipsum verò à dextra, tenuis aqua per decliuem collẽ decurrens leniter resonabat. Erat aũt delubrum quoddam super illũ collem, quãtum equidem coniectura assequor, Nymphis dicatum, sponte enatis vitibus circundatũ. Ipse verò cum multo ornatu super genibus librum habebat. Sed & alij quidam ex vtraque parte adiacebant: accumulata erant etiã animalia multa per totum resecta. Et ipse aliquando concitate incumbens scribebat, aliquando quiescebat, diu multumque se continens, & in seipso meditans. Deinde non longe pòst, his peractis, exsurgens deambulabat, & viscera animalium inspiciebat, & depositis ipsis digressus, rursus desidebat. At Abderitæ circunstantes me tristes, & non procul à lachrymantibus oculos habentes: Vides, inquiunt, Hippocrates, Democriti vitã, quàm insanit, & neq; quod vult nouit, neque quod facit. Et quiddam ex ipsis adhuc amplius ostendere volens ipsius insaniam, alta voce plorauit instar mulieris ob filij mortem lamentantis. Deinde rursus cũ gemitu eiulauit, personam agens viatoris, qui aliquid ex his, quæ portabat, amisit. Verum Democritus cùm hæc audisset, partim ridebat, partim cachinnis explodebat, & nihil amplius scribebat. Caput autẽ frequenter concutiebat. Ego verò Vos, inquã, ò Abderitæ, hìc manet: ipse verò vbi & verbis, & corpori viri propior factus fuero, videroq; ac audiero, cognoscã adfectionis veritatẽ. Et hęc loquutus,

quutus, placide descendebam. Erat autem locus ille asper, ac declivis. Itaq; vix me sustulciens penetraui. Cum autē appropinquassem, incidi in ipsum nescio quid, quasi ex numinis adflatu & cū cōcitatione, scribentem. Stabam igitur isthic expectans tempus quietis ipsius. Ipse vero paulopost, intermisso scribēdi impetu, & stilo scriptorio deposito, respexit ad me accedentem, &: Salue, inquit, hospes. Et ego: Plurimum & tu, inquam, Democrite vir sapientissime. At ille, verecundans arbitror, ꝙ non nomine me compellasses: Te autem, inquit, quo nomine vocabimus? Ignorātia enim tui nominis, causa erat cur te hospitem appellarē. Hippocrates, inquam, Medicus est mihi nomen. Is verò: Asclepiadarum, inquit, nobilitas, & magna sapientiæ tuæ in re medica gloria multum celebris etiā ad nos peruenit. Quid autē negocij, ò amice, te huc perduxit? Imò potius præ omnibus confide. Vides au tē quòd hæc sedes foliis instrata nō est iniucunda, viridis adhuc ac mollis, & ad insidendum lenior inuidiosis fortunæ sellis. Cum autem consedissem, rursus inquit: Priuatumne, aut publicum negocium agens huc peruenisti? Dic aperte, nam nos, quantum poterimus, adiuuabimus. Et ego: Quæ vera causa est, inquā, tui gratia huc venio, vt sapientem virum cōueniam. Habet autem causam patria, cuius legatum ago. Ille verò: Hospitio itaque, inquit, primùm vtere nostro. Ego verò per omnia virum pertentans, etiam si iam mihi manifestum esset, ipsum non insanire, Philopœmenum, inquam, nosti ciuem vestrum? etiam, inquit, valde: Damonis filium dicis, qui habitat apud Hermaidem fontem? Hunc ipsum inquam, cuius ego sum ex patribus peculiaris amicus. At tu Democrite potiore me hospitio excipe, & primum sanè quid sit hoc, quod hic scribis dicito. Ille verò vbi paululum se continuisset: De insania, inquit. Et ego: O rex Lupiter inquam, opportune profecto scribis contra ciuitatem. At ille; Qualem, inquit, ciuitatem Hippocrates? Ego verò: Nihil, inquam, ò Democrite, sed haud scio quomodo hoc verbum mihi excidit. Verùm quid de insania scribis? Quid enim, inquit, aliud quàm quid sit, & quomodo in hominibus generetur, & quomodo alleuetur. Nam animalia hæc, quæ vides, inquit, huius gratia reseco, non quod odio habeā opera Dei,
22 sed bilis naturam ac sedem quærens. Nosti enim quòd hæc furoris hominum causa est, vbi nimium redundarit. In omnibus equidem à natura ineſt: sed in quibusdam minus, in quibusdam amplius. At immoderatio ipsius morbi sunt, ipsa velut materia aliquando bona, aliquando mala subiacente. Et ego, Per Iouem, inquam, ò Democrite, vere hæc & sapienter dicis. Quare beatum te iudicu, qui tanta quiete frueris. Nobis autē huius participes esse non permissum est. Interrogante verò illo: Cur, ò Hippocrates, permissum non est? Quoniam, inquam, aut agri, aut res domesticæ, aut liberi, aut vsurę, aut morbi, aut mortes, aut famuli, aut nuptiæ, aut eiusmodi quędā, opportunitatem nobis commodam eripiunt. Hic sanè vir ille ad solitā affectionem delatus est, & valde effuse risit, ac cachinnatis est. Et de cætero quiescebat. Et ego: Quid verò, inquam, Democrite rides? vtrum bona quæ dixi, aut mala? Ille verò adhuc magis ridebat. Et Abderitæ de colle id videtes, partim capita sua cędebant, partim frontem: alij verò capillos euellebant. Nam, velut postea dixerim, ampliorem, quàm alias solitus esset, risum effuderat. At verò, inquam, sapiē tum optime Democrite, cupio causam huius tuæ affectionis cognosce: quo risu ego tibi dignus visus sum, aut ea quæ dixi: quo hoc cognito, a causa desistā aut tu reprehensus, intempestiuos risus coerceas. Ille vero: O Hercules, inquit, si me reprehendere potes, curationem perficies, qualem nullam vnquam, ò Hippocrates. Et quomodo non reprehendaris, optime? Aut non absurdum te esse putas, dum ridei hominis mortem, aut morbum, aut mentis emotionem, aut insaniam, aut atram bilem, aut cædem, aut aliud quid peius? Aut vice versa nuptias, aut festiuitates, aut liberorum procreationem, aut mysteria, aut magistratus, aut honores, aut aliud quid omnino boni? Nam quorum miscreri oportet, ea tu derides: & ob quæ lætari conueniebat, ea itidem derides, adeò vt neque malum apud te sit discretum. At ille. Hæc quidem, inquit, recte dicis ò Hippocrates: sed non nouisti risus nostri causam. Vbi vero cognoueris, satis scio, ꝙ meum risum, meliorem legatione medellam ac curationem, tuæ patriæ & tibiipsi auferens, & alios prudentes facere poteris. Et pro hoc fortassis me vicissim medicinam docebis, vbi cognoueris quanto studio circa res nullo studio dignas versantes, & ea quæ nullius precij sunt facere conantes, omnes homines vitam consumunt, risu digna tractantes. Ego vero, Dic, inquam, per deos, nunquid vniuersus mundus ægrotare se non animaduertit? & non habet quo legationem demittat ad sui curationem? Quid enim extra ipsum esse poterit? Ille vero excipiens.
23 Multæ, inquit, sunt mundorū infinitates, & nequaquam, ò amice, diuitem naturam maligne extenues At hæc quidem, inquam, Democrite suo tempore docebis. Vereor enim ne forte dum infinitatem recenses, ridere incipias. Scias autem nunc, de tuo risu, rationem vitæ te reddere debere. Ille autem torue me intuitus: Duas, inquit, risus mei causas esse putas, bona & mala. Ego autem vnum hominem rideo, dementia quidem plenum, rectis autem actionibus vacuū, in omnibus consilijs pueriliter ac stulte se gerentem, & nullius vtilitatis gratia labores nū quam ab his adquirendis interquiescentem: sed sem per circa plura adipiscenda tumultuantem, quo ipse inferior non sit, & neque pudefiat, si non felix appelletur. Rideo item ipsum, eo quod hiatum terræ effodit, manibus eorum perquirens, qui partim a laxa irruente terra oppressi sunt, partim diutissime in hac necessitate detenti, in supplicio velut in patria permanent, argentum & aurum inquirentes, vestigia pulueris ac ramenta perscrutantes arenam aliam aliunde eruentes, & terræ venas excidentes ad opulentiam semper glebas conflautes, ex matre terra hostilem terram, quum tamen eadem sit, facientes, & hanc admirantes pedibus calcant. Quanto vero risu dignum est, quod ærumnosam & occultam. Terram amant, manifesta contumelia afficientes? Alij vero canes emunt, alij equos: alii multam regionem circumscribentes, propriam sibi scribunt: & multis imperare volentes, neque sibiipsis imperare possunt. Vxores ducunt, quas paulò post eijciunt. Amant, deinde odio habent. Cum magna cupiditate liberos generant: deinde adultos eijciunt. Quæ est illa vana, ac absurda diligentia, nihil ab insania differens? Bellum intestinum gerunt, quie-

tem

tem non amplectentes. Reges alios deponunt, alios surrogant; occidunt homines. Terram fodientes argentum quærunt. Argento reperto, terram emere volunt. Empta terra, fructus vendunt: fructibus diuenditis, rursus argentum accipiunt. In quot mutationibus versantur? in quanta malitia? dum opes nō habent, opes expetunt: dum habent, occultant, dissipant. Rideo, dum improbe agentes video. Intendo risum, dum infeliciter agentes cerno. Veritatis enim leges transgrediuntur: contentionis studio hostilem inter se litem habent, & cum fratribus, & parentibus, & ciuibus: atque ad hæc, pro eiusmodi opibus, quarum nemo, vbi mortuus est, dominus est, se mutuo occidunt: illicitam vitam degentes, amicorum ac patriæ penuriam contemnunt. Res indignas & inanimatas diuitiarum loco habēt: pro vniuersa opulentia statuas emunt, quoniam effigies ita expressa est, vt loqui videatur: eos verò qui vere loquuntur, odio habent. Res insuper non faciles expetunt. Nam continentem habitantes, mare cupiunt. Et rursus, cū in insulis sunt, continentem desiderant, & omnia peruertunt ad propriam cupiditatem. Et in bello quidem fortitudinem laudare videntur: vincuntur autem quotidie à petulantia, ab auaritia. Ex omnibus adfectionibus ægrotant.

24 Therfitæ verò vitæ omnes sunt. Cur verò meum risum reprehendisti ò Hippocrates? Non enim quispiam suam ipsius dementiam, sed alius alterius deridet: hi quidem ebrios, cum ipsi sibi sobrij esse videntur: alij verò amantes, quum ipsi grauiore morbo laborent: alij nauigantes; alij eos, qui circa agricultūram occupati sunt. Non enim concordant neque artibus, neque operibus. Ego verò; hæc quidem, inquam, vera sunt Democrite: neque alius aliquis conuenientior sermo esse poterit, ad mortalium miseriam declarandam; verum ipsæ res sanciunt necessitatem, & domesticæ dispensationis, & nauium fabricationis, gratia, reliquæ item vitæ, in qua necesse est hominem esse. Non enim ad ocium natura ipsum genuit. Ex his autem rursus ambitio effusa, multorū recte sentientē animam decepit, qui omnia quidem recte ac serio agere studēt, velut re certa ac stabili futura: non autem ita validi sunt, vt obscuritatem præuidere possint. Si enim quis ò Democrite, vxorem ducens, separationem aut mortem timeret: aut quispiam liberos educans, ipsorum interitum; imò neque in agricultura, & nauigatione, & regno, & magistratu, & omnibus quę sunt in vita, vllus vnquam de errore præsumpsit, sed vnusquisque horum bona spe alitur, deteriorum vero ne meminit quidem: nūquid igitur risus tuus his minimè conuenit? At Democritus: valde, inquit, tardo ingenio præditus es, & longe à sententia mea abes, ò Hippocrates, qui tranquillitatis & perturbationis modum non consideras, præ ignorantia. Si enim hæc ipsa prudenti mente disponerent; & ipsi facile liberarētur, & meū risum leuarent. Nunc autem, velut rebus in vita firmis, dementes illi superbiunt, ob ratiocinationis expertem mentem, inordinatum impetum suum ægre discentes.

25 Sufficiens enim admonitio ipsis esset, Omnivm Rervm vicissitudo, quæ subitis mutationibus irruit, & derepente omnigenam circum rationē inducit. At ipsi, velut hæc firma sit ac stabilis, obliti adfectionum assidue incidentium, aliter aliàs ea, quæ tristitiam inferunt, cupientes, & quæ non conferunt, quærentes, multis calamitatibus inuoluuntur. Si verò quis iuxta propriam facultatem omnia facere cogitaret, stabilem sanè vitam custodiret, seipsum cognoscens, & suij ipsius comparationem clare considerans, & non cupiditatis studium in infinitum extendens: sed opulentam naturam, & omnium nutricem, per sufficientiam intuens. Quemadmodum autem in optimo corporis habitu, adfectionum periculum manifestum est: ita successuum fortunæ magnitudo periculosa est. Insignes autem palam in infelicitatibus conspiciuntur. Alij verò velut proximorum facta non videntes, à proprijs malefactis pereunt, tam manifesta, quàm obscura non præuidentes, quum longam viam exemplum habeant eorum, quæ fiunt, & quæ non fiunt, ex quibus etiam futurum considerare oportebat. Hæc sunt quæ mihi risus materiam præbent. O dementes homines, prauitatis pœnas pē dētes, auaritiæ, insatiabilitatis, inimicitiæ, insidiarū, doli, inuidentiæ (difficile est enumerare multiplices malorum versutias: sunt enim infinitæ) & in his dolosis versutijs vicissim conuersantes, & maligne sentientes. At virtutis apud ipsos modus est, id quod deterius est. Mendacij enim studium exercent, voluptatem consectantur, legibus non obedientes. Quidam verò ex ipsis præuidentiam in hominibus esse negat, vt qui neque visus, neque auditus participes sunt. Solus autem sensus hominis recta intelligentia lucidus, & prę sens & futurum prę uidet. In omnibus displicentiam habent: & rursus ad eadem accedunt: abnegata nauigatione, nauigāte reiecta agricultura, rursus agrum colunt: eiecta vxore, aliam inducunt: genitos sibi liberos sepeliunt: & his sepultis, alios generant, ac rursus educant. Senectam optant: ad ipsam autem peruenientes, gemunt: in nullo rerum statu, constantem mentem habentes. Principes ac Reges priuatum prædicant: priuatus autem regnum appetit. Qui reipublicæ magistratum gerit, artificem laudat, velut extra periculum constitutum: artifex autem illum, velut per omnia potentem. Rectam enim virtutis viam, puram & leuem ac inoffensam, non vident, quam nemo ingredi audet. Feruntur autem in contrariam, difficilem & tortuosam, per aspera incedentes, lapsantes ac offendentes: plerique verò excidentes, anhelantes velut si qui persequatur, litigantes, modo posteriores existentes, modo præcedentes. Et quidam ipsorum petulanti alieni cubilis corrumpendi amore ardent, per impudentiam inducti, alios auaritiæ morbus infinitus consumit, alij mutuo insidias struunt, alij ab ambitionis studio in aerem sublati, per malitiæ grauitatē in profundum perniciei præcipites deferuntur. Quidā destruunt, deinde rursus ædificant: largiuntur, deinde pœnitentia ducti, amicitiæ iura tollunt, malefici per inimicitiam cognationis iura bello impetentes.

26 Et horum omnium causa est auaritia. Qua in re hi a pueris ludentibus differunt? apud quos consiliū quidem iudicio caret: quod verò se forte fortuna obtulit, id iucundum est. At verò in desiderijs quid brutis animātibus reliqui faciunt, quam quòd intra sufficientiam feræ ipsæ se continent? Quis enim leo aurum in terram occuluit? Quis taurus vberioris alimenti gratia depugnauit? Quam pardalim vnquam

insatiabilitas cepit? Sitit quidem aper, sed vsque ad aquæ appetentiam. Lupus autem, deuorato necessario alimento oblato, quiescit. Si dies ac noctes coniungat homo, non sentit conuiuandi satietatem. Et annuorum quidem temporũ ordo, terminus est brutis ad coitũ: at homo perpetuo insano libidinis œstro stimulatur. Quæso te Hippocrates, non ridere debeo plorantem propter amorem, eo, quòd commodo suo excluſus est? maxime verò si quis periculorum contemptor sit, & per præcipitia, aut pelagi profunditates feratur, risum non extendam? Non ridebo autem eum qui nauem multis mercibus onustam demersit, deinde mari indignatur, quòd ipsam plenam submersit? Ego quidem nequaquam mihi ridere videor. Vellem autem potius aliquid molesti contra ipsos excogitare.

27 At neque medicinam pro his esse oportebat, neq; aliquem pæonia pharmaca præparantem: atque huius rei documentum præbeat tibi tuus ille progenitor Aesculapius, qui dum seruaret homines, fulminis ictus gratiam accepit. Non vides quòd & ego maliciei pars sum, dum insaniæ causam inquirens, animalia macto ac reseco? Oportebat autem ex hominibus causam perscrutari. Non vides quòd etiam ipse mundus odio in homines plenus est? Infinitas enim contra ipsum adflictiones accumulauit. Totus homo ex natiuitate morbus est. Dum educatur, inutilis est, & alienum auxilium implorat. Dum crescit, proteruus, insipiens, pædagogo opus habens. Dum in vigore est, audax est. Dum decrescit, miserabilis, vbi labores suos imprudenter recolit ac iactat. Ex maternis enim vteri inquinamentis talis prodijt. Et propterea alij indignatione ac immodica ira pleni, in calamitatibus ac pugnis versantur: alij semper in adulterijs & corrumpẽdis puellis: alij in ebrietatibus: alij in rerum alienarum cupiditatibus: alij in suis prodigẽdis. Vtinam facultas esset nobis, vniuersorum habitationes reuelare, & nullum rerum in ipsis velamẽtum dimittere, atque ita ea, quæ intus aguntur, videre: videremus vtiq; alios edentes, alios vomentes, alios supplicijs torquentes, alios pharmaca miscentes, alios insidias construentes, alios supputantes, alios gaudẽtes, alios plorantes, alios amicos accusantes, alios propter ambitionem amentes. Quanquam sint quædam actiones profundiores, quæ in animo occultantur. Et ex his quidam sunt iuuenes, quidam senes: petentes, negantes: pauperes, opulenti: fame pressi, luxu grauati, sordidi, vincti: alijs delicijs deffluentes, famulicium magnũ alentes: alij trucidantes, alij sepelientes: alij ea quæ habent contemnentes, & speratis possessionibus inhiantes: alij impudentes: alij parci, alij inexplebiles: alij occidentes, alij vapulantes: alij superbientes, alij vanagloria elati. Et ex his aliqui apud equos spectatores consistunt: aliqui apud viros, aut canes, aut lapides, aut ligna, aut æs, aut picturas. Et aliqui legationibus, aliqui militiæ, aliqui sacerdotijs præsunt. Et alij coronas gestant, aliqui armati sunt, aliqui occiduntur. Singuli verò ex his feruntur, partim ad pugnam nauale, partim ad militiam, partim ad rusticationem: alij ad onerarias naues, alij ad forum, alij ad concionem, alij ad theatrum, alij ad fugam, alij aliò. Et rursus, quidam ad voluptatem deliciasq; ac intemperantiam: quidã ad ocium ac socordiam. Quum igitur tot indigenas ac infelices animas videamus, quomodo non vitam ipsarum eiusmodi intemperantia præditam risu exsibilarimus?

28 Quin & valde timeo, neq; medicinã tuam ipsis placere. Nam prę intemperantia omnia ipsis displicent, & insaniam sapientiam putant: profecto suspicor pleraq; in scientia tua palàm contumelia adfici, aut propter inuidiam, aut propter ingratitudinem. Aegrotantes enim simul vt seruãtur, causam dijs aut fortunæ attribuunt. Pleriq; verò suæ naturæ hoc adscribentes, benefactorem odio habent, & parũ abest, vt indigne ferant, si debitores esse putentur. Sed & plerique artis ignorãtiam in seipsis habentes, & imperiti existentes, id quod melius est, purgant. Inter stupidos enim fiunt suffragia, & neq; ægroti attestari volunt, neq; eiusdem artis artifices testimoniũ præbere. Inuidia. n. obstat. Non autem inexpertus es tu talium nugarum: imò probe scio, ob hæc te sæpe immemorabilibus adflictionibus accersitũ fuisse, & neque causam, aut inuidiam, libenter derisisse. Veritatis. n. neq; cognitio vlla est, neq; vllum testimonium. Hęc autem cum diceret, subridebat, & mihi, ò Damagete, diuina specie apparebat, & velut qui priorem suã formam exiuisset. Et ego: O magnifice Democrite, inquã, magna xenia & hospitalitatis tuæ munera, in Comecum auferam. Multa enim me sapientiæ admiratione impleuisti. Discedo enim veritatis tuæ pco, qui humanam naturam inuestigasti ac considerasti. Quum autem mentis meæ medelam à te acceperim, abeo nunc, tempore hoc expetente, itemq; corporis curatione. Cras verò, & deinceps hoc loco rursus conueniemus. Atque hæc loquutus, surrexi. Et ille paratus erat me sequi. Dum verò quidam accederet, haud scio vnde, tradebat ipsi libros. Et ego concitatus festinaui, & ad Abderitas in specula me expectãtes; viri, inquam, pro legatione vestra ad me, magna sit vobis gratia. Vide enim Democritum virum sapientissimum, qui solus potentissimus est homines prudentes facere. Hæc habui, Damagete, quæ de Democrito valde magna animi lætitia tibi recensere volui. Vale.

Democritus Hippocrati felicitatem.

Accessisti ad nos velut insanos, ò Hippocrates, veratrum nobis daturus, persuasus à viris stolidis, apud quos labor virtutis insania iudicatur. Tunc autem de mundi dispositione, & de polis, ac astris cęlestibus scribebamus. Cum verù horũ natura cognouisses, ꝙ omnia valde commode essent creata, & ꝙ procul ab insania ac desipientia abessent: meã quidẽ naturã laudasti: desipientes autẽ & crudeles ac furiosos illos iudicasti. Nam quę simulachris per aerem vagãtia nos decipiunt, quę sanè mundus esse comprehenduntur, & vicissitudinem habentia creata sunt; ea mẽs mea, naturam perscrutata, verè in lucem produxit. Cuius rei testes sunt libri à me conscripti. Oportebat igitur te, ò Hippocrates, cum viris eiusmodi morbus præditis minime congredi ac conuersari, quorum mens superficiaria & inconstans est. Si enim ab illis persuasus, mihi, velut insano, veratrum bibendum dedisses prudentia insania facta fuisset: & artem tuam reprehendissent, velut quæ insaniæ fuisset causa.

29 Veratrum enim sanis datum, mẽti tenebras offundit. Insanis autem valde prodesse cõsueuit. Arbitror equidẽ, si non deprehendisses me scribentem, verum recumbentem, aut fortè deambulantem, & mecum

collo-

colloquentem, & nunc quidem indignantem, nunc verò ridentem, ob ea, quæ mente reuoluam, & familiaribus me alloquentibus non attendentem, sed cogitationi instantem, & mirum in modum speculantem: putasses sane Democritum, iuxta oculorum iudicium, ex his, quæ vidisses, insaniæ imaginem præ se ferre. Oportet igitur Medicum non solùm visu adfectiones iudicare, sed etiam reipsa: & rythmos ac consonantias vt plurimùm indagare: & vtrum incipiat morbus, aut mediũ teneat, aut desinat, perscrutari: & differentia, ac anni tempore & ætate obseruata, adfectionem curare: itemque totius corporis naturam considerare. Ex his enim omnibus facile morbum inuenies. Porrò remisi ad te de insania tractationem à te conscriptam. Vale.

Hippocratis Coi, de insania scriptum.

30 Quemadmodum in libello de Morbo sacro dixi, Insanienti necesse est præ humiditate cerebrum, in quo animæ sunt opera, moueri: vbi videlicet humidius quàm pro natura fuerit. Eo verò commoto, neque visum, neque auditum quiescere, sed aliàs alia, & videre & audire: & linguam talia loqui, qualia singulis vicibus viderit ac audierit. Quandiu verò cerebrum quieuerit, tandiu etiam homo sapit. Fit autem corruptio cerebri à pituita & bile. Vtriusque verò cognitio sic contingit. Etenim qui à pituita insaniunt, quieti sunt, & non vociferantur, neque tumultuãtur. Qui verò à bile, percussores sunt, & malefici, ac non quieti. Et si quidem assidue insaniant, hæ causæ sunt. Si verò terrores & timores fuerint, à transmutatione fiunt, cerebro à bile calescente, quæ ad ipsum per venas sanguinarias procedit. Cum autem bilis discesserit rursus in venas, etiam corpus quiescit. Tristatur autem & angitur homo, & præter temporis rationẽ obliuiosus fit, dum cerebrum à pituita perfrigeratur, & præter solitum morem compingitur. Postquam verò cerebrum derepente, à bile calefactum fuerit, sanguine in prædictis venis efferuescente: insomnia vident horrenda, & facies velut in vigilante flammescit, & oculi rubescunt, & mens aliquid mali operari cogitat. Atque hoc in somno homo patitur. Cùm autem sanguis rursus ad venas dispersus fuerit, quiescit. Porrò in quinto Popularium morborum libro quendam recensui, cui fiebat vocis interceptio, ignorantia, frequentes deliriationes, & reuersiones: lingua autem erat dura: (nisi collutione vsus esset, loqui non poterat) & plerunque etiam valde amara. Venæ sectio exsoluit, aquæ potus, aqua mulsa, veratrorum potiones. Hic vbi modicum tempus superuixisset, mortuus est. Erat & alius quidam, quem, vbi noctu ad conuiuium progrederetur, timor tibicinæ corripiebat, vbi audiret ipsam tibia canentem. Interdiu verò audiens, nihil patiebatur.

Hippocrates Democrito felicitatem.

Artis Medicæ recta facta, ò Democrite, plerique è vulgo hominum non omnino laudant, verùm Dijs sæpe attribuunt.

31 Si verò natura reluctata perdiderit eum, qui curatur: medicos reprehendunt, numen prætereuntes. Et ego sane mihi videor, maiorem reprehensionem quàm honorem artis me assequutum esse. Ego enim ad finem Medicinæ non perueni, etiam si iam senex sim. Neque.n. ipsius inuentor Aesculapius: sed & ipse in multis à seipso dissensit, quemadmodum nobis scriptorum libri tradiderũt. Proinde epistola à te ad nos missa, veratri medicinam reprehendebat. Inductus equidem sum, ò Democrite, velut insanienti veratrũ daturus, non perscrutatus qualis quis tandem esses. Vbi verò tecum congressus, cognoui non per Iouem desipientiæ opus, sed fermè omni laude ac commendatione dignum, valde laudaui naturam tuam, optimumque naturæ, ac mundi interpretem te iudicaui. Eos verò qui me induxerunt ad te velut insanientes reprehendi. Nam ipsi medicamento opus habebant. Quandoquidem igitur casus nos in idem coniunxit, recte feceris si ad nos frequentius literas dederis, & libros à te conscriptos impertieris. Misi autem etiam ipse tibi de Veratri vsu libellum. Vale.

Hippocratis de Veratri vsu libellus.

32 His qui non facile sursum purgantur, ante potionem corpora præhumectare oportet vberiore alimento & quiete: Vbi verò quis bibit veratrũ, ad motus corporum magis ducere, quàm ad somnos. Declarat autem nauigatio, quòd motus corpora turbat. Cum veratrum magis ducere voles, corpora moueto. Veratrum periculosum est sanas carnes habentibus. Quicunque in pharmacorum potionibus non sitiunt, dum purgantur, non cessant purgari prius quàm sitierint. Conuulsio ex veratro, lethale. In nimia purgatione, conuulsio aut singultus succedens, malum. In turbationibus ventris, & vomitibus spontaneis, si quidem qualia purgari oportet, purgentur, conducit, & leuiter ferunt: Sin minus, vice versa. Quemadmodum autem in Prænotionibus dixi, purgatio sursum versus commodat ei, in quo sine febre est cibi fastidium, aut stomachi punctura, aut vertigo, aut os amarum, & in summa doloribus supra septum transuersum: at deorsum versus, vbi sine febre est tormen, lumborum dolor, genuum grauitas, mensæ ægre prodeuntes, dolores in partibus sub se protransuerso. Vitare verò oportet in pharmacorum potionibus eos, qui bona habent corpora, maximè autem nigros, & humida carne præditos, & sed & subsicos, & balbos, ac blæsos.

33 Quicunque verò inflammata in principio morbi, velut in libello de Ptisana dixi, statim medicamento soluere aggrediuntur, hi de eo quidem, quod distentum est ac inflammatum, nihil auferunt (neque enim remittit qui crudus est adfectus) ea verò quæ morbo resistunt, & sana sunt, consumunt. Corpore verò debili fiente, morbus superat, & immedicabile malum habens. Cæterùm veratrum his dare oportet, quibus de capite fluxus fertur. Non autem dandum est pectore suppuratis. Neque medicamenta danda sunt decoloratis, raucosis, lienosis, ex anguibus, spirituosis & siccum tussientibus, siticulosis, flatuosis, & his qui præcordia, & latera, ac dorsum distenta habent, & torpentibus, & obscure videntibus, & quibus aurium sonitus sunt, & vrinæ meatus impotentibus: neque item morbo regio laborantibus, aut ventre debilibus, aut his qui sanguinis eruptiones aut tubercula habent.

34 Si verò medicandum esse videbitur, veratro securus sursum purga, deorsum verò non. Optimum autem his est victus rationem constituere. Quemad-

modum autem in Prædictionibus dixi, non sunt medicamento danda his qui nigra euomunt, neque cibum auersantibus, neque delyris & parum dormientibus, neque dolore vexatis, neque visum temerariũ inclinatum habentibus, neque tumefactis, neque vertiginosis, neque decoloratis, neque his qui in febre æstuosi sunt, ac confracti. Sicut autem de Ptisana dixi. Sesamoides sursum purgat, potio eius est drachma dimidia in aceto mulso trita. Commiscetur etiam veratris tertia potionis pars, & minus suffocat. Purgat item quartanas diuturnas, & diuturna febri lipyria vexatos: & eos in quibus non est sitis, neq; excretio (hos verò non ante tres hebdomadas) aliquando etiã pleuriticos ac voluulosos. Et sicut in Muliebribus morbis dixi, purgandum est etiam, si vteri purgatione opus habuerint.

Hippocrates ad Thessalum filium.

35 Ad cognoscendam Geometriam & Numerorum scientiam, mi filij, multum studij adhibeto. Non.n. solùm vitam tuam illustrem, & ad multa commodam, in humanarum rerum statu efficient: sed etiam animam acutiorem & clariorem reddent, ad omnium, quorum vsus in medicina expetitur, vtilitatem cõsequẽdam. Etenim Geometrię cognitio, quæ multiformis ac varia est, & omnia cum demonstratione trãsigit, vtilis erit & ad offiũ situs, & ad exarticulationes, & reliquũ membrorũ ordinem. Nam ad multiplicẽ horum adfectionem, & arriculorũ luxatorum repositione, & offiũ contritorũ resectione, & perforatione, & compositione, & exẽptione, ac reliqua curatione, maiore industria vtetur quisquis nouerit qualis est locus, & quale est os, quod ex eo eluxatum est. At verò Numerorũ ratio, & circuitus, & ad transmutationes febriũ prẽter rationem fientes, & ad iudicia ægrotan
36 tium, ac securitatis in morbis, sufficiens erit. Præclara.n. res est, tale ministeriũ in medicina habere, quod tibi partes intensionis ac remissionis, cũ ex parte inæquales fuerint, facile cognobiles exhibet, citra errorem. Quapropter ad huiusmodi experientiæ facultatem peruenire fedulo stude. Vale.

Democritus Hippocrati, De natura humana.

37 Omnes homines artem medicam nosse oportet, ò Hippocrates: (Est.n. res honesta simul ac vtilis ad vitã:) & ex his maximè eos, qui eruditionis ac eloquentiæ cognitionẽ habent. Nam sapientiæ cognitionem medicinæ sororem ac contubernalẽ esse puto. Sapientia.n. animam ab adfectibus liberat: Medicina verò morbos à corporibus aufert. Augescit autẽ intelligentia, præsente sanitate; cuius prouidentiam habere, honestũ est, eos qui recte sentiunt. At vbi corporis habitus ægrotat; neq; mens ipsa alacritatem habet ad virtutis meditationem. Morbus.n. præsens animam vehementer obscurat, intelligentiam ad adfectionem
38 per consensum ducens. Cæterùm naturæ humanæ descriptio, eiusmodi speculationem habet. Cerebrũ quidem supremam corporis partem custodit, & securitatis tutelam sibi commissam habet, intra membranas neruosas cohabitans. Super quod duplicatorum ossium naturæ necessariæ firmatæ, dominum mentis custodem, ipsum cerebrum tegunt. Pilorũ decor est, cutem ornare. Oculorum verò vis visiua in multipli-

ci tunica latitans, ob humoris instantias, sub frontem in medellam collocata est, & est videndi causa. Pupilla verò syncera, palpebræ marginem opportunitatis custodem sustinet. Duplices autem nares olfactum dinoscentes, oculorũ vicinitatem dirimunt. Mollis verò labiorũ contactus os circumplicans, verborum sensum, exactamque articulationem gubernans exhibet. Mentum autẽ in extremitatem desinens, ac lyræ simile, dentium clauis coaptatum est. At sermonũ receptacula aures, opifex aperuit: in quibus dum est sermo, non certus temeritatis minister existit. Loquelæ mater lingua, animę nuncius, gustum custodiens, munitis dentium septis custodita est. Guttur autẽ & gula inter se coniuncta, vicina sunt. Illud.n. in viam spiritus: hęc in profundum ventris, alimẽtum demittit, largè id propellens. Regiũ verò cor, cono, ac pineę nuci simile, iram nutriens, aduersus omnes insidias thoracem induit. Frequentèr autẽ flatuum cauernę aere per ipsas erumpente, vocis causam flatum pariunt. Quod verò sanguinem suppeditat, & in alimentum transmutat, cum apicibus sępe vena caua circumfluũ hepar est, concupiscentię causa. Viridis autẽ bilis iuxta hepar manens vbi superebullijt, humani corporis coruptio est nociuus ac inutilis corporis humani inquilinus. Veruntamen vice versa dormit, nullũ negociũ exhibens. Inter hæc autẽ medius omnia suscipiẽs venter chorum ducit, & accumbit, cõcoctionem gubernans. Obnoxia verò ventris cõpositioni, per opificium conuoluta, circũ ventrẽ euoluuntur intestina, adsumptionis & excretionis causę. Gemini autẽ renes in coxis firmati, & pinguedine intecti, ab vrinarũ excretione non sunt alieni. At dominus totius ventris, qui Omentũ vocatur totum ventrem complecti tur, solo splene excepto. Consequenter, neruosa vesica in coxa osculũ firmatum habens, venis complicatis, vrinarum excretionis causa est. Huic autem vicina mater puerorum, vehemens illud malum, infinitarum ærumnarũ in muliere causa, vterus ipse latitat. Pilorus autem siue Ianitor, ex coxarum recessu emergẽs caro, neruis adstringitur. Verùm de plenitudinẽ naturæ ventris effundit, ex opificij prouidẽtia. Porrò extra corpus pensiles domũ incolunt, ad generatione destinati, cõditores testiculi, multis tunicis prædi ti. Iucundum ex venis ac neruis plicamẽtum est pubes, quæ vrinarum effusionem facit, & ad coitus ministerium à natura creata est, & pubertatis appetentia tegit. Crura verò & brachia, & extremæ partes his annexæ, totum ministerij principium coaceruatum habentes, tutum neruorum ministerium perficiunt. At verò incorporea in recessibus natura, omnifaria viscerum genera fabricauit: Quæ sanè mors instans, celeriter à ministerio quieta reddit.

Hippocrates Cous, Demetrio regi gaudium.

Nos equidem etiam prius, ò rex, studio habentes naturæ humanæ partes in summa cõsiderare, has cõscriptas quẽadmodũ voluisti demisimus. Nunc autẽ, ea, quorum maxime studiosos esse oportet prudentes partim à prioribus transumpta, partim nunc per nos ipsos cõperta, tibi conscripsimus. Quæ si tu priorũ morborũ signis fientibus sequutus, & ijsdem sępe vsus fueris: per omne vitæ tẽpus morborum exors es
39 se poteris. Duo sunt morborum vniuersorũ animalium

lium genera, alterũ secundum genus, alterum secundum adfectionem, inter se dissimilia. At verò concupiscentias iuxta alimentum, ex subcontrarijs cognosces, dum ea quæ euacuantur, indicant ea quæ plena sunt: & quæ implens, coniecturam præbent eorum quæ vacua sunt. Morbos autem omnes ex subcontrarijs constitutos cognosces, & morbos à morbis fieri. In conuulsionibus febris succedens, sistit morbum: capitis autem dolores, sanguis ex auribus erumpẽs, aut ex naribus. Conuulsiones omnibus morbis atræ
40 bilis succedentes, atram bilem sedant. Et in summa, radix humanorum morborum est caput, & maximi morbi ex hoc accedunt. Quum enim ori velut cucurbita medica incumbat; contingit, vt ipsum omnium eorum, quę ingerũtur, superfluitates attrahat, & tenues humores. Oportet autem animum aduertere, & peculiariter viuere, vbi teipsum præparaueris in has partes, quo morbi accidentes nullum augmentum capiant, per curam diligentem & per bonum ordinem apud te fientem: ita vt neque rei venereæ intemperantia, neque diuersorum eduliorum incontinentia, neque somnis immodicis, inexercitato corpore vtaris: sed signa in corpore contingentia sequaris, & vniuscuiusque corporis occasionem cõserues; quo morbum irruere parãtem vites, & medelis, quas ego perscribo, vtens, à morbis exors perseueres. Vale.

Decretum Athenienſium.

41 Visum est, ac decretum Senatui & populo Athenienſium. Quandoquidem Hippocrates Cous Medicus, & ab Aesculapio originem ducens, magnam beneuolentiam vnà cum salute Græcis ostendit, quãdo etiam peste à Barbaris in Græciam proficiscente, discipulis suis ad locos dimissis, indicauit quibus medelis vti oporteat, & accedentem pestem securè effugere, quo medicina Græcis data, ipsorum ægrotos tuto seruaret. Sed & scripta sua de Arte medica exacta edidit, multos esse volens Medicos qui seruare possent. Et Persarum rege ipsum accersente, & honores optimatibus Persarum æquales promittẽte, & dona quæcunque tandem ipse Hippocrates vellet offerente, Barbari promissiones contempsit, eo quòd hostis, & communis inimicus Græcis esset. Quo igitur appareat, populum Athenienſium semper ea quæ vtilia sunt Græcis consultare: & vt gratiam condignã Hippocrati probe ne factis referat: Visum est populo, ipsum publicè magnis mysterijs initiare, quemadmodum Herculem filium Iouis: & coronare ipsum corona aurea mille aureorum: & ipsam coronam. Quin quatrijs magnis Mineruę festis, in certamine gymnico per præconem proclamare. Et licere omnibus Coorum liberis, vt Athenis pubescant, quemadmodum liberi Athenienſium: quandoquidem patria ipsorum huiusmodi virum genuit. Esse verò Hippocrati, & vitam, & victum prouisum in Prytaneo per omnem vitam.

Oratio Hippocratis ad aram conſiſtentis.

42 Quos multi, & multarum vrbium habitatores, in magna dignitate cõstituti, communi nomine Thessali, omnibus hominibus amara necessitas incũbit, vt quæ a fatis statuta sunt ferant. Quapropter ego nunc cedens cum mea soboſe, oleæ ramulis coronatus, ad Mineruæ aram supplex consisto. Quis sim ignorantibus dicere oportet. Hippocrates, ò viri, Medicus Cous, non per piam & honestam causam, meipsum & liberos meos vobis commendo. Cognoscitis me ò plebs. Nam profecto vos estis viri mihi familiares, inter quos vt verum dicam, inter plerosque vestrum, & in multis vrbibus vestris cognitus sum, vt in summa dicam. At verò nomen meum longe vlterius, quàm formæ meæ aspectus, processit. Atque hæc causa ex arte mea sanitatis, ac vitę, ortum habuisse videtur, quod non solum hominibus vestram regionem habitantibus, sed etiam multis Græcis vobis vicinis cognitus sum. Iam verò qua de causa tantum negocium opere peragendum adsumpsi, refe-
43 ram. Athenienses male habebunt, ò viri Thessali, qui Metropolim ac patriam nostram Co deuastantes, in seruitutem redigunt ea, quæ libera sunt ex progenitorum adquisitione, priuatim sibi parta facientes: neque cognationem reueriti, quæ ipsis est ab Apolline & Hercule, quæ sanè ad Aenium, & Sunium filios illorum peruenit: neq; Herculis malorum domitoris beneficia mente recolunt, quæ ille communis & vobis & nobis bene faciens Deus, in illos contulit. At vos per Iouem supplicationibus colendum, & per cognatos deos, egredimini, vindicate, liberate, propriæ virtutis memores, & nihil ad gloriam vestram spectans intermittentes.

Oratio Legati Theſſali filij Hippocratis, ad Athenienſes.

Conuenire arbitror viri Athenienses, cõstitutum apud vos, qui non omni multitudini cognitus est, primum indicare quis sit, & vnde sit: postea verò reliquam orationem persequi. Mihi equidem pater est Hippocrates: qui quantam in Medicina facultatem habeat, vos nouisti. Nomen autem est Thessalus. Cognitu verò & ego sum nõ in postremis, neq; paucis vestrum. Patria verò est mihi Cos: quæ quomodo vobis cognata sit ab antiquo, alij dicunt, qui in recensenda historia sunt præstantiores. Veni autem missus a patre, quatuor beneficia à nobis in vos collata prolaturus. Primum quidem vetus quoddam, tempore progenitorum nostrorum, commune in omnes Amphictyonas, quorum vos non minima pars estis. Alterum verò illo adhuc maius, & ad plurimos Græcorum progressum. Atque hæc quidem vrbis, & progenitorum meorum esse apparebunt. Tertium autem patris proprium est, & tantum, quantum nemo vnus vir, & vobis & multis Græcis contulit. Postremum verò ex quatuor commune est patris & meum, & quod non ad plures, sed ad vos ipsos peruenit. Quod quidem priorum beneficiorum comparatione exiguum videri poterit: verùm ad aliorum beneficia collatum, magnum est. Et sanè huiusmodi beneficia sic se habent, quemadmodum esse dixi, vt summatim dicam. Oportet autem non solùm dicere, sed etiam demonstrare, quòd vera sunt. Principium igitur sermonis, ipsum ministeriorum nostrorum principium faciam. Vetustissima verò primum referam: in quibus fortassis longiora, ac altius repetita me dicere reprehenderitis. At quisque vetus dici expetit. Erat enim tempus quando Crisæa

gens erat, & habitabat quidem circa Pythicum templum: terra verò habebat, quæ sanè nunc Apollini consecrata est. Appellatur autem Crisæus quidem campus, iuxta quem Locri habitant, & cui Melæna adsunt: Cirrhæus verò mons, cui Phocenses adiacēt. Hi porrò Crisæi cum essent aliquando populosi, & fortes, & opulenti, his bonis ad malum vsi sunt. Per insolentiam enim multa horrēda, ac iniqua facta perpetrarunt in Deum impietatem exercētes, Delphos in seruitutem redigentes, vicinos depredantes, agricolas spoliantes, vxores ac liberos abducentes, & corpora ipsorum constuprantes. Qua de causa Amphictyones ira commoti, & exercitu in terram ipsorum inducto, & ipsis pugna deuictis, regionem deuastarunt, & vrbes expugnarunt. Vbi sana illi, qui multa & impia perpetrarunt, miserè accepti sunt, non minores pœnas persoluentes, quàm ipsi alijs intulerant. Felicissimi verò ex ipsis fuerunt, qui intra manus hostium perierunt: Secundo loco, qui manu capti sunt, & qui ad aliam regionem ac vrbes transiuerunt. Sua enim mala ob oculos non habuerunt. Qui verò ex captiuis isthic manserunt, infeliciſſimi fuerunt, quicūque in sua ipsorum regione torquebantur. Nam cum vxoribus & liberis, agros, & vrbes igni tradi videbāt. His verò ad huc peius degebant hi, qui intra mœnia perseuerabant, quando relata mala partim videbant, partim percunctabantur, plura veris audientes. Sic .n. fieri solet. Et sanè malam salutis spem habebant Erat autem ipsis vrbs prope hunc locum maxima, vbi nunc certamen equestre peragitur: cuius muros extruxerant, & eos qui ex alijs vrbibus transfugerant, & exceperant. Inutilia verò eiecerant, & necessaria importauerant. Et cogitabant obsidionem sustinere, bona spe prediti, neque manuum pugna, neque longi temporis obsidione, vrbem capi posse. At verò Amphictyones, tum alia deuastarunt, tum ad hanc vrbem præsidio constructo, & ad expugnationē præparato, reliquum exercitum per vrbes dimiserunt. Temporis autem progressu, cum pestis in exercitum illapsa esset, & milites ægrotarent: quidam verò etiā morerētur: alij verò, propter morbum, præsidium reliquissent: Amphictyones turbabantur. Et alij alia consultabant. Solet autem in rebus communibus sic ferè fieri. Tandem verò adflictionem molestè ferentes, & de bello desperantes, Deo rem commiserunt: & quid facere oporteret, interrogarunt. Ille verò bellum gerere iussit, & victores fore promittebat, si ad Co profecti, cerui filium: in auxilium adducerent, cū auro: atq; hoc festinabundi, vt ne Crisæi prius in adyto tripodem deprædarentur: Sin minus, vrbem capi non posse. Ipsi vero, his auditis, & ad Co profecti, oraculum proposuerunt. Cum autē Coi dubitarēt, & oraculum non intelligerent: surrexit vir genere quidem Asclepiades, progenitor autem noster: Medicus verò Græcorum eius temporis omnium confessione optimus, nomen autem ipsi erat. Nebrus, qui oraculum dicere inquit, vt ad seipsum venirent. Nam Deus, inquit, admonuit vos, vt profecti ad Co, cerui filium in auxilium adducatis. Cos equidem hæc est. Ceruorum autem filij Nebri appellantur: hoc est hinnuli. Nebrus autem est mihi nomē. Quod verò aliud auxilium potius contigerit exercitui ægrotanti, quā Medicus? Et profecto non videtur mihi id consequēs esse, quod in tantum diuitijs Græcos omnes superantes, Deus à Deo proficisci iusserit, & aureum numisma petere. Verùm hoc oraculum in meam domum progreditur. Chrysos enim, hoc est, aurum, vocatur masculus meus filius natu minimus. Est autem omnino, & corporis specie, & animi virtute, quantum pati dicere licet, inter omnes ciues præcellens. Ego quidem igitur, nisi vobis aliud videatur, & ipse proficiscar, & filium mecum adducam, naue quę quinquaginta remis agatur instructa meis sumptibus, & ministerijs medicis ac bellicis referta, quo in vtranque partem auxilium feramus. Et hic quidem dixit: illi verò approbauerunt, qui missi fuerunt. At Nebrus hic etiam vtrum Calydonium apud se educatum, in nauem adsumpsit: de quo statim, vbi res tulerit, dicemus. Cum igitur peruenissent hi viri ad castra, Deus gaudebat. Nam & mortes militum cessabant, & cum diuina fortuna equus Eurylochi (qui belli dux erat, Thessalus genere, ex Heraclidis ortum ducens) canalem, per quē aqua in orbem ducebatur, vngula percussisset, vbi in puluere volutari voluisset: Nebrus aquam medicamentis infecit, vnde ventres Criseorum corruditi sunt: & sanè multū cōtulit ad hoc, vt ciuitas caperetur. Atque hinc iam animi obfidentium elati sunt, velut Deo iam manifeste auxilium ferente. Cum autem impetus facerēt, & præmia proponerent his qui primi muros conscendissent: certamen erat fortissimum, & vrbs capiebatur. Primus enim muros conscendit. Chrysus, & turrim occupauit. Sequebatur autem ipsum eueſtigio vir ille Calydonius, sub communi scuto auxilium ferens, de quo antea dixi. Et Chrysus quidem hasta percussus cecidit ex summa turri. percussus est autem a Mermode Lyci fratre, qui lapidibus obrutus mortuus est, cum in adytum arrupisset tripodem deprædaturus. Hi igitur circuitatem sic ceperunt: & Nebri auxilium cum Chryso, & secundum medicam, & secundum bellicam facultatem recte succesſit: & Deus vera dixit, & quæ promiserat fecit. Qua de causa Amphictyones Appollini quidem templum consecrarunt, quod nūc est in Delphis: & certamen gymnicum ac equestre prius non peragentes, nunc peragunt: & Chrysæorū regionem vniuersum dicarunt Deo contributori, reddentes ea quæ dedit in eo quod oraculum dedit. Et Nebri filium Chrysum in circo equestri sepelierunt: & Delphis publice ipsi parētare præceperunt. Asclepiadis verò in Co attributa est prudentia vaticinandi, quemadmodum his qui mittuntur ex vrbibus ad sacrum Amphictyonum cōcilium: atque hoc Nebri gratia. Calidonijs autem ab illo viro, & illo ministerio, etiam nunc in Delphis primæ vaticinandi partes, & alimēta dantur. Verùm redeo ad nostra. Nam quod vera dico, hinc clarum est. Cum ego pater & ego accessissemus, Amphictyones hæc renouarunt, & attribuerunt, & in columna descripta in Delphis dedicauerunt. Atque huius quidem sermonis finis clare ostendit, nostros progenitores esse vestros benefactores. Cæterùm hoc relicto, alium de ijsdem, non eundem sermonem adsumam. Cum enim magnus ille rex cum Persis & alijs Barbaris Bellum gereret contra Græcos, qui aquam & terram non dedissent: patria nostra maluit in totum perfundari, vt ne contra vos, & eos qui vobiscum sentirent, hostilia arma sumeret, & in nauibus militarem expeditionem mitteret. Sed abnuit, & honestum quid, & digi-

tum

tum patribus meditata, qui Gigantes & Heraclidæ esse dicuntur. Visum igitur est ipsis, cum quatuor essent mure in insula, oēs relinquere, & ad montes cōfugere, & salutem tutari. Vnde sanè quid non mali obuenit? dum regio fuit deuastata, & corpora libera mancipata, & hostili lege occisa, & vrbs, & alia munimenta, ac templa, ad fauillam exusta. Insuper autem & filiæ Lygmdamis Artemisiæ, circa patrum victoriam datum est, omnia quæ relicta essent expiscari ac exportare: At enim, velut apparet, à dijs non sumus neglecti: verum tempestatibus ingentibus exortis, & naues Artemisiæ omnes in periculo fuerunt, & multæ perierunt: & in exercitū ipsius multa fulmina inciderunt, quum insula nostra paucis fulminibus impeteretur. Dicitur etiam spectra esse. Quorum sanè omnium timore perterrefacta, ab immedicabilibus cœptis destitit, amara confensione facta, quæ & relatu amara est: Quare omittatur. Attribuam autem & hic progenitoribus meis proprijssimè minime falsa, quod neque contra vos, neque contra Lacedæmonios, alioſque Græcorum socios. Coi voluntaria arma sumpserint: & quidem quum multi tum insulas, tum Asiam habitantes, cum Barbaris in bello coniuncti fuerint, nulla violentia coacti. Equidem præfecti vrbis tunc fuerunt Cadmus & Hippolochus. Verum autem est, & Cadmum & Hippolochum meos progenitores esse. Nam Cadmus, qui & Senatum regebat, matris meæ progenitor est: Hippolochus vero ex Asclepiadis, quartus à Nebro, cuius auxilio Chrysæi sunt deuastati. Nos autem ex virili genere Asclepiadæ sumus. Quare & hoc bonum a progenitoribus nostris profectum amplectimini. Redeo ad Cadmū, Hic sanè vir adeò commodi Græcorū studiosus fuit, vt cum regio ab Artemisiæ obsidione liberata esset, isthic relicta vxore ac sobole, abiuerit cū his qui eadem sentirent in Siciliam, quo Gelonem & fratres eius prohiberet, ne amicitiam cum Barbaris contra herent contra Græcos. perpetrauit & alia multa egregia facta, quæ longius producere non est tempestiuum. Atq; hæc quidem & huiusmodi multa sunt publica progenitorum nostrorum in vos & alios Græcos beneficia. Non deficit me dicendi facultas. Venio autem iam ad hoc, vt beneficium Hippocratis patris mei apud eos, qui id sciunt, producā: quod hoc modo recensens, vera dicere cognoscar. Cum pestis ex Barbaria adfluueret, quæ supra Illyrios ac Pæonas sita est, & cum malum in hanc regionem venisset: harum gentium Reges ad famam medicam, quæ vera erat, & vndiquaq; processerat, & ad patrem meū, nuncios miserunt in Thessaliam (illic .n. pater meus & prius, & nunc domū habet) vocantes ipsum ad auxilium ferendū. Et non solum argentum, & aurū, & alias opes se missuros esse receperunt, sed etiam reportaturum esse quæcunque ipse vellet, si auxilium tulisset. Ipse verò cū interrogasset quales motus partiales fierent, & æstus, ac ventos, & caligines perscrutatus, itemque alia quæ habitus ex præsenti statu cō mouere solent: cum sanè omnia didiscisset, illos quidem retro discedere iussit, & nullam sibi facultatem esse ad illorum regionem proficiscendi, pronunciauit. Verum esse quàm citissime Thessalis denuntiare studuit, quibus modis malum accedens cauerent: & medelam conscriptam per vrbes proponebat. Me verò in Macedoniā emisit. Cum regibus enim Heraclidarum, qui isthic imperium obtinent, paterna nobis intercedit amicitia. Et ego quidem ibam à Thessalia eò, quò me pater iussit, auxilium his qui isthic essent laturus. Iniunxit autem mihi vt etiam vrbi vestræ opem ferrem. At fratrem meum Draconem ex Pagasis profectum, in Hellespontum nauigare iussit, consimili consilio iustructum, quali etiam ipse vtebatur.

44 Non enim omnes loci eadem auxilia ferunt, eo quòd non omnis ambiens nos aer similis est. Polybium vero, qui filiam ipsius, meam autem sororem habet, & alios discipulos, ad alios aliorum conuentus & vias profecturos emisit, quo quàm plurimis opitularetur. Postquam autem ipse res in Thessalia perfecit, ad vicinas gentes auxilium laturus proficiscebatur, & ad Pylas profectus, Dorienſibus, & alijs, simulq; Phocensibus auxilium tulit. Et cum sanè ad Delphos peruenisset, supplicationem Deo pro Græcis fecit: & sacrificio facto, iter ad Bœotos arripuit. Et cum ipsis opem tulisset, similiter ad vos progressus est, & sufficientia vobis ad salutem, quæ sanè nūc ego produco, ex animo penitus dixit. Arbitror autē multos vestrum nosse, quòd vera dico. Non enim ita diu est, sed nonus hic est annus, quando abiui, & in Peloponnesum missus sum, isthic habitantibus opem laturus. At vero vndiquaque nobis, & verbis, & re ipsa, dignus honor cōtingit, vt minime pęniteat nos, quod nō hunc cum quæstu ex Illyricis ac Pęonibus oblato permutauimus. Verùm præ reliquis ciuitatibus magna sunt quæ à vobis data sunt. Nam & respublica vestra alias excedit. Athenæ enim altius quiddam sunt alijs vrbibus, quantum ad gloriam attinet. Et corona illa antea in vestro theatro patri imposita, ad summas æmulationem ac felicitatē ipsum euexit. Sed & hoc beneficium superastis, dum & patra, & me publicè Ceteris & Proserpinæ misterijs ac sacris initiastis. Atque hæc quidem tria sunt beneficia, quantum ego verbis consequi potui, & fracta voce proferre, vrbis, & progenitorum, & patris mei, in vos simulque multos Græcos. Quartum nunc dicere aggrediar, quod, velut antea dixi, in vos ego & pater meus collocauimus. Cum enim Alcibiadem emitteretis in Siciliam, multa quidem potentia, non autem ita multa, velut admiranda: & sermo in concione incidisset de Medico, quem exercitum sequi oporteret: pater meus progressus, me ad curanda corpora vestra se daturum esse promisit, proprijs sumptibus instructum, & citra mercedis exactionem, quàmdiu classis abesset, parui pendens sua vtilitatem, vt qui sibi peruasisset, hoc in vestrum commodum cessurū esse. Ego enim non solum res meas insumebam, id quod faciebā vobis inseruiens: sed etiā ad alia magna opera destinatus fui. Et hoc minimum est ex his, quę sum dicturus. Decreuit.n. pater ob me filium fortunę fluctibus agitari, & in terra aliena, & in mari, & in periculis bellicis, & in ægritudinibus, quæ his qui erroneam vitam degunt, magis accedere solēt, quàm his qui ordinatæ vitæ rationem habent, Nouit enim beneficium beneficio metiri: & non, velut qui aliquid emisset, cōtractu ex manu in manum facto semel, discedere. Et hic quidem talia præstitit. Ego vero, vt qui filius illius sim, nihil studij & artis prætermissi, auxiliū ferens, & periclitatus vobiscū, si quādo occasio tulisset. Et ad hæc ambo præstanda, neq; morbus,

neque

neque afflictio, neq; timor in mari, & intra hostium manus, me prohibuit. Testes autem huius rei non alios aliquos, sed vos ipsos habeo. Quare si quis contradicere volet, is nihil cunctatus exurgat. Verum non puto me mentiri. Cum autem hæc præstitissem ad annos tres, & aurea corona coronatus, & adhuc pulchrius laudatus; domum redij ad nuptias, quo & artis, & generis nostri successores producerē. Et quę quidem a ciuitate, à progenitoribus, à patre, & à me, vobis obtigerunt, hęc sunt. Dictum est autem & quę nos à vobis oblata tulimus. Arbitror autem multos e vobis admirari, qua de causa hęc à me ex tam longin quo principio repetita sunt. Quo igitur & vos cognoscatis, & mihi ea quæ cupio cōtingant: tempestiuum est vt hoc dicam. Pater meus, o viri Athenienses, & ego petimus vos (sic enim liberos & amicos loqui decet, quò id quod petunt ab amicis liberis consequantur) contra patriam nostram hostilia arma ne sumatis. Si verò oportet, quemadmodum fortassis oportet eos, qui sua ipsorum causa progressi sunt, etiā rogamus, vt ne nos, qui eiusmodi & tam magna beneficia in nos priores contulimus, seruorum loco habeatis, Insuper autem (nam & sic dicere conueniet) supplicamus, vt ne nostra faciatis vobis ipsis in bello captiua, si contigerit, vt multo inferiores superetis. Verùm & hoc considerare, q̄ fortuna aliàs alia cito versat: & aliquando magni paruis opus habuerunt: & fortes per debiles salutem adepti sunt. Puto autē clarum esse, vt ne clarissimum dicam, q̄ ob vnum virum non ciuitas, sed multę gentes iam quandoq; vtilitatem in rebus bellicis consequutæ sunt. Et vbi ars in precio est, neque nos contemnere poteritis. Nam neq; ita vtiles ac contemnendi sumus, quemadmodū in vobis testimonium situ est. Verùm ab initio quidem dei, vnde genus nostrum esse gloriamur, Aesculapius, & Hercules in hominum vtilitatem prognati sunt. Et hos propter virtutem, quam hic exercuerūt, omnes deorum loco habent. Vrbs autē mea, & ego qui ad vos verba facio, ad tales originem nostrā referimus, quemadmodum sane hominum traditiones habent. Vnde profecto etiam pro Græcis ambo hac parte, & in omni bono, ad ipsos tutandos stetisse apparebimus. Non enim fabula sunt res ad Troiam gestæ, sed facta, in quibus Cos cum insulis suis non minima, sed maxima ad ferendum auxilium existit. Sic verò etiam Aesculapij filij, non arte solum, sed etiam armis, Græcis auxilium tulerunt. Machaon equidem animam in Troade deposuit, quando, velut scriptores de his prodentes dicunt, ex equo in Priami vrbē uenit. Proinde neque eo quòd contribules, neque eo q̄ ex auxiliariorum numero, auxiliares etiam ipsi Græcis sumus, nos iniuria adfeceritis. Non in longum extendam sermonem, res Criseorum, aut Persicas iterum repetendo, quando & ipsas audiuistis, & in manibus magis sunt, quā ea quæ paulò antè relata sunt. Quin & sic cogitate, minimè pium esse benefactores iniuria adficere. Nos autem benefactores esse, facta ipsa clamant. Ex quibus patribus prognati esse videbimini (quemadmodum fabulatores dixerūt) si iniuria adficere, quā benigni esse malueritis? Neq; enim amarulentius quicquam dicere volo. Illi enim, o viri Athenienses, Heraclidis quidem gratias rependerūt: alijs autem multis, beneficio adfecti, vicissim auxiliati sunt. Deficiat profecto me dies longius narrantē, si recensere velim quot hominibus quanta bona obuenerint, qui nihil de vobis bene meriti fuerunt, Circumspicite vos ipsos, & me nullo dicente, considerate qualia perpetretis. Mala res est potestas, o viri Athenienses. Non enim quæ sua sunt, mensura disponere nouit. Sed & vrbes quasdam, & gentes iā perdidit. Si verò ad alios velut inspeculum respexeritis; videritis ipsi quæ facitis, & ego vera dico. Quin & lex noua est: quicunq; felici rerum successu confisus, non etiam ad rerum difficultates respicit: non est hoc vestrum viri Athenienses. Multum enim etiam sic deum tentaretis. Nullam vobis iniuriam intulimus. Si verò etiam intulimus: non armis, sed verbis iudicemur. Deprecamur autem vos etiam hoc, vt ne faciatis nos alijs gratiam debere, qui nobis auxilium ferent. auxilium enim nobis ferent, si recte fecerint, & qui intra Thessaliam, Argos, Lacædemona, Macedoniam, sunt reges, & sicubi alij Heraclidæ, aut Heraclidarum cognati habitant. Præstat citra violentiam, quā vi coactos facere quæ iusta sunt. Non dico de insolenti aduersum vos rebellatione: verum hoc vobis manifestum facio, quod multi nostri curam gerunt, aut certe curam habebunt, nisi vndiquaque de terra perijt, benignos adhuc esse homines. Ego quidem igitur (exiguæ enim mihi sunt ad dicendum vires, vtpotè qui aliarum rerum studio sim addictus) hic desinam. Rogo autem vos per hospites nostros, & per eos, qui nobis consiliarij esse consueuerunt, & per deos, & Heroas, ac gratias, quæ hominibus ab hominibus contingunt, vt inimicitias quidē vestras aduersum nos deponatis: ad amicitiam verò vos conuertatis. Si enim non in vestra ciuitate hæc consequemur; haud scio, quò progressi, eorum, quæ cupimus compotes fiemus.

HIPPOCRATIS COI

Liber de hominis structura, ad Perdiccam Macedonum Regem,

Nicolao Petreio Corcyræo interprete.

Opus antea non editum.

Argumentum in Librum sequentem.

In hoc libello, breui quidem, sed grauissimo, præter ea quæ de homine agit, totius anni temporum, tuendæ valetudinis, egregia præcepta perscribit.

1 *Mundus ex quibus elementis, ex ijsdem etiam constat homo. Humores quatuor, eorumque naturæ.*

2 *Arteriæ ac venæ quibus differant. Iecur. Risus vnde. Humores quatuor quid efficiant in homine.*

3 *Cerebri effectus, Reminiscentia, Obliuio, Prenesis, Lethargus, Paralysis. Cerebrum purgantia.*

4 *Capitis passiones ex stomacho. Capitis suturæ tres. Capillorum color iuxta varietatem humorum. Vocis tonus à spiritu.*

5 *Iecur tripliciter digerit. Excrementorum ratio.*

6 *Sensus in homine quinque. Homo ex quatuordecim quibusdam consistit. Fœminarum lac & menstrua.*

7 *Spinæ vertebrarum numerus, costarum item, ac dentium. Stomachi amplitudo. Intestinorum longitudo. Digitorum nomina.*

8 *Anni tempora quatuor, eorumque natura. Quæ vitæ hominis ratio singulis anni temporibus.*

9 *Venæ sectio quantopere conferat sanitati.*

10 *Medicinalis sphera.*

11 *Pituita, sanguis, ac bilis quibus anni temporibus augeantur: & quæ vitæ ratio tunc seruanda.*

12 *Annus in dies 365. colligitur.*

1 MVndus quatuor ex elementis consistit, igne, aere, terra, & aqua: calido videlicet, humido, frigido, & sicco. Iisdem ex elementis quatuor totidemque humoribus & homo cõsistit; sanguine scilicet, pituita, flaua, & atra bili. Et sanguis quidem aeri, pituita aquæ, flaua autem bilis igni, atra verò terræ similatur. Sanguis enim gustu dulcis est: pituita, salsa; flaua bilis, amara: atra vero acetosa, & flauescens. Sanguinis autem locus, & spiritus in corde est: à dextris quidem eius sanguis, à sinistris vero, spiritus consistit. Flauæ bilis in iecinore, atræ in lione: pituitæ quidem in cerebro locus. Sanguis autem calidus, & humidus; pituita frigida & humida: flaua bilis, calida & sicca: atra vero sicca & frigida.

2 Arteriæ quidem à corde purum sanguinem, & spiritum recipiunt. Venæ autem & ipsæ à corde sanguinem sumunt: per quas corpori distribuitur. Sed iecur cordi sanguinem non præter veri fidem affatim suppeditat. Nam ignis absq; materia permanere neutiquam potest. Quo fit nonnulli hominum semper quasi rideant, quidã vero tristentur: huius rei ex elementis causam esse dicimus. Qui enim puri sanguinis non inexpertes sunt, hi vsquequaq; ridet, & aspectu ac corpore floridi, necnon perspicui coloris existunt. Qui verò flauæ bilis participes sunt, desides, pusillanimes, pauidi, imbecillesq; esse solẽt. Pituitosi verò inertes, & frigidi sunt.

3 Reminisci autem, & esse prudentia præditum, ex cerebro, inter calidum, frigidumq; admodum temperato prouenit. Obliuio vero, ex cerebri frigiditate procedit. Passio autem, quæ phrenesis nuncupatur, ex perurentibus febribus fit. Vaporibus enim, ex visceribus per dorsum ad cerebrum emissis, eius humidum aresc it, & homo mente captus efficitur: & cerebrum oleo quocunq; frigidæ qualitatis per aures, vomitusq; humectare oportet. Lethargus verò & ipse cerebri passio est: cum enim cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit, hinc passio quæ Lethargus appellatur, hominem occupat: & calefacientibus cerebro opitulari expedit. Paralysis vero fit à frigido, crudoq; humore, qui à cerebro demissus in oculum, siue in aliquam labiorum partem, seu in totam dimidiamve faciem descendit. Per nares cerebrum purgãtia adhibere oportet: & extrinsecus isobrium contusum (herba est quæ & Maros, & Origanus dicitur) ignis suffitu, seu cauterijs per aures applices.

4 Quæcunq; autem passiones in capite fiunt, ex stomacho oriuntur, exempli causa: vomicæ, strumæ, dentium dolores, tõsillæ, angina, suffocationes, anhelitus difficultas, & reliqua. Caput autem suturas habet tres: inuenitur & solidum absq; suturis caput, & hoc quidem humidum est. Crispos verò capillos habere, calidioris capitis signum est. At recti crines, ex superuacuo qui in capite est humore fiunt. Flauedo capillorum, ex flaua bile; caluities verò ex caliditate prouenit. Articulatæ vocis species tres habentur: grauis, acuta, & media: hæc à spiritu procedunt.

5 Iecur autem, ipsum alimentum triplici digestione in succum redigit. Ex prima digestione cor alimenti qualitatem, saporẽ videlicet, suscipit, & puri sanguinis procreatio fit. Secundàm digestionem iecur desumit, & corporis partibus alimentum largitur: vnde flauæ bilis constitutio fit: lien verò ex sanguinis fece alitur: vnde & melancholicum humorem constitui certum est. Cerebrum autem à stomacho humectatur, & pituitæ exuberantiam peragit. Tertia digestione alimentum supernè in stomacho in succum vertitur: & tunc reseratur ianitor qui ventriculus

lus nuncupatur, quoniam tranſitus tantum facultatem ſubminiſtrat. Inde alimentum in inferiorem ventrem demittitur. Aluus verò à pituita ciborum acerbitatis gratia, oblectamentum ſentit. Humidum autem excrementum, per renes, ac ſeiunctos ipſius excrementi meatus in veſicam, ideſt, in phuſcam deſcendit: in veſicam enim aqua ingreditur.

6 Senſus in homine quinq; habētur, viſus, olfactus, auditus, guſtus, & tactus. Nam viſus ex æthere: olfactus ex aere: auditus ex igne; guſtus ex humido: tactus verò ex terra fit. Homo autem ex quatuordecim quibuſdam conſiſtit: neruis, venis, arterijs, ſanguine, ſpiritu, carne, adipe, chartilagine, vnguibus, oſſibus, medullis, capillis, membranis, humoribus. Horum autem excretiones, maribus quidem ſicco & humido excremento, vomitibus, oculis, naribus, ſputis, ſudoribus, venereis, incertis meatibus, capillis & vnguibus fiunt. Fœminis verò ad hæc duo adduntur, purgationes, lactis videlicet, & menſtruorum. Lac autem & eodem modo genitale ſemen hominis ex ſanguine gignūtur, & hoc certum eſt: ſi enim homo genitali plus nimio vtetur, ſanguinem pro ſemine emittet. Similiter autem & fœminæ, ſi plus nimio lactare cogentur, ſanguis elicitur.

7 Spina autē hominis habet vertebras xxiiij. coſtas totidem. Dentes cum maxillaribus duo ſupra xxx. ſunt anteriores autem diuidentes, qui & ſecantes appellantur. Stomachus palmos habet quinq;. Inteſtina cubitos tredecim. Nomina digitorum, Pollex, Index, Medius, Annularis, Auricularis. Vngues frigidi ſicciq́ue temperamenti ſunt.

8 Anni vero tempora quatuor habentur, ver, æſtas autumnus, & hyems. Ver, calidū & humidū eſt; ideo ſanguinis in corpore incrementū fit. Aeſtas calida & ſicca: ideo flauam auget bilem. Autumnus ſiccus & frigidus: ideo atram bilem, & ſaniem auget. ſanies quidem ſanguinea & aquoſa eſt. Hyems vero pituitā in corpore adauget. Nā quatuor hominis elementa, id eſt, humores, ad tempora quatuor diuiduntur. Ideo ſolarem conuerſionem ſpeculari, & affecti temperamentum, & ad hæc curationibus vti opus eſt.

9 Si enim verno tempore iuuenis aduerſa premetur valetudine, ſanguinis exuperantię cauſa patitur, quē per venæ ſectionem emittere opus eſt. Et ſi pleureſi vnius diei ſpatio, vel duorum ſeu trium laborauerit, venæ ſectione affectò opitulandū, priuſq; ipſum opprimat paſſio, & affecti vires deficiant. Homini verò venæ ſectio perutilis eſt: & tempus quidem quo ipſa vtendum, à Februario incipit: & rurſus à Septembri principium ſumendo, ad ſeptimam eiuſdem perdurat. Aeſtate aliquo ęgrotante, ad paſſionis purgamina adhibenda.


10 Si conſiderantes (ò Rex) & aliorum curam agentes, quid ad vitę rationē corporibus præſtet, & quod congruè alimenta ſuggerat, ac debito apponat ordini, non ſatis pro diligentia noſtra, & qui humana aggrediuntur corpora, morbos deprehenderimus, nunc accuratius perſpicientes, ſummatimq́; deſcribentes, medicinalem ſphæram ad te mittimus, per quam ægritudines, quæ humana corpora occupare ſolent, pernoſcere, & ad præſentem horam, ac decurrentis anni tempora, huiuſmodi calamitatibus opitulari queas. Si autem hæc accuratius egeris, diu citra omnem aduerſam valetudinem per omne tempus vita frueris. Et ſi hæc quæ potiſſimum optimæ valetudini tuæ vim præbeant, quæq́ue hominem generi conducant, peregeris, ita in omnibus te incolumem vitam deprehentes elegiſſe. Et quamuis arduа admodum ſphæræ ratio habeatur, eam tamen perſcriptam tibi præbemus.

11 A Vergiliarū occaſu ad hyemale ſolſtitium, dies xl. hoc eſt à xii. Nouembris, ad Decembris finem ſunt Hi quidem dies pituitam augēt. balneis autem ieiunus, ſudores excitando, detergendoq́ue, & venereis ac laboribus vteris. Ab hyemali ſolſtitio, ad vernale æquinoctium, dies lxxxiiii. à prima videlicet Ianuarij ad quintum ſupra xx. Martij. hi dies humiditatum, & ſanguinis exuberantiam peragūt: Deambulationibus, & ſiccis quæ ad victum pertinent, delicijsq́; ac venereis, beneq́; alentibus vtendum. A vernali æquinoctio, ad Vergiliarum ortum, dies ii. à xxv. Martij ad xii. Maij. hi dies ſanguinem augent: Redolenti vino, & venereis, ac laboribus vteris. A Vergiliarum autem exortu ad æſtiuum ſolſtitium, dies xlii. a tertiadecima Maij, ad xxiiii. Iunij. hi. n. dies flauæ bilis augendæ facultatem obtinent. dulcibus & aquoſis vtendum, ducendæ alui cura agenda, & à venereis, ac laboribus abſtinendum eſt. Ab æſtiuo vero ſolſtitio, ad æquinoctium autumnale, dies xciii. ab xxiiii. Iunij, ad xxv. Septembris; hi dies atram bilem augent, frigidis & aquoſis, redolenti vino, ac ſalitis vti opus eſt; a venereis vero abſtinendum cenſemus. Ab autumnali æquinoctio, ad Vergiliarū occaſum, dies iii. à xxv. Septembris ad xii. Nouembris; hi enim dies ſaniam augent. acetoſis, acerbiſq́;, & venereis, ac laboribus vti expediet. Si ad hęc obſeruanda curam, ò Rex, impenderis, citra omnem triſtitiam, doloremq́ue in reliquum vita frueris.

12 Hac ſe diuiſione ſic habente, annus in dies quinq; ac ſexaginta ſupra trecentos colligitur.

HIPPOCRATIS COI OPERVM,
quæ ad nos extant, omnium finis.

COMMENTARIA
IOAN. MARINELLI
IN LI. HIPPOCRATIS



VINCENTIAE. M D C X.

Sumptibus Francisci Leni, & Orlandi Iadra,

COMMENTARIA
IOAN. MARINELLI
IN LIB. HIPPOCRATIS,

In quibus morbi omnes, eorumque cauſæ, ſigna, ac curationes, quæ in Libris Hip. diſperſim ſcribuntur, vnà copulantur, atque tractantur.

Deinde voces, ac loca in Hip. Libris obſcura, & difficilia ex Galeni ſententia declarantur:

Poſtea ſententiæ plurimæ, quæ ab Hip. dignitate ob translationes perperam factas alienæ videntur; antiquorum auctoritate ſunt correctæ:

Præterea multa, quæ ſæpè leguntur in eiuſdem Libris, quæ à ſeipſis aliàs diſſentire videntur, ea conciliata ſunt:

Ac tandem Index omnium copioſiſſimus.



VINCENTIAE, M D C X.

Sumptibus Franciſci Lenij, & Orlandi Iadræ,
Bibliopolæ Patauini. *Cum Licentia Superiorum.*

COMMENTARIA

IOAN. MARINELLI

IN LIB. HIPPOCRATIS

VINCENTIAE, M D C X.

Sumptibus Francisci Leni, & Orlandi Ladri,

Bibliopolae Patauini. Cum Licentia Superiorum.



ILLVSTRISSIMO D. D. AENEAE PIO DE SABAVDIA, &c.

Ioannes Marinellus.

MIHI hæc Illustriß. Heros, in Hippocratis libros Commentaria scribenti illud fuit propositum, vt quamplurimis in libris tantus vir sparsim demonstrauit, in vnum collectam medendi rationem explicarem. Omnia ferè ob id legi morborum causas exponentia, notas morbos significantes, eorumque euentus præmonstrantes, curationes, curationum modos, ac instrumenta, quibus diuinissimus vir vtebatur; quò ægris corporibus sanitatem daret. sed in euoluendis doctissimis ipsius libris multa obscura, & difficillima comperiens, operæpretium me facturum esse duxi, si Galeni Hip. interpretis scientissimi expositionem apponerem, reprobaremque aliena à tanti viri doctrina, quæ quamplurima addita, & multa resecata fuerunt. Hinc est, vt à nonnullis floccipendantur, & sint, qui spurios plures libros ipsius, & illegitimos censeant, quos germanos, ac veros esse patefeci. Hæc cum pro viribus meis perfecissem; hilari animo meis his lucubrationibus varias tum rerum, tum verborum lectiones adiunxissem: quæ præsertim ab Erotiano vetustissimo verborum Hip. interprete obseruatæ fuerunt: & quæ Galen. Hip. citans memorat, interpretatur, atque explanat loca à me in vnum volumen collecta, in vulgus produxissem. sed, cum ab Erotiani scriptis antea impressis, & in marginibus librorum Gal. à peritissimis viris plurima animaduersa fuerint; consilium mutaui, promittens tamen, si viri Hippocraticæ doctrinæ sectatores sibi id conducere arbitrabuntur; me breui illis & hæc, & multa maiora in lucem daturum: nam id oneris suscepi solum, vt Medici, qui, omissis Hip. libris, animos ad medicorum huiusce nostræ ætatis scripta conuerterunt, tanquàm ad eos, qui & vberius, & clariori ordine, sed obscuriori doctrina agant, quam perquirunt methodum, & ex animo desiderant, ex nostris his laboribus habere possent. Scio tamen me liuidorum morsus minime subterfugere posse; etiamsi Hippocrate duce, auspice verò te, Illustriß. Aeneas, hæc ædiderim. Sed quid Medico cum Magnanimo Heroe? plurimum quidem. Nam prisca ætas quos comperiebat Illustres viros, ad hominum salutem tuendam, ad discordias, tumultusque sedandos populares, & ab iniurijs vendicandos aptos, & præcipuè Religioni deditos, eos sacerdotes, ac cæterorum reges appellauit: eosque in cœlis in Deorum numero repositos censuit, quemadmodum ex Heroibus Martem, & Herculem: ex Medicis Apollinem, & Aesculapium. Cum igitur vnus fueri locus vtrique conseruatori; meritò inter se hi conueniunt: quæ enim dissentiunt, ea simul habitare nequaquam possunt. itaque iure opera medica hominum generi salutem afferentia tibi Amplissimo Heroi dicari, & consecrari

debent: qui præsertim hominibus semper profueris, vt res gestæ quàmplurimæ testari possunt, quas hoc tempore omitto: nam longum esset eas recensere: cum tantæ semper fuerint & tuæ, & patris, & auorum, & totius illustrissimæ familiæ virtutes, tanta prudentia bellica, tanta in conciliandis Principum animis auctoritas, tantum in omnibus rebus consilium, vt in ducendis exercitibus nulli vnquam cesserit: vt nullus Pontifex maximus fuerit, nullus Imperator, nullusque summus Rex, cui Piorum familia chara non fuerit: vt tandem non solum ciuitates, & regiones eius imperio subiectæ, sed totius Italia consilio eius gubernatæ testentur nullum posse consilium cum Piorum familiæ consilio comparari. sed quid? ego tantas explicabo laudes? tantus est earum cumulus, vt tempus deficeret, atque scribendi facultas: ac potissimum si viros celeberrimos recensere vellem. Eo igitur, quo hoc leue munus tibi, Illustriss. Aeneas, consecrare decreui, animo vt accipias, te rogo: ab inuidis tua summa apud omnes auctoritate tuearis: & me toti tuæ familiæ deditissimum, vt soles, defendas, & ames.

COMMENTARIVS I.
IOAN. MARINELLI
IN LIBROS HIP.

De Abortv.

ABortus dicitur, vt ait Galen. in l. 6. de mor. vul. com. 1. part. fętus imperfecta quocunque modo illa facta fuerit profusio, vel, vt veteres expositores scribunt, perditio. tamen nonnulli inter abortum, & aborsum ponunt differentiā; quod aborsus ille dicendus sit, qui est in primis mensibus, cum conceptui exordium factum est: abortus, prope tempus pariendi: tunc enim moritur, quod nascitur. differt etiam abortus ab eiectione, quod hæc grandioris fætus sit, abortus intra XL. diem contingat. verū nomina omittamus, & priorem diffinitionem sequamur.

Causam abortus efficientem oriri reperimus à prę gnante, à fętu, & ab extrinsecis. si prægnans in aliqua humorū discrasia sit, si nimiū tenuis, si crassa, si leues vteri, vel alio pacto affecti, si acetabula mucore plena, si caput pituitosum, si debilis sit; facile abortit: itē si ægrotet, & corripiatur vehemēti aliquo dolore, alui profluuio, calore, febri, tensione aliqua, mensibus perseuerantibus. abortit etiā, si pharmaca assumat, si amara, acriaq; comedat, ac bibat, si tandē aliquæ manifestæ causæ, de quibus infrà agemus, superueniant.

Ex parte autem fœtus fit abortus, si debilis nimiū sit, raraq; eius compositio, complexioq; admodū humida præsertim sit: si magnus valde sit, si plures fœtus, si immobilis, vel nimium moueatur.

Porrò causæ extrinsecæ quæ abortum facere possunt, sunt circunstantia omnia, de quibus loquemur.

Verū vt ea, quę dicta sunt, comprobemus. Hip. sententias in mediū proferemus, exordiū sumendo à causis, quæ oriuntur à prægnāte. ait Hip. in 1. de mor. si mulierē fætū in vtero habentē peripneumonia corripiat, aut febris ardens, aut pleuritis, siue lateris inflāmatio, aut phrenitis, aut erysipelas, ignis sacer appellatus in vtero fiat: nā mulierē vtero gerētē capi ab aliquo morbo acuto lethale est. & l. 5. aph. 44. quęcunq; prętер naturā tenues existētes vtero gerūt, abortiūt, priusquā crassescūt. & aph. 45. quęcunq; mediocriter corpora habentes abortiunt secundo, aut tertio mēse sine manifesta occasione, acetabula uteri plena mucoris sunt, & non possunt ex pōdere fętū continere sed disrūpūtur. & l. 5. aph. 34. mulieri in vtero gerēti, si aluus plurimū profluat, periculū est, ne abortiat. in li. 7. aph. 27. scriptū est. gerenti vtero mulieri, si tētio, siue tenesmus superuenerit, facit abortum. in l. 1. de mor. mul. ait. si prægnās aqua intercute diu detenta fuerit; fętū perdit, eijcit, & cū eo aqua effundit, mulierq; plerūq; perit: sanguis. n. corrūpitur, & aquosus fit. & ait in 1. de mor. mul. nu. 40 si vteri hiarint magis, q̄ oportet sanguinē singulis mēsib. velut procedere solēt demittunt: & ♀ in vteris est, tenue, ac debile fit. si verò curetur mulier; melior, & fętus, & mulier euadit. si verò nō curetur; fętus corrūpitur. sed & ipsa periclitatur, ne diuturnū habeat morbū, si purgatio, plusquā oportet, prodeat: quia & post corruptionē periculum imminebit nimirū vteris magis apertis. & n. 41. si verò mulieri in vtero habēti caput pituitosū fuerit, & pituita acris in vētrē descēderit, & à capite in vētrē perrūpit, & febris debilis ipsā corripit, & palpitationes debiles subexolutę, augescētes, acutę: si verò ēt cibi fastidiū, & impotētia corripiat; periculū est, ne brevi fętus corrūpatur. sed & ipsa in periculū adducetur si nō curetur. vbi verò effugerit vtpote vētre fluuido existente, statim cōcludere, aut constringere oportet. multa verò ēt alia sunt pericula, in quibus fętus corrūpuntur: nā, si mulier habēs in ventre ęgrotarit, aut debilis fuerit, aut onus leuarit, aut percussa fuerit, aut saltarit aut cibū fastidierit, aut animi deliquio correpta fuerit, aut amplius, nimis nutrimētū accipiat, aut timeat, & cōsternatur, aut vociferetur, aut intēperanter viuat; fętū corrūpet: nā & cibus corruptionis causa est: & potus multus. sed & ipsi vteri naturas habēt, quib. abortū faciunt; cū sunt flatuosi, dēsi, magni parui, & alia his similia. Et n. 42. si mulier in vtero habens ventrē, aut lūbos doleat; formidare oportet, ne fætū per abortū edat pelliculis, qui ipsum continent, ruptis. sunt ēt quæ fætus corrūpunt, si acre quid, aut amarū ederint, aut biberint prætер consuetudinē, dū adhuc paruus intus est puerulus: si. n. puero quid accidat prætер cōsuetudinē, & si paruulus adhuc fuerit, moritur: & si eiusmodi edat; aut bibat, velut diximus vt necesse sit ipsi turbari ventrē, dū adhuc paruus est puer: percipiunt. n. & concitantur ipsi vteri fluxione ex vētre secedēte. & si laborarit mulier priusquā oportet, & venter ipsius concludatur, aut sit magnus; etiā sic puer corrūpitur, velut à labore calefactus, & à ventre pressus. plerūque. n. dum parui sunt, debiles sunt, quidā vero ēt magni corrūpuntur: quare mirari non oportet mulieres, ♀ inuitè corrumpant; nā custodia, & scientia multa opus est, vt in vteris gestent puerū, enutriāt, & euadant ab ipso in partu. Et l. 5. aph. 55. Quæcunq; in vtero gerentes a febribus corripiūtur, & fortiter calefiūt sine occasione manifesta; difficulter pariunt, & cū periculo, aut abortū faciētes periclitantur. & in l. 5. aph. 31. mulier vtero gerēs, sanguine missō ex vena abortit, & magis si fętus sit maior. & in l. 2. aph. 12. ait. si vero hyemes australis, & pluuiosa, & serena fuerit: ver aūt siccū, & aquilonū; mulieres, quibus partus ad ver inest, ex quacūq; occasione abortiūt, quæ verò pariēt, imbecilles, & morbidos infantes pariunt. quare vel statim intereunt, vel tenues, & valetudinarij viuū. & l. 5. aph. 34. Mulieri in vtero gerēti si aluus plurimū profluat; periculū est, ne abortiat. & aph. 43. si mulieri grauidæ ī vtero sit erysipelas; lethale, facto. n. ait Gal. ī vtero erysipelate, fętus morietur ex necessitate. & aph. 60. si mulieri vtero gerēti purgationes exeāt; impossibile est fętū esse sanū. ī l. aūt de

Coac.

Coa. prę. ſcribitur n.3. abortũ facit in vterũ geſtãtib. ſpiritus, qui cũ ſuſpirijs extra ferũtur, & colliquatio præter rõnẽ. & ibidẽ. quæ in febribus ſuſpiriosũ eſſe runt ſpiritũ, abortiunt. & in l. de na. mul. n. 30. ſi aqua in vteris gignatur; mẽſes pauciores fiũt, & deteriores & per lõgius tẽpus: & prægnãs eſt ſubinde per duos mẽſes, aut paulo amplius. cũ aũt hoc tẽpus aduenerit, & fętũ corrũpit, & aqua multa in ipſa gignitur. & in l. de Genitu. pa. 14. n. 9. ſi verò amplius cõtũdatur fætus ita, vt pellicula ipſum cõtinens rũpatur; perditur fętus. Et in l. 1. de mor. mul. pag 108. n. 98. Quæ partũ perdidit, magis laborat, quãquã peperit: nã, cũ partus perditur ſine violenti aliqua cauſa; fit, vel medicamẽto, vel cibo, vel potu, vel ſubdititijs medicamẽtis, vel aliqua alia re. & in l. 2. de mor. mul. pag. 119. n. 62. ad vteri oſculũ apponito. & ſi pinguitudo carnoſior enaſcatur; ꝙ conſumat indito, & mediocriter attenuato: quę. n. valde attenuãtur, rarę fiũt, & abortiũt. ſic Germanus vertit: ſed Caluus ait. nã vuluę nimis extenuatę abortiunt. de cauſis aũt abortus hęc à nobis ſunt dicta, quæ, ad p̃gnãtẽ, & ad extrinſeca, quę ipſi accidũt.

Verũ & fætus corrũpi, ac perdi poſſunt à ſe ipſis, vel ab extrinſecis, q̃ ipſos lædãt. à ſe ipſis; ſi genitura, ex qua cõflati ſunt, in primis, aut in alijs qualitatibus aliquid patiatur; vñ fiat nimiũ humidus fętus, vel frigidus: vel habitur admodũ rari, & tẽperaturę debilis: aut mẽbra ſint impotentia, vel debilia, vel inepta ob primas qualitates, vel imperfecta, ac mutilata: aut aliqđ mẽbrũ ægrũ ſit, vel totũ corpus: ſic. n. facile perdetur. cauſæ extrinſecę ſunt eędẽ, quę mulierẽ grauidã attingũt: nã prius ipſa ab extrinſecis lędit ur, q̃ fætus & ab eiſdẽ cauſis; fieri. n. nõ põt cõtentũ patiatur nõ læſo continente, dũ modo continẽs, & contentũ eiuſdẽ ſint naturæ: tñ eſt poſſibile, vt cõtentũ, hoc eſt, fætus, qui debilior eſt, facilius patiatur. Cũ igitur fætus ob ſuã naturã perdi poſſit; id eueniet, ſi alienũ occupet locũ, ac ꝑꝑ alias cauſas. quare Hip. in l. 1. de mor. mul. pag. 104. nu. 49. hæc ſcribit. Si verò non redeat breui fætus in ſuũ locũ; duo iam fiunt, quæ fætũ affligunt: pituita, quæ à capite deſcẽdit (grauat. n. & in ſiſtẽs frigefacit) & loci alienitas, & periclitabitur. & hæc de cauſis. Quo verò tẽpore fætus abortiant mulieres, dicamus. tẽpus hoc loco ſignificat dies, ac menſes quot sũt a cõceptione: deinde & anni tẽpora. quo ad dies ſpectat, legitur i l. 4. de mor. vul. Acheloi vxor ſexta die abortiuit. & paulo poſt. maſculũ ẽt alium ad dies viginti ſe abortiuiſſe dixit. & in eodẽ l. Tenædia abortiuit maſculũ triginta dierũ. i l. de ſepti. par. pag. 20. nu. 3 ait Hip. plurimos abortus fieri quadraginta dieb. in quarto aũt de mor. pop. Apemãti fratris vxor abortiuit fæmellã, velut dixit, ſexaginta dierũ. in l. 5. aph. 45. ſcriptũ eſt. abortiũt bimeſtres, & trimeſtres. i l. 6. de mor. vul. Torpidæ matri a Doriſco cũ abortus factus eſſet mẽſe quinto gemellorũ ex caſu, ab altero quidẽ ſtatim velut in tunica quadã liberata eſt; ab altero verò prius, aut poſterius quadraginta dieb. ſepti meſtres aũt partus quoad ſuã vidẽtus ꝑfecti, mini me verò quoad tẽs: ideoq; parũ viuaces sũt, & pluri mi pereut. Octim. aũt nr̃is regionibus pereũt. verũ de ſeptim. partu, & octimeſtri hæc ſcribit Hip. p. 20. n. 1. Plurimi ex his. ſ. ſeptimo mẽſe ędit is pereũt: cũ. n. parui ſint; trãſmutatione maiore, q̃ alij vtũtur, & quadraginta dierũ afflictionẽ ꝑferre cogũtur, ex vtero egreſſi id ꝙ ẽt ex decimeſtrib. multos peremit. sũt aũt ex ſeptimeſtrib. qui ẽt ſuꝑſtites manẽt, & multis pauciores ꝑ ꝙ rõ, & tempus, in ꝙ enutriti ſunt in vtero, vt oĩum participes ſint, quorũ ẽt ꝑfectiſſimi participes exiſtũt, maximè qui ſuperſtites manẽt, & ꝓceſſerũt de matre prius pariẽte, vtpote in 8. mẽſe ægrotaturi; ſi. n. in his laboribus ſuccedãt, vt in cõſpicuũ ꝓdeat puer: impoſſibile eſt ſuperſtitem eſſe ob affectiones, quas octimeſtres perimere dico, imo etiã multos decimeſtres. Porrò fit, vt poſt abortũ mulieres vel melius, vel peius ſe habeãt: iudicat. n. quodã modo abortus morbos, & morborũ autor ẽ. nã legit i l. 1. de mor. mul. n. 98. Eædẽ ſunt affectiones ex puerperij purgamẽtis & ei, q̃ corrupit fętũ, & ei, q̃ peperit, ſi mẽſtruũ corruperit fętũ; & quę corruperũt, magis periclitãt, corruptiones. n. graviores sũt, q̃ partus: nõ. n. fieri põt vt citra violẽtiã fętus corrũpatur aut pharmaco, aut potu, aut cibo, aut ſubdititijs medicamentis, aut aliqua alia re. violẽtia verò malũ eſt; in hmõi. n. periculũ eſt, ne vteri exulcerẽtur, aut inflãmẽtur. Et in l. de Na. mul. n. 2. aqua ĩtercus ĩ vteris maximè fit ex abortu, & ex alijs. Et in l. 2. de mor. mul. n. 1. Fluxus mulieb ris ruber fit ex febre, magis aũt ex abortu. Et in l. de Na. mul. rigor ẽt fit ex partu, vel abortu. Et in l. 4. de mor. po. n. 14. Huius vxor eiecit fęmellã ſeptimeſtrẽ ſeptima die. apparuit aũt quarta die. hãc à principio pedũ dolor tenebat. deſinẽte verò febre, ſpũs nõ ẽ ſolutus, ſed intus relictus. dolor ad manus, & brachiũ. At in l. 2. de mor. po. ſect. 2. Abortus maſculus 60. dierũ in partuũ ſuppreſſionib. ſalubris, & in l. 4. de mor. po. n. 11. Tenedia quarta die abortijt maſculũ 30. dierũ; aluus liquida, tenuia egeſſit, lingua cõbuſta fuit. iudicatio quarta die. hęc & alia narrãtur cõſequẽtia abortũ in l. Hip. ſed q̃ ſignificent futurũ abortũ facile cõprehẽdi põt ab his, quę ſupra retulimus. tñ pauca quoq; dicemus. in l. 1. de mor. mul. pag. 103. n. 40. ſi menſes prodeant ſingulis menſibus, & mulier nõ curetur; fętus corrũpitur. Sed & ipſa periclitatur, ſi purgatio plus, q̃ oportet, prodeat, vteris magis apertis & lib. 4. aph. 37. mulieri metu gerenti ſi mãmæ graciles repente fiant, abortit. & a 38. & ſi mãma dextra; marẽ: ſi ſiniſtra; fęminã. & l. 7. aph. 27. Grauidæ ſi teneſmus ſuperuenerit, abortire facit: teneſmus autem eſt cauſa, & ſignũ. At curationẽ explicemus. curatio altera eſt, quæ ab abortu præſeruat: altera quæ corruptũ expellit, ac mulieri poſtea auxiliũ fert. Vt mulier ſe præſeruet; ſcriptũ eſt in li. de ſep. par. pag. 20. nu. 6. cõceptus. & abortus, & partus mulieribus eo tẽpore, in quo etiã morbi, & ſanitas, & mors omnibus hoĩbus fiunt. hæc verò omnia partim ſecundũ dies, partim ſecundũ menſes, partim ſecundũ dierũ quadragenarios, partim ſecundũ annũ ſignificationẽ ſui præbẽt. & ſubdit. Dies maximè inſignes in pluribus ſunt primi, & ſeptimi, multũ potentes in morbis, & multũ in fętibus: nã plurimi abortus in his diebus fiunt. nominantur aũt tales effluxus, non abortus. alij verò dies intra quadrageſimũ inſignes quidẽ minus ſunt, multi verò iudicãt. Et n. 8. at verò quadragenarij primũ in fętibus iudicant: quiſquis. n. primos quadraginta dies trãſmiſerit, abortus effugit ex omni cã cõtingentes. plures aũt fiunt in primo quadragenario, quàm in alijs omnibus. hoc aũt tẽpore præterita, fętus fortiores ſunt, & ipſorũ corporis per ſingula mẽbra diſcretio fit. & in l. de aer. aq. & lo. pag. 35. nu. 7. propter aquas, q̃ durę ſunt ac crudę, ac frigidæ mulieres pariunt

riunt difficulter, & non valde aborriunt: itẽ quando boreas ſpirat, ac quando conſtitutio anni ſit frigida, & ſicca, vel hyems ſuam ſeruauerit naturam.

Corruptum porrò fętum & mortuum expellentia lege in lib. de natura mulie. & de mor. mul. fœtum autem vt retineant mulieres in hiſdem locis vide.

Abrupta.

Scribit Hip. in l. de his, quæ in offic. med. fiũt cõ. 3. par. 30. Quæcunq; fugillata, vel cõtuſa, vel abrupta, vel tumores citra inflamationẽ ex vulnere exprimũtur. ibique Gal. verbum Abrupta exponens ait. Abruptio, ſiue vulſiones, vt ſonat verbum Hip. in muſculorum fibris contingunt ita, vt dum nimis tenduntur, aliquæ ex his rumpantur.

De Abſceſſu.

At de abſceſſu nunc agendum eſt. omnis quidem abſceſſus eſt migratio, ſiue ſeparatio alicuius rei veluti qualitatũ, affectuũ, ſpiritum, humorũ carnis, oſſis, & alterius particulæ ex quopiã in quempiam locum. idque confirmatur ab Hip. in pluribus locis ac præſertim de primis qualitatibus. ſed de affectibus, vtputa de dolore legitur in l. 7. de morb. po. pag. 152. nu. 50. Abſceſſit dolor moderatus ad lateris mollitudinem. De ſpiritibus lege in li. de Flat. De humoribus ſcriptũ eſt in l. 2. præd. pag. 272. n. 14. optimi ſunt abſceſſus ſanguinolentiſſimi. De carne ait Hipp. in l. 4. de morb. po. pag. 138. n. 15. iuxta gingiuam carunculæ paruæ rotundæ abſceſſerunt. De oſſe habet ſermonẽ Hip. in l. de off me. in l. de Arti. deq; fructu. ſed in l. 6. de morb. po. pag. 144. ſect. 4. inquit. habuit alium abſceſſum, forte quod os abſceſſurum eſſet. verum hęc vberius infra enarrantur.

Porrò abſceſſuũ genus diuiditur in abſceſſum per effluxionem, & in aſceſſum per decubitũ: propterea quod quicquid in noſtro corpore è loco ad locũ mutatur; aut effluit, aut decumbit, ac conſiſtit in loco, in quẽ peruentum eſt de vtraque ſpecie mentionẽ facit Hip. ſed de abſceſſu per effluxionẽ hæc dicit in l. de morb. pop. ſect. 2. par. 41. Vnũ bonum, maximũq; inter ſigna, quæ fiebant, & quod multos à maximis periculis vindicauit, hoc fuit, quibus ad ſtrangurią diuerterent, & in hoc abſceſſus fierent. Gal. autem in com. inquit. Tenendum memoria eſt, hic quoque abſceſſus dicere in ſtrangurią factos, licet per effluxionẽ, nõ autem decubitum, de toto emanarent corpore infecti humores. in l. autẽ. 2. de morb. po. pag. 130. ſect. 1. col. 2. hęc dicit Hipp. optimi verò .ſ. abſceſſus potiſſimum ſunt inferni, & longiſſimi infra. ventem & remotiſſimi à morbo: & qui per effluxionem fiunt velut ſanguis è naribus, pus ex aure, ſputum, vrina, quæ per effluxionẽ fiunt. at abſceſſus, quibus hęc nõ fiunt, ſunt veluti dẽtes, oculi, naſus, ſudor. ſed & quę ſub cutem abſcedunt foras tubercula, velut putreſcentia, & quæ ſuppurantur, aut vlcus, aut eiuſmodi puſtulę, aut ſquammæ, aut defluuium capillorũ, viti ligines, lepræ, aut eiuſmodi, quæ abſceſſus ſunt aceruatim fluentes, & non ſemirepentes, quæcunq; alia dicta ſunt: & ſi non pro rationis excretionis morbi dignitate fiũt, velut lemini nepti ex morbo forti ad digitum decubuit: qui cum non ſufficeret ad ſuſcipiendum morbum; recurrit. mortua eſt. abſceſſus aut per venas, aut per aluum, aut per neruos, aut per cutem, aut iuxta oſſa, aut ſecundum ſpinalem medullam, aut ſecundum alias effluxiones, os, pudendum, aures, nares, ex vtero menſes. hæc Hip. ex quibus manifeſtum fit abſceſſum alterũ per effluxionem, alterũ per decubitum oriri, & quibus in particul., & per quas vias excretiones fiant. At in l. 1. ſect. 2. part. 35. confirmat abſceſſum per effluxionẽ his verbis. cum aũt diu hæc durarent, multiq; eſſent dolores, & mala colliquatio: his ſuccedebant abſceſſus, & ſubdit par. 36. Quæ hos infeſtabant, hęc erant: dyſenteriæ, teneſmi, lienteriç, & fluxiones alui nonnullos etiam aquà intercutẽ, quæ hęc habebat adiuncta, vel non habebat. Gal. verò in com. ſcribit. hoc loco vacuationes per effluxũ, abſceſſus vocat: quas ſigillatim exponit. vnde ex verbis Hip. antea citatis declaratur par. 8. eiuſdẽ 1. & com. 2. cuius ſententia eſt. ſtrangurioſę, non nephriticæ, ſed his alia pro alijs. & Galen. in com. ait. Et per ſedem excretiones fiunt prauæ ſæpies; cum liber quidem ab affectu venter ſit: per eum verò purgetur totum corpus, aut abſceſſus in illo ſit ab effluxione aliqua: nam vult Hip. non ſolũ decũbendo, ſed etiam effluẽdo fieri abſceſſum, ita eſt per renes nonnunquam & veſicã, nullo illos laborantes ſuo affectu, repurgatur totum corpus. idcirco dicit Hip. non nephriticæ, ſed his alia pro alijs: etenim totius corporis excremẽta in renes, & veſicam defluxerunt. atque ita excretiones ſunt nephriticis excretionibus affimiles conſecutæ. Et in lib. 3. com. 1. par. 4. & ſtrangurioſus factus eſt abſceſſus. Gal. verò in com. appellat etiã abſceſſus, qui excretione noxiorũ humorum ſunt facti, nedum qui decubitu: & merito quo modo in dyſenteriam alio ſic hoc loco in ſtrangoriam factos ait abſceſſus: nam mali humores, quos habent venæ, vtraque ex purgatur excretione. & ſubdit Gal. ſtrangurioſæ, non nephriticæ: ſed his alia pro alijs. ideſt pro venarũ vitioſo humore, ac febribus huic ſuccedentibus, inciderunt purgationes, per veſicam excretis vitioſis humoribus, vt nonnunquã per inteſtina. De abſceſſu verò per decubitũ loquitur & in lib. 6. de mor. popu. ſect. 3. par. 40. hoc pacto decubitus quidem, in quibus facta tollit, hæc ante facta prohibet. Gal. autem in com. dicit. vult Hip. dicere, abſceſſus in quibus morbis facti eos diſcutere queunt, ſi pręuertant, ijſdem ne fiant, impedimento ſunt quamobrem palam fit duas eſſe abſceſſum ſpecies, atque non ea ſolum, quæ in aliquam corporis partem reponuntur; ſed etiam ea, quæ expelluntur, abſceſſus nominare: nam, omittamus verba ipſius antea deſcripta ex l. 2. de morb. pop. ſect. 1. verum & in l. 6. com. 3. par. 39. inquit. Et quicunque alij abſceſſus, vt fiſtulæ. in quibus igitur ex his affectibus & fiſtulæ inſunt per eas humores ſuperuacui expurgantur. Et in lib. prog. com. 1. par. 37. Tumor, qui in ventre fatigat, minus facit abſceſſum, quam qui in illis. Et Gal. in com. tumor ſubter vmbilicũ raro in pus vertitur, propterea quod ſed frigidior eſt, & ilia calidiora. tamẽ Gal. aſſerit in lib. de med. off. par. 27. partem carnoſam cõtuſam quouſque aperta non ipſa ſit, abſcedere: idq; vitium dici abſceſſum. ſi aperiatur, vt humor, qui receptus eſt, effluat, ſinum appellari. Sed in libris Hip. tot modis dicitur abſceſſus, & tot ſunt ſpecies. ad has quoque ſpecies abſceſſuum reducas oſſium, carnis, & aliarum partium abſceſſiones.

Cæterum cauſæ, quæ ſint abſceſſuum omnium efficientes, alię manifeſtę fiunt, veluti cõtuſio carnis, & fractio oſſis: alię occultę, quę naturã abſceſſus comitan-

tantur: propterea quod qualitates primę, ſecundę, ac tertię ſi cum materia copulẽtur; efficient abſceſſum per effluxionẽ. aut per decubitum. at hi ambo nulli iunguntur morbo vel coniunguntur. ſi cum febre. exg. copulentur, aut antecedunt ipſam, aut comitantur aut ſequuntur. idẽ dicendũ eſt, ſi alijs ſe adiunxerint affectibus. qua de re vel affectus, qui hos ſequuntur abſceſſus, bonã, malã ve indicabunt criſim: vel ipſi abſceſſus, erũt decretorij, vel ſimptomatici: vel alter de altero iudicabit: ſi comites ſint. ſi natura morbum ſuperabit; neceſſariò faciet abſceſſum per effluxionẽ vel per decubitũ, cũ materia, quæ morbi cauſa eſt, ab ipſa eò redacta ſit, quo educere poſſit eà per loca congruentia: nã tẽpus nanciſcetur natura materię opportunũ, & locũ. atq; hoc pacto bona fiet criſis: viceverſa mala, ſi morbus, aut materia, aut ambo naturã ſuperabunt. at verò, vt cognoſcas, an natura victura ſit: vide, an materia, quę abſcedit, ſit morbo faciendo idonea: & an tempus, in quo fit abſceſſio, ſit tali mali materiæ opportunũ: nã quilibet humor habet determinatũ tẽpus, niſi quid prohibeat: ſui motus: ac tandẽ an locus ſit cõueniens: nec verò omittas per effluxionẽ an per decubitũ: ſcribit. n. Hip. in l. 2. de mor. pop. loco antea citato. optimi sũt potiſſimũ, inferni, & lõgiſſimi infra ventrẽ, & remotiſſimi à morbo. hęc de abſceſſibus, qui per decubitũ fiũt. de his, qui per effluxionẽ, ſubdit, & dicit. Et qui per effluxionẽ fiũt, veluti ſanguis è naribus. verũ fiant tempore congruo; inquit. n. Hip. in l. 1. de morb. pop. com. 2. par. 44. maturationes excrementorũ oẽs vndique tempeſtiuę, aut bonæ, & decretorij abſceſſus conſiderandi ſunt. ſed ad rẽ veniamus. cauſæ non manifeſtæ vniuſcuius. abſceſſus ab ipſis effectis indicãtur proprijs: ſiquidẽ omne agens naturale ſibi paſsũ aſſimilet, & illi imprimat virtutem ſuam. ſcribit aũt Hip. in l. prog. com. 1. par. 32. Accidit his in prima circuitione ſanguinis è naribus fluor, atque admodũ iuuat. Gal. verò incom. exponit primã circuitionẽ. & dicit. in pleriſque fũditur ſanguis primis ſeptẽ diebus, paucis nono, & vndecimo, rariſſimis quartodecimo. deinde ſubdit Hip. par. 33. ſanguinis fluorem in iunioribus potius quintũ & trigeſimum annũ agentibus, expectare oportet: etenim, ait Gal. ſper hãc ętatem ſanguis plurimus eſt, & facultas valẽtior, atq; etiam calor exuperãs. at ſanguinis fluxus eſt abſceſſus per effluxionẽ. deinde ſanguis eſt calidus, ętas calore referta, fitq; fluxio in primis quatuor diebus. igitur calor eſt efficiens huiuſce abſceſſus, & humor calidus, acris, biliоſusq; eſt materia: propterea cp citam efficit criſim materia huius generis à calore naturali recta. abſceſſus verò rẽtro aures, in ilijs, in articulis diuturnũ deſiderãt tẽpus, ætatẽ maiorẽ, ac pter hæc humorẽ craſſiorẽ: tamẽ & quãdoq; per decubitũ fiunt abſceſſus in primis diebus, veluti eryſipelas, & id generis, pſertim ſi materia ſit biliоſa, & ętas iuuenilis, & alia conſentiant. ſed de his plura lege in l. prog. quapropter nõ multus eſt calor agẽs, & materia craſſa eſt. cãm igitur habes tũ efficiẽtẽ, tum materialẽ. Modũ verò ex l. de Vic. ra. in mor. acut. com. 4. par. 1. accipiamus. ibiq; ſic ſcribit Hip. Cauſus. i. febris ardẽs fit, cũ venulę tempore æſtiuo exſiccatæ, acres, & biliоſas, q tenues ſint, trahũt ad ſe humiditates, quas ichoras vocãt. Gal. in com. hęc explicat. ſi quæ ad arefactas venas ferũtur humiditates, vt ſuba humidã naturã, ita & vim humectatoriã habuerint; pars naturalẽ cõmoderationẽ recipit. verũ, ſi humiditas qualitate acris, facultateq; ſiccatoria; corpus incẽditur. & ſubdit. ſi in vna quapiam corporis parte affectio ea fiat; in ea ſolum qui eryſipelas refert, affectus quiſpiam erit. verum ſi venę toties corporis ſupra modum exiccatæ calidas è carnoſis partibus humiditates traxerint, in toto capite fiet affectio quæ cauſum refert. ex quibus verbis comprehendimus quo modo fiant abſceſſus: & febrẽ oriri, vel eſſe quẽdam vniuerſalem abſceſſus venarum, vel arteriarum. ſed quonam modo vnuſquiſq; fiat abſceſſus velut is, qui circa aures, circa articulos, ilia, & alias partes; proprijs eſt inueſtigandus locis. nunc tantum de abſceſſu in genere orationem habemus.

Prętera loci, quos inuadit abſceſſus per decubitũ, ſunt corporis ſuperna pars, & inferna ſiue intra, ſiue extra, ſicut loca circa aures, fauces, collũ, ſub axillas, & articuli oẽs, hypochundria vtraque, inteſtina, pulmo, & aliæ quæcunq; partes. loca, per quæ abſceſſus per effluxionẽ habent exitum; ſunt aures, nares, os, ſedes, pudenda, venæ narium, & hæmorrho. & cutis nã per hæc abſcedunt pus, ſanguis, mucus, ſputum, ſtercora, vrinæ, ſudor, & alia. ſed de his in l. 2. de morb. pop. loco antea citato abunde locutus eſt Hip.

Et, propterea quod locus nõ eſt vnus; ſed ſupra, & infra: & intra, & extra; nec materia erit vna: vnaquæque. n. materia ſuã habet ſedẽ. &, ſi materia nõ eſt eadẽ; nec forma, nec conſequẽter virtus actiua, nec paſſiua: nec operationes. at operationes ſunt notæ, & ſigna virtutũ, quæ ex materia, & ex forma, & ex cõpoſito prouenĩũt. quot igitur erunt loca ſiue abſceſſa, ſiue abſcedẽtia; tot erunt ſigna. idcirco ſigna niſi particularia recenſenda ſunt, de quibus mentionẽ fecerimus cũ de ſingulis partibus, quæ abſceſſu teneantur, egerimus. attamẽ notas quaſdã deſcribit Hip. in l. prog. quæ explicãt futuros abſceſſus per decubitũ in partibus ſupernis, ac in infernis: qui abſceſſus indicẽt morbos antecedentes: nã dicit in l. prog. cõ. 2. par. 34. Qui tenuẽ crudamq; diutius vrinã mingũt, ſi cętera vt in conualituris indicia fuerint; in his abſceſſum ad inferas præcordiorũ ſedes expectare oportet. In l. de hu. pag. 56. nu. 3. In febribus ad articulos, & circa maxillas maxime abſceſſus fiunt, prope ſanè dolores vniuſcuiusq; ad ſupernã partẽ magis, & in totum. ſi verò lentus fuerit morbus, & deorſum tẽdens; inferne etiã abſceſſus fiunt. maxime autem pedes calidi, inferne ſignificant: frigidi, ſuperne. Gal. in com. ſcribit. Abſceſſus in febribus ad articulos, maxillasque fiunt maxime; quia popter calorẽ febris magna copia humorũ ſurſum in caput tollitur: quã poſtea inde ruentem glandulę maxillarum ſuſcipiunt: velut etiam fit, cũ è ſuperioribus partibus in inguina, & alas quidpiã deſcẽdit. Et ſubdit. ſi pedes calidi ſint; abſceſſum in partibus infernis fore indicant: quia humorũ copia deorſum comportatur, locumq; illum calore perfundit: ſi frigidi ſint; in ſupernis abſceſſum futurũ ſignificant: quod eo tempore oĩa ſurſum ad caput ferãtur, extremaq; præſertim pedes refrigerentur. quæ verò ſint partes ſupernę declarat in l. 6. de mor. pop. cũ ait. An ea quoq; quæ infra iecur ſunt, è ſupernis diſtributa ſint: ibi. n. vt inquit Gal. iecur eſſe terminum oĩum ſupernarũ, infernarũq; corporis partiũ ſtatuit: connexa. n. eius pars ſepto trãſuerſo annexa ẽt itaq; oĩa quę ſupra iecur ſita ſunt, eadẽ ẽt ſupra ſeptũ trãſuerſũ ſunt

collocata,

collocata, vt cor, pulmo, pectus, collum, & caput. cætera omnia infra in corpore esse voluit. Deinde dicit Hip. in eodem l. de hu. & eodem numero. Quibus verò ex multis se erigẽtibus statim in manibus, aut pedibus dolores fiunt; in his abscessus fiunt: propterea, q̃ vt exponit Gal. conualescentes non admodum robustas habent vires. quocirca si in laboribus versentur, ac multas. vehementesque motiones obeant; facile lęduntur, & eò magis, si humores morbum efficientes non bene sint expurgati. pręter dolorem significat etiã abscessum, si maior caliditas in particula accendatur, eiusque imbecillitas augeatur, & tanquam fiat via superuacaneis, vt abscessus pignatur. Subdit pręterea Hip. sed si qua pars ante morbum laborarit; ibi morbi sedes erit; quemadmodum etiam tussiẽtibus, & anginosis in Perintho: faciunt enim tusses abscessus, velut etiam febres. Galen. autem in com. reddit huiusce sentẽtię rationem, & ait. In omnibus morbis, qui prius prę excretione non iudicantur, in his abscessus decumbere in eas partes solent, quę prius laborarint; cum enim illę sint imbecilliores; etiam magis, ac facilius humorum copiam excipiunt. qui in Perinthia vrbe tussem, aut anginam passi erant, in his verisimile est abscessus aut in ceruice, aut in pulmone, aut etiam in pectore exortos esse; quando tales abscessus tabes faciãt, quales etiam excitari à febribus solent. Hinc ex tribus Hip. particulis descriptis vide, vt antea mox diximus, abscessus tria habere tempera; vnum quod morbos antecedit; alterum in morbis; tertium dum ęgroti conualescunt. quod etiam asserit Gal. in com. Nunc ad rem nostram redeamus. Scriptum est in lib. 2. præd. pag. 174. nu. 40. Quicunque dum neque febricitant, neque decolores sunt, sępe & verticem, & tempora dolent; si non alium manifestum habuerint abscessum in facie, aut grauiter loquãtur, aut dentes doleant; his sanguinem per nares eruppturum esse sperandum est. In lib. Prog. com. 2. par. 66. Abscessus consistunt, hi in locis infernis, quibus circa ilia inflammatio fatiget; illi in supernis, in quibus ilia molliora, & sine dolore persistunt. si verò aliquandiu spiret difficulter, sine aliqua alia occasione desinet. & Gal. in com. inquit. Quoties spirationis repente eueniens difficultas per prędictas affectiones rursus derepente desistat ita, vt & eueniat, & desinat sine euidenti causa; significat tendere humores ad caput, quemadmodum ad infernas sedes calor quidam euidens circa illa. hęc autem si molliora, ac sine dolore, humores verò tendant sursum, quod indicat spirationis difficultas; abscessum erupturum supernis sedibus expectato. In lib. de Coacis prę. & in lib. Prog. comm. 3. par. 23. Qui diutius secure ex febre continua laborant, citra dolorem, aut inflammationem, aut aliam causam; his abscessus expectandus est cum dolore, ac tumore, & magis in infernis partibus. expectare verò oportet his magis, qui trigesimum annum egressi sunt; & tunc, vbi viginti dies febris transmiserit. senioribus autem minus fiunt, & vbi multo tempore febres durant. Et infrà subdit. Capitis dolor pertinax cum febre acuta, & alio signo maligno letale est. Cęterum sine signo malo, transgrediens trigesimum diem, sanguinis, aut puris fluxum è naribus, aut abscessus ad infernas partes significat; fluxiones quidem iunioribus triginta quinque annis, senioribus verò abscessus. Si verò circa frontem, ac tempora fuerit dolor ille pertinax; fluxiones, & in l. de coa. præ. nu. 1. Vrinæ cum rigore suppressæ malæ, & cõuulsoriæ, tum aliàs, tum si quis antea graui sopore pressus fuit. Spes autem in his est abscessus retro aures fore.

Qua verò ætate, & quo anni tempore fiant abscessus, qui comitentur morbos acutos, aut iudicent, antea dictum est, & nunc exponetur. In lib. Prog. com. 3. par. 24. ait Hip. talis abscessus magis, ac minori tempore euenit natu minoribus trigesimum annum agentibus, & partic. 26. natu verò maioribus per febres longiores minus accidunt. deinde par. 27. in quo morbo sit expectandus abscessus, & inquit. Oportet talem expectari abscessum per febrem continuam; in quartanam verò discessuram, quoties intermittat, prehendatque errabilem modum; atque ita agendo, autumno propinquet. & par. 28. sicut in minoribus natu trigesimum agentibus annũ abscessus consistunt; ita quartanæ potius annũ agẽtibus quadragesimum, aut etiam senioribus accidũt. & par. 29. sciendum, vt abscessus hyeme potius accidant, ac tardius desinant, & minus retrocedunt. reddit autem rationem Gal. & ait. abscessus per hyemẽ potius accidunt: quoniã per excretionem calidi, per abscessum frigidi vacuantur humores. tardius desinunt ob circumeuntis aeris frigus, & ob crassitiem, & frigiditatẽ humor ægrius discutitur. ob eas ipsas causas minus recurrunt, siue retrocedunt; quia frigidus humor difficilius moueri potest. in l. autẽ Prog. com. 2. par 65. docet, quænam desiderentur, circunstantię, vt abscessus per decubitum fiat, & inquit. Si febris detinet, hoc est, prehendit hominem ita, ut nunquam intermittat; & dolor non desinit; nam; vt exponit Gal. in com. vbi desinat; nõ opus est abscessu quodam ad solutionem; eo q̃ morbus placidior habeatur. at subdit Hipp. & screatio non excernitur ex ratione, neque bilioſæ fuerint alijs deiectiones; neque solutiores, ac synceriores, nec vrina admodum crassa, ac plenius obtinens sedimentum: salubriter verò à cæteris partibus ministratur; his tales fore abscessus sperandum est. & Gal. in comm. dicit. Instituit Hip. scrutari de morbis euntibus ad abscessum. hi omnino sunt ex crudis, & crassis humoribus, non tamen exitiosis; tales enim vbi diutius immorantur; committunt abscessus, nisi per concoctionẽ eorum solutio præueniat. at verò indicia concoctionis erunt; si vrinæ copia excernatur, quę plenius obtineat sedimentum. vbi verò sedimentum plenius est, vrina ipsa crassior est, quàm soleat per naturam. Verùm, si memoria tenemus ea, quæ scribit Hip. in lib. 2. de mor. pop. pag. 130. sect 1. hoc in loco velle videtur, quòd vbi abscessus per effluxionem non fiat; sequatur abscessus per decubitum; nam exponens Gal. illam Hipp. particulam 44. in lib. 1. sect. 2. cuius verba sunt. Maturationes excrementorũ omnes vdique tempestiuæ, aut bonæ, & decretorij abscessus considerandi sunt. sic ait. Non modo concoctiones par erat morborum respiceret, aut facere, sed abscessus etiam ex effluxione, id quod in primis est elaborandum, aut abscessus ex decubitu in partes ignobiliores; nam alterum est hoc propositum, vbi abscessum per effluxionem assequi nequeamus. quare, si ad uentrem excrementa contendunt, his præ-

sto esse debemus cum clysterijs, qui eò attrahere possint: adeoque cum his, quæ tota in victus ratione ad hoc conferunt: sin autem ad renes; cum vrinam cientibus: si ad colum; acribus medicamentis illud calfaciendo.

Cæterùm abscessus omnis à natura si sit intelligẽte datus est, vt noxius corpori humor expellatur à partibus nobilioribus ad ignobiliora. hinc fit morbi iudicatio: scribitur. n. in lib. de coa. præ. pagin. 176. col. 3. de vtraque abscessus specie. Quibus febrire incipientibus, sanguis de naribus sternutatione contingente destillat, & vrina subsidentiam albam in quarta die habet, his in septima die solutionem significat. morbi acuti iudicantur sanguine de naribus fluente, in die iudicatorio, & sudore multo obor to, & vrina purulenta, ac vitri formam referente, prodeunte, & bonam subsidentiam habente, & aceruatim exeũte: abscessu item memorabili oboriente, & aluo mucosa, & cruenta derepente egerente, & vomitibus non prauis contingentibus circa iudicationem. singulæ quidem hæ abscessiones tempore idoneo apparẽtes, & memorabiles morbum soluũt, & non omnes simul, vt hi asserunt, qui contumelioſe afficiunt libros Pror. & coa. præ. Quando autem iudicent abscessus, declarat Hipp. in lib. 4. de Mor. pop. pag. 138. nu. 22. & inquit. Maturi in morbis abscessus an iudicent, signum est, si dum feruida sunt mala, non febricitarint: & dũ molesta sunt, facili portarint, velut quæ in sede acciderunt Charoni. hæc de abscessu per decubitum. de eo autem, qui fit per effluxionem legitur in lib 1. Aph. 2. In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis si talia purgentur, qualia purgari oportet; confert, & leuiter ferunt: sin minus, contrà. Sic & vasorum inanitio, hoc est, vt Gal. exponit, quæuis euacuatio, si talis fiat, qualis fieri debet; confert, & bene tolerãt: sin minus; contrà. imo & abscessus abscessum iudicat, & curat: dicit enim Hipp. in lib. 4. Aph. 74. Quibus speratur abscessum futurum ad articulos, liberat ab abscessu vrina multa, crassa, & alba facta, si uerò etiam ex naribus fluxerit sanguis; breui admodum solutio fit. ex quibus verbis manifestum fit abscessum per decubitum iudicari ab ascessu per effluxionem. Qui verò abscessus maxime morbum iudicent fœliciter, sunt optimi. hi autem sunt inferni, & longissimi infra ventrem, & remotissimi à morbo. sic ait Hip. in li. 62. de Mor. pop. sect. 1. de abscessibus per decubitum. hi profecto in partibus superioribus vt plurimum difficiliores sunt. causa est, quia è partibus superioribus, cum eodem affectu cõflictantur; maius periculum, quàm ab inferioribus impendet: perspicuũ enim est, si cor, aut pulmonẽ, aut cerebrum inflammatio obsideat, mortiferum morbum esse. at, si partes infra iecur sitæ inflammatione tententur; pauci admodum mori solent; nisi male eis adhibeatur curatio. idque ipse attestatur in lib. 6. de Mor. pop. sect. 1. par. 17. cum ait. Si infra vmbilicum quidem superiora constiterint in inferioribus articulis; bonum est: sin supra; haud perinde morbum discutiunt, nisi suppurauerint ædemata. Gal. autem in com. inquit. eo in loco habemus, abscessus, qui in partes infra umbilicum decumbunt, bonos esse: qui supra, non bonos; aitque malitiam ipsorum aliqua ex parte diminui, si tumores forte suppurauerint. Qui porrò morbi iudicari per abscessum consueuerint, Hip. ipse in lib. Prog. conscripsit. Et in lib. 2. prẽd. pag. 172. nu. 16. dum loquitur de sacro morbo, hęc dicit. Alij verò, qui ad infernas partes conuertuntur abscessus, boni sunt. longe verò optimi & hic sunt, qui sanguinolentissimi. Et nu. 40. eiusdem lib. Abscessus his, qui nyctalopę vocantur prosunt insuper apparentes, & ad infernas partes erumpentes. verum non valde accedunt propter iuuentutem. & in lib. Prog. com 2. par. 67. Abscessus si in cruribus erumpit in pulmonia vehementi, & periculosa, omnis vtilis est. Abscessus præterea, qui per effluxionẽ, fiunt, optimi sunt, vt ipse asserit in lib. 2. de Mor. post sect. 1. sed concocta materia, & tempore opportuno. & inter abscessus siue per effluxionem, siue per decubitum ortos mali sunt, vt in eodem loco ait Hipp. qui non pro rationis excretionis morbi dignitate fiunt, veluti si parui sint abscessus, vel locus, in quo fit abscessus: propterea quòd humor cum nõ possit locum habere amplum, vel vnde fluat, recurrit, sicut in præ dicto loco testatur Hip. de digito abscesso: vnde in lib. Prog. com. 2. par. 68. si abscessus deletur, ac retrocedit, nequaquam secreta screatione, ac febre detinente, difficilis morbus est: periculum enim delirij, mortisque imminet. & in li. de Humori. pag. 56. nu. 9. Tubercula circa aurem, quibus circa iudicationem exorta non suppurata fuerint, his disparentibus recidiua fit, & propter recidiuarum, recidiua contingente, rursus intumescunt, & permanent, quemadmodum febrium recidiuæ in simili circuitu: in his spes est ad articulos abscedere. maximi præterea refert, intro, an foras vertatur abscessus: propterea & legitur in li. Prog. com. 1. par. 40. suppuratio, quæ foras vertitur, optima est, si parua, maximeque egreditur, & in sublime resurgit. si verò magna est, & lata, minimeque in mucronem subducitur, pessima. & Gal. in com. inquit. constat, vt ex suppurationibus indulgentior habeatur, quæ foras, non intro tendit: atque ex his ipsis quæ non ampliorem prehendit sedem in latitudinem extenta. si verò in sublime efferatur coni formulam reddens, robur foras expellentis indicat facultatis: & item non magnam corrumpit sedem corporis, quod erodit. Deinde ex his, quæ intro rumpũtur, quæ optima sit, subdit Hip. par. 41. & ait. Quæcunque verò intro rumpitur, optima est, si cum exteriori sede nihil communicat: sed adducta est, nec dolet, & omnis exterior locus vni color appareret. Quis igitur sit abscessuum per decubitum, ac per effluxionem finis, quinam boni sint, & ad eorum bonitatẽ quæ desiderẽtur, diximus: item qui mali.

Quòd verò spectat ad curationem, sparsim scriptæ sunt curationes in præsenti oratione, ac præterea singuli abscessus singulas postulãt curationes; tñ pauca quędã dicemus. abscessus abscessu curatur, velut vrina multa, crassa, & alba, vel sãgius ex naribus, quẽadmodum scriptum est in lib. 4. Aph. 74. Sed abunde, copioseq; fluat, veluti explicat liber de humo. nu. 9. De abscessu ossis, carnis, atque aliarum partium hoc pacto curam agit Hip. in lib. de Med. offi. par. 25. Fasciæ, siue subligatio in causa est, vt quæ abscesserunt, attrahantur; vel quę dilatata sint, contrahantur; vel quæ contracta sunt, distrahantur; vel quę distorta sint, dirigantur; vel contraria. Gal. in com. inquit. Abscedere nunc dicit Hip. quęcunque corpore in-

re integro cum alijs partibus iungebantur. hæc cum aduersa valetudo est; vnitatem, & contactum non amplius retinent. vnitas abest omnibus fracturis, vlceribus, fissis, contusis: contactus verò abscessibus, sinibus, inflationibus, tumoribus: dilatata quę plurimum inter se recedunt. ergo consilium est, quę abscesserunt, propellere: dilatata coniungere: distorta dirigere. Et par. 27. Quæ abscesserunt, eatenus vt quæ sublimia sunt, sedem contingant: at non premant. & Gal. exponit. siue fracti ossis partes præter naturam inter se recesserint, siue quæ cõiuncta sunt inter se dehiscant, siue magnum vulnus sit; coniũgenda sunt, dum se tangant, non tamen vrgeant. Et subdit Gale. carnis pars affecta à contusione, vel alia continui solutione, quousque aperta nõ est, abscedere dicitur; quia sanguinis aliquid intra eã subsistat, idque vitium abscessus dicitur. si aperiatur, vt humor, qui receptus est exitũ habeat; sinus vocatur.

Abstinere.

In accessionibus abstinere oportet, hoc est, cibum non capere significat Gal. in l. 1. aph. 11. verùm lib. 4. aph. 17. ait Hip. Siquis febrem nõ habens abstineat à cibo. quæ verba Gal. exponens vult Abstinentiam à cibo idem significare, quod inappetentiam, & non continentiam.

Absurdum.

Scriptum est in lib. 4. aph. 52. quicunque in febribus, vel in alijs morbis sponte illachrimant, nihil absurdum: qui verò non sponte absurdius: quod verbũ Absurdum, & absurdius declarat Gal. ex mente Hip. in Prog. lachrymari. s. non est bonum signum.

De Accessione morbi.

Per accessionem, vt Gale. placet. 1. lib. 1. aph. 12. te oportet intelligere deterius tempus totius circuitus morbi, quod est à primo insultu vsque ad tempus cõsistendi: sicut reliquum tempus declinationis est melius. quare, cum deterius tempus sit accessio; in accessionibus, vt ait Hipp. comm. 1. aph. 11. obstinere oportet.

Verũ accessionũ altera est vniuersalis, altera particularis. prima dicitur accessio absoluta; secunda vocatur accessio per circuitum, de quibus Hipp. loquitur in dicto aph. his verbis. In accessionibus scilicet vniuersalibus, vt exponunt nonnulli, abstinere oportet: nam cibum dare nocuum est: sed potionem, vel tandem sorbitionem, & quibus per circutum. i. particulares fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet. confirmat accessionem vniuersalem antecedens aph. in quo scriptum est. Quibus igitur statim morbus consistit. particulares verò declarat sequens, qui ait, Accessiones verò, & constitutiones morbi indicant; siquidem Gal. Accessionum successiuas reciprocationes, siue similes proportiones intelligi velit, at, quoniam tum vniuersalis, tum particularis accessio non est momentanea, sed fit in tempore, & tempus est motus mensura, & motus mensurat magnitudinem, quæ est quãtitas continua; & hęc habet latitudinem; itaque vtraque accessio habet latitudinem, ac propterea principium, agumentum, statum, & declinationem.

Causam autẽ accessionũ si quæras; asserimus eandem esse causam totius, & partis, sed morbus est totum, & accessio est morbi pars. igitur causa accessionis est eadem, quæ morbi. cum autem causa vna sit vnius effectus causa, & non plurium, nisi per accidens; si accessionis causa sit vna; accessio erit vna, cõtinua, & ordinata: si plures; fiunt accessiones inordinatę, sed ordo dicitur secundũ prius, & posterius; & hæc duo reperiuntur in magnitudine motu, & tẽpore; quapropter inordinatio non habet prius, nec posterius; ac præter hæc nec magnitudinem ordinatam, nec motum, nec tempus. idcirco necesse est, vt accessiones inordinatæ fiant non tempore eodem, nec motu, nec latitudine eadem: propterea quòd nõ vna sit causa, sed multiplex; nã alia est efficiens morbi, alia materialis, alia præparans, alia adiuuans, alia impediens, ac denique alia remouens impediens. quamobrem accessionum fit varius implexus, dissimilitudo, inæqualitas in tempore, in magnitudine, & in motu; in tempore fit accessio inordinata, si anticipet, aut postponat; in magnitudine, si longior, vel breuior fiat; in motu, si vehemens, vel clemens sit. hinc quoque fit, quòd faciles, ac difficiles sint iudicationes, de quibus suo agemus loco.

Accessus.

Legitur in 6. de mor. vul. com. 3. particula. 26. In accessibus autem, quidam perstrepunt, &c. ubi Gal. inquit. omnes fere vocem eam accessus de congressu venereo intelligunt; quemadmodum & id. perstrepunt, de flatuoso ventris crepitu. at quod deinceps legitur, alij accessuri horrentes, rugosi, tale quidpiã significat. quidam dum venereos aggrediuntur congressus, incalescentes in horrorem incurrunt.

Acerba.

Acerba siccant, & contrahunt corpus, lib. de Aff. pag. 83. n. 49. ex his aduertant hi, qui vim tantum asserunt siccandi, humectandi, ac denique calfaciẽdi, & frigifaciendi in primis qualitatibus constare; atque duntaxat illas primas qualitates morbum adferre, atque salutem.

Acetabula.

Acetabula veri plena mucoris sunt. hæc Hip. lib. 5. aph. 45. quod verbum Galen. exponit ibi sic. acetabula sunt ora venarum, & arteriarum, quæ ferũtur ad vterum; ex his secundæ pendent. si verò huius cra mucoris plena fuerint; non possunt exponere fœtum continere, sed disrumpuntur. in libro de natura muliebri pag. 64. nu. 17. idem Hipp. ait. si acetabula pituita plena fuerint; menses quidem bene succedunt, & in ventre habet corrumpit autem fœtum vbi fortior factus fuerit; non enim retinere potest, sed abrumpitur. in primo de morb. mulie. pag. 106. n. 84. idem scribit. si acetabula pituita plena fuerint; menses sunt pauciores; &, si in ventre habuerit; corrumpit, vbi fœtus fortior factus fuerit; non enim corroboratur, sed defluit. in aph. supra cicato inquit secundo, aut tertio mense sine occasione manifesta abortiunt; tunc enim fortior est fœtus. in li. de natura mulie. vbi scribitur, Menses quidem bene succedunt, forte addendũ est verbum non, veluti videtur, approbari in primo de morb. mul. vt verò cognoscas hanc abortus causam; addit Hipp. in prædictis locis. Humida fit, & quod defluit, mucosum, & viscosum velut à ventre defertur, & non mordet, & in mensibus postquam sanguine purgari desierit, per duos, aut tres dies muci exuteris prodeunt, & horror tenet, & calor non acutus, verùm non deficit. curationem verò mucoris, ne mulier abortiat; docet ibi.

Nec tantum acetabula dicuntur ora venarum,& arteriarum:sed inquit Hipp.in lib.de locis in homine pag.31.num.13. In coxendicibus articuli duo sunt, quæ acetabula nuncupantur, & fęmora in hos inarticulata sunt.

Acetum.

Acetum quæ efficit,ea fex quoque facit,sed extra corpus ad perfundendum,& ad fomētum. Hip. pag. 55.nu.8.& in secundo de Diæta pag.47.nu.13. acetū frigefacit; quia colliquans humiditatem in corpore consumit. sistit autem magis, quàm mouet aluum; quia non alit, & acre est. quare potius lædit, quàm prosit intra corpus sumptum. atque id comprobat Hip.com.3.particula.37. de victus ratione in mor. acu.nam,cum de oximelite agat,sic inquit.si potum hunc, & quidem multum per totum morbi tempus profecturū existimaueris; paulum aceti; tātumque, vt duntaxat sentiri possit,infunde:sic enim & iuuabit,& lædēs,minimū lædet,& ea,quæ oportet,præstabit.vbi Gal. ait paulum aceti mulsę infundēdum; vt aceti vsu,& commodo fruatur, & fugiat quod ab eo est, detrimentum. quocirca dat Hip. in secun. de Morbis pag.66.nu.20.acetum album aquosum bibēdum:&, si debilis sit,ptisanam sorbēdam in cerebro corrupto. cæterùm in eodem libro de febre ardenti differens dat aquam de crassa farina in ipsa macerata bibendam, ac postea acetum album quàm odoratissimum,nō,ni fallor, impermixtum,sed aquosum. Quibus verò temperaturis conferat,dummodo conferat, recenset Hipp.lib.3. de V.ratione in mor.acu. par.38.his verbis. Vt autem in summa dicatur,quæ ab aceto est acredo,picrocholis magis,quàm melancholicis prodest: amara siquidem dissoluuntur, desciscuntque in pituitam;cum ab aceto in sublime attolluntur.nigra autem fermentantur,attolluntur,& multiplicantur: nempe atra educit acetum. itaque palam est temperamento cholerico conferre:sed neruos. ac neruosas offendit partes: subdit enim Hipp. mulieribus autem longe magis, quam viris aduersatur acetum: nam vterum dolore afficit. vnde Gal. ibi. acetum suapte natura neruos offendit: nempe exangues sunt:& ideo frigidi,facileq; ab his,quæ refrigerant simul,& tenues habent partes, afficiuntur medicamētis; deinde subsiātia aceti, quòd tenuium sit partium,in eorum mergitur profundum,atque in omnes ita irrūpit partes;vt ne minimum quidem ex eis illęsum maneat. verum verò anatomici ferè omnes neruosum esse dicunt.at in lib.de humidorū.vsu n.8.leguntur hęc verba.mollit acetum & corpus,& multos alios locos; si non odor offenderet, & maxime mulieres. vnde non odor,sed acor,vel acredo,si hunc anteacto conferamus loco, legendus est. quibus verò morbis prosit extra corpus acetum perfusum,vel per fomenta applicatum lege in li.de humidorum vsu pag.55.nu.8.

Acida.

Acida pituitosa sunt, ait Hip.li. de locis in homine pag.34.n.56. igitur acida secundum substantiam aut secundum qualitatem aut secundū effectus sunt frigida quo ad primas qualitates: quò verò ad secundas scilicet ad aciditatē, quæ orta est à calore,calida sunt:nam refert Hip.in sec. de Diæta pag.57.nu.19. Acida,& acria,& austera,& acerba,& ex toto collata, & sicca, non replent; eo quòd oscula venarum aperiunt, & expurgant, & partim siccantia,partim mordentia,humiditatem carnis horrere,& considere, & in modicam molem contrahi faciunt:atque ita vacuum multū in corpore fit.cum igitur voles à mō dicis implere, aut à pluribus euacuare; talibus vtaris. hæc confirmat idem in l.de Affectionibus pag. 83.nu.49.his verbis.acerba siccant,& contrahunt corpus;habent & uim sistendi: acida attenuant,mor sum inducentia. Et in primo de mor.mulie.ait;si acidum,aut acre quid gustarint; sputum īore liquidius erit, & insulsum.quapropter quo ad secūdas attinet qualitates,acida vim quandam habent calfactiuā, ac prętera medicamentosam.legitur enim in li. de medicamentis purg.pag.41.nu.1.finceros, & acidos cibos si quis citra delectum,ac inconsiderate exhibeat; nihil commodi perficere. aciditatem verò esse deiectoriam affirmat Gal. comm.6. aph.33. cuius uerba sunt. Qui acidum eructant,non valde morbo laterali corripiuntur: nam, ait ibi Gale. salsedo, & acritudo intestina mordens irritat ad deiectionem,in qua cōtingit non solum pituitam,sed etiam plures alias excerni superfluitates:.&, quanquam acida substantiā significant.frigidam;tamē,si insulsa,vel pontica,vel austera respicias; notatum principij caloris dant.qđ quidem rectè nos docet Galen. in com.6.aph.1. qui ait. In longis leuitaribus intestinorum si ructus acidus fiat,qui prius non erat;signum bonum. ibi dicit Gal. quæcunque à pituita ventriculum refrigerant fiunt leuitates intestinorum, semper cum ipsis. sunt acidi ructus,vt casus quidam. illis igitur, in quibus neque incipiunt cōcoqui cibi, neque ex pituita fiūt. non insunt acidi ructus. quòd si aliquando fiant, significant tantum aliquando tempus cibum in ventriculo retineri, quod principium mutationis accipiunt, & naturam suorum operum reminisci.

Acrimonia.

Acrimoniæ signū est caliditas,vt inquit Hip.6.de mor.popu. sectio.6.parti. 10. turbationes, transitus. Gal.in com.ait caliditatis esse tum causam, tū signū acrimoniæ, quæ si in corpore aut particula,quæ naturalem suum seruet statum, inesse comperiatur,dū funditur sensum sui excitat,idque est,quod ait trānsitus:eadem cum interna, ac penitiora loca petat, intusque maneat turbationē affert. hęc profecto acrimonia reperitur in humoribus, atque in his fit, qui qui sint hi: inest quoque in cibis, & medicamentis quæ quid conferant; recensęt Hip.tum in pluribus locis, tum in primo de mor. vul.pag.103.nu.34. cuius uerba sunt.si humidius fuerit os vterorum; genituram attrahere nō possunt.vtendum autem est medicamentis subditiijs acribus:commorsus enim & inflammatus stomachus,solidus,ac firmus quandoque fit, & aliquo modo accommodatur. sed,& si in callum indurati fuerint; prętstat acria apponere,quæ mordeant:quæ enim tenuia,& feruida sunt calli duriciam diffundunt. si verò mollitus fuerit callus; mollibus curato,ex his, quæ non mordent. acrimonia igitur cum fiat à calido,& calidi sit aperire;fit vt acria aperiant, ac prętera dissoluant, pungant, radant, & hęc ratione materię à calore subtiliatę: siue sint corpori adhibita, siue humores in corpore: nam ait Hip.in lib.de veteri medicina pag.5. nu.31. Quibuscunque nostrum grauedo innascitur, & fluxus

xûs per nares mouetur; hic vt plurimũ acrior eſt eo, qui prius erat, & tumeſcere facit naſum, & exurit calentem, & extreme ignitũ. ſi verò manũ admoueas, & diutius perſeuerauerit; etiam exulceratur locus minime carnoſus, & durus exiſtens, & nu. 32. quæcũ que fluxiones ad oculos vertuntur, vt fortes, & omnigenas acrimonias habẽtes, exulcerant quidem palpebras, erodunt, aliquorum genas, & ſub oculis, & partes ad quascunque tandem influxerint. rumpunt etiam, ac peredunt eam, quæ oculum ambit, tunicã. dolores autem, & ardor, & inflammatio extrema adſunt. Et n. 33. fluxiones in fauces delabentes, ex quibus raucedines fiunt, anginæ, eryſipelata, peripneumoniæ, omnes hæ primum quidem ſalſæ, & humidæ, acresque deſcendunt, & in talibus morbi firmantur. Et nu. 34. quos acuta, acriſque, ac æruginoſa bilis affligit? quales mox rabies, & morſus viſcerũ, ac pectoris, & deſperatio? in l. 3. de Dieta pag. 50. n. 12. legitur. vbi corpore calefacto purgatio acris fiat; tũc & inteſtinum raditur, ac exulceratur, & ſanguinolẽta egeruntur. hoc autem dyſenteria à mala inteſtinorum affectione appellatur: morbus grauis, & periculoſus. cæterum hos dices Hipp. lib. ſpurios, ſed legas quæſo Gal. in com. 6. aph. 3. qui ait. Difficultates inteſtinorum fiunt ex humoribus acribus, & com. 4. Aph. 24. vbi ſcriptum eſt. Difficultas inteſtinorum ſi ab a trabile incęperit, lethalis eſt. ibi ait Gal. ab illa, quæ à quibuſdã ruffa, ab alijs bilis flaua nominatur, magna ex parte incipit inteſtinorum difficultas, abraſis prius in ſumma parte propter humorũ acritudinem inteſtinis. poſtea verò exeſis, adeo q; exulcerentur. hanc inteſtinorũm difficultatẽ ſæpe ſanauimus. quæ verò ab atra bile fit, inſanabilis eſt; cum nihil differat à cancro vlcerato. idem Gal. in com. 6. Aph. 33. quibus pituita natura ſuperabundat, raro à morbo laterali corripiuntur, præſertim ſi ſalſedinẽ, atque acritudinem aliquam ſibi adiunxerit: talis. n. inteſtina mordens irritat ad deiectionem, in qua cõtingit non ſolum pituitam, ſed plures etiam excerni ſuperfluitates. hęc quidem fortè accepit Gal. ex lib. de Flatibus pag. 40. nu. 16. in quo ſcribit Hip. Pituita ipſa acribus humoribus permixta quocunq; proruperit, maxime in non conſuetos locos, eos exulcerat, quòd, ſi fauces teneras alius fluxus petiuerit; eas exaſperat, exulcerat, inflammat, adtrahuntq́ue hæ calfactæ humorem de capite. ac ſubdit nu. 17. acris cum ſit pituita carnem penetrans, exulcerat, ac perfringit venas. Et com. 4. de V. ratione in morbis acu. par. 1. ait Hip. cauſus fit, cum venulæ tempore æſtiuo exiccatæ, acres & bilioſas quæ tenues ſint, trahunt ad ſe humiditates, quas ichoras vocãt. & com. eodem par. 27. cum dolores acceſſerint; bilis atræ, fluxionumq́ue acrium deſtillationes fiunt: dolent morſa interna, morſęq́ue atque admodum arefactæ venæ intenduntur, trahuntq́ue inflammatę quæ influunt. proinde ex his habemus humorum acrium alio per ſe tales eſſe, alio per commixtionem, velut pituita, & ichores, per ſe autem ſcribit Gale. com. 6. Aph. 56. humor irritans, ac mordens ſunt ſemper flaua bilis, melancholicus verò nõ ſemper, ſed quando ſupra modum exuſtus, aut putrefactus malignam induerit acritudinem. præterea quo pacto acres cognoſcas humores, audiſti; nam acritudo malorũ humorum veſicam lædunt, ut vult Gal. in com. 3. Aph. 22. acritudo eorum facit delirium, veluti idẽ refert in 3. de mor. vul. c. 1. & alios producit effectus, quos antea retulimus, verùm acrimonia eorũ, quæ excernuntur, prouocant hæmorrhoidas ſicut recitat Gal. comm. 6. Aph. 47. mordicatio ab excrementis, quæ acria erant, ſtranguriam inducebat, vt ait Gal. in 3. de mor. vul. cap. 1. intra corpus quidẽ aſſumpta acria medica. non tolerat natura exuſta. quod fit diebus canicularibus. Vt verò infrenes humorum acrimoniam lege Hipp. in com. 4. de Victus ratione in mor. acu. qui ſcribit hæc. Si febris non habeat, alij legunt habeat, & tormina adſint; primum lactis aſinini pauxillum: deinde ſenſim, paulatimq́ue plus bibat, & lini ſemen, & triticeam polentam mixta hordeacea, & ſparſa adempto amaro faba ægyptia: vel oua ſemi cõcreta edat aſſa, & ſimilam, & milium, & chondrum ex lacte coctũ. cocta hæc, & refrigerata edat, atque his ſimilia tũ pocula, tum edulia ingerat: ſiquidẽ ait Gal. ibi in com. ſcopus his ſit partim cacochymiam expurgare, velut lacti aſinino. partim contemperare, infrenareq́ue, vt lacti, & polentæ; partim reſiccare, & partim refrigerare, quemadmodum facit lini ſemen, milium, faba ęgyptia. oua autem, ſimila, & chondrus craſſi ſunt ſucci, & boni, & humorũ acrimoniam infrenant. omnia hęc frigida exhibet propter humorum, qui affectum procreant, tũ acrimoniam, tum caliditatem. ſic extra corpus iubet Hipp. in lib. de Fract. com. 3. vlceri mitia, nõ acria eſſe adhibenda his verbis. Vlceri abunde eſt pannum inducere albo cerato inunctum, ſiue caro, ſiue neruus cadere debeat; his enim acria ſubdere non expedit; ſed mitia, non ſecus atque aduſtis.

Acutum.

Acutum hoc loco dicitur tripliciter, de morbo, de cauſa morbi, ac de ſymptomatibus. acutus nominatur morbus ab Hipp. grauis, & magnus: nam ipſe in lib. 1. de mor. vul. com. 3. ait. ſunt acutiſſimi maximi, grauiſſimi morbi, ac præ cęteris omnibus lethales in continua febre: ſiquidem plurimũ fiant morbi acuti cum febre continua: verbum Acutiſſimos ibi declarans Gal. inquit. Acutiſſimos eos dicit Hipp. morbos, qui pauco tempore decernunt; maximos, validiſſimos; grauiſſimos, qui cum periculo ſunt cõiuncti. & propterea, quando Hip. in cõm. 4. Aph. 66. ſcribit, in acutis febribus conuulſiones, videtur legẽti explicaſſe febrem acutam. i. vehementem. quod quidem verbum ſępe Hip. dicit verum pluries quoque leges ſimpliciter in acutis, & ſilentio pertranſibis morbos. Acuta dicitur cauſa bilis, ac præſertim flaua; ſcribit enim Gal. com. 4. Aph. 58. febrem ardẽtem fieri nouimus æſtiuo tempore, quando venę exſiccatę acres, ac bilioſos humores ad ſe traxerint quę verba ipſe tranſtulit ex li. 4. de Vict. ratione in mor. acu. par. 1. habetur etiam in Prog. morbos acutos proprie accendi à flaua bile. Acuta porrò ſymptomata dicuntur, veluti acuta ſitis. Nunc profecto cũ acutum ſit qualitas morbi, cauſę, & ſimptomatum, & qualitas habeat intenſionẽ, & remiſſionem; idcirco acutum ſuſcipit magis, & minus: dicitur enim ab Hipp. in plurimis locis morbus acutus, valde acutus, & acutiſſimus. ac pręterea, quoniam ſentit Hipp. idem eſſe morbum acutiſſimum maximum, grauiſſimum, atque maxime lethalem; contra ſecuriſſimus, facillimus, ac longiſſimus eſt morbus

non acutus eo ordine, quo ponitur quartana febris.

Adiectio.

Adiectio significat alimentum, aut alimentũ auctum: propterea q́ue scribit Hip. in lib.1. Aph.19. His,qui per circuitus accessionem habent, nihil dare oportet, neque cogere: sed subtrahere adiectioni ante iudicationes, & in lib.de Alimento pag.54.nu. 11.ait. Quicunque indigẽt citissima adiectione,humidum remedium ad recuperandas vires, optimum est: vbi autem adhuc citius,per odoratum. Cornarius pro Adiectione vertit appositionem.

Adolescentia.

Adolescens,vt vult Gal.in com.3 Aph.29.mediũ obtinet locum inter puberes, & illos,qui consistẽtis ætatis vigorem habent. hanc explanat sententiam in li.6.de Mor.vul.com.4.vbi scribit Hip. Cum hirceſcit, vter exterius testis apparuerit:si dexter,mas: siniſter verò,fœmina. dicit quidem Gal. cum puerilis ætas in adolescentiam transit,sicut ipsis semen,& pili in locis genitalibus erumpere incipiunt; perinde & testes subito increscunt: sicut & puellis virginibus mammæ exuberant vnà, & menses ferri incipiunt:tũc igitur & vocis mutatio in maribus fit præcipue:nam,cum prius ipsis acuta vox esset,cum perfectè in puberes euaserunt;grauior redditur: tempore autem medio velut raucam ipsi vocem edunt. Adolescentium verò ætas est omnium optima, vt Gal.placet com.3.Aph.18. tamen melius vere se habet est calida:quia,vt scribit Hip.in lib.1.de Diæta, ignis impetus aq́ue dominatur:sicca autem;quia humidum ex puero consumptum est partim in augmẽtum corporis,partim in motum ignis,partim prę laboribus,ac exercitijs. calidos esse adolescentes confirmant accidentia, quæ Hip.recensetin li.de mor. vul.com.1.vbi ait. Accidebant hæc adolescentibus, iuuenibus,adultis.& Gal.ibi. Nec prætcrit nos adolescentulos ob ætatem esse,non ob vitæ sortem calidos: vt etiam adultos, at, quamquam hæc ætas est omnium optima,dummodo recte viuant: & idcirco plurimum sanguinis humorem habent: tamen,si cibi copiam ingerant, succos progignunt copiosè crudos, & deinde ab hac ætate amarulenta subit bilis abundans, quæ crocea,ac flaua appellatur. hæc Gal. in com.3.Prog. Ex huius. humore dominante fiunt febres ardentes,& in his sanguis erumpit: siquidem bilis sanguini permixta postquam eum deussit; cum eo multum calorem ad caput subuehens, venis narium diruptis, sanguinis efficit eruptiones. & propterea ait Hip.in 1. de mor.vul.com.2. Sanguis plurimis erupit præcipue adolescentulis, & adultis: quorũ perijt maxima pars,quibus sanguis nõ erupit.

Aeger.

Aegrum sano opponitur. verùm sanus maximè est homo,vt refert Hip.in lib. de Nat. hominis pag. 18.nu.6. vbi temperamentũ inter se habuerint sanguis,pituita,& vtraque bilis moderatum tum facultate,tum copia,& vbi maximè fuerint permixta.cõtra ægrotat,cum horum quid minus,vt amplius fuerit, aut separatur in corpore, & non fuerit reliquis omnibus contemperatum; necesse est enim cũ quid horum secretum fuerit,& per se steterit; non solum eum locum, vnde seceſſit morbidum fieri:sed etiam eum,in quo stat,& in quem ob nimiam copiam diffusum est,dolore,& morbo vexari.sed nõ solum corpus ægrotat,verùm etiam mens; nam ait Hip.lib.2. Aph.6. Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, his mens ægrotat. & cum corpus ægrotet;aut totum,aut pars ægra est: quemadmodum legitur in lib.2. Aph.15. Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore; excretiones inspicere oportet; nam si biliosæ fuerint; corpus vnà ægrotat. nec solum partes totum, constituentes corpus ęgrotant;sed etiam hæ,ex quibus partes constituuntur, ac nutriuntur; siquidem scribitur in lib. de Affectio. pag.81.nu.24. vbi bilis, & pituita in venas, & aluum incubuerint; ægrotat sanguis,& corruptus secedit:ægrotat & intestinum, & raditur,& exulceratur. Cognosces profectò corpus ægrum esse; si proprias exercere non poterit actiones;partes verò similiter. de his quidem plura lege in Morbi capite.

Aequale.

Inquit Hip. in com.1. Prog. par.27. Ilia saluberrima sunt, si dolore vacant,si mollia, & ęqualia siue dextra,& siniſtra parte.vbi Gal. in com.ait. æqualia non secundum vnam qualitatem intelliguntur;fieri enim põt vt similiter mollia sint; sed aut aliqua parte dolore vacent, aliqua dolore afficiantur; aut altera pars calidior,altera frigidior; altera subleuatior, altera depressior habeatur, ac postea subdit. inæqualiter affecta esse dextra,ac siniſtra parte,quoties non tota ilia eandem habeant affectionem aut per caliditatem, aut per frigiditatem, aut per dolorem, aut per idolentiam, aut per gracilitatem, laxitatemq́ue, & intentionem.

Aequinoctium.

Hip.in li.de Aere,aquis,& locis hoc pacto de anni temporibus differit. Maxime obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libentes exhibeamus, neque uramus quæ circà ventrem,neque secemus;priusquam prætereãt dies decem,aut plures,& non pauciores. periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maxime uerò æstiuum. periculosum etiam æquinoctium vtrumque, magis autumnale.

De Aere.

Aer, ut Hip.placet in lib.de carnibus pag.18.n.1. medium tenet locum,calidũ quid,ac humidum existens. Aer quandoque reperitur in libris Hip.pro elemento. veluti in lib. supra citato: aliq̃ sumitur pro aere caliginoso, vt scribit Erotia. vetutissimus uocũ Hip.interpres,quemadmodum in lib.de aere,aquis, & locis pag.36.n.18. vbi legitur.vbi rupta est aqua, & in sublime eleuata, dum circumfertur, & ad aerẽ permiscetur, quod turbidũ est in ipsa, ac noctem refert,id excernitur,ac decedit, & fit aer, & nebula. ęr verò tenuissimum est, ac leuissimum in ipsa,hoc relinquitur,& dulcescit, dũ à sole vritur,& coquitur. hæc est Cornarij translatio.quã si quis græci sermonis parum eruditus legat; proculdubio affirmabit Hip. rebus naturalibus parum caluisse, aut hunc esse librum spurium, quare,vt sentit Erotia. & ut sonant verba,palam est,vbi scribitur fit aer,& nebula, legendum esse aerem caliginosum, ac nebulam. Hip.interpretes dicunt aerem flatum, ventum, & spiritũ,sed nõ rectè: scriptum enim in li.de Flatibus est pag.30.nu.4.spiritus, qui in corporibus sunt, flatus vocantur; qui verò intra corpora existunt, aer.

ventus

ventus, ſubdit ille, eſt ipſius aeris fluctus, & vnda, hoc eſt, cauſa eſt fluctus & vndæ. quicquid tamen ſit, ſæpe confunduntur hæc nomina ab his, qui opera Hip. latinitate donarunt: nam hoc ſermone proſequitur Cornarius. Omne, quod inter cœlum, & terram eſt, ſpiritu repletum eſt. hic hyemis, & æſtatis cauſa eſt, quia Solis, Lunæ, & aſtrorum omnium curſus per ſpiritum, procedunt; etenim ſpiritus igni nutrimentum præbet, quo ſi ignis priuaretur; viuere non poſſit. & ſolis perpetuum curſum aer perpetuus conſeruat. nec mare ſpiritus eſt exors: nō enim natantia alia viuere poſſent, niſi per aquam; & ex aqua ſpiritum attraherent. quare manifeſtū eſſe puto ſpiritum pro aere dixiſſe, ac vertiſſe interpretem. Nec mirum ſit ei, qui naturalibus operam ſuam dat Hip. ſcripſiſſe aſtrorum curſum per ſpiritum procedere; cum hæc fuerit antiquorum probabilis ſententia, quemadmodū à pluribus, qui de ſcientia aſtrologica diſputarunt, eſt ſcriptum. nec quis etiam credat Hip. ſentire ignem nutriri; propterea quòd hæc eſt ſolius animantis facultas: verùm, cum ſimplex ille aer, qui æther, ſiue ignis dicitur, à corporibus diſtrahatur cœleſtibus, ac diſringatur; non poteſt non corrumpi: quare ad generationem deperditi, & ad refrigerium eius, qui deperditur; & conſeruationem aer inferior ſe contulit: ſic & aquam ad locum aeris, & terra ad aquam ob perpetuam eorum generationem & corruptionem. ſed de aere per ſe, ac cum alijs elementis, & aſtris ſatis. nunc ad illum, qui animali inſeruit, ſermonem vertamus.

Cum aer ratione habita ad aquam, & terram ſit corpus ſubtile, & formale, & ſimplex: neceſſario animantia ipſo fruuntur ad caloris refrigerium; nā ſcribit Hip. in lib. de Flatibus pag. 39. nu. 6. Mortalibus vitæ, & ægrotis morborum ſolus is eſt autor, tantaq; omnibus ſpiritus neceſſitas extat, vt, ſiquidem omnibus alijs abſtineat homo, neque cibum ſumat, neque potum, poſſit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere. ſi verò ſpiritus viæ in corpus intercipiantur; in breui parte vnius diei interit. ac ſubijcit. Nec aliunde vnquam veriſimile eſt morbos euenire, quā inde; ſi is aut plus, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis ſordibus inquit natior in corpus ſe ingerat. quocirca aer per ſe animātibus eſt neceſſarius ad vitam conſeruandam, & non infectus ad ſalutem. at qūo id fiat, ibi declarat Hip. & in alijs libris. imo partem animalis eſſe affirmat & in lib. de natura hu. & in primo de Diæta. de aeris attractione loqtur Hip. in lib. de morbo ſacro pag. 58. num. 8. Mutus eſt homo epileptico morbo correptus, cum pituita derepente in venas delapſa aerem excluſerit, & non admiſerit neque in cerebrum, neque in venas cauas, neque in ventriculos; ſed occuparit reſpirationem: cum enim accipit homo per os, & nares ſpiritum; primum quidem ad cerebrum venit, deinde verò in ventriculum magna ex parte: pars ēt ad pulmonem, & pars ad venas. ex his verò ad reliquas partes in venas diſpergitur. & quantum eius ad ventriculum venit, perfrigerat, ac nihil aliud confert. idem præſtat & qui ad pulmonem venit. qui verò ad venas peruenit, confert ad ventriculos ingreſſus, & ad cerebrum, cæterùm & carnes aerem attrahunt: ſcribit enim Hip. in lib. 6. de Mor. vul. com. 6. carnes attractrices ex ventre, & extrinſecus. ſignificat ſenſus, quoniam expirabile, & inſpirabile. vbi Gal. ait. Trahere ad ſe ipſas carnes ex ventre inquit. i. ex ventriculo ciborum, potionumque vnde nutriuntur, ſuccum: extrinſecus verò incertum eſt, alimentum ne dicat, an aerem. & ſubdit. poteſt & aer per arterias ad cutim pertinentes ad carnes ferri ab ipſis attractus. Si igitur aer temperatus ſit; confert ad vitam conſeruandam, & ad ſalutem. temperiem poſſidet, ſi calidus ſit, & humidus nàtura propria. verùm, cum temperamentū excedat: euadit calidior, quàm opus ſit: vel frigidior, vel ſiccior, vel humidior: hasq; accipit facultates aut à corporibus continentibus, vt à corporibus cęleſtibus, & ab elementali igne: aut à contentis, quemadmodum ab aqua, & terra. ab his quidem cauſis alteratur aer: ſiquidem à calido fit æſtuoſus, ac ab eodem & ſicco fit ſquallidus, & à frigido. ab humido, & frigido fit caliginoſus, nebuloſus, atque obſcurus: nam in aere exhalationes, ac vapores non condenſantur niſi à frigore, & per accidens à calore. hæ profecto exhalationes ſi à cauſis inferioribus corruptis, ac putrefactis proficiſcuntur: inficitur aer, ac ſordibus inquinatur. idem quoque corrumpitur à corporibus cœleſtibus, ſed per accidens; ſi videlicet corpora eorum, vt placet Aſtrologis, copulentur noxio lumine, vel, vt Hip. eſt ſententia, aerem nimium alterent. atque hæ alterationes, ſiue mutationes ſunt paūlatim factæ, aut repente, & vtræque vel fortes, & vehementes, uel debiles. fortes nimirum, ac repentinę cauendę ſunt, ut vult Hip. in lib. de prȩcep. pag. 9. num. 11. & in l. de Mor. ſacro pag. 59. num. 18. nunc verò ſi aer mutetur continens corpora animalium; & ipſa alterabuntur: continens enim gerit uicem formę ratione habita ad cōtentum: nam, ſi, ait Gal. in primo de Mor. vulg. com. 3. in princip. continens nos aer immoderatius calefiat, uel frigeſcat, uel humeſcat, uel ſicceſcat, corporū ſymmetriā, quę ſanitas eſt, cōfundit, interturbat, ac corrumpit: ſi nimium ſit calidus; trahit in partem extrinſecam, ut idem affirmat in lib. 4. aph. 5. quare, ſi ualde frigidus; conſtipat, & obſtruit, & alia efficit: ſic ſi humidus, aut ſiccus, de quibus primis qualitatibus abūdè agemus: cū de Anni temporibus diſputabimus. hoc aūt dicamus aerem primis qualitatibus tantum immutari, quod uix credi poteſt, q absque aliena materia à primis alteratur facultatibus: aut tranſmutari ab his cum materia iunctis. quę inficere aerem poſſunt tot ſordium ſpeciebus, quot habent materiæ illæ. inquinatus aer ut continens inficit corpora omnia, quę complectitur: ſed hoc magis, & illud minus, quod magis uel minus aptum eſt: aptum, ac diſpoſitum dicitur corpus ab Hip. ad aliquod ſuſcipiendum; cum ſimile eſt rei, quam ſuſcipere debet: ſic enim inquit in l. de Flatibus pag. 39. nu. 8. Cōmunis febris propterea omnibus accidit, qui eūdem ſpiritum omnes adtrahunt, fitque, ut ſimili corpori ſimiles ſpiritus ſimiliter permixti ſimiles gignent febres. ſed eſt fortaſſe qui dicat, ut quid ergo non omnibus animantibus; ſed alicui eorum generi incidūt hi morbi? cui ego ſic reſpondeo. differt corpus à corpore, natura à natura, & nutrimentum à nutrimento; non enim omni animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda ſunt: ſed ſunt alia alijs magis cōuenientia. quando igitur aer huiuſ. inquinamentis plenus eſt, quibus humana natura offenditur

homi-

homines ægrotant. quando verò cuipiam animantium generi aer inconueniens est; tum morbus illud genus corripit. aer igitur infectus inficit corpora inquinata, vel ad inquinamentum apta, eaque plurima. argumento autem sit hoc. quando ab vno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore; causam ad id, quod causæ est, & quo omnes maxime vtimur, referre oportet. est autem hoc spiritus, & aer, quem inspirando trahimus. hæc Hip. in l. de natura hominis pag. 11. nu. 18. ac subdit nu. 19. palamque est aerem morbosam aliquam exhalationem habere. verùm, quamquam per omnes corporis partes aer penetret; tamen aliquis quæret locũ primum, quem aer in corpore nostro occupet. id docet Hip. in lib. de Morbo sacro pag. 59. nu. 17. his verbis. Cũ homo spiritum in seipsum attraxerit; primum ad cerebrum peruenit, & sic ad reliquũ corpus aer dispergitur, relinquens in cerebro suum ipsius vigorem, & quicquid prudens, ac sapientia præclarum est: si enim in corpus primum perueniret, & posterius in cerebrum, relicta in carnibus, ac carne dinotione, ac iudicio; ad cerebrum calidus iam existens peruenireț, & non sincerus, & purus, sed ammixto humore à carnibus, & sanguine. quocirca cerebrũ primum percipit aerem salubrem, vel contaminatum; propterea quòd, vt Hip. subdit nu. 18. morbi in ipsum irruunt acutissimi, ac maximi, ac præcipue læthales, & qui difficilem iudicationem habent apud inexpertos ab ipso non salubri aere: à sano cerebrum intelligentiæ & prudẽtię internũtius est, caliginosus enim aer humorem, ac spiritũ caliginosum in corpore humano efficit, vt videtur sentire Gal. in lib. 1. de mor. vulg. & in l. de mor. sacro nu. 8. ait Hip. Qui verò ad venas peruenit aer, confert ad ventriculos ingressus, & ad cerebrum. atque sic sapientiam, & motum membris exhibet. quare, vbi fuerit excluſus à venis præ pituita, eumque non susceperint; mutũ, & desipientem hominem reddunt. hanc fortasse secuti sũt opinionẽ nonnulli peripatetici, qui vniuersalem ponunt intellectum, aut ij, qui librum de causis compo suere: qui omnes bonitates à principe causa descendere affirmant, quæ bonitates sunt esse, intelligere, moueri, sentire, vegetari, & id generis. hasque præcipue in aere existere asserunt: siquidem aer sit nobis familiarior, magis formalis, ac purus, quàm aqua, & terra. nec vult Hip. aerem tantummodo externum motum præbere membris: sed mixtum cum innatis spiritibus esse causam motus. sed ad nostrum reuertamur institutum. cum aer nullis infectus sit alienis potentijs, qui illo fruuntur, ijs nullo erit nocumento. si verò sit mutatus lædit caput, pectus, ventremque inferiorem, ac tandem quæ partes illis inseruiunt. quos verò morbos pariat aer lege librũ de Flatibus pag. 39. vtque hos cures, præcaueasque lege li. de natura hominis pag. 11. num. 8. & 9. atque hanc curationem eandem docet Gal. in lib. 1. de mor. vulg. com. 2. particula. 7.

Æruginosum.

Scribit Gal. in com. 1. pror. par. 10. Flaua bilis cum supra modum assatur; primum quidem in æruginosum transmutatur succum, deinde in nigrum supra modum assatur propter febris magnitudinem. quapropter siue is per vomitum, siue per ventrem inferiorem, siue per sputa, siue per vrinas apparuerit; siue cum, ex quo ortum habet, & morbum calidũ, & siccum esse significat. quo autũ loco corporis præcipuo huiusmodi humor progenitus sit declarant symptomata, sicut vigilia, capitis dolor, & surditas morbum in capite esse demonstrant. caput verò cum ventriculo societatem habet. vnde fit, vt grauiter affecto cerebro, os ventris ad vomitum excitetur. quare iure Hip. in l. 3. de mor. vulg. sectio. 2. mandauit scriptis morbum Chilistę. hic cum capitis dolore prima die vomit bilioſa, pauca, flaua primum: postea verò plura æruginosa. secũda die surditas, ac parum circa meridiem insaniuit. idcirco hinc excerpta est sententia illa Hip. in Pror. loco citato. Qui in capitis doloribus æruginosos vomitus habent, vigilantque cũ surditate, cito hi vehementer insaniunt. Fit & conuulsio, vt recitat Gal. in li. 5. com. aph. 1. à tali humore vbi fortius os ventriculi mordetur veluti iuueni accidit, qui æruginem euomerat, non æruginosa: erat enim talis, qualis quæ vera ærugo nominatur, florẽtissima. verùm inter vomendum totum corpus conuulsum est, & ærugine euacuata, febris statim, & conuulsio cessauit. tale autem erat, quod euomuerat, sicut siquis optimam æruginem aqua perfunderet adeo, vt ex eorum vnione talis substantia exultaret, quæ defruti crassitudinem representaret. Vomitus autem æruginosus fit quandoque in renum doloribus post pituitosum ob dolores, & vigilias corrupto sanguine: idque maxime cum vnà febricitauerint, & inedia macerati fuerint. hęc ex Gal. sententia in lib. 6. de mor. vul. com. 1. parti. 6. significat eruginosus humor in vrinis non concoctionem, vt declarat Gal. in Pror. com. 2. part. 24. vbi legitur. rubra ex his ephantismata si retinentur, ac eruginosa mala, & ait. nunquam ex coctis vrinis epanthismata colore rubida, neque eruginosa superueniunt. In loco de Philista notato pro æruginosis quidam virulenta interpretati sunt. pro eruginoso humore vomendo aquã tepidam dedit.

De Æstate.

Aestas est anni tempus, cuius principium est, vt Hip. in l. de mor. vul. ostendit, ortus pleiadis, postquam canis ortus fructuum generationem inchoat: quam & ipsam pro secunda æstatis parte describit. post hunc Arcturus oriens finem dat æstatis, & principium autumni. ideo tres habet partes: prima naturam sapit veris, tertia autumni. sed pars secunda præsertim est calida & sicca: propterea quòd vt idẽ vult in l. de natura humana, accessus solis ad nos calefacit aerem inferiorem, qui superiori crassior est. vnde in l. de Flatibus pag. 39. num. 5. spiritus est æstatis, & hyemis causa: in hyeme est frigidus, & condensatus, ideſt, humidus: quoniam aer condensatus, & crassus est humidus: æstate mitis, & tranquillus, hoc est, nõ vẽtis agitatus; imo in æstate magnus est æstus, si venti non spirent, vt idem affirmat in lib. 3. de mor. vul. com. 3. part. 6.

Verùm æstas dupliciter reperitur; altera qualis est descripta, quę post finem veris inchoat, & autumno accedente definit, calida, & sicca. & hęc est vera, & legitima æstas. altera non vera, sed per accidens; eaque est, quę aut non datis temporibus calida & sicca se præbet; imo tempore autumnali, hyemali, vel verno calorem suum, & siccitatem ostendat; aut quę cõstitutis, à natura temporibus existit, verùm nõ calida,

da, & ſicca: ſed potius qualitates veris, autumni, aut hyemis exercet. cum vera ſit æſtas; proprij morbi fiunt: cum autem non vera; affectiones alieni temporis accedunt. quando igitur in æſtate, & alijs anni temporibus tempeſtiuè tempeſtiua reddantur, hoc eſt, cum tempus anni propriam habet tẽperaturam; morbi conſtantes, vt ait Hip. in lib. 3. prog. 8. & boni iudicij fiunt. &, quoniam, vt dictum eſt ex Hip. ſententia, æſtas natura eſt calida & ſicca; ei proportione correſpondet ignis inter elementa, ex mixtis vegetabilibus; ac animalibus cibi, qui ſuccos in homine efficiunt, ac reddunt calidos & ſiccos: inter ſexus mas, inter ætates iuuenes, inter habitus hirſuti, minime carnoſi, inter humores bilis, inter membra ac partes corporis hæ, quæ bile flaua fruuntur, & illam detinent, ac maximè ſuperiores: inter facultates hæ, quæ celeritates præſtant ſpirituum, & actionum: idcirco, quemadmodum iuuentus eſt quolibet anni tempore iuuentus; ſic ex humnribus bilis flaua ſemper eſt in corpore talis. tamen modum excedit, cum ſit copulata cum ſuo ſimili: ſimile enim auget ſimile: quare æſtate, quæ cum ea conuenit, copia, & viribus euadit maior. Sed dices, quid deinde fit? ait Hip. in lib. de Affectionibus pag. 81. num. 17. cum corpus à ſole fuerit calefactum; humectatur. humectatum autem ægrotat aut totum aut ea parte, in quam pituita, & bilis incubuerint, ſed maxime bilis: nam legitur in lib. de Natura hu. pag. 11. num. 14. Bilis per æſtatem, & autumnum corpus poſſidet. id quod inde cognoſcere potes, quòd homines ſua ſponte hoc tempore bilem vomunt, & in medicamentorum potionibus biliоſiora purgantur. manifeſtum fit & febribus, & hominum caloribus: ſi quidem cauſus fit, & tertianæ plurimę, vt ipſe ſcribit in lib. 3. prog. 21. continuę, vomitus, alui profluuia, lippitudines oculorum, aurium dolores, oris vlcerationes, genitalium putredines, & ſudamina: & hęc in medio æſtatis circa initia verò nonnulli fiunt ex vernis morbis & circa finem ex autumnalibus. quoniam vtraque æſtatis extrema naturam antecedentium, & ſequentium temporum ſapiunt. hęc, & alia mala ex bile ortum habentia fiunt tempore æſtiuo imo morbi biliоſi æſtate fiunt vehementiores, veluti vlcera peiora tunc fiunt; quia proſerpunt. ſed & citius deſinunt ægritudines ob humoris acumen, fiunt & æſtate diſſenterię, &, vt ait Hip. in lib. de natura hominis, ſanguis exnaribus ipſis fluit, & calidiſſimi ſunt, ac ruberrimi. ſed dolorem, & calorem corpori accedit, ſi à plenitudine venę premũtur: æſtate quidem citius, hyeme verò poſterius: æſtate enim calidus eſt aer ambiens, & calidiorem corpus in ſe ipſum trahit. & ſi calido adhuc exiſtente ventriculo, calidior, quàm opportunus eſt, ſpiritus homini accedat: nihil miri eſt hominem ex tali febrire. hęc Hip. in lib. 4. de morbis pag. 76. nu. 17. &, quoniam æſtate eſt exiguus calor innatus, maximus quidem hyeme & vere; tum ſani, tum ægri æſtate, & autumno cibos difficillime ferũt, hyeme verò facillimè, vt legitur in lib. 1. aph. 18. adde, quòd, cum flaua abundet bilis; deſtruit comedendi appetitum, & bibendi auget. verùm, vt morbos caueas æſtiuos; in eius princ. vt vult Gal. in l. quos purgare oportet, purgari debent flauę bilis morbi: propterea quòd æſtate, vt idem refert li. 4. aph. 5. purgationes ſunt moleſtæ; nam natura tunc exuſta non fert acritudinem medicamentorum; & multi eo tempore purgati incidunt in febres, & diſſoluuntur. &, ſi æſtate purgandi eſſent; oportet, vt ſcribit Hip. lib. 4. aph. 4. medicari æſtate ſuperiores magis, hyeme verò inferiores. ſed ſub Cane, & ante canem difficiles ſunt medicationes; tunc enim eſt maxima æſtas. & aph. 7. vomentes difficulter, & mediocriter bene carnoſos, per inferiora, cauentes æſtatem. At naturarum ait Hip. in l. 3. aph. 2. hę quidem ad æſtatem, hę verò ad hyemem bene, maleve ſe habent. frigidę autem, vt exponit ibi Gal. & humidę bene ſe habent. & Hip. lib. 3. aph. 18. vere, & prima æſtate pueri, & qui hos ſequuntur ętate, optime degunt, & ſani ſunt maxime: æſtate verò & autumno uſque ad aliquid ſenes. contrà male afficiuntur calidę, & ſiccę naturę: augetur enim calor, & ſiccitas in huiuſmodi corporibus.

Quibus autem alimentis vti debeat homo temporibus æſtiuis docet Hip. in lib. de Salubri diæta parti. 3. & 4. his verbis. Dum æſtatem homo attigerit; tum cibis omnibus vtendum mollibus, obſonijs elixis, oleribus crudis & elixis, maza molli, poculis multò dilutiſſimis, & plurimis, & vti, ne magna mutatio ſit ſubito vtenti: tunc enim tempeſtas calida eſt & ſicca, corporaq; reddit aduſta & ſqualida: vnde frigida & mollia efficies ęgris verò, vt Gal. placet com. 1. aph. 17. ſæpius pauca danda ſunt: quoniam & pluri egent adiectione, vt qui ſunt diſſoluti, & vires habeant imbecilles. & hæc de vera æſtate ac naturali.

Si verò temporibus æſtiuis conſtitutio non fuerit calida, & ſicca; ſed alio tempori fuerit ſimilis, nõ vera erit æſtas: vnde & morbi æſtiui non fient. verùm ſi veri ſimilis fuerit; ſudores in febribus, Hip. lib. 3. aph 6. multos expectare oportet: nam, vt ait ibi Gal. æſtas ſimilis veri ob caliditatem quiddam trahit ad cutim, ob humiditatem non poteſt per modũ vaporis reſoluere. tota igitur humiditas in morborum iudicijs expulſa ſudores facit. ſi autem æſtas, veluti li. 3. aph. 13. & l. de aere, aquis, & locis, ſicca ſit, & borealis, ſequẽs verò autumnus pluuioſus, & auſtralis; capitis dolnres ad hyemem expectare conuenit, & cerebri corruptiones, ampliuſque raucedines, grauedines, & tuſſes, aliquibus etiam tabes. ſi verò pluuioſa ſit, & auſtralis, ſimilisque ſequatur autumnus; neceſſe eſt hyemem morbidam eſſe: & his, qui pituita abundant, & qui trigeſimum annum exceſſerunt, febres ardentes fieri veriſimile eſt: qui verò bile abundant coſtarum inflammationes, & pulmonis, pleuritidas, ac peripneumonias dictas.

Aeſtus.

Ab æſtibus fortibus conuulſio, aut diſtentio malum. hic eſt aph. 13. l. 7. vbi Gal. ait. quidam pro æſtibus febrem intellexerunt, alij ambientis feruorem, alij pro cauterijs, & eſcharis. & omnes verũ dicunt. ſed in l. 4. aph. 65. in quo ſcribitur, In febribus circa ventriculum & fortis æſtus, & cordis morſus malũ, æſtus ſignificat ebullitionem quæ fit à flaua bile. in l. 2. pror. par. 31. laterum æſtus cum dolore, & rigor ſuperueniens, malus: quoniam, vt exponit Gal. ſignum eſt phlegmones, quæ partem eam infeſtet, ob quam febricitauit. ſi verò rigor etiam ipſis ſuper venerit; ſuppuraturam expecta phlegmonem. in eodem l. 2. par. 7. Quibus lumborum dolor diu perſeuerans.

seuerans cum æstu fastidioso fit, si sudent; malum. & par. 32. æstuosi rigores quadantenus pernitiosi: significat enim, vt vult Galen. difficilem & grauem affectionem. in lib. de salubri diæta legitur. Vitandus est æstus, hoc est, ardens calor; quoniam homo imbecillis euadit. itaque æstuantibus dat Gal. portulaca in l. 6. de simp. med. fa. & vinum dilutum refrigeratum in l. de bo. & vi. suc.

De Ætate.

Ætates, vt accepimus ab Hip. varijs in locis, sunt quinque: nempe pueritia, adolescentia, inuentus, virilitas, siue ætas cõsistens, & senectus. & vnaquęque tres habet partes, principium scilicet, medium, & finem. & quoniam earum cognitio ad rem medicam plurimum confert; ideo de ea pauca scribemus. data igitur diuisio habetur ab Hip. ex lib. 3. aph. quam fecit secundum quòd à varijs capitur homo ægritudinibus. diuiduntur etiam ætates prout rationem habent ad qualitates, ad elementa, temperamenta, humores, & anni tempora: nam, vt ait Gal. in com. de salubri diæta par. 7. sicut temperamenta sunt quatuor; sic dissecemus ætates in quatuor: in humidam, & calidam, quam puerorum statuimus; siccam, & calidam adultorum: siccam, & humidam eorum, qui ætate inclinata sunt: humidam, & frigidam senum. &, quia vita animalium per calidum, & humidum stat; pueritia igitur, quæ est huius. est maxime viuida sed huic ætati cum data sit auctio; plurima inest humiditas & caliditas: quapropter vult Gal. puerorum ætatem, & adhuc magis adolescentium esse optimam: secundo loco iuuenum, tertio consistentium. ætas autē puerilis cum sit calida, & humida in qualitatibus correspondet aeri quo ad elementa, sanguini quo ad humores, veri quo ad anni tempora. quare optima puerorum temperies vere conseruabitur, &, vt scribit Hip. lib. 3. aph. 18. Vere, & prima æstate pueri, & qui hos sequuntur ætate, hoc est, adolescentes optime degunt, & sani sunt maxime. vbi Galen. inquit. adolescentes vere, pueri æstatis principio optime degunt. & ratio est, quia summa pueri humiditas ad temperamentum reducitur ab aliqua æstatis caliditate. ob eandem quoque rationem pueri sanguine abundant, qui in dies magis coquitur, & siccescit à calore, & ab extrinsecis. & viget vsque ad trigesimum quintum annum. itaque ait Hip. in com. 1. prog. par. 33. sanguinis fluorem in iunioribus potius quintum, & trigesimum annum agentibus, expectare oportet. sanguis porrò calefactus diu, & exiccatus fit bilis flaua. de principio autem pueritiæ, siue de infantia agit Hip. lib. 3. aph. 24. docens morbos, qui illi tempori accidunt: de medio ibi quoque aph. 25. & ait, in progressu cum iam dentire incipiunt: exponit mala secundæ partis pueritiæ: & aph. 26. vbi legitur, cum verò iam magis adoleuerint. quæ ætas vsque ad duodecimum, & tertium decimum annum progreditur. hic est finis pueritiæ. sic de alijs ętatibus prosequitur, ac proprios recensetmorbos. quocirca ex dictis palam est ex ętatibus temperamenta, humores, & morbos cognosci, ac tempora illis congruentia. verùm de ętate vnaquaque suis agetur locis. in genere autem hoc scito in cibo ęgris offerendo ętatem summopere considerandam esse, in purgando per pharmaca, vel per sang. missionem, in pręsagiendo, in dignoscendis ęgritudinibus, in excretionibus, atque in morbis indicandis: nam indicat febres, & morbos Gal. com. 1. aph. 12. indicat bonas excretiones com. 4. aph. 47. confert morbis dignoscendis, com. 4. aph. 2. ad pręsagiendum multum facit, vt patet in l. 1. de mor. vul. com. 3. par. 85. ad sanguinem mittendum vt vult Hip. in lib. de Vict. rat. in morb. acu. com. 4. par. 19. in cibo offerendo, sicut placet Gal. in lib. prędicto. com. 1. par. 45.

Aether.

Videtur mihi id, quod calidum vocamus, immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum pręsentia, tum futura. huius plurima pars, cum turbata essent omnia; in supernam circunferentiam receſſit. & videntur mihi ipsum veteres ęthera nominasse. hęc in lib. de carnibus pag. 18. num. 1. legitur etiam apud Arist. primo cœ. tex. com. 22. æthera antiqui appellauerunt supremum locum à currere semper, sempiterno tempore ponentes ipsi denominationem. sic scriptum est, à Platone in Cratilo. is asserit gręcos deos appellare theus à thera: quod est currere: quia solem, astra, lunam, & cęlum deos esse arbitrabantur, quæ sunt in perpetuo cursu, seu motu. ideoque ab Hip. ille dicitur locus immortalis, & cuncta intelligit eo modo, quo recipit à causis superis actum intelligendi. videt, & audit modo superiori, hoc est, per metaphoram ad inferiora. scit pręsentia & futura; quoniam tempus per motum corporum superiorum à nobis cognitum ibi patefit. verùm ęthera nominat Hip. & aerem; siquidem in l. 6. de mor. vul. com. 4. par. 19. hęc dicat. Aquarum arte carentium, quę ab ęthere excreta est, aut cum tonitru, opportuna; procellosa verò mala. & Gal. ibi. veteres Gręci cœlum nos ambiens exquisite purum, ęthera; caliginosum verò, aut nubibus opacum, aerem vocare consueuerunt. hac eadem igitur ratione & locum supra nubes ęthera nominant.

Agnus.

Agninę carnes leuiores sunt ouillis, & hœdinæ caprinis; quia exanguiores sunt, & humidiores. pag. 46. num. 9. item pelles agninę calidę ad menses ciendos idoneę. pag. 23. num. 24.

Albedo.

Albedo dicitur de deiectionibus, fluxu muliebri, de lingua, de muliere, de pituita, ac de vrinis hęc quidem omnia sunt humida, & humiditas non suscipit caliditatē nisi remissam. quocirca quibus hęc inest, significat aut debilem caliditatem, aut frigiditatem. Hipp. autem in 1. pror. com. 1. ait. Phreniticis alba deiectio mala, vt Archeorati. an & in his veternus fiat? vnde Gal. quo modo plerique alij medici deiectiones in morbo regio albas fieri dixerūt, ita & nūc in phreniticis, quasi eas prorsus flaua carere bile dixerit. hęc ascendit cum sanguine ad caput, & cerebrum lędit. Et in 3. pror. com. 3. par. 25. albę deiectiones difficiles; quoniam, vt ibi ait Gal. non defluit ex hepate in ventrem bilis. De fluxu muliebri scribit Hip. in l. 2. de mor. mul. pag. 112. nu 1. fluxus albus in senioribus mulieribus magis fit, quàm in iunioribus. ac subdit nu. 4. de alba muliere loquens. Muliere, quę superalbidę sunt, humidiores sunt, ac fluuidiores. de lingua ait Hip. lib. 6. de mor. vul. sect. 5. pag. 145. linguę albę à pituita scilicet tinguntur. de alba pituita idem scribit in li. 7. aph. 29. sic. qui alba

pituita

pituita detinetur, si fortis ventris fluxus superuenerit; à morbo liberatur. hæc, vt refert ibi Gal. est quædam aquæ intercutis species. De albis vrinis ipse locutus est in l. 4. aph. 72. hoc modo Quibus vrinæ albæ, & perspicuæ, malæ, præsertim si in delirantibus appareant. vbi Gal. inquit. Vrinæ tales extremam cruditatem significant. quare & morbos longos faciunt. quædam verò ex ipsis cum anticipauerint vires dissoluere, sunt pernicioſæ velut in delirijs. tamē si crassa sit & alba, qualis, vt fertur in lib. 6. de mor. vul. sect. 4. Archigenis familiari erat, in lassitudinis febribus quarta die aliquando prodit, & liberat ab absceſſu.

De Algore.

Sin algor quoque prehendit, & inferiores in ilis partes frigidæ fuerint; adhuc citius vomitio aderit. hæc in com. 3. prog. par. 30. vbi Hipp. de spontanea loquitur vomitio. Galen. exponit Algorem pro rigore: tamen Hip. in lib. 1. de mor. vul. com. 3. par. 1. inquit. sudor, rigor, algor: & Gal. in com. ait. Quòd algoris nunc facit mentionem, animaduertendum est, num vniuersi corporis frigus, vt profunditas inardeat, interpretandum sit, an partium extremarum: an potius sit de omnibus illum his arbitrandum dicere: siquidem aliud, quod est initio accessionis significat frigus: aliud in remissione: sicut sanè si per totam commoretur accessionem. quod quidem haud bonum est signum: sic si tali frigore interiora perpetuo ferueant. verùm, cum algor frigus denotet; ab algore etiam fit congelatio quandoque.

Alimentum.

Alimentum est duplex, spiritus. s. & humidum & siccum, & id triplex, cibus, potio, & sorbitio: de quibus loquuti sumus in cap. de Cibo, & de Nutri.

De alopecia.

Alopecia, lepra, pruritus, scabies, impetigines, & vitiligo à pituita fiunt. sunt autem talia turpitudo magis, quàm morbi. quo verò hæc depurges; pharmacis sic vtendum est. quicunque biliosi sunt his data ea, quæ bilem purgant: pituitosis quæ pituitam, atrabiliarijs quæ atram bilem, hydropicis quę aquam euacuant. li. de affectio. pag. 82. num. 35.

Alteratio.

Alteratio à philosophis dicitur motus qualitatis, quæ est in subiecto. & hic motus est duplex, simplex. s. & aliqua ex parte. simplex alteratio fit, quando de contrario in contrarium vertitur qualitas, vt de albo in nigrum, de calido in frigidum. at aliqua ex parte, siue secundū partem verò fit alteratio, cum de albo fit guippiam albius: quoniam in albo remisso pars ipsius nigritię confusa est. verùm in pręsenti Hip. translatione sæpe legimus alterationē pro corruptione, augmentatione, vel alia mutatione: scribitur enim in lib. 1. de Diæta pag. 42. nu. 5. nullum omnino corpus perit, neque fit, quod prius non erat: verùm permixta, & discreta alterantur. quare, vt dicūt philoso. largo modo alteratio hoc legitur loco: sed fortè strictius, ac proprius in l. de Articulis pag. 196. nu. 27. in quo sunt hæc verba. Maxillæ luxatæ nisi reponantur; animę periculum imminet præ febribus continuis, & torpido sopore; soporiferi enim hi musculi sunt, & dum alterantur, & dum intēdun tur præter naturam. in li. 1. de Dięta pag. 43. nu. 23. scriptum est. Anima semper similis & in maiore, & in minore: non enim alteratur neque per naturam, neque per necessitatem. corpus autē nunquam idem in vllo aliquo est neque secundum naturam, neque ex necessitate: propterea quòd partim secernatur in omnia, partim permisceatur ad omnia. hic aduertendum est hoc in loco æquiuoce de alteratione loqui.

Aluus.

Aluus turbata, aluus liquida, aluus intercepta, male affecta, alui excrementa, alui profluuium, aluus humida, & id generis affectiones legantur in Vētre.

Amaritudo.

Amaritudo propriè dicitur de sapore, & hic est obiectum gustus, cuius subiectum est lingua. hanc nominat Hip. in lib. 4. aph. 17. oris amaritudinem sentit, ac in pluribus alijs locis. improprie autem significat aut dolorem, aut flauam bilem, quæ amara est; legitur enim in libro de Coacis prænotionibus pag. 175. col. 4. Quibus biliosa est alui egestio, his circa pectus morsus, & amaritudo, malum est.

Ambidextera.

Mulier ambidextera non fit, hoc est, quæ ambabus manibus vtatur pro dextris. lib. 7. aph. 44. vbi Galen. homines, qui ambabus manibus pro dextris vtūtur, sæpius visi sunt; mulier verò nulla ad hunc vsq; diem ob naturæ imbecillitatem.

Ambulatio.

Ambulationem, & deambulationem sæpe leges in libris Hip. pro exercitatione corporis, quę ambulando fit. de hac vide suo loco.

Ambustiones.

Ambustiones in pedibus rubicundę quandoque exolutionem significant. in li. de coacis pręno. pag. 175. num. 1. Docet verò Hip. in li. de Vlceribus plura medicamenta ad ambusta vtilia. num. 14.

Amygdalæ.

Amygdalę ęstuosę sunt, verùm probe nutriunt. in lib. 2. de Diæta. pag. 47. num. 15.

Anas.

Anatis carnes, & reliquarum auicularum, quę in paludibus degunt, aut in aquis, omnes humidę sunt. in lib. 2. de Dię. pag. 46. 10.

Anethum.

Anethum calidum est, & aluum sistit, & sternutamenta sedat olfactu. 47. num. 14.

De Angina.

Anginę nō vna est species, sed tres, vt refert Hip. in lib. prog com. 3. par. 16. vbi sic scribit. angina grauissima est, & celerrimè interimit, quęcunque nec in ceruice, hoc est, collo, neque in faucibus conspicuum aliquid efficit; plurimum verò doloris infert, ac spirationis difficultatem, orthopneā dictam; hęc enim eodem die, & secundo, & 3. & 4. strangulat. deinde subdit de secunda specie loquens. quęcunque verò dolorem alteri subsimilem infert, attollitur verò, ac ruborem in faucibus efficit, admodum exitiosa, sed paulo longior, quàm superior est. tertiò de tertia specie loquitur subdens. si quibus fauces rubent, & ceruix; hęc diuturnior est, maxime verò ex ea seruantur, si ceruix, & pectus traxit ruborē, nec facer ignis intro recurrat. si verò nec diebus decretorijs deleatur rubor, neque tuberculo inanito in sede exteriori pus non facile excreeet, ac videatur sine dolore agere; mortem indicat, aut recidiuam ruboris. securissimum

mum verò eſt,ſi rubor quàm maxime foras vertatur. quapropter,vt Gal.in com.ait,triplicem anginæ differentiam eſſe videmus, prima grauiſſima eſt, quæ neque in ceruice, neque in faucibus diſpoſitionem indicet præter naturam ex colore, calore, mollitie ſed exiſtimandum eſt intra gutturis corpora,laceſſere inflammationem, ex qua ſtrangulantur,nec ſpirare poſſunt,niſi collum dirigant.ſecunda autem differentia eſt,in qua attollitur ceruix, & fauces rubent, dolore verò æquè, quàm prædicti afficiuntur, non tamen ſpirant admodum difficulter;quia muſculi in gutture non admodum vexantur inflammatione. merito igitur eam exitialem haberi dixit;non tamen per inde ac prædictam celerrime interimere. tertia verò differentia eſt illa, in qua neque vehementer ægri affliguntur dolore, nec ſpirant difficulter, & guttur nequaquam perpetitur: ſed aut in fauces fluxio,aut in ceruicem,aut in hæc vtraque decumbit.at verò fluxio talis magna ex parte biliоſior eſt ita, vt perſpicue ſacrum ignem, aut inflammationem ſacri ignis ſimiliorem comitatur. vnde & ipſe dixit. nec ſacer ignis intro recurrat. quòd ſi pituitoſus interdum tumor infeſtet; celerrime diſcutitur, nec vllo pacto acutus hic morbus eſt.

Sed cum ad materiã quæ efficit anginam,ſe transferat, audiamus quid de ipſa dicat Hip. & quomodo ipſa fiat. hic in lib. de Vict. ratione in morb. acutis com.4.hoc pacto ſcribit. ſynanchus ideſt angina fit, cum hyeme, vereque fluxio multa, & viſcoſa ad iugulares defluxerit venas, plurimumque hæ propter latitudinem traxerint ſpiritum. cum autẽ frigida, & glutinoſa fuerit,ſpiritus obſtruit permeationes, ſanguinemque coercens quæ vicina ſunt, inſpiſſat, ſanguinemque ipſum immobilem reddit, & conſtantem:quippe cum frigida natura ſit, & obſtrictoria,ob id ſuffocantur liuente lingua,atque in rotundum acta, flexaque propter eas,quæ linguæ ſubduntur venas;nam præciſa, quam nonnulli cionida ideſt collumeiam vocant,vena vtrinque craſſa apparet.cũ igitur hæ oppletæ fuerint;linguę,quæ ob ſiccitatem & ſicca,& ſpongioſa exiſtit,innituntur. lingua autẽ vi ex venis humidum accipit,atque ex lata rotunda, ex bene colorata liuẽs,ex molli dura, & ex facile flexili flectenti contumax efficitur. hanc ob cauſam cito iugulat, niſi cito aduerſus eam pugnaueris. ſubdit præterea Hipp.par.31.cum æſtate,vel autumno fluxerit ex capite calida, & nitroſa fluxio quaſi ab anni tempore tum acris, tum calida fuerit, atque huiuſmodi ſit:mordet, vlcerat,ſpiritu implet,orthopneam parit,ſiccitatemque multam: præterea quæ intuenti apparent,haud tumentia videntur.tendines quoque ceruicis poſteriores contenduntur, apparentque tetani modo intendi.

Vnde habemus duas humorum ſpecies anginam efficere: alteram, quæ glutinoſa, & frigida fluxione facta ſit,alteram ab acri,& calida quæ prior fluxio in latiores decumbit venas, ſecũda in tenuiores: prior, quę pituitoſa eſt, hyeme vel vere defluit:ſecunda autumno,& vere. fiunt & anginæ in pluuiarum multitudine,vt ipſe ſcribit in li.3 aph.16.ſed & in eodem libro aph.20. confirmat anginas fieri etiam vere, & aph.22.autumno,verùm quamquam deſignis abunde locutus fuerit Hip.in ſuperioribus locis:tamen ſigna,quæ ſpecies anginæ diſtinguũt alia,& quæ prognoſtica dicuntur,vt ipſe docẽt,addemus.

Primæ ſpeciei igitur ſigna recenſet Hip. in l.2.de mor.his verbis.febris corripit, & rigor, & dolor capitis, & maxillæ intumeſcunt, & ſputum difficulter deglutit. expuit autem & ſaliuas duras,& paucas: & infra in faucibus ſtertit: & ſi apprehenſa lingua, inſpexeris,gurgulio non magnus eſt,ſed mollis.fauces autem intrinſecus ſaliua viſcoſa plenę ſunt,& nõ poteſt excreare, & decumbere non ſuſtinet. verùm ſi decumbat,ſuffocatur. ſuffocatur quoque vt ait Hip. in lib.3. de morbis, homo, & in faucibus magis ipſi inhęrere videtur & neque ſaliuam, neque quicquam aliud detrahit, & oculi affecti ſunt,ac prominent velut ſtrangulatis,& intente per ipſos videt,& ipſos cõuertere non poteſt,& anxius eſt & exilit frequenter, & fauces & facies ardent, imò etiam collum. at videntibus nihil mali habere videtur,& videt ac audit obtuſius, & præ ſuffocatione non intelligit, neque quid dicat, neque quid audiat, aut faciat. verùm hians decumbit ſaliuam fundens, ac talia faciens. hic quinta,aut ſeptima,aut nona die moritur.

Secundæ ſpeciei ſigna, vt inquit Hip. in lib. 2. de morbis, febris, & dolor concipit, & fauces inflammantur, itemque maxillæ, & ſaliuam deglutire non poteſt,ſpuit autem craſſam,ac multam,& difficulter loquitur.

Tertiæ ſpeciei ſigna recenſet in lib.2.de mor.ſi tumor ipſi oboriatur, & ad pectus intumeſcat,ac rubicundus ſit,& ardeat,amplior ſpes ſalutis eſt.

Sed ſignum prognoſticum datum nos incitat, vt ſigna prognoſtica quę ab Hip. ſcribũtur, narremus. ſcribit igitur Hip. in lib.6. aph.37. ab angina habito ſit tumor fiat in collo bonum,ſi quidem vt ait Gal.in com.ex intimioribus, & principalioribus partibus paſſiones confert ad cutem transferri,& in li.7.aph. 49. ait. ab angina habito tumor, & rubor in pectore ſuperueniens bonum: extra enim vertitur morbus. & in Coacis prænotionibus pag.178.col.4 & 179. col.1. hæc prognoſtica ſigna deſcribuntur. anginæ quæ neque in collo, neque in faucibus, quicquam conſpicuũ faciunt, verùm ſuffocationem vehementem, ac ſpirandi difficultatem inducunt eadem die, & tertia occidunt:quæ verò tumores,& ruborem in colllo accipiunt, & in cæteris quidem conſimiles ſunt, verùm diuturniores.quibuſcunque verò,& fauces,& ceruix,ac pectus ſimul rubuerint, diuturniores ſunt:at ex ipſis maxime ſeruantur,ſi non recurrerint rubores. ſi verò diſſipentur, neque tuberculo foras conuerſo, ac collecto, neque pure leuiter ac ſine dolore excreato, neque in diebus iudicatorijs perniciosæ ſunt num etiam ſuppurati fiunt? ſecuriſſimum enim eſt ruborem, & abſceſſus quàm maxime foras verti.eryſipelas verò foris quidem accedere,commodum eſt,intro autem conuerti,lęthale. cõuertitur autem intro, quum diſparente rubore pectus grauatur, & difficilem ſpirationem habet. quibus verò anginæ ad pulmonem vertuntur,partim in ſeptem diebus moriuntur, partim euadentes ſuppurati fiunt; ſi non eductio pituitoſa ſurſum ipſis fiat. quibus per pulſacionis venarum vehementiam, ſtercus derepente per aluum ſecedit læthale eſt. in anginis ſputa gracilium ſubarida, malum.anginoſi in lingua tumores,citra ſigna diſparẽtes perniciosi:& dolores diſparentes citra manifeſtam cauſam pernicioſi ſunt

si sunt. in anginis,qui non breui concocta expuunt, pernicioſe habent. in angina dolor ad caput citra notas cum febre pernicioſi. in angina dolores ad crura citra notas cum febre pernicioſi, ex anginis citra iudicationem præcordij dolor,cum impotentia,ac tor pore oboriens, occidit occulte; etiamſi manſuete ſe habere putent. ex anginoſis citra notas attenuatis, dolor ad pectus,& ad aluum progreſſus concitatus, pus egerere facit: aliàs autem eius,qui exoluitur,tale eſt. in anginis omnia pernicioſa ſunt, quæ non manifeſtum dolorem faciunt,ſed & ad crura dolores diuturni procedunt, & difficulter ſuppurantur. ex angina ſputa viſcoſa,craſſa,valde alba, quæ violẽter educuntur,mala ſunt. & omnis eiuſdem maturatio mala. purgatio multa deorſum talis leuis ſyderationis modo perimit. ex angina ſubarida frequentia ſputa cum tuſſi, lateris dolorem inducentia, pernicioſa. itemque ea, quę inter potandum per tuſſim ſubmergunt: & deglutio violenta mala. hęc in Coacis prænotionibus.

In 4. autem de Vict. ratione in mor. acutis par. 33. dat Hip. ſigna indicantia,& prognoſtica illius anginæ, quæ æſtate, vel autumno fit, his verbis. vox abrupta eſt, & ſpiritus paruus eſt,& part. 34. & 35. ſpiritusque reuulſio frequens, & violenta accedit. talibus arteria vlceratur, incenditurque pulmo, neque externum aerem admittere intro queunt; quibus niſi ad exteriores partes malum ſua ſponte perferatur, hi grauius,ineuitabiliusque habebunt, & propter anni tempus, & φà calidis, acribuſque ſit humoribus, de angina pernicioſa facit mentionem Hip. in lib. 3. de mor. vulg. ægro. 7. ſic. illius anginoſę quę apud Bitonem agebat,primum à lingua cepit vox eſſe obſcura, lingua rubens, deſiccata erat. primo die horrida incaluit, tertio rigor, febris acuta: tumor colli, & pectoris ex utraque parte ſubruber durus: extremitates frigidæ,& liuidæ, ſpiritus ſubli mis potus per nares affluebat. deuorare nõ valebat: deiectiones, & vrinę ſubſtiterunt. quarto cũcta exacerbata ſunt. quinto perijt anginoſa,& in lib. 2. pror. com. 2. part. 53. fauces dolentes abſque tumore cum implaciditate, ſtrangulantesque ſupra modum pernicioſę. & par. 54. quibus ſpiritus retrahũtur, voxq; ſtrangulabunda eſt,& vertebra intro fugit; his in fine velut contrahentis cuiuſpiam ſpiritus redditur.

Nunc verò ſymptomata, quę plurimos comitari ſolent anginoſos, affectioneſque recenſeamus. Hip. in lib. 5. de mor. popu. pag. 141. num. 25. anginoſam narrat hyeme habẽtẽ tumorem ſub gutture ſuffocãtem, febrem multam, dolorem, & tumorem genuũ circa quintã, & videbaur ipſi circa cor aliquid colligi. reſpiratio velut eius, quę ſubmergitur. ſubſtrepebat expectore velut, qui concluſo ore loquuntur. circa ſeptimam, aut nonam ad noctem altus deorſum prorupit,& multa liquida,quę mala putantur, egeſſit. ipſa verò voce intercepta mortua eſt. & in eodem libro nu. 36. anginoſa quędam dextram manum,& crus doluit,febris tenebat debilis; ſtrangulatio tertia die remiſit. quarta conuulſa, voce deſtituta,ſtertor,dẽtium contritio,maxillarum rubor. mortua eſt quinta, aut ſexta die. ſignum circa manũ ſubliuidum. alia quoque in palato ſtertoroſa, lingua ſicca peripneumonica,non deſipiens. mortua eſt,& in li. 6. ſect. 7. ait anginę verò,& leues ſyderationes aut duræ,& ſiccæ,aut paruæ,& raro matura educentes, quibuſdam verò etiam valde. qui igitur aut vocibus amplius ſe fatigarunt,aut riguerũt, in anginas magis deſierunt. & paulo poſt. at anginæ liberis duabus aboriebantur, atque hæ manſuetiſſimi moris erant,abundantius autem famulas corripiebant,quibus, & violentiſſimę fiebant, ipſasque celerrime perimebant. viris verò multis fiebant,qui partim euaſerunt,partim perierunt. in ſumma qui ſolum deglutire non poterant,his valde mites,ac toleratu faciles erant: qui verò etiam obſcure loquebantur,his moleſtiores, ac diuturniores. quibus uerò etiam uenæ circa tempora, ac ceruicem attollebantur; his aliquantum malæ erant: peſſimæ uerò his,quibus & ſpiritus ſublimis coeleuabatur: hi enim etiam incaleſcebant; nam ſicut ſcriptũ eſt,ita conſortia affectionum habebãt,& quæ quidem primum ſcripta ſunt,etiam ſine poſterioribus fiebant: quæ uerò poſterius, non ſine prioribus. celerrime autem moriebantur,ubi febrili rigore inſuper riguiſſent. his ita preſſis nihil memorabile proderat,non uentris turbatio,non uenę ſectio, neque quæcunque alia tentaui. ſecui etiam uenam ſub lingua: quoſdam & ſurſum purgaui. hæc igitur omnino in æſtate fiebant. ſed ne prolixior ſim, plurimas narrat Hip. affectiones anginoſorum in li. 2. de mor. vulga. pag. 131. colu. 1. quas omnes ſupra diximus.

Fit tandem,ut morbus ad pulmonem uertatur aliquando, & ad coſtas: aliquando uerò linguæ poſterior pars inflammetur. unde Hip. in lib. 2. de mor. ubi agitur de angina,inquit, ſi uerò faucibus ac tumoribus ſedatis, morbus ad pulmonem conuerſus fuerit; febris ſtatim corripit, & lateris dolor, & ut plurimũ moritur,ubi hoc factum fuerit. Si uerò quinque dies effugit, ſuppuratus fit; ſi non ipſum ſtatim tuſſis inuaſerit. ſi uerò inuaſerit; facta excreatione depurgatus ſanus fit. quæ uerba idem confirmat in li. 5. aph. 10. quicũque ab angina liberantur his ad pulmonem uertitur & in ſeptem diebus peremit: ſi uerò has effugerint ſuppurantur. & in li. de mor. vulg. com. 2. par. 13. ſcribit. atqui & in angina rubores,& coſtarum dolores ſecundum rectum. ubi Gal. vult de tranſmutatione non ex coſtarum morbo in anginam; ſed ex angina in coſtarum uitium, ſermonem eſſe intelligendum.

Nunc uerò ad curationẽ ueniamus. ſcribit Hip. in lib. de Vic. ratione in morb. acu. com. 4. par. 30. & l. 2. de mor. pop. ſect. 6. curationem anginæ hoc pacto. ſanguinem ex brachijs detrahes: mox uenas, quæ ſub lingua ſunt, ſecabis: deinde medicamentis quibuſdam attractorijs uteris, calida exhibebis gargariſmata, caput abrades, ceratumque tum collo, tum capiti circumpones, laniſque circumuolues, molliq; ſpongia ex calida aqua expreſſa fouebis. bibat autem aquam, & mulſam non frigidam, cremoremque aſſumet, ubi ex iudicatione in tuto fuerit. & par. 20. porrò ſi angina fuerit,& ſi aliud quippiam ex pleuriticis malum ecligmate repurgato. at ſi ęger ob copioſam ſangu. emiſſionem imbecillior fuerit; clyſmum tertio quoque die uentri infundes, donec in tuto fuerit, ac fame indigeat.

Verùm in 2. de mor. tres docet curationis modos, quemadmodum tres ſunt anginę differentię. curatio primę ſic legitur. primum quidem cucurbitas

ad verticulum in collo primum affigito: deinde in capite præraſo, & iuxta aurem ab vtraque parte apponito. & vbi cucurbitas affixeris; ad multum tempus adhærere ſinito. Poſtea fomentum ipſi ex aceto, nitro, origano, & naſturtij ſemine adhibeto. hæc terito, & cum aceto pari aqua permixta diluito, ac parum olei inſtillato, deinde in ollulam infuſis, operculo addito arundinem cauam immittito, & prunis appoſita feruefacito: &, vbi per arundinis fiſtulam vapor aſcenderit; hianti ori vaporem intro trahat, cauens ne fauces. adurat forinſecus. Quoque ſpongias aqua calida imbutas, ad genas ac maxillas apponat. gargariſmus porro ipſi parandus eſt ex origano, ſatureia, apio, mentha, & modico nitro cum aqua mulſa aquoſiore; at modico aceto inſtillato. prædictarum herbarum folia trita, & nitrum in aqua mulſa diluito, tepefacito, & ſic gargarizet. at ſi ſaliua ſupprimatur; mirti ramulum complanatum ſumito, & tenera ipſius ſumma parte incuruata, & mollì lana obuoluta, in fauces immiſſa ſaliuam expurgato. & ſi venter non egerat, glandem ſubdito, aut clyſterem adhibeto. ſorbeat autem ptiſanæ ſuccum, & aquam bibat.

Curatio ſecundæ ſpeciei ſcribitur ſic ab Hipp. 2. de mor. cum æger ita habuerit; primum cucurbitam affigito eodem modo veluti ſupra diximus. deinde ſpongiam aqua calida imbutam ad collum, ac maxillas adhibeto. aquam autē mulſam aquoſam colluendam dato, & ſuccum ptiſanę ſorbere cogito. ſi verò ipſi talia facienti ſaliua non exierit, eodem modo velut in priore fomentum adhibeto.

Curatio verò tertię ſpeciei ſic ab Hipp. in 2. de mor. nu. 26. ſcripta eſt. facienda verò hæc ſunt poſt quam inflammatio foras conuerſa fuerit. betas in frigidam aquam tractas apponat. tepidas collutiones ore gargarizet, ne lauet. hęc faciens maxime euaſerit. eſt autem morbus lethalis, & pauciſſimi euadunt. ait quoque Hip. in lib. 3. de mor. hęc verba. at vbi horum ſignorum quid abfuerit, laxiorem morbum ſignificat, quem paracynachen vocāt, huic venam ſecare oportet maxime ſub mamma: concomitatur enim hac parte ex pulmone ſpiritus calidus. oportet quoque deorſum purgare medicamento, aut per clyſterem. fiſtulas item detrudere conuęnit in fauces iuxta maxillas; quò ſpiritus ad pulmonem trahatur, & faciēdum vti quàm citiſſime ſpuat, & pulmo gracilis fiat. & ſuffitus per hyſſopum cilicium, ſulphur, & bitumē: & attrahat & per fiſtulas, & per nares, vt exeat pituita. fauces, & lingua confricentur his, quę pituitam ducunt, & venę ſub lingua ſecentur. ſed & à cubitis ſanguis dimittatur; ſi vires validę fuerint. à vino abſtineat, & ptiſanę ſuccum tenuem ſorbeat. poſtquàm verò remiſerit morbus, & iam cibos guſtarit; elaterio recenti purgato, vt ne in aliud malum incidat. & ait Hip. in lib. 2. de mor. in loco ſupradicto. Si ad pectus conuertatur inflamatio, aut ad collum; betas, aut cucurbitas conciſas in aquā frigidam tinctas ſuperimponat, & frigidam aquam bibat; quò ſaliua facilius excreetur. cum aūt ad pectus extumuerint; pleriq́ue euadunt. Si verò faucibus ac tumoribus ſedatis, morbus ad pulmonē conuerſus fuerit; febris ſtatim corripit, & lateris dolor, vt plurimum moritur, vbi hoc factum fuerit. Si verò quinque diebus effugerit ſuppuratus ſit, ſi non ipſum ſtatim tuſſis inuaſerit. ſi verò inuaſerit; facta excreatione depurgatus ſanus ſit. huic quandiu dolor latus tenuerit; latus calefaciendum eſt, & adhibenda ea, quę in peripneumonia adhiberi ſolent. at ſi quinque dies effugerint, & febris remiſerit, tuſſis autem remanſerit; primis quidem diebus ſorbitionibus vtatur; poſtquàm autem cibos ſumere inceperit, quàm pinguiſſimos, & maxime ſalſos edat. quòd ſi tuſſis non affuerit; nimirum ſuppuratum fieri ſcito. & vbi cęnauit, cum dormire volet; allium edat crudum quàm plurimum, & vinum bibat inſuper vinoſum meracius. & ſi quidem ita pus eruperit; bene habet. ſin minus; poſtridie calida loto ſuffitum adhibeto. & ſi eruperit, velut ſuppuratum curato. Si autem linguę poſterior pars inflammatur, itemq́ue locus ſub tonſilijs ad guttur, & neque ſaliuam neque quicquam aliud deglutire poteſt. ſi verò coactus fuerit per nares ipſi effluit: mentham viridem tritam, apium origanum, & nitrum, & rhoen rubrum melle diluito, & ad craſſam formam redacta intus linguę qua parte tumet, illinito. poſtea ficus aqua coquito, & da rhoe parum tritum, hoc ficuum decocto diluito, & ad gargarizandum dato, ſi id poteſt. ſin minus; colluendum. bibendam verò aquam de farina craſſa in ipſa macerata exhibeto: foris autem ceruicem, & maxillas farina calida in vino, & oleo cocta integito, & panes calidos apponito: ſuppuratur enim plerunque in loco ſub tonſillis. & ſi quidem ſua ſponte eruperit; ſanus fit. ſi verò modo rumpatur; vbi digito contigeris, an molle ſit ferramento acuto ad digitum alligato, perforato. his adhibitis multi ſani fiunt. eſt autem hic morbus minimè lethalis. ſcribitur ēt in l. 2. de mor. mulier. illitio ad anginam roſmarini ſemen, ſtaphis ſylueſtris, abſynthium, elaterium, & mel. ex curatione qualibet deſcripta palam eſt, non in omnibus anginę ſpeciebus venę ſectionem facere oportere: ſed in quibuſdam, ac pręſertim, vbi ſanguis in cauſa ſit: ait. n. Hip. in lib. de locis in homine. angina, quam cynanchem græci vocant, à ſanguine fit, cum ſanguis in venis, quę collo ſunt, compactus fuerit. ſic affectis à venis, quę in brachijs ſunt, ſanguinem detrahes, & ſimul aluū inferne ſubduces; quò id quod morbum exhibet detrahatur. lingua quoque cum magna vlcera habuerit; ſimiliter curanda eſt. morbos à principio curare oportet, & ſi quidem à fluxionibus fiunt, primum fluxiones ſedare: ſi verò ab alia cauſa principium morbi; curare, ac ſedare: deinde id; quod influxit ſi quidem multum fuerit, educere: ſin modicum; per dięta moderari, ac componere.

De Angore.

Angitur homo, vt ſcribit Hipp. in lib. de mor. ſacro pag. 59. num. 16. & inquietudine multa iactatur intempeſtiue, dum cerebrum perfrigeratur, & pręter conſuetudinem compingitur. hoc verò à pituita perpetitur. ab hac etiam affectione etiam obliuioſus euadit. Et in l. 1. de mor. vul. com. 2. par. 75. Cum febres ardentes inciperent &c. inſomnes erant, grauiter angebantur, ſitibundi, faſtidioſi. vbi Gal. vigiliarum, & angoris ſymptoma ſemper prauum eſt. angor igitur fit, patiente cerebro, è pituita perfrigerato. verùm Gal. in lib. 3. de Decretis Hipp. ait angores, pauores, omnesq́ue id genus affectus in corde conſiſtere. & in lib. 6. de mor. vul. com. 1. part. 10.

vult

vult angores animi numerari inter extrinsecas causas corpus bilioſius reddentes. quod vtrunque verum esse potest: in corde enim sunt angores tãquam in sua radice: in cerebro, quando manifestantur opperationes.

De Anhelatione,& anhelitu.

Quando fit, vt anhelitus deficiat, & cum id fiat, difficilis redditur:& tunc est creber, vel tardus: aut lõgus, vel breuis,aut creber, & breuis,aut tardus, & longus.his accidit,vt reddatur calidus, vel frigidus, copulatus cum alio morbo, vel simplex, per se, vel per conuenientiam. fit autem anhelitus difficultas in pueris accedentibus ad pubertatem,in ætate consistentibus,& in senibus,quos concomitatur ad mortem. fit autem à materia spirituosa,vel crassa fluente ex capite in pectoris partes, vel ex vtero ad cor. fit etiam à causis extrinsecis,veluti à nimio cursu. si ab intrinsecis; humor fluxus membra occupauit spiritualia,quæ potentiam,quæ thoracem mouet,imbecillem effecerunt. deficit quoque anhælitus propter frigiditatem vehementem vitalis principij. vnde sequitur mors.hic est frigidus.quare ait Hip.in l.prog. com.1.par.24.si verò spiritus frigidus de naso,& ore exeat admodũ exitialis iam est. & in l.6. de mor.vul. com.4 par.30,legitur.signa mortifera per cutem calidus vapor,prius nares spiritum frigidum reddunt. creber autem anhelitus, qui anhelatio à Latinis, & à Græcis asthma nuncupatur,fit in pueris,qui adolescunt,vt refert Hipp.in lib.3.aph.26 causa est, vt in com. ait Gal. angustia eorum ventriculorum,qui in pulmone sunt. hæc verò angustia fit repleto vitiare à fluxionibus,quę desuper veniunt.& hę plures sunt in recenter natis puerulis. fit in ætate consistentibus sicut legitur in l.3.aph.30.vbi Gal.ait. crebris anhelitibus,& pulmonis inflammationibus, ac laterum doloribus magis capiuntur; quam iuuenes,vt qui & victu simili, & laboribus etiam vtuntur: sed multò imbecillius quàm illi corpus habẽt. fit & in senibus, quemadmodum scribit in eodem lib. Hipp. aph. 31. vbi Gal. inqnit. crebri anhelitus ex destillationibus ortum habent: cum alioquin & ipsa spirandi instrumennta.non raro habeant proprium sui algoris principium,quando,& in ipsis multæ ac crassę superfluitates generentur. tempus anni, in quo fiant anhelationes est autumnus.sed in l.de aere, aquis, & locis, pag.35.nu.4.vult pueros hyeme in conuulsiones, ac anhelationes,quę morbus puerorum,& facer esse putantur,incidere. cur autem,& quomodo fiat anhelatio,materia à capite ad cor defluente,nos docet Hip. in lib.de mor. sacro pag.58.nu.7.his verbis. Qui verò pueri mundi sunt,& neque vlcus vllum,neq; mucus,nec saliua vlla prodit, neque in vteris purgationem fecerunt;talibus periculum imminet,vt à comitiali morbo corripiantur: si verò ad cor progressum fecerit defluxus palpitatio apprehendit, & anhelationes,& pectora corrumpuntur. aliqui verò etiam incurui fiunt: cum enim descenderit pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor; perfrigeratur sanguis. venæ autem violenter perfrigeratæ, ad pulmonem, & ad cor affiliunt, & cor palpitat vt præ hac necessitate anhelationes incidant, & spiratio ceruice erecta: non enim spiritum suscipere potest donec id, quod influxit à sanguine superatum fuerit, & calefactum in venas fuerit diffusum. deinde, & palpitatio & anhelatio sedatur, sedatur autem prout copia eius fuerit:si enim amplius influxerit; tardius:sin minus: citius; at lege Asthma.

Animi deliquium.l.syncopis.

Animantia,& Animalia.

Animantia alia omnia,tum homo ipse constituuntur ex duobus differentibus quidem facultate, concordibus verò,& commodis vsu,igne inquam,& aqua: ignis enim omnia per omnia mouere potest, aqua verò omnia per omnia nutrire. particulatim verò vtrumq; superat, & superatur ad summum,ac minimum quantum eius fieri potest: neutrum enim superare penitus potest ob hanc sanè causam. igni quidem vbi ab extremitatem aquæ peruenerit deficit alimentum. auertitur igitur eo,vnde nutriri potest: aquæ verò vbi ad extremitatem ignis deuenerit;deficit motus.ignis porrò sumit ab aqua humiditatẽ, aqua ab igne siccitatem. cum autem hæc ita se habeãt; multas & omnigenas species tum seminum, tum animalium inter se secernunt, quæ nihil inter se simile habent, neque vsu, neq; facultate: etenim, cum nunquam simul in eodem consistunt, sed semper alterentur:necessarium est etiam ea,quæ ab ipsis secernuntur, dissimilia fieri: nam nullum omnino corpus perit, neque fit quod prius non erat: verum permixta,& discreta,alterantur: Hæc accepimus ab Hip.in l.1.de Diæta pag.42.n.4 & 5. quæ si diligenter considerauerimus, ipsum de animantium omniũ materia locutum fuisse reperimus, habita ratione ad mixta inanimata:propterea quòd animantia habent ab inanimantibus calorem alium, qui ab anima informatus facit corpus animantis ex humiditate: hoc enim loco meo iudicio appellat Hip. pro calore animãtis innato ignem, ac pro humiditate ex qua fit id corpus, & augetur,aquam;quæ duo elementa copiosiora sunt in animatis,quàm in inanimatis. quapropter ea mucorem possidere partem animantis corpus asserit. idcirco non negat omnia animantia ex quatuor elementis constare, quemadmodum etiam in lib. de natura humana affirmat: sed existimat, si animata inanimatis comparemus; ob excellentiam animatorum magis ex igne, & aqua constitui inanimata autem ex aere, & terra:præstat enim ignis alijs elementis;quia magis forma est;aqua verò; quia formalior est terra, sed crassior aere ad animantis corporis compositionem.ex his præterea elemẽtis duobus mixtis resultant variæ animantium species;propterea quòd ignis est maxime effectiuus, & aqua maxime impressionum susceptiua. adde, quòd eorũ mixtio varia in perfectione substantiæ,in quãtitate, in qualitatibus, in locis, ac tandem in temporibus varietatem efficit summam.

Animalium partes.

Animalium,quorum lac tenue est, & sanguis simiiter, eorum etiam carnes consimiles sunt. pag.46. nu.6.vbi diuisionem habere potes animalium huius. animalia alia terrestria, alia aquatica. terrestriũ alia volatilia minime. & horum alia cicura, alia syluestria;& omnium alia sanguinem habentia,alia exanguia.alia oua,alia fœtum edentia.alia frugiuora,alia herbiuora. porro terrestria sicciora sunt aquaticis; non volatilia volatilibus magna ex parte. syluestria tamẽ non syluestribus,ac cicuris;frugiuora herbiuoris:paucibiba multibibis;sanguinea exanguibus;ve-

cuſta non vetuſtis: maſcula fœminis: caſtrata non caſtratis: nigra albis: hirta nudis. horum autem carnes quas habeant differentias lege p. 46. num. 9. 10. 11. 47. num. 12.

Annus.

Annus eſt ſolis conuerſio per duodecim zodiaci ſigna: quæ in dies quinque, ac ſexaginta ſupra trecentos colligitur. ſic ait Hip. in l. de ſtructura hominis in fine pag. vltima, huic numero adde quartã vnius diei partem. porrò annus in quatuor partes diuiditur: quæ dicuntur quatuor anni tempora. Annum. n. vt in l. 3. de diæ pag. 49. nu. 2. in quatuor partes diuidunt, quas pleriq; homines nouerunt, hyemem, ver, æſtatem, autumnum: & hyemem quidem à pleiadum occaſu, vſque ad æquinoctium vernum: ver autem ab æquinoctio vſque ad pleiadum exortum: æſtatẽ vero à pleiadum ortu vſq; ad arcturi exortũ: autumnum ab arcturi ortu vſque ad pleiadum occaſum. hæc diuiſio data eſt, ſiquidem qualitates aeris primę his temporibus mutantur: nam in vere eſt calidus & humidus aer: & æſtate calidus & ſiccus: in autumno frigidus, & ſiccus: in hyeme frigidus & humidus. & alterantur corpora noſtra quemadmodum, & aer alteratur. & illa aeris alteratio dicitur ab Hip. anni cõſtitutio, ſiue tempeſtas: ait enim Hip. in l. 3. aph. 15. Ex anni autem conſtitutionibus ſic citates imbribus ſunt ſalubriores, & minus mortiferæ. in his ſingulis igitur quatuor anni temporibus aerem opus eſt dictis qualitates poſſidere: aliàs enim annus vel tempora non conſtantia dicerentur, vt placet Gal. in com. 3. aph. 8. ait enim conſtantia tempora nominat Hip. quæ ordinatim ſuam recipiunt temperaturam, & ſuum conſeruant ductum: contra inconſtans annus dicitur. & propterea ibi inquit Hip. in conſtãtibus temporibus cum tempeſtiuè tempeſtiua reddantur; morbi conſtantes, & boni iudicij fiunt: in inconſtantibus autem inconſtantes, & mali iudicij. cũ igitur anni tempora conſtantia fuerint; ſuam habebunt temperaturam: ſic par eſt annum fore corporibus ſalubriorem. nam legitur in li. de aere, aquis, & locis pag. 36. n. 25. ſi ſecundum rationem fiant ſigna in aſtris occidentibus, ac orientibus: & in autumno aquæ fiant: & hyems ſit moderata, & nec valde ſerena, neque modum excedens frigiditate: & in vere, ac in æſtate tempeſtiue pluat; ſic ſane ſaluberrimum eſſe annum par eſt. hoc pacto conſiderandum eſt, qualis nam annus ſit futurus, ſalubris ne, an morboſus. ſed dupliciter annus exit à ſua temperie: primũ quando fiunt magnæ temporum mutationes: deinde quando tempora proprias non habent, nec reddunt qualitates. primo quidem modo annus à ſua tẽperie exit non ſecundum totum; ſed ſecundum partes: ex frigida & humida anni parte ſuccedit alia calida, & humida: poſt hanc alia calida & ſicca. vnde Hip. iubet in l. de aere, aquis, & locis, in his temporibus, nec pharmaca dari purgantia, neque vrere, neq; ſecare. & ait. periculoſiſſima ſunt ambo ſolſtitia, maxime vero æſtiuum. periculoſum etiã æquinoctium vtrunque, magis verò autumnale. ſecũdo autem modo annus proprium non tenet temperamentum, ſi aliqua eius pars alteret; veluti, ſi æſtas, quæ calida & ſicca eſſe debet; fiat calida & humida quæ quidem alteratio fit raro, vel ſæpe: ſi raro; vel diu perſeuerat, vel breuis fit: aut magna eſt, vel parua. ſic ſi ſæpe. id circo Hip. in l. de aere, aquis, & locis. pag. 37. nu. 34. vbi tẽpora magnas mutationes faciunt, & frequentiſſimas; illic & regio agreſtis, & maxime inæqualis eſt: inueniasq; è & montes plurimos, & denſos: itemq; campos, & prata: vbi verò non valde variant tempora, illic æqualiſſima regio eſt. quod idem & de hominibus ipſis eſt intelligendum deinde ſubdit. tempora, quæ formarum naturam variant; ſunt diuerſa. cũ igitur inter ſe fuerint maxime diuerſa; varias, & multiplices formas producunt. hæc Hipp. cæterùm magnæ dicuntur mutationes temporum, quæ naturam propriam ſuperexcedunt, aut valde minuunt, quem admodum æſtas, quæ calida, & ſicca in noſtra regione eſt in ſecundo gradu, ac forte ampliori; ſi tertium, vel quartum attingeret; aut frigida admodum, & humida eſſet, vel frigida & ſicca. & ex his primis qualitatibus in ſecundas, tertias, ac quartas transferetur. hoc affirmat Hip. in l. citato n. 39. vbi ſcribit. Quod timidiores, affęminatiores, ac imbelles ſint prę Europeis Aſiani, moribusq; manſuetiores, tempora annis ipſa in cauſa ſunt, quæ non magnas permutationes faciunt neq; caloris, neque frigoris: ſed æqualia permanẽt. qua de re aſſerere poſſumus, veluti regio venti, ætates, humores, compleſſiones, & huiuſ. conuenientiam inter ſe habeant, & ex his maiora corroborant minorum naturam: ſic tempora cum his conuenire, & ex temporibus corpora maxime alterari, & corroborari. qui verò anni tempora reſpondeant humoribus declarat Hip. in l. de hominis ſtructura nu. 8. his verbis. ver calidum & humidum eſt: ideo ſanguinis in corpore incrementum fit: æſtas calida, & ſicca: ideo flauam auget bilem, autumnus frigidus, & ſiccus: ideo atram bilem, & ſaniem auget. hyems pituitam in corpore ad auget. ſic adoleſcentiæ reſpondet ver: iuuentuti ętas: autumno ętas declinans: hyemi ſenectus. locus tempori comparatur ab Hip. in li. de aere n. 8. & dicit. Ciuitas, quæ hoc non ſita eſt, veri maxime eſt ſimilis iuxta caliditatis, ac frigiditatis moderationem. idem de alijs eſt dicendum: quæ in hoc capite reperies. idcirco cum anni tempore maxime conueniat cum rebus dictis: & huiuſ. res cum anni temporibus eandem habeant ſymboleitatem, & pariter inter ſe; profecto ſolum anni tempus, vel maxime cum alijs copulatum maximam habebit vim in corpore noſtro regendo. quapropter totus annus, partes ipſius, ac qualitates temperatæ, vel intemperatæ etiam atque etiam conſiderandæ ſunt: nam, vt dictum eſt, conſtantia tempora morbos conſtantes faciunt: anni dimidij tempus eſt primus terminus editionis fœtus ſeptimeſtris. anni tempora conferunt ad remediorum inuentionem, dant iudicium bonæ euacuationis, & criſis. docent qui humores ſint euacuãdi, ad victus rationem ſunt utilia, quæ ætates pati debeant morbos, quas pariant ægritudines, qui pulſus alterẽtur, iudicant morborum acceſſiones, faciunt criſes, & mores hominum varios efficiunt, vtputa benignos, feros, agreſtes. conferunt anni tempora ad remedia inuenienda: quoniam docent cognitionem cauſarum morbi: quibus cognitis, facillime curatio fit: ſcribit ſiquidem Hip. in l. de natura hu. pag. 10. nu. 12. 13. 14. ſanguis vere augeſcit: hæc enim pars anni maxime iuxta naturam ipſi conuenit: eſt enim calidus & humidus. argumento eſt, quòd homines vere, & æſtate maxime dyſente-

rijs

rijs corripiuntur,& ſanguis ex naribus ipſis fluit,& calidiſſimi ſunt,ac ruberrimi. at verò æſtate ſanguis adhuc viget,& bilis in corpore eleuatur, & vſque in autumnum porrigitur. bilis autem per æſtatem, ac autumnum corpus poſſidet: vomunt enim ſua ſpõte homines hoc tempore bilem,& in medicamẽtorum potionibus bilioſiora purgantur. manifeſtum fit & febribus,& hominum caloribus. atra porrò bilis autumno & plurima & fortiſſima eſt. poſtquam autem hyems apprehenderit; pituita augetur tum ob pluviarum copiam, tum ob noctium longitudinem. homines tunc pituitoſiſſima ſpuunt, & emũgunt, & tu mores laxi albiſſimi fiunt, & reliqui morbi pitui toſi. quare cum doceat Hip. qui humores abũdent per anni tempora; ſignificat præterea qui ſint euacuandi. quod verò tẽpora reddant morbos facilis ac difficilis iudicij, idem demonſtrat in lib.3.aph.8. & in lib.2.aph.34. in morbis minus periclitãtur,quorum naturæ aut ætati,aut habitui,aut tempori magis cõgruit morbus, quàm quibus ſecundum nihil horum congruit.in li.de humo.pag.56.num.5. Qualia ſunt tempora, tales erunt etiam morbi, & conſtitutiones ex ipſis. ſi tempora tempeſtiue, & ordinate ſe habuerint; morbos iudicatu faciles faciunt.vernacu li autem temporum morbi indicant mutationes, & prout euariauerit tempus, ſimiles, & aut diſſimiles erunt morbi,qui in hoc tempore oriuntur.& ſubdit. Recidiuas etiam tempora faciunt, quemadmodum & morbos inducunt.ex quibus habemus ex anni tẽporibus, ac conſtitutionibus oriri morbos, recidiuas morborum, & iudicationes. dant quoque tempora iudicium euacuationis, ſicut manifeſtum fit in lib.3.aph.28.vbi legitur.Quæ verò permanſerint.ſ. paſſiones,nec in pubertate finierint puerulis,aut fœminis tum menſtrua erumpunt; conſeneſcere cõſueuerunt.vbi Gal.ait. plurimæ puerulis diutinæ paſſiones iudicantur; nõnullę quidem in quadraginta diebus,nonnullæ in ſeptem menſibus,quædã in ſeptem annis, & ſubdit.in pubertate magnæ fiunt corporis cõmutationes, in fęminis verò ꝓpter mẽſtruorũ eruptionem. idem confirmat Gal. in com.4.aph.47. & inquit. Iudicia ꝙ bene excernatur maxima ſunt coctio, bona tolerantia, morbi ſpecies, tempus anni regio,ætas,& natura ægrotantis.& l.1.aph.2.ad purgationẽ,ait Hip.inſpicere oportet regionem,tempus ætatem,& morbos,in quibus conueniat,aut non.ad victus rationem conferunt tempora; nã ſcribit Hip. in li.de humor.pag.56.nu.6. In temporibus victus, & cibi, & potus qualitatem ſuam requirunt: nam hyems ab operibus ocium habet, & quæ in corpus ingeruntur, matura ac ſimplicia poſtulat.autumnus laboribus deditus. ſub inſolationibus potus frequentes ſunt,cibi incõſtãtes,vina,arborũ fructus. & in li.1.aph.15.Vẽtres hyeme,& vere natura ſunt calidiſſimi, & ſomni longiſſimi: quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. & aph.17. & quibus ſemel,aut bis,& quibus plura,vel pauciora, particulatim oporteat afferre conſiderandũ.condonandum autem aliquid tempori, ętati, & conſuetudini. & aph. 18. Aeſtate, & autumno cibos difficillime ferunt,hyeme facillime:ſecũdum locum ver habet. verùm hæc copioſiora habebis in l. de ſalubri diæta pag.12. nu.1. tempora prẽterea indicant acceſſiones vt ſcribit idem in lib.1.aph.12. vbi ait. Acceſſiones & conſtitutiones morbi indicabunt, & anni tempora,& circuituum ſucceſſiua incrementa. Aetates autem, & ſexus per anni tempora ſani degũt & ſuas patiuntur ægritudines,quemadmodum narrat Hip. in lib.2.aph.11.12.14. & aph.18. per tempora anni vere quidem, & prima æſtate pueri,& qui hos ſequuntur ætate,optime degunt,& ſani ſunt maximè æſtate autem, & autumno vſque ad aliquid ſenes: reliquum,& hyeme qui mediam ętatem habent.& aph. 19.20. & 21.22.23. quos pariant morbos anni tempora declarat Hip. Quòd verò mores hominum varios efficiant palam fit in lib. de aere, aquis, & locis pag.37.nu.39.vbi legitur. Quòd timidiores,effeminatiores,ac imbelles ſint prę Europeis Aſiani,moribuſq; manſuetiores tempora ipſa anni in cauſa ſunt.

Anus.

Ani porrò ſi quæras ſitum,naturamque,legas velim Hip.in l. de Corporum reſectione.ſi morbos curationesque optes; idem agit in lib. de Fiſtulis nu.4. 5.6.de ani,ſiue ſedis procidentia,ſiue egreſſu,de ſanie,& de inflammatione: ibique de curatione.ex his autem morbis,huiuſ. que alijs excitatur dolor quandoque admodum vehemens, de quo mentionem facit Hip.in li.de Coacis præno.nu.1.his verbis. ſedis dolor in longis, pernicioſiſque mortiferum eſt. de his plura lege ad inteſtinum rectum, & ad ſedem.

Anſer.

Anſerina caro eſt humidiſſima, vt placet Gal. in l. 2.de Diæta.pag.46.num.10.imo ſubdit. carnes reliquarum auicularum. quæ in paludibus degunt, aut in aquis, omnes humidæ ſunt. uerùm anſeris ſtercus,aut vulpis in roſaceo unguento terat,& poſtquã menſes deſierint,pudendum illinat,ac,ut concipiat; cum uiro dormiat.pag.111.num.125.

De Anxietudine,anxietateque.

Anxietudo,oſcitatio,horror:uinum æquale ęquali potum ſoluit ęgritudinem. Hip in lib.2. de mor. vul.ſect.6.& l.7. aph.56. ubi Gal.ait. Halycem, hoc eſt,anxietudinem habere dicunt illos ſanos,qui ſemper prẽſentibus moleſtantur & ab uno negotio, atque actione ad aliam tranſeunt. in l. de Humoribus inquit Galen. anxietatem uocauit,quam plerique tę diũ ſui nominat: eodem modo & ęgros illos anxios eſſe aiunt, qui accubitũ non perferentes,figuras euariant: quia ſemper prẽſens aggrauat eos. hoc uerò præcipue illis euenire conſueuit, quibus in ore uentriculi, quod nos abutentes uocabulo ſæpe ſolemus ſtomachum nominare, humoris aliqua propria qualitas continetur uentriculo moleſta, quę neque plurima eſt,neque in uentriculi fluitat cauitate,ſed ea ipſi imbibita tunicę.deinde curationem ſubdit. Vult uinum æqua portione aquę temperari; ut hec quidem pellat, & euacuet ex materia infeſtante quicquid ceſſerit uini motui cum impetu lati, reliquum temperet; calefacit.n.uinum corpus totum, & cito mouetur ad omnes partes, & omnes humores optimos reddit.quęnam humoris ſpecies ſit,quę uentriculum infeſtet, ſcribit Hlpp. in lib.de ratione in mor. acut. com.2. par.44.his uerbis.interdum autem & crudatum à capite, tum à thorace attrahuntur biliosa, uigilięque his accedunt, ob quas non coquitur morbus, &c.ubi Hip.recenſet ſymptomata multa & prava à biliosis crudis exorſus. quę biliosa cruda, ut interpretatur Gal.ita appellauit;quoniam & extremen

rorum coctionem appellat, quamquam mutata nutrire non possunt, vt bilis vtraque, & qui grecè ichores dicuntur. veruntamen, quoniam & talia euincit natura; cocta vocare consueuit Hip. excrementa huius. quæ à natura ipsa euicta sunt: cruda verò, quæ non sunt euicta.

Fit præterea anxietas ex fungi crudi esu: scribit enim Hip. in l. 7. de mor. popu. pag. 152, num. 50. Pausaniæ filiam ex fungi crudi esu anxietas tenebat, strãgulatio, dolor ventris, aquam mulsam calidam bibere, ac uomere profuit, & balneum. in balneo fungũ euomuit. &, vbi illa cessatura essent; exsudauit. Nec semper anxietas tædium significat, sed angustiam, & molestiam, vt exemplum citatum declarat. Sed & cerebrum læsum anxietatis causam esse dicit Hipp. in l. de mor. sacro, ac sic inquit. Angitur homo, & inquietudine multa iactatur intempestiue, dum cerebrum perfrigeratur, & præter consuetudinem compingitur. hoc verò à pituita perpetitur.

Fit etiam anxietas ex sanguinis malitia: nam legitur in li. de Virginum morbis pag. 92. nu. 2. præ sanguinis malitia animus mœrens, & anxius malum attrahit, sic in li. 7. de mor. pop. n. 26. videtur à sanguine malo ortum habuisse: legitur enim. Non valde siticulosus, atque ad sedem surgebat, anxius, & quandoque etiam pusillanimitas tenebat. veratrum exhibitum est, & capitis purgationes.

Fit quoque anxius homo ex bile: legimus siquidẽ in l. dicto n. 9 Chartadi febris ardens, vomitus bilis multus, & subdit anxietas circa cor, & os ventriculi, & sudor ferre per totum corpus. Anxietas etiam, & molestia, vt inquit Hipp. in l. 5. de mor. pop. nu. 24. & oculi raui erant ei, qui hepar percussus est iaculo. quapropter asserimus anxietatem fieri, cum aliquod princeps membrum lęsum fuerit: & causas internas, vel externas esse humores singulos.

Porrò signa anxietatis docet Hipp. in lib. progno. pag. 166. nu. 3. his verbis, si verò nudos pedes habere comperiatur, nec admodum calidos; & manus, & collum, ac crura inæqualiter disiecta, ac nuda, malũ est: anxietatem enim significat. & in epistola prima Artax. describitur morbi pestilẽtis symptoma quod est. Multa anxietas populum corripuit, quę spiritum magnum, ac densum habet.

Quid autem medico sit præsagiendum de anxietate, antea dixit Hip. Malum est; anxietatem enim significat. In Coacis verò præno. pag. 178. n. a scribitur. Anxietatem in præcordio sentientibus, tumores circa aurem oborti, ipsos occidunt. & paulo supra. Præcordiorum distentio cum sopore anxioso, in caput dolẽte, absessus circa aurẽ attollit. & pag. 181. nu. 4. Ex uomitibus anxietates, clangores, oculi concretionem languinosam habentes, furiosa, & paulo infra ĩ uomitu si quis siticulosus sit, & sitis exors fiat malum est anxiosis vigilantibus. Absessus iuxta aurem maxime fiunt anxiosis, ac subdit. Anxiosi, lumbos dolentes, aluo humectantur. in eodem lib. pag. 175. nu. 1. ex pulmonis suppuratione, & circa ventrẽ sputi copiam in pulmone significat, & paulo infra. aliquando, ac clauiculam dolores, & anxie stertere Febres tertianæ naturam referentes, cum anxietudine malignæ sunt, ac postea. Anxietudines in diebus iudicatorijs si in his sine sudore perfrigerẽtur, & omnes, qui sine sudore perfrigerantur citra iudicationẽ male habent. & qui insuper riguerunt ex his, vbi vomuerunt meraca, anxij, tremuli in febre, malum. in l. præd. siue pror. pag. 169. nu. 10. Qui anxie se iactantes, citra vomitum exacerbantur, male habent, & n. 11. num anxie se iactantibus citra vomitum, lumbos dolentibus, si ferociter mente moti fuerint, spes est, vt nigra per aluum prodeant? in Coacis præno. pag. 176. col. 2. Affectiones cum vigilijs, & anxietudine tepẽtina, sanguinem fundunt, tum aliàs, tum si quid etiam antea profluxerit, & pag. 177. col. 1. soporosi, anxiosi, præcordium dolentes, parum vomentes, absessus iuxta aurem habent: antea verò circa faciem tumores cum sopore. Morbi derepente mentem percellentes, cum anxietudine sanguinem profundunt. soporosa, anxiosa, dolorosa præcordia, frequẽter parum spuentia, tumores circa collum habent. quocirca magna ex parte anxietas est malum. aliquando tamen est bonum, quando scilicet significat sanguinem è naribus fluxurum die opportuno in febre ardenti. Nunc quam desideret curationem anxietas manifestum esse arbitror: propterea quòd membra læsa, ob quæ anxius fit homo, correcta; anxietudo profecto remouebitur: quod quidem suprà declarauimus.

Aperire.

Reuellere siquò non oportet ferãtur; si verò quò oportet: his opus est aperire, vt quæque propensa sunt. hæc Hip. in lib. 6. de mor. vulg. sectio. siue com. 2. part. 29. vbi Galen. ait aperire hoc loco dixit non perinde atque in absessibus dicere consueuimus, videlicet scalpello persecare; sed communiore significatu. quod etiam referare venas, videlicet dum mariscas aperimus, comprehendit: & præterea euacuationes, quæ tum per nares, tum per vtrum fiunt. fistulas quoque aliquandiu fluere assuetas, mox verò ex aliqua occasione clausas aperimus. Præterea cerebri excrementa suppressa, ipsum subleuamus, facta per medicamenta aperientia ad aures proritatione, sed vt idem Gal. in eodem com. par. 1. densata aperire, & rarefacere, mediocriter calefaciendo: patentia verò cogere adstringendo, ac refrigerando opus est.

De Aphonia, siue vocis priuatione.

Aphonia græce dicitur obmutescentia, siue vocis priuatio latine. hęc affectio est perpetuo mala: scribit enim Hip. in l. 1. pror. par. 23. aphoniæ cũ singultu pessimæ. & par. 24. quę cũ exolutione fiunt aphoniæ, valde malæ. spiritusque in aphonia veluti his, qui strangulantur, promptus, malus. an & tale delirium portendat? & par. 29. palpitantes per totum an voce destituti moriantur? & par. 31. Surditas, vrinæque absque residentia prærubræ & sublime petẽtia mentis aberrationem portendunt. quibus morbus regius malo est, mala quoque & ex morbo regio fatuitas. hos voce quidem priuari, sed sentientes contingit. venteque arbitror, his copiose fluit. Et in lib. 2. pror. par. 18. si in febribus aphoniæ conuulsiuo modo in motionem mentis cum silentio transeant, pernicioſum, & par. 19. Quibus ex dolore aphoniæ, hi cum dolore moriuntur. & par. 50. Ex lumborum dolore ad os ventriculi recursiones febriles cum horrore, aquosa tenuia, & multa reuomẽtes, mente aberrantes, voce priuatæ, nigra uomentes, moriuntur. & par. 57. in febribus ad hipocundrium

dolores

dolores ſine voce, ſudore ſi ſoluũtur maligni. his ad coxas dolores,cum ardente febre, & ſi aluus profluxerit,pernicioſum, & par.58. Quibus voces cum febre deficiunt poſt iudicationem, hi cum tremore,& comate pereunt, & in l.3.par.2. ſi ex capitis dolore aphoniæ fiant, atque cum ſudoribus febrientes ſoluantur, & mala repetant; diutius perdurant, & ſuperrigere his malum non eſt, & par.4. Quæ cũ exolutione fiant & catoche, & aphoniæ, pernicioſæ ſunt, & par.31. an cum caro quoque aphoniæ conuulſiuæ, & in l.5.aph.5.ſi ebrius quiſpiam repente obmutuerit;conuulſus morit,niſi febre corripiatur: aut vbi ad horam ſuperuenerit, qua ſoluuntur crapulæ, vocem recuperet. idcirco palam eſſe arbitror aphonias per ſe ipſas malas eſſe affectiones,& malum denotare, in com. aph. prædicti Gal. ait. hic maximè obſeruanda eſt Hip. conſuetudo, qui mutos nominat illos, qui quouis modo obſtupuerunt.verum proprie ſtupor dr totius corporis inſenſibilitas, atq; immobilitas repentina. hanc itaque diſpoſitionem conſueuit Hipp.ex vno caſuum nominare,& fit proculdúbio neruorum principio patiente: neque enim aliter poteſt totum conuelli corpus, antequã id principium patiatur vel principaliter, vel per compaſſionem,altero prius patiente membro. in lib.1.pror. par.23. ſcribit idem Gal. aphoniæ fiunt & propter voci aſſeuientium inſtrumentorum læſionem, & propter principij neruorum affectum.

Materiã,ac modũ,quo fiãt aphoniæ docet Hip.in l.4.de Vict. rõne in mor.acu.par.27.his verbis. cum dolores acceſſerint; bilis atræ, fluxionumque acriũ deſtillationes fiunt.dolent morſa interna,morſæque ſcilicet grauantur à prædictis humoribus venæ, & admodum aræfactæ intenduntur, trahuntque inflãmatæ quæ influunt. quapropter corrupto ſanguine, ſcilicet repleta à fluxionibus huiuſmodi quæ afficitur particula;deinde vaſa opplentur:nequeũtibuſq; ſpiritibus naturales pertranſire meatus,ſ.cũ ſanguis ſteterit, atque cum eo ſpiritus; infrigidationes fiunt ob ſtationẽ, vertigines aphoniæ, capitis grauitas, & conuulſiones; ſi iam ad cor, vel hepar, vel in venam peruenerint, ſcilicet cauam, quæ prædicta coniungit viſcera.

Aphtha.

Legitur in l.3.aph.24.contingunt paruis, & nuper natis puerulis aphthæ,hoc eſt, oris vlcera,uomitus &c. ibique ait Gal.aphthas Græci vocant vlcera,quæ ſummam oris occupant partem ob mollicie maximè facta inſtrumentorum,quæ neque tactum, neque lactis ſuſtinent qualitatem,quod non paruam in ſeroſam continet partem, & hæc vim habet abſtergendi. idemque Gal.in comm.31.aph.12.inquit. fit quandoque & leuitas inteſtinorum ex aliqua ſummas partes occupante exulceratione ſimili illis,quæ in ore fiunt,quas Græci apthas nominant.Fit etiam in pulmone aphtha, quod vlcus feruidum appellat Hip. in l.2.de mor.pag.98.nu.48.huius notas, curationemque ibi lege, fit & in pudendis; verùm ſuo differemus loco.

Apium.

Apium magis vrinã mouet,quàm aluum: & radices magis aluum mouent.l.2. de diæ. & apij ſuccum infundit Hip.in nares,cerebro bile infeſtato, in li.2. de mor.pag.66.nu.19.

De Apoplexia.

Dicitur apoplexia morbus attonitus, &, vt legitur in l.de Glãd.pag.26.nu.9.ſyderatio. eſt morbus, apoplexia, in quo omnes corporis particula motum ſimul,& ſenſum amiſerunt.quæ duo ſigna facile cõprehendemus in lib.2. de mor.pag.66.nu.21. in quo deſcribit hoc pacto Hip. apoplexiam. Sanum derepente inuadit dolor circa caput,& ſtatim vox intercipitur,& ſtertit,& os hiat. & ſi quis ipſum uocet,& moueat:ſolum ſuſpirat. nihil autem intelligit, & multum mingit,& mingere ſe non ſentit. ex quibus verbis cognoſcere poſſumus ſenſum, & motum differentias eſſe apoplexiæ: itemque ſtertorem. hæc tria habemus etiam in nonnullis aph. ſcribitur enim in lib.6. aph.51. Quicunque ſani dolore capitis repente capiuntur,& ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt. vbi Gal.exponit. Mutos ſolet Hip. nominare nõ eos tantũ,quibus lęditur vox, uerùm ſecundum exuberantiam quandam vnà cum eius lęſione dat nobis intelligendas omnes;quæ ſunt ſecundum electionem operationes. his oblæſis non ſemper interit ſenſus: ſed ſi vtrunque patiuntur; talem affectum vocant apoplexiam.& in lib.7.aph.59. legitur.Quibus cerebrum aliqua ex cauſa concuſſum fuerit, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri. quo in loco ait Gal. conſuetudo eſt Hipp. ab vno accidente notiſſimo ſæpius.ſcilicet à vocis amiſſione nominare,& oſtendere illos, qui nullum alium motum ſeruant ſecundum electionem, vel nihil omnino ſentiunt. &, vbi Hip. ſcribit Suſpirat.Gal.in l.2.aph.42.inquit.in apoplexijs totum corpus ſenſu priuatur, ac motu:ſolus reflat anhelitus. alia autem dat ſigna Hip. in lib. de Glan. loco citato,& dicit.Cerebrum cladem perfert,ipſum etiam ſanum non exiſtens. Sed,ſiquidem erodatur;turbationem multam ſuſtinet,& mens deſipit,& cerebrum conuellit, ac diſtrahit totum hominem, qui in ſeipſo vocem non edit, ac ſuffocatur. & hæc affectio ſyderatio, ac Græcè apoplexia nominatur.

Porrò apoplexia eſt morbus valde acutus: propterea q legitur in aph. ſuperiore,in ſeptem diebus apoplectici pereunt; & morbi acutiſſimi in ſeptem diebus terminantur.Galen. tamen in l.6.aph.47. numerat apoplexiam inter diuturnas paſſiones. verùm de illa forte locutus eſt, in qua omnia prędicta ſigna nõ exquiſitè apparent:dicit enim in l.2.aph.42.ſi anhelitus prohibeatur; maxima eſt, & acutiſſima hæc apoplexia:qui verò reſpirant,ſed magna cum vi, fortis adeſt his apoplexia: fortis adeſt,ſed minus illis,q neque intentum, neque violentum, inæqualem tamen,atque inordinatum,ac præterea intermittẽtem habent anhelitũ:ſicut in quibus aliquem ſeruat ordinem,debilior exiſtit: & ſi omnia fiant, quæ ſunt neceſſario,citò curatur.quare hoc, vt arbitror,loco appellat apoplexiam reſolutionem ex apoplexia in partem aliquam decumbentem, quæ dicitur paraplegia; ſiquidem hæc ſicut. & apoplexia ſenibus euenit. ſed nobis argumento ſit paraplexiam aliquando ob antiquis dictam fuiſſe apoplexiam par. illa 49. Hip. in 2.pror. cuius verba ſunt. ſubitaneis apoplexijs ſi febris mediocris, ſolutaque, & dintina ſuperuenerit. Gal. verò exponens dicit. alij verbum mediocriter transferunt in proprie dictas paraplegias, in quibus ad partium aliquarum immobilitatẽ, ſenſuſque

susque priuationem decumbit morbus: nempe & has apoplexias dixisse volunt per abusum. præterea cum hæ bifariam fiant, vt Erasistratus in commētarijs de resolutione ait: nam hæ membrorum compositiones contrahunt, contenduntque: aliæ verò exoluunt, & laxant; speciem paraplegiæ in neruosorum corporum exolutione, & relaxatione consistentem ab eo nunc dici aiunt.

Species igitur apoplexiæ, sicut ex dictis accipimus, est duplex: altera acuta, & calida, quæ dicitur fortis: altera debilis, & diuturna, & frigida. & hæc diuisio fit etiam à Gale. in loco nunc prædicto, & ab Hip. in l. de Gland. n. 9. in quo ostendit acrem fluxionem efficere fortem apoplexiam. omnes autem apoplexiæ fiunt, vt affirmat Gal. in l. 2. aph. 42. vi animali non potente defluere ad partes infra caput existentes, aut propter aliquam dispositionem similem inflammationi, quæ in ipso cerebro sit constituta: aut vētriculis ipsis oppletis humore pituitoso. quare duplex humor est causa vtriusque speciei: humor etenim acris efficit apoplexiam acutam, crassus & pituita, & atra bilis diuturnam.

Prognostica. Scribit Hip. in l. 2. aph. 42. Soluere morbum, quem apoplexiam vocant fortem, impossibile: debilem verò non facile. & Gal. in apoplexijs totum corpus sensu priuatur ac motu, solus restat anhelitus, qui si & ipse prohibeatur; maxima est, & acutissima, hoc est, statim occidit. & Hip. l. 6. aph. 51. Quicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertūt, in septem diebus pereunt. & in l. 2. de mor. loco citato. in septem diebus moritur. & subdit. Huiusmodi verò morbus senioribus maxime fit, & magis, quā iunioribus. idq; confirmat in l. 3. aph. 31. sed in l. 6. aph. 56. apoplexiæ autem fiunt maxime à quadragesimo anno vsq; ad sexagesimum. ibique Gal. ait non omnem apoplexiam, sed quę ex atra fit bile contingit aduenire his, qui dictam agunt ætatem: quoniam in his maxime abundat atræ bilis humor, quemadmodum etiam in autumno. quòd si volumus simpliciter pronuntiare, plures senes laborant apoplexia. superiori. n. aph. qui est. 56. scripsit Hip. In morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus, stuporem corporis idest, apoplexiam, vel conuulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant. Verùm quo anni tempore maxime fiat apoplexia, scribit Hip. in l. 3. aph. 23. hyeme euenire: & eodem lib. aph. 16. in pluuiarum multitudine morbi comitiales, & attoniti, quos apoplexias græci vocant. idque si humor sit pituitosus: si verò melancholicus; fit maxime, vt Gal. placet, autumno: si fluxio est acris; profectò æstate plurimum.

Fit porro apoplexia cum conuulsione, ac sine conuulsione. de illa, quæ fit absque conuulsione, loquitur Gal. in li. 4. de Vict. ratione in mor. acu. par. 27. his verbis. interdum quoq; est facta absque conuulsione apoplexia, nonnullis morbus in partis resolutionem finiuit, qui paraplexia appellatur. Fit & sine febre, vt dicemus.

Nunc quæ sit curatio habenda, dicamus. Hip. in li. 2. pror. par. 49. ait. Subitaneis apoplexijs si febris mediocris solutaque, & diutina superuenerit; pernicioſum. vbi Gal. exponit. oborta apoplexia non acuta, & calida, sed debilis, & diuturna subsecuta febris nihil prodest. vnde nobis dicendum est in acuta apoplexia febrem conferre: nam ait Hip. in l. 6. aph. 51. antea citato in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit. & in l. 2. de mor. pag. 66. num. 21. hic. f. apoplexia acuta correptus si non febris ipsum corripiat; in septem diebus moritur. si verò corripiat, plerunque sanus fit. deinde alia docet auxilia, quæ ibi lege. verùm si datur tempus; curationem adhibe eam, quam de mor. acutis scribit Hip. in lib. de vict. ratione in mor. acu.

Apparent.

Apparere quandoque significat, vt vult Galen. signa, & casus, qui circa morbi tempora sunt: quandoque verò in conspicuo esse: exemp. vtriusque habes in l. 1. aph. 12. vbi ait Hip. sed ex his, quæ mox apparent, hoc est, ex signis, & casibus, qui circa morbi initia sunt, indicia sumuntur: quemadmodum in morbo laterali si circa initia statim sputū appareat, hoc est, videatur; morbum breuiat: si verò postea appareat; producit.

Appetere cibum.

De cibi verò appetentiæ, inappetentiæq; causa dicamus. Hip. in l. 5. de mor. pag. 75. n. 12. hæc scribit. si fontes hi scilicet membra principalia nō essent dum edimus, ac bibimus; vere non cognosceremus, neq; quid iucundum, neque quid iniucundum esset propter hanc, quam referam necessitatem. hi loci cum minores sint, & intra reliquum corpus; semper etiā antea quàm attrahat vnusquisque iuxta suam facultatem; reliquo corpori denunciat de cibis, ac potibus, qui biliosus fit, & qui pituitosus, & qui sanguineus, & qui aquosus: quicquid enim horum humorum plus, quàm opportunum est in cibis, ac potibus nobis obuenerit, neque cibos illos iucundos facit: quæ verò maxime appetimus pro eorum ratione etiam illi iucundi sunt. si verò cibis, ac potibus opus habuerit fons quidam, pro hac ratione etiam corpus trahet ab ipsis fontibus, donec humor paucior, quàm oportet, fiat: & tunc sane apperit homo aut edere, aut bibere tale quid, quod portionem illa expleat, ac reliquis adæquet. & propterea vbi multum cibum sumpsimus, aut bibimus; quandoque adhuc cibum, aut potum appetimus, & nihil aliud libenter edimus, quàm appetimus. postquā verò comedimus, & adæquatus fuerit humor; his perfectis, & in fontibus, & in corpore; tunc cessat appetentia. hinc exponitur. 32. aph. in li. 2. cuius verba sunt. omnes ferè, qui male se habent circa initia bene cibati, nec quicquā proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt: qui verò circa initia cibum valde non appetunt, postea bene appetentes, ij melius euadunt. vbi Gal. vult Hip. de his, qui conualescunt loqui: qui ab initio appetentes non nutriuntur ob totius corporis vitium cum partium appetentium vigore: aucto postea vitio, ipsum etiam appetendi instrumentum male se habet.

De Aqua.

Nunc de aquę natura, deq; eius vsu quò ad compositionem corporis humani, ad compositi commoda, ac incommoda audiamus Hip. sententiam. Aqua igitur, vt ipse inquit in lib. de carnibus pag. 18. num. 1. est elementum, quod terræ proximum locum cepit. humidissimum quid, ac crassissimum. verùm ea non in terra consistit, sed semper in decliue procedit, vt in l. de natura pueri declarat pag. 16. num. 28.

At

Ar aqua est duplex: altera simplex, & prima, altera mixta. prima elementum est simplex, absque odore, sapore: sed solum primas habet qualitates, à virtute cœlesti, & a propria materia donatas. mixta præter primas qualitates alias possidet: nam altera est dulcis, altera amara: & ex his alia alias participat virtutes, veluti salsedinem, sulphureitatem, aciditatem, & id generis sapores, & odores. & harum aliæ sunt stantes, aliæ minime: aliæ pluuiatiles, aliæ ex niue, & glacie aliæ præterea calidæ semper aliæ ad tempus: itemque frigidæ: aliæ spectant orientem, aliæ occidentem, aliæ septentrionem, aliæ meridiem, aliæ superstant terris arenosis, aliæ lutosis, aliæ alijs. sed ad simplicem aquam.

Quò aqua est magis simplex; eò leuior, & hæc ventrem non grauat. quò verò eam cognoscat, docet Hip. l. 5. aph. 26. his verbis. Aqua, quæ cito calet, & cito refrigeretur, leuissima est: talis. n. nec turbida nec cœnosa, ne in gustu, nec in odoratu aliquam absurdam qualitatem præsefert: &, quoniam cito calet, & refrigeratur; est bene alterabilis. sic in com. exponit Gal. & hæc de natura aquæ dicta sint.

Cæterùm cui sit vsui in compositione corporis humani, legamus Hip. in l. 1. de diæta pag. 44. n. 26. 27. 28. 29. ait. n. quod tenuiss. est in aqua, & rariss. in igne si in hominis corpore tẽperiem acceperint; saniſſimum habitum constituunt. & n. 27. quæ cunq; corpora ignis fortissimi, & aquæ densissimæ temperamentum acceperint; fortia, & robusta fiunt; & reliqua ibi legas velim. nec credas Hip. velle ex igne, & aqua corpus confici humanum: sed ex humore seminali, & calore, qui si has possidebunt conditiones; talia gignentur corpora.

Quæ verò commoda corpori in esse animalis cõstituto afferat, videamus. hæc quidem aut intra corpus sumitur, aut extra. si extra; eam adhibemus vt balneum fit, vel vt fit pars loci, in quo viuimus, veluti loca maritima, palustria, & huiusmodi. si intra corpus sumitur; est sola, aut cùm alia re mixta. simplex aqua datur vel ad tuendam sanitatem, vel ad recuperandam. ad sanitatem verò tuendam aqua sit optima. legitur autem in l. de aere, aquis. p. 36. nu. 14. optimæ sunt aquę, quę ex sublimibus locis, ac terreis collibus fluunt; hæ enim & dulces sunt, & albæ, & vinum modicum ferre possunt: & hyeme calidæ fiunt, æstate frigidæ; tales. n. sunt ex profundissimis fontibus. quę aquę fontes ad orientes habent, hæ prę omnibus optimæ sunt. secundũ ab his locũ habent, quę inter ęstiuos solis exortus, ac occasus emergunt, & magis hę, quę ad orientes. tertio loco quę inter occasus ęstiuos, ac hybernos scaturiunt. Et in l. 6. de mor. pop. sect. 4. par. 19. Aquarum cuiusq; artificij expertiũ, quę ab ęthere excreta est, vel cum tonitru, tempestiua: quę verò procellosa, mala. vnde cum in li. 3. de mor. nu. 29. vbi frigefactorię potiones ad febrem ardentem describuntur, quarum sexta est, Aquam cœlestem ipsam per se ipsam prębe, intelligendum est de illa, de qua supra dixit: quę scilicet ab ęthere excreta est, vel cum tonitru. quocirca in li. de aere, aquis, & locis. n u. 16. Aquę pluuiales leuissimę, & dulcissimę, & tenuissimę, ac splendidissimę sunt: quoniam sol quòd tenuissimum, ac leuissimum est in aqua, educit, & sursum rapit prę leuitate. rapit ab aquis stagnantibus, à mari, & ab omnibus, in quibus aliquid humoris inest. inest autem in omnibus rebus: & ex ipsis hominibus tenuissimum, ac leuissimum humorẽ ducit. quapropter etiam ex omnibus aquis hæ citissime putrescunt. & odorem malum aqua pluuialis habet; eo quòd ex plurimis congregata est, ac permixta vt citissime putrescat. idcirco opus habẽt, vt decoquantur, ac excolentur. sin minus: odorem prauum habent, & raucedines, & vocis grauitatem bibentibus inde accedere par est. at verò quæ cũ tonitru fit, in aere elaborata est, attritis nubibus: item quæ ab ęthere excreta est, hoc est, ab altiori acris parte, in qua possit vapor crassescere; quoniam qui vapor sublimiorem locum petierit, is purgatior redditur ac leuior. Optima igitur aqua bibita, vel quouis modo per hos sumpta non lędit sanos, curat ægros, præseruat à morbis: sic ea, quæ extra corpus vsui est quo quo pacto. & quemadmodum bona salutem corporis tuetur; sic mala ægritudines parit quo circa ex bonis aquis comprehendibus quæ, quotque sint sanitates: contrà ex malis qui, & quot morbi.

Quæ verò sit bona, quæue mala, & quando, & quo modo ex operationibus cognoscimus. has igitur recenseamus. Optimum igitur aqua madefacit, aut frigefacit corpus, vt ait Hip. in l. de hu. vsu. nu. 1. nam aquæ, vt in l. 1. de diæta legitur nu. 5. inest frigiditas, & humiditas. nec aquam bibimus, vt nos nutriat, sed vt alimentum conducat, & distribuat: dicit enim Hip. in l. de corde. n. 3. quomodo hominis alimẽtum sunt ventus, & aqua cruda? sed sunt magis cognatæ affectionis castigatio, & medela. & quamquam in l. 6. de mor. popu. com. 4. par. 2e. dicit. Aqua edax, vigilia edax; hæc verba significant, quòd aqua nos edaces efficiat, & vigilia, vt interpretatur Gal. sed dices in li. 1. de diæta nu. 4. asserit ignem omnia per omnia mouere posse, aquam verò omnia per omnia nutrire. nos autem dicimus Hipp. hoc in loco loqui de calorem naturali, & de humido spermatico, quod ad generationem, & nutritionem fœtus confluit quapropter non est alimentum, sed alimenti distribuens, & quo ad primas qualitates alimentum alterat, & corpus animalis. verùm morbis sanandis optima aqua bibita, & extra corpus adhibita peropportuna est, & commoda instrumentis medicis, & medicamentis, de cuius vsu lege Hip. in l. de hu. vsus pag. 54. nec tantum aqua corporis ægris competit, sed sulphurea, salsa, acuta, acida, amara, cruda, cocta, & aliæ sunt necessariæ. & hęc aliquãdo calida, aliquando frigida confert, & nocet. frigida namque, vt scribit Hip. in lib. 5. aph. 17. conuulsiones, distentiones, liuores, rigores febriles facit. & aph. 18. frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ. calidum verò vtile. & aph. 19. quæcunque refrigerata sunt ex calefacere oportet, exceptis his, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est. & aph. 20. vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolore insuppurabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuulsiones, distentiones. Et aph. 24. frigida qualis nix, & glacies, pectori inimica, tusses mouet, & sanguinem, & distillationes. Attamen quod mala afferat plurima testatur in l. de Vict. ra. in mor. acu. com. 3. par. 40. & ait. aquæ, quæ in acutis bibitur morbis, nullum sane aliud habeo quod illi concedã officiũ: neque enim in peripneumonicis tussim sedat, neque sputũ educit: imò cæteris minus, si quis

aquę

aquæ potione prorsus utatur. uerùm si inter oxymeli,& mulsam paulum aquæ instilletur, ob qualitatis potionum transmutationem sputum educit: nempe intus inundationem parit: alias neque sitim sedat, sed amaresçit: nempe ei, qui suapte natura bilioſus existit ea est biliosa. Hypocundrio præterea est infesta, malaque, atque etiam pessima, bilioſissimaque, & uirium maxima labefactatio, ubi in uacuitatem uenerit. adde, quòd lienem auget, iecurque, ubi phlegmone obsidetur, fluctuatque, & innatat. tarde si quidem meat; quòd frigida, & incoctibilis sit, neque alvum deijcit, neque urinas mouet. atque ex eo quoque nocua est, quod stercoris suapte natura expers sit. quam si pedibus frigentibus aliquando quis biberit; ea his omnibus multò magis nocebit, ad quodvis eorum uenerit. contrà frigida aqua iuuat: nam ait Hipp. in dicto lib. aph. 21. est ubi in distentione siue ulceratione, iuuene bene carnoso, æstate media frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat: calor autem hæc soluit. & aph. 23. in his frigido utendum: unde fluit sanguis; aut fluxurus est, non ad ipsa, sed circa ipsa unde fluit, & quęcunque inflammationes, uel inflammina ad rubrum, & subcruentum sanguine recenti tẽdunt: nam ueteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non ulceratum iuuat; nam exulceratum lędit; & aphorismo. 25. tumores articulorum, atque dolores absque ulcere, & podagricos quoque atque conuulsa. horum plurima frigida aqua largè effusa leuat, & extenuat, soluitque dolorem: nam modicus torpor dolorem soluit. porrò calidum. s. aqua calida hęc mala defert ubi sępius eo utatur, ut scribit Hip. in dicto lib. aph. 16. carnium effęminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectionem. hęc adque mors. Contrà hęc bona facit. scribit Hipp. in lib. 7. aph. 42. si febris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti super infusa solutio fit febris. & lib. 5. aph. 22. calidum supporatorium, non in omni ulcere magnum ad securitatem indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat, & ex his, quę ad caput attinẽt, eius soluit grauitatem: plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis prępipue eorum quam maxime in capite ulcera habent, & quęcunque à frigore moriuntur, uel ulcerantur, & repentibus comesis, sedi, pudendis, utero, ueśicę his calidum amicum, & iudicans: frigidũ inimicum, & perimens. uerùm quid calida boni, maliue efficiat aqua, quidq; frigida, lege librum de humidorum usu, in quo ea, quę dicta sunt, & alia pulcherrima reperies: ibique numero 2. audies Hipp. dicentem hæc de aqua calefacta. Frigida calida existens velut potabilis aqua debile quid est. Calida autem ne vlterius pergat, vt vrat. & subdit nu. 3. mediocritas extra noxam est, hoc est, aqua tepida. reliquæ verò lædunt, & prosunt velut relatum est. tamen reperies Hip. in pluribus morbis frigidam potui dedisse: nam in lib. 4. de Vict. ratione in mor. acu. par. 30. dat in angina. in 3. eodẽ par. 41. dat; cum in morbis acutis fortem capitis grauitatem, vel mentis læsionem suspicatus fuerit. in 4. par. 5. exhibet in causone; in l. 2. de mor. nu. 16. exhibet in lypiria post frigidum succum ptisanę. in eodẽ lib. nu. 19. in capitis læsione, & nu. 36. dat in febre à bile aquam frigidam quantum æger vult. & ibidem in febre, quæ nunquam intermittat. in lib. 4. de mor. pop. nu. 30. febribus acutis aqua frigida elata, vt reuomant, prodest, si sticuloſi sint. & in lib. 3. de mor. num. 14. aquam frigidam plurimam in Opisthotono superfundito. & li. 4. de morb. pop. nu. 18. neque vomitu facto ab aqua frigida laxabatur. superfusę verò sunt ipsi aquæ frigidæ amphoræ circiter triginta super corpus. & sane hoc solum dolori ventris à catapotio accepto prodesse videbatur. & postea deorsum processit bilis multa. & lib. 7. dolorem ad cor venæ sectio soluit, aquæ potus, aqua mulsa, ac præterea in alijs pluribus locis habes de aquæ frigidę vsu. sed & ad calidam redeamus. in repletione, quæ uidetur à lassitudine facta, multa calida lauat Hip. in l. 3. de Diæ. pag. 50. num. 10. & in l. 2. de mor. pop. sect. 6. puerpere febricitanti, & dolenti aquam affundito. & paulò infrà. In gutturis dolore aquam calidam super caput fundito; si non frigus fuerit. & infrà, si hominem calor corripiat non à bile, neque à pituita; sed aut à lassitudine, aut aliàs febriat; aquam multam calefacito: deinde ea superinfusa caput rigato, donec pedes sudarint, & farinam crassissimam coquito. & sect. 5. eiusdem lib. si desipiat; caput irrigato, si nõ prę cordia fuerint eleuata. & infrà. Vomitus solutio, aquam calidam bibendam dato, & uomat. & subdit. In conuulsione digitorum manus citra febrẽ uenam secato; si nõ caput doleat, sin minus; aquam calidam affundito. Et ad oculos frigidam super caput fundito. Et in lib. de fract. in unaquaque resolutione multa calida aqua uti oportet in omnibus: enim circa articulos læsionibus multa aqua calida affundenda est. & hæc de facultatibus primis aquæ.

Sed de aquarum uiribus secundis, quas à solis prę sentia, uel absentia acquisiuerũt, aut à terra, & loco, aut à motu, & quiete uidendũ est, quid dicat Hip. nã medicũ, ut ipse inquit in l. de aere, &c. pag. 35. nu. 1. perscrutari oportere, num homines aquis paluſtrib. utantur, & mollibus, aut duris, & ex sublimi loco prolabentibus, & scaturientibus, ex petris, siue salsis, & crudis. Aquæ igitur in locis meridionalibus existentes multæ, & subsalsæ sunt, & necessario non sublimes: æstate quidem calidæ, hyeme frigidæ. hæc Hip. in lib. dicto nu. 2. verum nume. 7. ex mulieribus multæ sterilis fiunt propter aquas, quæ duræ sunt, & crudæ, & frigidæ. pariunt difficulter. pueros nutrire non possunt: lac enim ab aquarum duritia, ac cruditate extinguitur. tabes frequentes à partu pueris, hydropes in testibus. & nu 8. aquæ oriẽtales salubriores sunt septentrionalibus. oẽs sunt splendidæ, odoratæ, molles, & amabiles: sol enim emergens, ac illustrans ipsas castigat, formæ hominum boni coloris, clara uoce præditi homines, ira, & intelligentia præstantiores septentrionalibus. fœminæ fęcundę, ac facile pariunt. morbi pauciores, ac debiliores. occidentales autem aquæ contrà. Et nume. 10. paluſtres, stabiles, lacuſtres ęstate calidæ sunt, crassæ, & olentes: hyeme glaciatæ, frigidæ, ac turbatæ præ niue, ac glacie, ut pituitosissimę, ac rauocosissimæ existant. splenes his sunt magni, ac pleni: uentres duri, tenues, ac calidi. humeri, clauiculæ, & facies attenuata edaces. uentres superni, & inferni calidissimi. hydropes. dysenteriæ. alui profluuia, & febres quartanæ diuturnæ. peripneumoniæ, insanię, & alij morbi fiunt, quos lege num. 11. & 12. & pessi-

mæ

mæ aquæ,quæ ad auſtrum,& inter æſtiuum ortum, & occaſum. ventribus duris,& idoneis,vt amburan tur,dulciſſimæ,& leuiſſimæ,ac ſplendidiſſimæ conducũt:mollibus,pituitoſis,& humidis dulciſſimę,& eruditiſſimæ,ac ſubſalſę aquæ conferũt &.n.15.Quæ aquæ optimæ coctu ſunt, ac facillime liquefcũt,eas par eſt ventrem maxime exoluere, ac eliquare: quæ contrà, conſtringunt, ac reſiccant. talis etiam ſunt aquæ ſalſæ, de quibus lege nu.16.ſic de aquis fontanis ibi.pluuiales leuiſſimæ,& dulciſſimę,ac ſplendidiſſimæ ſunt: ſol.n.quod tenuiſſimum,ac leuiſſimũ eſt in aqua educit,ac ſurſum rapit &.n.17 ſed ex omnibus aquis hæ citiſſime putreſcunt, & odorem malũ pluuialis aqua habet: eoquòd ex plurimis congregata eſt,ac permixta & nu.18 Aquæ ex niue,& glacie productæ omnes malæ ſunt:cum enim ſemel cõcretæ fuerint, non amplius in priſtinã naturam reſtituuntur. At de aquis putealibus dicamus. ſcribit Hip.in lib.de natura pueri.nume 30. Aqua,quæ hauritur in puteo ſpiritum ſemper mouet,velut, flabellum, atque hoc ipſum, aquæ frigiditatem inducit. quæ verò non hauritur eſtate,ſed ſtans denſa exiſtit, non ſimiliter ſpiritum in ſe a terrà ſuſcipit,neque in terram: à ſe ipſa diſtribuit, & ſimul à ſole,& aere in puteo non diſperſo, ſed ſtante, ac firmato,primum ſuperficies ipſius calefit,deinde alia eius pars ad aliã deorſum caliditatem diſtribuit. & propterea aqua, quæ æſtate non hauritur, calidior eſt ea,quæ hauritur. Quin & fontes valde profundi eſtate ſemper frigidi exiſtunt: & aqua hauſta hyeme terra calida exiſtente,ex tali fonte,ſtatim quidem calida eſt: vbi verò tempus progreſſum fuerit,frigida eſt, ab aere videlicet frigido exiſtente talis facta: perflatur enim à vento,& ſpiritus per ipſam tranſit, quemadmodum etiam aqua, quæ æſtate hauritur, vbi hauſta fuerit ſtatim frigida eſt,calida autem fit poſtea; propterea quòd terra rara exiſtente, & ſpiritum in ipſa exiſtente perfrigeratur: vbi autem hauſtæ tempus acceſſerit,ſtabilis fit, & calida conſpicitur: calefit enim ab aere calido exiſtente, quemadmodum & aqua, quæ non hauritur in puteo æſtate, ob hoc ipſum calida redditur.

Quæ verò morboſæ ſint aque, declarat in lib. de aere,aq.& lo.nume.10.& ait.quæ paluſtres ſunt,& ſtabiles, ac locuſtres, eas neceſſe eſt æſtate eſſe calidas,ac craſſas,& olentes. incommoda verò proſequitur,quæ ab huiuſmodi aquis fiunt. Et ſubdit nu.13. Secuudo loco eas, quarum fontes è petris ſcaturiũt: duras enim eſſe neceſſe eſt, aut iſthic, vbi calidæ aquæ exiſtunt,aut ferrum naſcitur,aut æs, aut argentum,aut aurum,aut ſulphur, aut alumen, aut bitumen,aut nitrum:hæc enim omnia præ violentia caloris naſcuntur.vnde duræ prodeunt aquæ,& æſtuoſæ,& quæ difficulter minguntur, & ad alui egeſtionem contrariæ.

Aquilo.

Aquilo eſt ventus ſeptentrionalis frigidus, & ſiccus. dicitur alio nomine Boreas. quando ſcribitur hyems ſicca,& aquilonia;ſignificat tuuc aquilo frigiditatem,veluti Hip. in lib. 3. aph. 11. ait hyems ſicca, & aquilonia.i.frigida,& aph.12. ver ſiccum, & aquilonium, & aph.13.æſtas ſicca & aquilonia:ſed conſtitutio aquilonia per ſe eſt frigida, & ſicca vis huiuſmodi venti eſt talis. Scribit Hip.in lib.de.mor. ſacro pag. 59. num. 15. aquilo compingit aerem, & turbatum,ac nubiloſum excernit,& illuſtriorem,ac pellucidum facit:eodem modo etiam alij omnes venti ex mari, alijs aquis profiſciſcentes: ex omnibus enim rebus, atque adeo ex ipſis hominibus humiditatem,ac tenebroſitatem excernunt. quapropter ſaluberrimus omnium ventorum aquilo exiſtit.& ſubdit. ab aquilonis flatibus neceſſe eſt, quod ſaniſſimum eſt in cerebro compingi, quod verò morboſiſſimum eſt, ac humidiſſimum excerni, & forinſecus circumaluere.verùm conſtitutiones aquiloniæ vt ait Hip.in lib. 3. aph. 17. corpora denſant, intendunt,& bene mobilia,coloratiora,& melius audientia faciunt. & aluos exſiccant,oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis obſederit; dolorem augent L. Boreas.

Arcturus.

Arcturo oriente principium eſt autumni,& æſtatis finis, vt ait Gal. in 1.de morb. popu. & in com.3. aph.14.oportet, vt inquit Hip.in l.de aere, aquis,& locis,aſtrorum exortus conſiderare,præcipue canis, deinde arcturi,& pleiadum occaſum: morbi enim in his maxime diebus iudicantur.alijque perimunt,alij verò deſinunt, aut in aliam ſpeciem, aliumque ſtatum tranſmutantur.

Ardor.

Ardor, & ſitis propria ſunt ſigna febris ardentis. vnde Hip. pro febris ardenti ſcribit ardorem, vt in lib. 3. aph. 30. cuius verba ſunt. vltra hanc ætatem aſthma, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi,phrenetides, ardores. ſed de febre ardenti lege Cauſum.nec ſolum pro febre abſoluta ſcribitur ardor, ſed pro calore, qui poſt febris refrigerationẽ remanet in aliqua corporis parte, veluti apparet in l.1.pror.par.7.at legitur in lib.2. de mor.pop. ſect.3. ſudauit caput valde. & ſic ſudor firmus erat; quod quidem ardor etiam ſiniſtri lateris eſſet.

Arena.

Scribit Hip.in lib 4.de mor. pag.78.num.29.quo pacto lapides fiant in uefica, ubi de arena loquitur.

Arenidæ.

Arenidæ dicuntur alui excrementa, quæ facile diſſoluuntur. fiunt à cibis,qui arenulentam,& ſolutu facilem habent ſubſtantiam hæc Gal. unde Hip. in l.3.pror.par.24. arenidæ, & liquidæ deiectiones.

Aromata.

Suffitus aromatum muliebria ducit: ſæpius uerò & ad alia utilis eſſet, niſi capitis faceret grauitatem. Sic ait Hip. in lib. 5. aph. 28. ſed in lib. de ſterilibus pag.124.nu.13.docet,quo pacto fiat ſuffitus.

Arteria.

Arteria eſt inſtrumentum, quod ſeruit cordi, & pulmoni. arteria,quæ ſeruit pulmoni, dicitur Trachea,cuius deſcriptionem lege in l Hip. de corp. reſectione. pag. 25. num. 1. & in lib. de oſſium natura pag.28.nu.19.de arterijs,quæ cordi ſeruiunt,tractat Hip.in lib.2.de mor.popul.ſect.4. pag. 132. alimentũ uenæ,& arteriæ, ut in lib.de alimen.nu.12.ſcribitur,eſt pus.officium arteriæ eſt,ut legitur in l.de corde pag. 25. nu.7. quòd uenæ operantur reſpirationẽ in ſiniſtrum uentriculum:arteria autem in alterum. molle autem magis attrahit, & incrementum capit, & in lib.de alimento pag.57.n.7. radicatio uenarum hepar, radicatio arteriarum cor. ex his aberrant in

omnia

omnia sanguis,& spiritus, & calor. per hæc meat vis vna,& non vna.omnia hæc,& alia gubernantur,alia quidem ad vitam totius,& partis:alia ad sentum totius,& partis.reperitur pinguedo in arterijs, vt docet Hip.in lib.de inter. affec. pag.87.num.25.vbi inquit.cum aqua in pectoribus fuerit;calorē,vehementem exhibet,vt pinguedo, quæ in arterijs ineſt,colli queſcit:& ſi ſemel liquari pinguedo inceperit;multò amplius in breui tempore aquam intercutem facit. inter ſigna mala ſcribitur in l.7.de mor. popul. pag.148. part.15. erat ad manum frigidus corpus arteriarum:quæ verò in temporibus ſunt;etiam magis ſalıebant. & l.6.de mor. popul. ſect.7.erat ab arteria male affecta,malum ſignum.

Arteria pulmonis plures patitur affectiones: nam vlceratur in angina, vt ſcriptū eſt in com.4.de victratione in mor. acutis part. 35. propter humorum acrimoniam.& quando pulmonis arteria fuerit vulnerata,tuſſim habet, & ſanguinem tuſſiendo reijcit, & alia ſigna adſunt, de quibus, ac de curatione lege lib.2.de morb.pag.69.num.51.conuellitur etiam arteria,aut aliqua vena ex his,quæ ad pulmonem tēdunt.huiuſce conuulſionis ſigna, & curationem vide in lib.de inter.affec.pag.84.nu.2.dat ſignum prognoſticum arteria pulmonis; inquit enim Hip.in l. 7. de morb. popula. nume. 15. arteria vix reſpirans ſubſibilabat.

De Articulis.

Articuli laborant abſceſſu,doloribus,puſtulis,exolutione,confractione,decubitu, luxatione, vulnere, tabe,atque alia ſuſtinent,de quibus omnibus ſcribit Hip.librum pag.193.

Morbi præterea articulares quandoque ſunt ſigna prognoſtica ſalutis, vel mortis in aliquo morbo. vnde legitur in l.6. ſect.1.diſtentiones corporis, & articulorum duritiæ malum:& ipſe diſſolutus,& confractiones articulorum malum. Et ſect. 2. Venæ temporum,non cōſidentes,ideſt, quæ plurimum dilatantur,neque viriditas ſplendida, ſi ſpiritus intus relinquatur, ideſt, ſi reſpiratio ſit amplior aut tuſſis ſicca,non ferina; vt in articulos decumbat abſceſſus expectare oportet: e directo diſtentionem ſecundū ventrem vt plurimum. habent autem horum plurimi facies rubicundas,& ex natura ſunt modi albidioris,& de naribus ſanguis non erumpit,aut parum.& ſiquidem ex affuſis, ideſt, eo affuſo aliquid intus relinquatur;paratus eſt abſceſſus.Et in l.2.pror. craſſa vrina albam ſubſidentiam habens aut circa articulos dolorem aliquem,aut tomorem ſignificat. Et in l.de Coacis præno.n.2.In febribus longis aut tubercula,aut dolores in articulis fiunt:&,ſi facti fuerint; non ſunt inutiles. Et infrà ait. Quibus in febribus tremores citra iudicationem ceſſant, his temporis progreſſu abſceſſus doloroſus ſuppuratus in articulos fit, & veſica doloroſa. Et in l.2.præd. pag.175. nu.47.quibus circa articulos dolores fiunt.& tumores,& ſedantur,non podagrico modo,in his comperies viſcera magna,& in vrina ſubſidentiam albam. & talis ſi tempora eleuarit; dicet ſe ſæpe dolere, dicet etiam ſudores ſibi nocturnos oboriri. ſi verò neque in vrina ſubſidet talis ſubſidentia, neque ſudores fiunt; periculum eſt, ne aut claudi fiant articuli, aut affectio abſceſſus humori meli ſimilis, quē meli cerida vocant, ſub ipſis naſcatur. fit autem hic morbus his, quibus in pueritia, & iuuentute ſanguis naribus fluere ſolitus deſijt.proinde interrogandum eſt de ſanguinis eruptione, an in iuuentute facta fuerit,& an pruriginoſæ velut ab vrtica puncturæ, & in pectore,& in dorſo inſunt: & quibus alui dolores fortes inducant;circa exturbationes, & quibus hæmorrhoidas fiant; hoc enim horum morborum principium eſt. ſi verò etiam malo colore præditi ſint hi homines; interrogandum eſt,an caput doleant; hoc enim fatebuntur.

Quando autem fiant abſceſſus, & dolores, declarat Hip.in lib.4.aph.31.& 32.& ait.laſſitudinem habentibus in febribus in articulos, & circa maxillas potiſſimum abſceſſus fiunt. & quibuſcunque reſurgentibus ex morbis ſi quid laborauerint, hic fiunt abſceſſus.Et aph.44.quibus febres,longæ,his tubercula,vel labores in articulis fiunt. & aph.45.quibus tuberdula, vel in articulis labores fiunt, hi pluribus vtuntur cibis. & in l.prog.com.3.par.23.vſq; ad.30. ſi qua febris prorogatur, ſalue affecto homine, nec dolore detinente,aut ob inflammationem, aut ab aliquam cauſam euidentem; expectari oportet abſceſſum cum tumore,& dolore, qui in articulos, maximeque inferiores decumbat. talis abſceſſus magis, ac minori tempore euenit natu minoribus trigeſimum annum agentibus.conſiderandus ſtatim abſceſſus eſt,vtrum vigeſimum diem detinens febris tranſcedat; natu verò maioribus per febres longiores minus accidunt.oportet talem expectari abſceſſum per febrem continuam,in quartanam verò diſceſſuram, quoties intermittat; præhendatque errabilem modum,atque ita agendo autumno propinquet.quemadmodum in minoribus natu trigeſimum agētibus annum abſceſſus conſiſtunt,ita quartanæ potius annum agentibus quadrageſimum, aut etiam ſenioribus accidunt, ſciendum, vt abſceſſus hyeme potius accidant ac tardius deſinant,& minus retrocedunt. & in lib.3.aph.20.vere fiunt articulorum dolores.& aph.31. ſenibus articulorum dolores. ſigna verò futuri abſceſſus præter ſupra dicta explicat Hip. in li. 4.de mor.popul pag.138.num.16.his verbis. quibus abſceſſus ad oculos in febribus ardentibus hi maxillas rubent,& ſanguinem ex naribus fundunt, ſed & quibus ad aures fiunt. fortaſſis autem & abſceſſus ad articulos magis; non tamen clare noui. & in lib. de Coac.prænot.nu.2.ait.qui diutius ſecure ex febre continua laborant,citra dolorem, aut inflammationem, aut aliam cauſam, his abſceſſus expectandus eſt cum dolore,& tumore, & magis in infernis partibus. expectare autem oportet abſceſſus his magis, qui trigeſimum annum egreſſi ſunt.& tnnc expectare abſceſſus oportet, vbi viginti dies febris tranſmiſerit.ſenioribus autem minus fiūt,& vbi multo tempore febres durant.

Cauſam verò præter aliàs recenſet Hip.in lib.prędicto.nu.6.& ait. in articulis abſceſſum facit diſenteria intempeſtiue ſuppreſſa.& in l.6. de mor.popul. ſect. 3. fortaſſis ex laſſitudinibus in articulos abſceſſit, ex quo crurium effœminationes. & ſect.7.tuſſis lædit articulos.

Sed de curatione abſceſſus futuri ait Hip. in li.4. aph.74. ſic. quibus ſperatur abſceſſum futurum ad articulos,liberat ab abſceſſu vrina multa,craſſa,& alba facta,qualis in laborioſis febribus, quarto die qui

buſdam

busdam incipit fieri. Si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis, breui admodum solutio fit. hoc idem confirmat in lib. de humoribus pag. 56. nu. 9. & subdit. cui intestinum in dextra parte dolebat, & articulari morbo correptus est, quietior erat. postquam autem hic curatus fuit magis dolebat. hanc sententiam confirmat in lib. 6. de morb. popul. sect. 4. & in lib. 5. aph. 25. tumores articulorum, atque dolores absque vlcere, & podagricos quoque, atque conuulsa, horum plurima frigida aqua large effusa leuat, & extenuat, soluitque dolorem. modicus torpor dolorem soluit. & in lib. de Vict. ratione in morb. acutis. com. 4. par. 63. & 64. quibus per febres crura tuberculis afficiuntur, eaque tractu temporis manente etiam num febre non maturuerint, faucibusque haudquaquam tumentibus irrepserit suffocatio, non maturuerint inquam, sed extincta sint; ijs sanguis è naribus fluere consueuit, qui si multus fluxerit, morbi solutionem portendit: si non multus; morbi prolixitatem. quare quò minus fluxerit, eò deterius, & prolixius erit malum. quòd si & alia facilia fuerint, pedis dolores sunt expectandi: qui si pedem affecerint, & doloros us perseueret, inflammeturque, & non leuetur, dolores post paulo ad ceruicem perueniunt, clauiculamque, & pectus, & articulum: nempe, & hic tuberculosus fieri debet. quibus extinctis si manus vel contrahatur, vel tremulæ fiant, talem neruorum distentio prehendit, pustulæ in supercilijs oriuntur, ruboresque ægrum habent, ex palpebris altera ad alteram germinat. dura prehendit phlegmone, tumet vehementer oculus, & delirium valde crescit, intenditurque, atque noctu magis quàm interdiu iudicatur. signorum autem multa fiunt in numero impari magis, quàm pari. vtro tamen horum fiant, pernicios i superueniunt. hos si ab initio purgare volueris, id ante diem quintum facito, vbi venter murmurauerit; si non, à medicamentis abstineto. verum si murmurauerit, fuerintque excrementa bilios a; scamonia mediocriter purgato: quantum verò ad aliam pertinet sanationem: quam minime exhibebis tum potus, tum sorbitiones, vt melius æger habeat nisi decimam quartam fuerit egressus. & in lib. de humid. vsu pag. 55. nume. 11. articulos induratos aut ab inflammatione aliquando oborta, aut à distortione, operepræcium est sanare, aqua calida in vtriculum infusa. Et li. 6. de morb. popul. sect. 5. labor articulis, & carnibus: cibus, somnus visceribus.

De articulorum autem exolutione scribit Hipp. in lib. de Flatibus pag. 40. nume. 12. hæc verba. Articuli exoluuntur ante febres; calefacti enim nerui deducuntur. De pustulis circa articulos hæc dicit in lib. de Coacis præno. Qui circa articulos rubicundas in superficie pustulas habent, insuperque rigorem, hi circa ventrem, & inguina rubefiunt, velut ex plagis dolorosis, & moriuntur, & supra de tumore inquit. partes citca articulos tumefaciunt in intestinorum leuitatibus cum animaculis dolores tormine soluti. & hæc de articulis. qui plura expetit, legat librū de articulis, in quo de reliquis morbis, quos silētio prætermittimus, pertractat Hip.

Ascarides.

Scribit Hipp. in lib. 6. de morb. pop. com. 1. par. 13. & 14. ferinum autumno, & cordis dolores, & horrores, & melancholicum. ad principia accessiones considerandæ sunt, & in vniuerso morbo veluti vesperi accessiones habere, & annus ad vesperam, & ascarides. Sic in lib. 2. de mor. pop. sect. 1. hæc eadem explicat, & ante, autumno maximè ferinū, & oris ventriculi dolor, quanquā & ipse minus maleficus fuerit, ipso morbo tali existēte. ascarides vesperi similiter huic, & illæ tunc infestant in die plerumque non solum: ideoque magis affligunt, sed etiam ipsæ per se ipsas. ex quibus verbis palam est ascarides autumno fieri. in lib. de Coac. prænot. nu. 2. tale dant præsagium ascarides. qui in capitis dolore ascaridas habent, his surditas, & sopor consequens absscessus circa aurem exsuscitat. curationē verò habes in li. 2. de mor. mulieb. pag. 119. num. 66. & hæc est, si in puden do mulieris, aut intestino recto ascarides nascantur; viticis semen, aut folia cū fellis bubuli obolo permiscentur, & olio cedrino subiguntur, & lana succida molliss ima excipiuntur. induntur autem tertio quoque die per noctem, ac diē, postridie verò vbi amouit, calida lauetur: & allium coctum, & crudū edat: & ascarides exeunt, aut moriuntur. muria verò etiā colluere oportet. at l. lumbrici.

Asinus.

In lib. de superfœtatione nu. 26. pag. 24. scribitur cum mulier prægnās mēses profluos habet, stercus asini siccū, & rubricā, ac sepię testam trita simulque linteo illigata apponat, & in li. de natura mul. pag. 98. nu. 98. terrā ex asinorū pedibus deradito, & stercus asininum cum vino nigro subigito. ac suffito. in lib. verò. 2. de diętis. pag. 46. nu. 9. asini carnes aluum secedunt.

Asparagus.

Asparagus, vt in lib. 2. de dięta pag. 47. nu. 14. scribitur, est siccus, & aluum sistit. & in lib. de natura mulieb. semen eius iuuat conceptum in vino potū.

Asperitas.

Lingua aspera denotat siccitatem, vt in pluribus locis exponitur à Galen. in lib. Hippoc. est signum febris ardentis, & in lib. 7. de morb. popul. asperitas efflorescebat.

Assatio.

Scribitur in li. de Carnibus. pag. 18. num. 5. si quis neruosa, & glutinosa, itemque alia assare velit, alia quidem cito assantur. verùm neruosa, & glutinosa assari non volunt; minimum enim pinguitudinis habent. pinguissimum autem, & vnguinosum, celerrime assatur.

Assimilatio.

In lib. de Alim. pag. 53. nu. 1. legitur. assimilat pro viribus, cum id, quod superingeritur; superatur: id verò, quod prius inest superat.

Assumere cibū. Si à morbo cibū assumēs quis non corroboratur; pluri alimēto corpus vti significatur; & si nō assumēte cibum hoc accidat; scire oportet, & indiget euacuatione. hęc sententia habetur in lib. 2. aph. 8. vbi Galen. ait. consuetum est nobis dicere non assumere cibum illos, qui sine appetitu sunt: assumere autem appetentes, ac pastos vsque ad satietatem.

Asthma.

Asthma. i. anhelatio fit tempore autumnali, ut scribit Hipp. in lib. 3. aph. 22. & ætate puerili post

dentitionem, vt legitur aph. 26. & in ætate virili, vt aph. 30. & in ſanibus, vt aph. 31. eiuſdem libri. fit præſagium ex aſthumate tale, quale ſcribitur in li. 6. aph. 46. qui gibbi ex aſtmate, aut tuſſi fiunt ante pubertatem moriuntur. alia lege, vbi ſcripſimus de anhelatione. hoc tamen adde, quòd in lib. 2. de mor. mulieb. pag. 121. n. 1. reperitur. ad anhelitum pueri facit thus in vino dulci: & illuuies.

Aſtronomia.

Aſtronomia, vt inquit Hip. in lib. de aere, aquis, & locis pag. 35. & num. 2. non minimam partem confert ad rem medicam; ſed omnino plurimam: cum vnà cum temporibus, & vētriculi in hominibus mutentur, & in eodem lib. num. 30. oportet ſolſtitia cognoſcere, & aſtrorum exortus cōſiderare præcipue canis, deinde Arcturi & pleiadum occaſum: morbi enim in his maxime diebus iudicantur: alijque perimunt, alij verò deſinunt, aut in aliā ſpeciem, aliūq; ſtatum tranſmutantur, & in lib. 1. de diæta. pag. 42. num. 2. ſed & aſtrorum ortus, & occaſus cognoſcere oportet: quò mutationes, & exceſſus ciborum, ac potuum, & ventorum, & totius mundi, ex quibus ſanè morbi hominibus oriuntur, obſeruare ſciat.

De Atra bile.

Atræ bilis nomen quandoque intelligitur pro humore craſſo, ac terreſtri: aliquādo pro affectione, quā ſequitur huiuſmodi humor, cuius naturam ſcribit Hip. in lib. de natura hominis pag. 12. nu. 28. & inquit. atra bilis inter oēs corporis humores, viſcoſiſſima eſt, & ſedes diuturniſſimas facit. huius materia quęnā ſit explicat Hip. in l. de aere, aquis, & lo. pag. 37. n. 29. & ait. bilioſis infeſtiſſimū hoc tempus. ſ. autumnale frigidū, & ſiccū exiſtit: valde. n. exſiccātur, aciduntq; eis lippitudines aridæ & febres acutæ, ac diuturnę, & aliquibus bilis atra: ſi quidē quod liquidiſſimum, ac aquoſiſſimū, in bile eſt, conſumitur, dēſiſſimū verò, & acerrimū relinquitur. quod idē accidit ſecundū eandē rationem & circa ſanguinē. vnde hi morbi his accidunt. hæc igitur eſt atrę bilis materia, & modus generationis eius.

Et ſicut duplex eſt materia, hoc eſt, flaua bilis, & ſanguis; ſic duplex eſt humor atrabiliarius: nā q. fit à ſanguine, mitior eſt: qui à flaua bile, eſt maleficus, ac derodit partes, in quibus abunde collectus eſt.

Similis aūt eſt atra bilis illi humori, qui phrenitidē facit; nā ſcribit Hip. in l. 1. de mor. pag. 63. nu. 28. aſſimiles ſunt maxime hi, q. phrenitide tenētur his, qui ab atra bile delirāt: nā & hi vbi ſanguis ex bile, & pituita corruptus fuerit, morbū habēt, & demētes fiūt, aliqui verò ēt inſaniūt, & q. phrenitide dorrepti ſunt eodē modo. tantò minor inſania ipſumq; deliriū fit, quātò paucior, ac debilior eſt bilis, q. pituita.

Tēpus verò, quo mouetur atra bilis, eſt autumnus; & ętas à quinq;, & viginti annis vſq; ad quadrageſimū quintū, ſicut ſcribit Hip. in l. de nat. homi. n. 12. dicit. n. hęc ętas prę oībus alijs maxime à bile atra infeſtatur, & autumni tēpus oīum anni temporū ad eādē aptiſſimū eſt. propterea tunc tēporis mouentur quartanę febres, & erraticę, & lienes, furores, & atrę biles, & morbi comitiales, vt ſcriptū eſt in li. 3. aph. 22. ſed vere mouētur, ut habeī in prędicto lib. aph. 20 ſiquidē vere ſanguis moueatur, in quo oēs humores potētia exiſtunt: vel cū Gal. dicendū eſt hominē pitūita plenum, vel flaua bile, vel atra, vel etiam ſanguine tunc moueri.

Signa verò atrā bilē declarātia ſcribūtur ab Hip. in pluribus locis: nā in l. 6. aph. 23. ſi timor, atq; mæſtitia longo tēpore detinentes. ſ. ſine cauſa manifeſta perſeuerēt, ex eo atra bilis ſignificatur. Et in li. 6. de mor. pop. ſect. 5. vel com. 5. par. 14. inquit. Linguæ virides bilioſæ: bilioſum autem à pingui: rubræ verò à ſanguine, nigræ ab atra bile, aridæ à fuliginoſa exuſtione, & ab vterino mēbro, albæ verò ex pituita, & in l. 2. de mor. mulieb. pag. 119. n. 64. cum mulier caput dolet, & ſinciput, ac collū, & vertigo præ oculis obſeruatur, & timet, & triſtis fuerit, & vrinæ nigrę, & ſimilia p vterū prodeūt, & anxietas, & męror ipſā tenuerit; atra bilis in vteris ineſt. Et in li. 6. de morb. popu. pag. 146. col. 2. Adamantus atrabiliarius, à peplijs pluribus vomuit aliquādo nigra, qñq; à cœpis.

Quos morbos faciat atra bilis, & qui hoīes morbis atrabiliarijs corripientur, recitat Hip. in lib. 2. de mor. pop. ſect. 5. & ait morbos habēt balbus, aut caluus, aut gracili voce præditus, aut hirſutus fortiter atrabiliarios. In lib. de natura hominis, n. 26. quartanæ febres atræ bilis participes ſunt; autumno. n. maxime homines à quartanis corripiūtur. Fit & ab atra bile varix in pulmone, vt narrat Hip. in lib. de inter. affec. pag. 85. & n. 5. fit & renū morbus, in quo vrina prodit velut à carnibus bubilis aſſatis ſuccus, vt in eodem lib. num. 17. legitur. Et nu. 30. eiuſdē libri. Fit morbus hepaticus; cū influxerit atrabilis ad hepar: quod accidit maximè in autumno in mutationibus anni. Et num. 37. pag. 89. fit morbus ſplenis autumno maxime ab atra bile ab olerū multorū, q. cruda edun tur, eſu, & ab aquæ potu. Fit & icteritia nigra, vt apparet. nu. 39. Fit ēt typhos nu. 46. i. ſtupor attonitus, cū bilis atra in venas, & ad cutem ſubierit. Et in l. de Vict. rōne in mor. acu. com. 4. par. 27 ait. cū dolores acceſſerint bilis atræ, fluxionūq;, acriū deſtillationes fiūt, dolēt morſa interna, morſæq; & ad modū arefactæ venæ intendūtur, trahuntq; inflāmatæ, quæ influūt. quap̄p corrupto ſanguine, & nequeūtibus ſpiritibus naturales pertranſire meatus, infrigidationes fiūt ob ſtationē, vertigines, aphoniæ, capitis grauitas & conuulſiones, ſi iā ad cor, vel hepar, vel in venam peruenerint. hinc epilepſiæ, & paraplexiæ ſi continē tes locos fluxiones inuaſerint, atque ſpiritibus exire nequeuntibus exaruerint. Et in li. 2. de mor. pag. 65. nu. 6. ſcribit. Cū atra bilis in capite cōmota fluxerit maxime in partē, in qua plurimæ ſunt venę, in collū. ſ. ac pectus; derepente dolor caput, & ſtatim vox intercipitur, & ſui impotēs fit. hic in ſeptem diebus moritur; ſi nō febris inuaſerit. Et in l. de Coac. prēn. pag. 176. In febribus ardentibus ſi auriū ſonitus accedant, cū viſus hebetudine, & grauitate ſecundum nares melancholico modo ab atra bile mēte mouentur, ſanguine ipſis nō erūpēte. Et li. 2. prædic. nu. 14. pag. 172. maximè verò euadūt ex ſanguinis eruptione hi, quibus dolores ſunt atrabiliarij & in dorſo, & in pectore, & quæ poſt eruptionē minus dolent. Et num. 16. eiuſdē libri. niſi mēs mali aliquid habuerit, aut quis ſtupore attonito ſyderatus fuerit: nam hæ atrabiliariæ mentis emotiones non ſunt conducibiles. Et in li. 6 de mor. pop. ſect. vel com. 5 par. 25. atræ bilis ad ſimile hæmorrhoides effundunt.

Quid verò præſagiēdū ſit, ſcribit Hip. in l. 4. aph. 22. morbis quibuslibet incipientibus ſi atra bilis,

vel

vel ſupra,vel infra exerit; læthale, vnde in lib.5.de mor.popul.pag.141.nu.17.ſequenti die voce deſtitutus inceperat ſtertens, diſtortos habens oculos febricitans.penna verò immiſſa vomuit bilem atram,ſed ægrotos lege atrabiliarios lib.7.de morb.popul.pag. 151.nu.45.& lib.4.aph.21.de ejectiones nigræ, qualis eſt ſanguis niger ſponte venientes ſiue cũ febre,ſiue ſine febre peſſimę. Et aph.23.quibuſcunq; ex morbis acutis aut diuturnis vel ex vulnerib.ſiue quouis alio modo extenuatis,nigra bilis,ſiue vti ſãguis niger deſuper exierit; poſtridie moriuntur. Et aph.24. Difficultas inteſtinorum ſi ab atra bile inceperit, lethalis eſt. Et lib.6.aph.56. in morbis melancholicis ad hæc periculoſi decubitus ſtuporem corporis,vel conuulſiones,vel furorem,vel cæcitatem ſignificant. Et in lib.de locis in homine pag.33.nu.44. ex quacunque cauſa male affligente quis atram bilem reuomuerit, moritur,qui vulnus habet. Et in lib.de Coac.præno. num.1.febrienti ſi atra bilis in principio ſurſum, aut deorſum prodierit;lethale eſt Et lib.7.aph.40.ſi lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupore languit;tale eſt melancholicum. Et lib.4. aph.25. ſanguis quidem ſupra qualiſcunque fuerit malus. infra autem bonus eſt,nigra ſubfluentia. & lib.6.de mor.pop. atrabiliarij comitiali morbo corripi plerunque ſolent, & viciſſim comitiales fieri ſolent atrabiliarij. vterq; verò morbus magis fit prout ad alteram partem inclinarit:ſi quidem enim ad corpus inclinarit,comitiales fiunt. ſi verò ad animum; atrabiliarij melancholici dicti. Et lib.2. præd.pag. 175.nu.44. dolores porrò in humeris obortientes,qui quidem ad manus deſcendunt, torporesque ac dolores inducunt;his abſceſſus non ſuccedunt,verùm nigram bilem vomentes ſanantur. qui verò iſthic in humeris manent, aut etiam ad dorſum progrediuntur;eos puris,aut atrę bilis vomitu effugiunt. Verùm de his ita conſiderationem facere oportet: ſi quidem enim facile ſpirauerint, ac graciles fuerint;atram bilem ipſos comitaturos ſpes eſſe eſt.ſi verò difficulter ſpirauerint,& in faciẽ ipſis color incurrit, qui prius non erat ſiue rubicundus,ſiue niger; eos magis,pus ſputuros eſſe ſperandum eſt.

Curationis porrò modus eſt duplex:alter per ſanguinis euacuationem,de qua in lib.de Coacis prę no. loco citato ſupra dictum eſt, ac præterea lib.6.aph. 11.ſic inquit Hip. Atra bile vexatis,& renum paſſionibus,hæmorrhoides ſuperueniẽtes bonum. & aph. 21. In inſanientibus ſi varices,uel hæmorrhoides ſuperuenerint; inſaniæ ſolutio. alter autem modus eſt per purgantia medicamenta:legitur enim in l.4.aph. 9. Melancholicos plenius inferiores, eadem ratione contraria apponentes.quæ verò competant pharmaca,declarat Hip.ſed in genere in l.de Affect.pag.82. nu.35.& ait.quicunque bilioſi ſunt,ea dato,à quibus bilis purgatur:pituitoſis ea,à quibus pituita: attrabiliarijs ea,à quibus atra bilis: hydropicis ea,per quæ aqua. & nõ ſolum purgatio eſt facienda in atrabile: ſed,ut ſcribit Hip.in l.6.de morb.pop.ſect. ſexta uerſus finem,bilioſum,& ſanguineum corpus atrabiliarum fit;ſi non habet euacuationes. ſed de his lege, ubi agitur de Melancholia.

Attenuare.

Attenuant ea,& ſiccant, ut ſcriptum eſt in lib.de Fiſtulis pag.206.nu.6.quæ in ſeſe trahunt. & in lib. 2. de dięta pag.47. nume.13. vina acida frigefaciunt, & attenuant. frigefaciunt quidem,& attenuant humiditatis euacuationem à corpore facientia. & in l. 3.pag.49.nu.3. victu pauco, ſicco, auſtero, calfactorio, & ex toto collato, ac meraco, laboribus, ſtrato duriore vtendum eſt;omnia enim hęc attenuant,& calfaciunt. item vomitus, vt in li.2.loco dicto.& ibi pag.48.num.27.matutinę deambulationes attenuãt; quia motu corpus caleſcit, & humiditas attenuatur, & purgatur partim per ſpiritum,ac flatum;partim verò emungitur,& excreatur. ſed ex his habemus attenuationẽ fieri in humido à calore, vel à frigore ſicco, quemadmodum percipi poteſt ex acido vino,ex laboribus,& alijs,quę ſiccent. vnde ait Hip. in lib.4. de mor.pag.76.num.18.ſi foras prodeat plus humoris,quàm de cibis,ac potibus acceſſit,attenuatur homo. ibi plura legas velim.vtilis etenim eſt cognitio attenuationis: ſiquidem repletioni opponatur.vt nu.19. ſcriptum eſt. cęterùm ſicut totum corpus attenuatur;ſic aliqua pars, vt hepar, cutis, clauiculę, manus, pedes, & id genus, quę lege in libris Hip. Attenuare autem legitur, craſſe facere corpus, cutem,carnes, & alia in lib.6. de mor. pop. ſect. vlt. com.2.& in ſect.3. omnis attenuatio laxat cutem, deindè circunteditur. renutritio vice verſa. cutis conſidentis corrugatio, renutritę extenſio. Verùm attenuatio, quę ęgros comitatur, non abſque prognoſtico relinquitur. dicit Hip. in lib 2. prędpag. 174.nu.42. quibus vnà cum hoc quod mouere non poſſunt, morboſa corporis pars attenuatur, hi in ſanitatem reſtitui non poſſunt. quibus autem colliquationes non acceſſerint, hi ſani euadent. & hanc addas ſententiam ex Coacis prę.num.1.ſuffocatio in acutis,ęgris attenuatis perniciosa. Attenuanda ſunt corpora repleta in morbis pręſentibus,& imminentibus;atque corporis partes,cum opus fuerit,& membra,vt ſplen,& pituita;pituitam enim attenuat Hip. fomentis & alijs in lib.de locis in homine nu.20.

Attonitus ſtupor.l.ſtupor attonitus.

Attractio.

Attractio vera eſt,quãdo attrahẽs ſimul mouetur cum attracto. ſed attractio,in qua quieſcit attrahẽs, & attractum mouetur, eſt ęquiuoca. Sed attractio quędam fit proprietate, vt adamas trahit ferrum, quędam fit à calore; tamen & prima fit tandem à calore eius,quę à proprietate non fit,exempla ſunt.legitur in lib.de Vict. ratione in mor. acutis com.4. par.1. cauſus fit, cum venulę tempore ęſtiuo exſiccatę, acres, ac bilioſas trahunt ad ſe humiditates, & par.27. cum dolores acceſſerint, bilis atrę, fluxionumque acrium deſtillationes fiunt, dolent morſa interna. morſęque, & admodum arefactę venę intenduntur, trahuntque inflammatę, quę influunt.& in lib.de natura pueri pag.16.nu.19. qualemcunque humiditatem caro attraxerit, ſiue albam, ſiue fuluam ſeu nigram,tali colori etiam pilus inficitur. Et in lib. 1.de mor.pag.63.nu.24. peripneumonia fit, cũ commota, ac calefacta pituita, ac bile, pulmo prę caliditate traxerit in ſe ipſum de vicinis locis ad ea, quę iam ſunt in ipſo. Et in lib.2.pag.56.num.10. venoſus eſt gurgulio, ac craſſus. & poſtquam inflammatus eſt, caleſcit, & prę caliditate ſanguinem ex vena attrahit,ac ab ipſo nigreſcit. & nu.11. pituita de capite deſcendit, caput autem ex corpore trahit. trahit

autem,vbi fuerit calefactum.percalescit autem à cibis,& sole,& frigore, & laboribus, & febrili labore. cum verò calefactum fuerit, tenuissimum ex corpore ad se ipsum trahit: vbi verò traxerit; rursus id ad corpus descendit. & in lib.4.pag.74.nu.2.uentriculus dum plenus est, omnium humorũ corporis fons est,ubi uacuus:corpore fruitur colliquescente: sic & alij quatuor fontes,à quibus unusquisque humor in corpus procedit. ubi verò euacuantur, de corpore fruuntur. sed & ipsum corpus attrahit,ubi uentriculus in se ipso quid habuerit.& pag.79.nu.33.splen subægrotans à uentre de potu trahit. sed quæ in se trahunt, siccant; cum prius & ipsa sicca fuerint, ut dictum est. Et in lib. de hæmorrhoidibus.pag.206. nu.1.cum bilis,aut pituita ad uenas recti intestini decubuerit,sanguinem qui in uenis est,calefacit. calescentes autem uenæ,ex uicinis uenulis sanguinem attrahunt.& ubi replentur,interna sedis pars intumescit.& in lib.1.de morb.mulieb.pag.100.nu.2.à uentre trahit humiditatem, & cibus & magis corpus mulieris,quàm uiri: quia eius caro rarior est. etiam in lib.6.de mor.pop.sect.6.carnes attractrices ex uentre,& extrinsecus. ex uentre ait Gal.Succum attrahunt, ex cibis, ac potionibus etiam in eodem lib.6. sect.5.par.9.excandescentia attrahit, & cor,& pulmones in se ipsa,& in caput,calida, & humidum. ex quibus sententijs manifeste percipimus,attractionẽ, quæ fit à qualitate,fieri à caliditate,quæ exsiccat partem calefactam, & exiccata trahit humiditates ex membris,& non membra ipsa.

Attractio uerò secunda, quæ fit à proprietate, fit per similitudinem, quam habet attrahens cum attracto:nam scribit Hip.in 4.de morb.pag.75.nu.3.postquam comedit, aut bibit homo, corpus in se ipsum humorem ex uentriculo,& fontes trahunt per uenas de uentriculo,similis humor similem, & corpori distribuunt, quemadmodum etiam in plantis similis humor similem trahit de terra.& ex hoc nutritur,& augescit planta, & nullum ex terræ nascentibus alteri simile est,quod non æqualem, neque similem humorem ex terra trahat.

Similitudo attrahentis cum attracto est aut per se,aut per accidens: per se, siue secundum substantiam,quando utraque conueniunt in substantia: per accidens,quando accidentaliter. nutrimentum conuenit: cum nutriendo in substantia; propterea quòd pars nutrimenti uertitur in eius, qui nutriri debet, substantiam. medicamenta autem purgantia quæuis agunt per calorem proprium,quem ipsa actu non habent:sed recipit ab animali, cuius caliditas ad actum ducit pharmacum,& meatus aperit uenarum,& aliarum corporis partium.

Audacia.

Feritas,integritas, & audacia à natura Europæis innascitur:frequentes enim mentis perculsiones feritatem inducunt: mansuetudinem contrà,& benignitatem extirpant.lib.de aere,aquis.pag.38.nu.53.

Auditus.

Scribit Hip.in l.de carnibus pag.19.nu.16. Auditus inde contingit.foramina aurium ad os durum,& siccum lapidi simile pertingunt. iam verò ad ipsum os est cauitas antrosa. strepitus autem ad durum firmantur: os autem cauum resonat per durum. pellicula verò in aure iuxta os durum tenuis est, ueluti aranei tela,& omnium pellicularum siccissima.quod autem siccissimum est maxime resonat:& cum maxime resonat;audimus maxime.in li.autem de locis in homine pag.30.num.4.uacua circumcirca aures non aliud inaudiunt,quàm strepitum,& clamorem. quicquid autem per membranam in cerebrum peruenerit, id liquido, & clare auditur. ob id etiam foramen solum per membranam circum cerebrum extentam est.

Cum igitur tela summopere siccitatem desideret; si humida reddatur;auditus obtũditur. & propterea inquit Hip.in l.1.de mor.pag.60.nu.3.oculi, & auditus mutilantur à pituita obfirmata.& in lib.3.aph.5. austri auditum hebetant.& aph.17.cõstitutiones austrinæ auditum obtundunt. quoniam, vt ibi scribit Gal. austri natura est calida,& humida: vnde replet caput humiditate,& grauat. principio autem neruorum humectato necesse est & voluntarios motus pigros fieri, & nerueas partes. sic senibus ob pituitosam naturam,& ob potentiæ sensibilis imbecillitatẽ auditus fiunt graues, vt ait Hip. in l. prædicto aph. 31.vice versa ea,quæ siccãt siue calida,siue frigida, auditũ acuunt:calida. veluti febris:nam in l.2.præd. pag.171.nu.5.legitur. In febribus audiendo vocem, & spiritum auribus cognoscere datur, quæ in sanis non similiter sunt manifesta.frigida,vt aquilo: dicit enim Hip. in l.3.aph.17. constitutiones aquiloniæ corpora melius audientia faciunt.

Ex auditu autem tale accipitur prog. quòd in lib. 4.aph.49 scriptum est. In febre non intermittente si labrum,vel oculus,vel nasus,vel supercilium peruertatur,vel non videat,vel non audiat,iam debili existente corpore,quicquid horum euenerit,mors proxima est.

Auersio,& auertere l.reuulsio,& reuellere.

Augere, & augmentum hominis.

Augmentum, & decrementum versari videntur circa magnitudinem. ad augmentum tria requiruntur: primum quòd rei quælibet pars minima augeatur:deinde aliquo adueniente,vt cibo augeatur.tertio id,quod augetur,in suo esse conseruetur.augmẽtum igitur suscipit animal à cibo, siue ab alimento: quoniam in l.de ali.pag.53.nume.7.carnes, & aliæ alimenti species alunt partim ad augmentum,& ad esse, partim ad esse solum, ut in senibus. quare manifestum fit alimentum non esse accretionis efficiens,sed materiam.sed efficiens est calor, quemadmodum dicit Hip.in lib.1. aph.14.cuius uerba sunt. Qui crescunt,plurimum habent calidi innati. plurimo igitur egent alimento. senibus verò parum calidi innati inest; paucis propterea fomitibus egent,& in l.de natura hominis pag. 11. nu. 24.homo primis diebus calidissimus est sui respectu, ultimis frigidissimus; necesse est enim augescens,& ad uim procedens corpus calidum esse. calor autem ab anima uegetante ductus est,& sursum,ac deorsum, ante,& retro, & undiquaque. &, quia est qualitas,secum trahit spiritum,qui ab aliqua materia eleuatur,& materialis est.ducitur sursum materia ab anima, & à calore: deorsum ab his, & à natura. animans igitur primum trahit alimentum, deinde concoquit, postea destribuit,post hæc nutrit,ac tandem auget is. ordo habetur ab Hip.in l. de Natura pueri pag. 16.nume. 22.23.24.25.26.

Auge-

Augetur itaque animans vsquequo calor innatus vigeat, & partes similares teneræ fuerint: nam, vt ait in l. dicto nu. 33. omnis arbor cum per tempus solida facta fuerit, & ex inferna parte radices firmarit; iam penitus constanter augescere desinit. & in l. de Carnibus pag. 19. n. 13. 14. augescit homo, vbi conspicuus euadit. conspicuus verò fit maxime à septennio vsque ad decimum quartum annum: & tunc maximi ex dentibus, tum alij omnes nascuntur. augescit autem & in tertium septennariū, in quo adolescès fit, vsque ad quartum, & quintum septennarium.

Augetur aliquando significat generatur: scribitur etenim in lib. 6. aph. 19. cum discissum fuerit os, aut cartilago, vel neruus, aut genæ particula tenuis, vel præputium neque augetur, neque coalescit. Gal. in com. ait. Augeri vocat talem aliquam generari substantiam, qualis discissi, sicut in cauis vlceribus videtur caro germinare.

Aures.

Aures sunt instrumenta auditus, quæ non parum conferunt ad prædictionem salutis, aut mortis: sed ægretudines à quibus homines tenentur, & ab Hip. recitantur, sunt dolores, humiditates, surditates, eruptiones, erosiones, suppurationes, sonitus, rubores, abscessus, tumores, eminentiæ, fractiones, & incisiones.

Aurium dolores fiunt in æstate, vt ait Hip. lib. 3. aphor. 21. cum verò in aures fluxerit humor; primum dolorem exhibet: violenter enim procedit. dolorem autem exhibet, donec in fistulam redactus fuerit. vbi autem fluere consueuerit; non amplius dolorem facit. Sic scribit Hipp. in lib. de locis in hom. pag. 41. num. 20. & in lib. 7. de mor. popul. pag. 147. nume. 5. talis auris dolor statim à paruo puero ipsum comitabatur, fluuidus, fistulosus, & grauis odoris. cum autem ita se haberet; plerunque doloris exors erat: tunc autem dolor erat vehemens, & capitis dolor. Et in lib. 4. pag. 137. num. 4. post pleiadum occasum his, qui aurem doluit, circa vigesimam diem postea voce destitutus est, & dextrarum partium impotens, dextra auris, dexter oculus consistebat non valde. ex dolore auris prænotionem hanc sume ex Coac. præno. num. 2. Auris dolor pertinax cum febre acuta & alio quodam signo aliquantum maligno, iuuenes quidem. 7. die occidit, & citius delyrio correptos, si non multum pus effluxerit ex aure, aut sanguis è naribus, neque aliud quoddam bonum signum compareat: seniores autem tardius, at minus tollit; nam & aures suppuratione prę ueniunt, & minus delyrant; verùm multi ex his recidiuant, atque sic pereunt. & paulo infra. quę circa aurem dolorosè excitantur, pernicioſa sunt. curationem scribit Hip. in lib. de locis in homine loco supra citato, per cucurbitam medicam, & perfrigefacientia, & calefacientia. Et in lib. de affec. pag. 80. nu. 3. multa calida lauat, & acribus fomentum adhibet, & si hæc non sufficiunt, pituitam purgat, presertim ex capite. Et in lib. 2. de morb. popul. sect. 6. ad auris dolorem cucurbitam affigito, sed auri oppositam, vt scribitur in libr. de locis in hom. sed in lib. 6. de morb. postularib. pag. 152. num 54. cui aurem hyeme dolebat, & caput non mediocriter, vena secta est. læsum est caput euacuatum, ac perfrigeratum; non. n. facta est suppuratio. phreniticus factus est, & mortuus erat annorum circiter quinquaginta.

Porrò auris à frequenti fluxione per tempus vexatur, & pus graueolens effluit, vt scriptum est in li. de Glan. pag. 26. n. 9. hæc fluxio auris finistræ viscosa, & crassa, vt lib. 4. de morb. popul. pag. 137. n, 8. sed qui caput dolent, & aures fluentes habent, his palatum cauum est: & dentes inter se non è directo respondentes.

Humiditates autem aurium propriè contingunt paruis, & nuper natis puerulis attenuata in capite pituita ad aures penetrat, vt in lib. 2. de morb. legitur. verùm in lib. 6. de mor. popul. sect. 5. hanc habemus prænotionem. hominibus sordes auribus dulcis quidem lethalis, amara verò non.

Verùm superuomere videntur tunc venæ; cum ad eas bilis, aut pituita ingressa fuerit; eleuantur enim venæ, & pulsant, & dolor per totum caput dispergitur, & auris sonitum percipiunt, ac nihil audiunt. sonitum percipiunt, venis pulsantibus, & palpitantibus. grauiter autem audiūt, partim præ inter no strepitu, ac sonitu, partim quum cerebrum, & venæ circa ipsum eleuantur: prę nimia enim caliditate, vacuam circa aurem partem cerebrum de se ipso implet. & cum æqualis aeris copia non insit, velut priore tempore; neque æqualem sonum exhibeat, ea quæ dicuntur non æqualiter se imprimunt: atq; ex hoc grauem auditum habent. sic scribit Hip. in li. 2. de mor. pag. 64. nu. 4.

Ex surditate, sonitu, & tinnitu has accipe prænotiones, ait Hipp. in lib. 4. aph. 60. quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex auribus fluens aut aluus turbata soluit morbum. Et in coac. præno. in febre acuta aures obsurdescere furiosum est, circa sonitum talia sunt prognostica. si quippiam in vrina sublime petierit, occultato coxæ dolore, delyrium portendit, & quę circa aurium sonitus talia existūt. hæc in lib. 2. pror. par. 1. & in coac. præno. n. 1. in febribus ardentibus si aurium sonitus accedant cum visus hebetudine, & grauitate secundum nares melā cholico modo ab atrabile mēte mouentur. sanguine ipsis non erumpente, & n. 2. capitis concussiones, & aurium sonitus sanguinem effundunt, aut mulieri menses deducunt, tum alias tum si iuxta spinam ardor consequatur. fortassis autem dysentericis fluxiones. surditas in acutis ac turbulentis consequens malum. malum etiam in longis. Tinnitus in acutis, & sonitus in auribus lethale, quibus surditas cum capitis grauitate, & pręcordij intensione, & ad splendorem turbatio sanguinē profundit, valde surdi in accipiēdo tremuli, lingua resoluti, torpidi malum, accedēte ægrit. surditas, & vrina subrubra subsidentiā habēs, sed id, quod in medio innatat. mentem amouet, & quibus capitis sunt dolores, & sonitus aurium citra febrem & vertigo, & vocis tarditas & manuum torpor eos syderatos, aut comitiales fore expecta, & hęc de sonitu, & surditate aurium.

De erodentibus autem sic legitur in li. 4. de mor. popul. n. 1. post æquinoctium, & post pleiadas, qualia sunt erodentia, & mucosa, quę caput aperuerunt, supra autem prodierunt.

De eruptionibus verò sic legitur in lib. 6. de mor. popul. sect. 6. aurium eruptiones æstate quinta die fiunt; quandoque verò etiam diutius durant.

De ruboribus hoc prognosticum cape ex coac.

præn.n.2. rubores circa aurem ex prægresso dolore in febribus fientes signum quidem sunt erysipelatis in facie futuri, sed & conuulsiones ex talibus fiunt, cum vocis interceptione, ac exolutione.

De tumoribus autem hæc audi. tumores circa aurem ex plurimis graueolentibus cum febre acuta, & præcordio intento tardius excitato occidunt. tumores circa aures leuiter syderatis mali. Tumores circa aurem in longis morbis non suppurantes lethales, alui verò his deorsum feruntur. dolores fortes circa fauces, tumores circa aurem, & conuulsiones efficiunt. hæc in coac. nu. 2. in lib. autem 1. de mor. popul. sect. 2. tumores aurium fiebant in statu frigido, & humido. Et tumor euanuit in libr. 2. de mor. popul. sect. 2. in coac præ. tumores iuxta aurem in morbis longis praui sunt, sanguinis fluxiones, ac vertigines insuper apparentes pernicioſæ; & nu. 1. de coac. præ. iuxta autē parui tumores tremulis anxiosis cōuulsionē significant, & nu. 3. circa aures leuiter erūpunt, quibus circa fauces sunt irritamēta, & num. 2. iuxta aurem tumores faciunt ad aluū bilioſam, mollem stercoraceā egerentem ardores comparentes. Et nu 4. circa aures tumores habent, soporoſa, anxioſa doloroſa præcordia frequenter parū spuentia. & nu. 2. circa aurem tumores oborti anxietatem in prēcor cordio sentientibus, ipsos occidunt. Et n. 2. circa aurem tumores, & aliæ suppurationes ex præcordiorū doloribus emergentes maligni sunt. Et num. 2. iuxta aurem abscessus emergunt ex egestionibus desinentibus in spumoſas, meracas.

Et nu 4. circa aurem abscessus excitatur, quando capitis dolorem cum ascaridibus surditas, & sopor consequuntur: Et n. 2. verùm alij sunt magni, alij exigui. signa magnorū abscessuū scribuntur in l. 3. pror. par. 71. hoc est. quibus ampliter, & crebro spirantibus morbus regius, & febres acutæ cum duris hipocundrijs refrigeratæ fuerint, his abscessus magni secundū aures suscitātur. Signa paruorū sunt par. 70. ut ex conuulsione tremore, fastidio, & celeriter exigui post aures abscessus proritantur. abscessus verò circa aures efficiūt hęc, in bilioſis spiritus magnus & febris acuta cum præcordij intensione, iuxta aurē abscessum facit vt n. 1. de Coac. præ. Et infrà. qui in capitis dolore ascaridas habent his surditas. & sopor consequens abscessus circa aurem exsuscitat, & paulo supra. capitis successiones, oculi rubicundi mente manifeste emouentes pernicioſa sunt, non commoriuntur hæc, sed circa aurem tumorem faciunt. Et nu 2. abscessus iuxta aurem submouent tussiculæ cum sputationibus fientes. Et infrà abscessus iuxta aurem ex acutis morbis maxime in febribus ardentibus fiunt. ex surditate leuiter abscesus iuxta aures fiunt tum alias, tum si quid nauseę accedat, sed & soporoſis ex his etiam magis abscessus ad aurem fiunt. sed. n. 2. quibus circa fauces irritamenta sunt, his tumores circa aurem leuiter erumpunt. Tubercula præterea in statu austrino facta fuisse scribit Hip. in lib. 1. de morb. pop. sect. 1. sed in lib 7. de morb pop. num. 23. Nicolai concubinæ ex febre ardenti abscessus iuxta aurem fiebant ab vtraque parte. paulo posterius alter, cum iam febris remittere videretur, velut tumor laxus, circa decimum quartum magni citra signa sedati sunt recidiua facta est. Et in lib. 4. de mor. pop. num. 16. docet quādo abscessus fiant, & inquit. quibus abscessus ad oculos in febribus ardentibus, hi maxillas rubent, & sanguinem ex naribus fundunt: sed & quibus ad aures fiunt. Et in Coac. prę no. nu. 2. capitis dolor moderatus cum siti cibum capiente, aut cum pudore non soluente febrem, abscessus in gingiuis, aut circa aurem significat aluo non exturbata. Et nu. 1. vrinæ cum rigore suppressæ malæ, & conuulsoriæ, tum aliàs, tum si quis antea graui sopore pressus fuit: spes autem his est abscessus retro aures fore. Et in lib. 3. pror. par. 73. quibus comatoſa, fastidioſa hipocundria dolentia, & cruenta, exigua in his parotides exciuntur: antea autem faciei signa. Et par. 74. ventre nigra, stercoroſaque deijciente coma superueniens parotidas excitat. Et 76. in capitis dolore coma, & surditas abscessum aliquem post aures eructant. Et par. 77. hipocundrij contentio cum comate fastidioſo, & capitis dolore parotidas effluere faciunt. Et ante par. 65. in fastidioſis quibusdam vigilantibus parotides maxime. Et par. 67. surdis mansuete parotides fiunt, tum aliàs, tum si fastidioſi quipiam superuenerit, & comatoſis magis. Et par. 69. quæ conuulsiuo modo cum catoche exacerbantur, parotidas mouent.

Signa prognostica eius, quod parotidas facit, scribuntur in Coac. præ. nu. 2. anxietatem in præcordio sentientibus tumores circa aures oborti ipsos occidunt præcordio diutine afflicto, & aluo graueolenti abscessus circa aurem occidit. Et nu. 1. vrinæ in abscessibus retro aures, cito, & modice matureſcentes malæ sunt, & sic perfrigerari malum est. & abscessus circa aurem in morbis diuturnis suppurati, non valde albo, & inodoro pure occidunt, & maxime mulieres. Abscessus iuxta aurem ex acutis morbis maximè in febribus ardentibus fiunt; at si non iudicationem fecerint, & matureſcant, aut ex naribus sanguis fluxerit, aut vrinæ subsidentiam crassam habuerint; ægri pereunt. Et in lib. 3. pror. par. 66. ex voluulis maleolentibus cū febre acuta, & hipocundrio sublimi diutius perseuerante parotides exurgentes perimunt. Et par. 68. paraplehicis parotides pernitioſæ.

Nunc curationem aggrediamur: scriptum in li. 3. pror. significat vrina concocta abscessum curari. Et par. 75. tussiculæ cum frequēti sputo abscessum post aures tollunt.

Fit fractio præterea auris & incisio, de qua lege in lib. de Articulis.

Sed de auribus sic præsagit Hip. in lib. prog. com. 1. par. 7. aures frigidæ, contractęque, & fibræ earum versæ sunt signa lethalia. Et in lib. de Vict. ratione in mor. acutis com. 4. par. 46. consueuerunt febres hæ protrahi & abscessus habere, si aurium quidem, ceruicisque infernæ partes frigidæ fuerint: quòd si frigidę non fuerint; profecto mutationes habent; nempe fluit è naribus sanguis, & ventres hi turbantur. Et in Coac. præ. nu. 1. aures frigidæ, & pellucidæ, & contractę pernicioſæ.

Auster.

Auster, vt scribit Hipp. in lib. 2. de diæta pag. 45. nu. 3. à similibus aquiloni natura regionibus spirat: ab australi enim polo spirans & à niue multa glacieque ac gelo fortibus procedens, necessario his, qui prope ipsum illic habitant; talis spirat qualis nobis est. aquilo verò omnem non item similis accedit regionem: nam cum per solis iter, & in meridiem spirat;

rat; humiditas ipsius à sole ebibitur, & resiccatus rarescit. quapropter necesse est ipsum calidum, ac siccum huc accedere. in proximis igitur regionibus necesse est ipsum talem vim calidam ac siccam exercere. & hoc sanè in Lybia facit: nam & terræ nascentia exarescunt, & homines latenter resiccat: cum. n. non habeat nec mare, nec fluuium, vnde humiditatem accipiat; ex animantibus ac plantis humorem exhaurit. vbi verò pelagus transit tanquam calidus, & rarus existens, multa humiditate regionem, in quam allabitur, implet, & necesse est ipsum calidum ac humidum esse; vbi non regionum situs alterius qualitatis causa existat. & quanquam auster est calidus, & humidus ventus; tamen aliquando significat caliditatem tantum, vt apparet in lib. 3. aph. vbi scribitur hyems sicca, & aquilonia. i. frigida, ver pluuiosum, & australe, hoc est, calidum, vel spirante austro. & aph. 12. hyems australis, & pluuiosa. & aph. 13. autumnus pluuiosus, & australis.

Austri quidem facultates in pluribus scribuntur libris ab Hipp. ac primum in lib. de mor. sacro pag. 59. num. 15. hoc pacto scribit. auster contraria aquiloni operatur: primum enim incipit aerem compactum liquare, ac diffundere. quapropter etiam non statim magnus spirat. Sed primum lentus, ac lenis est: quoniam aerem statim superare non potest: qui prius densus est, & compactus: sed temporis progressu ipsum dissoluit. idem porrò hoc etiam in terram operatur, in mare, pluuios, fontes, puteos, & quæ ex terra nascuntur, & in quibus humor inest. est autem in omni, in alio plus, in alio minus. omnia autem hæc ventum hunc sentiunt, & ex splendidis tenebrosa fiunt, & ex frigidis calida, & ex siccis humida, & quæcunque in domibus vasa iuxta terram sunt cum vino, alioqué quopiam liquore, ea omnia austrum sentiunt, & formam in aliam speciem transmutant, solem verò, lunam, & sydera multo hebetiora, quàm ex natura sunt, reddit. cum igitur etiam his quæ adeo magna sunt, ac fortia in tantum dominetur, & corpus sentire faciat, vt ex horum ventorum alterationibus transmutetur; necesse est ab austris quidem solui, ac humectari cerebrum, & venas laxiores reddi. in li. autem 3. aph. 5. austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. quando huiuscemodi tempestas prævaluerit, talia in morbis patiuntur: & aph. 11. si hyems sicca, & aquilonia fuerit, ver pluuiosum, & australe, necesse est æstate febres acutas, & lippitudines, & intestinorum difficultates fieri præcipue mulieribus, & viris, qui natura sunt humidiores. Et aph. 12. si hyems australis, & pluuiosa, ver siccum, & aquilonium, mulieres, quibus partus ad ver inest ex quacunque occasione abortiunt. quę verò parient imbecilles, & morbidos infantes pariunt. quare vel statim intereunt, vel tenues, & valetudinarij viuunt. cæteris verò mortalibus difficultates intestinorum, & lippitudines siccæ fiunt, senioribus autem destillationes, quæ cito interiment. & aph. 13. si verò æstas fuerit sicca, & aquilonia, autumnus verò pluuiosus, & australis, dolores capitis ad hyemem, fiunt, & tusses, raucedines, atque grauedines, quibusdam autem, & tabes. & aph. 17. austrinę constitutiones dissoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & vertigines faciunt oculis, atque corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant. quos verò morbos parriat annus australis, lege lib. 1. de morb. popul. sect. 1. pag. 126. & in lib. 3. sect. 3. pag. 138.

Autumnus.

Autumnus est tempus anni frigidum, & siccum, sed Hip. in lib. 1. de diæta pag. 44. num. 27. ait. In autumno est symetria, & moderatio siccitatis. & hoc intelligendū est de medio autumni tempore: propterea quòd principium autumni sapit naturam æstatis, & finis hyemis: idcirco inæqualia tempora dicuntur. cæterum in lib. de aer. aquis, & loc. pag. 36. nu. 9. ait. venti, qui perseuerant, ac ipsis incumbunt, aquo fissimi existunt; nam venti occidentales similes sunt autumno. & propterea talis est proportio inter autumnum, & ventum occidentalem, qualem habet ver, & ventus orientalis.

Quas verò habeant facultàtes autumnalia tempora, recenfendum est. scribit Hipp. in lib. 3. aph. 22. quę sint autumni ægritudines propriæ, & ait. autumno, & plurimi ęstiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tabes, & stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum, & leuitates, & coxendicum dolores, & angina, & asthmata, ilei, morbi comitiales, furores, atræ biles Et lib. 2. aph. 25. demonstrat quartanas autumnales longas fore, & ait. æstiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longę, & maxime, quę hyemē attingunt. etiam l. 1. aph. 18 ęstate, & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime. Et li. 3. aph. 9. autumno morbi acutis. & exitiales maxima ex parte, ver verò saluberrimum, & minime exitiale. Et aph. 10. autumnus tabidis malus. Et aph. 4. eiusdem libri. Qui in temporibus quando eadem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet. Qui verò sint morbi autumnales, dictum est antea. si verò autumnus naturam mutauerit, mutabuntur & morbi; scribitur enim in eodem lib. aph. 13. si æstas sicca fuerit, & aquilonia, autumnus pluuiosus, & australis; dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines, & grauedines, quibusdam verò & tabes. Et aph. 14. si verò aquilonius, & siccus his, qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet, reliquis verò erunt lippitudines siccæ, & febres acutę, & grauedines, nonnullis & artę biles. Et in li. de aere, aquis & loc. pag 37 nu. 28. & 29. si ęstas pluuiosa sit, & austro multum perflata, similisque sequatur autumnus; necesse est hyemē morbidā esse & his, qui pituita abundant: & qui quadragesimum annum excesserunt, febres ardentes fieri verisimile est. qui verò bile abundant, costarum inflammationes, & pulmonis, & pleuritidas, ac peripneumonies dictas. si verò ęstas sicca existat, & boreali, sequens vero autumnus pluuiosus, & australis; capitis dolores ad hyemē expectare conuenit, & cerebri corruptiones, ampliusque raucedines, grauedines, & tusses, aliquibus etiam tabes. quòd si borealis sit autumnus, ac siccus neque sub cane, neque sub arcturo pluuiosus; confert pituitosis natura, & maxime qui natnra sunt humida, & mulieribus, bilioſis autem infestissimum hoc tempus existit: valde enim exsiccantur, acciduntque eis lippitudines aridę, & febres acutę, & diuturnę, & aliquibus bilis atra: siquidem quod li-

qui-

quidissimum, ac aquosissimum in bile est consumitur: densissimum verò, ac acerrimum relinquitur. quod idem accidit secundum eandem rationem, & circa sanguinem, vnde hi morbi his accidunt. pituitosis autem hæc omnia commoda sunt: exsiccantur enim & in hyemem producuntur, minime hũmecti sed resiccati. sed in lib.6. aph.55. dolores podagrici vere, & autumno maxime mouentur, quos autẽ morbos produxerit autumnus lege l.2. de mor.pop.sec.1. ac memoriæ manda, quòd vetustissimi morbi, ac pessimi, & qui reuoluuntur grauissime obediunt; itemque hi, qui sunt in vetustissimis corporibus, ad quos submouendos autumnus, & hyems minorem commoditatem exhibet, quàm ver, & æstas. hæc sunt Hipp. verba in lib.2. prædic.pag.174. nu.43. tamen illud est boni in ęstate, & in autumno, quod scribitur ab Hipp. in lib.3. aph.18. æstate, & autumno vsque ad aliquid sani sunt senes.

COMMENTARIVS II.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

BALBVS.

LEgitur in lib.2. de mor. pop. sect.6. quorum pectora bilem generant, balbi, furiosi, & calui sunt: & in princip.sect. caput magnum, oculi parui, balbi iracundi sunt. &, balbi, celeri lingua præditi atræ bilis humori obnoxij, biliosique sunt. caput paruum habens neque balbus esse poterit, neque caluus, nisi fuerit glaucus. sed infrà. à ventris turbatione, aut à tussi si cancer fiat; os amarescit. dato autem elaterium bibendum bis, aut ter, si non balbus fuerit. vnde in l.6.aph.32. balbi ab alui profluuio maxime capiuntur: quoniam vt ait Gal. in com. cerebrum eis est humidum, à quo multę fluunt in ventrem superfluitates.

Balneum.

De balneorum quidẽ differentijs, facultatibusque agamus: & quibus hominibus competat eorũ vsus, & quibus morbis, & quando, & quomodo ad Hipp. sententiam. Balnea igitur alia sunt, vel fiunt calida natura, vel arte; alia frigida: & horum alia ex aquis dulcibus parantur, alia ex salsis, aliarumque virium participantia. calida autem balnea, vt placet Hip. in lib.2. de diæta.pag 48.nu 20. ieiunum attenuant, ac frigefaciunt: per caliditatem.n. humiditatem de corpore auferunt: euacuata autem de carne humiditate, corpus perfrigeratur. à cibo autem accepto eadem calfaciunt, & humectant, ea, quę sunt in corpore diffundentia in maiorem molem. Balnea autem frigida vice versa, vacuo quidem corpore præbent quandam caliditatem. vbi autem cibus ingestus est, ab humido detrahunt existente, & frigidum existens siccitate replent. & in eodem loco de uiribus aquæ potabilis, & salsæ hoc scribit pacto. Aqua potabilis humectat, & frigefacit: exhibet enim corpori humiditatem. salsum autem balneum calfacit ac siccat; cum enim natura calidum sit; trahit à corpore humiditatem. & in l.de Affect.pag.83.nu.47. Balneum calidum, moderatum quidem, mollit, & auget corpus. quod verò opportunum modum excedit, siccas quidem corporis partes humectat, humidas verò resiccat. & siccæ quidem humectatæ debilitatem, & animi deliquium & exhibent; humidæ verò siccatæ siccitatem, ac sitim.

Quibus verò hominum naturis conferat balneum scribit Hip. in lib.de salu.diẹ.pag.31.nu.3. & ait. Gracilibus autem magis expedit lauari, quàm carnosis; & balneis multis æstate vtendum est, hyeme paucioribus. Et in com.3. de vict. ratione in morb.acut. par.60. lauandi autem cupidos si quotidie bis laueris; nihil peccabis. & par.62. Quibus aliquid eorum, quæ balneum. & bonum reddere, & iuuare possunt, deest, hos lauare non expedit; quibus verò nihil deest, signumque adest ipsis, in quo lauare cõueniat, lauare oportet. & par.59. qui in morbis aluum plus iusto humidiorem habent, ij non sunt lauandi; neq; ij, quibus magis, quàm decet, detinetur, & soluta nõ sit; neque quibus vires lãguent, nec cibum fastidientes, nec nausę abundi, nec biliosa ructantes, nec quibus sanguis è naribus profluit, nisi minus quàm decet fluxerit, nec quod decet, te latuerit: nam si minus, quàm decet, fluat; lauabis, & si vniuersum corpus in cæteris, & si caput duntaxat iuuerit. si igitur apparatus hi conuenientes fuerint, ægerque fęliciter balneum susceperturus sit, quotidie lauare oportet. Et par.57. Magni autem admodũ pendere oportet, si æger cum recte valuit, balneum valde affectauit, & lauari fuerit assuetus; nempe tales magis appetunt, iuuanturque, cum loti fuerint, adeo vt lędantur, si non fuerint loti. Et par.55. lauari quoque is non debet, qui nuper sorbsit, vel bibit; neque confestim à balneo sorbendum, neque bibendum. & par.61. Tutius autem longe balneo vti possunt, qui tota vtuntur ptisana, quàm qui solo vtuntur cremore: quanquam & hi interdum vti possint: minime autẽ qui potu solo vtuntur. & ibi Gal. inquit. ptisanam totam porrigunt his, qui mitius, quietiusque habent: solum verò cremorem his, qui deterius degunt. verùm his, qui periculosius, acutiusque laborant, potus solos. quare in quo morbi tempore vniuersali sit lauandus æger, dictum est.

Nunc quonam modo parandum sit balneum, & quibus conferat morbis legamus. scribit in eodem lib. & com. par.4. Hipp. hæc verba. balneum in plerisque morbis confert in his quidem perpetuo, in alijs verò non. estque quando minus vtendum sit,

quòd

quòd imparatum homines habeant: nam in paucis domibus parantur necessaria, reperiunturque, qui rem, vt oportet, curent. quòd si exacte quispiam non lauetur, non mediocrem incurret noxam: tecto si quidem est opus, quod fumo careat, copiosa item aqua, & crebra lauatione: sed quæ immediocris non sit, res ita postulauerit. ita neque ēt abstergere oportet. quòd si aliquando abstergendū sit; calido aliquo, atque multiplici plus quàm existimetur vtendū absterforio, perfundēdaq; aqua multa, & celeriter post perfundenda. via ad solium breuis sit, facilisq; tum ingressus, tum egressus. qui lauatur componat sese, taceat, & nihil agat: sed cæteros tum perfundere, tum abstergere sinat. multæ quoque aquæ mixturæ parētur. celeresque faciant perfusiones, & spongijs pro strigili vtantur, & non valde siccum perungant corpus. caput verò spongia, quoad maxime fieri poterit, resiccare oportet. neque caput modò, verùm & extrema, & quamuis aliam corporis partem à frigoris iniuria prohibere conuenit. peripneumoniæ autem magis, quàm ardenti febri cōfert: nam lateris, pectorisq; & dorsi mulcet dolorem, sputum maturat, educitque, & spiritum facilem reddit. lassitudines tollit, mollit articulos, & cutem per summa apparentem. vrinas ciet, capitis soluit grauitatem & nares humectat. tot ergo insunt balneo bona, quibus omnibus est opus. cæterùm, si in apparatu re vna, vel pluribus defectum sit, metus est, ne non prosit: vnum si quidē horum, quoduis fuerit, si à ministris non vt oportet præparetur, valde lædit. præterea ad pleuritidem vsus est balneo Hip. in l. de locis in homine pag. 32. nu. 30. adiecterum n. 40. ad pulmonis inflammationem in l. 3. de diæ. nu. 10. ad repletionem. nu. 11. & 14. ad frontem, ac testes leprosos in l. 5. de mor. popu. nu. 3. ad febrem acutam in l. 7. de mor. pop. nu. 23. ad dolores oculorum in l. 6. aph. 31. & lib. 7. aph. 46. ad vteri affectus plurimos in libris de natura muliebri, & de mor. mulie. ac de sterilibus: ac tandem ad plures alias ægritudines, quas, ne prolixus sim, omitto.

Bene.

Bene quandoque dicitur cibari hominem, hoc est, appetere cibum, vt in l. 2. aph. 31. & quandoque bene, maleùe se habere, idest, sanum esse, vel ęgrum, veluti in l. 3. aph. 2. aliquando dicitur, morbi ad tempora alia bene, maleùe se habent, idest, sanantur, vel in deterius cadunt, sicut in l. 3. aph. 3. Et si excretiones bene exeunt, idest, concoctæ sint, bonæ, vt in li. 4. aphor. 47.

Beta.

Betæ succus aluum mouet: ipsum verò olus comestum sistit, radices autem magis aluum mouent. lib. 2. de diæta. num. 14. vnde in lib. 7. de mor. popu. octauo succum sorpsit betæ noctem versus. nocte, cū sine dolore esset; dormiuit. & postea in eodem lib. coniux Polemarchi cum de articulis laboraret; subito coxendix doluit. muliebria non descendebāt. cum betæ cremorem potasset; vox nocte vsque ad meridiem retenta est. postea resipuit, audiuit. Et in lib. de arti. num. 75. docet quibus vlceribus conueniant betarum, & bechij folia.

Bibere.

Qui noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus, si super domierint, bonum. lib. 5. aph. 27. & bibere elleborum. i. sumere in potu lib. 4. aphor. 14. in lib. de aere, aquis, & lo. pag. 35. num. 6. Edaces tales naturas esse necesse est, & non multum bibaces: non enim fieri potest, vt simul multum edant, ac bibant. & nu. 24. quia mulieres meatus vrinarios habent amplos: etiam plus bibunt, quàm pueri. verùm hæc de potu sunt aduertenda, veluti prog. quædam. scribit Hipp in lib 7. de morb. pop. pag. 148. nu. 9. Et bibenti strepitus audiebatur circa pectus, & ventrem descendentis potus, quod verò pessimum erat &c. & nu. 15. eiusdem libri. strepitus bibenti magni fiebāt. respuebat, & sursum ad nasum absordebat; & in eodem lib. nu. 45. cum de melancholico viro loqueretur, ac notas describeret, sic inquit. bibere quandoque tota die, ac nocte etiam si potus exhiberetur; nō volebat, quandoque verò vrna derepente correpta, omnem aquam ebibebat.

Bilis.

Bilis est genus humoris, quod atrā speciem, & flauam, & quæ ex atra, & flaua conflantur, continet. flaua igitur, & atra sunt duæ humoris species. Erugino sa, prassina, & huiusmodi aliæ aut mixtæ sunt ex flaua, & atra, aut per vlteriorem decoctionē fiunt tales. ex flaua autem; & atra bile constituitur corpus hominis; propterea ꝙ legitur in lib. de natura hominis pag. 10. nu. 8. corpus humanum esse sanguinem, & pituitam, & bilem flauam, & nigram, & nulli ipsorum idem nomen esse, & species iuxta naturam separatas esse, nec similem esse sanguinem bili, nec bilem pituitę, neque hanc sanguini: & hęc quatuor congenita esse, & hominem in se ipso hęc omnia semper habere, donec vixerit; & nata esse ex homine hęc omnia habente, & nutrita esse in homine hæc omnia habente; Et in lib. 1. de mor. nu. 2. bilis, & pituita tum nascentibus gignantur, & sunt in corpore aut plus, aut minus. quo circa facilem cognoscimus hominem ex humoribus fieri, & nutriri: & humores in homine fieri, & nutriri. & hęc est Aristotelis sententia, ꝙ nos ex quibus facti sumus, ex hisdē nutrimur. vnde duplicē, vt sentit Hip. bilem habemus; alterā, ex qua sumus generati, quę semper est in nobis, donec vixerimus: altera post hominis cōstructionē fieri ex cibis, & potibus: nā, vt in l. 4. de mor. pag. 75. nu. 3. legitur. in omnibus cibis, ac potibus & bilioſi quid est, & aquosi, & sanguinei, & pituitosi: in alio plus, in alio minus, &, postquā comedit, aut bibit homo; corpus in se ipsum humorē ex ventriculo, & fontes trahūt per venas de ventriculo, similis humor similem, corpori distribuūt: quemadmodū ēt in plantis similis humor similē trahit de terra. Et num. 8. postquam comedit, & bibit homo aliquid amari, quodque bilioſum, acl eue est; copioſior etiam bilis fit in hepatis folliculo. quare similis humor similem trahit, sed ad congenitam redeamus bilem. corpus humanum hos habet quatuor humores perpetuo, sicut & annus omnis omnium particeps est & caliditatum, & frigiditatum, & siccitatum, & humiditatum.

Sed fit, vt annus alius alio sit calidior, vel frigidior; sic corporum aliud alio calidius, frigidiusve natura: & idcirco dicatur corpus bilioſum, vel sanguineum, vel pituitoſum; siquidem in eius generatione maior sit bilis, aut sanguinis, aut pituitę copia. humor autem hic, qui flaua bilis appellatur, est calidus, & siccus, vt scriptum est in lib. de structura hominis pag. 215. num. 1. quod quidem confirma-

tur

tur in lib. de natura hominis pag. 10. num. 12. nam, cum pituita bili flauæ opponatur; pituita est omnium humorum frigidissima ex sua ipsius natura, & viscosissima, & maxime in hyeme viget. itaque bilis est omnium calidissima, minime viscosa, immo viscosa incidit, & abstergit, & in æstate dominatur: quod tempus calidum est, & siccum: vnde & ipsa calida existit, & sicca. verùm dicit in dicto lib Hipp. num. 11. Iugulatis primum sanguis calidissimus, & ruberrimus profluit, deinde pituitosior, & biliosior. Et num. 13. homines vere, & æstate maxime dysenterijs corripiuntur, & sanguis ex naribus ipsis fluit, & calidissimi sunt, ac ruberrimi. Et in libr. 1. de morb. pag. 63. numer. 22. Est pituita frigidissima ex natura: calidissimus autem sanguis. frigidior est etiam aliquanto bilis sanguine. quapropter videtur Hip sensisse flauam bilem minori caliditate præditã esse, quàm sanguinem, quæ profecto opinio à superiori omnino dissentit, sed dicendum est caliditatem sanguinis maiorem esse quàm bilis quò ad vitam, ac vitæ operationes seruandas: quoniam vita existit homini per calidum, & humidum: & calor in humido non est in supremo gradu, sed in sicco. verũ caliditas bilis posita est in sicco, & siccitas est lima caloris. ideo quò ad essentiam humorum flaua bilis calidior est sanguine.

Materia verò, ex qua flaua fit bilis, ab Hip. affirmatur in l. 4. de mor. pag. 75. nu. 8. his verbis. postquam comedit homo; ac bibit quid amari; quodque biliosum, ac leue est; copiosior etiam bilis fit in hepate. & in l. 6. de mor. pop. sect. 6. pag. 145. quibus quidem pingue, bilis flaua; quibus sanguis atra. fit & ex sanguine calescẽte, à quo exhalat humor aquosus, & pinguis, & leuis, qui est biliosus, & id dicit Hip. in li. 4. de morb. pag. 77. nu. 23. fit tandem ex cibis salsis, ex acutis, & huiusmodi alijs, de quibus sermonem habere longum superuacaneum duxi. Porrò constat bilis ex partibus: ait etenim Hip. in l. de aere, aquis, & locis pag. 37. nu. 29. quod liquidissimum, ac aquosissimum est in bile, consumitur: densissimum verò & accertimum relinquitur. itaque habet ratione materiæ siccitatem, & humiditatem: ratione quidem formæ caliditatem, & frigiditatem, dum modo ad nigredinem, & combustionem deueniat. & hæc est essentia flauæ bilis.

Cum igitur bilis inter humores sit calida, & sicca: necessario omnium horum erit leuissima, ac præterea in superficie consistit, secundo loco sanguis, tertio pituita, ac tandem aqua horum grauissima. sic inquit Hip in l. 4 de mor. pag. 73. nu. 25. vbi vult humorem turbatum similitudinem cũ equino lacte habere, qua de re cum flaua bilis sit calida si multa sit; calfacit, & æstuosum hominem reddit, febricitantemque; cũ sicca existat; exiccat, mordet, inflammat. cum liquidissima sit, & leuis. facillime è loco mouetur, & errabunda fit, ac supernas præsertim hominis partes occupat, atque partes corporis extimas, anteriores, ac dextras. ideoque legitur in lib. de Veteri medicina pag. 5. nu. 34. cum amaritudo quædam diffusa fuerit, quam bilem flauam appellare solemus; quales statim anxietates, & æstus, & impotentiæ occupant, & ubi liberati fuerimus ab illa: manifeste & à doloribus, & à calore liberamur. sed quo modo bilis flaua hæc efficiat, & à quibus causis mota, quo tẽpore, quibus locis postea explanabimus. & hæc de natura, & de his, quæ secundum bilis flauæ naturam existant, dicta sunt. causas verò bilem flauã efficientes habemus in materia, ex qua fit: propterea quòd caliditas & siccitas, & quæ caliditatem & siccitatẽ consequuntur, veluti salsedo, amaritudo, acrimonia efficiunt bilem, & bilis ab his accipit qualitates. & propterea quæcunq; calida sunt, & sicca: aut caliditatem facere possunt, & siccitatem, efficiunt bilem ob proportionem, & conuenientiam, quam cum ea habent. itaque, vt volunt Astrologi, inter signa cœlestia leo habet proportionem, & conuenientiam cum bile in siccitate, & caliditate, inter planetas mars, inter cœli partes dextra, siue meridies, inter anni tempora æstas, ac præsertim sub cane, inter diei partes meridies: inter elementa ignis: inter mixta imperfecta ardentes venti, ac æstas, inter minus imperfecta quæ habent materiam leuem ac raram: inter formas, quæ mouent sursum: inter loca terrestria habitabilia, ea quæ sunt calida, alta versus meridiem: inter mixta perfecta ea, quæ vim habẽt calefaciendi, & exiccandi, vt zingiber, synapis, & piper: inter hæc ea gustabilia, quæ saporem habent dulcem, pinguem, salsum, & acutum: odoremq; similem: inter visibilia lucida, splendida, flaua, & quæ visum disgregant: inter audibilia soni acuti, asperiq; strepitus, tumultus, sonitus tubarum, & id generis; inter tactilia quæ exasperãt, siccant, inflammãt, vlcerantque; inter homines mas; inter mares is, cuius habitus calidus sit & siccus. inter corporis compositas partes dextra, folliculus in hepate, cor, & instrumenta, quæ cordi inseruiũt; inter similares illa substantia, ex qua compositum est cor; deinde ea, ex qua hepar; ac postea ea, ex qua caro est cõflata; inter tẽperamenta calidum, & siccum; inter humores sanguis, qui ex corde per arterias distribuitur inter spiritus vitales; inter facultates vis discũsiua; sic inter actiones; inter ætates iuuentus. & ex rebus quæ à medicis nõ naturales dicuntur, sed ad hominis vitam necessariæ sũt aer lucidus, calidus, & siccus, maiorem habet cũ flaua bile symbolcitatẽ quàm obscurus frigidus, & humidus; & motus maiorem quàm quies; & magis cum ea conuenit vigilia, quàm somnus; inanitio, ieiunũ, ac fames, quàm repletio; atque tandem animi affectus, quàm nullis impeditus molestijs. hæc igitur omnia, vel plurima si corpus hominis comitentur, naturalem bilem non solum conseruabunt, sed nouam generabunt, augebuntque. &, nisi oratio mea longius protraheretur; Hipp. sententias singulas in medium producerem, quæ dicta corroborarent superiora. hæc igitur sunt bilis flauæ efficientia.

Ea verò facta est ab his, & aucta simplex, & pura; aut non pura, sed mixta. pura, & non combusta, nec cruda est flaua. combusta tendit ad atram, & fit ęruginosa. cruda sapit naturam pituitę, vel sanguinis, fluida, vel ruffa, vel prassina. flaua corpori inest magis copiosa in ętate, sub cane, iuuenili ętate, & in alijs causis adiuuantibus, veluti si homo cibo, & potui indulgeret calido, & sicco, & plurimis esset negocijs detentus.

Locus autẽ purę bilis est folliculus in hepate: propterea quòd, si alij humores locũ habent proprium; & bilis quoque. sed, vt ait Hip. in lib. 4. de mor. pag. 76. num. 2. sanguini fons est cor, pituitę caput, aquę

splen

ſplen,& bili locus folliculi in hepate.non puræ verò locus eſt is,qui proprius eſt humoris flauæ bilis mixti,atque etiam in quantitate,& qualitate exuberantis.at locus bilis paucæ cum plurimo ſanguine mixtæ ſunt venæ. nec exiſtimes vellm bilem tantum in folliculo eſſe: nam congenita eſt vbique per corpus, & vnaqueque corporis particula habet quid bilis.ex compoſita eſt ſimul cum alijs humoribus: illa verò, quæ à cibis, & potibus facta eſt,non omnino tota ad proprium locum ſe contulit, ſed ad eſſe,& ad bene eſſe corporis per corpus diſtributa eſt, atque omnes particulæ, & omnes humores in ſe quid bilis continent actu,vel potentia. quocirca mirum non eſt, ſi partes hæ calefiant,quin bilis,quæ actu,vel potentia inerat,commouentur.

Cæterum quonam pacto ipſa moueatur, & à quibus cauſis agamus.ipſam verò à cauſis,à quibus, & ex quibus fit moueri minime dubium eſt.hę quidem cauſæ aut internæ ſunt,aut externæ.unde Hip.in li. 1.de mor.pag.62.num.22.caleſcit bilis,& pituita intrinſecus quidem à cibis, & potibus, à quibus etiam nutritur,& augetur:extrinſecus autem à laboribus, ac vulneribus, & à calido nimium calefaciente, & à frigido nimium frigefaciente.caleſcit item à viſu,& auditu:verum minimum ab his.& nu.23.percaleſcit totum corpus,ac humectatur à vino.maxime autem bilis,& pituita percaleſcit,ac humectatur. Et in l.de affectio.pag.80.nu.1.bilis,& pituita nimium reſiccâtur,aut humectantur,aut incaleſcant, aut frigeſcant à cibis,& à potibus, & à laboribus, & à vulneribus, & olfactu,& auditu,& viſu,& coitu,& à calido,& à frigido.patiuntur autem,cum ſingula ex relatis hoc modo in debito tempore corpori exhibentur, aut non conſueta,aut plura,& fortiora,aut pauciora, & debiliora. & hoc pacto vniuerſi morbi hominibus ex his fiunt.commouetur & bilis,vt ait Hip.in lib.de inter.affect.pag.88.nu.33. propter caliditatem ſolis: & commota à ſplene trahitur. quare à cauſis alteratur primum bilis in primis, & in ſecundis, atque in alijs qualitatibus. deinde ipſam attrahit corpus, uel corporis pars. verũ quandoq; non attrahitur; ſed tantummodo alteratur, aut multiplicatur: nam legitur in l.de locis in homine pag.32.nu.38. cum in corpore ſuperinflammato carnes intumuerint, & pituita, ac bilis concluſa quieuerint, & neque refrigeretur quicquam.neque exeat,neque moueatur, neq; aliud quid iubeat; febres fiunt.ſi plurima, ac meraciſſima ſit bilis,ſit febris continens appellata.ſi pauca ſit tertiana.ſic ait. Hip.in l.de natura hominis pag.11.nu. 27. & 28. itaque bilis ſolummodo alteratur nec de loco mouetur: tamen ſit febris.in l.4.de mor.pag.75. n.8.ſi derepente multa bilis fiat à cibis ſcilicet ac potibus; homo hepar dolet. & ſi veteri bili alia ſuperaccedat; morbus oritur. quam ob rem mouetur aliquando bilis à cauſis,eam multiplicando,aut alterãdo:aliquando quieſcit & alteratur.ſed bilis commota fluit præſertim ad locum, qui facultates aliquas poſſideat bilis, tanquam ad formam. atque is locus rapit illam. quandoque expellitur à partibus robuſtioribus ad minus robuſtas. quandoque etiam præ multitudine diffunditur per corpus, nec attrahitur. bilis igitur ſi è loco moueatur;diffluit aut attrahitur ad membra officialia,aut ad partes ſimilares, aut ad ſanguinẽ,aut pituitã, aut ad ſpiritus, & ad calorem.

Si verò bilis commota fuerit, vt ſcribit Hip. in l. 1.de mor.pag.63. nu.27 per corpous,& contigerit, ut uenæ,& ſanguis attrahant bilem, eamq; plurimã ex carnibus,ac uentriculo ad eum,qui prius ineſt,ut pote cum etiam natura calidiſſimus ſanguis in corpore exiſtat. cum itaque percaluerit ex carnibus, & uentriculo ſupra eum, qui iam ineſt, adhuc magis à bile, percalfacit etiam reliquum corpus. & hoc pacto fit febris ardens.& nu.28. cum bilis commota ad uenas, & ad ſanguinem ingreſſa fuerit; ſanguinem ex conſueta compage,ac motione dimouet, & ſeroſum facit, & calfacit. calefactus autem etiam reliquum corpus totum percalefacit. Et in l.2.de mor. n.3.bilis,& pituita calfaciunt ſanguinem,& plus ſolito commouent.at partes, quæ bilem attrahunt, & non ſanę ſunt;ſed ęgræ,ut explicat Hip.in l.de Vict. ratione in mor.acu.com.4.par.1.qui inquit,cum uenulæ tempore æſtiuo exiccatæ acres,& bilioſas,quę tenues ſint, trahunt ad ſe humiditates, quas ichoras uocant, fit cauſus,id eſt,febris ardens. & par.27.declarat,quid fiat poſtea, cum bilis ſanguini mixta ſit, his uerbis.cum dolores acceſſerint; bilis atræ,fluxio numque acrium deſtillationes fiũt,mordentur interna, grauanturque morſæ à prædictis humoribus uenæ, quæ in affecto ſunt loco. Et repleta à fluxionibus particula, quæ afficitur, & corrumpitur in primis ſanguis; deinde uaſa opplentur,quòd in eo iunctas uias ſpirituũ arcet,cohibetque:propterea quòd cum ſanguine ſpiritus eſt. & hinc fiũt infrigidationes,uertigines, aphoniæ,capitis grauitates. conuulſiones. cæterùm ſcribit Gal. in com.prædicto par.1. ſi attractio illa fiat in una quapiam corporis parte, in ea ſolum qui eryſipelas referat, affectus quiſpiam erit. ſi autem uenæ totius corporis ſupra modum exiccatæ calidas carnoſis è partibus humiditates traxerint; in toto corpore fiet affectio,quæ cauſum referet. ſed, ut ipſe Galen.in par.27.explicat,ſi in aliquo corporis loco,uelut in hepate,corde, & uena caua,fiat dolor;motio doloris fluxionem humiditatum ad eam partem, quæ dolore uexatur, excitare conſueuit. cæterùm abſque febre bilis in uenas, & in articulos decumbit,& firmatur:nam ait Hip.in l.de Affectio.pag.80.nu.14. ſi febris non tenuerit,os uerò amarum habuerit, & corpus grauetur, & cibum auerſetur;bilis in uenas,& articulos incubuit, & firmata eſt.

Porrò ſi flaua bilis cum atra miſceatur, uel ſola bilis flaua ad maiorem deueniat decoctionem; fiet bilis æruginoſa,de qua mentionem facit Hip.in lib. de Veteri med.pag.5.num.34. & notas eius explicat ſic. Et quos quidem acuta,acriſque,ac æruginoſa bilis ſcilicet diffuſa affigit,quales mox rabies, & morſus uiſcerum, ac pectoris,& deſperatio? De cruda autem bile hoc pacto ibi differit. Quanto autem tempore eadem eleuata fuerit,& cruda,& meraca ac intemperata, nulla ante neque dolores, neque febres ſedare poſſit.

Miſcetur præterea flaua bilis cum lacte, ut legitur in l.de aere,aquis,& lo.pag.36.nu.24 ſic. Fit pueris etiam ſcilicet calculus, ſiue lapis ex lacte, ſi non ſalubre id fuerit,ſed ualde calidum,ac bilioſum:uentrẽ enim percalefacit, & ueſicam. quare urina dum aduritur;hæc patitur.

Si uerò ſpiritus bilioſus ſpiritibus, qui cordi inſer

uiunt,

uiunt,adiungatur; fit excandescentia, & ira,quæ,vt scribitur in l.6.de mor. pop.sect.5.par. 9.attrahit & cor,& pulmonem in se ipsa,& in caput: siquidem sicut in com. exponit Gal. in excandescentijs cor vnà cum arterijs per totum animal dispertitis conspiciatur pulsum maiorem,ac vehementiorem efficere.vnde par est ea, quæ ipsius dilatationem replent, plura eo tempore induci.quòd verò tunc in caput plus caloris,atque humoris efferatur, argumento est rubor per oculos,& totam faciem diffusus.at, si spiritus bilioſus cum animali spiritu copuletur;fiunt vigiliæ,delyria,mentis inquietudo,ac instabilitas,& alia huiusmodi.si cum naturali; lædit nutritionem perfectam, augmentum,& generationem.

Si autem bilis,aut pituita ad cor consistat; animo linquitur homo consistere autem necesse est commotis,ac humectatis. hæc in lib.2. de morb. pag.65. num.5.

Si verò ad hepar bilis flaua multa confluat; statim,vt scribitur in l.4.de mor.n.8.dolet hepar,quod pueri cor vocant,& bilis de ventre copiosior fit:trahit enim folliculus, qui est in hepate bilem iuxta similitudinem,quæ inter folliculum est,& bilem.hoc autem contingente procedit de vetere bile propter multitudinem ad ventriculum, cui tormen oboritur. vnde, si superaccedat noua bilis in corpore, ab his,quæ in ventriculum incidunt;morbus huic oboritur.è ventriculo fit vomitus.itaque,cum prægnãs, quæ cor,& vterum doleret,ac febriret: catapotium deglutiret deorsum fortius purgans,quàm conueniebat, euomit etiam bilem combustam præ cibi abstinentia,& febre.sic legitur in l.5.de mor.popu.nu.9. & n.11.vomebat bilem fuluam aliquando,vbi è somno excitatus esset.vomebat etiam nigram. Et l.4.de mor.pop.n.7.Eumenis vxor autumno vomuit bilem atram.causa vomitus bilis dictaest,sed Hip.inquit in l.2.de mor.pag.65.nu 3.vomuit bilem, vtpote commota ipsa in corpore.& nu.14.dolor caput corripit, &,si paululum moueatur;bilem vomit.

Præterea,si bilis in caput trahatur; dolor circum circa caput vexat,& vomit bilem,& difficulter mingit,& desipit. dolet præ nimia eius calefactione. desipit,cum sanguis in capite à bile, aut pituita fuerit calefactus,& plus solito commotus. caput præ caliditate trahit in se ipsum tenuissimum,ac crassissimũ vomit.sic scriptum est in l.2.de mor. nu. 3. vbi verò in capite commota aceruatim deorsum fluxerit, ac circa collum constiterit; fit angina,de qua Hip.scribit in l. de Vict. ratione in mor. acu. com. 4. par.31. & in l.2.de mor. nu.9.cum autem pectus bilem generarit;fit homo balbus,furiosus,& caluus,vt in l.2. de mor.pop.sect. 6. legitur. Et in l.de affectio. pag.80. nu.12.cum commotis duobus humoribus,pituita scilicet & bile, non conducentia corpori exhibentur; ipsi inter se ipsos coacte corpori vbicunque tandem contigerit,allabuntur. & fit pleuritis, aut phrenitis aut peripneumonia. cum autem splen in seipsum traxerit bilem;ea commota est à solis caliditate: & tũc fit splenis morbus, vt dicit Hip. in l.de Inter.affect. pag.88.nu.3. Ad hepar quandoque ducitur bilis bubulæ carnis esu, & nimio vini potu, sicut in eodem li.nu.31.apparet.si verò bilis mota visceribus,ac septo trãsuerso insederit;fit pleuritis,sicuti docet Hip. in l.de Affect.pag.80.nu.10. at scriptum est in l.5.de mor.pop.pag.141.nu.17. Symmachi filius à bile suffocabatur noctu: cum dormiret, & febris eum teneret. Et in l.4.pag.137.nu. 11. valde bilioſis suppuratis purgatio,sepiæ atramento maxime similis.si autẽ bilis ad aluum deueniat; dicit Hip.in lib.5.de mor. pop.nu.10.Famula Onesidemi in Lariſſa vlcerata est aluum,& intestinum à bile sponte commota. & propdibat sursum,ac deorsum bilis, & sanguis.& febris tenebat.Et subdit. Eudemus in Lariſſa hæmorrhoides habens fortes,& diuturnas cum exanguis esset, bilis commota est, sed leniter in corpore: & aluus turbata deorsum bilioſa egerebat, & hæmorrhoides intumescebant, pharmaco deorsum purgante poto, probe depurgatus est:& rursus succum bibit: & amplius aluus turbata est, & dolor ad præcordia consistebat.Et in l.de Affectio.pag.81.num.28.fiunt & hi dolores,qui ex potationibus, aut ex conuiuio oriuntur;cum cibi,& potus plus solito in ventrem ingressi fuerint: & quæ extrinsecus corpus supercalefacere solent,bilem,ac pituitam mouerint.& suprà. Ex vino,aut a conuiuio bilis superne, ac inferne fluxus, aut diarrhœa corripit.Vbi bilis,& pituita ad intestinum rectum descenderit; inflammatur,& procidit, & sanguis profluit. hæc in l.de Fistulis pag. 206.nu. 6.si verò bilis,aut pituita ad venas recti intestini incubuerit;sanguinem,qui in venis est,calefacit. calescentes autem venæ ex vicinis venulis sanguinem attrahunt.&,vbi replentur;interna sedis pars intumescit,& capita venarum supereminent.sic scribit Hip. in l.de hæmor.pag.206.num.1.cum autem caput doleat,& imum ventrem, & lumbos; bilis in uteris est. sic legitur.in l.de natura mul.pag.98.num.83.sed vt summatim dicam,morbi omnes, ut legitur in lib.de Affectio. num 1.à bile, & pituita hominibus fiunt. Et nume. 15. dolor, qui aliàs ad alium ventris locum transit,& febre caret, bile fit. si verò bilis extra ad aliquem colligatur locum, putrescit. & hac parte, ait Hipp. in l.2.de mor.nu.2.caro putrescit, & exulceratur, & accedentem pituitam ac bilem insuper putrefacit, & fit pus. verùm fit.ut flaua bilis expellatus cum sanguine narium, aut cum urina, per sputa, per uomitum,per sedem, cum sanguine menstruo, aut hæmorrhoidali, per nares, per aures, ac per sudorem,& ex his partibus fit euacuatio critica, aut symptomatica: de quibus hoc pacto loquitur Hip.in l.2.aph.15.Vbi fauces ægrotant,aut tubercula nascuntur in corpore; excretiones inspicere oportet:nam,si bilioſæ fuerint;corpus vnà ægrotat:si verò similes sanis;tutum est corpus nutrire. In lib.de dentitione pag.24. nu.3. cum maiores prioribus deglutire in tonsillarum ulceribus nõ possunt; his multum bilem reuomit,aut per aluum prodire periculosum est.Et de Affectio.nu. 13.si febre ex bile detinente non purgetur neque sursum, neque deorsum, dolor autem affuerit per totum corpus; tertia,aut quarta die pharmaco leui, aut potione deorsum purgatur.Et lib.6.aph.50.quibuscunque præciditur cerebrum, his necesse est febrem, & bilis uomitum superuenire. In lib.2.pror.par.48.in ardentibus febribus cum aliquantula perfrictione, deiectionibusque aquoſæ bilis,multisque oculorum peruersio,signum malum tum alias,tum si catochi fiant. Et lib.4.aph. 28. quibus bilioſæ deiectiones superuenient surditate essent: & quibus surditas,superuenientibus bilioſis

ioſis deiectionibus, ceſſat. Et aph.47. Excretiones in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fętidæ,& bilioſæ omnes malæ,& ſi bene exeũt ſiue per alui excretionem,ſiue per vrinas,bonum.ſi verò non aliquid eorum, quæ iuuant, per hæc loca excernitur malum.& l.5.aph.64.lac dare,quibus in febribus acutis bilioſæ ſunt deiectiones,malum.in l.6.de mor.po. ſect.6.verſus finem.Bilioſum,& ſanguineum corpus atrabiliariũ fit, niſi habeat euacuationes. & in l.4. de mor.pag.63.nu.27.quantum in ventriculo, & in veſica ineſt bilis,quod quidem in ventriculo eſt,aliquando deorſum exturbatur,plerunq; verò in primis diebus vomitur aut in quatuor, aut in quinque. & ſubdit. at quibus in veſicam confluit quid bilis,his craſſa vrina mingitur,craſſa autem à pituita. bilioſa aũt alui ingeſtio prodit; eo quòd combuſta ſint ea, quæ ſunt in ventre.& in l.4.de mor.pag.75. nu.8. ſi derepente multa bilis fiat;homo dolet hepar,& de ventre copioſior fit. hoc.n.contingente, procedit de veteri bile propter multitudinem ad ventriculũ.& pars ipſius per veſicam,pars per aluum egreditur. atque ſic minima pars in homine manet,& dolores ceſſant. & in l.de Affectio.pag.81.nu.24. cum tormen, & dolor adeſt per totum corpus,& egerit bilem,pituitam, & ſanguinem cõbuſtum; fit diſſenteria:morbus hic fit; vbi bilis,& pituita in venas, & aluum incubuerint: ægrotat quidem ſanguis & corruptus ſecedit. ægrotat autem & inteſtinum, & raditur, ac exulceratur.

Verùm de vrinis bilioſis pauca dicam;quoniam de his curationibus omnibus dicemus ſuis locis. Quib. ait Hip. in l.7.aph.32. bilioſa ſedimina ſupra tenuia acutum morbum ſignificant. ſed nos docet Hip.hæc de bile,quæ memoriæ ſunt mandanda. Bilis,vt in l. de locis in homine pag.33.nu.45.legitur,vbi ſua ſpõte eruperit, aut inferne,aut ſuperne, difficilius ſedatur. quæ enim ſponte procedit, præ violentia corpori facta impellitur. Si verò à medicamento fluat;nõ à gẽtilitatis cognatione violatur. & in li.1. de mor.n. 6.febrienti,ac bilioſo in tẽpore foras diſperſa bilis,bonum:diffuſa autẽ ac diſperſa ſub cutem, toleratu leuior eſt habenti,& curatu faciliõr ſananti: diffuſa autem, ac diſperſa, & ad vnã aliquam corporis partem allapſa,malum. Et in l.de med.purg.pag.41.num.4. commota bile,& non purgata,nõ ſorbere vult æger, neque bibere: ſed omnia abominatur, & plerunque perit.Et in l.de Affectio.pag.81. num.16. pituita, & bilis compacta quidem,fortia ſunt,& præualent in quacunque corporis parte conſtiterint, & laborem, ac dolorem fortem exhibent: diffuſa verò debiliora ſunt,quacunque corporis parte manifeſta fuerint.

De notis,quę bilem flauã declarant,loquitur Hip. in lib.6. de morb.popu.ſectio.5. par.14. linguæ virides bilioſæ. Et in lib.1.de mor.mul.pag.102.nu.13. ſi conceptio impediatur propter ſaluaginẽ,& bilem; lintea erunt fulua,& ſubliuida.& in lib. de natura mul.pag.94.nu.20. ſi mulier bilioſa fuerit;ſuper arenam ſanguis pallidus erit. ſed de his notis plura iam dicta ſunt antea.

Curatio bilioſi affectus ſit velox:quoniã morbi, q à bile fiunt,cito terminantur.& in li.de Affectio.pag. 82.nume.35. Quicunque bilioſi ſunt, his dato ea, à quibus bilis purgatur.in lib. de Veteri med. pag.5. num.34.vbi liberati fuerimus à flaua bile, & purgati aut ſponte, aut per medicamentum; ſi modo tempeſtiuè quid ipſorum fiat; manifeſtè & à doloribus, & à calore liberamur. & ſubdit. non ſedantur autem hæc, prius quàm eadem expurgetur, & proſternatur,& alijs permiſceatur, ſcilicet bilis. & in lib.1.de mor.mul.pag. 103. nume. 32. ſi humiditas bilioſa in vteros confluat; medicamentum dandum eſt,quod bilem purget: ſi verò ſalſuginoſa; lac aſininum, & vinum,& alia auxilia. bilem autem ex vtero purgantia explicat in lib.1.de mor.mul. pag.110. num.120. & in eodem libro nume.48. ſi prægnantem bilis vexet; ptiſanæ ſuccum dato, rhoe rubro inſperſo, aut eo, qui ex moris paratur. ſorbeat autem frigidam, & ſiſtetur & in lib.2. de mor. mul.pag. 122. num.6. plura recitat medicamenta bilem purgantia. in lib. de inter.affectio.pag.91. dat veratrum nigrum in vino dulci,& alia. In capitis vulneribus exhibet medicamentum bilem purgans pag. 185.num.28.in febre cum corpus grauitate dat quam celerrime pharmacum purgans ſiue ſurſum, ſiue deorſum opus fuerit. Si verò febris non tenuerit, os verò amarum habuerit,& corpus grauetur,& cibum auerſetur; pharmacum dandam eſt. Et hæc in lib.de Affectio. pag.80. num.14.in lib.de locis in homine pag. 32. nnum. 38. cum laſſitudo occuparit,& febris,ac repletio, lauare multa aqua oportet,& alia docet,quę ibi per lege.ſic curationem cauſi dat in lib.de Affectio.pag.80.num. 11.& num. 3.ait.ſi bilis aut pituita ad cor conſidat; aqua frigida,aut aqua mulſa pota,vomat, & alia explicat,de quibus, ac cæteris huiuſce generis diſſeremus proprijs locis.

Bonum.

Bonum quandoque dicitur de homine, vt in lib. 2.de mor.po.ſect.5.pag.132. vbi legitur. quicunque fului,naſo acuto, oculis paruis,mali:quicunque fului, ſimi, culis magnis, boni. aliquando dicitur bonus habitus, vt in lib.1. aph. 3. In exercitationibus boni habitus ad ſummum progreſſi periculoſi ſunt, ſi in extremo fuerint.aliquando dicitur bonumideſt vtile, & ſalutare, vt in lib.2. aph.2. vbi ſomnus delirium ſedat bonum eſt. Et in lib.4.aph. 25. ſanguis ſurſum qualiſcunque fuerit malus,deorſum verò bona,ſunt nigra ſubeuntia.i.minus mala.& lib.2.aph.4. non ſatietas,non fames,nec aliud quidquam bonum eſt ideſt ſanum,quod naturæ modum excedat.Et lib. 4.aphor.47. excretiones probe ſecedentes bonæ, hoc eſt,ſignum bonum. Et lib.5.aph.27. quibus bibendi appetentia noctu valde ſitientibus ſi obdurmierint, bonum eſt ideſt contingit ſomno iuuari. Et aph.67. tumores laxi boni ideſt ſine periculo,crudi mali. & in lib. prog. com. 1.part. 14. ſupinum cubare manibus, & cruribus extentis minus bonum, hoc eſt, non bonum.

Boreas.

Boreas,ſiue Aquilo, vt ſcribitur in lib.2.de diæta pag. 45. nume. 3. frigidus ſpirat, ac humidus, quia progreditur à talibus regionibus ideſt vt ſcriptũ eſt in lib.de aere,aquis,& locis.num.45.ab ipſis vrſis riphæis,quæ montibus, vnde boreas ſpirat,ſolque ipſe ſupremo æſtiuo ſolſtitio deficiens proxime accedit,ac tum exiguo tempore calefacit, ibi ſunt venti perpetuò frigidi à niuibus, glacie, imbribusque condenſati: qui nunquàm à montibus decedunt. meatque boreas per tales locos, ad quos non accedit ferè ſol,neque aerem reſiccans humorem,ebibit,

ac exhaurit: quare ad terram habitabilem accedit, suam ipsius vim habens, vbi non per regionis situm corrumpitur: & his quidem qui proxime habitant, frigidissimus est, qui verò remotissime, minime. boreas verò quas habeat facultates aliàs legatur aquilo: sed dicitur in l. de aere. hyems sicca, & borealis. nu. 25 æstas sicca, & borealis. nu. 28. autumnus siccus, & borealis. nu. 29. Verùm aliàs dixit Hip. Aquilonē ventum esse frigidum, & siccum. & idem est Boreas, & Aquilo. & propterea sibi contradicit, aut hic non est Hip. liber: imo legitimus est, vt antiqui censuerunt. Sed, cum dicat Hip. Boream ventum esse frigidū, & humidum; non de vento illo, qui septētrionis verum tenet locum: sed de eo, qui septentrionali vicinus est, intellexit. aut quoniam ventus, qui ab illis regionibus proficiscitur frigidissimis, & glacie multa oppletis; necessario est frigidus, & siccus in partibus illis. sed cum diu recedat ab illis; calefit venti materia gla ciata ab aere calido, & liquefit.

Brachium.

Brachium in posteriorem partem luxatum lege in lib. de fract. num. 44. sed in anteriorem partem rarissime luxatur num. 43. brachij luxati cognitio est ibidem. brachij fracti iustissima extensio, & compositio. in l. de Fract. brachij os fractum quadraginta diebus corroboratur. nu. 9. brachij ossis incuruatio quomodo pręcauenda. nu. 9. legitur porrò in li. 5. de mor. popu. nu. 33. Epircharmo circa pleiadum occasum dolor humeri, & grauitas in brachium, anxietas vomitus multi, aquæ potus.

Brassica.

Brassica, vt scribitur in lib. de affectio. pag. 83. nu. 49. acrimoniam quādam habet ad secessum, & simul boni succi est. Et in l. 2. de mor. pag. 66. nu. 19. si aluus nō subeat; brassicas edat, & succū sorbeat: sin minus, folia sambuci. Et l. 2. de diæta. pag. 47. nu. 14. brassica calfacit, ac aluū mouet, & biliosa ducit. Et l. 6. de mor. po. sec. 2. pag. 144. col. 2. brassicā septima die quis comedit cū adhuc difficulter spiraret: postquā pectem emollitus est; recte spirās factus est. aluus ipsi expulit.

Bubulæ Carnes.

Scribitur in lib. de Vict. ratione in mor. acu. com. 4. par. 94. bubulæ carnes melancholica proritant pathemata; nempe harum natura insuperabilis est, nec quiuis ventriculus eas concoquere potest. Et in lib. 1. de mor. mulieb. pag. 111. num. 127. si feruido, ac superficiario vlcere pudenda laborent; carnem bubulam longitudine duorum palmorum paruorum, crassitudine verò ligni, quod in foramen bipennis immittitur, pudendi videlicet virilis forma; vsque ad vesperam apponat: noctu verò auferat.

Bullæ.

Scribit Hip. in lib. 7. aph. 34. quibus in vrinis bullę subsistunt, morbum renalem, & longum significant Et in lib. 3. de mor. pag. 73. num. 21. supra omnia in vnaquaque pleuritide considerare oportet linguam: si enim bulla subliuida fiat in lingua, velut ferro in oleo tincto, si quidem in principio fiat aspera; difficilior est morbi amotio: & necesse est sanguinem tussiendo reijcere in diebus, quibus id fieri oportet. si verò facto morbi progressu fiat; iudicationes quidem contingent ad decimumquartum diem.

COMMENTARIVS II.

IOAN. MARINELLI IN LIBROS HIP.

Cœcitas.

Concutiunt homines, vt inquit Hip. in li. 2. de mor. pag. 64. nu. 1. cū ad venas in oculis peruenerit pituita: acquosior. n. fit vīsus, & turbulentior, & splendor in oculis non similiter splendidus est: neque in ipso compa ret, si videre voluerit similiter sicut ante cum splēdidus, & purus esset. Et in l. de inter, affect. pag 86. & nu. 19. cū de quodā loquatur dolore ait. si in crus dolor incubuerit priusquam vratūr; claudus erit si verò in caput; surdus, aut cæcus. Et in l. 2. de pd. pag. 175. nu 48. quibus ex his alui dolores in dextris fuerint, & iā vetustus fuerit morbus; hoīes ab ipso cæcutiūt. Et in l. de septimest. partu. pag. 20. nu. 4. quæcūq; mulieres multos pueros pepererūt, & qdā ex ipsis claudus natus est, aut cæcus, aut aliud quoddā malum habens aiūt in hoc puero octauo mēse ipsas difficilius trāsegisse. q̄ in his quos pepererūt nihil mali habentes: fœtus n. mancus in octauo mense fortiter ægrotauit. & in lib. 7. de mor. pop. pag. 151. num. 44. scribitur Damocrem cœcutire, & corpore exoluto esse, se videri. Signa cęcitatis recensęt Hip. in lib. 6. aph. 56. & ait in morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus, stuporē corporis, vel cōuulsionē, vel furorē, vel cæcitatē significāt. & in l. de Coac. præ. nu. 2. viro lippiēti febre superueniente solutio: sin minus aut pereat, aut vtrunque, periculum est ne cęcus fiat. & quibus lippientibus capitis dolor accedit, & ad multū tēpus cōcomitatur, periculū est, ne cęci fiant. & in lib. de iudicatio. pag. 160. n. 11. quibus in feb. ardentibus coxarū dolor, oculorū distortio, aut cæcitas, aut testiū tumores, aut māmarū eleuatio febrē ardentē soluit.

Calcaneus.

Calcaneus denigratus legatur in lib. de artic. nu. 95. calcanei summi in tibiæ, & fęmoris fracturis quę cura sit habenda, lege in lib. de fract. nu. 26. calcanei ex saltu vehementer lęsi quæ curatio, ibidem nu. 11. calcanei contusio l. in li. de arti. nu. 95.

Calculi.

Calculi fiunt in renibus, vesica, & in vtero. qūo verò, & ex qua materia, & quis sit efficiēs calculi in vesica, scribit Hip. in l. de aer. aquis, & lo. pag. 36. nu. 22. 23. 24. inquit. n. Quorū aluus ardēs, ac feruida fuerit sic & vesica: cum. n. magis, quàm pro natura fuerit calefacta stomachus ipsius inflāmatur. vbi verò hæc perpetitur, vrinā non dimittit, sed in se ipsa concoquit, & adurit, & quod quidem in ipsa tenuissimum est,

est, discernitur, & quod purissimum est, transit, & emingitur: quod verò crassissimum, ac turbidissimum est, coaceruatur, & concrescit. Primum quidem paruum, deinde maius fit: dum enim voluitur ab vrina, quicquid crassum compactum fuerit, ad se ipsum adaptat, atque sic augescit, & in totum concrescit. & cum vrinam emittit; ad vesicæ stomachum allabitur ab vrina impulsum, & vrinæ emissionem impedit, & dolorem vehementem exhibet. quare pueri calculosi fricant, ac trahunt pudenda: videtur enim ipsis causa mictionis eo loco esse. fit pueris etiã ex lacte si non salubre id fuerit, sed valde calidum, ac biliosum: ventrem enim percalefacit, & vesicam. quare vrina dum aduritur, hæc patitur. sed & in lib. 4 de mor. pag. 78 num. 28. scribitur sic. Calculi morbo principiũ oboritur à lacte, vbi puer lac impurum sugit; lac enim in nutrice impurum fit, si pituitosis cibis, ac potibus, & alimentis impuris nutrix vtatur, & eò magis si ipsa non sana fuerit: nam ad lac cedit de eo, quod ipsa plurimum in se ipsa habuerit, veluti si sanguinea, pituitosa, biliosa, vel aquosa sit.

Modum verò ibi recitat Hip. & materiam, ex qua fiat lapis in vesica, ac præterea dat quinq; signa, quæ docent calculum vesicæ. nu. 29. & ait. vbi meire vult dolore affligitur, & vrina paulatim fluit, velut in vrinæ stillicidio, & est subcruenta, nimirum vesica a lapide exulcerata, & vesica inflammata est, quod indicat summa præputij pars. tandem mingit quandoq; arenosa. Et in lib. de aere, aquis pag. & numero citatis inquit. vrinam splendidissimam calculosi mingunt ad similitudinem seri; eo quod id quod crassissimum est, ac biliosissimum, is hic manet, & coaceruatur, ac concrescit. mulieribus autem non contingit fricare pudenda: quia meatus vrinæ in vesica breuis est, & amplus, vt facile vrina impellatur. vnde in lib. 4. aph. 79. quibus in vrinis arenosa subsistunt, his vesica laborat calculo.

Qui verò generent calculos docet Hip. in libr. 2. de mor. pop. sect. 6. & ait. Quorum pectora bilem generant balbi, furiosi, & caluisunt: quicunque horum ex natiuitate etiam strabones, ij impudentus sunt, aut calculosi, aut insanientes.

Quæ verò ætas scribit in lib. 3. aph. 26. cum iam magis adoleuerint, hoc est, cum pubertati fuerint proximi, his calculi fiunt. Sed & antea dictum est calculos fieri, dum infans lac sugit. Et in lib. de Coac. præno. lapis in vesica post annum quadragesimum secundum nisi prius existat, non fit. has præterea dat notas Hip. in lib. de Coac. præno. num. 4. quæ significant renum calculos. renum dolor repentinus, cum vrinæ suppressione, calculorum, aut vrinarum crassarum mictionem significat.

Curatio verò tale habet prognosticum quale scribit Hip. in lib. 6. aph. 6. renum, & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanantur. Sed in lib. de Coac. præno. nu. 4. ait de curatione calculi in vesica. calculosi ita figurati, vt lapis ad vrinarium meatum non illabatur, facile mingunt. Et infrà, tremores senioribus in febre fiunt, atque sic comparentes, fortassis calculos per vrinà ægri ejiciunt. in li. autem de natu. mulie. pag. 98. num 96. ait. si virgo ex lapide laborarit, semen radicis æthiopicæ in vino veteri ad dies decem dato, deinde in aqua ae dies viginti, & bis in die multa calida lauato. & in l. 5. de mor. po. pag. 141. nu. 12. recitat historiam mulieris, quæ ex vtero expressit lapidem asperum magnitudine verticilli fusi.

Caligo.

Caligo dicitur hoc in loco de oculis, & de sanguine. inquit enim Hip. in lib. 3. aphor. 5. austri auditum hebetantes caliginosi, hoc est, oculum, siue visum reddunt caliginosum. vnde Galen. in lib. 1. pror. com. 1. par. 18. ait. excęcatio, caligoque fit, cum crassus quidam humor, vel spiritus oculos inuadit, sed austri ob eorum naturam calidam, & humidam sensuum instrumenta implent humiditate.

Ex oculorum caligine sumuntur hæc prognostica. scribitur in lib. de Coac. prænot. nu. 1. lassati, caligantes, vigilantes, soporosi, exudantes, recalescentes. male habent. Et in lib. 1. pror. par. 18. si in ardente febre aurium sonitus cum caligine fuerit, proueneritque in naribus grauitas; mente ex melancholia aberrant. at in lib. prog. com 3. vult Hip. signum esse vomitionis spontinæ tenebricosum aliquid ob oculos obuersans. Et in li. 2. prædic. scribitur caligines, & nubeculæ, & cicatrices subalbicantes leuigantur, ac delentur, si non vulnus aliquod in eo loco accesserit; aut prius cicatricem habuerit, aut vnguem, pterigium dictum, & propterea manifestum fit caligines alias facile esse delebiles, aliàs minime. caligo porrò dicitur siue de sanguine, siue de alijs humoribus, ac spiritibus, vt apparet in lib. de virg. mor. pag. 92. nu. 3. vbi scribitur. præ caliginositate timet, ac formidat.

Calidum, & Calor.

Vt placet Gal. calidũ dicitur substantia nostri corporis aerea, hoc est, calida, & humida. aliquando hoc verbũ calida significat aquam calidam: & quandoque calidum significat ignem elementalem. quandoque calor significat febrem, & hæc omnia sæpe reperiuntur in lib. Hipp. ex quibus etiam accepimus tres esse calores: naturalem, scilicet siue innatum, non naturalem, qui debite adhibitus maxime confert, & præter naturalem, qui est vel febris, vel calor malum aliquod comitans. sed obseruanda est caloris distinctio sequens, antequam Hip. sententias proferamus.

Duplex est caloris distinctio: altera sumitur ab eius principio processiuo, altera ab ipsius essentia. primo modo calor est duplex: nempe simplex, & compositus. simplex est & cœlestis, & elementarius. Sed elementarius est qualitas prima elementi ignis, ipsius formam inseparabiliter concomitans. hic non est generatiuus, imo corrumpit: tamen confert ad materiæ præparationem alterando, transmutando, vt forma introducatur in eam, veluti caliditas, & frigiditas in susceptionem formę ab anima artificis gladij. cœlestis verò calor viuificat, & ineffe conseruat omnium viuentium germina, nunquàm consumptionem, nec perniciem inducens. hoc in spermate omnium existit, & vocatur calidum, quod est instrumentum immediatum animæ vegetatiuæ. Secunda distinctio est, quòd ab esse cœlestis, & elementaris caloris exurgit calor alius, qui est calor vegetabilium: nam alter horum est veluti præparatiuus materiæ, alter datiuus quasi formæ. hic calor est duplex, & dicitur calor complexionalis, siue innatus, & in omnibus membris diffusus, & potissimum in corde. ex huius, qui in corde est, virtute, alius generatur vt fluẽs,

& ad membra diuersa discurrens ex quo, & ex innato oritur tertius, qui ceu forma membrorum existit; quo mediante, & animę virtute membra omnē suam peculiarem perficiunt actionem, atque sustinent passionem. calor innatus dicitur, & naturalis: non naturalis verò, qui fit ex rebus sex non naturalibus, veluti ex cibis, & potibus, motu, aere, & huiusmodi. hic dum regitur à calore naturali; dicitur naturalis. cum verò superat, ac vincit; dicitur præternaturalis, verùm omnis caloris opus est, & natura aperire, & extendere partes, nisi fuerint siccæ: quæ siccitas resistit extensioni. sed antequam aperiat; calefacit, deinde aperit, postea separat subtile à crasso, postea siccat, sed prius extendit.

Nunc verò quis sit locus, quænam sint caloris innati opera propria audiamus Hipp. scribitur in li. de corde pag. 25. num. 5. insitum à natura ignem non esse in dextro cordis in ventriculo, sed in sinistro. Et in lib. de carnibus. calidum plurimum in venis, ac corde inest. & propterea spiritum cor habet, vtpote quod omnium intra hominem membrorum calidissimum existat. Et subdit. cor, & venæ cauæ semper mouentur. & plurimū calidi, hoc est, in arterijs inest. & propterea spiritum cor trahit ex omnibus in homine maxime calidum existens. hæc eadem dicit in lib. 1. de Diæta. Sed obscure, & ænigmatice, vbi explicat caloris innati operationes, & per hunc anima, mens, prudentia, augmentum, motus, permutatio, somnus, & vigilia cognoscuntur.

Subiectum verò caloris, vt ait Hip. in libr. de carnibus nu. 10. est humidum: absque enim humido calor innatus consistere non potest, alimentum ipsi frigidum existit: tamen & frigidum, & humidum superatur à calido: nam ab ipso humidum diffunditur.

Sed ad operationes caloris innati transeamus. legitur in lib. 1. aph. 14. qui crescunt plurimum habent calidi innati. plurimo igitur egent alimento; alioquin corpus absumitur. senibus autem parum innati calidi inest; paruis propterea fomitibus egent: quia à multis estinguuntur. hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus. Et aph. 15. Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somnum longissimi. quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda; etenim tunc calor innatus plurimus est: vnde & plurimis egent alimentis. indicio sunt ætates, & athletę. Et in lib. de Carni. pag. 18. nu. 1. demonstrat calorem cœlestem immortalem esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia, vt pote qui cum elementari coniunctus ad nostri corporis compositionem, & ab anima directus sit omnium actuum dictorum, causa. Ad caloris innati reuocationem scribit Hipp. lib. 5. aph. 21. est autem vbi in distentione sine vlceratione iuuene bene carnoso æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat, calor autem hæc soluit. non naturalis verò calor est is, qui membra iuuet, sumptus ex sex rebus non naturalibus, & intra corpus, vel extra applicitus. & is sit, vt in lib. de Chir. officina legitur, qui manum non lędat tactu. sed non sæpius eo vtatur: calidum enim ait Hip. in lib. 5. aph. 16. vbi qui sæpius vtatur, hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiam mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectionem, hæc ad quæ mors. Et aph. 22. recitat quæ bona afferat. & ait. calidum suppuratorium non in omni vlcere magnum ad securitatem indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem sedat: rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat: & ex his, quæ ad caput attinent, eius soluit grauitatem: plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipue, eorumque maxime, qui in capite vlcera habent, & quæcunque à frigore moriuntur, vel vlcerantur, & repentibus comesis, sedi, pudendis, vtero, vesicæ: his calidum amicum, & iudicans, frigidum inimicum, & perimens. recitat tandem in libello de humi. vsu pag. 54. & 55. plurima caloris commoda. verùm tibi sit cordi, vt in eodem libello. num. 2. scribit. Ne calida vlterius pergat, vt vrat. iudicat autem de his ægrotus ipse, exceptis mutis, aut leuiter syderatis, aut stupefactis, aut velut in vulneribus perfrigeratis, aut nimio dolore vexatis; his enim hæc sensu non percipiuntur. quæ verò incommoda auferat calidum, quibusque membris; itidem in eodem libello legantur. sed vt scriptum est in lib. de affect. nu. 2. calefactio curat capitis dolorem. Et in lib. de inter. affec. num. 25. colliquat pinguedinem. Et in iib. de Carni. nu. 4. diffundit, & in lib. de locis in homine. nu. 34. aperit, ac plura efficit, quæ omittimus. cum verò non calor naturalis simul cum humore suo vicerit calorem, calefaciet corpus calore non naturali. vel aliquod membrum corporis, vel aliquam membri particulam. deinde vt legitur in lib. 1. de morb. num. 25. membrum illud, vel particula nimium calefacta. siccatur. siccata autem trahit, vt in li. 1. de mor. num. 11. legitur. vnde in lib. de Vict. ratione in mor. acu. com. 4. par. 1. febris ardens fit, cum venulæ tempore æstiuo exsiccatæ, acres, & biliosas, quæ tenues sint, trahunt ad se humiditates, quas inchoras vocāt. idem affirmat in lib. 1. de mor. num. 16. sic. pulmo calefactus siccatur, & trahit ex vicinis partibus. at in eodem lib. num. 16. sic caput calefactum trahit velut in lib. 2. nu. 11. scribitur. sic venula calidissima secernit, vt apparet in lib. 6. de mor. popu. sect. 6. nec affirmandum est calidū morbi esse causam: inquit enim Hip. in lib. de vete medi. pag. 5. num. 30. ego hoc maximum signum esse puto, quòd non propter calidum simpliciter homines febricitent, neque hoc sit simpliciter afflictionis causa: sed est amarum, ac calidum idem, & calidum, ac acidum, & salsum, ac calidum, & alia infinita: & rursus frigidum cum alijs facultatibus coniunctum. hæc itaque sunt, quæ lędūt. simul ac est autem & calidum robore participans nimirum ducens, & exacerbans, & augens simul cum illis: verum nullam potentiam maiorem, quàm conuenit habens. hæc videant medici nostræ ætatis: & propterea quod calor prętenaturalis facit morbum, inquit Hipp. in lib. 4. aph. 39. & 40. qua parte corporis calor, aut frigus; ibi morbus: & vbi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel color alter ex altero fiat; longitudinem morbi significat.

Callus.

Calloſa duricies fit quandoque in pulmone, siquid in eius vias delatum fuerit ex insuetis, vel in potu, vel in spiritu, ac sanguinis transitu. hinc velocitas, ac difficultas spirandi oboritur; cum neque emittere, neque attrahere spiritum facile possit. vnde fiunt anhelationes, & tabes ficca. hæc in l. de ossium natura pag.

ſa.pag.28.nu.19.& 20. ob callos quoque vteri genituram non ſuſcipiunt: nam ſcriptum eſt in li. de ſteri libus pag.125. nu.26. cum vteri genituram viri eructant tertia die; neceſſe eſt mulieris, quæ hæc patitur, vteros callo repletos eſſe. ac calli expulſio quomodo fiat ibi lege. Fiunt& calli circa articulos thophacei in podagricis: legitur enim in l.2. præd. pag. 172. nu.15. de podagricis hæc dico. quicunque aut ſenes ſunt, aut circa articulos callos thopaceos cõcretos habent, aut ærumnoſe viuunt, ac ſiccam aluum habent; hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte, quantum ego noui. callo etiam oſſa obducuntur fracta, vt ait Hip. in l. de arti. pag.195. nu.16. his verbis. coaleſcit clauicula cito, itemque alia oſſa laxa: celerem.n.callo obductionem talia faciunt. Et in l. de ali. pag.54. nu.12. medulla alimentum oſſis: propterea callo obducuntur.

Caluaria.

De Caluaria rupta hoc accipe prog. ab Hipp. in l. de Cap. vul. pag.182. nu.1. Nullum capitis vulnus leuiter contemni debet. ac ſubdit: vlcus incrudeſcens non parum moleſtiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit, & medico quidem negotia, & ægroto periculum non minus affert. verùm hoc multo magis contingit, ſi caluaria, & cerebri membranæ rumpuntur. & propterea ſcribit in lib.7 de mor. popu. pag.152. nu.58. Philotimi filius puber venit ad me in Iechina, caluariæ os habens medicina deſtitutum. in quo videbam occultas ratiocinationes non eſſe conſtantes.

Calui.

Hip aliquando appellat caluitiem capillorum defluuium, quod fit à vitioſis humoribus, vt in l.6. aph. 34. Quicunque calui ſunt, his magnæ varices non fiũt: quibus verò caluis varices magnæ ſuperueniũt, hi rurſus capillati fiunt. ſed in com. dicit Gal. caluitium eſſe paſſionem inſanabilem, & hanc ſanari. quare caluitiem nominat, vt vult Gal. capillorum defluxum. at in eodem l.6. aph.28. de vera caluitie ſic loquitur. Eunuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt. ſ. vt ait Gale. ob temperaturæ humiditatem verùm Hip. in l. de natura pueri pag.16. nu.18. & 19. inquit. Quicunque autem calui fiunt, hi ſane pituito ſi ſunt, & pituita in capite ipſorum ſimul cum capite agitata, & calfacta ad cuticulam allabens pilorum radices exurit, & defluunt pili. Eunuchi propterea calui non fiunt, quòd vehementem motum non faciãt, neque pituita in coitu calfacta pilorum radices exurit. & ideirco in l. de ſtruct. hominis pag.215. n.3. legitur. caluities ex caliditate prouenit, hoc eſt, ex pituita in coitu calfacta. tamen in lib.2. de mor. popu. pag.132. inquit Hip. quorum pectora bilem generant, balbi, furioſi, & calui ſunt. Et ſubdit. caput paruum habens neque balbus eſſe poterit neque caluus niſi fuerit glaucus. In li.6. autẽ. ſect. ſeu com.3. cerebri conſumptio: & propterea caluities. vbi Gal. exponit. cum cerebrum ſe ipſo minus plurimum fit, quod illis euenit, qui illud natura ſiccius habuerint: tunc ab oſſibus ſuperiacentibus recedit. cæterùm curationem nos docet in lib.2. de morb. mulieb. pag.119. num.67. & ait. ſi capilli defluant; ladanum cum roſaceo, aut anthino vnguento terito, & cum vino illinat. aut terram cimoliam cum vino, aut roſaceo, aut omphancino, aut acatia. ſi verò calua facta fuerit; cuminum impone, aut raphanum tritum, aut cum cepa confricet, aut cumbeta, aut vrtica.

Cancer.

Cãcer appellatur animal, & morbus. ſi fluxus muliebris, vt ſcribit Hip. in l. de natura mul. pag.98. nu. 84. oboriatur; cancros fluuiales in vino ſuffocato, & vinum bibendum dato. & quæ ſiccant, ſuffito, & apponito. at cancer morbus alius eſt præſens, alius futurus imminet. Et præſens alius occultus, alius minime. cauſam verò cancri ſi quæras efficiẽtem, hæ profecto multæ poſſunt eſſe. ſed Hip. in lib. de Fractu. pag.187. nu.12. vnam explicat, & inquit. Fieri etiam poſſunt venarum ſanguifluarum liuores, venarum nauſeæ, & cancerationes ex compreſſione. fieri autem poſſunt hæc abſque alia corruptione. Et in l.5. de mor. pop. pag.140. nu.10. Eudemus in Lariſſa hæmorrhoidas habebat fortes, & diuturnas, & aluus turbata biliosa egerebat, & hæmorrhoides intumeſcebant. & ſubdit. huic cum venter non probe haberet. ſed adhuc curatione indigeret; manus hæmorrhoidibus admotæ ſunt, & vomuit. poſtea, cum cancer ſucceſſiſſet; febris irruit, & nõ dimiſit, antequam occideret. cancri verò fiunt hominibus, hoc eſt, mari, & fœminæ in ætate conſtitutis: propterea quòd ait Hip. in l.2. præd. pag.171. nu.18. Viris, ideſt, hominibus ceria græcis dicta, ad modum faui concreta, horrenda, & cancri occulti ſubmerſi fiunt. & ſubdit. ſenibus cancri & occulti, & ſummas partes occupantes, & commoriuntur. ſed ad ſigna eſt tranſeundum. hæc notantur futuri cancri. in li.2. de mor. mul. pag. 114. num.23. & 24. hoc pacto. Vteri modico tempore fortiter contrahuntur, & oſculum ipſorum reperire non datur, adeo omnia contrahuntur, ac reſiccantur. & in mammis tubercula dura fiunt. hæc non fiunt ſuppurata, ſed ſemper duriora, deinde ex ipſis oriuntur cancri occulti. cum autem cancri futuri ſunt; prius amareſcunt, & quicquid ederint omnia amara eſſe videntur: & alias ibi lege notas, ac curationem. Et in eodem l. num.48. cum mulieri vteri duri facti fuerint. & ad pudenda exierint. dura fiunt inguina, & ardor in inguinibus eſt, & omnia canceran tur. deinde ſubdit curationem. cum igitur ſic habuerit; cucumeris ſylueſtris internam partem, & fauum terito, & aquæ hemina affuſa in ſedem infundito, & purgetur. hæc ferè eadem dicit in lib. de natu. mul. pag.94 num.28 ſed ait & purgari ſinito, donec purgetur. cum autem pharmacum mulieri dederis; ammiſce ad pharmacum ea, quę vteros purgant, & quæ expellunt. In l.2. præd. pag.173. nume.21. dat prog. & curam ſic. Herpetes minime omnium vlcerum, quæ d epaſcendo proſerpunt, periculoſi fiunt: verum maximè difficulter ſubmoueri poſſunt, quemadmodum cancri occulti. in omnibus autem talibus febrem ſuperuenire vna die confert, & pus quàmalbiſſimum, ac craſſiſſimum. commodat & corruptio nerui, aut etiam oſſis, aut etiam amborum tum in profundis, tum in nigris putredinibus: nam in corruptionibus pus multũ fluit, & putredines ſoluit. & in li.6. aph.38. inquit. Cancros occultos, hoc eſt, non vlceratos, vel abſconditos in corporis profundo melius eſt non curare, ideſt, non tentare, vt ad ſanitatem perducantur: curati enim cito pereunt, non curati verò longius tempus perdurant. verùm, vt ait Gal. in com. eam adhibere prouidentiam tutius eſt, quæ

passionem ipsam mollire, ac mitiorem facere possit, tum præcipue, cum adest exulceratio. lege Carcinoma.

Canis.

Sic Canis dicitur animal, & imago cælestis. caninę carnes calfaciunt, ac siccant, & robur inducunt; non tamen aluo secedunt, vt legitur in l. 2. de diæta. n. 9. sed de cane astro scribit Hip. in lib. de aere, aquis, & lo. pag. 37. n. 30. & inquit. oportet, & astrorum exortus considerare præcipue canis, deinde arcturi, & pleiadum occasum. morbi. n. in his maxime diebus iudicantur. & in l. 4. aph. 5. sub cane, & ante canē difficiles sunt medicationes.

Canities.

Scribitur in l. de nat. puer. pag. 16. num. 19. cani ob id fiunt, quòd longo tempore pertranseunte in homine humiditate albissimum eius secernitur, & ad cuticulam allabitur, & pilus albidiorem humiditatē trahens albidior fit, quàm priori tempore. itemque ipsa cuticula præsertim vbi cani sunt albidior alia euadit, & quicunque ex natiuitate canum quid in capite habēt etiam illis cuticula summa vbi cani sunt, reliqua albidior existit: illic enim albidissima est humiditas. qualemcunque verò humiditatem caro attraxerit siue albam, siue fuluam, seu nigram, tali colore etiam pilus inficitur.

Cantharides.

In lib. de inter. affec. pag. 89. nu. 39. ad morbum regium quendam exhibentur cantharides sine alias, & capite quatuor tritæ, & in vini albi hemina dimidia dilutæ, modico etiam melle affuso. Et in l. de na. mul. & de mor. mulie. ac de steri. paratur medicamentum è cantharidibus ad menses ciendos. Et in libro. de vict. ratione in mor. acut. com. 4. par. 124. describitur poculum hydropi ex cantharid. & ibi Gal. vituperat tale poculum citans medicum quendam audacem, qui eas hydropi dederit, qui mortuus est: deinde alteri ita propinauit, & is prope perijt.

Capra.

Caprinæ carnes bubulis sunt leuiores, & magis aluo secedunt. comitialibus hæ carnes non dantur propterea quod capræ hoc morbo, frequentissime corripiuntur: si enim caput ipsorum vt scribitur in li. de mor. sacro pag. 58. n. 13. dissecueris, reperies cerebrum humidum esse & sudore refertum, & male olens humiditas enim in causa est huiusce morbi: verùm capręsyrię casei ad lac augendum maxime commodæ sunt, vt legitur in lib. 2. de Diæ. caprinæ carnes omnia, quæ in bubulis insunt, habent mala sicut scriptum est in lib. dicto.

Capi.

A quartanis capti non admodum à conuulsionibus capiuntur. si verò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur: hæc in l. 5. aph. 70. vbi Gal. inquit. Meminit Hip. nunc de tali conuulsione: nam verba capi, & capiuntur longitudinem temporis ostendunt. sed in lib. eodem aph. 30. Scribitur. Mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto lethale est.

Capilli.

Scriptum est in l. de Car. pag. 19. nu. 15. capilli sic nascuntur. ossa sunt, & cerebrū, à quibus tale augmētum venit, vtpote glutinoso circum circa existente, quemadmodum & neruis pinguitudinis nihil ineſt. si enim pinguitudo affuisset; & calido sane exustat esset. & vbicunque in corpore glutinosum est, ibi pili à calore fiunt. Et in l. de natura pueri pag. 16. n. 16. simul cum vnguibus etiam capilli in capite radicantur, & num. 17. pilorum natura hoc modo se habet. oriuntur maximi, ac plurimi, qua corporis parte cuticula rariſſima est. & vbi pilus moderatum humorē in alimentum habet, & vbi cuticula posterius rara fit; ibi etiam pili posterius nascuntur, velut in mento, & in pube, & sicubi aliàs pili nascūtur: simul enim vt genitura prodit, etiam caro rarescit, & cuticula, & venæ aperiuntur magis, quàm priori tempore. cur autem maiores sint capilli, quàm pili declarat in li. de Gland. pag. 26. n. 7. & ait. cerebrum simile est glandulæ. sed maius est cerebrum, quàm aliæ glandulæ, & capilli ēt maiores quam alij pili: maior. n. est cerebrū, & in amplo spatio in capite sitū est. pituita porrò est cā capillorum defluxionis, vt facile percipi potest in l. de Inter. affectio. pag. 90. n. 50. sic & humorū corruptio, & alimenti defectus, vt sentit Gal. in li. 5. aph. 11. qui ait. Qui tabe molestantur, si sputū, quod ex tussiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale, & de capillorum situ, & colore sic legitur in li. de struct. hominis pag. 215. n. 4. crispos capillos habere calidioris capitis signū est. at recti crines ex superuacuo, qui in capite est, humore fiunt. flauedo capillorum ex flaua bile, in l. de aere, aquis, & lo. pag. 38. nu. 55. Qui loca concaua, pratensia, & æstuosa habitant, ventosque calidos plus sentiunt: quàm frigidos, & aquis vtuntur calidis; hi magni quidem esse non possunt, neque bene compositi, & longi, ac erecti, sed in amplitudinem à natura producti carnosi sunt, & capillis nigris: imo & ipsi toti nigri magis, quàm albi, & qui minus de pituita habent, quàm de bile. in l. 6. de morb. pop. sect. 7. at magnos magis, quàm paruos oculos habent, & plurimi rectos capillos, & nigros. vbi Gal. in com. ait. in hoc aquilonari constitutione adeo caliginosus erat is spiritus, qui ex capite manabat, vt etiam capilli nigri essent: adeoq; humidus, atque ex crementis abundans, vt recti etiam fierent. In vulnerato autem, vt scribit Hip. pag. 183. num. 11. Et capillos considerare oportet circa vlcus, an dissecti sint à telo, & an intus sint in vulnere. quod si est; periculum est os carne nudum esse. itaque dicere oportet os aliquam læsionem à telo habere. Ad capillorum porrò defluuium legas superiori loco, in quo de caluitie agitur. sed hunc aph. de non veris capitis scribit Hipp. in lib. 4. aph. 76. Quibus in vrina crassa existente caruncułæ paruæ, aut veluti capilli vnà exeunt, his à renibus excernitur. Gal. autem in com. eos, qui veluti capillorum consistentiam accipiunt, nō esse renum substantiam asserit, sed humorem in renibus vstum.

De Capite.

Hominum capita, vt sentit Hip. in li. de Cap. vul. pag. 183. n. 2. nihil inter se similiter habēt, neque futuræ capitis in omnibus eodem modo consistunt, vbi lege, sic de osse capitis, nu. 3. inquit. duplex est os iuxta medium caput, &c. ibique eo de ossium capitis natura, & capitis figuram ex futuris, & horum numerum collige. Figura verò capitis quædam est caua, quædam minus, & alia longa, & alia acuta, & alia magna, alia parua. aliqua pars ipsius capitis est inanis, aliqua plena, & alia pars est ante, alia retro, &

quæ-

quædam dextrorsus,& quædam siniſtrorsum. quod verò cauum ſit caput, dicit Hipp. in li.4. de morb. pag.75.num.2.his verbis. Ex his maxime caui ſunt, caput, & ſplen; nam in hoc ipſo maxima amplitudo eſt. & in lib.7. aph.51.ſternutamentum fit ex capite calefacto cerebro, aut humectato eo, quod in capite inani; aer enim intus contentus extra erumpit.in eom. ait Galen. calefacto eo, quod eſt in capite inani maxime audiendum eſt de eo, quod eſt in ventriculis cerebri, & de illo, quod ipſum ambit exterius. de longis capitibus loquitur in lib.2. de mor. popu. pag.130.colum.2. & ait. conſideranda etiam ſunt longa capita ex viuendi ratione,& ceruices longę.at de acuto ſic dicit in lib.6.in mor.popu.ſect.1.acutum habentes caput, qui quidem validam habent ceruicem, robuſti ſunt tum aliàs, tum oſſibus. de capite magno & paruo hæc explicat in lib.2. de mor. popu. ſect.6. caput magnum, oculi parui, balbi, iracundi ſunt.& ſubdit.magnum caput,oculi nigri,& magni, naſum craſſum,& ſimum habentes boni. & oculi raui,magni,caput magnum,ceruix tenuis,pectora anguſta congrue adaptati hominis ſunt,caput paruum habens, neque balbus eſſe poterit, neque caluus, niſi fuerit glaucus. &c hæc pauca de natura capitis. locus verò capitis declaratur in lib. de Glan. pag. 26.num.5.& ait.caput ſupra collum ſitum eſt ſurſum cauum, ac rotundum exiſtens, ſed ratione loci,& ſitus, & complexionis eius eſt radix omnium morborum, vt legitur in epiſtolis Hipp. & in lib.4. de mor. pag.76.nu.14. ſic inquit,caput,& ſplen maxime ſunt morbis obnoxia. tamen ſanum eſt quod plures habet futuras, vt legitur in lib. de loc. in homine pag.30. nu.10. ſaniſſimum verò caput habebit fœtus; ſi cerebrum probe,ac moderate purgatum fuerit, & neque plus,neque minus.quàm oportet defluxerit ſi autem amplior colliquatio à toto cerebro facta fuerit; morboſum caput augeſcens fœtus habebit, & ſonitu plenum,& neque ſolem,neque frigus,tolerabit. hæc dicit Hip. in lib. de mor.ſacr.pag.58.nu.7.& ideo ſcribitur in lib. de aere, aquis, & loc. pag.35. nume.3. ſi hyems frigida ſit;hominis capita humida,ac pituitoſa habere par eſt, & ventres ipſorum frequenter exturbari pituita à capite influente, & formas ipſorum vt plurimum debiliores eſſe, ipſosque ad edendum ac bibendum non appoſitos eſſe: nam qui capita debilia habent, non ſunt boni potores: crapula enim magis grauat.& ſubdit num.5. primum aquæ & dure, & frigidæ vt plurimum dulceſcunt,homines vegetos,& ſiccos eſſe neceſſe eſt,& plures ventres infernos,crudos,ac duros habere,ſupernos verò fluuidiores, bilioſosque magis, quàm pituitoſos eſſe, capita verò ſana, ac dura habent. at hæc de locis ad ventos frigidos inter occaſum ſolis æſtiuum,& orientē æſtiuum ſitis. ex quibus verbis colligimus capita ſana dici quæ plures habent futuras, quæque calida ſint, & ſicca. tamen caput quia ſurſum eſt cauum, ac rotundum, humiditatem ex reliquo corpore complectitur, & corpus ſimul vapores omnis generis ſurſum in caput demittit, quos caput rurſus retro dimittit: non enim immorari, ac manere pōt, id quod influit, non habens vbi ſedem firmet; niſi ſanè caput ægrotet: tunc enim non remittit,ſed retinet. ſic ſcribitur in lib. de Glan.nu.5.præterea, vt ſcriptum eſt in lib.4.de mor.num.13. & 14. caput,cor,& ſplen de omnibus humoribus participant, vnumquodque tamen ſi non ægrotet plurimum de ſuo humore participat iuxta ſuam ipſius naturam, caput pituitā,cor ſanguine,ſplen aqua,ægrotant autem ab his, quæ à natura sūt humoribus, cum pluſquam opportunum eſt acceſſerint, itemque ab alijs humoribus, venæ enim in ipſis craſſæ, ac multæ ſunt, & ipſa quoque venoſa ſunt, ac cauа, vt & alijs humoribus recipiendis capacitas in ipſis ſit, paulatim nimirum, ac fere cedentibus, & ad eum humorem, qui à natura ineſt ſe ammiſcentibus. ſi verò repletæ fuerint, iſthinc humore venæ ab ipſo ſanè in illis, morbus oboritur.

Hoc quidem pacto ægrotat caput.cum verò attractas humiditates caput remiſerit, facit morbos, & hoc cum infernas corporis partes redundantiam, ac ſuperfluitatem ſuam ablegarit. fluxiones porrò de capite vſque ad ſecretionem contingunt per aures ſecundum naturam, per oculos, per nares, atque hæ tres ſunt,& aliæ per palatum guttur;& in gulam, & aliæ per venas in medullam ſpinalem, & in ſanguinem. quæ omnes ſeptem numero exiſtunt. hæ fluxiones cerebri ſordes, ac purgamenta diſcedentes exiſtunt.& ſi non diſceſſerunt,morbus ipſi inde oboritur. ſic autem,& reliquo corpori,& aliqui morbi accedunt:ſi intro abijerint,ac diſceſſerint hæ fluxiones, & non foras, & rurſus turbatio multa aboritur; ſi hianter, ac affatim attrahat, & acrem quidem fluxionem cerebrum demittat, quæ fluxio corrodit, & exulcerat. etſi id quod cerebro influit,copioſum fuerit;fluxio deſcendens non deſinet, donec multitudinem influentis exhauſerit: atque ſic id, quod influit foras demittens,& aliud ſuſcipiens,ac ſemper in cōſimili ſtatu conſiſtens, & humores trahit, & morbos facit. ambo autem magno tædio, ac moleſtia naturam frangunt. quæſi fuerint affecta; doloſa afflictio exiſtit.affectiones enim naturę ſunt prædictę fluxiones, & multitudinem moleſte ferunt, & morſum, ac roſionem perceptant; ex eo quod præter rationem,& non conſuetum exiſtit.hæc leguntur in li. de Glan. nu.7. & 8. quæ confirmat in lib. 2. de mor. pag.65.num.1.vbi ait.cum caput nimium incaluerit, liqueſcit in ipſo pituita: locus.n.pituitæ vt dictū eſt, eſt caput, liqueſcēs aūt ſecedit partim ad nares, partim ad os,partim per venas,quę ducūt ad pudēdū. & ſubdit. cæcutiunt aūt cū ad venas in oculis peruenerit pituita. hæc præterea habes in lib. de locis in homine pag.31 nu.18. vbi legitur.fluxiones de capite ſeptem ſunt in nares,in aures,in oculos, atque hæ ob oculos conſpicuæ exiſtunt. poſtquam autē in thoracem fluxio præ frigore facta fuerit, bilis fit, magis autem in thoracem, præ frigore fluit; propterea quod facilis eſt fluxio ad guttur vt pote non contectum: & ſuppurati fiunt, cum in thoracem fluxerit, itemque tabidi.cum verò in medullam fluxio contigerit; tabes occulta,ac inconſpicua oboritur.cum autem retro ad vertebras, & in carnes defluxerit; hydrops fit. Et nu.19.ſi autē modicus fluxus fuerit, coxendicum, & articulorum diuturnam affectionem facit vbi fluere ceſſauerit, nam vt modicus & vndiquaque ab omnibus fortioribus depulſus ad articulos refugium facit.& nu.20.fluxio fit in nares cū intumuerint,& pituita plenæ fuerint, atque ea cōpacta. & nu.21.vbi in oculos fluxio proceſſerit,oculi inflā-

mantur

mantur,& tument. hæc eadem quoque habes in lib. de vete. medi. pag. 5. nu. 31. 32. & 33. vbi legitur fluxiones in fauces delabentes raucedines efficere, anginas, erysipelata, peripneumonias. in lib. de inter. affect nu. 12. fluxio in pulmonem facit tabem. & in l. de aere, aquis, & loc. pag. 35. nu. 4. vbi quinquagesimum annum transgressi fuerint, defluxiones ex cerebro accidentes homines semisyderatos faciunt, vbi caput derepente insolatum, aut frigore correptum, fuerit: sed & trahit caput, vbi fuerit calefactum: percalescit autem à cibis, & sole, & frigore, & laboribus, ac febrili calore. cum verò calefactum fuerit, tenuissimum ex corpore ad se ipsum trahit. vbi verò traxerit, rursus id, ad corpus descendit, hæc in l. 2. de mor. nu. 11. humor verò, qui à capite fluit, inquit Hip. in l. de vict. ratione com. 4. par. 20. & 27. est duplex: crassus scilicet & pituitosus, acris verò & mordax, quæ participant de humido salso, amaro, & acri. sic quoque legitur in lib. de vete. medi. loco citato. quæ verò sint capita sana, & quæ morbosa, & quæ fluxiones, & quorab his procedant, & per quas vias, & quos pariant morbos, dictum sit.

Nunc restat, vt agamus de morbis capitis, deque symptomatibus, prognosticisque. morbi, qui in capite sunt vel fiunt, per se in capite, vel ex alijs partibus recurrunt, vel ex capite ad alia membra discendunt. affectus, qui capitis sunt proprij, aut totum occupant, aut partem. & qui tenent partē, aut afficiunt partem anteriorem, aut posteriorem, aut dextram, aut sinistram, aut verticem, aut futuras, & ossa, aut cutem. & hi affectus sunt vel capitis mala qualitas absque materia, vel cum materia. atque hinc fit horror capitis, tremor, grauedo, dolor, pulsus, vertigo, torpor, rigor, & febris, tumor, & crassities cutis, ossis caries, & fractura, dissolutio, vlcus, & ab extrinsecis causis vulnus, ictus. de capitis læsione à malis qualitatibus nihil est, quòd dicam; propterea quòd manifestū fiet in his quæ à materia fiunt. idcirco dicamus, si caput, prægnantis pituitosum fuerit, & pituita acris in ventrem descendens, febrem inducit, vt legitur in lib. 1. de mor. nu. num. 41. sic si caput nimium fuerit calefactum ad refrigerandum terra figulina confert. quemadmodum scriptum est, in l. 3 de mor. nume. 2. Capite incalescente, vt legitur in lib. 2. de mor. nu. 1. vrinæ multæ emittuntur, capita humida, ac pituitosa homines habere par est hyeme frigida. Et in Coac. præno. nume. 3. caput, & pedes, & manus perfrigerari aluo, & lateribus calidis malum est. Et in lib. præno. nu. 8. caput. & manus aqua inter cutem laborantibus, si frigida sint, malum est. & vbi venter, & latera calida sunt.

De grauedine scribit Hip. in l. 3. aph. 2. austri auditum hebetantes caliginosi, caput grauantes. Et aph. 17. austrinæ constitutiones dissoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita grauant, Et lib. 51. aph. 28. suffitus aromatum mulicbria ducit, sæpius verò & ad alia vtilis esset nisi capitis grauitatem facere. Et in lib. de vict. ratione in mor. acutis. cō. 4. par. 27. scribitur. corrupto sāguine nequeūtibusque spiritibus naturales pertransire meatus infrigidationes fiunt ob stationem, vertigines, aphoniæ capitis grauitas, & conuulsiones. Et in lib. 4. de mor. popu. nu. 21. in Cranone Lycino grammatico ex febre biliosa ex splene capitis grauitas. in libr. 2. de mor. pag. 65. num. 4. grauitas fit, quòd copiosior sanguis sit in capite, & turbulētior, ac morbosior, quam intrinsecus: ex his quidem facile cognoscimus causas grauedinis capitis esse vapores, vel humiditatem proprij loci, vel aliunde petitam. prognostica verò quæ accipiuntur ex libr. Hipp. sunt hæc: in lib. 6. de mor. popu. sect. 2. pag. 144. sic scribitur. splen durus non superne sed inferne rotundus, lētus, crassus, longus, tenuis longus minus capite grauedine laborantibus. vbi Galen. ait nihil nos possumus aliud intelligere, nisi quod ea, quæ heni dicta sunt accidere, minus detentis grauedine capitis arripiant: quia vt ait Ruffus, & Sabinus per grauedinē purgetur sanguis. & propterea nihil in splenem peruenit, vel dicas in quibus humor pituitosus, aut tenuis, aut aquosus colligitur, cuius modi sunt. qui capitis grauedini sunt obnoxij, his non admodum tumores prēter naturam in liene consistunt: qui melancholicos, crassosque sequuntur humores. Et in sect. 3. minus his, qui ex capite grauedine, ac raucedine laborant, vbi febre correpti fuerint recidiuæ velut puto fiunt; quoniam, vt ait Gal. in com. febris, quæ grauedinibus, & raucedini superuenit, earum concoctionem firmiorem, & certiorem efficit, vt quamuis in aliquo mox delinquant; non tamen ita facile recidunt. Et in lib. 2. de mor. nu. 44. capitis grauitas, & aurium sonitus fit tabidis: postquam locum accliuem conscenderint. Et in l. de Coac. præn. nu. 2. cum capitis grauitate surditas, & præcordij intentio, & ad splendorem turbatio sanguinem profundit. Et nu. 2. capite grauati, iuxta sinciput dolentes, vigilijs infestati sanguinem effundunt tum aliàs, tum si quid ad collum se extendat. Et nu. 3. eiusdem libri. capite grauatis, horrorem habentibus, lassitudine affectis menses erumpunt.

Sed ad curationem veniamus. dicit Hipp. in lib. 5. aph. 22. calidum ex his quæ ad caput attinent eius soluit grauitatem. hæc eadem affirmat in lib. de humid. vsu. sed & grauedines morbos quosdam soluunt vt scribitur in lib. 2. prædic. pag. 174. nu. 36. his verbis. quibus dolores circa caput, & frontem ex magnis ventis fiunt, & ex frigoribus cum vehementer calfacti fuerint, eos grauedines maxime perfecte liberant, prosunt autem, & sternutationes, & muci in naribus oborti, magis quidem sua sponte: sin minus; coacte; grauedines autem fiunt perfectæ, ad eo vt & tusses succedant, & sternutationes succedentes, si dolores non sedauerint, necesse est tubercula, & decolationes his succedere. & l. 7. de mor. pop. pag. 151. nu. 42. quidam post cenā in somno horruit mane surrexit, capite grauatis horruit, cenauit, capite grauabatur ad noctem remisit. & in lib. 4. nume. 16. pag. 138. mulieri ex capite fortiter grauatæ iudicatio facta est circa vigesimam: vigesima præcordia æstuosa, & hæc diximus de grauitate, ac grauedine capitis. Nunc tempus est, vt de dolore capitis differamus. dolor capitis aut fit à capite læso, vel ab alijs membris, quæ cū capite cōueniunt. hic dolor aut est in toto corpore, aut in aliqua parte. deinde aut est simplex, vel cum alia passione coniunctus. & is aut antecedit alium affectum, aut sequitur, aut comitatur. & horum dolorum aliqui sunt leues, aliqui grauiores, & alij fiunt in die, alij noctu. omnis dolor fit vel à nimia calefactione, vel frigefactione intrinseca, vel extrinseca. vnde fit & cum humoribus, & sine hu-

ne humoribus, sic destillationes faciunt capitis dolorem, pituita, venarum repletio humoralis. Notas, quæ dolores designant, dat Hip. in lib. 4. aph. 60. & has quidem de futuro dolore. & ait. quibus vrinæ perturbatæ quales sunt iumentorum his dolor capitis, vel adest, vel aderit. & in lib. 2. prædic. num. 174. pag. 39. quibus colores dum iuuenes sunt praui sunt, ad multum tempus, & cõtinenter, non tantum morbi regij modo: hi siue viri sint, siue fœminæ caput dolent, & lapides, atque terras comedunt, & hæmorroidas habent. quicunque verò multo tempore pallidi apparent, & facies in tumorem eleuatas habent, eos caput dolere sciendum est, aut circa dolorem habere, aut in sede malum aliquod in se ipsis. vrinæ densæ, vt scribit Hip. in lib. 7. de mor. popul. n. 54. ac conturbatæ certum signum sunt doloris capitis, & conuulsionis, ac mortis. Et in lib. 2. prædic. num. 41. quibus ex naribus sanguis fluit, hi alioqui sani esse videntur, os autem, vel splenem in tumorem eleuatum habere comperies, vel caput dolere, & splendicans quiddam ipsis ob oculos obuersatur. quid verò de ipsius dolore prædicendum sit, scribit Hip. in l. 2. prædic. n. 36. & ait. quibus sudores sine manifestis causis fiunt, & diuturni, & in toto capite, suntque ipsi, & graciles, & debiles; his prædicendum est morbum longe grauiorem priore esse. si verò etiam ad collum, & ad dorsum dolor descendat caput relinquens, & rursus ad caput recurrat, adhuc grauior fit verùm omnium horum grauissimum est, si ex capite ad collum, ac dorsum tendat. quo autem anni tempore, ac qua constitutione fiat, docet Hip. in li. 5. aph. 15. vbi scribit. si verò æstas sicca fuerit, & aquilonia, autumnus verò pluuiosus, & australis dolores capitis ad hyemem fiunt. Et aph. 23. hyeme capitis dolores, vertigines, appoplexiæ. Dolor porrò capitis quosdã antecedit, vt legitur in l. 3. pror. par. 2. Et ex his sumuntur prognostica hæc. si ex capitis dolore aphoniæ fiant atque cum sudoribus febrientes soluantur, & mala repetant; diutius perdurant, & si rigere his malum non est. & in lib. 6. aph. 51. quicunque, sane dolores capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt; in septẽ diebus pereũt, nisi febris apprehẽderit. Et in l. 2. de mor. hæc eadem confirmans scribit. derepente dolor occupat caput, & statim vox intercipitur, ac sui impotens fit. hic in septem diebus moritur; si non febris inuaserit hic morbus à Gal. dicitur apoplexia. præterea cum dolore capitis quidam sunt affectus coniuncti, vt in libr. prog. com. 1. par. 23. vbi scribitur. qui in febre acuta, aut capitis dolore manus sub inde ob os fert, aut frustra venatur muscas, &c. id omne malum, exitialeque est. & in com. 3. eiusdem libri par. 11. capitis dolor vehemens, & continuus cũ febre si quod ex indicijs exstiterit exitiosis, lethalis admodum est. si verò sine talibus indicijs fatigans dolor vigesimum transeat diem, & febris detineat, expectari oportet sanguinis è naribus eruptionem, aut alium abscessum ad inferas sedes; sed quoad dolor fuerit recens, expecta sanguinis eruptionem è naribus, aut suppurationem, si dolor alioqui circa tẽpora, ac frontẽ affligat. Et in l. 3. pror. par. 3. quibus manus tremulæ capitis, ceruicisque dolores subsurdique fiunt, & nigra, densataque meiunt: his ventura expectare nigra pernitiosum. Et par 8. quibus lumborum tenues, & diuturni dolores, ad hypocundrium euntes, & ciborum auersio cum febre dolor valens, contentusque ad caput perueniens, cito cum quadam conuulsione perimit. & num. 43 capitis affecti grauitatem, & sincipite dolentes peruigilesque sanguinem profundunt, tum alias, tum si quippiam in ceruice tendatur. & lib. 1. par. 10. qui in capitis doloribus æruginosos vomitus habent, vigilantque cum surditate cito hi vehementer insaniunt. Et lib. 3. pag. 76. in capitis dolore coma, & surditas abscessum aliquem post aures eructant. Et par. 77. hypocundrij contentio cum comate, & fastidioso capitis dolore parotidas effluere faciunt. dolores item capitis simul cum febre accidũt; cuius rei causam esse scriptum est in lib. de flatibus. pag. 40. nu. 13. & hæc est sanguinis transitus in capite magna angustia coarctantur: repleti enim sunt multo aere. cuius abundantia, ac conclusio dolorem excitant in capite: sanguis enim ipse natura calidus existens vi coactus per angustam viam transire celerrime non potest, cum multa impedimenta sunt obstacula, & oppilationes. quapropter etiam pulsus fiunt circa tempora. & in l. de Coac. prænot. nu. 1. qui ex rigore perfrigerantur caput, ac collum dolentes voce destituti insuper exudantes postquam se recollegerint moriuntur. & ibidem. horrore affecti caput dolentes exudantes malignum id est. Et ibidem. ex rigore cum capitis dolore exolutiones pernicioſæ. & deinde. Qui ex rigore cum capitis dolore exoluuntur, in periculo versantur. ac præterea. capitis dolor in morbo acuto præcordium remulsum nõ profluente ex naribus sanguine ad phreniti dem deuenit. deinde. febrientibus quibus rubores sunt in facie, & dolor capitis fortis, ob venarum pulsus his sanguinis fluxio plerũque contingit. & nu. 2. quibus capitis, ac colli dolor est, sed & totius corporis tremula quædã impotentia, sanguinis eruptio soluit, quin & tempora soluuntur. & quibus capitis sunt dolores & sonitus aurium citra febrem, & vertigo, & vocis tarditas, eos aut syderatos, aut comitiales, aut obliuiosos fore expecta. & qui caput dolent stupore correpti delyrantes aluo suppressa oculo ferociente, florulenti hi in posteriorem partem conuelluntur. &, Capitis successiones, oculi rubicundi, mente manifeste emouentes pernicioſæ sunt. & capitis dolor cum sedis, & pudendorum dolore, & torporem, & impotentiam inducit, & vocem resoluit. Et qui in capitis dolore ascaridas habent, his surditas, & sopor consequens, absceſſus circa aurem exuscitat. Et, qui caput dolent, stupore detenti, doloroſi, oculi rubicundi habentes sanguinem effundunt. Et capitis concussiones, & aurium sonitus, sanguinem effundunt. aut mulieri menses deducũt, tum alias, tum si iuxta spinam ardor consequetur, fortassis autem dysenterijs fluxiones. deinde. in acutis capitis doloribus, & intorpidis cum grauitate conuulsiones fieri solent. Et capitis dolorem soluit pus per nares, aut sputa crassa, & non olentia. Et capitis dolor moderatus cum siti cibum capiente, aut cum sudore non soluente febrem absceſſus in gingiuis, aut circa aurem significat aluo non exturbata. Et capitis dolor soporosus cum grauitate conuulsorium quid facit. & caput dolentes sticuloſi, aliquatenus vigilantes, obscuri cognitu, impotentes, ex aluo liquida delassati num mente mouentur? & caput dolentes, surdastri, manibus

bus tremuli, collum dolentes, mingentes nigra condenſata, vomentes nigra pernioſe habent. & caput dolentes, exudantes, aluum ſuppreſſam habentes cõuulſioni obnoxij ſunt. & ſoporoſi in principijs flẽtes cum capitis, lumborum, præcordij dolore, vigilãtes, num phrenitici ſunt? naſus in his deſtillans pernicioſus tum alias, tum quarto ab initio die, malum etiam alui profluuium valde rubicundum. & paulo poſt. caput dolentibus ex poſteriore parte oſſa rupta habentibus, fluxio è nare larga, craſſa, mala eſt: hi vbi oculum antea doluerint, rigent. num & iuxta tempora oſſium diruptiones conuulſoriæ ſunt? Et, quibus abſceſſus ſunt iuxta autem caput dolent. Et ex capitis dolore vocis interceptiones ſi ſint, febricitantes cum ſudore laxantur in ſe ipſis, fiuntque morbi reuertentes diutius durantes, his intus rigore malum non eſt. &, mentis emotiones cum vocis interceptione pernicioſæ, vocis interceptiones inſuper rigentibus lethales. tales autem leuiter caput dolent. at deinde. Colores in faucibus gracilibus ſtrangulatorij, à capitis dolore originem trahentes conuulſorij ſunt. frigiditas colli, ac dorſi apparentes, ſed & totius corporis conuulſoria, in his mictiones fiunt craſſiorem farinam referentes. & paulo poſt. præcordiorum diſtentio cum ſopore anxioſo in caput dolente, abſceſſus circa aurem attollit. & deinde. diuturni circa lumbos, & tenue inteſtinum dolores, & ad præcordia dolores, ſi ægri cibos auerſentur vnà cum febre, his dolor intentus ad caput progreſſus repente ipſos occidit conuulſorio modo. & hæc omnia in lib. de Coac. prænot. reperiuntur. eſt verò in lib. 6. de mor. popul. ſect. 1. qui caput dolent, & aures fluentes habent, his palatum cauum eſt. & dentes inter ſe non è directo reſpondentes. & in l. de iudicatio. pag. 160. nu. 5. ſi doluerit caput, & ex hoc febris accedat & hic non ſedetur dolore non ceſſante, febris non iudicatur: & plurima talia iudicationis longe ſunt ad melius, etiam in his quæ ad ſanitatem tendunt. & in eodem lib. 32. quibus in febre non lethali capitis dolor, & alia ſigna circunſtant in his bilis dominatur quibus inceperit dolor primis. diebus, & quarta, ac quinta magis premuntur, hi ſeptima à febre liberantur. & nu. 4. ſi verò lypiria non dimiſerit in quadraginta diebus, ſed perducta fuerit, & dolor habuerit caput & delyret æger, ipſum purgato. talia ſunt quæ dolorẽ capitis antecedũt concomitantur, atque ſequuntur nunc ad dolores qui partem capitis tenent tranſeamus. ſcribitur in lib. 2. de morb. popul. pag. 147. nume. 6. mulier caput circum circa dolebat multo tempore, & nemo pot erat illi quidquam opus conferre. neque dũ caput purgaretur. melius autem habebat cum menſes ipſi facile prodibant. hæc cum caput doleret ex ſubdititijs odoratis ad vterum appoſitis opere ſentiebat, & modice depurgata eſt, & cum concepiſſet dotores caput relinquebant. & in l. 7. de mor. popul. nume. 30. quibuſdam quidem ad dimidiam capitis partem, & ſecundum nares humor quidam decedit tenuis, aut maturus: aut ad aures, aut ad fauces ex capite ſecurius, quibuſdam verò hæc ſicca. & ſubdit. quicunque ex deſtillatione, dimidiam capitis partis dolent, & humore ſecundum nares decedente inſuper febrierint leniter in 5. aut 6. perfrigerantur. & ſubdit. Hechecraticeo capitis dolor vehemens magis ad poſteriorem partem, & coli, quo loco connexio eſt, & ad verticem procedebat, & cętera, quæ ibi lege. poſtquam autem pus per aurem erupit, ceſſauerunt omnia. erupit autem circa hyemem. & in l. 5. nu. 36. plerique ex deſtillatione ſecundum dimidium capitis partem dolebant, & humore ſecundum nares procedente febricitabant leniter, & in quinque diebus perfrigerabantur.

Sediãde curatione agamus ſcribit Hip. in l. 5. aph. 68. dolenti partem capitis poſteriorem in frõte vena recta inciſa prodeſt. idem affirmat in li. 6. de mor. popul. ſect. 2. & in lib. de loc. in homi. nu. 49. vt capitis dolorem ſedes, ſanguinem, de venis detrahito. at in l. 2. de mor. pag. 66. nu. 18. ſi venæ ſuperuomuerint in caput, dolor grauis totum caput tenet. & ſubdit. ſi non calefactorijs ceſſerit, frontem ea parte qua capillus deſinit à capite findito. vbi verò ſecueris diſparata, ac diducta cute cum ſanguis defluxerit ſalem tenuiſſimum inſpergito: & alia ibi lege. & in lib. 7. de mor. popul pag. 152. num. 54. aurem hyeme dolebat, & caput non mediocriter læſum eſt, euacuatum ac perfrigeratum. in lib. autem prædic. 2. nume. 36. ait his ſanguis ſua ſponte manans opitulatur. & in lib. 1. prædic pag. 160. nu. 21. quibus capitis dolores, ac colli dolores, & totius corporis impotentia quædam ſanguinis eruptiones ſoluunt. ſed & tempore ſic ſoluuntur. & in l. de iudicatio. pag. 160. nu. 12. caput circum circa dolenti quicunque ex ſupernis locus doluerit, cucurbitam affige. ſoluit dolor ad coxas, & genua, & anhelatio quicquid horum factum fuerit. & ſupra caput circumcirca dolenti ac ægrotanti ſi pus per aures aut per nares fluxerit ſoluit morbum. ſed in li. 2. de mor. nu. 12. ait. cum repletum fuerit caput & percalefactum torpor caput tenet, at frequenter mingit, & ſi per nares, aut aures aqua, & mucus erumpat, à morbo liberatur, & vrinæ ſtillicidium ſedatur mingitque citra dolorem vrinam multam, & albam ad viginti dies. & in lib. 6. aph. 10. Caput dolenti, & circũ dolẽti pus, vel aqua, vel ſangues effluens per nares, aut os, aut aures morbum ſoluit. & in li. 7. de mor. popul. pag. 151. num. 44. dolor ad tempus dextrum vehemens oriebatur, poſtea etiam ad totum caput, & collum. & ſubdit. vomitus ſi quando oborti eſſent relatos dolores auuertebant, ac mitiores faciebant. & venæ ſectio profuit & veratrum duxit omnigena, & non minime praſſina. & in li. de loc. in homine num. 50. caput in diuturno dolore purgatum magis affligitur. in lib. de Coac. prænot. nu. 2. capitis dolorem ſoluit pus per nares, aut ſputa craſſa, & non olentia. ſoluit item vlcerum eruptio. quandoque in ſomnus & alui fluxus. & in l. de locis in homi. num. 49. capitis dolori diuturno, venarum vſtio vtilis eſt. & in lib. 2. de mor. popul. ſect. 6. pag. 132. ſi ex crapula caput doleat vini meraci heminam bibat. ſi verò aliter caput doleat, panem quàm calidiſſimum cum vino meraco edat. ſed in lib. de vict. ratione com. 3. par. 41. ſcribit. cum in huiuſmodi morbis fortem capitis grauitatem, vel mentis læſionem ſuſpicatus fueris, à vino penitus eſt abſtinendum, & aquam dare tunc oportet, vel vinum aquoſum, flauumque & prorſus inodorum, & ab ipſius potione aquæ exiguum ſuperbibendum: nam hoc modo vini potentia caput mentemque minus lędebit. & in l. 5. aph. 54. lac dare caput dolentibus malum. & in l. 7. de mor. popul. nu. 34. capitis dolores ex vtero, ſedat caſtoreum. at de

capitis

capitis doloribus, ac morbis varijs plura lege in li.2. de mor.veluti de his,quæ finnt à nimia calefactione, & à pituita sic,& in lib.de affect.nu.2. & in li.de loc. in homi.nu.50.

Præterea de capitis pulsu in l.de vic. ratione mor. acut.comm.4. part.42. quibus febribus vertigines à principio, & capitis pulsus sunt, & vrina tenuis his ad iudicationes vsque febris accessionem expectare oportet.quòd si delyrent quoque nil mirum, sed in l.de Coac.præn.n.1.ait.qui in principio tenues cum capitis pulsu, & vrina tenui ad iudicationem acerbantur,his nihil miri est,si & mentis emotio,& insuper vigiliæ accedant.

De torpore autē capitis loquitur Hipp.in lib.2.de mor.nu.12. atque ibi curationem docet. & in li.4.de mor.pop.pag.138.nu.21.Fullo collum, caput, septima manus torpida.& in l.2.prædict.nu.37.torpores, & pūcturæ pruriginosæ velut ab vrtica, quibus per caput discurrunt, aliquando per totum, aliquando per aliquam partem &c. quæ ibi legē. & in li.de Sal. Diæ pag.12.nu.14.capitis torporem soluit muci per nares, vel aures eruptio.

De tremore porrò capitis legitur in lib.3.de mor. popu.sect.1.ægrot.4. ac de tumore serpenti in capite explicatur in li.6.de mor.pop.sect.4.

Prętera rigor, dolor, & febris per caput maximè ad aurem, & ad tempora,& sinciput,& alia declarantur ab Hip. quæ lege in l.2.de mor.pag.66. & nu.16. De sudore capitis scribitur in lib.1.prædict.pag.169. nu.5.sic.exudantes & maxime circa caput in morbis acutis submoleste ferentes malum, tum alias,tum in vrinis nigris,& turbidus spiritus in his malus. at de vertigine capitis legatur in l.2.de morb.nu.4. de hac autem differemus suo loco.

De ictu verò capitis scribit Hip.in l.7.apho.14.in capitis ictu obstupescentia, & desipientia malum. vnde in l.6. de morb.popul.pag.146.col.2.Stheneus multum luctatus,& in caput lapsus multam bibit frigidam aquam. illa nocte vigiliæ,angustiæ, & extrema frigida. postridie glādula subdita non subdit,sed parum minxit,prius autem nihil minxerat. ad noctē lauit.tamen vigiliæ & angustiæ aderāt.delyrauit tertia die extrema frigida excalfactus, sudauit. pota aqua mulsa mortuus est. & in lib.7.de mor.popul.n. 18.percussus lapide supra tempus dextrum, & fissuram facta vertigine affectus est.& cecidit. tertia die aphonia, anxietas, febris non valde vehemens, pulsus in temporibus velut tenuis caloris. nihil audiebat,neque quiescebat. humiditas circa frontem, & sub nasum vsque ad mentum. quinta mortuus est,& n.20. Isagoræ filius percussus est retro in caput contuso osse, ac nigrefacto. quinta die superstes euasit, os autē nō discessit.at de cute capi.scribit Hip.in l.2. de mor.n.1.vbi cām reddit cur ipsa crassescat. curationem aūt docet.nu.12. & quoniam euenit,vt cutis quandoque secetur in affectibus oculorum ac præsertim in fluxionibus,ea sectio cur & ad quę sit vtilis legatur in l.de loc.in hom.n.23.verùm de cutis contusione sic loquitur Hip.in l.de cap.vul.pag.182.nu. 1.& inquit nullum capitis vulnus leuiter contemni debet. sepe enim cutis sola contusa ferro, aut aliqua re si non diligenter, & cum quadam cautione curetur, velut si sanguis concretus non expurgetur, aut aliquid quiddam negligatur: vlcus incrudescens nō parum molestiæ exhibet.

De capitis verò vulneribus, ac vlceribus scribit Hip.librum pag. 183. & ibi legas ea,quæ ad hanc rē attinent. percussum verò caput à puero per testam, & vulneratum vide in li.4.de mor.popul.nu.4. & ait nu.26.in Aeno quicunque capite vulnerati, horridi erant, maligni, & suppurati ex tenesmo. & quo modo ex capitis vulnere Autonomus mortuus sit lege lib.5.nu.14.scribitur in lib.2.prædict.pag.173.num. 22. ex capitis vulneribus lethalissima sunt quæ ad cerebrum pertingunt. grauia sunt, & huius modi omnia os nudum magnum, os infractum, os disfractum si verò etiam oculum vlceris paruum fuerit, fissura verò ossis aliquandiu permanserit, periculosius est. hæc autem omnia grauiora fiunt si & iuxta futuram sunt: & ex locis semper periculosiores summi in capite existunt. cæterum in omnibus memorabilibus vulneribus interrogare oportet, si adhuc recentes fuerint plagæ,aut etiam tactus fuerint,an conciderit homo aut in altiorem sopotem collapsus sit, sic enim ampliore custodia opus habet, nimirum cum cerebrum vulnus tum perceperit. si verò non recens sauciatus fuerit ad alia signa respicere oportet. optimum igitur est neque febrire eum, neque sanguinem erupisse,neque inflammationem, neque simul vllum dolorem accessisse. si verò quid horum apparuerit,securissimum est vt in principio fiat, & modico tempore permaneat.alia verò præcepta lege supra.nu.20.& quæ interroganda sint capite vulnerato pag.182.num.2.

Capitis præterea os cariem patitur, frangitur, ac perforatus ossis cariem lege in lib.2. de mor.nu.7.& signa nu.24.de osse autem fracto in lib. de loc.in homi.nu.43.& in lib.2.de mor.popul.sect.5.de perforatione ossis in l.de cap.vuln.nu.29.

Suturæ autem capitis quot sint,scribit Hip.in lib. de loc.in homi. & quo pacto constitutæ in libr. de cap.vul.nu.2.& de struct.homi.num.4.& in lib.7.de mor.popul. num. 29. Plateæ filio vbi mortuus esset, futura capitis valde cauata est. cum autem ægrotaret semper manu sinciput contingebat maxime mori propinquus.

Cæterùm verticem, & tempora sæpe dolentes neque febricitantes, neque decolores si non alium manifestum habuerint abscessum in facie, aut grauiter loquantur,aut dentes doleāt, his sanguinem per nares erupturum expecta.

Nunc tandem ad capitis ægri purgationem veniamus,antequam caput purges; foue corpus: inquit.n. Hip.in lib.de inter.affect.pag.86.num.14.caput purgato hipophais succo, aut cnidio grano corpore prius valde bene foto. & in lib.2. de mor. pag. 65. num.13. medicamentum ei dandum est,à quo pituita,& bilis sursum purgatur: si quidem frigus fuerit præ foto,ac calida loto, deinde tribus diebus interpositis caput purgato: postea etiam deorsum purgans medicamentum bibendum dato.hæc in vlceribus capitis. sed in tabe primæ speciei caput purgat pharmaco ad nares appositō & in lib 2. de mor. mul. pag.113.nume.11. in fluxu quodam muliebri caput purgato,si mulier pituitosa est per ea, quæ pituitam purgant: si verò biliosa per ea, quæ bilem. & in lib. de loc. in homi. num. 35. in tabe quæ ex fluxione retrorsum fit, caput purgandum est debili medica-

dicamento, donec fluxus auertatur, & numer.40.in icterò ad caput purgatorio debili vtitor. & in fluxione ad oculos, nu.22. eiusdem libri medicamento caput purgandum est non forti,& corpus attenuandū donec fluxus reficcetur, aut medicamento in nares indito emoueatur, & nu.31.suppuratis caput purgare oportet non fortibus medicamentis, sed paulatim auertere in nares, & simul edulijs ventrem subducentibus vti. & in lib. de visu pag.207. nu 3. Nyctalops medicamentum bibat deorsum purgans, & purgetur caput,& ceruicem eius quàm maxime scarificato.& in lib.7.de mor.pop.num.26.ad tumorem genu veratrum exhibitum & capitis purgationes, & in lib.5.nu.11. quidā à morbo vexatus noctu magis in somno quam interdiu ad duos annos purgatione à capite forti valde ad multum tempus purgabatur, & cum pharmacum bis bibisset, sex menses ipsum penetrauit, & in lib.6.sec.2.dissimilia si vergant sursum eleuata inferne soluere,& contraria per eadem velut est capitis purgatio, venæ sectio,quando non temere detrahitur, sed in lib.2.sect.5. si capitis os confractum fuerit lac & vinum commixti aquæ pari mensura bibenda dato. si verò vlcus fuerit internas uenas seccato, si non febricitet, si autem desipiat,caput irrigato si non præcordia fuerint eleuata. & in lib. de loc.in hom.nu.44. febricitanti caput ne purgato, vt ne furiosus fiat. calfaciunt enim caput pharmaca purgatiua, & sanè ad caliditatem febrilem, ea quæ in medicamento est, insaniam facit, at n.49.eiusdem li.dolore in capite grauatis sanguinem de venis detrahit, si verò non sedetur,& diuturnus, fit perure venas, & sanus euadit: si verò caput purgaueris, magis affliges.

Carbunculi.

Carbunculus, vt legitur in l.de Affectio. pag.82. nu.35.fauus,& strumæ,& parui,& furunculi à pituita fiunt. & in l.2.de morb.popu.sect.1.carbunculi in Cranone æstiui. pluebat in ardoribus aqua larga cōtingebat hoc per totum, & maxime ab austro. & in li.3.sect.3. anno austrino, pluuio in pudendis tubercula,lippitudines,carbunculi.

Carcinoma.

Mulieri in Abderis carcinoma obortum est circa pectus: & per mammam fluebat sanies suberuenta. obturata verò fluxione mortua est. hæc scribit Hip. in l.5.de mor.pop. num.36. & repetit etiam in lib.7. de morb.pop.nu.56.at num.54.huiusce libri legitur. cui carcinoma in faucibus vstum est, sanus euasit à nobis.l. Cancer.

De Carnibus.

Cæterùm de carnibus non his, quibus vescimur; sed de his, quæ corporis nostri sunt partes est disputandum.deinde de carnibus, quibus alimur, dicemus. verùm de substantia primum agemus, postea de his, quæ substantiam carnis sequuntur, actionibus, passionibusque differemus. legitur in l.de Carnibus pag.19.num.10. Eadem de carnibus ratio est; quæ s.de renibus. frigidum quidem constituit,& cōpegit,ac fecit carnem, glutinosum autem in foramina transiit. in foraminibus autem his humidum est, velut in venis magnis.calidum autem in toto corpore est, plurimum verò & humidi in corpore est, & frigidi multum in humido: tantum autem est frigidi, quantum congelare humidum, ac liquidum potest: sed superatur à calido: quare etiam ab ipso diffunditur. sed materia carnis est humidum, efficiens verò est calor primum,deinde frigus. humidum est sanguis,& minima aliorum humorum pars. & hi à calore elementali moderato concoquuntur,& à cœlesti informantur: deinde à frigore,quod ab humido resultat, atque ab extrinseco adiuuante coagulatur in carnem, quæ non statim ex his fit, sed per plures concoctiones,quæ humori,qui ad coctionem procedit,plura nomina dederunt,prout plus, ac minus carni propinquus fit,at hoc tibi aduertendum sit quod Hip.subdit. Postquam sanguis extra corpus refrigeratus est.tum ab intrinseco frigido,tum ab extrinseco pellicula fit, & membrana,& si quis hac pellicula detracta,modico tempore sinat; aliam pelliculam factam videbis,& aliam quoque postea. facta aliqua carne, inquit Hip. in lib. de Natura pueri, sanguis à matre descendens, quem sanè caro spirans attraxerit: in incrementum cedit.&,si vtilis non sit:in sinus pellicularum secernitur.& subdit. Caro augescens à spiritu articulatur,& abit in hanc vnumquodque simile ad simile, densum ad densum,rarum ad rarum, humidum ad humidum.scimus igitur,quòd caro est pars corporis nostri humida rara & temperata in caliditate,& frigiditate. hæc quidem cum sit humida. ratione habita ad ossa,atque ad partes nerueas, ut elementa imitetur. ossa, ac similaria neruosa ambit, & colligat. eius quidem substantiæ is est vsus,vt scribitur in l. de ossium natura pag.28.nu.17. vt omniū colligationem, ac constructionem exhibeat, sed in viro solidior est caro, quàm in fœmina, sicut appareat in li.1. de mor.mul.nu.2.propterea quòd sanguis ex quo constructus est vir,robustior est, & calor validior, qui sanguinem exiccauit. quare vir est carne ficciore præditus, ac præterea tenuior,atque eò magis, si calor æstiuus,ætas iuuenilis,& alia circunstantia coadiuuent.quapropter docet Hip.in l.3.de dieta pag.49.num.4. quod quemadmodum arbores rationē non habentes tempore vernali preparent ad æstatis commoditatem tum incrementum,tum umbrā; sic oportet hominem carnis incrementum salubre sibi præparare,quod fit,si detrahas labores.cibis mollioribus utaris,balneis,re venerea pauca,& tota dieta molli vtque ad pleiadum exortum. tunc enim iam æstas adest. hæc eadem confirmat in l.6. de mor.popu.sect.3.par.1.his verbis. Cutis colligatio,carnium crementum.vbi Gal.in com.ait.insinuatur,quod cutis strictio,& densitas sæpenumero immoderati carnium incrementi in causa sit. & subdit par.2. Detractio cursibus,luctationibus, quiete multa, celeribus deābulationibus, quibus elixa maza, plerunque panis modicus,hæc loca si conferas,quasi verba verbis reddita comperies.verùm carnis generatio,ac incrementum,quod in vlceribus curandis est necessarium non est præsentis sermonis; tamen non omittam illud, quod scriptum est in l.de Affect. pag.82. nu.37. & hoc est. Ad impurgata, ac putrescentia vulnera acria faciunt,ac mordacia parum. ad carnem producendam pinguia, & calida magis conducunt, ab his enim caro pullulat. Cæterùm caro fit,vt dictum est, ex sanguine concocto à calore, & frigore condensato: vnde, cum humida fit, non habet summum calorem,nec frigus: sed moderatum.tamen parumper superat calor:cuius scilicet carnis vsus est,vt omnium

colli-

colligationem exhibeat,& constructionem. hæc est natura carnis,& hæ naturales operationes,vt Hipp. placet. quæ omnia cum carni ad fuerint; sana dicetur: aget enim ac patietur proprias operationes, ac passiones. vice versa si aliqua horum defuerit; non sana, vel ægra appellabitur. at quod non sanum, vel ægrum est, id læsum est.

Itaque hoc pacto læsa erit caro. idque eueniet, si complexio eius alteretur, aut substantia: & vtraque destruendo substantiam, aut continuitatem soluendo. causa verò erit intrinseca, vel extrinseca, quemadmodum quatuor primæ qualitates, percussio, contusio, ruptio, conuulsio, incisio, discissio, & id generis; sicque fit, vt primæ hæ sint in causa. deinde succedit calor à motu illo concitatus, qui quoniam non est naturalis; ideo venit in carnis pernicie. caro calfacta siccescit, deinde humiditatem sibi propinquam trahit. verùm aliquando contingit, vt primum siccescat, vt in sanguinis effusione ob vulnus illatum, sed re vera prius caro mouetur, hoc est, patitur, deinde sequitur sanguis: ex quibus motibus oritur calor, qui simul cum sanguinis exitu siccat carnem, & inanem reddit, sed ne detur vacuum; succedit sanies, siue ichor, siue humiditas, quæ verti in carnē parata est, & hanc sequitur alia, dum modo ordo non turbetur: quandoque enim quod vltimum esse deberet, est primum, vt sanguis plerunque in contusionibus magnis. calida inflammatur, & pars eius subtilis in vaporem vertitur. deinde caro eleuatur, & quia vacua remanet ob partem eius euacuatam, trahit, vel succedit humiditas, quæ cum non sit in proprio loco: putrescit. vnde caro inflammata, non proprio calore, sed alieno referta, & materia aliena, distendit partes nerueas, & dolorem facit. putrefacta illa humiditate & caro colliquescit. & putrefit, & calore putredinali inficitur. qui calor depascit errabundus, & putrefacit totum corpus. hoc quidem pacto, hac via, his efficientibus, atque hac materia abit caro à simplici alteratione in putrefactionem. atque hunc ordinem percipimus ex Hipp. pluribus in locis descriptum; verum non adeo absolutum vbique. hunc profecto loca Hipp. recensendo, sic exponam, prius explicando causas. scribitur in lib. de loc. in hom. pag. 31. n. 15. fluxiones fiunt per frigerata valde carne, & per calfacta, & superinflammata. fluxiones propter frigus fiunt, cum caro in capite, & venæ tensæ fuerint; hæ enim horrēte carne, & ad angustias perueniente adstrictaque ac excludente humiditatem exprimūt, & simul carnes ipsæ contra exprimunt ad angustias perueniētes, & capilli sursum erecti fiunt. fluxio ēt fit propter caliditatem, cū carnes arefactę trāsitus parauerint, & humor calefactus tenuior redditus fuerit: omnis enim humor calefactus tenuior fit, & omnecedens fluit, maxime verò vbi valde fuerit inflammatum. Et n. 18. præ frigore à bile infestati lassitudine affligūtur, & quia carnes bilē habuerint, non quiescunt, sed concutiuntur, & concussæ laborant, ac delassantur, vt pote velut in itinere faciendo. & in l. de flatibus pag. 40. n. 18. rupturæ omnes fiūt hoc modo. cū violentia quadam inuicem discedunt, & findūtur carnes, fissuram subtercurrit spiritus, ac dolore affligit. cum autē ipsi flatus, carnes pergressi meatus corporis rarefecerint, sequitur post flatus humiditas, cui uiam iam antea aer præstauit. irriguo itaq; corpore ab humiditate facto, liquefiunt carnes, & fit aqua intercus. & nu. 19. cum flatus frigidi multi penetrent, ac inflent carnes, partes corporis stupidæ fiunt. & in l. 3. de diæta pag. 51. nu. 16. A cœna etiam vocis exercitatio valde commoda est; humiditatis enim euacuationem faciens, rarefacit carnē. & in l. 1. de mor. pag. 61. n. 11. cum iam præ febribus, aut pōtu, aut venere, aut aliqua re correptus fuerit attenuatur. caro sauciata subreficcatur, & subcalescit, & humiditatem in seipsam à vicinis venis, & carnibus trahit. vbi autem attraxerit, intumescit, & inflammatur, & dolorē exhibet tenuem. & n. 12. eiusdem libri. si caro conuulsa fuerit aut cōtusa sanguinem ex venis sibi ipsi propinquis trahit, atque hic putrescit, ac suppuratur. & n. 16. eiusdem lib. cum caro afflicta fuerit, aut cōuulsa, aut percussa, aut aliud quid perpessa, liuida fit non sincero sanguine, sed tenui, & aquoso, eoque modico. vnde legitur in lib. 7. aph. 2. in osse ægrotante caro liuida mucosa. & cum plus solito fuerit reficcata percalescit, & dolorem exhibet, & humiditatem trahit à venis, ac carnibus vicinis. & vbi nimium fuerit humectata, atque ea ipsa humiditas à carne superca lefacta; per totū corpus dispergitur, qualis est attracta, magis tamen in venas dispergitur, quam in carnes: venæ enim magis trahunt. quando verò ad multam in corpore humiditatem modica de carne attracta fuerit, obscura iā fit, & doloris exors, & pro morbida cum tempore sana euadit. si verò caro magis fuerit percalefacta, & ampliorem humiditatem traxerit, dolorem exhibet, & ad quamcunque partem ab ipsa processerit, ac firmata fuerit, dolorem inducit acutū. at humiditas, de carne exilit per venas. cum autē caro calfacta fuerit, siue à calore prēternaturali ab humorib. crudis generato, siue à contusione orto; eliquatur, nam ait in l. de ca. vul. pag. 185. necesse est carnes contusas, ac concisas pus fieri ac consumi, & in l. de vlce. pag. 204. num. 3. necesse est carnes contusas, ac disectas putrescere, ac pus fieri, & eliquari, ac consumi, & postea nouas carnes nasci. & in lib. 1. de diæta. pag. 44. num. 26. anima calfacta, id est, spiritus attenuat carnem. & nu. 27. recitatur quæ dictas carnes reficcat. & in lib. de articul. pag. 199. num. 60. carnes minuuntur totius cruris ob luxationem. & in lib. de affect. pag. 81. & nu. 23. aqua intercus fit plerū que, cum quis ex longo morbo impurgatus multo tempore manet: corrumpuntur enim carnes & liquā tur, & fit aqua. & infra subdit. cum carnes à pituita, & tēpore, & morbo, & non purgata immunditia & mala curatione ac febribus corruptæ fuerint, liquescunt, & fiunt aqua. & in lib. 2. de morb. pag. 64. nu. 1. carnes cum sint perrigatæ, eleuatæ, ac rariores sanguinem ex venis trahunt. ideo bene colorati esse videntur. & in lib. de loc. in homin. pag. 32. núm. 38. corpore superinflammato, carnes intumescunt, vnde sequitur febris. & nume. 41. postquam caro tumida & inflammata circa vlcus fuerit, caro suscipit, vt pote eleuata existens ab inflammatione. & cū in ipsa peruenit, sanies subterfluens putrefacit, & attollit. & in lib. de aere, aquis, & loc. pag. 36. & num. 25. si hyems sicca sit & borealis, ver autem pluuiosum, & australe necesse est, vt corpus, & caro non humore fluuida fiat, adeo vt febres acutissimæ in omnes irruant, maxime autem in pituitosos. & num. 10. eiusdem lib. bibentibus aquas glacia-

tas, & frigidas, ac turbatas ſplenes ſunt magni, ac pleni: in ipſos enim carnes colliquantur. & in li. 3. de diæta pag. 50. n. 16. in corporibus denſa carne præditis cum cibi concaleſcunt, ac diffunduntur, & à primo ſomno, & præ cibis carne caleſcēte, ſecretio per ſomnum fit, carne multæ humiditatis. deinde caro denſa exiſtens alimentum non ſuſcipit. & ſubdit. cum ſimilia his patiuntur, qui inexercitatis derepente laborauerunt; & colliquationem carnis violētam ac multam fecerunt. Et in lib. 2. de mor. pag. 64. n. 2. In reliquo corpore vlcera eadem ratione, qua in capite fiunt, ſanguine, & bile putrefactis, quacunque in parte fuerint collecta: hac enim parte caro putreſcit, & exulceratur, & accedentem pituitam, ac bilē inſuper putrefacit, & fit pus. Et in l. 4. pag. 77. nu. 25. hæc quidem duo ſunt principia, violentia, & plenitudo, quæ, ſi non purgentur humores; corpora calefaciunt. Et paulo inferius. putrefactio primum paulatim fit, ſi maxime calefiat. poſtea, vbi iſthic alimentum putrefactioni non amplius ſufficit, depaſcitur de ſano, initio ſumpto à proximo ad totum corpus, donec totum quicquid carnoſum eſt, putrefecerit. poſtquam verò in totum depaſta eſt, alimentum putredini conſumitur. In l. 3. de mor. pop. ſect. 3. par. 23. pleriſque horum in ſuppurationes abſceſſus contigerunt, atque carnis multum, & oſſium, & neruorum decidit. & ibi Gal. prauitas abundantis humoris ex magnitudine conſtitit putredinis. atque is propter humiditatem, & aeris tranquillitatem computruit: & idcirco putredinē generauit. & varia erat fluxio propter putreſcentium diuerſitatem. Et in li. de lo. in homine pag. 31. nu. 14. labor, & dolor articulis fit, vbi à carne humiditas fluxerit vitioſa: primum. n. arriculus ſtabilitur: non enim lubrica eſt humiditas, quæ de carne influxit. deinde vt multa, & valde ſparſa, & ex carne non irrigata ſemper reſiccatur, & vt multa exiſtens, & articulo ipſam nō capiente, effluit: & male ſtabilita eleuat neruos, quibus articulus colligatur, & ipſos in connexos, ac diſſolutos facit. Et in l. de Fract. pag. 191. num. 36. Nudatur autem quorundam ſuperna pars, quorundam verò carnes circumcirca mortificantur. Et in l. de Arti. pag. 193. n. 1. Medicis videtur valde in anteriorem partem luxari ſcilicet humeros, & maxime decipiuntur in his, quorū carnes tabes circa articulum, & brachium occupauit. Et. nu. 54. ſi ipſa caro mucoſa fuerit; vſque ad os vrere oportet. Et nu. 58. ſanum crus nihilominus ipſi robuſtum eſt, quàm ſi ambo ſana eſſent: effœminantur tamen omnibus talibus carnes cruris, hoc eſt, molleſcunt, debilesque reddunt. Et in l. 5. aph. 16. calidum vbi ſæpius eo vtatur hæc mala affert, carnium ſcilicet effœminationem, &cet. Ex his igitur, quæ recitauimus quales fuerint carnis affectus præter naturales, à quibus cauſis, & qua ratione afficiatur, diximus.

Verùm caro non ſolum in ſeipſam attrahit & à partibus internis, & externis: ſed & attrahitur, quemadmodum legitur in libr. 3. de diæta pag. 51. num. 19. ſit. Quibuſdam excluduntur ea, quæ conueniebant, progreſſoque temporis venter per caliditatem attrahit carnes, & dolorem exhibet. quod verò carnes attrahant, plurima Hipp. loca citata comprobant: ſed in lib. 6. de morb. popula. ſect. 6. part. 1. legitur. carnes attractrices ex ventre, & extrinſecus. indicat ſenſus, vt expirans, & inſpirans. vbi Galen. ait. carnes ad ſe ipſas ex ventre attrahere inquit, & extrinſecus. ex ventre ſiccum ex cibis, ac potionibus, vnde alendæ ſunt: & extrinſecus, incompertum eſt, an alimentum dicat, an verò aerem: nam fieri poteſt, vt, ſicut ex ventriculo alimentum carnes attrahunt: ita etiam ab exterioribus partibus in profundum reuocent, poteſt & aer per arterias ad cutim deuenientes ad carnes deferri ab ipſis attractus. at ob plurimam attractionem fit quandoque, vt cutem non cibum ſuſcipiat, hoc eſt, obſtructa ſit, vt ſcribitur in li. 3. de diæ. pag. 50. num. 12.

Si verò carnes fuerint ſanæ: caue, ne nimium alterentur: ait enim Hippoc. in lib. 5. aphoſ. 16. Carnes ſanas habentibus elleborus periculoſus: facit enim conuulſionem propter operationis vehementiam, vt inquit Galen. in Commen. tamen dicit Hippoc. in libr. 6. de morb. popula. ſect. 5. par. 10. labor articulis, & carnibus, cibus, ſomnus viſceribus, ideſt, vt exponit Galen. labor articulis, & carnibus vtilitatem præſtat: cibus autem, & ſomnus viſceribus, calore natiuo in profundum recumbente. verum nullus vehemens ſit. ſed in lib. 3. de diæ. numero nono, ſcribitur. ſomnus contingit carni, & ſanguis funditur, & ſpiritus diffuſus tranquillus fit. vnde ſomnus qui reſpondet quieti, & vigiliæ labori competunt carnibus. qua de re ſibi contradicere videtur Hippocr. at, quando dicit, ſomnus contingit quieti, intelligendum eſt, quòd cum homo dormiat, tunc carnes nutriuntur, augentur, atque corroborantur. & non quòd carnes: à ſomno deprehendantur. immo in ſomno vis naturalis viget, & animalis quieſcit. Et, quoniam ſæpe ob quietem, & ſomnum carnes floreſcunt, & augentur adeo, vt nocumentum adferant corpori: hinc ſi carnoſi purgandi ſint: dicit Hippocr. in lib. 4. aphor. 7. vomentes difficulter, & mediocriter bene carnoſos per inferiora, cauentes æſtatem: contra graciles, vt in ſuperiori aphoriſmo. quæ verò diæta ſit carnoſis, ac gracilibus vtilis, legatur in libro de Salubri Diæta. pagin. 12. numer. 2. 3. 4.

Nec ſilentio pertranſeundum eſt per vrinam, ac per ſedem aliquando aliquid carunculæ ſimile exire, quod vtpote dignum voluit Hippocr. in libro 4. aphoriſ. 26. memorare his verbis. A difficultate inteſtinorum habito, ſi veluti carunculæ exeant, letale eſt: & Galen. in commen. cum partes adeo magnæ inteſtinorum excernuntur in difficultate inteſtinorum, vt poſſimus eas carnes nominare; letalem ait eſſe morbum; cum neque caro concreſcere, neque cicatrix obduci in tali poſſit exulceratione. Et aph. 79. eiuſdem libri. Quibus in vrina craſſa exiſtente carunculæ paruæ, aut velut capilli vnà exeunt, his à renibus excernuntur. & Gal. in comm. Paruæ carunculæ renum ſubſtantiæ inditia ſunt.

De carnibus, quibus naſcimur.

Carnis, qua veſcimur, conſideratur ſubſtantia, & ea, quæ circa ſubſtantiam verſantur. in ſubſtantia carnis eſt materia, & forma, & ſpecies, quæ ex his reſultat: genus, totum, & partes. ea, quæ quidem circa ſubſtantiam exiſtunt, aue neceſſario inſunt, aut per accidens, neceſſariò comittantur ſpecies animalium, quorum carnibus homo ali-

tur,

tur,vt durities,& mollities,&c. quæ has conſequuntur,quæ ex materia originem ducunt.deinde caliditas,& humiditas, quæ naturaliter inſunt omnibus animalibus; quoniam vita eorum exiſtit per calidũ, & humidum ſpeciem verò neceſſario conſequitur maior,vel minor,vt ita dicam, nutribilitas, propterea quod quædã ſunt carnis ſpecies, quæ magis nutriunt quam aliæ. huic parti adiungitur ætas,ſexus, tempus robur animi & corporis,& cognatio. per accidens varò, ſed proprium circunſtant ſubſtantiam locus in quo viuit animal,diæta,qua vtitur, exercitatio,vt volatus auiũ,& greſſio terreſtrium quadrupedum,tẽpus,& cicuratio,aut feritas.ex his quidem partibus quæ ſunt ſubſtantia, & ea quæ circunſtant ſubſtantiam, ſumimus differentias carnium,quoniã aliæ magis concoquuntur à noſtro corpore quantum attinet ad ſubſtantiam carnis, hoc eſt, vel quantum ad materiam, vel ad formam, vel ad ſpeciem, aut quantum ſpectat ad circunſtantias,facilius, & difficilius concoquuntur.igitur caro tripliciter magis,& minus concoquitur à corpore, aut ſecundum ſubſtantiam,aut ſecundum actionem,aut ſecundum paſſionem. ſed quoniam caro, vt cõmedi poſſit præparatur, ac coquitur; illa coctio eſt elixatio, aut aſſatio, vel alind quod fit medium vtriuſque, aut quod participet de altero magis. & ambæ hæ præparationes ſunt ſimplices, vel conditæ,& quod ſunt ſpecies conditæ,tot ſunt differentiæ carnis,quo ad actionẽ, vel paſſionem præterea caro per ſe, vel condita, eſt ſolum cibus, vel cibus, & medicina, vt ſunt carnes elixæ quæ nutriunt, & humectant. quoad materiam attinet ſcribit Hipp.in lib.2.de diæt.pag.46.num.9. hoc præceptum. quorum animalium lac tenue eſt.& ſanguis ſimiliter,eorum & carnes cõſimiles ſunt.quo ad complexionẽ,animalia,quæ ſicca ſiunt,& robuſta ſiccant.quoad ſpeciem agninæ leuiores ſunt ouillis; & hœdinæ caprinis; quia exanguiores ſunt,ac humidiores: quo ad ætatem carnes dum teneræ ſunt,aluo ſecedunt: vbi verò augmentum ſumpſerint,nõ ſimiliter: & vitulinæ carnes eodem modo ſe ad bubulas habent.& num.12.eiuſdẽ lib.maſcula fœmineis ſunt ſiccióra,& caſtrata non caſtratis,& quæ in vigorem ſunt vetuſtis valde,ac iuuenculis, & nigra albis, & hirta nudis: contraria verò his humidiora ſunt.& hæc quo ad ætatẽ,ſexum,& nonulla inſeparabilia accidentia attinent. quo ad partes in eodẽ loco ſic legitur.Exanguiũ partium robuſtiſſimæ ſunt cerebrũ,& medulla. lęuiſſimæ verò carniũ partes ſunt capitales & ſub vẽtre,& muſculi, pectines, pedes,oua volucrũ robuſtũ quid habent, & alunt, & inflant. Quoad loca,animaliũ cicurũ ea,quæ in ſyluis, & agris paſcuntur,ſiccióra ſunt his,quę intra ędes: quia labore reſiccantur,itemque præ ſole,ac frigore,& ſpiritu ſiccióre nutriuntur.verũ ſyluęſtria ſiccióra ſunt mãſuetis. Quo ad diętã crudiuora, ac ſyluarum materia paſta, itemque parum edacia ſiccióra ſunt edacibus, & frugiuora herbiuoris, & paucibiba multibibis. quo ad manſuetudinem & feritatem ſcribitur in li.de Affe. pag.83.nu.46. ferinæ carnes mãſuetis leuiores ſunt, cõ & fructum non ſimilem edant. Quo ad motum,& exercitiũ in li.2.de dię.n.10.legitur, oĩa fermè volucrium genera ſiccióra ſunt,quã quadrupeda: quæcũque.n.veſicã nõ habẽt,neq; mingunt,neque ſputum, aut ſaliuã fundũt,omnia ſicca ſunt: propter caliditatẽ.n.ventris humiditas cõſumitur in alimentũ caliditatis.& n.11. Errones aũt.ſ.piſces & vndas verberantes laboribus fracti ſolidiorẽ carnẽ habẽt. Et nu.12. carnes hę fortiores ſunt,quę optime exercentur. Verùm hoc tibi ſit pręceptum.cũ carnis materiam ex.g. cõſideraueris, primò inſpice genus carnis, veluti piſcis,& auis,vel greſſibilis: ſecundo ſpeciẽ,vt agnorũ,& hędorũ. tertiò formã & compleſſionẽ, vtpote calida,vel frigida ẽ:quartò totũ carnis corpus:quintò partes,vt alę:pectus, caput: ſextò ętatẽ,ſicut caro vetuſta,& iuuenilis:ſeptimò ſexum, vt caro fœminę humidior eſt maſculo: octauo robur: quia animalia robuſta ſiccióra ſunt: nono cognationẽ; quoniam in eadẽ carnis ſpecie hęc, quàm illa melior eſt: decimo loco,vel vt carnis animaliũ, quę in aquis habitãt,& quę in terra: vndecimo tempus carnis,vel recens,& minime: duodecimo diętam,qua vtitur,exercitationem, & tandem manſuetudinem, atque feritatem. prętęrea,ſi cõpleſſionem cognoſcere volueris; materiã,formã,genus,ſpeciem,& alia omnia cõſidera. & hoc pacto compleſſio tibi innoteſcet. Sed ad carnis prępararionem veniamus. legitur in li. de Affect. nu. 45.Carnes coctę,ſi quidem percoctas feceris;debiliores ſunt,ac leuiores. & nu. 44. carnes percoctę, & aſſatę, vtręque debiles ſunt ad robur augendum.ad ſeceſſum verò percoctę commodę ſunt.aſſatę verò magis ſiſtunt.quę verò moderatam habent cocturã, & aſſaturam, hę ad robur, & ad ſeceſſum moderate ſe habent. at verò crudiores ad robur quidem commodæ ſunt; ſed non ad ſeceſſum. vnde in l.de Viſu ſcriptum eſt pag. 207. nu.3. fame ad multum tẽpus premito.vbi verò remiſerit;vnum,aut duo fruſta,prout maximè deuorare poteſt, de hepate bubulo crudo in melle tincto exhibeto. Aſſatę verò,vt inquit Hip.in l.de Affect. num.45. ſi exaſſatę fuerint, & inueteratę ex aceto, aut ſale, debiliores ſunt, & leuiores recentibus.at differẽtię carnis fiunt,prout varij erunt,prę parationum modi.quare in l.2.de diæ.pag.47.nu.16. carnes pingues æſtuoſæ ſunt;ſed aluum mouent.conditæ,ac aſſeruatæ in vino ſiccant,& alunt.ſiccãt quidem propter vinum,alunt propter carnem. in aceto aſſeruatę calfaciunt quidẽ,ſed minus propter acetũ: multũ nutriũt. at verò ſale ſeruatę minus quidẽ alũt humiditate per ſalẽ priuatæ. attenuãt aũt,& ſiccant ac ſufficienter aluũ mouent.& in l.3.de diæta.nu.17. his, quibus ſecedit cibus per aluum liquidus inconcoctus abſque dolore,vtendum eſt carnibus ſale, & aceto inueteratis. Porrò quibus conferat habitibus caro docet liber de ſalu.dię.pag.11.n.11.& dicit,fiunt alui profluuia,& recrementa ciborum ſpeciẽ referentia,& cruda his corporibus,quæ denſam carnem habent; cum ad carnium eſum homo cogitur: venæ.n. denſatæ cibos ingeſtos non ſuſcipiunt.at verò rariores,ac hirſutiores corporum ſpecies, ac habitus tum carnium,eſum ſuſcipiunt,tũ labores magis tolerant. Ex verbis igitur antea dictis manifeſtum ſit, quòd poſtquàm videris carnis ſubſtantiam, & ea, quæ ad ſubſtantiam ſpectant, conſideres carnis differentias ſecundum præparationis modos.

Caros,id eſt,ſopor.

Scribitur in li.3. pror.par.31.an cum caro quòque aphoniæ conuulſiuæ?

Caſeus.

Eadẽ rõne conſiderãdæ ſunt caſei facultates, qua-

carnium, tamen hoc loco describemus plura, quæ ab Hipp. memoriæ mandata sunt. legitur in l. de vict. ratione in mor. acu. com. 4. par. 91. caseus flatum parit, atque astrictionem, cibosque accendit, & crudum quoque incoctumque existit, atque his qui se potu repleuerunt deterrimũ est. & in lib. de affect. pag. 83. n. 49. caseus & sesamum & vua passa resiciunt, & pituitosa sunt. & in lib. 2. de diæta pag. 47. nu. 12. caseus robustus est, & æstuosus & alit. robustus quidem quia proximus est generationi. alit autem, quia carnosæ reliquiæ sunt lactis. æstuosus est, quia pinguis. aluum autem sistit, quia succo, & coagulo compactus est. & in lib. de vete. medi. pag. 6. nu. 37. caseus non omnes homines lædit; sed sunt, qui ex ipso repleti ne tantillum quidem offenduntur, imo gracilibus mirabiliter etiam conferre proditur. sunt autem qui difficulter summouentes ipsum ab eo liberantur. horum verò naturæ differunt, differuntque etiam iuxta hoc quod est in corpore, caseo contrarium: nam à caseo excitatur, & commouetur in ijs, quibus eiusmodi humor multus in corpore existit. & quo magis hic potens est, eo magis verisimile est, ipsos male affligi. si verò toti humanæ naturæ malus esset, omnes vtique læderet.

Cartilago.

Cum discissum fuerit os, aut cartilago, vel neruus, aut genæ particula tenuis, vel præputium; neque augetur, neque coalescit. vbi Gal. ait. augeri vocat Hip. talem aliquam generari substantiam qualis est abscissa, sicut in cauis vlceribus, videtur caro germinare: coalescere autem, quando discissi corporis labra agglutinantur. hæc in lib. 6. aph. 19.

Cataplasmata.

Cataplasmatum vsus artificiosus, & vtilis quis sit, legitur in l. de Medico pag. 7. nu. 10. quorum alia discutiunt, & maturant, sicut apparet in l. de Affectio. nu. 34. alia autem ad vulnera inflammata refrigerando conferunt, vt in eodem li. num. 37. & horum quædam anginæ fiunt vtilia, veluti scriptum est, nume. 18. quædam præterea tumoribus, & inflammationibus in circunsitis partibus, vt in l. de Vlce. nume. 7. sed nu. 2. eiusdem libri præcipitur, quòd, si cataplasmati in vlceribus opus esse visum fuerit; non ipsum vlcus cataplasmate integere oportet, sed circunsitas partes; quò pus decedat, & quæ indurata sunt molescant.

Catarrhus. l destillatio.

Catochi.

De catochis has percipe sententias. scriptum est in l. 2. pror. par. 48. in ardentibus febribus cum aliquantula perfrictione, deiectionibusque aquosæ bilis, multisque, oculorum peruersio signum malum, tum aliàs, tum si catochi fiant. & par. 55. eiusdem libri. Capite dolentes, cum catoche delirantes, intercepta aluo, oculoque feroci, & florescentes in scapulas rigent. Et num. 59. Quibus deurentia, fa tuitatem inferentia, inducentia catochen &c. Et in lib. 3. par. 4. Quæ cum exolutione fiũt, & catoche, & aphoniæ pernicioſæ sunt. & nu. 69. quæ conuulsiuo modo cum catoche exacerbantur, parotidas mouent.

Causa.

Causa est duplex; altera manifesta, altera nõ manifesta, quæ ad ratiocinationem spectat. l. de Vict. ratio. in mor. acu. com. 4. par. 54. 55.

Causus.

Causus est febris ardens, & est duplex alter exquisitus, alter nothus. fit, vt scribit Hip. in lib. de vict. ratione com. 4. par. 1. cum venulæ tempore æstiuo exsiccatæ acres, & biliosas, quæ tenues sunt trahunt ad se humiditates, quas ichoras vocant. sic in lib. 1. de mor. scribit. nu. 27. cum bilis commota fuerit per corpus, & contigerit, vt venæ, & sanguis attrahant bilem, eamque plurimam ex carnibus ac ventriculo, ad eum, qui prius inest, vtpote cum etiam natura calidissimus sanguis in corpore existat. cum itaque percaluerit ex carnibus, & ventriculo supra eum, qui iam inest ahuc magis a bile, percalfacit etiam reliquum corpus. & quædam sanè partes præ multa humiditate penitus resiccari non possunt. si verò resiccatæ fuerint; homo moritur. extremæ verò corporis partes, vtpote natura siccæ, resiccantur, & plurima humiditas ex ipsis oritur: & si ipsas contingere velis; frigidas comperies, ac siccas, quapropter hi, qui à febre ardente corripiuntur, internis quidem partibus à febri exuruntur, externis autem frigidi sunt. & lingua, & fauces ab interno spiritu, ac caliditate exasperantur, & arescunt, quantum autem in ventriculo, & in vesica inest bilis, quod quidem in ventriculo est, aliquando deorsum exturbatur, plerunque verò in primis diebus vomitur, aut in quatuor, aut quinque. vomitur autem hac de causa. cum supernus ventriculus supercalefactus fuerit, attrahit in se ipsum, & fit vomitus. & ob hoc etiam ex febre ardente, & ex pleuritide, ad peripneumoniam maxime morbi transmutantur: vbi enim supernus ventriculus supercalefactus fuerit, trahit in se ipsum & suscipit pulmo, & fit peripneumonia, & plerũque pereunt, nimirum debiles iam existentes, & morbo alio nouo insuper generato, dies transigere nequeũtes, donec sputum in pulumone concoquatur. verũ vt plurimum pereunt præ debilitate: aliqui tamen euadunt. at quibus in vesicam confluit quid bilis, his crassa vrina mingitur, crassa autẽ à pituita. bilosa verò alui egestio prodit; eo quod combusta sintea, quæ sunt in ventre.

Causam autẽ recenset Hip. in loco dicto de morbis acutis par. 3. & inquit. fit ex magna parte oblongum iter, & longam sitim. & in lib. de aere. &c. nu. 12. senioribus fiunt febres ardentes ob ventris duritiem. humor autem, vt dictum est, est bilis, & pituita: nam scribit Hip. in lib. 1. de mor. num. 27. febris ardens corripit magis bilioſos. corripit item pituitosos.

Signa porrò demonstrantia febrem acutam exquisitam explicat Hip. in lib. de Vict. ratione dicto. par. 4. com. 4. his verbis. fit & lingua aspera, sicca, & valde nigra, ventrisque morsus dolet, deiectionesque liquidæ, & pallidæ fiunt, vrgetque sitis vehemens, & vigiliæ, atque interdum mentis alienatione. & par. 2. febris vehemens habet, hoc est, quæ multam, & accerrimam habet qualitatem propter naturam tenuium humiditatum, corpusque veluti ab ossearia lassitudine habitum laborat, doletque propter tenuium acrimoniam, vt ibi ait Gal. & propterea ex quisita febris ardens fieri videtur à bile, notha vero a bile, & pituita; quoniam accidentia sunt remissiora: nam in prædicto com. 4. par. 13. inquit Hip. causi genus aliud, hoc est nothum aluus soluta. sitis ma-

gna

gna, lingua aspera sicca, salsa, vrinæ defectus, vigilia & refrigerata extrema.

Signa prognostica habentur in lib. 4. aph. 58. cuius verba sunt. à febre ardente habito rigore superueniente solutio. & in lib. 1. prior. par. 18. si in ardente febre aurium sonitus cum caligine fuerit prouenerit que in naribus grauitas mente ex melancholia aberrant. & in lib. 2. par. 35. dolor pectoris firmatus, & ægre auferibilis cum torpore malus, super febrientes hi si acute ardent moriuntur, & par. 48. in ardentib. febribus cum aliquantula perfrictione & deiectionibus aquosæ bilis multisque, oculorum peruersio, signum malum tum alias, tum si catochi fiant. & in lib. 1. par. 7. qui in hipocundrio refrigerata febre ardores relinquuntur tum alias, tum in sudoribus mali sunt. & in lib. de Coacis præno. num. 2. in febre ardente si aluus eruperit mortale. ex alui dolore laborioso febris ardens pernicioſa. tremores in febribus ardentibus mentis percussio soluit. in febre ardente fluxio sanguinis ex naribus quarta die mala est, si non aliud qui boni coinciderit. verum quinta minus periculosa. qui ex febribus ardentibus aliquantulum perfrigerantibus cum egestionibus alui aquosis, ac biliosis laborant oculis malum est, tum alias, tum si stupidi fiant. febris ardens rigore super accedente soluitur. febres ardentes recidiuare solent & vbi per dies quatuor significationem de se præbuerunt, postea exudant, sin minus septima die. febres ardentes quatuordecim dies diiudicant, aut alleuantes, aut perimentes. ex febre ardente abscessu purulento circa aurem non fiente, non valde seruantur. & postea inquit. soporosi ab initio exudantes, vrinis concoctis ardentes, verum citra iudicationem perfrigescentes, & breui rursus ardentes torpidi soporosi, conuulsi pernicioſe habent: & in lib 4. aphor. 54. quibus plurimum siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt; non multum siti infestantur. causam verò cur si moriantur qui febre ardenti laborant, moriautur, narrat Hip. in libro 1. de morb. num. 30. & inquit. quicunque ex febre ardēte moriūtur, omnes præ siccitate moriuntur, & reficcantur primum quidem extremæ ipsorum partes, manus, ac pedes, deinde partes sicciores. vbi autem humiditas ex corpore penitus exusta, & reficcata fuerit, sanguis quidem congelatur penitus, ac perfrigeratur: reliquum verò corpus exsiccatur, ac sic homo moritur. Quo autem tempore anni magis febres ardentes fiant, declarat Hip. in lib. 2. de noto. popu. sect. 1. his verbis. febres ardentes in æstiuis magis fiunt. & in alijs temporibus: sed reficcantur magis æstat.

Sed curam agrediamur. febrem ardentem ex quisi tā hoc pacto curat Hip. in li. de Vict. ratione in mor. acu. com. 4. par. 5. huic aquæ, mulsæque coctæ, & aquosæ quantum voluerit bibendum dabis. quod si os amarum fuerit, vomere confert, & ventrem subluere verum si ad hæc non aperiatur, lacte asinæ cocto purgabis. salsum autem nihil, neque acre exhibēdum: non enim descendet. sorbitionem verò nisi dies iudicatorij transierint non dabis. & si è naribus fluxerit sanguis, soluitur ægritudo: atque si sudores superuenerint iudicatorij legitimi cum vrinis albis crassisque, & leuibus subsidentijs, & si abscessus aliquis factus fuerit. verum si absque his soluatur reuertetur ægritudo, vel coxa, vel crus dolebit, expuetque crassa, si sanus est futurus. febrem verò ardentē non exquisitam, sed notham sic curat par. 27. causus hic, nisi sanguis è naribus fluxerit, vel circa collum abscessus fiat, vel crus doluerit, & æger sputa crassa excreauerit, hæc autem abstricta aluo fiunt. vel coxæ dolor, vel pudendi dolor, vel pudendi liuor superuenerit non iudicatur. testis quoque intensus iudicatorius existit. sorbitiones dato attracto rias. hoc tandem curetur febris ardens hisdem instrumentis cum quibus curantur morbi acuti; propterea quòd & ipsa est morbus acutus.

De Cerebro.

Cerebrū sedes, & metropolis est frigidi, ac glutinosi, calidum verò pinguis sedes, & metropolis est: quod. n. calescit primum omnium cum diffunditur pinguefit. & propterea cerebrum, quia minimū pinguitudinis habet, plurimū verò glutinositatis; à calido exūri non potest. sed tēpore tunicam membranā, crassam accepit: circum membranam verò ossa, quantum calidū superauit, & in quibus pinguitudo erat. hæc explicantur in lib. de carni. pag. 18. n. 4. verùm in l. de gland. pag. 26. n. 7. caput etiam ipsum glandulas habet, cerebrum nimirū simile glandulæ: est. n. cerebrum album, ac friabile, quemadmodum etiam glandulæ: & ob id incommoditatem capitis glandulas facit, & per relata à me, cerebrum auxilium ferens humiditatē aufert, & in extremitates foras ablegat per fluxiones ex magna parte. maius autem est cerebrum quam aliæ glandulæ: & capilli etiam maiores quam alij pili: maius. n. est cerebrum, & in amplo spatio in capite situm est. facit autē morbos, & minores, & maiores quam aliæ glandulæ. facit autem, cum in infernas corporis partes redundantiam, ac superfluitatem suam ablegarit. at verò membranæ cerebri duę sunt, vt legitur in l. de loc. in homi. pag. 30. nu. 5. altera superna crassior, altera tenuis cerebrum attingens, non amplius eadem permanens, postquam fuerit vulnerata. in qua parte autem capitis plurimum sit cerebrum dicit Hipp. in l. de cap. vul pag. 183. n. 4. esse in sincipite, & inouit. breuiore tempore moritur qui hac parte capitis vulnus habet: cerebrum enim & citissime, & maxime iuxta sinciput sentit mala, quæ & in carne, & in osse fiunt: sub tenuissimo enim osse, ac modica carne cerebrum est hac parte, & plurimum cerebrum sub sincipite iacet. etenim cerebrum propterea primum sentit; quia etiam morbi in ipsum irrunt, acutissimi, & maximi, ac præcipue lethales, & qui difficilem iudicationem habent apud inexpertos. hæc habes in l. de morbo sacro. pag. 59. nu. 18. & cum primum sentiat, in ipso primo manifestantur animæ opera, vt legitur in scripto de insania pag. 212. n. 30. & si primum in eo manifestæ fiunt animæ operationes. igitur, vt apparet in dic. lib. sac. num. 16. hoc scilicet cerebro sapimus maxime, ac intelligimus, & videmus, & audimus, & cognoscimus honesta, & turpia, bona, & mala, iucunda, & iniucunda, partim consuetudine discernentes, partim vtilitate percipientes. eodem voluptates & iniucunditates præ opportunitate dinoscimus. eodē & insanimus, & delyramus, & terrores, & timores nobis accedūt partim noctu partim interdiu, & insomnia, & errores intempestiui, & curæ inanes, & vt non noscamus adstantes, & desuetudo, & inexperientia. ex nulla alia nobis parte nobis contingunt, & lætitiæ, & ri-

sus,& lusus, quam ex cerebro:itemq; mœrores,& anxietates,tristitięque,ac eiulatus,& querelæ.atq; hæc omnia perpetimur à cerebro mala, cum sanum non fuerit,sed aut calidius,quam è natura fiat, aut frigidius,aut humidius,aut siccius,aut aliud quid perpetiatur præter naturam,& consuetudinem.& subdit. nume. 17. & propterea iudico cerebrum vim plurimum in homine habere: hoc enim est nobis eorum quæ ab aere fiunt interpres si sanum fuerit,sapientiã autem ipsi exhibet aer. oculi verò,& aures & lingua, & manus, & pedes qualia cerebrum statuit, ac cognoscit, talia submini strant. ad intelligentiam verò internuncius est cerebrum:cum.n.homo spiritum in se ipsum attraxerit; primum quidem ad cerebrum peruenit, & sic ad reliquum corpus aer dispergitur, relinquens in cerebro suum ipsius vigorem,& quicquid prudens ac sapientia præditum fuerit: si.n.in corpus primũ peruenirет, & posterius in cerebrum, relicta in carnibus, ac venis dimotione, aut iudicio, ad cerebrum calidus iam existens peruenirет, & non sincerus,ac purus, sed ammixto humore à carnibus, & sanguine vt non amplius exacte sincerus esset.quẽ admodum igitur prudentiam, ac aerem omnium primum,ex his quæ in corpore insunt percipit cerebrũ, sic etiam si qua mutatio fortior in aere cõtingat prę temporibus anni etiam ipsum à se ipso diuersum redditur in aere:etenim vt antea diximus cerebrum propterea primum sentit;quia etiam morbi in ipsum irruunt,acutissimi,& maximi,& præcipue læthales.& quando cerebrum sentit & ab illo sensibili alteratur, secundum aliquam passionem,non quiescit & ex inquietudine non sapit homo,verùm si alteretur spiritus cerebri ad aliquam qualitatum lædetur cerebrũ. deinde magis si humores ex quibus oriuntur spiritus immutabuntur:ac multo magis si substantia cerebri recipiet aliquam passionẽ.verum qnoniam ut in li.prædicto legitur n.6.cerebrum hominis duplex est medium ipsius diuidit membrana tenuis: quapropter non semper eadem pars capitis affecta est, sed altera, aliquando verò totum, sed & venæ in ipsum tendunt ex vniuerso corpore multæ ac tenues, duæ verò crassæ, altera ab hepate, altera de liene. nunc verò quo pacto à primordio afficiatur cerebrum narratur.nu.7.eiusdem lib. fic. fætu adhuc in vtero existente purgatur, & floresçit cerebrum, velut etiam aliæ partes, priusquam ignantur. in hac autem purgatione,si quidem probe ac moderate purgatum fuerit, & neque plus neque minus quam oportet defluxerit; hic fætus sanissimum caput habebit, si autem amplior colliquatio à toto cerebro facta fuerit, morbosum caput augescens fœtus habebit, & plenum sonitu & neque solem, neque frigus tollerabit. si verò ab vna aliqua parte colliquatio contigerit, aut ab oculo, aut ab aure, aut vena aliqua simul gracilis facta,ille sic afficitur, qualiter sanè colliquatio contigerit. si verò purgatio non contingat,sed in cerebro spissetur, ac cogatur; sic necesse est fœtus pituitosos esse.vnde vt legitur nu.9.cum accipit homo qui cerebrum habet pituitosum natura,vel accidente,per os,& nares spiritum siue aerem; primum quidem ad cerebrum venit, deinde verò in ventriculum magna ex parte, pars etiam ad pulmonem, & pars ad venas,qui ad vẽtriculum venit perfrigerat:& qui ad pulmonem. verò qui ad venas peruenit confert ingressus ad ventriculos. & ad cerebrum, atque sic sapientiam, & motum membris exhibet. sed vbi fuerit excluſus a venis aer præ pituita, eumque non susceperint; mutum ac desipientem hominem reddunt.sic eueniet si à natura fuerit cerebrum pituitosum: sed & per accidens mouetur, verùm multò magis,si moueri aptum sit mouetur,siue alteratur à caliditate,frigiditate,siccitate,& humiditate:dicit enim scriptum de Insania loco antea citato. Qui insanit,ei necesse est præ humiditate cerebrum, in quo animę sunt opera, moueri; vbi videlicet humidius, quam pro natura fuerit. eo verò commoto neque visum, neque auditum quiescere: sed alias alia & videre, & audire,& linguam talia loqui,qualia singulis vicibus viderit,ac audierit.quandiu verò cerebrum quieuerit; tandiu etiam homo sapit. at verò non solum humidius fit cerebrum, quam natura eius postulat; sed & calidius, & frigidius,& siccius. &,quando cerebrum dicimus, non modo ipsius substantia est intelligenda,sed humores,ex quibus nutritur spiritus, qui ab humoribus resultat, & temperies quoque: nam, si cerebri temperatur & spiritus afficiatur; patitur cerebrum aliquod malum breue: si humores; maius, ac longius: si cerebrum ipsum; vix curatur: quemadmodum cum calor febrilis solidas teneat partes: cæterùm, cum cerebri immutatur aut temperies,aut humores,aut substantia;dicitur ab Hip.moueri.quæ motus species est alteratio in principio,sed longi temporis tractu fit habitus. hæc verò alteratio appellatur ab eo corruptio siue in spiritibus, siue in humoribus,siue in substantia. si autem in spiritibus, nuncupatur affectio illa alteratio simplex,siue immutatio: si in humoribus; hi aut colliquescunt, aut crassescunt. si colliquescunt; fit destillatio,quæ vt legitur in l.de Glan. n. 9. est sordes, & purgamentum cerebri; si modica sit. si verò crassescat;id fit vel à calore, qui aperiendo separat subtile à crasso, & humidum à sicco: aut à frigore,quod comprimit inspissando, & humidum exprimit, & remanet crassum.si tãdem cerebri substantia afficiatur; id perpetitur aut per continuitatis solutionem de qua postea agemus: aut absque solutione. si absque; patitur à temperie commota ab extrinsecis,vt calore solis, vento, frigore,cibis,& alijs rebus,quas medici non naturales vocant: aut à spiritibus proprijs,qui alienis sint infecti: aut ab humoribus: & hoc pacto corrumpi dicitur cerebrum. idcirco legitur in prædicto scripto de Insania pag.212. n.30. fit corruptio cerebri à pituita, & bile. si autem bilis per venas sanguinarias procedens calefaciat cerebrum;terrores,& timores fiunt,insomnia vident horrenda,& facies velut in vigilante flãmescit, & oculi rubescunt, & mens aliquid mali operari cogitat: & hoc postquam cerebrum derepente à bile calfactum fuerit, & sanguine in prædictis venis efferuescente. hæc in scripto de Insania.at in l.2. de morb. pag 65. nu.5. corrumpitur cerebrum, cum aut nimiũ calefactum, aut perfrigeratum, biliosum, aut pituitosum plus solito factum fuerit. notæ sunt. dolor ex capite spinam occupat, & ad cor animi delinquium procedat,& sudor adest, & ex naribus sanguis fluit, animo linquitur;cum pituita, aut bilis ad cur consistit: consistere autem necesse est commotis, ac humectatis. sudor fit præ dolore. sanguis fluit cum calfactæ fuerint venæ, & sanguis in ipsis effer-

buerit

buerit. Et in eodem l. pag. 66. nu. 19. si cerebrum bile infestetur; febris emergit debilis, & rigor, & dolor per totum caput, & maxime ad tẽpora, ad sinciput, & ad regiones oculorũ & supercilia ipsis impendere videntur, & ad aures dolor procedit, & quandoque per nares bilis defluit, & oculos hebetes habent, & plerisque dolor ad dimidiam capitis partem extendi tur, quandoque per totum. Et num. 20. si cerebrum corruptum fuerit: dolor ex ceruicis neruo ad spinam tendit, & ad cor frigus descendit, & derepente nouus sudor adest, & per nares sanguis fluit. vomunt quoque multi. hic triduo moritur. & pauci effugiunt. curationem ibi lege, & superioris similiter nu. 19. sed & de alia cerebri corruptione loquitur, nu. 23. at verò in l. 3. de mor. pag. 71. num. 4. si cerebrum corruptum fuerit, dolor caput tenet, & per collum procedit ad spinam, & æger non audit, & frigus ad caput deuenit, & totus intumescit, & derepente priuatur voce, & ex naribus sanguis fluit, & liuidus fit. quòd si mor bus leuiter corripiat: vbi sanguis discessit, melius habet. si verò vehementer correptus fuerit cito perit. curationem ibi lege. Et in eodem li. nu. 1. cum cerebrum ad inflammationem tumuerit, totum caput occupat, maximè qua parte constiterit inflammatio. consistit autem in temporibus, & aures sonitu implentur, & auditus hebescit, & venæ extẽtæ sunt, ac pulsant. & febris, & rigor aliquando corripiunt, & dolor nunquam deficit; sed quandoque remittit, quandoque magis premit, & vociferatur, & exilit præ dolore, & vbi surrexit: rursus ad lectum decumbere festinat, & iactat se ipsum. hic lethaliter quidẽ affectus est. in quot verò diebus morietur, non habet iudicationem: nam alij aliter pereunt. plerunque tamen in septem diebus moriuntur. Si verò vigesimum primum effugerint: sani fiunt. curatio est per frigefacientia, quæ & in alia ibi lege. In l. de Coacis præno. pa. 177. col. 1. Cerebro corrupto alij in tribus diebus, alij in septem moriuntur. has verò si effugerint: seruantur. quibus autem ex his resectis, os dispa ratum repertum fuerit, hi pereunt. Et in l. 7. aph. 51. Quibus cerebrum sphacelatum, id est, corruptũ est, in tribus diebus pereunt: si verò hos euaserint: sani fiunt. Gal. autem in comm. dicit. Sphacelare ossa sæpius dixit in l. de Articulis pro corrumpere. hic verò non contingit cerebri audire corruptionem, cum adiectum sit, si verò has effugerint; sani fiunt: si enim sphacelus est corruptio substãtiæ vniuscuiusq; partis, quæ sphacelati dicitur, non contingit hunc, qui ita ægrotet, persanari. hæc Gal. at corruptio quandoque est caloris natiui, qui à materia superatur: quã doque significat putrefactionem rei. & propterea nõ semper corruptio dicitur de putrefactione totius rei sed vel de calore innato, vel de humoribus, vel de substantia rei, vel de his, quæ substantialiter coniuncta sunt cum re ipsa; putrefactio enim membri principis habet mortem comitem. quapropter, cum ab Hipp. dicitur cerebri corruptio non semper intelligitur putrefactio. quod quidem etiam palam fit in lib. de aere, aquis, & loc. pag. 37. num. 28. his verbis. si æstas ficca fuerit, & borealis, sequens verò autumnus pluuiosus, & australis; capitis dolores ad hyemẽ expectare conuenit, & cerebri corruptiones, ampliusque raucedines. hæc de cerebri corruptione scripsimus, quæ præsertim à bile fiat. sed qua ratione pituita cerebrũ lædat, enarrandum est. scribitur in l. de mor. sac. 58. num. 11. defluit scilicet pituita, & eliqua tur pueris maxime quibus sanè caput fuerit percalefactum, siue ab igne, siue etiam derepente inhorruerit cerebrum, etiam tunc pituita secernitur; eliquatur etenim per calorem, ac cerebri diffusionem, segregatur autem à frigore, ac concretione, & sic defluit. & quibusdam quidẽ defluxionis causa est hæc. alijs verò etiam vbi derepente post aquilonares ventos, auster flare cœperit, compactum, ac debile cerebrum derepente soluit, ac laxat, vt pituita redundet & sic defluxum facit. defluit insuper, & ex ignoto timore, si quidem timuerint, aut aliquo vociferante, cuius inter plorandum spiritum cito reuocare non potuerint. id quod pueris frequenter contingere solet quicquid sane horum ipsorum acciderit, statim horret corpus, & æger mutus factus: spiritum non trahit, sed spiritus quiescit, & cerebrum compin gitur, & sanguis consistit, & sic secernitur, ac defluit pituita, & pueris quidem hæc ipsæ causæ sunt, vt ab initio à sacro morbo corripiantur. Et. n. 2. senibus hyems infestissima est. quum enim ad multum ignem senex caput, & cerebrum percalefacerit, dein de in frigore versatus fuerit, ac inhorruerit, & ex fri gore ad calidum accesserit. & ad ignem desederit. idem hoc patitur: ac sic à morbo sacro apprehen ditur iuxta prædictũ modum. periculum verò mul tum est, vt & vere patiatur idem hoc: si caput fuerit insolatum. minimè autem æstate, non enim fiunt re pentinæ mutationes, & n. 13. postquam vero viginti anni præterierint, non amplius hic morbus corripit, præterquàm paucos, aut nullum, nisi ex puero con nutritus fuerit: venæ enim plenæ sunt: & cerebrum compactum est, & adstrictum, quare non defluit in venas. si vero defluxerit sanguinem nõ superat mul tum, ac calidum existentem. in quo vero à puero augumentum accepit, ac connutritus est, in eo per consuetudinem facit, vt in mutationibus ventorum patiatur, & vt plurimum morbo sacro corripiatur, præcipuè australi, ac humida aeris constitutione. & liberatio difficulter contingit, cerebrum enim humidius quàm ex natura fit, & præ pituita inundat vt defluxiones quidem frequentiores fiant, non autem amplius possibile sit pituitam excerni, neque cerebrum reficcari; sed perrigatur, & humidum existit. Et subdit. Cum autem ætatem adeptus fuerit, non amplius curabilis est: cerebrum enim eroditur à pituita, ac colliquatur. id verò quod colliquatur, aqua fit, & foris cerebrum ambit, & circumalluit, & propterea frequentius, ac facilius à morbo hoc corripiuntur. propterea verò diuturnus est morbus, quia id, quod influit venis tenue est præ multitudine, & statim superatur à sanguine, ac calescit. Et. n. 15. cum ab alteratione ventorum cuncta superentur; necesse est ab austris solui, ac humectari cerebrum, & venas laxiores reddi: ab aquilonijs verò flatibus, quod saniſsimum est in cerebro compingi, quod verò morbo. sissimum, ac humidissimum est, excerni, & forinsecus circumalluere, atque sic defluxus in horum ventorum mutationibus succedere. in lib. autem de structura ho. pag. 215. nu. 5. cerebrum à stomacho humectatur, & pituitæ exuberantiam peragit. & in lib. de Gland. pag. 26. num. 9. cerebrum eladem perfert sanum non existens. sed, siquidem rodatur; turbationem

nem multam sustinet, & mens desipit, & cerebrum conuellit, ac distrahit totum hominum, qui in seipso vocem non edit, at suffocatur. & hæc affectio syderatio, & Græcè apoplexia appellatur. aliquando autem acris quidem non est fluxio, sed copiosa in cerebrum irruens, ipsum affligit, & mens perturbatur, & homo circum ambulat, aliena cogitans, & aliena videns, perferens morbi mores, visis, risu, & peregrinis imaginationibus. si autem fluxio de capite descendat per aures, per oculos, per nares, per palatum in guttur & in gulam, & per venas in medullam spinalem, & in sanguinem. quare qui sint cerebri non sani, nec quiescentis causæ, quæ signa, & qua ratione morbi ab eo proficiscentes fiant cognouisti. hoc verò memoriæ manda calescentis cerebri signum est salsuginosus humor, quem cerebrum effundit, & qui aluum mouet. hoc videre potes in lib. 2. de morb. pa. 68. num. 46. & subdit. cum noctu ad os salsuginosus humor influit, medicamēta frequentiora ad nares appone. Fit tandem frigiditatis, & pituitæ ratione aqua in cerebro: cuius signa, & curationem quære pagi. 65. num. 15. libri prædicti. à causis quidem narratis fluxiones oboriuntur, colliquationes cerebri, ac tabes: consumitur enim cerebri substantia, vt dicit Hippoc. in lib. 6. de morb. popu. sect. 3. cerebri consumptio, propterea & caluities, & Galen. in comm. Mihi quidem videtur aliquid id genus significare; cum cerearum seipso minus plurimum fit. id quod illis euenit, qui siccius illud natura habuerint: tunc ab ossibus superiacentibus recedit. Nunc verò de soluta cerebri continuitate est agendum. reperimus in lib. 1. de morb. pag. 60. nu. 3. hæc. si cerebrum concussum fuerit, ac doluerit eius, qui percussus sit: necesse est euestigio motum fieri, & neque videre neque audire. si verò sauciatum fuerit febrem necesse est superuenire, & bilis vomitum & aliquam corporis partem, sideratam fieri, ac perire, & in lib. 7. aph. 59. quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri. & lib. 6. num. 50. quibuscunque præciditur cerebrum his necesse est febrem, & bilis vomitum superuenire. & aph. 18. eiusdem lib. vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo transuerso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, & iecore lathale est. & in lib. 7. aph. 51. quibus cerebrum sphacelatum. i. corruptum est, in tribus diebus pereunt, si verò hos euaserint, sani fiunt. & in lib 2. prædict. pag. 173. nu. 19. vulnera magis læthalia sunt quæ in venas crassas in collo, ac inguinibus infliguntur: deinde quæ in cerebrum, & in hepar. postea quæ in intestina, & vesicam: sunt autem hæc omnia pernicioſa valde, non tamen ita vt nemo ex his euadat, velut putatur. & in lib. de cap. vul. pag. 183. nu. 4. inquit vulnera circa sinciput esse lethaliora, & difficiliora, quam alibi in capite, & breuiori tempore moritur, qui moriturus est; cerebrum enim & citissime, & maxime iuxta sinciput sentit mala quæ & in carne, & in osse fiunt. curationem autem lege in eodem lib. num. 24. tandem ille aphorismus parti huic finem imponet, qui reperitur in lib. 5. aph. 18. frigida inimica ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calida verò vtilior. hæc eadem affirmat in lib. de humidi vsu pag. 54. num. 4. & reddit rationem, quæ est hæc; quia ab illa conuulsiones, tensiones, rigores febriles: quæ sane frigida facit, calida verò sedat.

De Ceruice.

Dicitur proprie ceruix pars colli posterior: tamen & sæpe pro collo scribitur. Ceruicis articulus, vt legitur in lib. de ossium natura, repandus est. huius affectus sunt tumor, rubor, dolor, frigus, sudor, & tēsio. quæ affectiones partim simplices sunt, partim comitantur morbos. dicit enim Hipp. in lib. de Vic. ratione. in mor. acutis par. 32. tendines quoque ceruicis posteriores contenduntur, apparentque tetani modo intendi. s. in hac anginæ specie, & in lib. prog. comm. 3. par. 16. Angina grauissima est, ac celerrime interficit, quæcunque nec in ceruice, nec in faucibus conspicuum aliquid efficit. & Gal. in com. ait. Ceruicem intelligit collum. & subdit par. 17. Quæcunque verò dolorem alteri subsimilem infert, attollitur verò. s. ceruix, ac rubent fauces, admodum exitiosa est. Et par. 18. si quibus fauces rubent, & ceruix, hæc. s. angina diuturnior est. Et in lib. 6. de mor. pop. sect. 7. Quibus verò etiam venæ circa tempora, & ceruicem attollebantur, his aliquantū malę erāt. s. anginæ. pessimæ verò his, quibus & spiritus sublimis. Et in lib. 2. pror. par. 40. ceruicis dolor malus quidem in febre omni, sed pessimus quibus insania asperatur, & lib. 3. part. 3. Quibus manus tremulæ, capitis, ceruicisque, idest colli dolores, subsurdique fiunt, & nigra, densataque meiunt: his ventura expectare nigra pernicioſum. Et par. 6. eiusdem libri. Ex ceruicis dolore cum comate, & sudore, venter inflatus si ad necessitatem liquida dimiserit sublutus, ex his bile carentia in ecstasin aguntur. Et par. 21. Cubiti, & ceruicis dolores conuulsiui; à facie autem hi, atque in faucibus, sonitus multi. sudores in his per somnos boni. an & sudore quamplurimos leuari non malum. Et in lib. de Vict. ratio. in mor. acut. com. 4. par 63. Quòd si & alia facilia fuerint: pedum dolores sunt expectandi: qui si pedem afflecerint, & doloroſus perseueret, inflammeturque, & non leuetur; dolores post paulò ad ceruicem peruenient, clauiculamque, & pectus, & articulum. Et par. 62. eiusdem. cum in febribus quinta die terrificum quippiā fuerit, vel venter repente liquida deiecerit, & animæ defectus prehenderit, vel vocis priuatio, vel conuellatur æger, vel singultiat; ex his angi, grauiterque affici consueuit, sudoresque circa tum mustacem, tum faciem, tum ceruicem ab occipitio esse consueuerūt. cum autem hæc patiuntur, spirituoſi paulo post morientur. Et par. 83. cum ob tendines vehementer in anteriorem reuelluntur partem, sudoreſque circa ceruicem, faciemque oriuntur, morsis ob laborem, arescentibusque his, qui ad caudam vergunt tendinibus, crassissimi hi spinam continuant, qua maximè enatæ copulæ ad pedes vsque finiuntur. Verùm in par. 46. eiusdem de frigore ceruicis mentionem facit, & inquit. Consueuerunt febres hę protrahi, & abscessus habere; si auriū quidem, ceruicisq; infernę partes frigidæ fuerint. quod, si frigidę non fuerint; profecto mutationes habebūt: nempe fluit è naribus sanguis, & ventres turbantur. Et in l. 3. pror. par. 20. Ceruicis, dorsique perfrictiones apparentes per totum corpus, in his & spumoſæ vrinarum excretiones cum animę deliquio, atque in oculis totius lucis impedimentum conuulsionem prope esse indicant.

Ceruus.

Caro

Caro cerui, vt legitur in l.2. de Diæ.pag.46.nu.9. siccat, minus autem secedit magisque vrinam prolicit & in lib.de nat.mulieb.nu.29.medullam cerui, & adipem liquefacito, & in lana apponito.

Chirurgia.

Ex cognitione alterius contrarij cognoscitur alterum.ideo si scies, quæ in chirurgia non recte fiant, cognosces & quæ recte enarrantur. in lib.1. de mor. pag.60. nu.5.hæc.pus in vlcere,aut tuberculo existēs non cognoscere, & fracturas, atque luxationes non cognoscere, & specillo admoto ad caput nō cognoscere,an os fractum sit: & fistulam in uesica imissam demittere non posse,& lapidē.In vesica existentē nō cognoscere,& suppuratum existentem ex concussione non dinoscere,& secando,aut vrendo, aut à profunditate, aut longitudine aberrare; aut vrere,& secare,quæ non oportet. quæ verò ad chirurgiæ officinam pertinent lege in li. de Chirurgiæ officina pag. 185.nu.1.& in lib. de medico.pag.6. n.2.& 3.vbi apparet chirurgiæ errorem turpem esse,quando velis, non consequeris: ac chirurgiam æreis instrumentis non vti debere, ne ægrotis onerosus esse videaris.& in lib.de decenti ornatu.pag.8.n.6.& 7.& 8.quæ chirurgiæ comperant percipitur. sed in alijs libris quoquæ chirurgicis habebis præcepta præclarissima.verùm obseruato illud præcipuum, quod in Iure iurando describitur. nec calculo laborantes secabo,sed viris chirurgiæ operarijs eius rei faciendæ locum dabo. & in l de Flatibus,pag 39.nu.1.quæcunque quidem manuum opera exigunt ad ea consuetudine peruenienduṁ:est enim vsus ipse egregius manuū exercitator,& magister.

Cholera.

Cholera quædam dicitur sicca,& quædam cholera simpliciter.de cholera sicca scribitur in li. de uict. ratione in mor. acutis nume.56.silphij caulis,& succus quibusdam quidem maxime, in expertis autem non transit per ventrem.verùm vocatur hoc malum cholera sicca. fit autem maximè vbi cum multo caseo mixtus fuerit,aut cū carnis bubulæ esu; nam atra biliariæ affectiones à bubularum carnium esu exacerbantur; est enim insuperabilis ipsarum natura,& non cuiusuis ventriculi est ipsas concoquere.in lib. autem 5.de mor.popu.n.27. Bianti pugili cum natura vorax esset, contigit vt in affectiones cholericas, bilis sursum,ac deorsum exeuntis delaberetur ex carnis esu; maxime vero ex porcinis carnibus crudioribus atque ex ebrietate vini odorati, atque placentis, ac dulciarijs ex melle, ex cocumere, pepone, & polenta recenti. in æstate verò affectiones cholericæ & febres intermittentes,& nu.29.eiusdem lib. Eutychides ex cholericis affectionibus in cruribus ad neruorum destentionem desinit, vnà cum secessu deorsum. bilem abunde multam coloratam vomuit ad tres dies,ac noctes, valdeque rubram;& impotens erat, & anxius. nihil autem continere poterat,neque ex potibus, neque ex cibis; & vrinæ ac trā situs deorsum suppressio multa; per vomitum fex mollis prodiit, & deorsum quoque erupit.at in li.7. de mor.popul.n.40. cholericæ bilis sursum ac deorsum eruptiones ex carnis esu maximè suillæ crudioris,& ex cicere, & ex ebrietate vini odorati veteris, & insolatione,& ex sepijs,& locustis, & gammaris, & ex olerum esu maxime porri, & ceparum; insuper &à lactucis coctis,& brassica, & rumicibus crudioribus,& à placentis,ac dulciarijs,& mellitis, & libis, & à fructibus pomorum, & cucumere, pepone, & vino lactei temporis,& eruo, & polenta recenti. cholericæ affectiones magis in æstate fiunt,& febres intermittentes,& quibus horrores accedunt. & quandoque malignæ fiunt,& ad morbos acutos perueniunt, verùm cauere oportet. iudicat autem tales morbos maxime quinta, septima, & nona dies. melius tamen est cauere vsque ad decimamquartam. & in li.5.de mor.popul.n.4. Athenis virum cholera corripuit, vomebatque, & deorsum egerebat. & dolebat, & neque vomitus neque per aluum secessus fisti poterat,& vox ipsum destituebat; & ex lecto moueri non poterat, & oculi caliginosi, ac caui erant, & conuulsiones tenebat ab aluo,& intestino,& singultus.verum secessus multum copiosior erat quàm vomitus.hic veratrum in succo lentium bibit,& alterū lentium succum insuper bibit quantum potuit,& posteat vomuit: & coacta sunt, ac adstricta ipsi ambo: frigidus autem factus est, & lauit inferne vsque ad pudenda calida valde multa, donec etiam supernæ partes calefactæ sunt,& viuebat. postea verò die polentam bibit ex aqua.

De cibo.

De cibi substantiu, de his,quæ circam eius substātiam existunt, ac de his, quorum obiectus est cibus, & quæ ipsum suscipiunt,sic differit Hip.cibus est illud crassum,ac robustum alimentum,quod naturalē habet aptitudinem,vt conuertatur,& alteretur à cibato ita,vt sit cum eo idem specie. Est crassum,ac robustum; propterea quòd potio,& sorbitio sunt alimenta:tamen nec crassa,nec robusta sunt.Habet naturalem aptitudinem is cibus, qui similis fit cibato. fit similis, qui sensui gustus, tactus gratus est, ac iucundus omnino, quemadmodum comprehendi potest ex l.de Vete.med.n.16.& is est propinquus naturæ humanæ: longinquus enim est inimicus. & talis non comeditur, aut cum nulla delectatione comeditur. similitudo autem est conuenientia inter cibum, & cibatum à tota substantia: sit igitur cibus homini idoneus is,qui potentia, hoc est,in primis qualitatibus,in secundis,tertijs,ac quartis conuertatur in substantiam eius: potest.n.fieri, vt,si aliqua harum desideretur,in cibo;sit vni animali cibus, alteri venenū, aut,si non absolute venenum;sit cibus saltem,& medicamentum,aut is cibus, qui arte opus habeat, vt vere cibus fiat: nam cibus sunt pruna dulcia ratione primarum qualitatum temperatarum, & secundarum: sed fortè aliarum est medicamentum purgans.sic caro est cibus,verùm coctura indiget.idcirco triplex est cibus, nempe cibus simplex,cibus medicamentosus, & cibus arte paratus. Verùm cibus, qui sit naturæ humanæ commodus, ac necessarius, in primis qualitatibus sit temperatus, aut parum excedat: etenim dicit Hipp.in l.de Vete.med.pag.5. n.25.omnia,quæ edit,aut bibit homo talia edulia palam est minime hoc intemperato, & dissidente, ac excedente succo participare, velut sunt panis,& maza, & his similia, quibus adsuetus est homo plurimis,& semper vti. Et n.26.robur,& augmentum,ac alimentum præsertim per nihil aliud contingit,quō quod probe temperatum est, & nihil habet intemperatum, neque forte: sed totum vnum factum

est,

est,& simplex,& non forte:attamen potius tendit cibus ad caliditatem,& humiditatem;propterea quod vita existit per calidum, & humidum: nam legitur in lib.1.de diæ. pag.42.nu.4. Ignis omnia per omnia mouere potest, aqua verò omnia per omnia nutrire. at caliditas, & humiditas simul non perueniunt ad quartum gradum;quia caliditas exiccaret,vel in vapores verteret humiditatẽ,& in tertio vim ei exhiberet siccam magis,quam humidam.vsque igitur ad secũdum sint calidi,& humidi. quod,si humidi sint; & molles actu vel potentia: & si calidi tẽperate;pingues,vel dulces.præterea, si calidi; erunt penetrantes. si pingues, vel dulces; facilius trahuntur.si humidi,& molles;perfecte concoquuntur,facile penetrant ad omnia membra, & cito in eorum naturam conuertuntur, & eis assimilantur. ex quibus omnibus exurget quarta qualitas, quæ dicitur à tota specie,à qua nutritur animal.Cibus igitur optimus est, qui calidus, & humidus fit temperate, mollis actu, vel potentia, & pinguis, vel dulcis ita, vt perfecte concoquatur in instrumentis coctioni inseruientibus,facile penetret ad omnia membra nutrienda, & cito in eorum conuertatur naturam,& eius assimiletur.contra,si cibus fuerit frigidus; non cibus,sed & medicamentum erit, quemadmodum legitur in lib. de Salu.diæta pag.12.num.1.his verbis. Aestate maza molli nutriatur, & potu aquoso, ac multo obsonijs omnibus coctis. Sic autem his vbi æstas fuerit, vti oportet; vt frigidum sit corpus,& molle:tempus enim calidum est, & siccum, & facit corpora æstuosa,ac squallida.Et in l.3.de diæ.pag.49.num.5.in solstitio æstiuo adimas omnia,quæ sicca sunt,& calida, & nigra,ac meraca, itemque panes, nisi quandoque voluptatis gratia.sequenti verò tempore vtetur mollibus,& humidis,& perfrigerantibus, ac albis vsque ad Arcturi exortum. & in lib. de lo. in hom.pag.32. num.33. Et,postquam anterioribus capitis partibus excalfactus fuerit; cibos edat quàm pituitosissimos, ac minime ventrem subducentes: quo fluxionũ meatus in anteriore capitis parte quàm maximè dilatentur.Et nu.36.eiusdem l.cum splen prę febre magnus factus fuerit;sic sanare oportet. medicamenta in potu exhibenda sunt, & edulia quàm pituitosissima offerenda.verùm,si cibi fuerint frigidi;huiusmodi frigiditas existet in subiecto humido, aut sicco.si igitur cibus fuerit frigidus,& humidus;erit incoctus,liquidus,ac mollis:& idcirco naturæ humanæ contrarius, quæ calida est, & humida humiditate ea, quæ consistit ob debitam coctionem,ac permixtionem cum sicitate.necesse est igitur omnia edulia concocta esse à natura;vel ab arte:nam ait Hipp.in lib.de Vete.med. nu.12 Homo non fortis naturæ, qui triticum edat, quod ex area sustulit crudum, & non elaboratum, & carnes crudas, & bibit aquam, hoc victu vtens, multa,& grauia perpetietur: nam & doloribus vexabitur,& corpus debile euadet,& venter corrumpetur,& multo tempore viuere non poterit. & in lib. de Affect.pag.83.num.49. asserit cibos non frigidos, sed calidos,& siccos, vel humidos pharmaci naturã sapere,cum ait. Calidi cibi,& sicci sistunt: humorem enim in ventre resiccant.Si verò humidi sint;humectantes per caliditatem aluum subducunt. Et nu.50. stabiles;& aluum sistentes cibi,& calescunt,& calefacti celeriter resiccantur, ac compinguntur, & propterea obduri facti non secedunt.Et num.45.siccus humor à siccis cibis ortus corpus siccat.Frigida porrò, & sicca edulia incõmoda sunt tũ ob frigiditatẽ, quę sentiẽs corpus lædit,tum ob siccitatem,quæ siccat, induratque. attamen quandoque condimenti gratia conferunt, velut cibus acidus, acetosusque gustum excitat, quemadmodum pluribus in locis affirmat Hip.Cæterum qualitates secundæ, quæ ex calido & sicco corpore prouenitunt, habent vires actiuas, quæ sunt sapor salsus,amarus,& acutus,siue acris: & passiuas, & hæ sunt durities cibi, crassities, viscositas, condensatio,grauitas,& quæ sunt his contrariæ,veluti mollities,tenuitas;liquiditas, raritas, leuitas,& id generis: quæ quidem proficiscuntur etiã à frigiditate,& humiditate:at modo oppositò. qui igitur cibi ex aliqua harum constant qualitatum tum naturalium,tum arte paratarum, hi hominem ledunt:propterea quòd non verè sunt cibi. idcirco scribit Hip. in lib.de Vete.med.pag.5.nu.25.Ex cibis quicunque nobis incommodi sunt,& ingesti hominem lædunt; horum vnusquisque aut amarus est, & meracus, ac intemperatus, aut salsus, aut acidus, aut alius quis intemperatus, & fortis: & propterea turbamur ab ipsis, sicut etiam ab his, quæ ex corpore excernuntur. Et in lib. de med.purg.pag.41.num.1.Sinceros, & acidos siquis citra delectum, ac inconsiderate exhibeat; nihil commodi proficient. præterea potentiæ passiuæ, quæ plurimum actuas comitantur prędictas,odio sunt humanæ naturæ: sicut cibus mollis facile secedit;sic durus,crassus, ac viscosus lædit hominem, & quemadmodum ex mollitie fit cibus leuis,ac debilis: contrà crassities facit cibum grauem, atque robustum. vnde Hipp.in lib.de Affect.pag.82. num.44.leuissima sunt & cibaria, & potus, & obsonia, quæ moderata in corpus ingena, aut paulò amplius supra modum, neque repletionem exhibent, neque tormen, neque flatum,neque aliud quiddam eiusmodi, & celerrime concoquuntur, & concocta secedunt; & per omnem diem in ventrem ingesta minime molesta sunt; etiam si diu antea fuerint ingesta. Et num.46.Debiles, ac leues cibi ventrem quidem non lædunt, neque corpus: eo quòd calefacti non intumescunt, neque replent; sed cito molliscunt, & concocti secedunt. humiditas autem ab ipsis debilis corpori accedit: & neque augent,neque robur memorabile exhibent. Deinde de graui cibo hæc scribit. Fortes cibi & intumescunt, vbi in ventrem ingesti fuerint, & replent, & difficilius quidem,ac tardius concoquuntur, & non secedunt. Et num.44.Grauia autem sunt, quæ moderate exhibita,aut infra modum, repletionem, & dolorem exhibent:& quæ neque edi,neque bibi possunt,vt non dolorem exhibeant. & si quis ipsa per tempus rursus bibat, aut edat; etiam sic dolorem exhibent,& non pro ratione secedunt. Docet etiam in libr. de Veter. med. num.7. quis sit fortis cibus, his verbis. Quæ inuenta sunt edulia, multa arte excogitata, & multo tempore producta mihi esse videntur, cum multa,& grauia ex robusto, ac ferino victu homines paterentur: qui intemperatas, & magnas vires habens ingerebatur; qualia sanè etiam nunc ex ipso paterentur,doloribus vehementibus,& morbis obnoxij deinde ibi declarat, quæ sint edulia leuia, & grauia in rebus, & inquit. Carnes coctæ, siquidem

dem per coctus feceris; debelliores sunt, ac leuiores. assatæ verò si exassatæ fuerint, & inueteratæ ex aceto, aut sale; debiliores sunt, & leuiores recentibus. Et num. 46. ex carnibus leuissimæ sunt in corpus caninæ, & volucrium, & leporinæ coctæ. graues autem sunt bubulæ. suillæ his, qui laborant, & exercitantur, & ad bonum habitum, & ad robur commodæ sunt: debilibus autem, & priuatam vitam degentibus fortiores. sed & ferinæ mansuetis leuiores sunt, eo quod fructum non similem edunt. at plura ibi lege, & in libro prædicto de affect. nu. 45. Ex veris igitur Hip. narratis, & quæ sparsim scribūtur facile cognoscere possumus plurima cibaria salsa, acida, austera, pontica, amara, & acuta grauia esse: itemq; dura, crassa, viscosa, densa, ac ponderosa; & idcirco noxia homini esse, & quæcunque alia præter ea, quę sub data cadunt definitione. hæc tantummodo sunt ad restaurationem deperditi, atque ad conseruationem animalis, & ad sanitatem: eo quod temperata sunt, &, vt palam fit in lib. de Vete. med. nume. 26. qui cibus est probe temperatus, alit, auget, & corrobo rat. Et in lib. de Aff. ct. num. 44. recitat ab effectu quisnam sit is, cum ait. Quæcunque venter superat, & corpus ipsa suscipit, ea neque flatum exhibent neque tormen. & infra subdit. Ad sanitatem optima sunt, quæ modice ingesta sufficiunt, vt & famis, & sitis sint medela: & plurimo tempore corpus ipsa suscipit, & pro ratione secedunt. & subdit. Quæcūque cibari, aut potus, aut obsonia corpus suscipit, ab his maxime neque tormen fit, neque flatus, neque ructus acidus: cum enim in ventrem ingesta fuerint corpus ab his trahit quod ipsi commodum est, & necesse est iam quod restat, debilius esse, quam vt tormen, aut flatum, aut aliud quid huiusmodi in vētre faciat. verum, vt legitur in lib. 4. de mor. pag. 75. nu. 3. in omnibus cibis, ac potibus & bilioſi quid est, & aquoſi, & sanguinei, & pituitoſi, in alio plus, in alio minus. quapropter & quæ eduntur, ac bibūtur, alia aliis præstant ad sanitatem. Et in l. 1. de diæ. pag. 42. num. 2. scriptum est. Homo edens sanus esse non potest, nisi etiam laboret: contrarias enim inter se vires habent cibi, & labores. verum inter se mixti cō ferunt ad sanitatem: labores enim ea, quæ insunt cō sumere solent: cibi autem, & potus ea, quæ euacuata sunt, explent. causam verò si quæramus, cur labor sit necessarius, est; quia omne alimentum partim est simile alito, & partim dissimile. simile est in eo, ꝙ patitur, ac superatur à ventre; dissimile in eo, quod agit, & superat corpus. & hoc manifestum fit non in ventriculo primo, in quem statim ingeritur alimentum, sed in alijs ventribus, hoc est, cauitatibus, quæ suscipiunt alimentum, & concoquuut. & propterea legitur in l. 2. de diæ. pag. 48. num. 28. cursus lōgi, ac curui sensim facti calfacientes carnē, concoquere ac diffundere possunt, & vim ciborum in carne concoquunt. at nec labor superet cibos: eo quòd in lib. 3. de diæ. pag. 50. num. 7. sunt hæc verba. Antequam ægrotent, fit cognitio quid corpora perpetiantur, vtrum cibus superat labores, aut labores cibos, aut moderate inter se habeant: vtrum enim tandem superetur; morbi fiunt, ab æqualitate autem inter ipsa mutua sanitas adest. sed ad rem. legitur in lib. de Aff. nu. 44. ad robur optima sunt cibaria, quæ carnem plurimam, ac densissimam producunt, & sanguinē crassefaciunt, & pro ingestorum ratione secedunt: & corpus plurimo tempore ipsa suscipit. Et paulò infrà. Carnes percoctæ, & exassatæ vtræque debiles sunt ad robur augendum. ad secessum verò percoctę commodæ sunt: assatę verò magis sistunt. quę verò moderatam habent & coctura. & assatura, hæ & ad robur, & ad secessum moderate se habent. at verò crudiores ad robur, quidem commodæ sunt, sed non ad secessum. Et nu. 46. fortium ciborum humor fortior, ac incorruptus accedens multum robur, ac augmentum corpori addit. Et paulo infrà. Ex his. s. piscibus fortes dato, vbi reficere aliquem voles: leues verò, vbi gracilē, & tenuē facere oportuerit. hinc vide quid significet cibū in aph. 62. septimi libri, qui ait. Siquis cibū febricitāti dederit, vt sano robur, sic ægro morbus. s. auget, vel efficit. Præterea vsui est cibus his, qui purgari volunt: siquidem dicat Hip. in l. 4. aph. 13. Ad elleboros, qui non facile supra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda sunt, hoc est, præparanda. cibus aūt, vt ibi exponit Gal. sit is, qui nullam fortē habeat qualitatem, hoc est, neque acerbam, neque acrē, neque salsam, neque amaram: nā hic forte appellandus est cibus medicinalis. Habemus igitur cibū, qui ad nutritionē, & ad sanitatem idoneus sit, huiusmodi fore, qualis est antea descriptus: itidem qui ad corporū conualescētium refectiones, & qui leues sint: ad robur autem, & ad augmentū fortiores, ac crassiores: ad corpora euacuationi præparanda plures, ac nullis fortibus qualitatibus præditi. hi quidem sunt fines, & formæ ciborum, qui fines quoque sicut nō vnus, tñ ad vnum tendunt, qui est restauratio deperditi; sic ciborum non vna est differentia: verùm tandem refertur ad vnam: nam cibi optimi ad temperiem in qualitatibus tendunt: non optimi superant temperiem; quia alij sunt leues, alij graues: & optimus locum medium occupat inter hos. &, quemadmodum alimenti species sunt tres, potus scilicet, sorbitio, & cibus; sic cibus tres habet differentias: reperitur enim cibus potabilis, velut aqua carnis, cibus sorbilis, veluti carnis contusum, ac tandem cibus crassus, vt caro non contusa: primus est leuis, tertius est grauis; secundus medium tenet locum. de his mentionem pluries facit Hipp. in li. de diæ. de morbis, de Affectio. de mor. vul. ac de vict. ra. in mor. acu. Hæc interea memoriæ mandes velim, quæ enarrantur in l. de Affect. pag. 83. nu. 52. quæ sunt. Cibaria, & potus, & obsonia, excepto pane, & maza, & carnibus, & piscibus, & vino, & aqua, reliqua omnia tenues, ac debiles vtilitates exhibent ad augumentum, & ad robur, & sanitatem: tenuia item, ac debilia mala ab ipsis fiunt. Quo autem in loco scribat Hip. de cibis, qui ad nutritionem, ad augmentum, ad sanitatem, & ad robur faciant, diximus; itidem de his, qui humectent, & de his qui ex morbo reualescentes refocillēt: sed qui conferant humectationi, leguntur in l. de Affect. pag. 82. nu. 40. quæ refocillent ibidem. nu. 41. sed & sicut cibi efficiunt nutritionem, augmentum, refocillationem, robur, & sanitatem: sic vice versa non nutriunt, non augent, non refocillant, non corroborant, sed morbum faciunt: etenim scriptum est in lib. de lo. in ho. pag. 30. num. 2. Cum venter egestionem moderatam non fecerit, & in ipsum cibus ingeratur; humiditate ciborum ingestorum corpus irrigat. ipsa autem humidi-

miditas à ventre obstructa, aceruatim ad caput viam facit, & alia, quæ ibi lege. Et in lib. 5. de morb. pop. pag. 141. num. 15. In calidissimo tempore edens fructus pomorum, & alios cibos non conferentes à febre correptus est, & à ventris profluuio, & mortuus est. Et in l. 2. aph. 36. Qui salubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati cito exoluuntur: & qui prauo vtuntur cibo. Et in l. 6. de morb. pop. sect. 5. Debiliores cibi breuem vitam habent. i. vt exponit Gal. in com. imbecillis cibus intelligitur, qui parum alimenti corpori tribuit. huiusmodi sunt olera, & fructus plurimi. hi ea natura sunt, vt ipsis vescentes breuis vitæ reddant; cum celerrime euacuentur è corpore. at breui repetamus ea, quæ longiori sermone prolata sunt. Cibus quo ad substantiam alius est naturalis, alius secundum necessitatem, & alius arte paratus. hanc diuisionem habes in li. 1. de diæ. n. 1. naturalis potentias habet materiales, formales, & specificas: & harum vnaquæque immutatur à sexu, à cognitione, & ab ætate, à loco, & à studio, siue exercitio: propterea quòd caro pulli maris calidior, & siccior est, quàm fœminæ: & pullus columbaceus calidior est, & siccior quam pullus gallinaceus: & ob exercitationem, & victum palumbus multo magis, quàm columbus: & magis iuuenis, quàm senex. & in regione calida & sicca, quàm in frigida, & humida. sic lapides: & terræ nascentia omnia, quæ ad cibi vsum veniunt, vt ligna, radices, folia, flores, fructusque. Materialis verò potentia alia est dura, alia mollis, vt caro bouis, & pulli: & ambæ vel crassæ, vt carnes bubule: vel subtiles, vt pullorum: vel mediocres, sicut agninæ. primæ dicuntur cibi graues, & secundæ leues: tertiæ medio modo se habent. & hæ tales sunt aut à natura, veluti bubulæ carnes natura crassę, at mares crassiores, aut antiqui, aut diu exercitati, aut in regione sicca degentes crassi sunt cibi; tum quoniam difficulter superantur à corpore, tum quia ex his crassus fit sanguis: tum quia tandem nostrum vincunt corpus. verùm materia dura si crassa sit; crassitiem adepta est à calore, qui euaporauit humiditatem: aut à frigore, quod eam expressit. & à quocunque horum facta sit, est grauis cibus. attamen quę à calore orta est, facilius coquitur, assimilatur, & apponitur partibus similaribus; propterea quòd earum concoctio fit incrassando. sed in ventriculo, & in hepate difficulter concoquitur ob acrimoniam, quam in cibo reliquit calor: quæ mordet, exiccat, ac consumit eorũ corpora. crassefacta verò à frigore difficillima est ad concoctionem: siquidem durities ac crassities materiæ resistat calori concoquenti, imò eum obtundat, ac membra inseruientia angat, & grauet: frigiditas porrò relicta frigefaciat, stupefaciat, incrasset, humorem omnium crassissimum ex se efficiat: hæc eo grauiora erunt, si ætas ingraueſcens, aut sexus sit masculinus, aut vehemens fuerit corporis exercitatio, aut locus siccus. sin dura sit materia, & subtilis ob cal. vel frig. vel ab vtrunque; aperit, penetrat, pungit, vlcerat, difficulter vincitur à corporis partibus: propterea quòd neque in primis instrumentis concoctionem efficientibus, neque in secundis, neque in tertijs habet locum commodum, sed lædit omnia, veluti acetũ non medicamenti ratione, sed cibi causa adhibitum prædicta adfert nocumenta: itemque zingiber, & id generis: de eò maius est nocumentum, si tempus, sexus, locus, cognitio, ac studium his accedat. at verò mediocris cibi materia inter has medium occupat locũ. cęterum materia mollis & crassa, siue viscosa à cal. victa probe coquitur in primis concoctionis instrumentis, in secundis ex se fit sanguis crassus, in tertijs dat nutrimẽtum, augmẽtum, & robur, dummodo sit nona, in loco temperato, & non omnino ociosa. contrà; si frigus crassum reddidit. mollis verò, & subtilis si est à cal. non facile vincitur à corpore, sed per omnes partes pertransit, & parũ nutrit: si verò à frig. lędit; quia stupefacit, & obtũdit penetrãdo. concausa huius. effectuũ est ætas, & aliæ consequentes. Verum quæuis materia siue dura, siue mollis, talis est aut tota, aut in partibus quemadmodum ciceris pars exterior dura, interior mollis: & animalium extrema duriora, & aliæ, partes minus, habita ratione ad sexum, ætatem, & huius. Præterea cibi vis formalis, siue complexionalis est aut cal. aut frig. aut sic. aut hu. vt dicitur, à prædominio, aut calida simul & sicca: aut cal. & hu. aut frig. & sicca: aut frig. & hu. atque hæ qualitates omnes reperiuntur in cibo per elementa; vt frigiditas, & humiditas est in piscibus; eo quòd ex elemento frigido, & humido constant, vt maxime: aut per mixtionem elementorum, ex qua mixta, sicut fungus: aut per complexionem, vt lactuca, & portulaca: aut per nutrimentum, quo vescitur animal: nam si diutius cibo vtatur frigido, & humido; acquirit talem naturam: aut per locum, in quo viuit, per anni tempora, per ætates, per sexus, per cognationes, per ociũ & quietem, & his similia: ac tandem per vitalẽ constitutionẽ eo ꝙ omne viuens in eo ꝙ viuit, est calidũ. & humidũ: contra non viuens frigidum, & siccum, virtus quoque formales appellantur quæcunq; aliæquæ ab his proficiscuntur, veluti à caliditate oritur cibus vnctuosus, suauis, & pinguis, salsus, dulcis, amarus, & acris: viceuersa à frigore fit insipidus, ponticus, stypticus, acerbus, & acidus: atque hæ dicuntur secundæ virtutes, ex quibus tertiæ fiunt, quæ sunt, vt puta ea, quæ vrinam, sudorem, cæteraque irritãt excrementa. Virtus cibi specifica ex illa resultat forma, atq; ex illa materia, ex qua efficitur hæc, & illa species, de qua alias agemus a forma quidem illa resultante ex his gignitur virtus, quę est propria rei: cuiusmodi est vis ventriculi gallinarũ quæ corroborat ventriculum hominis, intestinum lupi robur addit humano intestino. Cibus per necessitatem is dictus est, quem non bonum, nec conferentem comedit homo fame adstrictus; cum bonis indigent. Cibus arte paratus easdem habet vires, quas naturalis: imo, quia plurima alimenta à natura prodita cruda sunt, nec per calorem præparata ita, vt maiore habeant opus concoctione, condimentisque, ea comparando ad corpus humanum; idcirco oportuit, vt ars ea perficeret: de qua hæc scribit Hipp. in l. de Vete. med. pag. 4. num. 8. ex tritico macerato, & à cortice purgato, molitoque, ac cribrato, & subacto, ac assato panem fecerunt. ex hordeo autem mazam, aliaque multa ex hoc excogitantes coxerunt, & assarunt, & miscuerunt, fortiaque, & intemperata debilioribus têperarunt. effingentes omnia iuxta hominis naturam, ac vires. Et num. 11. robur ex fortibus cibis temperatura, ac coctura detrahunt. vnde loquitur in lib. 2. de diæ. pag. 46. num. 5. ciborum, ac potuum singulorum

lorum vim tum eam, quæ ſecundum naturam eſt; tum eam, quæ per artem acceſſit, cognoſcere oportet hoc modo. & ſubdit modum. Et in lib. 1. de diæ. pag 42. nu. 1. Ciborum, ac potuum omnium, ex quibus victum habemus, facultatem, quam tandem ſingula habent & ſecundum naturam, & ſecundum neceſſitatem, & artem humanam: oportet enim ſcire, quomodo fortium natura vim detrahere oportet, & quomodo debilibus robur per artē addere oporteat prout ſingulorum occaſio ſe obtulerit. & hæc de ciborum ſubſtantia dicta ſint.

NVNC ad ea, quæ circa eorum exiſtunt ſubſtantiam, noſtram traducamus orationem. circa ciborum ſubſtantiam neceſſario ineſt, ac primo quantitas, deinde qualitas. quantitatem ſequitur locus, & tempus: qualitatem actio, & paſſio, & habitus. prius, & poſterius eſt in quantitate: idcirco & in loco, & in tempore: & in qualitate: eo quòd qualitas magis & minus ſuſcipit: & ideo & in actionibus tum ratione qualitatum, à quibus ortum habent, tum ratione temporis, quod eſt menſura omnium actionum, & motuum. at ordo habet contraria hæc, prius ſcilicet & poſterius. quapropter ordo rei cuiuslibet, itidemque cibi verſatur circa quantitatem, qualitatē, actiones, paſſiones, tempus, locum, poſitionem; propterea quòd poſitionem habere eſt in loco eſſe, & eſſe in loco dicitur quatenus corpora habent ſpacium. hęc circa ſubſtantiam ſunt ciborum, de quorum quantitate primum ſermonem habebimus.

Quantitas cibi ab Hippocr. conſideratur primum in magnitudine cibi, ſiue magna mole, ac copia; deinde in multitudine, atque varietate: ac præterea prout eiuſmodi quantitas magna, vel multa oblata eſt corpori ſano, vel ægro. quantitas cibi magna quāta competat, docet in lib. de Affect. pag. 82. num. 44. his verbis. Ad ſanitatem optima ſunt cibaria, quæ modice ingeſta ſufficiunt, vt & famis, & ſitis ſint mela. & plurimo tempore corpus ipſa ſuſcipit, & pro ratione ſecedunt. Et in l. 1. de diæ. pag. 42. num. 3. ſiquidem ſupra hæc inuenta fuerit ciborum menſura, & laborum ad vnaquāque naturam numerus ita, vt exceſſus neque ſupra, neque infra modū fiat; inuenta ſanè exacte fuerit hominibus ſanitas. Et in lib. 6. de mor. pop. pag. 144. ſect. 3. cibus modicus non delaſſari, non ſitire. Et in ſect. 6. eiuſdem libri. Labores, cibi, potus, ſomnus, res venereæ omnia mediocria. & in lib. 4. de morb. pagin. 75. num. 10. ſi homo parum edit, & parum bibit, nullum morbum hoc ipſi inducit. Et in lib. 2. aphor. 17. Vbi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt: hic morbum facit. oſtendit autem ſanatio, ſed ibi Galen. hic aphoriſmus eſt de repletione; plus enim cibi, quam modo naturæ conueniat, repletio nominatur. Et in aph 4. eiuſdem lib. Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam, quod modum naturæ exceſſerit, bonū. Et in lib. 2. præd. pag. 171. nu. 5. neceſſe eſt eos, qui vberiore potu vſi ſunt & magis difficulter ſpirare, & plus vrinę eijcere: eos verò, qui ſorbitionem, aut cibum auxerunt; magis & ſitire, & febrire. ſi verò quis vtriſque & potu, & cibo immodice vſus fuerit: & ad hoc, quod febrit, & difficulter ſpirat, etim ventrem circuntentum, & maiorē habebit. quocirca palam fit ex verbis Hippo. cibi moderatam quantitatem ſanitatem conſeruare: immodicam verò morbos progignere. attamen ſi ex immoderata cibi copia morbus fiat; ſic curat Hippocr. in li. 2. apho. 22. Quicunque morbi ex repletione fiunt; curat euacuatio. Et ſi cui plurimus competat cibus, is confert his, qui creſcunt: nam, vt ſcribit in l. 1. apho. 14. Qui creſcunt plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: alioquin corpus abſumitur. ſenibus verò parum calidi innati ineſt; paucis propterea fomitibus egent; quia à multis extinguuntur. Quò autem anni tempore cibus conferat copioſus, dicit in lib. 1. aph. 15. ſic. Ventres hyeme, & vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi; quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Et nu. 18. Aeſtate, & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime, ſecundum locum ver habet. sed & his, qui per ſuperiora purgari volunt: legitur enim in lib. 4 aphor. 13. Ad helleboros, qui non facile ſupra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda ſunt. In quo morbo detur hellebo. & cibus multus, ſcriptum eſt in lib. 2. de morb. pag. 68 num. 47. & hoc eſt in quadam tabe, & inquit. Huic veratrum bibendum eſt, & lenticulæ decoctum, & large cibus ſumendus, ita vt abſtineat ab acribus, & carnibus bubulis, at porcinis, & ouillis. verùm in quadam laſſitudine deſcripta li. 2 de diæ. pag. 48 nu. 31. hæc enarrantur. In cœna offeras plurima, & omnigena edulia, & potu aquoſo, vino verò molli, ac multo vtatur. poſtea longo tempore his immoretur, donec venæ repletæ attollantur. deinde verò vomat, & poſt modicam ſtationem molliter dormiat. ſignum autem plurimi cibi eſt illud in lib. 4. aphor. 41. ſudor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta, corpus uti pluri cibo ſignificat: ſi verò cibum non accipienti id accidat; ſcire oportet, quòd euacuatione indiget corpus. in com. inquit Gal. ſudor multus fit vel propter ciborum, qui ſunt recenter aſſumpti, immoderantiam, vel illorum, qui antea. ſi propter recenter aſſumptos; prohibere oportet, ne plures aſſumant: ſi propter prius aſſumptos, euacuare. Et aphor. 45. eiuſdem libri. Quibus tubercula, vel in articulis labores ex longis febribus fiunt: hi pluribus vtuntur cibis. ibique Galen. ait. De conualeſcentibus ex morbo docet; his enim repletis rationabile eſt caſus plethoricos aduenire, & maxime ob virium imbecillitatem. & in l. de Aff. pag. 82. num. 44. Ructum acidū maxime faciunt, & bilis fluxum ſuperne, ac inferne, & tormen, & flatum, & repletionem plurima cibaria: nam, cum quis plura ederit, aut biberit, quàm vē ter concoquere poteſt; hæc conſurgunt. At quibus & quando augendus, ſubtrahendusque ſit cibus, & quomodo, videndum eſt. Scriptum eſt in li. de Affec. pag. 82. num. 42. Quoſcunque cibos, aut abſonia, aut potus ægroti concupiſcunt; exhibeto, ſi non corpori damnum inde acceſſum ſit. cum autem cibos, aut potus augere inceperis, aut detrahere; paulatim & additiones, & detractiones facere oportet. In lib. de Inter. Affe. pag. 84 nu. 1. Sic autem huic paulatim dato. ſ. cibum, donec ventrem confirmaueris: nā ex febribus, & inedia, ſi os quidem appetiuerit, venter autem ſuſcipere noluerit, vbi aceruatim ſuſcepit; inflammatur. Si verò aceruatim dederis, & parum laborarit: deambulationibus venter non perfrigeratur, nimirum cibis quiete compactis. quare etiam febris ſuccedere ſolet, & hyeme quidem minus: æſta

te verò periculum est, ne delinquat: Et in lib. 1. aph. 10. Quibus statim morbus cosistit, his statim tenuis victus adhibendus est: quibus verò posterius debet consistere, his est in ipso consistendi tempore. & parum ante illud. cibus est subtrahendus, prius verò vberius alendum, vt æger sufficiat. Et in lib. de Vict. ratio. in mor. acu. com. 2. par. 38. ciborum adiectioni intendendum est multò minus: subtrahere verò sæpenumero expedit, cum æger sufficere possit, donec morbus matureſcat; nam, vt ibi explicat Galen. quod plus est, exuperatque, noxas interdum inemēdabiles facit. verum quod minus est, facile emendatur. & in lib. 2. aph. 10. Non pura corpora quantò plus nutries, tanto magis lædes. at vt ait, in l. 1. aph. 11. In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocuum est. & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet. verum transactis accessionibus hoc est, augmento, & maxima status parte, detur aliquid si opus sit; nam inquit in l. 5. de morb. pop. num. 9. Euomit bilem combustam præ cibi abstinentia, & febre. Et in libro 1. de mor pag 63. num. 30. Phrenitici cum progressum fuerit tempus; marceſcunt, ac imminuti consumuntur tum ex febre, tum quod nihil alantur. verum, cum morbus remiserit; cibis vtatur per aluum subeuntibus, à modicis initio facto, semper aliquid addendo. hæc in l. 2. de mor. pag 65. num. 14. atque pluribus in locis. at illud præcipue est obseruandum, quod legitur in lib. 2. de diæ. pag. 48. nu. 31. & hoc est. Qui additione cibi sensim screſcente vtitur, is corpori diætam placide constituit. Verum de varia ciborum copia pauca dicamus. Declaratum est antea ex lib. 2. de diæ. Offerenda esse omnigenea edulia, & plurima ad vomendum: hoc etiam in l 3. num. 8. & subdit in l. 2. loco præd. corpus reficcatum, ab ingestis omnigeneis edulijs id, quod conducibile sibi ipsi est, sumit vnaquęq; pars de singulis cibis. repletum autem, & humectatum, aluo per vomitum euacuata, rursus excessum remittit. aluus autem vacua existens reuellit. Et nu. 19. eiusdem libri inquit, Obsonia ex varijs intritis præparata, æstuosa, & humida sunt: propterea quod pinguia, & tosta, & calida, & inæquales inter se vires habentia in eodem coherent. verum quæ in muria præparantur, meliora sunt, & non æstuosa.

Ad quantitatem verò discretam reducitur bis, ter, pluriesque in die cibari. de hoc autem copiosè loquitur Hipp. in lib. de Vet. med. pag 4. sed ibi. num. 18. inquit. Sunt aliqui ipsorum, quibus semel in die cibum capere conducit. & hoc propter vtilitatem sic obseruant, alij etiam prandent, propterea quod his quoque conducit. sed & quidam non propter vtilitatem, sed aut ob voluptatem, aut ob alium casum alterutrum faciunt: plurimorum enim hominum nihil interest, vtrum tandem faciant siue semel tantum edant, siue etiam prandeant, hac consuetudine vti. Sunt autem quidam, qui non possint extra vtilitatem facientes facile degere; sed contingit vtrisque ipsorum per diem vnum, atque eum non otiosè permutantibus, immensa afflictio; alteri enim si pransi fuerint, idque eis non conducat; statim graues, & corpore segnes fiunt, itemque mente pigri, hiatuque, ac oscitatione, & dormitatione, & siti pleni. si verò etiā insuper cænauerint; & flatus, & tormina, & aluus effringitur, & multis magni morbi principiū hoc fuit, si eosdem cibos, quos semel insumere consueuerunt, bis assumant, & nihil his amplius. alteri verò si prandere consueuerunt, idq; ipsis conducat, & non pransi fuerint; mox. vbi tempus præterierit; statim impotentia vehemens, tremor, animi deliquium, postea oculi pallidi, vrina crassa & calida, os amarum, & viscera pendere ipsis videntur, vertigo, iracundia, tristitia: hæc autem omnia vbi cœnare tentauerint. deinde autem pransuri consumere non possunt quæ prius cœnarunt. atque hæc ipsa cum tormine, ac stre pitu descendentia aluum concludunt, ipsique ægre dormiunt, insomniaque conturbata, ac tumultuosa habent; plerisque verò etiam horum hæc ipsa aluus morbi principium fuit. Et n. 21. Dico etiam alios omnes homines, qui duos aut tres dies inediam pertulerint, eadem passuros esse, quæ de impransis duxi. cæterum tales naturas, quæ cito, & fortiter eiusmodi delictis offenduntur, imbecilliores esse censeo: proximus autem est imbecillis languenti. In l. autem. 2. de diæ. pag. 48. n. 25. sic legitur. semel in die cibum capere attenuat, & siccat, & aluum sistit, propterea quod per animæ caliditatem humiditas ex ventre, & carne consumitur prandium verò contraria facit. Et in l. de Vict. ra. com. 2. part. 22. vsque ad 32. hæc scribit. Nempe tum his, qui bis die comedunt, tum his qui semel, noxam imbecillitatēq; pariunt repentinæ mutationes: quiq; prandere non consueuerunt, & prandent, statim ægrè habent, toto item corpore graues redduntur, & parum valētes, & desides. quod si supercęnauerint alios alui leuitas exercet: nempe ventriculus præter consuetudinem grauatur, superperficcescere consuetus, non bis tumescere, neq; bis cibos coquere. conuenit autem bis permutationem æqua virtute compensare, dormire, si quidem eos oportet, tanquam noctem à cęna, hyeme quidē, citra frigus, æstate vero citra calorem agant quod si dormire non nequeant, plures lente ambulando absoluant circuitus, neque stent. nihil cęnent, aut pauca, & innocua. minus præterea bibant, sed meracius & non dilutum. magis præterea, & his afficietur, qui ter die replebitur, ac etiam multo magis qui crebrius quamquam sunt nonnulli, qui ter die satiati facile fereant, vt pote qui ita sunt consueti. præterea qui bis die cibum sumere consueuerunt, ij nisi pransi fuerint, ægre habent, parum valent, timidique ad quoduis opus fiunt, & cardialgici: nempe his viscera pendere videntur, calidum mingunt, & viride, idest, pallidum stercusque exuritur. sunt quibus os amarescit oculi cauantur, & tempora saliunt, parteſque extremæ frigescunt. Plurimi quoque horum qui pransi non sunt cænare nequeunt. qui si cęnauerint, ventris grauitate afficiuntur, & difficilius cubant multoque si pransi fuissent. cum igitur talia obdimidiatæ diei victus à consuetudine digressionē sanis contingant, neque adijci quicquam neque subtrahi cōmode videtur. qui igitur præter consuetudinem semel pastus toto die exinanitis vasis quantum consueuit cenauit, si tunc impransus laborauerit parumque valuerit, atque assumpta cęna tunc grauatus fuerit, multo magis cum grauiori par est. quod si adhuc plusculis horis venæ exinanitæ fuerint, atque repente cęnauerit, magis adhuc grauabitur. quibus igitur præter consuetudinem venæ sunt inanitæ, ij eodem die veniunt reficiendi. vitent in primis

mis frigus, calorem, & laborem, nempe hæc omnia moleſtè feruntur, deinde cœnam ſolito minorem faciant, eamque non ſiccam, ſed humectiorem. deinceps bibant, neque dilutum, neque minus quàm ingeſtorum ratio poſtulat. poſtero autem die pauca prandeant; vt acceſſione ſenſim creſcente, ad conſuetudinem redeant. talia verò moleſtius ferent, qui parte ſuperiore picrocholi exiſtunt. non aſſuetam autem cibi abſtinentiam facilius omnino ferunt, qui parte ſuperiore pituitoſi ſunt. quo fit vt ſi ſemel die cibo vtantur facilius etiam ferant. Quo modo autem conueniant ea, quæ in lib. de Vete. med. cum his, quæ ſcripta ſunt de cibis in lib. de Vict. ratio. in mor. acu. facile perſpici poteſt. ſed, vt de hac cibi parte nos veniamus ad alias ſat erit, ut illum aph. 17. qui in lib. 1. ſcriptus eſt, recitemus: cuius verba ſunt. Et quibus ſemel, aut bis, & quibus pluraue, an pauciora particulatim oporteat afferre, conſiderandum. condonandum autem aliquid tempori, ætati, & conſuetudini.

Qualitates porrò cibi nunc ſint hæ, ob quas cibus dicitur bonus, vel prauus: de quibus cum antea copioſe actum ſit, pauca dicemus. Eſt aph. in lib 2. aph. 36. Qui ſalubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati cito exoluuntur; & qui prauo vtuntur cibo; quoniam, vt exponit Galen. ex vitioſo alimento mali ſuperabundant humores. at aphoriſ. 38. eiuſdem li. legitur. Parum deterior potus, aut cibus, ſuauior autem, melioribus quidem, ſed minus ſuauibus eſt præferendus. Et in lib. de Vict. ratio. in mor. acu. comm. 2. par. 21. Quòd vitioſus, tum cibus, tum potus ſemper ſibi ſimilis ad ſanitatem tutior, ſit, quã ſiquis ſubito ad alterum, vel meliorem ſe transferat, facile diſcitur, intelligiturque. at verò de qualitatib. ciborũ hęc ſufficiant. Et, quoniam qualitates ſequuntur actiones, & paſſiones, cũ ſupra de vnis ſermonem habuerimus; de alteris quoque egimus. illud verò obſeruandum eſt, quod reperitur in lib. de Ali. pag. 53. num. 1. Auget, & corroborat, & incarnat, & aſſimilat, & diſſimilia facit. quæ in ſingulis ſunt iuxtà vniuſcuiuſque naturam, & facultatem, quæ ad initio adeſt. aſſimilat autem pro viribus; cum id, quod ſuperingeritur, ſuperatur: id verò, quod prius ineſt, ſuperat; & alia, quæ ibi lege. Et nu. 11. eiuſdem lib. Humidum alimentum magis facile tranſmutatur, quàm ſiccum: & contra. alimentum, quod ægre alteratur, ægre conſumitur. quod facile apponitur, facile conſumitur, & quicunque veloci appoſitione opus habent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum, qui adhuc velociore indigent, per olfactum; qui tardiore, ſolido alimento vtuntur. Et n. 12. Humiditas alimenti vehiculum eſt.

Loca, per quæ cibi permeant, cunctanturque, ex his, quæ dicta ſunt, comprehendi poteſt. verùm in l. de Alim. nu. 6. inquit Hipp. Principium alimenti humidi & ſicci os, gula, venter; verùm antiquius, & primordiale alimentum, per abdomen vmbilicus, præterea monſtratum eſt antea ventriculum, venas, & carnes cibos recipere; ſic inteſtina. vnde legitur in lib. de Vict. ratio. in mor. acut. comm. 1. par. 32. Quibus cibus ſtatim incluſus, ſiquis non vacuato eo ſorbitionem dederit; dolorem ſi adeſt augebit: ſi non adeſt, protinus inducet. vbi Galen. ait. Cibum dixit, quod ab eduljs in inteſtinis ipſis continetur excrementum. quo incluſo, hoc eſt, ex multo tempore non eiecto, ſi ptiſanam quis propinauerit: lateri offenſam fieri neceſſe eſt propter inteſtinorũ opilationẽ. Et l. 5. de mor. pop. pag. 141. nũ. 17. Febris tenebat, & cibi non deorſum prodibant. penna verò immiſſa vomuit bilẽ atrã, & cũ infuſum per clyſterẽ immiſſum eſſet: ſtercus prodijt multũ. Et in lib. 4. de mor. pop. n. 6. In Cranone vxorem Nicoſtrati correptam decima quarta die ſtatim occupauit impotentia colli, & aliarum partium, & cibus incluſus fuit vſque ad decimam. Et in l. 1. de diæ. pag. 43. num. 16. Cibi partim deorſum premũtur, partim ſurſum vergunt. ab vna anima diuiſa plures, & maiores, & minores, & pauciores fiunt. In lib. verò de Ali. num. 2. Facultas porrò alimenti peruenit & ad oſſa, & ad omnes partes, & in neruum, & in venam, & in arteriam, & in muſculum, & in pelliculam, & in carnẽ, & pinguedinem, & ſanguinem, & pituitam, & medullam, & cerebrum, & medullam ſpinalem, & interanea, omnesque ipſorum partes, & ſane etiam in caliditatem, & ſpiritum, & humiditatem.

Dum autem de quantitate differebamus, ac potiſſimum de diſcreta; plura diximus de tempore, quod opportunum ſit cibo capiundo. attamen illud ſciendum eſt, quòd tempus cibi capiendi conſideratur in genere, aut particulatim. tempus vniuerſale dicuntur quatuor anni tempora in præſentiarum. dicuntur & anni conſtitutiones accidentales. particulare tempus eſt dies, & nox, horæ diei quatuor: & hæ conſiderantur quo ad cibum, & quo ad perſonam, quæ cibum capere debet: & hæc aut ſana eſt, aut ægra, aut neutra: & in quacunque ſit horum diſpoſitione, reſpicienda eſt ætas, ſexus, conſuetudo viuendi, locus, tempus, ſtudia, commoda, & incommoda, & ſi qua eſt alia, quæ ad circunſtantias referatur, ſed omnino particulatim explicemus. Qui cibi per quatuor anni tempora competant, copioſe ſcriptum eſt in l. de ſalu. Diæta, in lib. de aere, aquis, & locis. in libr. 3. de diæta, atque in alijs libris: ibi enim reperitur qui ſint cibi æſtate conferentes, qui autumno, qui hyeme, & qui vere. at breui in libro primo Aphoriſ. 18. Aeſtate, & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime, ſecundum locum ver habet. verùm vniuerſalius deprehenditur tempus in aphoriſ. 7. libro 2. cuius verba ſunt. Quæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet; quæ verò breui, breuiter. vniuerſalis præterea conſtitutio frigida, & humida cibi peperit faſtidia, ut apparet in li. 1. de mor. pop. ſect. 2. & in lib. 3. ſect. 3. & in alia quoque cibum auerſabantur, de qua fit mentio in lib. 4. de morb. popu. numer. 5. Particulare tempus eſt prandium, & cœna, quæ deſiderant horas diei idoneas, perſonamque itidem; nam ſi deficiat vel in hora, vel in cibo, vel in perſona, ſiue in omnibus, ſiue in partibus: dicitur intempeſtiuus cibus; ſiquidem cum primum ſummo mane è lecto ſurrexeris, cibum capies, is ratione horæ dici intempeſtiuus eſt cibus: ſic ſi leuis graui anteponatur: ſic ſi homo cibo heſterno repletus alium ingurgitet, aut ſi ætati, loco, ſexui, conſuetudini, ſtudijs, & huiuſmodi cæteris non correſpondeat. Si verò æger ſit, ac edat edulia minime conferentia, in morbi acceſſionibus, tempore anni non congruo, guſtu diſcrepante; dicuntur intempeſtiui cibi,

quapropter, si homo valeat; tum aut ratione temporis, aut cibi, aut partium, quæ personam hominis circunstant, cibus non congruus sit; inquit Hip. in l. de Affect. pag. 83. nu. 45. Ex cibis, ac potibus, qui commodissimi sunt corpori, ac maxime sufficientes & ad alimentum, & ad sanitatem; ex his ipsis etiã, vbi quis ipsis non in tempore vtatur, aut pluribus, quam tẽpestiuũ est; & morbi, & ex morbis mortes fiunt. & in l. de Vete. med. nu. 20. Et sane puto his, qui cibũ sumere consueuerunt, quod non expectauerunt iustũ tempus, donec ipsorum venter pridie ingestos cibos perfecte consumpsisset, & exuperasset, euacuatusque esset, & quieuisset: sed in feruentem adhuc, & fermentatum nouos ingesserunt: eiusmodi verò ventres multò tardius concoquunt, & maiori opus habent cessatione, ac quiete. His verò, qui prandere assueti fuerunt, quod non vbi citissime alimento corpus indigebat, & iam priora consumpta erant, nec habebat aliquam amplius fruitionem; statim ipsi nouum alimentum suppeditatum est. deficit autem & consumitur quæ fame: nam omnia, quæ tales homines perpeti dixi, fami imputo. sed in l. 4. de mor. pag. 76. nu. 16. docet quantum temporis morari debeant in corpore cibi, & inquit. Postquam comedit, ac bibit, & humor ad corpus peruenit, ammixtus alij tum ei, qui in corpore, tum ei, qui in fonte est, ea quidem die, qua accesserit, in corpore manet: postridie verò alius humor ad ipsum accedit. & subdit. Cibi quidem semper postridie per aluum secedunt: humor autem ad tertiam diem. Et nu. 17. si cibi maneãt in ventriculo ampliori tempore, quam opportunum est, & alij ad ipsos incidant, corpus vtique repleatur: &, dum premuntur à plenitudine venæ; calor, & dolor corpori accesserint, æstate quidem citius, hyeme verò posterius. cibus contra si prodiret ante iustum tempus, non parum corpus attenuaret. in lib. autem de med. purg. pag. 41. nu. 1 Et cibos nos alentes medicamenta esse putandum est, verum minus, quam illa: homines enim qui his recte in cibo vtuntur, sani sunt: qui non recte ægrotant. qui verò modum excedunt, purgantur quidem velut à finceris medicamentis, verum minus, & tardius at verò hi tardiores, qui & familiares nobis sunt, & quotidie in corpus ingrediuntur: si temere, & negligenter exhibeantur; temere homines turbant, & quodammodo morbus inducunt. In morbis verò intempestiuus est cibus, si in accessionibus detur: scribitur enim in lib. 1. aph. 11. In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocuum est: & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet. Et nu. 19. His, qui per circuitus accessionem habent, nihil dare oportet, neque cogere; sed subtrahere adiectioni ante iudicationes. atque hic quidem aduertendum est nunquam Hip. in acutis cibum exhibere, sed potionem primum, deinde sorbitionem, postea ea, quæ inter sorbitionem & cibum sunt edulia, veluti crassior sorbitio, vel pisces, & id generis; nam cibus quẽadmodum in prin. diximus, est crassior substantia, mole, & qualitatibus, quam aliæ species alimenti. id circo, cum cibum reperies in acutis exhibitum non est Hip. sententia: sed alia nutrimenti species, male ab interpretibus exposita. vnde in lib. 2. de mor. pag. 67. num. 37. cibum ne exhibeas, donec febris remittat. sed vt huic parti finem imponamus, ille aph. qui legitur in lib. 4. aph. 8. memoriæ mandetur. qui est. In moderatis temporibus cum tempestiua tempestiues fiunt; morbi stabiles, & boni iudicij fiunt: in im moderatis autem instabiles, & mali iudicij.

At verò ordinem ciborum capiendorum aggrediamur. dictum est à nobis antea plurimum lẽdi corpus nostrum à ciborum varietate, atque sat esse vnã cibi speciem: propterea quod, si plures edamus cibos; fieri non potest, vt optima fiat concoctio: nam alij sunt calidi, alij frigidi, alij sicci, alij humidi, alij aperientes, alij obstruentes: aliqui insipidi, aliqui dulces, aut acidi, aut salsi, aut amari, aut acres, aut austeri existunt. quapropter, si edulium vnius generis alterum sequatur, vel fiat plurium miscella in ventriculo; fient cruditates, dolores intestinorum, tormina, & alia, de quibus nihil est, quod dicamus. idcirco, cum plurimas huiusmodi varietas afferat noxias; mirum non est, si Hip. parum, vel nihil ferè de ordine recensuerit. De situ cibi in ventriculo, deque habere nihil aliud dicendum est: siquidem positionem habere sit in loco esse, & habere sit quid accidẽtale substantiæ cibi, quemadmodum si vinum creticum, quod natura calidum est, statim in ore acceptũ sentiatur frigidum; eam frigiditatem habet vinum accidentalem, quę ab aere prouenit frigido & ab alia causa.

Hactenus de his, quæ circa ciborum substantiam existunt: at verò ad ea, quorum obiectus est cibus, & quæ ipsum suscipiunt. hæc sunt instrumenta, quæ edulia in substantiam nostri corporis traducunt, quę partim similia, partim dissimilia sunt. hæc autem præcipua sunt ventriculus, hepar cum venis, & partes similares: quæ tria instrumentorum genera singulatim sunt fortia, ac robusta, aut debilia, aut medio modo se habentia: aut horum aliquod robustum, vt ventriculus, aliquod debile vtputa hepar, aut mediocre ficut similaria: & contra. mediocre hoc tempore sit temperatum in agendo, & patiendo actiones, ac passiones proprias. fortia igitur instrumenta concoquunt exquisitè fortia edulia, vrũt debilia ac in bilem vertunt, & mediocria medio modo. debilia, verò iustrumenta non superant cibos graues, sed semicoctos reddunt crudosque: nec mediocria: sed tenues vincit instrumentum debile, & mediocres mediocre. attamen non omittenda sunt ea, quæ ad nostram attinent personam: & hæc sunt ætas, sexus, cognatio, locus, tempus, consuetudo viuendi, & ciborum, fortuna, exercitia, & artes. nunquam de vasis concoquentibus, nec de cibis absque his ratiocineris. porrò vide, ne corpus totum sit sanum, vel pars, an ægrum totum, vel partes, & potissimum ad concoctionem attinentes. Qui verò homines fortia, ac debilia habeant concoquendi vasa, nos docet Hipp. in lib. de Vete. med. pag. 4. num. 21. cum ait. Tales naturas, quæ cito, & fortiter eiusmodi delictis, hoc est, tormine, dolore, corporis grauitate, pigritia, flatibus, tremore, animi deliquio, vertigine, & alijs offenduntur, imbecilliores alijs esse censeo: contra fortes: siquidem hi fortes, & moderatos vincunt cibos, illi verò minime. existunt tamen aliqui cibi, qui licet graues sint; non lædunt quasdam hominum naturas: imo gracilibus mirabiliter etiam conferre proditur, quemadmodum narrat Hip. in lib. supra citato pag. 5. nu. 37.

de vino

de vino meraco, & de caseo. causam autem huiusce rei adducit, & inquit. Horum naturæ differunt, differunt etiam iuxta hoc, quod est in corpore caseo contrarium: nam à caseo excitatur, & commouetur in his, quibus huiusmodi humor multus in corpore existit. & quo magis hic potens est, eò magis verisimile est ipsos male affligi. Si verò toti naturæ hoïs malus esset; omnes vtique læderet. Sed qui competant cibi robustis naturis, quique debilibus, antea satis, superque declarauimus. Verum de his, quæ personam comitantur, quædam nobis dicenda sunt. de ætatibus loquitur in lib. 1. aph. 13. Senes facillime ieiunum ferunt, secundo loco qui ætatem consistentem habent. minus adolescentes, omnium minime pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores. Et in l. de Ali. pag. 54. nu. 9. Cibus iuuenibus facile, ac leuiter putrefactus: senibus verò ad summum transmutatus: his, qui in vigore ętatis consistunt, impermutabilis. cibos igitur tales parare conuenit ętatibus, quæ plus, ac minus ieiunium ferunt. Prętereà potus & edulia calidiora, & siccìora sexui competũt fœmineo, hisque, qui loca habitant frigida, & humida, temporibus frigidis, & humidis, ociosè viuentibus absque labore, studio, & exercitio; viceuersa maribus, locis calidis, & siccis, temporibus, & laboriosè vitam degentibus. hæc in libris supra in medium adductis copiosè reperies.

Sed de cibis, ac potibus consuetis pauca loquamur. Ait Hipp. in l. 1. aph. 17. cum de quantitate cibo rum scribit, condonandum aliquid ętati, tempori, & consuetudini: propterea quòd, vt ipse refert in li. de Vict. ra. comm. 2. par. 34. cibos, quibus vti consueuerunt, facile ferunt: tametsi natura haud quaquàm boni fuerint: similiter & potus, cibos verò, quibus vti non consueuerunt, etiam si mali non fuerint, molestè ferunt: sic & potus: atque id ob familiaritatem antiquam, quæ est ventri cum talibus cibis. deinde subdit par. 35. quot, & quæ mala afferant edulia, potusque præter solitum comesta, hæc non semel, sed millies ab Hipp. dicuntur, ac tandem pro cibis, potibus, & huiusmodi alijs dat aph. 50. in lib. 2. qui ait. Quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. oportet igitur ad insueta permutari: & quo pacto in ægrotantibus explicat in l. de Vict. com. 2. par. 36.

Si verò homo sit æger: ægritudo est vniuersalis, aut particularis. si vniuersalis; appellatur febris. at acutè febricitanti non des cibum, veluti supra exposuimus: sed potionem, aut sorbitionem. vnde inquit Hipp. in l. 1. aph. 16. Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime verò pueris, & alijs, qui tali victu vti consueuerunt. verùm si acuta non fuerit febris; ait Hippoc. in lib. de Affect. pag. 83. num. 52. Quoscunque ægrotos febres non continenter detinent; sed intermittentes corripiunt, his cibi dandi sunt post apprehensionem, ita vt coniecturam facias, ne febris à recens accepto cibo irruat, sed cibis concoctis. quinam verò sint hi, declarat in eodem li. pag. 82. nu. 38. & dicit. Quibuscunque cibis aut potibus homines sani in victu vtũtur, ex his oportet prę sentibus vti ad ægrotos ita, vt præpares calidos, & frigidos, humidos, & siccos: ex frigidis quidem calidos, & calidos ex non calidis, & siccos ex non siccis, & reliquos iuxta eundem modum, quapropter ex his verbis comprehendimus ex hisdem cibis, quibus homo sanus vtebatur, confici debere sorbitiones, & potiones eidem homini ægrotanti. at nu. 42. ait. Quicunque cibos sufficientes perficere possunt, his sorbitiones ne dederis: excludunt enim cibum; qui verò non possunt; his dato. si verò quid dare voleris refectionis gratia; alicam dato, & ptisanam triticeam; hę enim sorbitiones sunt fortiores. Et nu. 44. post sorbitiones cibum debilibus dato, & vinum vinosum insuper bibendum. ante cibos verò & potus, aut sorbitiones; & postea & cibum, & potum quemcunque tandem tibi videbitur debilibus exhibeto, ita vt & corpus, & animam inspicias; sic enim maxime profueris. qui autem cibi particulatim debi libus competant, vide num. 46. Et si febrientibus des medicamentum; post purgationem exhibeas lenticulam, milium tenue, aut ptisanę succum. non febriẽ tibus autem panis puri medullam in iusculum interito, aut mazam, aut frustum piscis dato, aut auiculæ tenerrimæ carnem, aut volucris, aut catuli coctam, sed alia ibi lege; hæc nu. 39. eiusdem lib.

Post morbum verò, quid de cibo aduertendum sit explicat in lib. 2. aphor. 31. cum ait. Eius, qui ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum. causam huius dat in eodem lib. aph. 8. & est. Si à morbo cibum assumens quis non corroboratur; pluri alimento corpus vti significatur; quòd si non assumente cibum hoc accidat, scire oportet, quòd indiget euacuatione. idcirco si longo tempore extenuantur corpora; lente reficere oportet; si breui: breuiter, sed aphor. 32. eiusdem l. dat hoc præceptum. Omnes ferè, qui male se habent circa initia bene cibati, nec quicquam proficientes; circa finem rursus cibum non appetunt. qui verò circa initia cibum valde non appetunt, postea bene appettentes, ij melius euadunt. in Coa. autem præ. num. 1. eadem fere inquit, & his quidem verbis. Qui ex morbis longis se refocillantes bene cibum accipiunt, & nihil proficiunt, hi maligne in recidiuam incidunt. In morbis tandẽ hunc memoriæ manda aph. circa ęgrotantis victum; qui in lib. 2. apho. 33. legitur. In quouis morbo mente constare. & bene se habere ad illa, quę offeruntur, hoc est, appetitum permanere, bonum; contrà verò, malum.

Cęterum sano existente homine, quomodo ipsum lædere possint cibi, exponitur in lib. 4. de mor. pag. 77. num. 23. his verbis. Si cibi plures quàm opportunum est, qui iam concocti sunt, intus maneant, & homo non purgetur, & alij cibi superingerantur; corpus ab humore priore, ac recenti repletum calescit, & febris ex hoc homini oboritur, verùm ea febris non periculosa, neque fortis est, in qua humor æqualis est, copia paululum uberiore non affligens. At cõtrà, si lienteria teneat hominem: nam proditum est in l. de Affect. pag 81. nu. 25. lienteria fit, cum ex capite, & superiore ventre pituitæ defluxus fit in ventrem inferiorem, quod vbi contingit, cibi ab ipso frigefiunt, ac humectantur. & secessus ipsorum non putrefactorum velox contingit, & corpus liquescit; dum simul cibi per multum tempus in ventre non concoquuntur, & simul à ventre calido præter naturam calescit.

At, si læso ventriculo, vel alia de causa cibum quis fastidierit: id signum fuerit morbi præsentis, aut ali

cuius futuri euentus; quemadmodum in sequẽtibus Hip. sententijs declaratur. In li. 7. aph. 6. legitur. Post morbum longum cibi auersationes, & syncerae deiectiones, malum. Et in l. 6. aph. 3. In longis dysenterijs cibi fastidium, malum: &, si cum febre: peius. Et in Coa. præ. nu. 1. Quibus cibi fastidia sunt, & oris ventriculi morsus, & multum saliuæ, his vomitus fit. Et ibidem. nu. 1. Affectiones soporosæ &c. cibum fastidientes, num his spiritus turbidus, & genituræ quid simile pertransiens singultum significat? & hæc in l. pror. quoque. Et nu. 2. lingua citra rationem tenera fiens, & cum cibi fastidio nauseabunda, cum frigido sudore, ex aluo liquida, nigrorum vomitum signum est: lassitudo in his mala est. Et infra. Duricies circa ventrem cum dolore, in febrientibus cum horrore, cibum auersantibus, si aluo insuper parum humectata purgationem non faciant, ad suppurationem peruenient. Et paulo infra. Diuturni circa lumbos, & & tenue intestinum dolores, & ad præcordia dolores si ægri cibos auersentur vnà cum febre; his dolor intentus ad caput progressus repente eos occidit conuulsorie. Et subdit. Num lumbos dolentibus, cibos fastidientibus, modice ferociter mente motis spes est nigra proditura esse? In lib. 5. de mor. popu. pag. 140. nu. 9. prægnans diebus circiter quinquaginta erat, & reliquo tempore præ fastidio à cibo abstinebat, & per septem dies vterum dolebat, & cor, & febris corripiebat, & nihil per aluum egerebat. tandem mortua est. lege historiam. & nu. 22. eiusdem l. Cleomenis filius hyeme initio facto, cibum auersabatur, & eius fastidio citra febrem vexabatur, & vomebat cibos, ac pituitam. & per duos menses cibi fastidium durabat. hanc eandem historiam in lib. 7. de morb. popu. pag. 150. nu. 36. alia præter hæc habebis exempla in libris de morb. popu. quæ sententias prolatas comprobabunt. Cibi fastidium signum est præsentis rei veluti legitur in lib. 5. aph. 61. Si mulieri purgationes menstruæ non exeunt, neque horror, neque febris successerit, cibi autem fastidia incidant; eam grauidam esse existima. Tandem ad fastidium cibi remouendum, vbi liceat, docet Hippocr. in lib. de Affect. pagin. 80. num. 14. & inquit. Si febris non tenuerit, os verò amarum habuerit, & corpus grauetur, & cibum auersetur; pharmacum dandum est. patitur autem hæc à bile: cum in venas, ac articulos incubuerit, & firmata fuerit. hæc quoque confirmat in lib. 4. aph. 17. cuius verba sunt. Non febricitanti cibi inappetentia, & cordis dolor, & vertigo, & os amarum, per superiora purgante medicamento indigere significat. Verum obserua hæc. Scriptum est in li. 2. pror. par. 36. Nigra reuomentes, cibos fastidientes, deliros, impube parum dolentes, quibus oculus ferox, claususque purgare non oportet: pernicioſum enim. & part. 37. neque intumescentes, vertiginososque, neque in errando deficientes, neque cibos auersantes, neque decolores.

Cicatrix.

Inquit Hipp. in lib. 6. aphor. 45. vlcera quæcunque annua sunt, aut etiam diuturniora, os abscedere est necesserium, & cicatrices fieri cauas.

Ciceri vires.

Cicer album per aluum secedit, & per vrinam eijcitur, & alit. & alit quidem carnosum in ipso, per vrinam verò eijcitur dulce: per aluum autem secedit sansuginosum. hæc sunt in lib. 2. de Diæ. pag 46. nu. 8. at in lib. de Vict. ratio. in mor. acu. comm. 4. par. 93. cicer crudum fractumque parit flatum, & laborẽ, hoc est, dolorem, qui propter inflationem fit.

Ciuitates.

Ciuitates appellantur in lib. de aer. aquis, & loc. pag. 35. loca, quæ frequentissime ab hominibus coluntur. Siquidem, quemadmodum in quatuor partes diuidunt mundum, sic has ciuitates: propterea quòd aliæ sunt orientales, aliæ occidentales, aliæ meridionales, & aliæ septentrionales. ciuitates ad orientem solem, & ventos calidos sitæ sunt salubriores his, quæ ad septentriones conuersæ sunt, vt idem testatur nu. 8. ibique morbi pauciores, ac debiliores fiunt. ciuitatum autem ad occasum sitarum consideratio est fere opposita orientalium, tamen de his lege. nume. 9. meridionalium autem situs, venti, aquæ morbi singulis ætatibus, atque anni temporibus vernaculi scribuntur nu. 2. sed num. 5. de situ septentrionalium, & de earum accidentibus agitur.

Clamores.

In lib. de mor. sac. pag. 59. nu. 16. scriptum est. qui à pituita insaniunt, quieti sunt, & non vociferantur, neque tumultuantur. qui verò à bile, vociferatores sunt, & malefici, & non quieti. & subdit. noctu vero clamat, & vociferatur, cum derepente cerebrum per calfiat. hoc autem perpetiuntur bilioſi; pituitoſi. non calefiunt: cum sanguis multus ad cerebrum peruenerit, & efferbuerit. venit autem per venas hæmatitidas, hoc est, sanguinarias.

Claudi.

Claudi fiunt homines non ab vna causa, sed à pluribus: legitur. n. in lib. de inter. affec. pag. 91. num. 54. Ex coxendicum morbo multos claudos fieri. & in l. de natur. mulie. pag. 94. n. 14. steriles, & claudæ fiunt mulieres, si vteri ad medium lumborum processerint, nec curatæ fuerint. & in lib. de loc. in homin. pag. 31. n. 14. recensetcausam materialem, ob quam claudicatio fiet, & ait. mucus omnibus à natura est, & cum hic purus fuerit, articuli sani sunt, & bene moueri possunt, vtpotè lubrici inter seipsos, labor, aut dolor fit vbi à carne humiditas fluxerit vitiosa; primum. n. articulus stabilitur: non. n. lubrica est humiditas, quæ de carne influxit. deinde vt multa, & valde sparsa & ex carne non irrigatur semper reficcatur, & vt multa existens, & articulo ipsa non capiente effluit, & male stabilita eleuat neruos, quibus articulus colligatur, ipsosque inconnexos, ac dissolutos facit, & propterea claudi fiunt. cum hoc magis fit: magis: cum minus: minus, & propterea dictũ est in lib. 6. aph. 59. & 60. quibuscunque à coxendicum dolore molestatis excidit coxa, & rursus incidit, his mucores superueniunt. quibuscunque à coxendicũ dolore molestatis diuturno excidit coxa, his crus tabescit, & claudicant, si non vrantur, nec omittamus illam claudicationis causam, quæ reperitur in lib. de aere, aquis, & lo. pag. 38. num. 50. cuius sermonis verba sunt. Ab equitatione ipsa diuturni eos corripiunt articulorum dolores, nimirum propendentibus semper ex equis eorum cruribus: deinde claudi fiunt, cõ trahunturque coxendices: cum inualuerit morbus, signum verò claudicationem præsagiens in li. prog. comm. 2. par. 67. & in lib. de Coac. præno. pag. 179. col. 2. & hoc est abscessus ad crura in periculosis inflam-

flammationibus pulmonis omnes commodi sunt, optimi autem sputo purulento pro flauo euadente; non procedente verò sputo secundum rationem, neque vrina bonam subsidentiam habente, periculum est claudum fore hominem, aut multum molestiarum exhibitura res est. in eodem lib. pag. 180. col. 4. nerui crassi si vulnerantur plerunque claudi fiunt, & si obliqui vulnerantur præsertim, & musculorum capita maxime in femoribus. Et in lib. 2. præd. pag. 173. n. 24. dum loquitur de articulorum vulneribus, ac perfectione neruorum, inquit. Quibus etiam nervus elapsurus esse videtur; securius de claudicatione prædicere licet tum alias, tum si inferiorum neruorum aliquis fuerit exolutus.

Præterea legitur in l. 2. præd. pag. 173. nu. 24 Vulnera in articulis, quæ quidem magna sunt, & neruos coniungentes penitus præsecant, clarum est, quod claudos efficient. Et in l. de Inter. affect. pag. 86. nu. 19. recitat quomodo à renum morbo corripiat morbus magnus venarum cauarum, quæ à capite iuxta iugulum per spinam tendunt ad malleolum pedis externum, & ad intermedium magni digiti locum. hinc si dolor in crus incubuerit, priusquam vratur; claudus erit. Et n. 44. eiusdem lib. Et multi huiusmodi morbo scilicet typho claudi fiunt; cum bilis in articulis concluſa in totum calescit. Et n. 58. Si concreuerit scilicet cartilago, & articuli conglutinati fuerint; omnino necesse est hominem claudum fieri. Et in l. 1. de mor. mul. pag. 101. nu. 13. si menses pauciores prodeant; tandem, ni si rectè curata fuerit; morbus septimestris, aut diuturnior factus lethalis fuerit, aut claudam faciet, aut partes aliquas impotentes, si præ rigore & cibi fastidio sanguis circa neruos compactus fuerit, quemcunque tandem locum occupauerit. Et n. 116. p. 110. si ex partu crus ab uteris claudum factum fuerit, & exurgere non poterit; semen hyoscyami chemæ mensura in vino nigro ad triduum bibat.

Coalescere.

Scriptum est in lib. 1. de mor. pag. 60. num. 3. Si nervus dissectus fuerit, conuulsionem facit, & vt dissectus non coalescit. Et in l. 6. aph. os discissum, cartilago, neruus, genæ particula, vel præputium neq; augetur, neque coalescit. ibi Gal. ait. Coalescere vocat Hip. discissi corporis labra agglutinari.

Cogitatio.

Legitur in l. 6. de mor. popul. sect. 5. par. 11. animi deambulatio, cogitatio hominibus. Gal. verò in com. ait. horum verborum sensus est talis. exercenda est in quacunque vis rationalis ab hominibus. nam ratiocinia appellantur cogitationes, & deambulatio animi est vis discursiua.

Cognitio.

Legitur in l. 1. de Diæ. pag. 43. num. 18. per hæc. s. sensibilia cognitio hominibus contingit.

Cœpe.

Cœpe, vt legitur in l. 2. de Diæ. n. 14. visui commoda est corpori verò mala: quia calida, & æstuosa est, & aluo secedit, & alimentum nullum corpori præbet, neque vtilitatem. calfaciens autem siccat propter succum. Et in l. 2. de mor. Cœpæ decorticatæ in vocis ex ebrietate priuatione induntur. Et in lib. de Affect. nume. 48. cœpæ ad vrinas commodæ sunt: succus enim acrimoniam quandam exhibet, vt secedat.

De Clysteribus.

Clysteres fiunt in magnis morbis, aut in paruis; vel corpore forti, vel debili existente. finis est, vt fæces ducat, & flatus: & humores ex primis vijs: vel vt attrahat è longinquis partibus, vel, vt quibusdam placet, vt corpus nutriat, aut saltem refocillet, ac alteret, & eluat. Proditum est in l. de Sal. diæ. pag. 12. n. 6. sint infuso pro crassioribus, ac humidioribus salsiora, & tenuiora: pro siccis verò, ac gracilibus, & debilioribus pinguiora, & crassiora. crassa autem, & pinguia infusa sunt, quæ ex lacte fiunt, & ciceru m decoctum, & alia huiusmodi. tenuia verò, & salsa sunt muria, & aqua marina, & eiuscemodi. Et in l. 2. de mor. pag. 67. n. 36. si in febre à bile, & tormen ad imum vẽtrem irruat; pharmacum deorsum purgans bibẽdum dato: & postea lac asininum, aut serum, aut aliquem succum. Si verò debilis fuerit, per clysterem subtus eluito. Et in l. de lo. in ho. pag. 32. n. 32. Si verò debilis fuerit, & præ imbecillitate hæc scilicet purgantia offerri non possint; primum quidem ptisanæ succo per clysterem infuso aluus eluenda est. post vbi per hunc purgaris, aliquo ex adstringentium numerò. & hæc in fluxu ventris quodam. Et nu. 35. in tabe ex fluxione retrorsum medicamentum potandum præbe elaterium deorsum purgans, & inferne aluum lacte infuso elue. Quo autem anni tempore magis competant clysteres, docet in lib. de med. purg. pag. 41. nume. 5. Tempore æstatis à carnis ortu per dies quinquaginta vitare oportet medicamenta purgatoria, sed infusis per clysterem vti. & ibi rationem reddit.

At quando homini conferant, & quibus morbis, & quo morbi tempore est videndum. Legitur in l. 2. de mor. pag. 65. nu. 12. cum repletum fuerit caput &c. si aluum non egerat; infusum per clysterem immitte, & vrina est cienda. Et nu. 16 post sanguinis missionẽ, raso capite, perfrigeratoria adhibeto. &, si aluus non subeat; infusum per clysterem immittito. Et nu. 53. eiusdem li. vbi agitur de erysipelate pul. agit. Per clysteres quoque infusio in aluum fiat, & glandulæ subdantur in omnibus morbis; si aluus non egerat. Et num. 65. In febre interficiente si venter non egerat; molle infusum per clysterem immittito, aut glandulas subdito. cũ verò validus factus fuerit; molli pharmaco ad nares appositio, aluum infrà purgato. posteà lac asininum bibendum dato. Et in l. 3. de mor. pag. 72. nu. 7. Hunc scilicet cuius pulmo tumens præ calore afficitur, si cures; infernam aluum quamcitissime clystere adhibito, probè purgare oportet, & de cubitis, & naso, & lingua, & de omni corporis parte sanguinem mittere. Et nu. 8. In capitis dolore acuto ster nutationes fortes inducere oporttet, & infusum per clysterem inijcere, quod bilem vehementer ducat. Et nu. 21. in pleuritide ex dorso infusum ex thapsia per clysterem inijcito; si stercus prodijt purum, aut leuiter biliosum, & modicum. & in l. de inter. affect. pag. 91. nu. 58. in coxendicum morbo parat clysterem ei, qui à sanguine ægrotat; quo sanguinem, & pituitam à coxendicibus abducat. Salis pugillo trito, olei heminam, & de hordei decocto duas heminas ammisceto: atque sic infundito.

Verùm quo morbi tempore clysteres imittantur, docet in lib. de Vict. ra. in morb. acu. com. 4. par. 43. & ait.

& ait. Quibus principio vrinæ & nebulosæ, & crassæ existunt; hos annuentibus cæteris purgare conuenit. quòd, si inter initia vrinæ tenues fuerint: quæ, vt exponit Gal. in com. indicant humorum cruditatem; tales non purgabis. at, si videatur; clysterem exhibebis. Et par. 44. Ventrem ab initio clystere duces, sed medicamenta purgantia non adhibebis: nam si ventrē moueris vrina non maturabitur, & febris citra tum sudorem, tum iudicationem in longum protrahetur tempus. Et par. 29. postea reficere expedit, habita iudicationis ratione superiorem ventrem, si non leuetur, purgare: inferiori verò, si non deiecerit, clysmum injcere. Et par. 37. eiusdem. sumat in potu oxymeli. at, cum grauitas ad lumbos vsque descenderit; tum vel clysmum dare, vel medicamento purgare oportet. Et subdit. Cū flatus male olentes fuerint; balanus, vel clysmus confert. si non; bibentes oxymeli tantisper cohibere oportet, donec ad inferiorem alnum descenderit: deinde clysmate subducere conuenit. Et par. 75. Clysterem postea. s. misso sanguine in pleuresi, & peripneumonia, exhibebis. Et par. 76. Si dolor pleuritico. s. sub thorace fuerit. valdeq; infesta uerit; ventrem subpurgabis, nihilq; dum purgabitur dabis. à purgatione autem oxymeli verùm tamē purgans medicamentum quarto die ministrabis, tribusque primis diebus clysteres exhibebis: quibus si non leuetur; ad hunc purgabis modum.

De Coitu.

Voluptas accedit. s. coeunti, vena hac genitura expleta. cum igitur soleat reliquo tempore modici sanguinis, ac multi spiritus esse repleta, & calefacta, & femina deorsum confluente, ea, quæ in seipsa habet, constringit. spiritus autem in ipsa existens, & præsens violentia, & caliditas, & venarum vndiquaque concitatio, titillationem inducit. hæc in li. de offium natura de causa voluptatis in coitu pag. 29. num. 23. At in lib. de Geni. pag. 13. num. 56. Mulieribus in coitu, dum confricatur, ac teritur pudendum; vteri mouentur, veluti pruritus in ipsos incidat, ac reliquo corpori voluptas, & caliditas accedit. Emittit autem & mulier à corpore genituram, aliquando in ipsum vterum, qui sane inde humidus euadit, aliquā do foras, si vterus magis quàm opportunum est hiarit. & delectatur mulier, vbi coire inceperit per omne tempus, donec vir semen emiserit. &, si quidem, appetit viro commisceri, prius quàm vir emittit, & de cætero non similiter delectatur. si verò non appetit; simul cum viro delectari desinit: & habet res hoc modo, quemadmodum si quis in feruētem aquā alteram frigidam infundat; illa feruere cessat. sic genitura viri in vterum illapsa, caliditatem, & voluptatem mulieris extinguit. exilit autem, voluptas, & caliditas simul cum genitura in vteros illabente; deinde desinit, quemadmodū si quis in flammam vinum infundat, primum quidem contingit flammam exilire, & per modicum tempus augeri ad vini infusionem deinde desinere. ita etiam mulieris caliditas exilit ad genituram viri: deinde desinit. cæterùm multo minus delectatur fœmina, quàm vir in coitu, & vir etiam tempore longiore; propterea autem quod vir magis delectatur, fecernitur ipsi derepente ab humido, fortiori turbatione, ac agitatione, quam mulieri. Et in l. de na. pue. pag. 16. n. 22. Vir si multū coeat, venæ ampliores redditę venerē magis inducūt. Et in l. de aere, aquis, & lo. pag. 38. n. 48. recenset & causas ob quas Scytharum gens minime ad coitum excitetur & ait. Viri minime cupidi sunt cum fęminis misceri ob nimiam corporis liquiditatem, ventrisque mollitiem, ac frigiditatem. quæ causæ apparent minime viros ad coitū incitari. accedit his lassitudo ex continua equitatione contracta. Ex his vide, quę sint coitus causæ efficientes, & materiales. Verùm qui proni sunt, his sit mediocris, ut vult Hip. in lib. 6. de morbo. pop. sect. 6. & propterea dictum est in lib. 2. præd. pag. 172. nu. 8. Si vxore semel vsus fuerit; vegetior vtique erit, & magis solutus. si verò sæpius rem peregerit; durior euadet, & squalorem quendam habebit, & decoloratior, ac magis lassatus erit. vnde in l. 2. de dię. pag. 48. num. 22. Coitus attenuat, humectat, & calfacit. calfacit quidem propter laborem, & excretionem frigiditatis. attenuat autem propter euacuationem. homectat propter colliquationis reliquias in corpore præ labore. & ideo indurat per se: nam legitur in li. 6. de mor. popu. sect. 5. coitus ea, quę sunt in ventre indurat. Et, quoniam calfacit propter excretionem frigitatis; idcirco morbis ex pituita cōmodum esse affirmat Hip. in lib. 6. supra citato, sect. 5. & propter eandem causam vtilem fore his, qui horrent ex gymnasijs, & cum se exuunt donec decertēt, vt in l. 3. de diæ. pag. 51. nu. 22. testatur. At si immodicus sit, facit præter alia incommoda, tabem dorsalem, quemadmodum apparet in l. 2. de mor. nu. 49. & in l. 6. aph. 30. puer podagra non laborat ante vsum venereorum: nam magna vis, vt ibi ait Gal. veneri est ad podagram generandam.

De Colliquatione.

Colliquatio sæpe ab his, qui opera Hip. latina reddiderunt, atque interpretati sunt contabescentia, tabesve, attenuatio, emaciatio, & debilitas pro eadem re vsurpantur. sed profecto idem non sunt: imò vna aliam sequitur, & comitatur. Colliquatio autem nuncupatur ea passio, quæ non in liquidis corporis nostri partibus reperitur; sed in his, quæ medium tenēt locum inter hæc, & solidas partes. liquescit igitur pinguedo quæcunque ea sit, & quæ pinguedinem imitantur, vt cerebrum, ac medulla, carnes, hepatis substantia mollis, & splenis: propterea quòd ex sanguine alter, ex atra bile, vel aqua alter concretus augescit. Et, si colliquescat cerebrum in alteram partē; dicitur destillatio, & fluxio: si carnes liquidæ per ventrem egerantur, dicitur ventrem colliquescere, vt proditum est in lib. 7. de mor. pop. num. 40. & cum emaciantur aliquæ partes, veluti extremæ dicuntur colliquescere, sicut manifestum fit in lib. 2. præd. nu. 11. & propterea, cum euacuatio fiat, attenuatio debilitasque totius corporis fit aut per sputa, aut sudorem, aut per alui profluuium, aut per vrinam, aut per insensibilem transpirationem: cum verò alicuius partis id euenit læsa virtute retentrice vnius, & robusta alia, quemadmodum cōtingit, quando carnes liquescentes à splene trahuntur.

Sed causas colliquationis ex pluribus locis habuimus Hipp. nam scriptum est in l. de mor. sac. pag. 58. n. 13. cerebrum humidius, quàm ex natura, fit, vt præ pituita inundat, vt defluxiones quidem frequentiores fiant. Et subdit. cerebrum eroditur à pituita, ac colliquatio: id verò, quod colliquatur, aqua fit, & foris cerebrum ambit, & circum aluit. Et in eodem

lib.

l. nu. 7. si moderata fuerit purgatio. s. pituitæ à cerebro; fœtus saniſſimum caput habebit. si amplior colliquatio à toto cerebro facta fuerit; morboſum. si ab vna aliqua parte colliquatio contigerit aut ab oculo, aut ab aure, aut vena aliqua ſimul gracilis facta fuerit; ille ſic afficitur, qualiter ſana colliquatio contigerit: ſi verò purgatio non contingat, ſed in cerebros piſſetur, ac cogatur; ſic neceſſe eſt fœtus pituitoſos eſſe. Et nu. 11. eiuſdem li. Defluit, & eliquatur pueris, maxime quibus ſanè caput fuerit percalefactum ſiue à ſole, ſiue ab igne, ſiue etiam derepente inhorruerit cerebrum, etiam tunc pituita ſecernitur: eliquatur enim per calorem, ac cerebri diffuſionem: ſegregatur autem à frigore, ac concretione, & ſic defluit. Et in l. 2. de diæ. pag. 48. num. 22. Coitus humectat propter colliquationis reliquias in corpore præ labore. & ſubdit. Vomitus humectat propter repletionem, & colliquationem carnis præ labore. at contrà in li. de Chir. off. pag. 186. num. 12. ait enim. Vſus corroborat, ocium autem colliquat. Sed colliquatio hoc loco ſignificat humiditatem: nam in l. 2. de Diæ. nu. 24. legitur. Segnicies, ac ocium humectat, & corpus debile facit: labor ſiccat, & corpus robuſtum facit. Et in l. de Vict. ra. in mor. acu. com. 4. par. 114. Qui ventrem inferiorem calidum habent, ſubeuntque acres deiectiones, & inæquales, hi à colliquatione id patiuntur. ſed in com. inquit Gal. Excrementa his ob inuſtionem, non ob colliquationem ſubire magis propriè dixiſſet: nam colliquatio in eo fit abſumpta, contabefactaque propter febrem moroſam vel pinguedine, vel molli carne. inuſtio verò in ventre oritur propter acrem eorum, quæ ingeſta ſunt caliditatem, ob quam & febrire contingit. Et in l. de Affect. pag. 81. nu. 25. Corpus liqueſcit, dum ſimul cibi per multum tempus in ventre non concoquuntur, & ſimul à ventre calido præter naturam caleſcit. hæc verò omnia tibi declarant cauſam colliquationis efficientem eſſe calorem, & frigus: materialem verò pituitam, & bilioſos humores. efficientes autem ſunt interne, vel externe. at verò colliquatio potiſſimum à calore fit: nam diuturnus pituitæ motus corrodit cerebrum, ac fortaſſe præterea pituitæ ſalſedo quædam, quam temporis progreſſu contraxit: & hęc calorem ſignificat. ſic labor præteritus, qui eſt motus excitat calorem, ſic venus, febris, & id generis. fit etiam aliquando à frigore: verùm raro; cum magis frigori competat condenſare, quàm colliquare: attamen frigoris colliquatio contingit, ſi externa humiditas vtpotè cibi membrum occupet, cuius calor eam ſuperare non poſſit, vt quæ ibi inconcocta, ac liquida permaneat: aut, ſi frigus calorem obſtruat, qui colliquationem operetur. ſed quoquo pacto id fiat, colliqueſcit profecto corpus, cum partes ipſius actiuę vincantur à paſſiuis.

Quo autem modo colliquatio fiat, partim cum de cerebri colliquatione locuti ſumus, egimus: partim nunc differemus, ac primo quonam modo liqueſcant carnes. Scribitur in li. de Affect. pag. 81. nu. 23. Cum quis ex longo morbo impurgatus multo tempore manet; corrumpuntur carnes, & liquantur, & fit aqua. fit & à ſplene cum ægrotarit, ab hepate, à pituita alba, à dyſenteria, ac lienteria. Et ſubdit. Cum carnes à pituita, & tempore, & morbo, & non purgata immunditia, mala curatione, ac febribus corruptæ fuerint; liqueſcunt, & fiunt aqua. Et in l. de ſuperfœ. nu. 6. Fœtus in vtero mortuus intumeſcit primum, deinde colliqueſcunt, ac putreſcunt carnes. Et in l. de aere, aquis, & loc. nu. 10. in ſplenem carnes colliqueſcunt. quare graciles exiſtunt. oportet igitur primum carnes corrumpi, deinde liqueſcere, ac poſtea putrefieri. ſed corrumpuntur carnes; cum proprius calor euictus fuerit à ſiccitate, aut ab humiditate, aut ab eo, quod his ineſt, frigore: deinde cum frigus non fuerit temperatum: vnde fiet, vt humiditas carnis non habeat ſtabilitatem à ſiccitate, nec ſiccitas continuitatem ab humiditate. Qua verò via fiat, antea dicimus, hoc eſt, ſputo, ſudore, vrina, egeſtione plurima, ſanguine, ac effluxione occulta. Porrò in conſtitutione frigidæ, & humida recitat Hip. in l. 1. de mor. pop. ſect. 2. pag. 126. colliquationes factas fuiſſe, ac tabes. Et in lib. 4. de mor. pop. num. 17. Vxor Emmynis modo non morboſo ſtupida eſſe videbatur: poſtea ad tremorem totius corporis, & ad colliquationem, & cibi faſtidium, ac ſitim res ipſi deuenit: & frigida erat. Et in l. 7. pag. 147. num. 3. Alui egeſtio erat multa, & diſcreta, & tenuis, & coloris vinoſi, & corporis dolor, colliquatio extrema, & impotentia. Et nume. 7. Vox raucoſa, & corporis colliquatio.

Quid præterea præſagij det colliquatio, ſcribit Hip. in l. 2. aph. 18. cum ait. Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plus quàm ratio poſtulat cõtabeſcere malum: illud enim morbi longitudinem; hoc verò imbecillitatem ſignificat. Et in l. 3. de Diæ. pag. 50. nu. 16. Progreſſu temporis & dolores, & morbi fiunt. his conſimilia patiuntur etiam, qui inexercitati derepente laborauerunt, & colliquationem carnis violentam, ac multam fecerunt. de his, deque eorum curatione lege in lib. de natura hu. pag. 11. nu. 23. & 25. & lib. 3. de morb. pop. ſect. 3. vrinæ multæ erant non pro potus ingeſti ratione. multa quædam earum malitia: neque enim craſſitiem, neque concoctiones, neque purgationes bonas habebãt: nam in multis morbis purgationes per veſicam contingentes bonæ ſunt. ſignificabant autem plurimis colliquationem, & turbationẽ, & dolores, & nullam iudicationem.

De Collo.

Collo accidunt mala, quemadmodum dolor, diſtentio, duritia, impotentia, torpor, tuberculum, conuulſio, verticula intro verſa, peruerſio, frigus, ſudor, tendines duri, atque alia multa. & hæc vel abſque alio morbo exiſtunt, vel morbum comitantur, vel ſuperueniunt, vel antecedunt. de his, quæ per ſe conſtant pauca dicemus. ſed de alijs plura; eo quòd aut morbum indicant futurum, aut quis finis futurus ſit præſentis, prænuntiant.

Affectiones quædam, quæ in collo inſunt ſimplices, recitantur in l. 7. de mor. pop. num. 44. ibique ait. Affectio ex dextro oculo ad tempus dextrum, hoc erat dolor: poſtea ad totum caput, & collum ſe contulit. caput intumeſcebat retro ad verticula: & diſtentio, ac duritia circa tẽdines. vomitus ſi quãdo oborie bantur, dolores auertebant, ac mitiores faciebant. venæ ſectio profuit. & veratrum duxit omnigena, & non minime praſina. Et nu. 7. eiuſdem li. Febris cum iam deſineret; colli dolor vſque ad ſpinam, ac lumbos, & harum partium non valde potens erat. maxillæ

xillæ compactæ, & dentes inter seipsos, vox balbutiens: sed prudens erat. calefactorijs, & aqua mulsa tepida tertia ferè die hæc laxauit: & postea succis, & iusculis sana euasit. similem casum comperies, sed non curationem. nu. 5. eiusdem li. sic in l. 4. pag. 137. nu. 6. Vxorem Nicostrati correptam decimaquarta die, sta tim occupauit impotentia colli, & aliarum partium, & cibus inclusus vsque ad decimam. alia addit symptomata: sed curationem non tangit.

De tuberculo in collo scriptum est in l. 5. de morb. pop. n. 26. Collimedontis puero contulit ad tuberculum, quod habebat in collo durum, & magnum, & crudũ, ac doloroſum ſectio venæ brachij, & lini torrefacti cataplasma imponere subactum vino albo, & oleo imbutum, ita vt deligetur neq; calidum, neque valde coctũ: aut cum aqua mulsa coquatur fœnu græci, aut hordei, aut tritici farina.

De verticulis hæc dicit Hip. in l. 2. de mor. pop. sect. 2. Erant anginosorum affectiones hæ. colli verticula intro vergebant, quibusdam amplius, quibusdã prope. & collum forinsecus conspicuam cauitatẽ intro habebat. De collo cõuulso agit in l. 7. n. 25. de torpido autem in l. 4. nu. 21. Fiunt in collo vulnera lethalia, vt legitur in l. 2. præd. n. 19.

Sed quid boni, maliue præsagiant colli vitia, vidẽdum est. legitur in lib. de Coac. præ. pag. 175. col. 2. Qui ex rigore perfrigerantur, caput, ac collum dolentes, voce destituti, insuper exudantes postquam se recollegerint, moriuntur. Et pag. 176. col. 4. Quibus capitis, ac colli dolor est, sed & totius corporis tremula quædam impotentia, sanguinis eruptio soluit. quin & tempore hæc soluũtur, verùm vesicæ in hoc supprimuntur. Et ibi col. 4. caput dolentes, surdastri, manibus tremuli, collum dolentes, mingentes nigra condensata, vomẽtes nigra, periculose habent. & paulo post. soporosi in principijs fientes cum capitis, lumborum, colli & præcordij dolore, vigilantes, dum phrenitici sunt? nasus in his destillans pernicioſus, tum alias, tum quarto ab initio die. malum est etiam alui profluuium valde rubicundum, & pag. 177. col. 4. collum durum, & doloroſum, & maxillarum colligatio, & venarum iugularum palpitatio fortis, & tendinum distentio pernicioſum. Et dolores in faucibus gracilibus strangulatorij, à capitis dolore originem trahentes conuulsorij sunt. frigiditas colli, ac dorsi apparentes, sed & totius corporis conuulsoria: in his mictiones fiunt crassiorem farinam referentes. Et paulò infrà. dolores fortes circa fauces, tumores circa aurem, & conuulsiones efficiunt; colli itidem, ac dorsi dolores. Cum febre acuta conuulsiones pernicioſæ, colli, & cubitorum dolores cõuulsorij. à facie autem hi, & secundum fauces. Et colli dolor, malum quidem in omni febre, peſſimum autem his, quibus timor est, vt etiam insaniant. Et pag. 178. col. 1. collum conuertere non posse, neque deglutire vt plurimum lethale. Et pag. 176. col. 4. capite grauati, iuxta sinciput dolentes, vigilijs infestati, sanguinem effundunt tum alias, tum si quid ad collum se extendat, & in l. de vict. ratione in morb. acu. comm. 4. par. 46. consueuerunt febres, quæ. s. ante coctionè solui nequeunt protrahi, & abscessus habere, si aurium, cerui cisque infernæ partes frigidæ fuerint. quod si frigidæ non fuerint profecto mutationes habent: nam fluit è naribus sanguis, & ventres turbantur. & par. 32. tendines quoque cerui cis posteriores scilicet, angina contenduntur in apparentque tetani modo intendi. Et part. 62. cum in febribus quinta die terrificum quid fuerit, vel venter repente liquida deiecerit, & animæ defectus prehenderit, vel vocis priuatio, vel conuellatur æger, vel singultiat, ex his angi grauiterque affici consueuit, sudoresque circa mustacem, faciem, & cerui cem ab occipitio esse consueuerunt. qui autem hæc patiuntur, spirituosi paulo post moriuntur. Et par. 63. quibus per febres crura tuberculis afficiuntur, &c. si & alia facilia fuerint, pedum dolores sunt expectandi: qui si pedem affecerint, & doloroſos perseueret, & inflammetur, & non leuetur, dolores post paulo ad cerui cem peruenient ad clauiculam, pectus, & articulum: nempe & hic tuberculoſus fieri debet. Et par. 83. cum obtendines vehementer in anteriorem reuelluntur partem, & sudores circa cerui cem & faciem oriuntur, quid faciendum sit, docet postea. at in l. prog. com. 3. par. 17. in angina attollitur cerui x, hoc est, collum, & fauces rubent. & par. 18. si quibus fauces rubent, & cerui x, hæc scilicet angina est diuturnior. maxime verò ex ea seruantur, si cerui x ac pectus traxit ruborem, nec facer ignis intro recurrit. Et in l. 3. pror. com. 3. parti. 20. cerui cis, & dorsi perfrictiones apparentes per totum corpus, in his & spumosæ vrinarum excretiones cum animæ deliquio, atque in oculis totius lucis impedimentum conuulsione prope esse indicant. & par. 21. cubiti, & cerui cis dolores conuulsiui, à facie autem hi, atque in faucibus, sonitus multi. sudores in his per somnos boni. an & sudore quàm plurimos leuari non malum. legitur quoque in lib. 4. aph. 35. si à febre habito collum peruertitur, & vix potest deuorare sine vllo tumore lethale.

Collutiones.

Collutionum plures sunt species: & idcirco vsus earum est multiplex: si quidem aliæ bilem trahunt, & pituitam: de quibus mentio fit in l. 1. de mor. mul. num. 118. & 119. aliæ purgant vteros, si ex partu, aut inflammatione fuerint inflammati, quales leguntur in eodem l. n. 111. vbi quoque agitur de collutionum mẽsura. ad huiusmodi commoda descriptę sunt quoque aliæ in l. de na. mul. nu. 99. aliæ pertinent ad vteros vlceratos, & vrinæ stillicidium: quas lege in l. 1. de mor. mul. n. 127. quædam vtiles sunt fluxibus muliebribus, atque hæ scriptæ sunt in l. 2. de mor. mul. nu. 73. præterea aliæ sunt, quæ corroborant, si vlcera corroborant, si vlcera pura fuerint, quas cõperies in eodem li. 2. nu. 111. atque ibi. n. eodem leges, hæque infunduntur ad vetera vlcera. Et lib. 2. de mor. pop. sect. 3. col. 4. Quæ circa linguas eleuantur collectiones, & humilis calculi, & quæ podagricis fiunt: circa debiles illorum articulos sunt: nam ossium natura causa est, vt hæc & indurentur, & distendantur.

De Colore.

Quemadmodum inter humores optimus est sanguis; sic inter colores, quibus ornatur corpus humanum, siue cutis ipsius est is, qui ex sanguine resultat, & eo magis color est diligendus, quo sanguis purior euadit. & idcirco dicitur ille coloratus, qui faciem sanguineo colore ornatam habet. quod verò res sic se habeat, explicat Hip. in lib. de ossium natu. pag. 29. nu. 28. his verbis colorum mutationes corde adstringen-

gente venas,ac laxante fiunt. laxante quidem igitur rubicundi:colores fiunt,& bene colorati, ac pellucidi: constringente verò viridis cum pallore,& liuidi. verùm tales euariant iuxta præsentes in vno quoque colores. quare manifestum fit sanguinem bonum effi cere colorem,ac præterea cordis laxationē,atq; con strictionem causas esse efficientes boni,ac mali coloris.oppositus huic est color qualis mortuorū, de quo scribit Hip.in l.5.de mor.po.pag.141.n.24.& ait. Ei, qui hepar percussus est iaculo statim color qualis est mortuorum per corpus diffusus est.oculi raui,anxietas,molestia.mortuus est. at præter cor, boni coloris causa est locus,quem colimus,& venti.de loco prodi tum est in li.de aer.aq.& loc.pag.35. nu.8.sic.quæ ad orientem solem sitæ sunt ciuitates, eas par est esse sa lubriores his, quæ ad septentrionem conuersæ sunt, & his quæ ad calidos ventos sitæ sunt. & subdit.& hominum formę boni coloris sunt,& magis floridę, si non quis alius morbus prohibeat. de vento sic legitur. lib.3. aph. 17. aquiloniæ constitutiones corpora densant,contendunt,& bene mobilia, coloratiora,& melius audientia faciunt.

Verùm bonus color in prægnantibus hoc dat præ sagium quod scriptum est in l.5.aph. 42. hoc est mulier si marem concepit,bene colorata est, si verò fœminam,male colorata. & Gal.in com.ait.quæ fœminam concepit minus se ipsa colorata apparet; quoniam frigidior est fœmina mare, nunquam.n.talem concepisset,nisi viri semē,& vterus frigidior eo tem pore fuisset,in quo concepit. inter bonum colorem, & eum,qui est velut mortuorum collocātur alij, qui quo magis participant de alterius extremi natura, eò meliores, peioresque sunt. sed quid malus significet color continuus legitur in l.2.prædic.pag.174.num. 39.cum ait. quibus colores dum iuuenes sunt, praui sunt ad multum tempus,& continenter, non tamen morbi regij modo;hi siue viri siue fęminæ caput dolent,ac lapides,& terram comedunt,& hæmorrhoidas habent. pallidi verum cum virore colores, qui diuturni sunt, & morbus regius uehemens non est, alia quidem eadem facere solent. verò pro lapidum ac terræ esu præcordia hos magis affligunt quàm alteros. Quicunque verò multo tempore pallidi apparent,& facies tumore eleuatas habent, aut caput dolere sciendum est, aut circa dolorem habere, aut in sede malum aliquid in seipsis. Ex his autem apparen tibus non vnum aliquod horum malum apparet: sed plerunque multa,aut etiam omnia. At colores non semper ijdem sunt in corpore, sed, vt inquit Hip. in lib.de humo.pag.56. num.8. colores non sunt similes in temporibus,neque in aquilonaribus, neque in austrinis constitutionibus,neque in ætatibus,neque in vnoquoque ad seipsum, neque in alio ad alium. considerandum autem est ex his quæ præsentia, ac quiescentia nouimus de coloribus, & quòd ætates temporibus similes sunt & colore,& mutatione. In com.autem ait Galen. mutantur colores vel propter humores qui à forma naturali recesserunt, vel qui in imas corporis partes reuersi sunt,vel qui velut ad cutim sunt attracti: deinde propter animi perturbationes, & aeris nos ambientis in calorem, & frigus mutationes: itemque ob corporis affectiones,in quo sanguis calidior insit, vel frigidior, vel parcior, vel copiosior, vel foras protrusus, vel intro retractus. omnis præterea succorum malitia colorem totius corporis immutat,vt in morbo regio, aqua inter cutem,& alijs.quocirca legitur in lib.4.aph.40. Et vbi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur,vel rursus calefiat, vel color alter ex altero fiat; longitudinem morbi significat: propterea quòd, vt exponit Galen. in com. variæ dispositiones semper diuturniores sunt,quàm quæ sunt vnius modi: cum non possit natura in paruo tempore multas conficere dispositiones. Et in com.1.num.1.pag.176.col.2. Pueris febris acuta, & aluus suppressa cum vigilijs, & calcitrare,& colorem mutare,& ruborem habere conuulsorium est. Et paulo infra Color,qui sæpe in colore mutatur,vtilis est. Et nu.175.col.3.soporosi rigores aliquatenus pernicioſi, & flammeus in facie color,cum sudore in his malignus. Et col.4. Rubor in manibus,ac pedibus pernicioſus. Et infrà.liuores oborientes in febre, breui mortem afferre significāt. Et propterea etiam atque etiam color in acutis præsertim morbis est considerandus:nam inter signa exitiosa collocat Hip.in lib.prog.com.1.par.7. colorem totius vultus viridem,aut nigrum.Et par.9.si lucem effugiant, &cęt. vel totius color euariet vultus; hæc omnia mala esse,atque exitiosa censendum est. quapropter mirum non est,si in libris de morb.popu.sæ pe colorem tum pallidum,tum liuidum, tum subalbidum describat corporis ægrotantis: atque non solum de toto corpore,sed de partibus, veluti de coloribus linguæ,ac de excrementorum coloribus de quibus suis dicetur locis.

Columbi.

Columborum caro minus sicca est, quàm palumborum,hæc in lib.2.de Diæ.nu.10.

Columella.

Columellæ,quæ ab acini similitudine vua dicitur causa,& curatio legatur in lib.de Affec.num.4.& de columella in pudendis lege in lib. 2. de morb. mulie.num.81.

De Comate.

Coma,vt scribit Galen. in com. 1. pror. par.1. est delatio in somnum nequeuntibus qui ab hoc occupantur symptomate vigilantium munia obire: sed tum palpebras claudere cupientibus, tum dormire sperantibus. contingit autem interdum horum quibusdam vt clausis palpebris dormire nequeant, sed plurimum vigilent. idcirco Hip. de vtroque comate loquens in lib.3. de morb.popu. ait. prehendebat autem eos vel coma continuum somniculosum, vel peruigilum laboriosum.ibi quoque ait.nullus phreniticorum vehementer insaniuit, vt in alijs: sed alia quadam veternosa in somnum delatione capite grauati moriebantur. & Galen. in lib.3. pror. comm.3. part.1. ait coma esse cataphoram.i.in soporem delationem, & fit interdum grauato ob vtilis succi copiam cerebro vt in ebriosis: aliquando verò propter pituitosum humorem vel propter ægre separabilem absque humore frigiditatem.cum autem vigilantię coma iunctum fuerit, succi mordentis permixtione fit hæc affectio. qua de re quo oculos tenet clausos homo habet à pituita, quo verò dormire non potest à bile: bilis enim cogit vigilare, pituita verò coma excitat.

Sed quid ex comate præsagiendum sit, videamus. legitur in l.1.pror.comm.1.par.1.qui comatosi inter

ini-

initia fiunt, cũm capitis, lumborum, hypocũdrij, colliq́ue dolores vigilantes, phrenitici ne existant? stillatio è naribus his pernicioſa, tum alias, tum ſi quarto cœperit die. & in l. 2. pror. par. 38. purgare non oportet neque in febre comatoſos, inclinatoſq́ue: pernitioſe etenim habent. Et par. 41. febres cum comate, labore, lucis turbulentia, vigilijs, & ſudoribus malignæ. Et par. 56. in oculorum peruerſione cum febre, & laſſitudine rigor pernicioſus: comatoſiq́ue in his male habent. Et par. 58. quibus voces tum febre deficiunt poſt indicationem, hi cum tremore, & comate pereunt. Et in l. 3. com. 3. par. 1. quibus coma ſpumoſis prodeuntibus oritur, febris accedit acuta. Et par. 6. ex ceruicis dolore cum comate, & ſudore venter inflatus, ſi ad neceſſitatem liquida dimiſerit ſublutus, ex his bile carentia in ecſtaſin aguntur. talia autem ſi ſeruentur, diutius æger laborabit an & his bile carentes proluuies mitiores meliorisq́ue moris exiſtant, & flatuoſum adiuuerint tumorem. Et par. 9. ſuperueniẽtes rigores, & nocte magis quodam modo exacerbantes cum vigilijs, & venarum agitationibus in ſomnis atque vrinas prẽter arbitriũ exercentes in comatoſas aliquando finiuntur conuulſiones. Et par. 10. qui principio ſudant vrinis coctis deuruntuŕque, & abſque iudicatione refrigerantur, & celeriter peruruntur, torpidi item comatoſiq́; & conuulſi pernitioſe habent. Et par. 25. quæ in acutis morbis vomendo trahuntur vitioſa. atque albæ deiectiones difficiles. lentore carentia ex his percurrentia multo cum æſtu in mentis abeunt aberrationem, ex his comatoſi, torpidiq́ue poſtea fiunt. morbus ex talibus diutius manet. an & circa iudicationem areſcentes difficulter ſpirent? Et part. 35. poſt ſanguinis erup. deiectiones nigræ, malæ. prauæ autem, & impenſe rubræ. an & quarto die talis eruptio fiat? comatoſi ex his conuulſione finiuntur. an nigris procurrentibus, & tumefacto ventre. & par. 67. ſurdis manſuetæ parotides fiunt, tum alias, tum ſi faſtidioſi quippiam ſuperuenerit, & comatoſis magis. & par. 74. ventre nigra ſtercoroſaq́ue deijciente coma ſuperueniens parotidas excitat. & par. 76. in capitis dolore coma, & ſurditas abſceſſum aliquem poſt aures eructant. Et par. 77. hypocundrij contentio cum comate faſtidioſo, & capitis dolore parotidas effluere faciunt. & alia lege in lib. de Coac. præ. at perpetuo pro comate tranſtulit Corna. ſoporem.

Compreſſiones.

Dicit Hip. in l. prog. com. 1. par. 4. naſus compreſſus. & Gal. in com. ait compreſſus naſus apparet in his, qui longiore morbo extenuantur, aut præ dolore conflictantur, aut quouis modo exoluantur, aut animo linquantur, & item omnibus defunctis. ſed in l. 1. aph. 3. neque compreſſiones ad extremum ducendæ: periculoſum enim ibi compreſsiones ventris cõſtrictionem ſignificant. & in l. 5. aph. 46. quæcunque præter naturam craſſę nõ cõcipiunt vtero, his omentum os vteri comprimit: ab omenti enim pinguedine, vt exponit Gal. comprimitur, & anguſtatur vteri os. ſed aph. 51. eiuſdem l. inquit Hip. Quæ vtero gerunt his vteri os comprimitur, hoc eſt, clauditur. Cõpreſsio quoque ad rem facit chirurgicam: ſcribit. n. Hip. in lib. chirur. off. pag. 85. num. 4. Eius quod bene deligatur duæ ſunt ſpecies, roboris quidem, aut compreſſione, aut copia linteolorum. & ſubdit. Compreſſio quidem, vt incumbentia non abſcedant, neque penitus innitantur: ſed ſint firmata, non autem coacta & minus quidem extrema, minime verò media.

Comitialis morbus. L. Epilepſia.

De Conceptione.

Mulierum quædam concipiant, hoc eſt, ſemen in vtero recipiunt, ſeruantq́; quædam non concipiunt. harum autem, quæ concipiunt aliæ retinent fœtum aliæ corrumpunt: atque ambæ hæ aut ſanæ, ſunt aut ægrę. quæ non concipiunt aliæ concipere videntur, & non concipiunt: aliæ minime. & quæ concipiunt aliæ iam conceperunt, aliæ nondum. & quæ conceperunt aliæ ſunt ſanæ, aliæ egræ. & quę iam conceperunt his neceſſarium eſt aliquod conceptum ſeruans aut corrumpens, atque expellens, de quibus omnibus diffuſe differemus: ac primum de his, quę concipiunt, quę commoda ipſis ineſſe oporteat.

Legitur in l. 2. prę d. pag. 174. n. 33. Ex mulieribus, quę magis aut minus in vtero concipere ſolent ita conſiderationem facere conuenit. paruę ad cõceptio nẽ pręſtantiores ſunt maioribus, tenues craſſis, albæ rubicundis, nigræ liuidis, quæ venas conſpicuas habent his, quæ non habent carnem vberiorem habere aniculæ malum eſt: mammas autem tumidas, ac magnas bonũ. verùm interrogare oportet etiam de menſtruis purgationibus, an omnibus menſibus compareant, & an copia ſatis magna, & boni coloris ſint, & æquales in ſingulis temporibus, & hiſdem menſium diebus: ſic enim has fieri optimum eſt.

Locus verò in quo fit conceptio, ſit ſanus, & ſiccus, ac mollis: neque retractus, neque pronus, neque os ipſius auerſum, nec concluſum, neque auerſum. de his quoque lege in l. 1. de mor. mul. pag. 102. num. 22. hæc mulieri neceſſaria inſunt, quæ conceptura eſt: nam non concipiunt, vt legitur in lib. 5. aph. 62. quæcunque frigidos, & ſpiſſos vteros habent, & quę humidos: extinguitur enim in eis genitura. & quæ ſiccos magis & adurentes: nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen: quæ verò mediam habent temperaturam, hæ fœcundę ſunt. præterea legitur in eodem l. aph. 46. quęcunq; prẽter naturam craſſæ non concipiunt vtero, his omentum os vteri comprimit, & priuſquam extenuentur, non concipiunt. ſed poſt menſium purgationem, vt ſcriptum eſt in li. de natura pueri. pag. 17 num. 39. eadem die, aut omnino in paucis viris permixtæ mulieres ad ſe genituram concipiunt; quoniam vteri hiant. ſed & in maribus conſideratio eſt habenda: propterea quòd ſępe in cauſa ſunt, cur non concipiat mulier. proditum eſt enim in l. 5. aph. 63. ſimiliter & in maribus: aut enim propter corporis raritatẽ ſpiritus extra fertur, vt ſemen non tranſmittitur ad os, vel propter ſpiſſitudinem humor non exit foras, vel propter frigiditatem non coaleſcit ita, vt ad hunc colligatur locum: vel propter caliditatem hoc idem accidit. verùm, ſi ſcire velis, an mulier, quę nondum concepit, conceptura ſit, pannis, vt docet Hip. in lib. 5. aph. 59. circunte ctam deſuper ſuffias. & ſi odor videtur per corpus ire ad nares, & os, ſcito, quòd ipſa non ex ſe ipſa ſterilis eſt. ſigna iam factę conceptionis leguntur: quę ſunt in l. de ſuperfę. pag. 22. nu. 9. ſi cui ab appoſitis in vuluam non valde fortibus dolores in articulos

ſiculos perueniant, & ſtridor dentium corripiat, & membris tendatur, ac oſcitet: hanc magis concepiſſe ſpes eſt, quàm eam, quæ nihil tale patiatur. mulier, quæ præter naturam craſſa eſt, ac pinguis & pituita repleta, non concipit hoc tempore. experimentum verò nos docet num. 10. eiuſdem libri, quo ſuffias. at verò de his plura lege in li. 6. de natura mul. & in lib. de mor. mul. & in l. de ſteril. nam ibi quæ narrata ſunt & alia ſcribuntur. Et in lib. de Carn. pag. 19. num. 21. vbi inquit. mulier cum primum in ventre concepit; horret, & calor, & dentium ſtridor conſequitur, & conuulſio occupat, tum articulos, tum totum corpus: & vterum ſegnities, ac torpor. & quæ puræ ſũt, hoc perpetiuntur: quæ verò craſſæ, & mucoſæ hoc non perpetiuntur, pleræque ex his mulieribus non percipiunt, nec cognoſcunt. Et in l. de geni. pag. 13. nu. 7. poſtquam coiuit mulier, ſi conceptura eſt; non procedit foras, ſed manet in vtero genitura: nã vteri ſuſceptam, & concluſam in ſe ſe continent, oſculo nimirum ipſorum præ humiditate contracto ac concluſo: ſi mulq́ue per miſcentur, tum quæ à viro venit, tum quæ à muliere.

At, ſi ob cauſas ante relatas mulier fęcunda non conciperet, habita ratione ad cauſam curatio adhibeatur eo modo, quo deſcriptum eſt in l. ſupracitati. verùm, ſi cui dolores, vt legitur in l. de ſuperfę. nu. 10. in coxendice, aut in capite, aut manibus, aut aliqua alia corporis parte fuerint, cum prægnans eſt de finunt. conceptu autem ab vtero exoluto rurſus inſunt, ſi verò poſtquàm concepit mulier affectionibus teneatur, curetur eo quidem pacto, quo libri prædicti de mulieribus explicant.

Tempus autem, quo concipiunt, conſtituitur, vt proditum eſt in l. de octimeſtri partu pag. 21. num. 6. hoc modo. ex his omnibus neceſſarium eſt plerasq́ue mulieres circa plenilunium, & vltra in ventre concipere, vt ducenti, & octoginta dies, ſæpe vndecimum menſem apprehendere videantur: tot enim dies ſeptem quadragienarios conſtituunt: nam cum vltra plenilunium mulier concipit. neceſſe eſt eum conceptum vndecimum menſem attingere, quò ad vltimum circuitum perueniat. tempus præterea vernum, vt legitur in l. de ſuperfę nu. 18. aptiſſimum eſt ad concipiendum.

Cæterùm mulieres, quæ concipiunt, ſed fœtũ corrumpunt, quo pacto curãdæ ſint, lege in li. 1. de mor. mul. pag. 103. num. 37. ac in alijs libris muliebribus morbis deſtinatis.

Quæ verò mulieres non concipiunt, neque ad cõcipiendũ ſunt aptæ, antea expoſuimus. harũ affectiones, & curationes lege in l. mul. tales mulieres quandoq́ue videntur ſe concepiſſe, ſed falsò ſigna aũt falſi conceptus ſic enarrantur in lib. 2 prædic. pagin. 174. nu. 35. verba aũt ſunt. Quæcunque in vtero ſe concepiſſe putãt, & nõ conceperunt, & per multos menſes falluntur mẽſtruis purgationibus non apparentibus, & ventres augeri, ac moueri vident; hæ & caput dolent, & collum, & præcordia, & in mammis lac non ineſt, niſi modicũ quiddam, atque id aquoſum. poſtquàm verò ventris humiditas exoluta fuerit, ac molles factæ fuerint: in vtero concipient. ſi nõ aliud quid dam impediat: nam hæc affectio bona eſt ad mutationem in vtero faciendam, vt poſt hoc tempus in vtero concipiant. at his, quæ conceperunt, dolores hi non fiunt, niſi familiares his fuerint capitis dolores, & lac mammis gignitur.

Cum autem habilis reddita fuerit conceptioni, multa comperies auxilia, quæ, vt concipiat, efficient: nam legitur in lib. de ſuperfæt. num. 10. & 11. modus concipiendi: itidemq́ue in l. 1. de morb. mul. pag. 102. num. 26. medicamentum autem dat. num. 36. & 38. pluraq́ue deſcribit ad conceptum in eodem libro pag. 108. num. 101. itemq́ue pag. 111. num. 124. atque in l. de ſteril. pag. 123. num. 8. curationes ſcribuntur ad conceptionem, experimento cognitæ. Et num. 19. eiuſdem libri conceptoria dat ſumma. ſed vt citius concipiat lege lib. 1. de mor. mul. num. 33. fertur tandem in lib. de Coac. præ. num. 3. vomitum ſanguinis ad conceptum vtilem eſſe.

Conchylia.

Conchylia velut ſunt pinæ, purpuræ, patellæ, buccina, oſtrea, ipſa quidem ficca ſunt; ſucci autem ipſorum aluum mouent. hæc in lib. 2. de Diæ. pag. 46. num. 11.

De Concoctione.

Concoctio eſt alimenti tranſmutatio in naturam aliti facta à calore innato in omnibus corporis partibus, quæ cauæ ſint, donec deperditum reſtauretur. hanc verò concoctionis deſcriptionem ex pluribus Hippoc. locis accepimus. Quòd verò alimenti mutatio fiat in ſubſtantiam corporis, quod ali indigeat, ſcriptum eſt in lib. de Alimen. pag. 13. nume. 1. cuius verba ſunt. Auget, & corroborat, & incarnat, & aſſimilat, & diſſimilia facit, quæ in ſingulis ſunt iuxta vniuſcuiuſque naturam, ac facultatem, quæ ab initio adeſt. aſſimilat autem pro viribus; cum id, quod ſuperingeritur, ſuperatur: id verò, quod prius ineſt ſuperat. & alia tum ibi lege, tum in alijs Hip. libris. Fit autem concoctio à calore innato: propterea quòd legitur in lib. 1. aph. 14. Qui creſcunt plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: alioquin corpus abſumitur. Et in lib. 3 de Diæ. pag. 51. num. 17. à frigiditate argumentatur calorem concoquere, cum ait. Secedit cibus per aluum liquidus incoctus, velut ex inteſtinorum læuitate, & dolorem nullum exhibet. patiuntur autem hoc ventres maxime, qui humidi, & frigidi ſunt: & propter frigiditatẽ non concoquunt: propter humiditatem verò ſeceſſus fit. Tranſmutatur præterea alimentum in cauis vaſibus, ſiquidem ab alijs nec attrahi, nec contineri poſſit, vt ſcriptum eſt in lib. de Vete. med. Etenim venæ ex ventre, ac inteſtinis, in quæ cibi, ac potus colliguntur, poſtquam hi fuerint calfacti, tenuiſſimum, ac liquidiſſimum trahunt: craſſiſſimum autem, & fex iſthic relinquitur, com. putreſcitq́ue. ſic legitur in l. de car. pag. 19. num. 12 & ſubdit. num. 13. at verò alimentum vbi acceſſerit; vnumquodq́; talem ſpeciem vnicuique reddit, qualia ſanè erant: ſingula enim ab alimento irrigata augmentum capiunt, calidum & frigidum, & glutinoſum, & pingue, & dulce, & amarum, & oſſa, & alia vniuerſa, quæ in homine inſunt. hæc eadem confirmat in lib. de Alim. num. 2. verùm num. 7. ait. radicatio venarum hepar, radicatio arteriarum cor. ex his aberrant in omnia ſanguis, & ſpiritus, & calor per hæc meat. quare ex ventre, & inteſtinis

ſtinis cibus trahitur ad venas,& hinc ad hepar, vtpote earum radix. hinc,cũ imperfectus ſanguis euadat: ad cor ſe confert, quod poſtea ipſum perficit, & ad oĩa delegat membra vt patet in l.4.de mor. num.13. &,quoniam & primum in ventre eſt calor, & in venis, & in hepate, ac demum corde, quod eſt caloris fons; & propterea alimentum per hæc tranſiens loca concoquitur, & tandem in corde perficitur, hoc eſt, euadit in eo,quod alere poteſt,aptiſſimum ad omnia membra nutrienda, quæ quidem & habent aliũ calorem & humiditatem ſimul, concoquentem id, quod ipſis idoneum ſit, & alio modo: quoniam ſanguinem ſibi aſſimilant. quapropter legitur in libr.2. de diæ. pagin.48 numer.28. Curſus longi. ac curui ſenſim facti calfacientes carnem, concoquere, ac diffundere poſſunt, & vim ciborum in carne concoquunt. itaque facile comprenditur concoctionem, quam deſcripſimus, eam eſſe, quam ſentit Hippocr. Verùm non dicendum eſt calorem ſolum concoctionem efficere,ſed & ſpiritus, & humores, & partes ſolidas, ac tandem vaſa ipſa concurrere commoda, ſana, bona temperie, bonaque habitu prædita, adiuuant præterea ſexus ætas, animi affectus, conſuetudo, ſtudium, exercitatio tempus anni, modus, & id generis: præterea aer, motus, & quies, inanitio, & repletio, ſomnus & vigilia, ac id, quod potiſſimum eſt, cibus & potus conuenientes. harum autem plura habes in libro primo,aphor.15.qui inquit. Ventres hyeme, & vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi: quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda: etenim tunc calor innatus plurimus eſt: vnde & pluribus egent alimentis. indicio ſunt ætates, & Athletæ. Et aphoriſ. 14. Qui creſcunt plurimum habent calidi innati. & ſubdit. ſenibus verò parum. Cæterùm, ſi cibi & potus plures, quàm opportunum eſt, concocti intus manſerint, & homo non purgetur, & alij cibi ſuperingerantur; corpus ab humore priore, ac recenti repletum caleſcit, & febris oboritur non periculoſa, neque fortis: quia humor eſt æqualis, copia autem paulo vberior.verùm,ſi non idonea adhibeas; inualeſcet morbus, quantum ipſe humores ſuperant hoc modo. caleſcente ſanguine exhalat maxime per hunc humor aquoſus febri infeſtiſſimus, ac remanet pinguis, & leuis, & bilioſus, & febris nutrimentum, & corpus attenuans, atque calfaciens. At, ſi non plures; attamen, quid bilioſi, vel aquoſi, vel pituitoſi in ipſis fuerit: aut corpus bilioſum, vel aquoſum, vel pituitoſum natura, vel per accidens fuerit, vtputa ſi febre ardente laborarit; maxime lædetur, eo quòd humiditates ab huiuſmodi cibis, & potibus, aut à corpore ægro naturæ humanæ factæ fuerunt nocuæ. & idcirco, ſi nocent; ſuperant. quod ſi ſuperent; & non à natura euicta ſint; crudæ appellantur pituitoſæ, vel bilioſæ. ſanguinem verò omiſimus; propterea quòd niſi copioſior fiat paulatim; minime morboſus euadit. hæc omnia habes in lib. 4. de morb. pag. 75. nume. 3. vſque ad 25. cum vehumiditates hæ, quas natura non vinxit, in corpore remanſerint; appellantur excrementa cruda, quæ cum euicta ſint; dicuntur concoctionem eſſe adepta. ſic pus in phelgmone coquitur, ſic catarrhus, vel coryza, vel fluxiones, quæ ex oculis manant: ſic flaua bilis, quæ cruda acris eſt, & malolens: cocta autem & pallidior, & minimum malle olens. Sed quæ velut in anima carente corpore putreſcunt, nihil ad permutationem conferente innato calore à concoctionis ratione degenerant. hoc ſanè contigit aquoſis his humiditatibus, quæ per vrinas excernuntur. atque ob id crudas vrinas concoqui dicimus; quanquam corpus ex crudis ali non poteſt vrinis. hæc Galen. in lib. de Vict. ratione in mor.acut.com.2.par.45.exponens. cuius verba ſunt. Interdum & cruda tum à capite, tum à thorace attrahuntur bilioſa, vigiliæ his accedunt, ob quas non concoquitur morbus. Qua de re duæ ſunt concoctiones: altera, quæ tranſmutat cibum in ſubſtantiam noſtri corporis: altera,in qua euincuntur excrementa retenta,de quibus concoctis ſic loquitur Hip. in l.1.aph.22.

Concocta medicari,atque mouere: non cruda, neque in principijs &c.

Sed quonam modo ſit concoctio hæc facienda, quibus agentibus, quibus inſtrumentis, quo tempore,& vſque quo, breui Hippocr. exponamus ſententiam. Agens coctionem proculdubio eſt calor naturalis,qui & ab extrinſecis iuuatur remedijs. quo autem modo nos docet in lib.2. aphor.4. his verbis. Corpora cum quiſpiam purgare voluerit; oportet fluuida facere. Et in lib.de inter. Affect.pag.88.num. 29. Præhumectare verò antea corpus ipſius oportet per fomenta: quo magis pharmacis obediat. Et in li. de locis in ho.pag.33.nu.46.morbum ſi quis non cognoſcat medicamentum bibendum præbeat non forte. ſi itaque leuior inde fiat;demonſtrata via eſt,quòd gracilitatem inducendo curandus eſt,ſi verò non leuior reddatur, ſed prius habeat: contraria facienda ſunt. ſi non profuerit gracilem facere; tumidum facere conducet, & frequenter permutare; ita ut hoc conſilio vtaris. ſi quis in morbis quid permutaturus eſt, forti quidem ægroto,debili autem morbo.tamẽ quidem confidenter fortiore quàm morbus eſt medicamento vtendum eſt: nam etiam ſi quid de ſano abducat vna cum debili,ac ægroto;nullum detrimẽtum eſt.Si verò morbum fortiorem,ægrotum autem debilem acceperis,debilibus pharmacis curabis, quę ipſum morbum ſuperent, & abducant: verùm ægroto nihilo debiliorem reddant. Et n.47. antiqui morbi difficilius curantur, quàm recentes. verùm morbos antiquos primum recentes facere oportet.vlcus calloſum factum electa primum duritia per putrefactorium medicamentum,conſtringere deinde oportet. pharmaca, quæ tumefacere maxime ſolent,ea pura vlcera adſtringunt: quæ verò attenuant, ea purgant. ſi verò quis conſtringat vlcera nondum matura; corpus ægrotum nutrit, quod vlcus habuerit. & ſi quidem adſtringere oporteat vlcus, ac implere, tumefacere prodeſt, etiamſi in capite carnem velis: renutrita enim à cibis caro propulſat eã, quæ à medicamento putrefacta eſt ſimul cum natura debellat. verùm eleuatum, aut leuem, carnem cibis gracilem reddere oportet. Et in libro 4.apho. 13. ad helleboros, qui non facile ſuprà purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda ſunt.& in l.de inter. affec.nu.14 huic

cum

ēum si habuerit; caput purgato hipophais succo, aut cnidio grano, corpore prius valde bene foto. Et in l.4.aphor.14.cum biberit quis helleborum; ad motiones corpora ducere magis, ad somnos verò, atque quietem minus. indicat autem nauigatio turbare motiune corpus. & aphor.15. cum volueris magis ducere helleborum; moue corpus: cum verò sistere; somnum facito, & non moueto. Et in lib.1.de Diæt. pag.44.num.35 confert his vti fomentis, & à fomentis helleboro expurgari. & in lib.de Salu.diæ. pag.12.num.7 declarat, quibus instrumentis præparandi sint homines crassi, ac pingues, itemque graciles ad vomitum. quicunque homines crassi, ac pingues sunt, & non graciles ieiuni vomant à cursu, aut ambulatione cita, iuxta meridiem. sit autem dimidia hyssopi in aquę congio contriti he.atque hoc ebibat affuso aceto, & adiecto sale, quo iucundius euadat. bibat autem primum sensim, ac lentius; postea amplius, & citius. qui verò graciliores sunt, ac debiliores, à cibis vomitum faciant hoc modo. lotus calida præbibat meri heminam, deinde cibos omnigenos edat, & neque dum cibum sumit, neque à cibo bibat, sed contineat se, donec quatuor stadia quis percurrat. deinde vina tria permixta ipsi in potu offerantur, austerum, dulce, ac acidum, primum quidem meracius, ac paulatim, & per multum temporis spacium deinde verò dilutius, & citius. & multum. quicunq; autē bis in mense vomere consueuit, huic melius est; vt consequenter in duobus diebus vomat, quàm per quintum, & decimum. verùm aliqui penitus contrariū faciunt. non est igitur modus vnus concoquendi humoris, nec instrumentum vnum, quibus vsus fuit Hip. ad concoctionem: sed multa, ac plura, quæ breuitatis gratia omissi, quemadmodum sunt lotiones, linimenta, vnctiones, de quibus suis agetur locis. & illud obseruent medici nostræ ętatis, qui absq; vllo discrimine habituum, ac morborum, & ætatum omnibus syrupos exhibent. At concocto humore medicandum est, & mouendum, hoc est, per purgationem mouendus est humor. sed signum concoctionis est crassicies in vrinis, in egestionibus, in sputo, & in pure. fit concoctio in morbi vigore: nam scriptum est in l.2.aph.29 cum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue: cum verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere.

Concretum.

Scribitur in l.6. de mor. po. sec.2.par.45.concretū est, constitit citius, motū est: inquinatū est, & tardius crescit, hoc est, vt exponit Gal. compactus est & solidior factus est, & citius motus est mas, q̄ fœmina. inquinatū est. i. nō perfecte cōcocta, nec compacta, nec solidior est fœmina, q̄ mas. & tardius crescit, & pluri tēpore nō fœmina, sed mas. vtrū aūt nūc incremētum id dicat solū, quod in vtero fit, vel quòd à partu, incōpertum est. & in l.2.pror.com.2. par.11. hebetatus oculus, viciatus, & concretis, immobilisque, & tenebrosus si fuerit malū. & Gal. in com. concretus oculus propter musculorum immobilitatem mouētium oculos fit. & subdit. concreti nunquam mouentur.

Consistere.

Coniectari oportet, an ęger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat. hæc in lib.1. aph.9. & Gal. in com. exponit, quid significet morbū consistere. & ait. cum vis robusta fuerit, adeo vt speremus ipsam posse perdurare totum tempus inter medium vsq; ad summum morbi vigorem. vnde declaratur sequens aphorismus, cuius verba sunt. Quibus statim morbus consistit, hoc est, peruenit ad statum. & subdit. quibus posterius debet consistere his in ipso consistendi tempore & parum antè cibus subtrahendus.

Constans.

Scribit Hip. in l.3.aph 8. in constantibus temporibus, cū tempestiuè tempestiua reddantur, morbi constantes, & boni iudicij fiunt. in inconstantibus autem inconstantes, & mali iudicij. Gal. in com. ait. constantia tempora nominat, quæ ordinatim propriam recipiunt temperaturam. sic morbi inconstantes dicūtur qui nec tempus seruant, nec ordinem.

Constare.

Scriptum est in li.1.aph.8. Quando morbus in suo vigore constiterit, hoc est, statum habuerit; tunc victu tenuissimo vtendum est. Et in l.prog.com.2.par. 13. deiectio optima est, si mollis, & constans sit, idest non diffluens.

Constringere.

Dilatare, constringere alia quidem, alia verò non. hæc sunt verba Hip. in li.6. de mor.pop.sec.2.vbi Galen. in com. ait. oportet, quæ astricta sunt aperire, & rarefacere moderate calefaciendo: quæ verò aperta sunt cogere adstringendo, & refrigerando. dilatantur, & constringuntur quandoque ora vasorum aut particularum quorundam sensilia: quandoque insensilia in cute, & in profundo corpore.

Constitutio.

Cōstitutio in rebus medicis ab Hip. dicitur de morbo, & de tpe de morbo scriptum est in l.1.aph.12. accessione verò, & constitutiones morbi indicabunt anni tēpora quid aūt significet. morbi cōstitutio sic exponit Gal. in com. & ait. si morbus sit acutus, vel peracutus, vel lōgus, & q̄ maxime in vigore cōsistet; nihil aliud est nisi morbi constitutionē considerare. De tempore dicitur cōstitutio, & significat, vt vult Philotheus, tempus breue, & mutatio longum. & propterea legitur in l.3. aph. 15. ex anni constitutionibus quod in totum dixerim siccitates imbribus sunt salubriores. Et aph.17. quotidianæ constitutiones, hoc est, breuis temporis, siue aeris mutatio.

Consuetudo.

Qui alicui rei assuetus est, possidet illius rei habitum, sed habitus est qualitas acquisita, quę nunq̄, vel uix remouetur ab eo, qui eā tenet. idcirco & cōsuetudo vix, vel nunq̄ recedet ab eo, qui ipsam habet in aliqua re. sed vertitur quandoque in naturā: si quidē diuturnus habitus forma rei euadat. hoc quidē cōfirmatur ab Hipp. in l.de aer aq. & loc. pag.31.num.35. vbi recitat. quo pacto à principio consuetudo in causa fuerit, vt Macrocephali tā lōgis capitibus essent: & tpis progressu natura tales produxit, vt non esset necesse consuetudine priore cogere: quoniam natura ipsa cum consuetudine conspirauit. at, cum consuetudo sit quædam natura, & quæ natura sunt vel fiunt, necessariò fint vel fiūt, vel vt plurimū; ideo scriptū est in l.2.aphor.12. quæ relinquuntur in morbis post iudiciū recidiuas facere consueuerunt, hoc est necesse fuit: nam ait Gal. in comm. Quæ relinquuntur in morbis, hæ sunt malorum humorum reliquiæ, quas necesse est tempore putrescentes febres accendere; si quidem omnis humor alienus à na-

ſira corporis, in quo continetur, neque aptus natura eſt ad eius nutritionem. quare relinquitur, vt neceſſario ad putredinem conuertatur. & ſi locus calidus fuerit, in quo fuerit collectus; tunc celerrime putridus fit. verùm quoniam conſuetudo eſt de rebus extrinſecis, & nõ naturalibus, quæ noſtro corpori adhibentur, atque fiunt ei naturales. qua de re conſuetudo eſt in ſex rebus non naturalibus: qua propter ſcribit Hipp. in lib. 6. de morb. popu. ſec. 8. par. 30. conſuetudo, dum ſani fuimus; attendenda, qualis in victu, veſtitu, laboribus, ſomno, rebus venereis, & mente fuerit: conſuetudo in cibis, quantum valeat ſcriptum eſt in l. de vete. med. pag. 4. num. 18. 19. & 20. & in l. de Vict. ratione in morb. acu. com. 2. par. 20. ait. oportet & ex ſanorum hominum victu diſciplinam, quę conferat facere: nam ſi ſanis quibuſdam tales, vel tales cibi variare videantur cum in alijs quibuſdam, tum in nõnullis mutationibus, quomodo & in morbis quibuſdã. Et par. 21. atqui quod vicioſus cibus, & potus ſemper ſibi ſimilis ad ſanitatem tutior ſit, quàm ſi quis ſubito ad alterum, vel meliorem ſe transferat, facile intelligitur. & par. 22. nempe tum his, qui bis die comedunt, tum his, qui ſemel, noxam, & imbecillitatem pariunt, repentinæ mutationes, & quæ prandere non conſueuerunt, & prandent; ſtatim ægre habent. & alia lege par. 23. vſque ad 29 ſed in l. 1. aph. 16. victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime verò pueris, & alijs, qui tali victu vti conſueuerunt. Et aph. 17. & quibus ſemel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora paulatim oporteat afferre conſiderandum. condonandum autem aliquid tempori, ætati, & conſuetudini. De conſuetudine in ſomno loquitur Hip. in lib. prog. com. 2. par. 11. & ait. de ſomno quemadmodum ex natura, & in conſuetudine eſt, interdiu vigilandum, noctu dormiendum eſt. De balneo verò agitur in lib. de Vict. ratione in mor. acu. com. 3. par 57. & inquit. magni admodo pendere oportẽt, ſi æger cum recte valuit, balneum valde affectauit, & lauari fuerit aſſuetus: nempe tales magis appetunt, atque iuuantur, cum loti fuerint, adeo vt lædantur, ſi non loti fuerint. De labore verò ſic ſcribit in l. 2. aphor. 49. Qui conſueti ſolitos labores ferre, & ſi fuerint imbecilles, & ſenes non conſuetis, fortibus, atque iuuenibus facilius ferunt: labores enim vt ibi ait Galen. aſſueti corroborant corpus. De decubitu ſcribit in l. prog. com. 1. par. 19. ſic, ſi quis cubet in ventrem nequaquam ſolitus ita dormire, dum ſanus fuit, malum eſt: delirium. n. aut dolor circa ventris ſedes ſignificatur. Et par. 21. ſi quis ſtrideat dentibus non conſuetus à pueritia in efficere, inſania ſignificatur, ac mors. de locis, ac partibus corporis legitur in lib. de Flati. pag. 40. num. 16. pituita acribus humoribus permixta quocunque proruperit maximè in non conſuetos locos, eos exulcerat. De euacuatione dicit in l. de homo. Quæ ſua ſponte ſurſum, ac deorſum repunt: quæ proſunt, & quæ nocẽt, docet. ſ. nos congenita forma, regio, conſuetudo, ætas, & alia. De Menſibus mulierum deſcribit Hip. in l. 1. de mor. mu. pag. 10. num. 1. & ait. cum peperit mulier, venulæ fluuidiores ſunt ad menſes; quia aperiuntur, & ampliores fiunt, itemque vteri magis aperiuntur. quare mulier purgationem à partu experta minus laborioſe menſibus decurrentibus purgatur, at tandem ſcribit in lib. 2. aphor. 50. Quæ ex longo tempore conſueta ſunt, & ſi deteriora ſunt, inſuetis minus moleſtare ſolent. oportet igitur ad inſueta permutari. ibi Galen. ait. in quo conſulit tranſmutari quodammodo ad non conſueta ſalubris gratia ſecuritatis dictum eſt: eſt enim vnica tantum conſuetudo periculoſa; cum omnes homines inopinatis rerum ſortibus ſubijciantur. ſed, cum à conſuetudine diſcedere volueris; id paulatim eſt faciendum, quem admodũ docet in l. de Vict. ratione in mor. acu. com. 2. & 3. nam affectus, & cognitiones, vt proditum eſt in lib. de Flat. nu. 21. à conſuetudine contingunt. cum autem à conſuetudine ſolita recedimus; auferetur nobis prudentia. & in lib. de Coac. præ. pag. 175. col. 4. præter conſuetudienm quid facere, velut eſt proponere ſibi aliquid, & expectare aliquis prius nõ conſuetum, aut contrarium malum eſt, & mẽtis emotioni proximum.

Conſumptio.

Lac conuenit tabidis dare, & præter rationẽ conſumptis, hoc eſt, extenuatis, vt exponit Gal. in lib. 5. apho. 64. quid verò indicet conſumptionem recitat Hipp. in l. prog. com. 2. par. 35. & inquit. ſi pingue de ſupernatans. ſ. in vrina araneorum ſpeciem, referat, damnandum eſt: indicat. n. conſumptionem. ſed l. Tabes, & colliquatio.

De Contuſionibus.

Species contuſionis, vt teſtatur Hippo. in lib. de cap. vul. pag. 183. num. 8. plures ſunt: nam & magis, & minus contunditur, & altius, ac per totum os, & minus in altum, ac per totum os, & in ampliorem, & minorem longitudinem, & latitudinem: verùm harum ſpecierum nulla oculis cognoſcitur, qualiſnam exiſtat, & quanta magnitudine: neque enim etiam ſi ſint contuſa & malum factum ſit; an contuſa ſint oculis videre conſpicuum ſit ſtatim poſt vulnerationẽ ſicut neque aliquæ fiſſuræ videri poſſunt, quæ rupto oſſe procul abſunt. contunditur autem & cutis, vt nu. 1. huius lib. apparet. os contunditur, veluti dictum eſt nu. 8. Et dicit nu. 13. & contunditur obſcuris contuſionibus, & intro eo ſua natura maxime cedit. contunditur & caro, vt nu. 15. eiuſdem lib. apparet. vbi ait. neceſſe eſt carnes contuſas, & conciſas pus fieri, & conſumi. ſed antequam ad curationem te conferas, docet te hæc Hip. nu. 12. contuſiones, & fiſſuras in oſſe non apparentes, & tamen præſentes ex vulnerati reſponſione cognoſcere primum conari oportet, an tale quid paſſum ſit os, aut non paſſum. deinde ratione, & opere exquirere citra ſpecilli admotionem: ſpecilli enim admotio non indicat, an tale quid mali os paſſum ſit, & an habeat quio in ſe ipſo, aut non paſſum ſit. quæ verò ſymptomata, vehementes adferant contuſiones: ſic ſcriptum eſt in lib. de frac. pag. 187. num. 12. Talibus diuturnæ, ac moleſtæ affectiones fiunt, & quæ ſæpe refringantur; ſi non bona diligentia, & multa quiete curentur. quare etiam ea, quæ ex tali modo corrumpuntur ſupra aliquam læſionem, magna corpori pericula inducunt: febres enim peracutæ oboriuntur, continuæ, tremulæ, ſingultuoſæ, mentem contingentes, paucis diebus durantes, ac occidentes. fieri profectò etiam poſſunt venarum ſanguifluarum liuores, venarum nauſeæ, & cancerationes ex compreſſione, fieri autem

poſſunt

possunt hæc absque alia corruptione, atque hæc quidem relata sunt; vbi vehementissimæ contusiones fiunt. plurima tamen leniter circumcirca contunduntur, neque vllum magnum curationis studium exigunt, sed recte tamen tractare oportet. & in lib. 4 de mor. pag. 77. nu. 25. si contusio fiat homine percusso, aut lapso, aut aliud quid tale perpesso, & tumor oboriatur; sanguis statim præ violentia calefactus, & venis hiantibus illapsus, non habens exitum præ copia, quò abire possit, conglobatur; & propterea tumor fit, & tandiu adest donec depurgatus fuerit, eo modo, quo de locis depurgari dictum est, aut etiam per ipsum tumorem, & siue per chirurgiam, siue sine ea, sanguinis transitus fiat, aut per tēpus suppurato, aut non. sed & labor tale efficit, cum enim homines laborarint, quibus sanè maxime sanguinis afflictio contigerit; illic firmatur, ac calescit, & ex hoc dolor oboritur. Si verò hæc quidem superauit homo verùm multa copia labor accedat, & aluus, ac vesica non breui copiam expulerint; febris sanè ex hoc irruit. & si quidem prior humor æqualis fuerit; nequaquam. si verò in labore ipsorum plurimus in corpore permaneat; superat ille. De curatione verò hęc loquitur in lib. de Chir. offi pag. 186. nu. 12. Quæcunque effuso sanguine sugillationes, aut contusiones, aut vulsiones, aut tumores inflammationis exortes, ex vulnere oboriuntur, ad supernam partem plurimum, ad infernam etiam parum deligare oportet. ita vt manum aut crus non habeat in decliue, & initium supra vulnus ponat, ac maxime firmet, minime extremas partes, medio modo medias vltimam partem ad supernas corporis partes distribuendo, deligatione, compressione: sed & hæc, copia magis quam robore. maxime autem his lintea tenuia, leuia, mollia, pura, lata, sana debentur vtpote sine ferulis: & vberiore perfusione vti oportet.

Contabescere.

Febricitantium nihil minui corpus vel plus quàm ratio postulat contabescere malum: hoc. n. morbi lōgitudinem, illud verò imbecillitatem significat. ibique contabescere, vt placet Gal. significat. corpus collabi, & extenuari. hæc in l. 2. aph. 28. sed in lib. de loc. in homi. pag. 32. n. 36 scribitur. ex ijsdem, & splen floresci, & corpus contabescit, hoc est, tenue fit. & in l. 3. de diæ. corpus contabescit conueniens alimentū non susciens. dicitur etiam vox contabescens .i. tenuis. at l. tabes, & colliquatio.

Contegere.

Legitur in l. de Vict. ratione in morb. acu. com. 4. par. 44 corpus. s. febriens quieti permittere, vngere, & æqualiter contegere oportet. & Gal. in com. ait. hominem curare voluit quieti permissum, vnctum, & æqualiter vestimentis obuolutum, vt concoctio fiat.

Continentia, & contenta.

Legitur in lib. 6. de morb. pop. sec. siue com. 8. continentia, contenta, impetum facientia vti Galen. inquit. planum est continentia hic appellari solidas corporis partes. si quidem hæ humores contineant: contenta verò humores, qui solidis partibus continentur: impetum facientia sunt spiritus: quod hi ex omni parte, & momento temporis corpus, quod in suo statu sit, facile & sine vllo impedimento penetrent.

Contractio.

Aures frigidæ, & cōtractæ, & fibræ earum versæ. hæc in l. prog. com. 1. par. 7. vbi Hip. dat signa lethalia Gal. redit rationem, & inquit. quia chartilagineæ sunt, & carne vacant exangues habentur, & itidem celerrime refrigescunt. & in lib. 6. de morb. popu. sec. 7. legitur. Contracta præ siccitate. & in lib. 4. de mor. pop. pag. 139. nu. 26. quibus abscessibus recidiuę fiāt, venæ temporum, & contractiones & colorum mutationes ante iudicationes, ex rubro ad viridem ac pallidum, si non iudicent.

Contraria.

Scribit Hipp. in l. 2. aph. 22. qui morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: & qui ex euacuatione repletio, & aliorum contrarietas. idcirco ait Galen. in com. si ex refrigeratione morbus fiat curatio est per calefactionem, & contrà. & hic declarat illam particulam: Aliorum contrarietas. quapropter illud concludendum est, quòd si morbus fiat a primis qualitatibus, ab ijsdem contrarijs curetur: si a secundis; & ex ijsdem contrarijs curetur: si ex tertijs, vel quartis; contraria horum curationi adhibeantur. Et propterea medici falluntur, vt etiam affirmat Hipp. in li. de vete. med. qui perpetuo qualitates primas morbos curare asserunt. sed de his plura in cap. de Curatione.

De Conuulsione, siue spasmo.

Conuulsio dicitur de illis partibus nostri corporis. quæ contrahi possunt, atque in illa contractione persistere. & propterea non contrahuntur humores; eò quòd fluxiles sint: nec contrà ossa; quia omnino stabilia sunt. contrahuntur igitur illæ partes, quæ inter hæc medium tenent locum, veluti quæcunque vel nerui sunt: vel de neruis participant. at neruosæ partes ex materia, quæ partim imitatur elementum terreum, & partim aqueum, conflatæ sunt. & idcirco sunt frigidę. verùm hæ quoniam vita stat per calidū, & humidum; appetunt caliditatem mediocrem; propterea quòd immodica exsiccaret: & non superfluā humiditatem; si quidem humiditas superflua ad opera peragenda inutilis esset, & nocuua: quapropter, si partes neruosæ a nimio frigore capiantur, vel à nimia caliditate, vel à superflua humiditate, vel siccitate; necesse est vt contrahantur: nam calor aperiendo meatus, atque subtiliando humiditatem exsiccat neruos: sic frigiditas comprimendo, humiditatem exprimit. vnde, cum humiditas neruosarum partium expirauerit; siccitas contrahetur. præterea, si superflua humiditas in neruos defluxerit, ipsi repleti contrahentur, atque tumefient. quamobrem conuulsionis causæ sunt hæ, caliditas nimirum, frigiditas, humiditas, & siccitas. Sed Hipp. has quatuor reducit ad duas neruosarum partium affectiones: ait. n. in lib. 6. aph. 39. conuulsio fit vel ex repletione, vel ex inanitione: nam ab humiditate replentur nerui, & à siccitate: siue ab absentia humiditatis inaniuntur, at exsiccantur. attamen conuulsio quandoque fit ab aliquo coniuncto absque vlla qualitate, vel materia in re attracta: quemadmodum si, dum ventriculus attrahitur; viscus insequens attrahatur. Causæ quidem omnes sunt intrinsecæ, quemadmodum hæ, quas diximus, aut extrinsecæ: nam, vt recitat Hipp. in lib. 5. aph. 1. fit conuulsio ex hellebori potione. Et in aph. 2. ex vulnere. Et aph. 3. ex sanguine multo fluente.

Et aph. 3. ex sanguine multo fluente. Et aph. 4. ex immodica purgatione. Et aph. 5. ex ebrietate. Et in l. 7. aph. 13. ex æstu vehementi: ac denique ex alijs causis extrinsecis, veluti ex aeris constitutione frigida, & humida, sicut narrat in l. 1. de morb. po. sec. 2. à labore, & violentia, vt in lib. 1. de mor. num. 16. & 17. fit in vigilia, vt lib. 7. aph. 18. scriptum est: sic ex alijs rebus non naturalibus præsertim ex animi affectib.

Cæterum conuulsio torquet hominem vel in partem anteriorem, vel in posteriorem, vel nullo pacto torquet, sed breuem reddit partem conuulsam. & propterea conuulsionis tres sunt species, quarum prima appellatur tetanus: & est, cum ceruix vna cũ reliquo corpore immobilis manet, & in neutram partem inflecti potest. hanc latini vocant distentionem, & celsus rigorem. secunda nuncupatur Empisthotonus: & hæc fit, cum caput, ceruix, reliquumq; corpus in pectus contrahitur. tertia nuncupatur epistho tonus: quæ fit, quando caput in scapulas conuellitur. & quod dictum est de toto corpore, intelligendum est de singulis membris, ac de singulis partibus, quæ conuelli possunt. porrò omnis conuulsionis species, aut diuturna est aut breuis. diuturna fit à caliditate, vel à frigiditate vna cum siccitate. breuis est duplex aut quia breui homo moritur, aut quoniam materia facile resoluitus, quemadmodum si à vaporibus læsa aliqua pars contrahatur, aut ab humiditate leui quadam. & hæc de causis conuulsionis, atque de eius dem speciebus.

Signa verò quæ conuulsionem indicant, plura scribuntur ab Hipp. ait. n. in lib. de Vict. ratione in morb. acu. pag. 158. nume. 48. inspicere ipsas nares oportet, an spiritus æqualiter per vtrasq; feratur. & si multus feratur è naribus; conuulsio fieri debet. si verò conuulsio fiat; tali mors expectanda est. Et in l. 6. aph. 56. in melancholicis morbis ad hæc periculosi decubitus stuporem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant. Et in li. de Coa. præ. nu. 1. ex perfrigeratione timor, & tristitia præter rationem in conuulsionem finit. & subdit & soporosi rigores aliquatenus pernicioſi, & flammeus in facie cor cum sudore, in his malignus est, in his frigiditas posteriorum partium conuulsionem accersit. & in summa posteriorum partium frigiditas conuulsoria est. Et nu. 3. eiusdem libri. conuulsionem significant tremulis, anxiosis iuxta aures tumores. Et ibidem. conuulsionẽ significat vrina pelliculosa. Et in l. 4. aph. 68. in febribus spiratio offendens malum: conuulsionem. n. significat. Et in lib. de Coa præ. pag. 166 num. 1. in morbis acutis motus iactatio somnus turbulentus quibusdam conuulsionem significat. Et, turbulentæ cum ferocia excitationes mentem emouentes malæ sunt, itemque conuulsoriæ, tum alias, tum cum sudoribus. Conuulsoriæ etiã videntur colli, ac dorsi perfrigerationes, imo etiam totius corporis. in his mictiones sunt pelliculosæ. Et, delyria cum sopore conuulsoria. Et, Mentis emotiones modice feroces ferinæ sunt · sed & conuulsionẽ significant. Et, In morbis longis ventris præter rationem tumores conuulsorij. Et subdit. Phrenitici parum dibentes, strepitum valde percipientes tremuli, aut conuulsi. Et subdit. Affectiones in phreniticis frequenter transmutationem habentes, conuulsoriæ, prauæ. Et infra. Qui in febribus exudant, caput dolentes, aluo suppressa, conuulsi fiunt. Et pag. 177. soporosi num aliquid conuulsorij habent? Et subdit. Num & iuxta tempora ossium diruptiones conuulsoriæ? Et infrà, Oculorum obscuratio cum animi deliquio breui conuulsionem inducit. Et inferius, vox acuta planctum referens, & oculorum obscuratio conuulsorium est. Et subdit. spiritus magnus, & per multum tempus delyrium, aut conuulsionem significat. Plurima autem ex his signis comperies in l. 2. & 3. pror. Et in l. 7. de mor. pop. pag. 52. & num. 54. Eodem modo ex vehementibus doloribus: nam vrinæ densæ, ac conturbatæ certum signum sunt doloris capitis, & conuulsionis, ac mortis. Et in lib. prog. com. 7. par. 34. Pueris conuulsio accidit, si febris acuta fuerit, nec aluus deijciat, ac vigilent, paueant, lugeant, colorem mutent, & croceum, aut liuidum, aut rubidum trahant. hæc igitur nuperrime æditis pueris. promptius accidunt ad septimum vsque annum. adultiores verò pueri, & viri non in febre detinentur à conuulsione, nisi aliquod indicium exstiterit validissimum, ac deterrimum, qualia per phrenitidem accidunt. Et in li 3. pror. par. 16. Somnus multus in his conuulsiuus. Et par. 17. vrinæ detentio, & quibus rigores ex his conuulsiones: vt & ipsa vbi inhorruit, sudauit. Et part. 19. Turbulentæ, ac feroces è somno excitationes conuulsiuæ tum aliàs, tum cum sudore. Et par. 20. ceruicis, & dorsi perfrictiones apparentes per totum corpus, in his & spumosæ vrinarum excretiones, cum animi deliquio, & inoculis totius lucis impedimentum conuulsionem prope esse indicant. Et par. 21. Cubiti, & ceruicis dolores conuulsiui. à facie autem hi, atque in faucibus, sonitus multi. Sudores in his per somnos boni, an & sudore quamplurimos leuari non malum? Et par. 28. vesica intercepta tum aliàs, tum cum capite dolore conuulsiuum quippiam habet. & par. 29. an & ossium, quæ in temporibus sita sunt, pertusiones, & disiunctiones conuulsionem accersant? vel temulentum sauciari, vel sanguinem valenter erumpere in principijs, si id faciunt, conuulsiua.

Nunc verò quos recenseat Hipp. cõuulsioni aptos, paratosque partim diximus, atque hoc loco dicemus. Legitur in li. de Coa. præ. pag. 107. num. 1. caput dolentes, exudantes, aluum suppressam habentes, conuersioni obnoxij sunt. & in l. de Denti. pag. 24. nu. 2. Quibus in dentitione aluus amplius subducit, minus conuelluntur, quàm quibus parum. &, quibus in dentitione febris acuta accedit, parum conuelluntur. &, quicunque dentientes habitiores manent, & altiore somno vtuntur, periculum est, ne conuulsione corripiantur. & in lib. de aer. aq. & loc. pag. 35. nu 4. pueris incidunt conuulsiones, ac anhelationes, quæ morbus puerorum, & sacer esse putantur. Et in l. 1. de mor. pag. 62. num. 20. iuniori quidem vtpotè, qui habet corporis vigorem, & siccitatem, & carnem densam, ac robustam, & ab ipsa ossa assidentem, cute circum ipsum circuntenta, cum aliquid amplius laborarit solito magis, & derepente conuulsiones vehementes fiunt, & ruptiones multæ, ac omnigenæ venarum ac carnium. & horum aliqua statim manifestę fiunt, aliqua posteriori tempore comparent. & l. 3. aph. 25. in progressu cum iam dentire incipiunt gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones. & in lib. 5. aph. 5. si ebrius quispiam repente obmutue-

rit.

rit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur. & in li. de Frac. pag. 91. num. 35. Conuulsionem tum multo magis induxeris, si reponas tertia, quarta, aut quinta die, quàm si reponere omittas. atq; hæc probe nosce conuenit, si enim reponenti conuulsio accesserit, non multa salutis spes est. quemadmodũ autem est rursus eijcere os à sua sede: si hoc fieri citra molestiam possit; non enim in laxioribus, quam opportunum est conuulsiones, ac distentiones accedunt; sed in his quæ magis extenta sunt. & in li. 5. aph 65. Quibus, tumores in vlceribus apparent non conuelluntur maxime, neque insaniunt. verum his euanescentibus, derepente quibusdam è tergo conuulsiones, & distentiones fiunt. & aph. 60. eiusdem lib. à Quartanis capti non admodum à cõuulsionibus capiuntur, si verò prius capiantur, & quartana superuenerit: liberantur. & in l. 3. pror. par 32. faucium sine tumore dolores, strangulantes conuulsionis quiddam habent, tum alias, tum à capite orti. & par. 13. Quibus tremores conuulsiones facti, cum sudore redire consueuerunt, iudicatio his euenit, vbi super riguerint, & par. 14. lumborum dolor cum capitis & stomachi dolore, atque excreatu violento conuulsiuum quippiam habet, submutumque cum iudicatione rigorẽ.

Quæ autem membra, ac partes conuellantur, quẽadmodum sentit Hippoc. hæ sunt, pars interior. vel posterior corporis, vt apparet in lib. 2. de morb pop. sect. 3. Et conuulsiones tenebant ab aluo, & intestinis, & singultus, vt in l. 5. de mor. pop. nu. 4. In dextra primum parte, deinde in sinistra. nu. 11. eiusdem lib. manus resoluta cum conuulsione legitur in li. 1. rect. 3. Conuulsio manus sinistræ. in l. 5. nu. 14. Collum cõuulsum in li. 7. nu. 28. In digitis manuum, & pedum conuulsio. nu. 57. eiusd. lib. verum in l. de Frac. nu. 35. Facies conuellitur, in l. 2. de morb. popul. sect. 5. conuulsio digitorum manus, in sect. 6. eius lib. vocis partes conuulsæ. Et in l. de os. natura. Vena humeralis, sanguiflua rumpitur, aut conuellitur. Et in eodem l. nu. 17. nerui conuelluntur. Et in l. de mor. fac. nu. 8. Manus in epilepsia. & in eodem lib. & nu. præcordia. Et nu. 18. eiusdem lib. Cor conuellitur; At in lib. 1. de mor. 12. Venula conuulsa rumpitur. Et ibidem. Caro conuulsa, aut contusa trahit sanguinem. Et num. 14. Eiusdem lib. Ventriduli contrahuntur, & resiccantur. Et nu. 25. Conuulsio lateris fit. Et n. 5. articuli pulmonis conuulsi: itemque pectus, & dorsum cõuulsum. Et lib. 4. de mor. num. 28. pulmo conuellitur cum tussis fortis fit. Et in l. de inter. affec. n. 2. conuulsa arteria, vel vena in pulmone. Et nu. 60. eiusdem li. totũ corpus cõuellitur. Et in l. 1. de mor. vul. Conuulsio fortis in articulis corporis. Et n. 17. eiusdem lib. Vteri præ labore resiccati conuelluntur ad hepar. Et n. 63. Cor conuellitur. Et l. prog. com. 2. par. 10. genitale & testes conuelluntur. Et in lib. 3. pror. par. 28. Vesica conuulsa. Et par. 31. aphoniæ conuulsiuæ.

Restat autem, vt videamus, quo modo prædictæ fiant conuulsioncs, quemadmodum nos docet Hipp. legitur in l. de vic. ratione. in mor. acut. com. 4. part. 27. cum dolores acceserint bilis atre, fluxionumque acrium destillationes fiunt: dolent morsa interna: morsæque atque ad modum arefactæ venæ intendũtur, trahuntque inflammatæ, quæ influunr: quapropter corrupto sanguine, nequeũtibusque spiritibus naturales pertransire meatus, infrigidationes fiunt obstationem, vertigines, aphoniæ, capitis grauitas, conuulsiones, si iam ad cor, vel hepar, vel in venam peruenerint. Et ibi Gal. ait. repleta a fluxionibus particula, corrumpitur in primis sanguis, deinde vasa opplentur, quòd in cunctas spirituum vias arcet, & cohibet. cum autem sanguis steterit, atque cum eo spiritus infrigidationes fiũt, conuulsiones, & vertigines, quibus succedunt, paraplexiæ, & epilepsiæ, cum in locos oppletas venas continentes desiderint fluxiones. locos dixit corporis partes, quas autor ante scripsit, cor, hepar, & venam, quæ prædicta coniungit viscera. Et in l. de mor. fac. pag. 59. nu. 18. declarat. quo pacto conuellatur cor, & inquit. conuellitur cor velut præcordia, & magis etiam propter easdem causas: ex omni enim corpore venæ ad ipsum tendunt, & conclusiones habet vt sentiat si quis dolor, aut collectio homini contingat: necesse est enim & dum angitur, inhorrere corpus, ac distendi, & si quis nimio gaudio perfundatur; idem pati. quapropter cor quidem, & præcordia maxime sentiunt. Et in l. 1. de mor. mul. pag. 105. num. 72. si ex partu sanguinem vomat; hepatis fistula sauciata est, & dolor ad viscera procedit, & cor conuellitur. Et in lib. de virg. morb. pag. 92. n. 2. In virginibus cum osculum vteri nõ fuerit apertum, & sanguis amplius influxerit propter cibum, & corporis augmentum; tunc sanguis non habens effluxum præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum. & cum hæc repleta fuerint; cor fatuũ fit, deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delyrium. & subdit. ex corde & septo transuerso sanguis tarde refluit; quoniam venæ obliquæ sunt: & locus periculosus, & ad delyrium, ac insaniã paratus. cum itaque hæ partes repletæ fuerint; præ compressione circa cor, strangulationes parat. Et in l. 2. de morb. mul. pag. 114. num. 16. si ad cor progressi vteri suffocent, & aer impeditus violenter attrahatur; hæc anxia est, & vomit, & quibusdam statim, tractus deorsum cedit, & flatus exit, & aliqua quidem vomit spumosa: alicui verò quies contingit. Et in l. 1. pag. 102. num. 16. Vteri à labore resiccati cum conuertuntur impetunt hepar, & iuxta consistunt, & ad præcordia irruũt: currunt enim & progrediuntur sursum ad humiditatem. hepar autem humidum est. postquam autem impetiuerint hepar; suffocationem faciunt, derepente perspirationem circa ventrem intercipientes. Et in l. de mor. fac. pag. 58. num. 8. manus impotentes fiũt in Epilepsia, ac conuellũtur, sanguine quiescente, & dum non diffunditur, velut solebat. oculi quoque distorquentur, & commouentur aere à venis excluso. Et subdit. suffocatur autem, hepate, & ventre sursum ad seipsum transuersum irruẽtibus, & stomacho ventris concluso. irruunt autem cum tantum spiritus in os non ingreditur, quantum solebat. Et in l. 1. de mor. pag. 62. num. 17. vena tracta in loco manet cum quidem tracta fuerit: trahitur autem, ac conuellitur à labore, & violentia: fit velut varix. percalescit autem, & trahit in se ipsam quandam humiditatem liquidam, quæ est à bile, & pituita. Et nu. 25. eiusdem lib. fit peripneumonia, & pleuritis sine sputo, & præ siccitate. siccant autem, & calida vbi nimium frigefaciunt. congelatur autem latus, & quę sunt in ipso venæ, & conuellitur: & quantum in ipso inest pituitæ, aut bilis, id à caliditate resiccatur, & dolorem inducit, & à dolore febrem. porrò conuulsio

aut

aut per se sola fit, aut comitatur morbos alios, aut eis superuenit. signa autem, quæ indicent simplicem cõuulsionem, descripsimus, & quibus contingat: idcirco tantummodo ea simplex curãda est. sed hoc postea propterea quod primum enarrandi sunt morbi cum quibus copulatur. deinde conuulsio superueniens his, quid prænuntiet. comitatur igitur cõuulsio quãdoque febrem, vt scriptum est in l. de Coac. præ. nu. 1. comitatur etiam Epilepsiam veluti in l. de morb. sac. n. 8. proditum est. item dolores capitis vt in l. b. 1. de mor. popu. sec. 3 i. sic resolutionem alicuius membri, vt in eodem l. si tremorem vt in l. 5. n. 21. sic emotiones mentis veluti. n. 30. eiusdem lib. legitur. comitatur risum vt l. 7. n. 58. itemq; vocis priuationem vt in lib. 2. pror. par. 18. sic coma, vt lib. 3. pror. com. 9. & in eam finit: itemque comitatur paraplexiam, vt eodem lib. num. 26. itidemque Catoche vt. numero 69. eiusdem lib. tandem plurimas insequitur ęgritudines.

Verùm quid de his, quibus superuenit, prænuntiet agamus legitur in l. 4. aph. 66. in acutis febribus conuulsiones, vel circa viscera dolores fortes. Et aph. 67. in febribus ex somnis timores, vel conuulsiones malum. Et in l. 5. aph. 1. conuulsio ex helleboro lethalis est. Et aph. 2. cõuulsio ex vulnere lethalis est. Et aph. 3. vbi sanguis plurimum fluxerit; singultus, aut conuulsio superueniens malum. Et aph 4. ex superflua purgatione cõuulsio, aut singultus superueniens malum. Et apho 5. si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur. Et aph. 7. quicunque à distentione corripiuntur in quatuor diebus pereunt. si vero hos effugerint, sani fiunt. Et in eodem l. 5. aph. 56. in fluxu muliebri si conuulsio, & animæ defectus adueuerit malum. Et. l. 7. aph. 9. à profluuio sanguinis desipientia, ac conuulsio malũ. Et aph. 10. ab ileo vomitus, singultus, desipiẽtia, vel cõuulsio malũ. & aph. 13. ab æstibus fortibus conuulsio, aut distentio malum. Et n. 18. in vigilia conuulsio vel desipientia malum. Et aph. 25. ex medicamenti potione conuulsio lethalis est. Et l. 4. aph. 34. si à febre habito, tumore nõ existente in faucibus, strangulatio repente superuenerit, lethale. Et aph. 35. si à febre habito, collum peruertitur, & vix potest deuorare, sine vllo tumore, lethale est. Et in l. de Coac. præn. nu. 2. Conuulsiones in febribus acutis malum. Et n. 3. conuulsiones ex vtero affecto, sine febre faciles sunt. Et ibidem cõuulsiones antea incognitæ in strangulatis ab vtero faciles. Et, sine conuulsionibus pleuritides grauiores sunt his quæ cum conuulsionibus fiunt. Et, in conuulsionibus vocis interceptio diu durans mala est: parua autem, aut linguæ syderationem, aut brachij, aut dextrarum partium significat. &, conuulsio ex contrarij sectioni partibus oboritur, quibus tempora secantur. hæc conuulsio furori accedens dissipationem facit. Et conuulsio in febre fiens pernitiosa est. minime verò fuerit: sed eadem die desinens bona est. Et conuulsoriæ & mentis emotoriæ sunt affectiones ad collum, & caput transeuntes leuis syderationis modo resoluentis. Et num. 4. conuulsorium quid significat capitis dolor sopororsus eum grauitate. & nu. 3. quæ conuulsorio modo exacerbantur cum stupore detento, abscessus iuxta aures excitant, & conuulsoria sine sudore sputa defluentia in febrien te leuia sunt. & conuulsio furori accedens facit distentionem. & nu. 1. eiusdem lib. conuulsio in febre manuũ, ac pedum dolores maligni sunt. & rigor cum distentione neruorum malum.

Quando autem bonum aliquod denuntiet conuulsio, nunc obseruandum est. in Coac. præ. nu. 1. conuulsio in febre fiens, & eadem die desinens bona est. Et ibidem. conuulsio in febre fiens sedat febrem eadem die, aut postera, aut tertia. & nu. 2. citra conuulsionem, aut sanguinis ex naribus fluxum, aut coxendicum dolorem non liberantur, quibus præcordia non mollia, facies sana fuerit. Et in l. 1. de mor. pag. 61. n. 12. facit suppurationem inferno ventriculo, & si pus eruperit sani fiunt. Et in l. 2. de morb. pop. sec. 6. pag. 132. si venæ pulsauerint in manibus, & facies sana, ac robusta fuerit, & præcordia non fuerint mollia; diuturnus fit morbus, qui sine conuulsione non soluitur, aut sanguinis multi ex naribus eruptione aut dolore ad coxas. Et in lib. 3. pror. par. 11. Vtero gerentibus si capitis dolores, soporeśque cum grauitate fiant, vitiosi sunt. forsitan verò & his conuulsionis aliquid prodest.

At tempus est, vt curationem aggrediamur. legitur in l. 4. aph. 57. Qui à conuulsione, aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur. & in l. 2. aph. 26. febrem conuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionem. & lib. 5. aph. 5. si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet. Et aph. 70. eiusdem lib. A Quartanis capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur: si verò prius capiantur & quartana superuenerit; liberantur. & in l. 2. de morb. popul. sect. 5. si puerperis conuulsio fiat; febrem excitato: & cerato multo tepido in vesicam immisso, ac per clysterem infuso colluito. Et infrà. quicunque derepente voce destituuntur, si sine febre fuerint; ipsis venam secato. Et infrà. in conuulsione digitorum manus citra febrem venam secato, si non caput doleat: sin minus; aquam calidam affundito. & lib. 5. apho. 21. Est autem vbi in distentione sine vlceratione iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ a quæ multa perfusio, calorem reuocat. calor autem exoluit & aph. 22. calidum suppuratorium non in omni vlcere magnum ad securitatem indicium, cui em mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat, & quæ ad caput attinent, eius soluit grauitate. & in l. 6. de Coac. præ n. 3. Conuulsiones repentinas soluit febris, & alui fluxus. & ibidem. soluitur autem vrinis multis derepente prodeuntibus. sudores autem paulatim fientes prosunt: aceruati verò, itemque sanguinis detractiones aceruatæ lædunt. & ibidem, mulieribus conuulsis menses prodeuntes prosunt, & in l. de loc. in homi. pag. 33. nu. 48. conuulsioni sic mederi oportet. ignis ab vtraque lecti parte succendatur, & mandragoræ radix in potu præbeatur, minore pondere, quã quod insaniam facit, & ad tendines posteriores sacculi imponantur. à conuulsione si febris inuaserit; sedatur eadem die, aut sequenti, aut omnino tertia. & subdit. cum homo manibus, ac pedibus distentus, ac totus fuerit; insaniam sibi ipsi facit. & in lib. de Arti. pag. 201. nume. 78. si repositò osse, conuulsio accedat, articulum statim eijcere oportet calidam, quàm sæpissime humectare. & totum corpus, & præsertim

circa

circa articulos, calide, & leniter, ac molliter tractare. & in l.de humi. vſu.pag.55.nu.11.articulos induratos, aut ab inflammatione aliquando oborta, aut à diſtortione operæ prætium eſt ſanare, aqua calida in vtriculum infuſa. & ſupra. calida aqua attenuat, ac mollit: podagricis reſolutis ante, ac retro diſtentis, conuulſis talia accedunt. diſtentiones, tremores, leues ſyderationes.

De Corde.

Legitur in l.de cor. nu.1.cor figura velut pyramis eſt colore abunde puniceũ, & tunicam leuem circũdatam habet, in qua eſt humor modicus, velut vrina, vt putare poſſis in veſica cor diuerſari. facta eſt autem ea gratia, vt ſanum in cuſtodia floreſcat. habet autem humiditatem tantam, quanta ſatis eſt æſtuanti. hunc humorem cor emingit, bibendo ipſum aſſumens, ac conſumens pulmonis nimirum potum lambens, vna cum aere. & nu.4.cor muſculus eſt valde fortis non neruo, ſed denſitate, ac conſtrictione carnis, & duos ventriculos habet diſcretos in vno amiculo, de quibus ibi lege, ambo denſi, ac aſperi ſunt interna ſui parte, & velut ſub corroſi, magis que ſiniſter quàm dexter, nam inſitus à natura ignis non eſt in dextro. quare mirũ non eſt ſiniſtrũ aſperiorem fieri, vbi intemperatum aerem inſpirauerit. quapropter etiam roboris caloris cuſtodiendi gratia craſſior intus conſtrictus eſt. ſi quis præſecet; apparebunt duplicia oſcula in duobus ventriculis: craſſa enim vena ex altero excurrens viſum decipit, ſi fuerit reſecta, hi fontes ſunt humanæ naturæ, & hæc flumina ſunt, quibus totum corpus irrigatur: atque hi etiam vitam homini conferunt, & vbi reſiccati fuerint: homo moritur, ſed alia ibi lege. at ſubdit, num.7. venę operantur reſpirationem in ſiniſtrum ventriculum, arteria autem in alterum, & ſubdit. nu.8. mens hominis in ſiniſtro ventriculo inſita eſt, & reliquæ animę imperat. & in l.de carni. nu.6. cor multum glutinoſi, ac frigidi habet, & a calido calfactum, caro euaſit dura, & viſcoſa, & membrana circum ipſum, & cauum factum eſt, non quemadmodum, venæ & ſitum eſt in capite venæ cauiſſimæ: duæ enim ſunt cauæ venæ, à corde, & alteri nomẽ eſt arteria, alteri vena caua, iuxta quam cor ſitum habet, & plus habet calidi arteria, quam vena caua, & ſpiritum cõdit, ac conſeruat, & ſubdit, nu.7. calidum plurimum in venis, ac corde ineſt, & propterea ſpiritum cor habet, vtpote, quod omnium intra hominem membrorum calidiſſimum exiſtat; procliue eſt autẽ cõdiſcere, & ſpiritus calidus eſt cor, & venæ cauæ ſemp mouent, & plurimũ calidi in venis ineſt, & propterea ſpiritum cor trahit ex omnibus in homine, maxime calidum exiſtens. ſcribitur porrò in l.de ſtruc. homi. nu.1. ſanguis, & ſpiritus, locus eſt in corde: à dextris eius eſt ſanguis, à ſiniſtris verò ſpiritus coſiſtit: flaua bilis in iecinore atra in liene, pituita in cerebro. & num.2. arteriæ à corde purum ſanguinem, & ſpiritum recipiunt. venæ autẽ & ipſæ à corde ſanguinem ſumunt: per quas corpori diſtribuitur, ſed iecur cordi ſanguinem nõ præter veri fidem affatim ſuppeditat: nam ignis abſque materia permanere neutiquam poteſt. verũ & in l.4.de mor. n.2. legitur. cor ſanguini fons eſt, atque caloris inſiti, & principium eſt, vt ſcribitur in l.de cor. nu.5. eſt autem radix arteriarum vt habetur in l. de Alim. nu.7. eſt principium motus, veluti dicitur in l.de car. n.8. quod verò ſit fons caloris, motus, ſanguinis, & vitæ facile percipitur ex verbis, quæ leguntur in lib. de oſſium. na. pag.29.n.28. & hæc ſunt. colorum mutationes corde a diſtringente venas, ac laxante fiunt, laxante igitur rubicundi colores fiunt, & bene colorati, ac pellucidi; conſtringente verò, virides cum pallore, & liuidi. verum tales euariant iuxta præſentes in vnoquoque colores. attrahit tamen cor ſanguinẽ ex hepate imperfectum, quem poſtea ipſum perficit, & diſtribuit per totum corpus, & ad hepar, & ad caput, & ad alia membra delegat: non enim nutritur ventriculus, nec hepar ex illo alimento, quod ab illis concoquitur, & alijs ſubminiſtrat, & nondum perfectũ eſt: proditũ namq; eſt in l.4. de morb. pag.75. nu.10. poſtquam bibit, aut comedit homo aliquid, quod ſanguineum eſt; trahit & totum corpus in ſe ipſum, trahit & cor ſanguineum ad ſe ipſum. & vbi pius attraxit; non oboritur cordi dolor: eſt enim cor res ſolida, ac denſa: & propterea dolore non affligitur. & ex ipſo procedũt venæ craſſæ iugulares appellatæ, ad quas ſtatim ſi copioſius accedat, ſanguineum illud deſtribuitur, & illæ impletæ breui ad caput, & corpus delegant. at verò, vt apparet. nu.13. eiuſdem l. caput, & cor, & ſplende omnibus humoribus participant: vnumquodque tamen ſi non ægrotet, plurimum de proprijs participat, iuxta ſuam ipſius naturam, caput pituita, cor ſanguine, ſplen aqua. & hęc de na. cordis dicta ſint.

Nunc reſtat, vt videamus quas ſuſtineat affectiones, quamquàm antea ipſe Hipp. dixit cor non dolere: imo vt quidam aiunt ſi quid doloris afficiat, partes ipſi circunſtantes affligit: dicit enim in eodem li. 4.nu.13. ad folliculum in hepate ſola bilis à cibis ac potibus ſecernitur. & ſubdit. & eſt hic locus maxime familiaris bili ſecundum naturam. & ob id in ipſo nullus alius fit morbus, quam is, quem homines cardiogmon, hoc eſt, cordis morſum vocant. ſed is, qui dicitur cordis morſus, fit circa ventriculum. teſtis autem eſt aph.ille.65.in l.4.cuius verba ſunt. In febribus circa ventriculum, & fortis æſtus, & cordis morſus, vel dolor. & Gal.in com.ait. non ſolum ei viſceri, quod ſua natura pulſat, cor nomen fuit apud antiquos, ſed etiam ori ventriculi: ſicut etiam cardialgiam .i. cordis dolorem, huius partis dolores appellant. item in eodem l. 4. aph. 17. ſcribitur. ſi quis febrem non habens abſtineat à cibo, & cordis morſum, ſeu vertiginem patitur: ibi Gal.ait. cordis morſus eſt oris ventriculi paſſio: priſci ſi quidem & hoc cor nominabant, verum & hepar, cor appellabatur a pueris, vt ſcriptum eſt in lib.4 de morbis. pag.75.num.8. tamen non eſt negandum ex Hip. ſententia, quin cor afficiatur; nam ſcribit in l.6 de mor. vulg. ſect.5. paſ. 9. excandeſcentia attrahit & cor, & pulmones in ſe ipſa, & in caput & calida, & humidum gaudium laxat cor. Gal. autem in com. ſic explicat. cor, & pulmones ob excandeſcentiam attrahuntur in ſe ipſos & in caput: attrahunt calida, & humidum. ſed & vox illa calida prope inintelligibilis eſt: nam calidum dixiſſe melius erat, quam calida, ſed duorum alterum. in iracundia dicendum eſt vel pulmonem, & cor ad caput attrahi: vel cor, & pulmones, & caput ad ſe ipſa, calorem & humorem attrahere: quia in excandeſcentijs cor vna cum arterijs pulſum maiorem, ac vehementiorem efficit: & robur per oculos, & to

tam

tam faciem diffunditur. sed & in l.7.de morb.popu. pag.148.n.9.legitur, vbi aluum exoneraret; sanguinis recentis plus quàm congij mensura subijt:& vbi iterum,atque iterum cohibuisset;grumi concreti,anxietas circa cor,& os ventriculi, & sudor per totum fere corpus, & ibidem.nu.13.pag.148.ad noctē cordis, ac oris ventriculi dolor: & non longe postea noctis interceptio, strangulatio cum stertore, & mortuus est,& in l.de affec. pag.80.nu.15.dolores in æstate circa ventrem fiunt,& si ad præcordia, & cor tenderint, aquam mulsam aquosam facito, sed quoquo pacto cor accipiatur siue pro ventriculo, siue pro hepate, siue pro qualibet circunstanti parte, scribitur in li.7.de mor.popul.pag.149. nu.17.circa quintam genu dolor,& tumor sinistri,& circa cor dixit si bi videri aliquid colligi:& respirabat velut respirāti hi qui sub aqua mersi fuerunt.& num. 10 eiusdem li. cum bibisset,atque difficulter deglutiret:surrexit,& cor se sanasse dixit: lingua liuida ab initio. in l.5.de mor.popul.nu.25. in semitertiana circa accessionem etiam cor grauiter dolens, & concomitabatur etiam dolor tota die.& huiusmodi cordis dolor etiam alijs similiter aderat,tamen sub pleiadis occasum,viris talia rariora fiebant. Et lib.5.de mor.popu.pagin.140. nu.9.præ fastidio à cibo abstinebat, & per septē dies vterum dolebat, & cor, & febris corripiebat. verùm in l.2.de morb.pag.65. animo linquitur homo cum pituita,aut bilis ad cor consistit. consistere autem necesse est commotis, ac humectatis, sed nu.46.ait.vbi pus circa cor putruerit, nidrosum odorem, sputum prunis iniectum de se præbet: & cerebrum concalescens salsuginosum humorem effundit, qui aluum mouet,& hæc fiunt cū quis ex pulmonis affectu tabescit.at quoq; vteri cor petunt, vt fertur in l.de natu. mul.pag.97.nu.58.& curationem ibi lege. Signa verò in l.2.de mor.mul.pag.114.num.16.hæc lege.si ad cor progressi vteri suffocent,& aer impeditus violēter attrahatur;anxia est,& vomit; & quibusdam statim tractus deorsum cedit,& flatus exit.& aliqua vomit spumosa,alicui verò quies cōtingit. curationem quoque ibi lege, sed & cor conuellitur, veluti scriptū est in l.muliebri.pag.97.nu.46.verba sunt hęc. si ex partu sanguinem vomat, hepatis fistula sauciata est & dolor ad viscera procedit, & cor conuellitur. curationem verò ibi lege. Et in l.de morb. mul. pag. 105.nu.72.Fit & palpitatio cordis,sicut scriptum est in l.de humo.pag.56.nu.3.fit & dolor cordis post renum affectiones, & spiritus præ dolore detinebatur, & aluus difficulter egerebat.Fit & cordis strangulatio; nam legitur in l.2.de mor.mu.n.8.si cor strangulatur; ab vtero reprimitur, & spiritus habet,& anhelatio.curationē verò ibi lege. Fit præterea cor fatuū quemadmodum legitur in l. de virg. morbis pag.92. nu.1.& 2.vbi inquit cum osculum exitus non fuerit apertum venarum & vteri. & sanguis amplius influxerit proper cibos, & corporis augmentum; tunc sanguis non habens efflexum præ multitudine pręsilit ad cor,& ad septum transuersum, cum igitur hęc repleta fuerint cor fatuū fit. deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delyrium apprehendit; quemadmodum cum aliquo longo tempore desidente sanguis ex coxis, ac femoribus depressus in tibias ac pedes torporem inducit. atque hic torpor facile cedit, cito enim sanguis propter venarum rectitudinem refluit: & locus corporis non est periculosus; at ex corde, & septo transuerso tarde refluit: venæ enim obliquæ sunt, & locus periculosus, & ad delyrium,ac insaniam paratus. cum enim hæ partes repletæ fuerint,& horror cum febre ingruit; erroneas febres appellant. his autem sic habentibus præ acuta inflammatione insanit, præ putredine clamat,præ caliginositate timet, ac formidat, præ compressione circa cor strangulationes parat, ac præ sanguinis malitia animus mœrens, & anxius malum attrahit. curationē verò huius morbi ibi lege. Sed videtur Hip. sibi contradicere: nā ait in lib.de mor.sa. dicunt quidam, quod corde sapimus, & quod hoc est,quod angitur,& quod curam gerit. verum hoc non ita se habet, sed conuellitur quidem, velut præcordia,& magis etiam propter easdem causas: ex omni enim corpore venæ ad ipsum tendunt,& conclusiones habet, vt sentiat,si quis dolor, aut collectio homini contingat: necesse est enim & dum angitur, inhorrere corpus, ac distendi,& si quis nimio gaudio perfundatur idem pati.quapropter cor quidem,& præcordia maxime sentiunt; sapientia: tamen minime participant, sed omnium horum causa cerebrū est. hæc dicit Hip. sed alias dixit cor sapere quoduerum est: quia est radix & fons omnium sensuum,& apprehensionū quas à sensibilibus per instrumenta sensuum elicimus.hęc præterea à cerebro manifestantur. tandem tum vulneratum fuerit cor, moritur,vt scriptum est in lib.1. de mor.num.3.& in lib 6.aph.18. Nec omittenda est cordis palpitatio, de qua sic scriptum reliquit Hip. in l.de mor. sacro pag.58. nu.7. si ad cor progressum fecerit defluxus scilicet a cerebro; palpitatio apprehendit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur. aliqui verò etiam incurui fiunt: cum enim descenderit pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor perfrigeratur sanguis.venæ autem vehementer perfrigeratæ ad pulmonem,& cor assistunt,& cor palpitat,aut præ hac necessitate anhelationes incidant, & spiratio ceruice erecta: non enim spiritum suscipere potest, donec id,quod influxit,a sanguine fuerit separatum: & calefactum in venas fuerit diffusum. deinde & palpitatio, & anhelatio sedatur. sedatur autem prout copia eius fuerit: si enim amplius influxerit,tardius:sit minus citius.

Ad de curatione doloris cordis agit Hip. in lib.5. de mor.popul.pag.142. num.30.& ait.aliquando etiā dolor ad cor,quem venæ sectio soluit.huic aquæ potus,aqua mulsa contulit,veratrum nigrum bibit,neque biliosum prodibat, sed modicū. Et in l.de affect. pag.80. nu.15. Quicunque alij dolores in æstate circa ventrem fiunt,si quidem ad præcordia,& cor.tenderint, aquam mulsam aquosam facito, & aceti tribus heminis affusis, tepidam bibendam dato, & vbi modico tempore ipsam retinuerit, & igne, ac vestibus con calefactus fuerit; vomat.si verò à vomitu rursus accesserint, ac suffocauerint, rursum vomitus faciat,aut ipsum multa calida lotum per clysterem sublue, & tepefactoria adhibe; si affuerit dolor. patiuntur autem hæc maxime à pituita; cum commota ad cor allapsa fuerit. sed supra.n.13.eiusdem libri.si bilis, aut pituita ad cor consederit; aqua frigida, aut aqua mulsa pota,vomant.si verò vēter secesserit,clysteri vtendum est,aut subditicia glande.Fiunt quandoque cardialgici hi, qui bis die cibum sumere consueue-

ſuerunt, nec pranſi ſunt. & propterea neceſſe eſt, vt prandeant. hæc lege in lib. de vict. ratione. com. 2. par. 24.

Corpus.

Corpus conſtat ex calido, frigido, ſicco, & humido, vt legitur in li. de Nat. hum. n. 4. & 5. & habet in ſe ipſo ſanguinem, & pituitam, & bilem duplicem, flauã ſcilicet & nigram. atque hæc ſunt ipſi corporis natura, & per hæc ſanus eſt, & ægrotat. Et in lib. de loc. in homi. nu. 1. de principio corporis ſic loquitur. mihi quidem videtur principium corporis nullum eſſe, ſed omnia ſimiliter principium, & omnia finis: circulo. n. ſcripto principium non requiritur. Et nu. 3. ſubdit. corpus porrò ipſum ſibi ipſi idem aſſimile eſt, & ex ijſdem compoſitum eſt. ſimiliter autem habet, & magnas, & paruas partes: itemque infernas, ac ſupernas. & ſi quis minimam corporis partem acceptam male afficere velit; totum corpus affectionem ſentiet: propterea quòd minima corporis pars omnia habet quæcunque & maxima. de partibus corporis hæ ſcribuntur prænotiones ac primum in lib. 4. aph. 48. in febribus non intermittentibus ſi partes exteriores frigidæ interiores vrantur, & ſitim habeat; lethale. Et in lib. 1. progno. com. 2. par. 4. ſi caput, manus, ac pedes frigidi ſunt, ventre, & coſtis calentibus; malum eſt. Et in com. ait. Gal. thorax, ac venter mediæ corporis ſunt partes. Et par. 34. qui tenuem, & crudam diutius vrinam mingunt, ſi cætera vt in cõualituris indicia fuerint; in his abſceſſum ad inferas præcordiorum ſedes expectare oportet. Et in l. 2. pror. par. 8. ſummæ corporis partes ſi celeriter in vtramque conditionem mutentur, hoc eſt, in caliditatem, & frigiditatem; malum. & Gal. in com. ait. ſummæ corporis partes ſunt pedes, manus, aures, & naſus, quæ & in his, qui cum frigore fiunt acceſſionum ingreſſibus, primæ omnium frigeſcunt. & in li. 3 par. 22. dolores ſi ad infernas dilabuntur partes, facile ab his perferuntur: & Gal. in com. inquit. ſi ad thoracem, & os ventriculi peruenerint dolores; maiorem inducent tolerandi difficultatem, quàm cum in ceruice, & cubito eſſent: ſi ad crura; morboſam totam affectionem inſigniter iuuabunt. Et in li. de vict. ratione in mor. acut. com. 2. par. 30 talia moleſtius ferunt, qui parte ſuperiore picrocholi exiſtunt, hoc eſt, vt exponit Gal. in ſuperiori ventre. ac tandem legitur in lib. 3. aph. 6. Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non ſentiunt; hi mens ægrotat. Et in li. de Arti. pag. 200. num. 69. omnia, quę in corpore ad vſum facta ſunt, ſi quis moderatè ipſis vtatur, & in his laboribus exerceat, ad quos ſingula ſunt aſſueta; ſic quidem ſana ſunt & augeſcunt, & probe conſeneſcunt. ſi verò quis non vtatur, ſed quieſcat; morboſiora fiunt, & cito conſeneſcunt.

At de temperatura ipſius corporis ſic ſcribitur in l. de carnibus. nu. 13. alimentum vbi acceſſerit vnum quodque talem ſpeciem vnicuique reddit; qualia ſanè erant: ſingula enim ab alimento irrigata augumẽtum capiunt calidum, & frigidum, & glutinoſum, & pingue, & dulce, & amarum, & oſſa, & alia vniuerſa, quæ in homine inſunt. Et in l. de Alim. pag. 53. nu. 2. facultas alimenti peruenit ad oſſa, & ad omnes partes, & in ſanguinem, & pituitam, in caliditatẽ, ſpiritum, & humiditatem. corpora verò ſicciora, vt legitur in l. de loc. in hom. n. 1. morbos magis recipiunt, ac magis dolent à natura: humidum verò minus: morbus enim qui in ſicco eſt ſtabilitur, & non ceſſat: qui verò in humido, diffluit, & alius, aliam corporis partem occupat, & ſemper tranſmigrans requiem facit, & citius quoque ſedatur, vtpote non ſtabilitus.

De compoſitione verò, & habitudine corporis hæc leguntur in lib. 2. prædic. nu. 19. multum etiã differt corporis ipſius hominis ſtructura: aliquando enim neque febricitat, neque inflammatur ſauciatus aliquando etiam citra cauſam febricitat, & aliqua corporis pars omnino inflammatur. Et idcirco ſcriptum eſt in l. de ſalu. Diæ. nu. 11. fit hic profluuij alui modus his corporibus maxime, quæ denſam carnem habent, cum ad carnium eſum homo cogitur, natura eiuſmodi exiſtente: venæ enim denſatæ cibos ingeſtos non ſuſcipiunt: contra rariores, ac hirſutiores. hæc quoque lege. in l. 3. de Diæ. nu. 16. verum in l. de Glan. n. 2. corpus ſiccum, neque glandulam, neque pilum habet. at verò teneræ, & exercitijs deditæ, & humectæ partes glanduloſæ ſunt, ac piloſæ. & in lib. de Coac. præ. nu. 3. corpora exercitata, ac denſa citius à pleuriticis, ac peripneumonicis morbis pereunt, quam inexercitata. verum corpora denſant, ac cogũt quotidianæ conſtitutiones aquiloniæ, vt legitur in lib. 3. aph. 17. cõtrà auſtrinę diſſoluunt, & humectãt.

At verò quemadmodum pars corporis ad partem tranſmittit; ſic corpus vapores omnis generis in caput retrudit, vt proditum eſt in l. de Glan. n. 5. quod ſi ſanum ſit, nec ab alijs perturbatum animi temperamentum ſapiens exiſtit. ſed corpus tranſmutatum, vt inquit in l. de loc. in homi. nu. 53. parum efficax, ac potens eſt, & ab omnibus offenſiones percipit. tranſmutatur autem à rebus non naturalibus: nam, vt proditum eſt in l. de humi. vſu. nu. 6. poſt calidam frigeſcit corpus, magis perfrigeratum; poſt frigidam verò recaleſcit magis contractum. Et ſubdit. poſt calidam dureſcit corpus magis reſiccatum, vel oculi poſt frigidam. Et in l. 4. aph. 40. vbi in toto corpore mutationes: & ſi corpus refrigeretur, vel rurſus calefiat, vel color alter ex altero fiat; longitudinem morbi ſignificat. at verò corpus ſquallidum aluum male affectam ſignificat, vt legitur in l. de Coac. præ. nu. 4. ſed & corporis debilitas à ciborum copia, vel inopia, aut alia tranſmutatione fit, & quomodo contingat lege in l. de loc. in hom. num. 82. corporis item grauitas, & manuum, ac pedum adſit, vt legitur in l. de affec. nu. 14. vbi verò corporis totius grauitas, & manuum, ac peduum adſit, vt legitur in l. de Coact. præ. nu. 3. mala eſt. verum. n. 2. ait quibus corporis totius tremula quædam impotentia eſt cum capitis, ac colli dolore; ſanguinis eruptio ſoluit. Et ibidem corpus velut à puſtulis rubeſcit: quibus ſputa ſalſuginoſa, ac tuſſis ſupprimuntur. Et in l. 7. apho. 40. ſi lingua de repente impotens fiat, aut aliqua corporis pars ſyderata melancholicum tale exiſtit.

De Magnitudine, ac paruitate corporis ſcribitur in l. 2. aph. 54. magnitudo corporis iuuente quidem, neque indecens, neque illiberalis; ſenectæ verò inutilis, & deterior paruitate.

Corrugantur.

Scriptum eſt in l. 6. de mor. popul. ſect. 1. ſquallidas mala, & qui intrinſecus corrugantur, & rigentes, alias concreti ſiue immobiles, vt interpretatur

Gal.

Gal. & qui vix conuertuntur, & qui intus conuersi sunt, vel alias, & qui cõtorquentur. Gal. autẽ in com. ait hæc verba ad oculos pertinere. & idcirco id quod veluti tenuem habebat lippitudinem erat squallidũ. & cum membrana musculis oculos mouentibus adhærens, quæ ad coronam vsque porrigitur, dissoluta ac laxa fuerit, tunc oculos interius corrugari contingit: nam si exterius essent corrugati; id cutis esset affectio. hic velim vt diligenter coronæ interpretationem considerares: propterea quod in hoc loco & in plurimis alijs non est concors Gal.

De Corruptione.

Corruptio fit, cum primæ qualitates passiuæ superarint aliqua ex parte actiuas. sed actiuæ superantur ob defectum humidi: & humidum est duplex, congenitum scilicet cum calido, aut quod aptum est, vt cum congenito copuletur ad restaurationem deperditi, & consumpti à calore. & idcirco cum alter horũ deficiat, totum vel in parte fit corruptio. verum corruptio primi est veluti marcor, & senectus: secundi verò est veluti quid violentum: propterea quod defectus alimenti in eo quod alimentum est, non est à natura, sed ab animalis partibus, quæ id non possunt suscipere, nec amplecti: vel quod alimentum deficiat. at si non cõplectantur; itidem nec concoquunt. & inconcoctio est via ad corruptionem & corruptio ad putrefactionem. sed inconcoctio est quæ omnino opponitur concoctioni siue per cõtraria, veluti si alimẽtum remaneat crudum, & liquidum: aut per priuationem, vt si reddatur in corpore omnino ineptum ad concoctionem: vel per relationem, veluti si fiat bilis, aut pituita crassissima: nam verò alimento opponitur ea bilis & pituita, sicut multum pauco in cõcoctione: vel tandem per negationem, hoc est, quouis alio modo fiat alimenti inconcoctio. fit igitur corruptio aut naturaliter, quod euenit, quando calor naturalis propriam consumit humiditatem: aut accidentaliter: & hoc, quando ob inconcoctionem generantur superfluitates. & fiunt inconcoctiones, vel quia alimentum partim est dissimile ei, quod alendum est, vel quia non est in loco proprio: vel quia continens est ineptum ad concoquendum: vel tandem quia maior virtus statim vincit minorem, vel minor paulatim maiorem. & propterea scribitur in lib. 1. de Diæ. pag. 42. nu. 6. Corruptio omnibus mutuo inter se est, maiori à minore, & minori à maiore. & augescit maius à minore. hæ igitur sunt causæ corruptionis: nam cum humiditas vel siccitas alimenti: vel alia qualitas vicerit calorẽ innatum; fit inconcoctio, vt dictum est siue illud inconcoctum fiat bilis, siue pituita, eam nõ suscipit animal. & quando non suscipit alimentum; corrumpitur; itidemque si id suscipiat inconcoctũ, hoc est, paratum ad corruptionem. non suscipit corpus, quando eo non vtitur ad restaurationem, aut quando id egeritur. & ideo legitur in l. 7. de mor. popul. n. 23. ante finem, corruptum est corpus præ multitudine egestionis. cæterum quæ corrũpuntur, aut tota corrumpuntur, vt corpus animalis, vel membrum; aut partes, quæ si corrumpantur, hæ sunt vel calor innatus, vel spiritus, vel humores, vel caro, uel neruus, uel os. atque hæc corrumpuntur cum alimenta inconcocta partes has occuparint, uel ab extrinsecis, sicuti à gladio, & lapide. quæ uerò inconcoctas has materias, & superfluitates possident, non statim tota corrumpuntur, sed primum calor: vnde pars illa fit torpida, deinde spiritus, & tunc fit non sentiens nec mobilis: vel humores, & ideo non nutritur corpus, nec pars, vel caro, & sic ipsa liquefit, vel fit pus: vel tandem neruus, & os, quæ non nutrita, & alienis qualitatibus affecta, primo corrumpuntur, deinde putrefiunt: nam putrefit res quæ exterius primo fit humida, calido naturali minime regente humidum, deinde remanet siccum, quod incineratur per resolutionem humidi: nam dum humidum exit, siccum fit intra, & consumpto humido à calore extrinseco putrescit. Quòd verò corrupta torpescant palam fit in l. 2. de mor. popul. sect 5. cuius verba sunt, quęcunque corrupta torpescunt, euulsa vena vlcerato, ac sanato. Quòd verò carnes liquescant, manifestum fit in l. de affect. pag. 81. nu. 23. cum ait. cum quis ex longo morbo impurgatus diu manserit, fit aqua intercus plerumque: corrumpuntur enim carnes, & liquantur, & fit aqua. sed corruptum membrum corrumpit, vt legitur in l. 1. de mor. n. 13. & inquit, pulmo ab ardore, & siccitate nihil amplius suscipit resiccatus, neq; quidquam sursum distribuit, sed corrumpit. ventres autem corrumpuntur vt scriptum est in l. 3. de Diæ. pag. 51. nu. 17. vbi legitur. secedit cibus per aluum liquidus. incoctus, velut ex intestinorum læuitate, & dolorem nullum exhibet. patiuntur autem hoc ventres maxime, qui humidi, ac frigidi sunt, & propter frigiditatem non concoquũt, propter humiditatem verò secessus fit. corpus igitur contabescit alimentũ conueniens, ac debitum non accipiens, ventresque corrumpuntur, & in morbos incidunt. corrumpitur & semen, vt legitur in l. de aere, aquis, & locis. corrũpuntur, & aliæ humiditates de quibus lege in lib. de loc. in homi. pag. 31. corrumpuntur & pectora à fluxione vt scriptum est in lib. de mor. num. 7. fit & corruptio cerebri à bile, & pituita, vt ibidem proditum est. nu. 16. & in lib. 3. de mor. nu. 4. corrumpitur etiam sanguis, quemadmodum notatum est in lib. de vict. ratione in morb. acut. com. 4. par. 27. corrumpitur etiam fœtus, veluti apparet in l. 5. aph. 53. corrumpitur facies, vt legitur in lib. de Coac. præ. n. 1. & in lib. prog. com. 1. corrumpitur præterea caput, vt scriptũ est in l. 1. de mor. nu. 10. sic pulmo, veluti ibi, & in lib. de inter. affec. scriptum est. fit & corruptio ossis, sicut legitur in l. 5. aph. 73. fit tandem & morbus corruptorius, quem lege in l. 2. de mor. attamen sciendum est, quod quàmquam sæpè comperis in l. Hip. corruptionem cerebri, carnis, ac seminis, non propterea omnino corrupta est pars illa, siue membrum, sed vel calor, vel spiritus, vel humor, vel aliqua particula, ob quas læsio membri sequitur.

Coryza.

Coryzæ, siue grauedinis causa, & curatio. l. in l. de vete. med. nu. 31.

De Costis.

Has reperimus costarum affectiones in l. Hip. dolores scilicet, contusiones, fractiones, pus, abscessus, & inflammatio. De costarum doloribus est is aph. quintus in l. tertio. si aquilonia fuerit tempestas; tussis, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Et lib. 1. de mor. pag. 63. nu. 24. peripneumonia fit cum commota, ac calefacta pituita, ac bile, pulmo præ caliditate traxerit in se ipsum de vicinis locis ad ea, quæ iam sunt in

ipso

ipso & calfacit quidem totum corpus, ac dolorem exhibet, maxime autem dorsi, ac coxis, & humeris ac spinæ: nimirum ab his in se ipsum attrahens plurimam humiditatem, & superficcantur hæ partes, & nimium calescunt. Et in lib. progn. com. 2. par. 43. screatio in omni dolore, qui affligat circa pulmonem, & costas, cito, & prompte screetur, necesse est. Doloris verò curationem tractat in lib. de Iudicationibus pagin. 160. nume. 11. & inquit. Quibus dolores fiunt derepente, præcordium eleuatum est superne: &, si circa spuriam costam graues dolores fiunt, his solutio fit, venæ sectio, & purgatio deorsum: non enim corripit febris vehemens locis impotentibus. sed de numero costarum lege in lib. de loc. in homi. pag. 30. num. 10. deque earum coarticulatione in lib. de ossium na. pag. 27. num. 3. De contusione verò costarum loquitur in l. de Artic. pag. 198. & num. 51. 52. & 54. & ibi agit de costarum fractura: deque earum directione, & quòd corroborentur costæ fractæ diebus viginti. Et in lib. 5. de morb. popul. 141. nume. 13. recenset de Maliensi, cui onustus currus inductus est supra costas, & eas confregit, & per tempus substitit ipsi pus intra costas. quid postea actum sit ibi lege. sed De costarum anatomia vide in lib. de artic. pagin. 198. nume. 41. & in lib. de ossium natu. nume. 3. & in lib. de iudicatio. nume. 11. circa costam spuriam dolores graues soluit venæ sectio, & purgatio deorsum. De Abscessu in costis hæc ait in lib. de Coact. præ. Abscessum in costis, aut visceribus, aut in articulis facit dysenteria intempestiue suppressa. De inflammatione costarum hæc dicit in lib. de aeris aquis, & loc. num. 28. si æstas pluuiosa sit, & austro multo perfletur, &c. febres ardentes fieri verisimile est: qui verò bile abundant costarum inflammationes, & pulmonis.

De Coxa.

Legitur in lib. de oss. natu. nume. 2. Coxa magno verticulo, quod iuxta os sacrum est, ex ligamento chartilagineo, ac neruoso adhæret. & Galen. in lib. 6. aphor. 59. explicans coxam ait. quando coxam ait Hipp. excidere, articulum coxæ debemus intelligere. plures verò coxa patitur affectiones, quemadmodum est dolor, tabes, extenuatio, marcor, commotio, luxatio, impotentia, & id generis. atque hæ affectiones habent suas causas, & quandoque sunt symptomata aliorum morborum, & quandoque curant alios morbos, aut eorum sunt signa prognostica.

Nunc primum de coxarum dolore loquendum est, deinde de cæteris ordinatim. scriptum est in lib. de Inter. affectio. pag. 91. nume. 54. si quis diutius in sole versetur, & coxendices fuerint calefacti, & humor, qui est in articulis à calore fuerit resiccatus: æger enim articulos vertere, aut mouere non potest præ dolore qui est in ipsis, & eo quod verticula sunt compacta. dolent autem maxime lumbos, & verticula ex obliquo iuxta coxendices, & genua. consistit autem dolor multo tempore in inguinibus simulque coxendicibus acutus, & æstuosus. & si quis ipsum dirigat, aut transmoueat; præ dolore eiulat, quàm maxime potest. aliquando etiam conuulsio succedit & rigor, ac febris. fit autem & à bile, & à pituita. fit item à sanguine dolor consimilis, veluti ab omnibus morbis. & rigor, ac febris aliquando corripit debilis. prosequitur postea curationem, quam ibi lege. Et in lib. de Affect. pag. 81. nume. 30. Coxendicum morbus cum fit; dolor corripit coxæ iuncturam, & summas nates, ac coxendicem. tandem verò etiam per totum crus dolor vagatur, & subdit. morbus hic fit, cum bilis, & pituita in sanguisluam venam incubuerint: aut ex alio morbo, aut aliter quantumcunque sanguinis à pituita, & bile compactum ægrotarit: hic enim per crus vagatur, per sanguisluam venam: & vbicunque constiterit, ibi etiam dolor manifestus fit maxime, molestus quidem, sed non læthalis. si verò in vnum aliquem locum incubuerit dolor, & constiterit, & medicamentis non fuerit exactus; vrito quocunque loco fuerit dolor. vrito autem lino crudo. reliquam curationem ibi vide. & in libr. de oss. natu. nume. 2. ait, oportet venæ sectiones in doloribus in dorso, ac in coxendicibus à voplitibus facere, & malleolis forinsecus. scriptum porrò & in lib. 5. de morb. popul. pag. 141. nume. 15. Hecasonab immunditia non purgata, & à praua purgatione dolorem acutum in coxa habebat: & hic quidem discessit, successerunt autem ipsi febres. Et nume. 33. Polemarchi vxori in morbo articulari coxæ dolor quidem vehemens. causa erat, quòd menses non prodirent. Et in lib. 2. de morb. mul. pag. 116. nume. 29. si vteri contingant coxam, & incumbant; dura, ac solida fit coxa ad lateris mollitudinem, & dolores imi ventris, & ad ipsam lateris mollitudinem, & lumbos, ac crura dolor incidit, ac extenditur, & suppurantur, & linamentis opus habent, & pereunt, nisi quid seceſſet, aut curas. curationem verò ibi lege. Et in lib. 4. de morb. popul. pag. 138. num. 18. coxæ, ac cruris affectiones vterinæ erant, cum dolores esse putarentur: appositoenim ac subdito medicamento odorato ex farina, & vnguento, contingit vt breui discuterentur, ac desinerent. Et in lib. 5. pag. 140. num. 3. Eupolemus dolebat coxam dexteram, & inguem, & commissuram propinquam ad coxam ab inguine, & coxa in anteriore parte. huic sanguis detractus est à malleolo multus valde, & niger, ac crassus. & pharmacum bibit aluum deorsum purgans, & multum purgatus est. & melius quidem habebat, dolores autem non remittebant. sed suppuratam habebat, & coxam, & commissuram in ipsa ad sedem, & parte circa inguem quibus locis etiam amplius dolebat. cætera ibi lege. Et in lib. 5. pag. 141. nume. 23. doloribus circa lumbos & crura, & coxam ex laboribus obortis aquæ marinæ atque aceti calidum fomentum confert, ita vt vel aspergas, vel spongiam his imbutam adhibeas. deligare verò oportet lanis succidis, & pellibus agninis. Et in lib. 4. pag. 137. nu. 11. Qui cucurbitam affixit cũ in coxa esset dolor, huic ad crus deorsum venit, & melius habuit. & in l. 6. sec. 4. mulier quæ magnum onus sustulit, statim in pectore, aliquid crepuisse visa est, postera die anhelationem habebat, & coxam dextram dolebat. & cum hæc doleret; tunc etiam anhelatio habebat, coxæ verò dolore cessante, etiam anhelatio cessabat. supebat spumosa, ab initio verò florida. alia ibi lege. Et lib. 2. de morb. popul. pag. 130. sect. 2. Quædam priusquam conciperet, coxam dolebat.

Postquam autem concepit;non amplius dolebat. vbi verò peperit; vigesima die rursus doluit.peperit autem masculum. Et in lib.7.nu.58. quidam ad sex annos habuit ex equitatione inguinum tumorem, varices, & coxendicum dolores.

Fiunt autem autumno,vt ait Hipp.in lib.3. apho. 22.coxendicum dolores: & in libr.de Coac. præno. num.1.Surditas in acutis,ac turbulentis consequens malum: malum etiam in longis, in his autem dolores etiam ad coxas deducit.Et ibidem num.2.longæ. & vehementes febres fiunt, & tusses, & spiritus, & singultus.his autem ad solutionem tendentibus, dolor fortis coxarum, aut crurũ, aut puris sputum, aut oculorum priuatio succedit.

At verò, quæ signa prognostica nobis dent; dolor coxendicus scribitur in lib.de Coac.prænom.numero primo. Quibus in febribus venæ in temporibus pulsant, & facies sana est, & præcordium non molle, diuturnum morbum significat, & non definentem citra multi sanguinis ex naribus fluxum,aut singultum, aut conuulsionem, aut coxendicum dolorem. Et infra. septima die, aut nona, aut decimaquarta fluxiones sanguinis à naribus fientes plerunque febres soluunt: similiter & alui fluxio biliosa, & qualis dysenteria fieri solet, & genuum, ac coxendicum dolor, & vrina concocta ad iudicationem. Et infra. dolores ad præcordia in febre voce intercepta sine sudore soluti malum est, his ad coxendices dulores fiunt. & subdit. & ipsis vnà cum febre ardente, alius deorsum erumpens perniciosum est. Et in lib.2.pror. part.1. Si quippiam in vrina sublime petierit, occultato coxæ dolore delyrium portendit, & quæ circa aurium sonitus talia existunt.

Verùm dolor coxæ quandoque soluit alios morbos: proditum enim est in lib.2.de morb.popu.sect. 4. vbi filiam peperisset, conuersum est ei vteri osculum, & dolor ad coxam,& crus. iuxta maleolum secta vena liberata est, & quidem cum etiam tremores totum corpus detinerent.Et sect.5.si caput doluerit, ad pectus descendit, deinde ad præcordia, postea ad coxam: omnia verò vt doleant fieri non potest. ventositatem flatuosam venæ sectione, fluxionem pharmaco illito, sistito: fluxus enim ex magna vena est. & infra. quibus tussis sicca est his non soluitur, nisi dolor fortis ad coxas,aut ad crura, aut ad testem irruat.Et sect.6.quicquid supernarum partium doluerit, dolor ad coxas, aut ad genua, & anhelatio oboriens omnia hæc soluit. Et lib.3.sect.1.ægro.3.vigesima septima coxæ dextræ dolor. & subdit. perfecte iudicatus est.Et lib.4.numer.5.alius eodem tempore vera stupida insania ex prenitide, ac lethargo mixta correptus est, ad coxas, & crura venit dolor. quieuit; quoto die, haud scio. Et in lib. de iudicatio. numero vndecimo. Quibus in febribus ardentibus coxarum dolor, oculorum distortio, aut cæcitas, aut testium tumores, aut mammarum eleuatio, febrem ardentem soluit, aut & sanguinis ex naribus fluxus. scribitur in lib.2.de morb.pop.pag.172. sect. 6. si venæ pulsauerint in manibus, & facies sana, ac robusta fuerit,& præcordia non fuerint mollia: diuturnus fit morbus. qui sine cõuulsione non soluitur, aut sanguinis multi ex naribus eruptione, aut dolore ad coxas. Et in lib.de Victus ratione in morb.acu. com.4.par.12.si absque his soluatur,scilicet febris;reuertetur ægritudo, vel coxa vel crus dolebit; & expuet crassa si sanus est futurus.

Qua ætate verò, & quantum temporis affligat coxendicum morbus, sic scribitur in lib. 2. prædic. nume. 45. hic morbus viris vehementissimus esse solet à quadragesimo annorum vsque ad sexagesimum, quam ætate etiam coxendicum morbus maxime affligit. durat annum vt minimum,& opem ad ver & æstatem expectandam esse oportet. at verò iuuenibus non minus dolores inducit coxendicum morbus, verùm breuior est: nam quadragesimo die liberantur. Sed neque torpores vehementes his accedunt veluti senioribus, neque perfrigerationes crurum, ac lumborum. In lib. autem de Glan. nume. 10. alius morbus oritur ex defluxione capitis, per venas in spinalem medullam. inde autem in sacrum os impetum facit, quò medulle ipsa fluxionem perducit, & in coxendicum acetabula, siue iuncturam deponit. & si tabem fecerit; homo marcescit, atque hoc modo contabescit, & viuere non expetit: statim enim scapulæ dolent, amboque pedes, ac crura consequuntur, & semper tandem pereunt multo tempore curati. Et in lib. de loc. in homini.pag.31. nume. 19. si modicus fluxus fuerit, scilicet à capite, coxendicum, & articulorum diuturnam affectionem facit, vbi fluere cessauerit: nam vt modicus, & vndiquaque ab omnibus fortioribus depulsus,ad articulos refugium facit. fiunt præterea articulorum, ac coxendicum affectiones à talibus morbis sanatis, quum morbum quidem efficiens sanatur,in carne verò quid relictum fuerit,cui non sit exitus, neque rursus intro, neque foras, sed ad cutem egressum tuberculum vtique fecerit, fugit autem in id, quod cedit, articulos videlicet, & aut articulorum. aut coxendicum affectiones inducit. Et in eodem libro nume. 34. Cum coxendicum morbus à fluxione fiat; cucurbitam medicum affligere oportet, & foras trahere, & non scarificando pertundere: & calfactorijs medicamentis in potu exhibitis intus calfacere; quo exitus fiat tum foras ad cutem per cucurbitæ tractionem, tum intus ad ventrem per caliditatem: nam cum obturatus fuerit fluxus, & non habeat, quò iter faciat; viam ad articulos facit,& id,quod cedit,influit,& sic coxendicum morbum inducit. Et in lib.1.de morb.pag.60. num.3. tales non lethales sunt morbi, nisi quid ipsis accedat affectio, scilicet fluuida circa articulos, atra bilis, podagra, coxendicum morbus. & paulo infra, claudi à coxendicum morbo fiunt. & subdit. longos esse necesse est tabem, dysenteriam, podagram affectiones fluuidas circa articulos,coxendicum morbũ. sed in l.6.de morb.popu. sect.5.in fluxionibus ad coxam,venas retro aures secato.

Verum de tabe,marcore,& attenuatione hæc prodita sunt in lib.de Coac.præ. pag.176.col.7. Quibus sæpe recidiua contingit,his si semestre tempus transmiserint;tabes coxendicum leniter accedit.& in lib. 5.de mor.pop.nu.7.Scamandrus in Lariſſa,& in coxa marcorem habuit,& in osse diu disparato. ipse verò sectus est sectione magna, etiam ad os ipsum, & postea vstus est, die duodecima post sectionem cœpit conuulsio.& subdit. hic mortus est conuulsus. curationem verò ibi lege. Et in lib.de Frac.pag.188.

num.

numer.17.quæcunque ossa non perfecte desident in suum locum, sed aliquid defici; progressu temporis attenuatur coxa, & femur, & tibia. & si quidem intro luxata fuerint, externa pars attenuatur: si verò extra: interna. Et in lib.de Arti.pag.197.nu.38.coxæ his.s.gibbis magis excarnes fiunt, quàm his quibus superne gibbositas contingit.

Reliquum est, vt de commotione, & luxatione coxæ agamus. scribitur in l.de Arti. pag.200.num.62. cum coxa eluxata fuerit ad internam partem, aut adhuc infanti carnes ideo magis minuuntur, quàm in manu: quòd crure vti non possint.reliqua ibi lege & num.82. docet quo pacto femoris luxationem circa coxam reponere oporteat. Et in lib.6.aphor.59. Quibuscunque à coxendicum dolore diuturno molestatis excidit coxa: & rursus incidit; his mucores superueniunt. Et aphor.60. Quibuscunque à coxendicum dolore diuturno molestatis excidit coxa: his crus tabescit, & claudicant si non vrantur.

De Crassitie.

Crassescit corpus, & quælibet pars corporis, & q̃cunque aquea, & terrea simul: & si congelatio est crassities: crassescunt, & aquea absque terreis. Crassitiei opponitur tenuitas, vt legitur in lib.6.de mor. popu.sect.2.at quæ præter naturam crassæ sunt mulieres, vt scriptum est in lib.5.aphor.46. non concipiunt. Et in lib.2.aphoris.44. Qui natura admodum crassi sunt, citius intereunt, quàm qui graciles. Et in lib.de Salu. Diæ. recenset quomodo crassi homines præparandi sunt ad vomitum, & quomodo graciles. dicitur quoque & morbus crassus, qui non vnus, sed plures sunt. hos lege in lib.de inter. affec.pag.90.nu. 50.vsque ad 54. Et in lib.2.aphor.35. in quouis morbo partes ad vmbilicum, & imum ventrem attinentes crassitudinem habere melius est. multum verò extenuari, ac contabescere prauum. Et lib.3.aphor. 25.pueris qui crassissimi sunt. quæ mala accedant cũ dentire incipiunt, docet. dicitur etiam vrina crassa, de qua lege lib.4. aphoris.69. & 74. Et in lib.de aer. aquis, & loc.pag.36.nu.23. vrinam splendidissimam, calculosi minguntad similitudinem seri; eo quòd id quod crassissimum est, ac biliosissimum isthic manet, & coaceruatur, ac concrescit. Et in lib.de inter. affec.num.18. crassum fac, si purgare velis. Et in l.dicto de aer.nu.20. aqua crassa existit, & tenuis disperditur. Et in l.2.de mor.num.1. totum corpus, & cutis crassescit ob pituitam. tandem in l.de Carni. nu.17. aqua, & alia omnia putrefacta crassiora euadunt.

Crescere l. Augere, & Augmentum.

De Crisi.

Crisis vox græca est, quæ latinè iudicium, siue iudicationem significat, hoc est, morbi terminationem ad bonum, vel malum magis, aut minus: nam legitur in libr.3.aphoris.28. Plurimæ passiones puerulis iudicantur, idest finiunt, ac ad bonum terminantur in quadraginta diebus, & subdit. Quæ verò permanserint, nec in pubertate finierint, & idcirco in lib.5.aphoris.22. ait. His calidum amicum, & iudicans; frigidum inimicum, & perimens. in quo loco iudicans, & perimens opponuntur. Sed & crisis, siue iudicium morbi significat tempora; inquit enim in lib.1. aphor.19. His, qui per circuitus accessionem habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes. Galen. verò in com.ait. Quod dicitur. Ante iudicationes, vel ante accessiones quascunque simpliciter, vel ante morbi vigores, vel ante illas, quæ propriæ iudicationes nominantur, est intelligendum. Aliquando significat, vt Gal. placet, magnam mutationem, veluti apparet in l.2.aph.23. cuius verba sunt. Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur, hoc est, magnam faciunt mutationem.

Verùm quid sit crisis, est videndum. scriptum est in lib.præcep.pagin.9.numer.12. Iudicatio est morbi exolutio. Et in lib.de Affect.pagin.80. nume.8. iudicari in morbis est, cum morbi augescunt, aut marcescunt, aut in alium morbum transeunt, aut desinunt. Et in lib.de aere, aquis, & lo.pag.37.num.30. Oportet & astrorum exortus considerare, præcipue Canis, deinde Arcturi, & pleiadum occasum: morbi enim in his maxime diebus iudicantur: aliqué perimunt, alij verò desinunt, aut in aliam speciem, aliũque statum transmutantur. & propterea nobis innotescit ex data descriptione, hæc ad crisim efficiẽdam necessaria esse: terminum à quo incipit: terminum, in quem desinit: efficiens; tempus, in quo: ac præter hæc, & quæ circunstant, quemadmodum locus, anni tempus, modus, viæ per quas, instrumenta, & occasio: ac tandem alia quædam sunt opportuna, quæ partim antecedunt crisim, partim comitantur, & quædam sequuntur: quæ singula hoc discutiemus tempore.

In termino à quo, consideratur morbus, causa morbi, & symptomata. si morbus est acutus magis, vel minus; in tribus, quatuor, septem, & vsque ad quatuordecim dies iudicatur: nã, vt legitur in lib. prog. com.3.par.2.simplicissimæ febres quarto die, aut citius desinunt. & in lib.5. aphor. 6. Quicunque à distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt. & aphor. 10. Angina ad pulmonem versa in septem diebus occidit: Et in lib.2.aphor.23. Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Sed illud est animaduertendum, quod legitur in lib.4. de morbis pag.77.num.22. & id est. liberantur vlcera ab inflammatione quinta die, & iuxta horum dierum rationẽ, prout etiam vlcera fuerint magna, & tertia, & quinta, & septima, & nona, & vndecima. & subdit. maxima verò vlcera decimaquarta die ab inflammatione liberantur. De morbis autem longis, ac de his, qui medij sunt inter acutos, & longos, scribit Hip. in l.3.aphor.28. hoc modo. Plurimæ passiones puerulis iudicantur, aliæ in quadraginta diebus, aliæ in septem mensibus, aliæ in septem annis, quædam autem ad pubertatem accedentibus. sed cognita morbi specie, eius tempora inspicito: nam dicit Hipp. in lib.2. de morb.pop. sectio.1. pag.130. circa principia morborum considerandum, cum statim florent. Clarum autem hoc fit ex incremento. incrementa verò ex circuitibus: & iudicationes quoque hinc manifestæ fiunt: itemque exacerbationibus in circuitibus, si citius accedant, aut non; & si diutius durent, aut non: & si magis affligant, aut non. ex omnibus autem continuis, aut intermittentibus, & diuturnis, & vulneribus, & sputis, & doloribus: itemque tuberculorum inflammationes, & quæcunque alia posterius apparent: fortassis autem & ex alijs communibus rebus, quæ quidem citius fiunt, breuiora sunt: quæ verò tardius, longior:

cum etiam in circuitibus longiorem recursum, ac reliquum augmentum, morbus neget: nam & eorũ, qui statim pereunt, velociores sunt iudicationes: quoniam & dolores continui, ac fortes. Quæ verò ad melius iudicant, non statim apparent. & alia ibi vide. Sed, quanquam crisis est morbi crisis; tamen est in lib.3.de morb.pag.71.num.1.tumor capitis quidam ab inflammatione obortus, à quo qui detentus est, lethaliter est affectus. in quot verò diebus moriatur, non habet iudicationem: nam alij aliter pereunt. plerique tamen in septem diebus moriuntur. Si verò vigesimum primum effugerint; sani fiunt. Causa autem morbi materialis aut est fixa, ac stabilita aut non. si fixa fuerit; proditum est in lib.4. aph.30. quibuscunque accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit; iudicium habent difficile, hoc est, longum. Symptomata verò augent, ac minuunt, prorogant, atque breuiant morbum, quemadmodum omnibus notum est medicis. sed qui leget libros de morbor. popu. plurima videt.

Terminus porrò, in quem desinit morbus, est sanitas, aut mors, aut status propinquus alteri horum, aut transitus in alteram morbi speciem. hi profecto sunt crisis fines. Sanitas fit, si perfecta sit crisis secuta. tendit ad sanitatem morbus, non perfecta. at imperfecta omnino, & cruda, ad morbi speciem, aut ad mortem. Perfecta autem sequitur crisis, si in die iudicatorio, & cum signis fiat coctionis: scribitur.n.in l. 2. de mor.pop. sect.3. Quæcunque sine signo iudicationis iudicatorio disparent, male iudicata sunt. Et in eodem l.sect.1. Quæ præiudicata sunt, si crude iudicata fuerint, hoc est, sine signis coctionis, aut sine die decretorio; recidiuæ fiunt: sin minus; iudicationis impeditiones, aut malæ iudicationes. hæc confirmantur ac primo de diebus in illo aph. 36. in l.4. cuius verba sunt. Sudores febricitantibus si inceperint; boni tertio, quinto, septimo, nono, vndecino, &c. hi enim sudores morbum iudicant. qui verò non ita eueniunt; laborem, aut longitudinem morbi, aut recidiuam. de concoctione verò declaratur in li.prog. com.2.part.30. dum vrinæ tenuis fuerint, ac rufæ, crudam significant esse ægrotationem. Et in lib. 4. aphor. 71. Quibus septimo die iudicium fit, his nubeculam obtinet vrina quarto die rubram, & alia secundum proportionem. Et in lib.1. de morbor. popul. Coctiones omnes celeritatem iudicationis, & securitatem significant. necesse est igitur perfectam comitari crisim diem iudicatorium, & signa coctionis, atque fieri per euacuationem inferiorem: nam crisis, quæ fit per abscessum effluxionis melior est, quam quæ fit per abscessum per decubitum: posteam per quam humor noxius, & superabundans, quam per quam alter euacuatur: propterea quod, si talia purgentur, vt scribit Hipp.lib.primo aphor.2. qualia purgari oportet; confert, & leuiter ferunt; sin minus: contra. sed absque euacuatione aliqua fieri non potest morbi exolutio: nam legitur in lib. 2. aphor. 12. Quæ relinquuntur in morbis, hoc est, reliquiæ humorum post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt. Euacuationem hæc fiat, vbi natura vergit per conuenientia loca, veluti inquit Aphoris.21. in lib.1. sed & in lib. 2. de morb. popu. sectio. 1. ait. Quæ contraria significant, malum, non solum si recurrant; sed etiam primariæ naturæ contraria repentia: quemadmodum etiam malorum signum ea, quæ ad contraria repunt. huius verò præcepti testis est quoque lib. progn. in com.2. part. 43. & verba sunt. In quouis dolore, qui affligat circa pulmonem, ac costas, sputum confert, quod cito & absque dolore fiat. Verum non solum per euacuationem inferiorem crisis fit, sed per sanguinis eruptionem è naribus, ex hæmorrhoidibus, ex vterinis locis: sed per vomitum, per vrinam, per sudorem, sputa, ac pus, & per occultam transpirationem. sed potior ea est, quæ per ventris euacuationẽ efficitur. at omnes hæ propria habent signa, de quibus loquitur Hip. copiosè in lib.progn.com.2.& nos quoque singulatim de his abunde locis proprijs disseremus. quare ad perfectum crisim opus est coctione humoris, eius euacuatione à natura per conuenientes regiones facta, & die decretorio, in quo fiat. de quo die suo agemus loco. Et, si quid horum defuerit; imperfecta erit crisis, cuius imperfectionis signum est non exquisita sanitas, aut recidiua. Efficiens autem crisis est natura, quæ ab anima regulata calorem naturalem excitat ad concoctionem, ad expulsionem nociui in die conuenienti, & per loca à natura instituta. is quidem calor est in homine qui iuuenis est, vel senex: mas, vel fœmina: Italus, vel Germanus: affectus in aliqua corporis parte, vel in toto corpore: studijs quibusadm, atque negotijs impeditus, vel ociosus: in rebus non naturalibus minime temperatus, vel parcus, si iuuentus adsit; iuuant concoctionem ob caloris fortitudinem, & velocior ad salutem fit crisis: contrà, si morbus vincat naturam iuuenilem: nam scriptum est in libr. prog. comm. tertia part. 14. natu minores septimo die ac citius ab hoc morbo interimũtur: natu verò maiores multo tardius: febris enim, & delyrium minus eos infestat, & aures in eis antea suppurantur. Sed per has ætates recidiuæ venientes morborum plurimos interimunt. minores verò natu prius quam suppurentur aures interimuntur. in comm. autem ait Galen. febris & delyrium his accidit ob calidum, ac bilioſum temperamentum. si verò mas fuerit; scriptum est, in libro. de natura pue. numero 20. quarto mense mouetur fœmina, & mas tertio; quia fortior est. si verò Italus, vel Germanus sit ob affinitatem, quam cum loco natali habet; fiet citius, vel tardius crisis, sicut patet in lib.de aere, aquis & locis. Sic si pars corporis libera sit affecta potius, quam si impedita: nam legitur in lib.de virg.morbis.pag.92.num.2.à torpore pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec sanguis ad se ipsum reuertatur. reuertitur autem celerrime propter venarum rectitudinem. at ex corde, ac septo transuerso tarde refluit: uenæ enim obliquæ sunt, & locus periculosus. & propterea eor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delyrium apprehendit. sed & corporis compositio ad hanc rem facit; propterea quod scriptum est in leg. de Fract. pag.191. numero trigesimus tertius totus offis circulus si in quadraginta diebus discesserit; bene discedet: quædam enim ad sexaginta dies perueniunt: nam & rariora ossa citius discedunt, solidiora verò tardius. alia autẽ minora multo minore temporis spatio, alia aliter. sic

negotia

negotia corporis,& animi affectiones velociorem,ac tardioremreddunt crisim, prout iucundæ, ac iniucundæ fuerint.

Post hæc veniendum est ad anni tempus, de quo sic scribit Hip.in lib.3.aph.8. in constantibus temporibus,hoc est,in his, quæ ordinatim proprium recipiũt temperaturam,cum tempestiue tempestiua reddantur;morbi constantes,& boni iudicij fiunt: in inconstantibus autem contrà. Et in lib.2.de morb.pop. sect.1.hæc eadem recitat, & subdit.cum sanè in Perintho defecerit, aut abundauerit quid,vt aut venti sint,aut non venti,aut aquæ,aut siccitates,aut ardores,aut frigora: ver autem omnino saluberrimum,ac minime lethale.

Præterea si occasio se obtulerit medico, vt quid agat pro naturæ adminiculo; crisim iuuabit .de occasione verò lege in capite proprio. instrumenta verò sunt ea, quibus medicus vti debet ad naturam excitandam: si quidem legatur in lib.3.de Diæt.pagin.50.num. 10. bonum autem est, & vnguentis exsudatorijs vti sub iudicationes. Et in libr. de Vict. ratione in morb. acu. com. 4. part. 44. corpus quieti permittere, vngere, & æqualiter contegere oportet, vt scilicet concoctio fiat,quemadmodum exponit Galen. & mulsam aquosam bibendam, & ptisanæ cremorem vesperi sorbendum dabis.ventrem ab initio clystere duces: sed medicamenta purgantia non admouebis; nempe si ventrem moueris, vrina non maturabitur, & febris citra sudorem,& iudicationem in longum protrahetur tempus. Et par. 45. cum iudicatio prope fuerit: sorbitionem ne dederis,si perturbetur,sed cum perturbatio desierit, atq; in melius profectum sit. obseruandæ autem febrium omnium iudicationes, sorbitionesque hoc tempore auferendæ. post crisim autem si quid humoris relictum fuerit; recidiuam faciet,vt antea dictum est. at si perfecta facta fuerit; hæc scribit Hipp. in lib.1. aph.20.quæ iudicantur,& iudicata sunt integre, neque mouere,neque nouare aliquid,siue medicamentis, siue aliter irritando: sed sinere. at l. de Diebus Criticis.

Cruda.

Cruda omnino opponuntur concoctis alimentis: & idcirco cruda dicuntur ea, quæ siue cibi sint, siue humores pituitosi,vel bilioſi, quæ non superantur à calore naturali.si cruda sint in ventriculo,& in intestinis,faciunt somnolentiam: scribitur enim in li.de Denti.Qui sæpe cruenta,ac cruda per aluũ egerunt, plurimi in febre somniculosi sunt. Et parum suprà. qui non pro ratione mingunt,verum aluus frequenter cruda à pueris egessit,morbo si sunt. Et in lib.de aer.aq.& loc.num.16.crudę aquæ reficcant, & stringunt, faciles coctu eliquant. si verò humores crudi fuerint in venis, aut vagantur huc, atque illuc, aut abscedunt: & abscessus,aut sunt per decubitum, aut per effluxionem. de fluxu per decubitum sic loquitur Hip.in lib.5.aph.67.molles,scilicet tumores boni: crudi verò,hoc est,duri, vt exponit Galen. mali. Et in lib.de ae.supracitato. aquæ duræ & frigidæ vt plurimum dulcescunt in hac.s.regione.homines autem vegetos, & siccos esse necesse est, & plures ventres infernos crudos,ac duros habere:supernos verò fluuidiores,at bilioſos magis, quã pituitosos esse. & subdit num.6.morbi populares ipsis hi sunt,pleuritides, & eos acutos esse receptum est. necesse est autem ita habere,cum alui duræ existant, & suppurat multi ex omni occasione fiunt. huius causa est corporis extensio, ac ventris duricia: siccitas enim & aquæ frigiditas facit, vt vasa rumpantur. Et num. 7. exmulieribus multæ steriles fiunt propter aquas, quæ duræ sunt ac crudæ, & frigidæ: purgationes enim mensium non contingunt commodæ, sed paucæ, ac prauæ. deinde pariunt difficulter, & non valdè abortiunt. vbi verò peperierint; pueros nutrire non possunt: lac enim ab aquarum, duricia, ac cruditate extinguitur.& tabit de frequẽter à partu fiunt: præ violentia enim ruptiones,ac vulsuras habent. pueris autem hydropes in testibus fiunt, quandiu parui fuerint;deinde ætatis progressu euanescunt.pubescunt autem ferò in hac ciuitate. Et in lib.7.de morb.pop. nu.3. tubercula iuxta autem dura, & cruda. Et in li. de Frac.pag.188.num.13.cum loquitur de contusione in calcaneo,ait.Signa porrò an recrudescant, aut non, hæc sunt. cum sanguis è venis effusus, & denigrationes, & his vicina fiunt subrubra, & subdura, periculum est ne recrudescant. Et in lib. de Articu. pag.203.nu.95. hæc eadem repetit. Et in eodem lib. pag.195.numer.23.Quæ recrudescunt ac deformia sunt tempore ad vsum corroborantur. verum suprà nu.22. recrudescit maxime cubiti gibbus febribus, doloribus, nausea, & vomitu meracæ bilis præsertim si retrorsum luxatus fuerit ob torporem, deinde se in anteriorem partem. Et nume.278. reponere oportet eadem die, aut postridie: tertio, ac quarto minime: quarto enim die maxime recrudescere solent. Et in lib.de Frac.num.33.pag.191.in totum tertia, ac quarta dies in plerisque vulneribus recrudescentias pariunt,& quæ ad inflammationem, ac immunditiam procedunt, & quæ ad febres deueniunt: minime igitur tertia,ac quarta omnia vulnera mouere oportet. itaque manifestum fit, crudos cibos, & crudam aquam,quæ est cibi vehiculum, quodammodo dum ventres obstruunt,abscedere per decubitum dum verò fluunt,abscedere per effluxionem: idem dicendum est de membris luxatis, atque commotis, de tumoribus, atque de vlceribus. at si cruda abscedant per effluxionem: ait Hip.in l.7. apho.68. Quibuscunque cruda deorsum secedunt, ex atra bile sunt: si plura, copiosiore: si pauciora,pauciore. Si verò effluxus fiat per vrinam, & ipsa sit cruda; plura reperies suis in locis: sic, si per sudorem. atqui si materia huc, atque illuc fluat, neque locum fluxionis habeat, crudaque sit; ipsum non moueas, vt inquit Hipp.in lib.1.aphor.22.& si mouendum sit in principio, hoc est in primo, vel secundo die moue, vt dictum est antea: propterea quod in tertio, & quarto morbi recrudescentias pariunt. transactis verò his diebus cruda ne moueas, nisi prius ea præpares. de præparatione autem dictum est cum de concoctione tractauerimus tamen illud addidimus quod scriptũ est in lib.6.de morb.popu.pag.152.num.58. præpotent crudi salsa cum melle, vel alia efficiant commoda.quæ damna autem in morbis cruda bilioſa cum à capite, vel thorace attrahantur, lege in l.de Vic.ratio. in morb. acu. comm.2. part.45. itemque eodem lib.comm.4.part.22. de cruda affectione, hoc est, de humore crudo affectionem efficiente sic ait. Quicunq; ea, quæ inflãmantur, statim inter initia mor-

borum medicamento soluere conantur, hi non solum ab intensa, & inflammata parte nihil adimunt, cum non redat, & obsequatur affectio, quæ adhuc cruda est. tandem in l. 3. de morb. popu. nu. 53. recitat Hip. cuidam accidisse ex via, & potu cruditatem, postridie mane anxietate oborta, vbi aquam, acetum, & salem bibisset; euomuit pituitam. cætera lege. sed quarta vigil. mortuus est.

Cruentum.

Cruentum dicitur de vulneribus, de excretione, de vrina, atque de alijs. scribit Hippoc. in lib. 4. aph. 47. excretiones in febribus nõ intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, & bilioſæ omnes malæ. Et in l. de Denti. num. 2. qui sæpe cruenta, ac cruda per aluum egerunt, plurimi in febre somniculosi sunt. Et in lib. prog. comm. 2. par. 23. si deiectio versicolor est, diuturnior quidem, sed tamen exitialis est. hæc stigmenta habebit ac bilioſa erit, cruenta, porracea, & nigra, quæ aliquando simul, aliquando vicibus excernuntur.

De Cruribus.

Affectus crurium, qui citantur in lib. Hip. sunt hi, dolor, s. impotentia, torpor, rigiditas, tremor, luxatio, claudicatio, fractio, articulus elapsus, tumor, abscessus, pustulæ, & vlcus.

Dolor autem cruris aut est consequens aliquod morbum, vel prognosticans, vel minimè. crurum dolor prænuntiat in lib. de Coac. præ. nume. 2. Quibus de repente dum sine febre sunt præcordij, & oris ventriculi dolor, & circa crura, & infernas partes, & aluus in tumorem eleuata est; soluit venæ sectio, & alui fluxio. his febrire nocuum est: longæ. n. & vehementes febres fiunt, & tusses, & spiritus, & singultus fiunt. his autem ad solutionem tendentibus dolor fortis coxarum, aut crurum, aut puris sputum, ac oculorum priuatio succedit. & num. 3. eiusdem li. in angina dolores ad crura citra notas cum febre pernicioſi. Et in l. 4. de mor. pop. num. 5. vera stupida insania ex phrenitide, ac lethargo mixta alius correptus est. ad coxas, & crura venit dolor. quieuit: toto die haud scio. Et eodem lib. nu. 23. senex in lapideis vestibulis lumbos doluit, ac ambo crura, & vtrique dolores descendebant ad femora, & quandoque tibias, & aliquando ad genua: & cum diutissime durarent, recursiones multę fiebant, tumor in pedibus, lumbis, tibia, & alia, quæ ibi lege. Et in l. 2. de morb. popul. sect. 5. quibus tussis sicca est, his non soluitur, nisi dolor fortis ad coxas, aut ad crura, aut ad testem irruat. Curationem verò doloris crurum habemus in l. 5. de mor. pop. num. 23. cuius verba sunt. doloribus circa lumbos, & crura, & coxam ex laboribus obortis, aquæ marinæ, acetique calidum fomentum confert. ita vt vel aspergas, vel spõgiam his imbutam adhibeas. deligare verò oportet lanis succidis, & pellibus agninis. Et in l. 2. sec. 4. vbi filiam peperisset, conuersum est ei vteri osculum, & dolor ad coxas, & crus. iuxta malleolum secta vena liberata est, & quidem cum etiam tremores totum corpus detinerent. & sec. 5. eiusdem l. dolorem in locis infernis fortem surditas soluit, itemque sanguis multus ex naribus erumpens. Et in l. 5. num. 3. dolores ad crus, non ita valde progrediebantur, & non factus est suppuratus, sed sanus multo tempore. bibebat autem pharmaca, & cucurbitas adhibebat: & venam secabat, atque his factis melius habere videbatur. sed in lib. de Vict. ratio. in mor. acu. com. 4. dysenteria, quæ cessauit. &c. dolor in testiculũ, vel crura, vel coxam firmetur. Et in l. de in som. num 12. cruribus læsis vomitibus reuellendum est, & lucta amplioris vtendum vltra superiorem diætam.

Crurum impotentes facti sunt ex assiduo leguminum esu fœminæ & masculi, ac vitam degerunt. sed & his, qui eruo vescuntur genua dolent. diligentia adhibenda est, vt excandescentia inducatur. & colores reparandi, & sanguinis in vasa subter cuticulam colligendi gratia, itemque lætitia, & timor, & huiusmodi: & si quidem reliquũ corpus simul ægrotarit; simul curare: sin minus; satis est. hæc in lib. 2. de mor. po. sect 4. Et in l. 6. sect. 1. crurum effœminationes velut si aut ante morbũ iter fecisset, aut statim ex morbo: eo quod fortassis ex lassitudinibus in articulos abscessit, ex quo crurum effœminationes. Et sect. 7. qui equitauerunt aut amplius iter fecerunt, aut alios labores cruribus perfecerunt, his ad lumbos, aut crura impotentiæ resolutoriæ obortæ sunt, & ad femora, ac tibias lassitudo, ac dolor. Et in l. 7. nu. 8. vnctor crurum, ac manuum impotentior circa autumnum factus bibit temere medicamentum sursum, ac deorsum purgans: ex purgatione febris: & de arteria defluebat fluor, qui loquentem impediret. & alia, quæ ibi lege. & nu. 13. eiusdem l. Anginosa dexteram manum, ac crus doluit. febricula tenebat debilis, &c. sexta mortua est. at crus totum ex carne, emusculatum, ac effæminatum, & tenuius fit propter priuationem loci articuli, & quo eo vti non possunt. sic legitur in l. de Arti. pag. 199. num. 57.

Crurum torpor, vt scribitur in l. 4. de mor. popu. nu. 21. cum factus fuit, tussis cessauit. Et in li. 2. præd. pag. 175. nu. 45. Quibuscunque senioribus, & torpores vehementissimi sunt, & perfrigerationes tũ lumborum, tum crurum: & qui pudendum arrigere non possunt: & quibus aluus non egerit, nisi ad necessitatem coacta, & prodit ipsis multus stercoraceus; his maxime diuturnus morbus erit. & subdit. n. 46. Quicunque pleraque horum confessi fuerint, his dicendum est, quod crura ipsis aliquando calida, aliquando frigida fiant.

Crura rigida habuit Eumelus Larisseus, & manus & maxillas, & non poterat neque extendere, neque flectere, si non alius flecteret, ac extenderet. reliqua ibi lege.

Crura tremunt ambulanti circa cauum locum, vt scriptum est in l. de humo. pag. 56. num. 3.

Crura supini cubantis si admodum reducta distractaq; sint, hoc est, dispersa, vel inter se circumplexa, vt exponit Galen. est signum exitiosum in acutis. sic scriptum est in l. prog. com. 1. par. 18.

Crurum luxationem tractat Hip. in lib. de Artic. pag. 199. nu. 60. & 63. atque ibidem agit de toto crure læso, ac breuiori apparente. Et in l. 6. aph. 60. Quibuscunque à coxendicum dolore diuturno molestatis excidit coxa, his crus tabescit, & claudicant, si nõ vrantur. Et in l. 1. de morb. mul. num. 116. si ex partũ crus ab vteris claudum factum fuerit, & exurgere non poterit; semen hyoscyami chemæ mensura in vino nigro ad triduum bibat.

Cruris fractio habetur in l. de arti. itemque crurũ amborum articuli elapsi in eodem l. nu. 65.

Crura

Crura tument in hydrope, sed præsertim cum medulla spinalis reficcatur, & tument velut ab aqua inter cutem. sic scriptum est in lib. de inter affect. nu. decimoquarto.

De Crurum tuberculis sic scribitur in com. 4. de Vict. ratione in mor. acu. num. 63. Quibus per febres crura tuberculis afficiuntur, eaque tractu temporis manente etiam num febre non maturuerint, & faucibus tumentibus irrepserit suffocatio, non maturuerint inquam; sed extincta sint; his sanguis è naribus fluere consueuit: qui si multus fluxerit; morbi solutionem portendit. si non multus; morbi prolixitatem. Et in lib. prog. com. 2. part. 67. abscessus si in cruribus erumpit, in pulmonia vehementi, ac periculosa: omnis vtilis est. optimus verò, qui fit cũ excreatio iam in mutatione est: si enim tumor, ac dolor iam infestet, & screatio pro flaua existat purulenta, ac foras excernatur; ita securissime homo supererit, & abscessus citissime absque dolore desistet. at si screatio non recte excernatur, nec vrina videatur bonum habere sedimentum, periculum clauditatis in articulo, vel multi negotij imminet.

In cruribus pustulæ, & in coxis, & lumbis, ac imò ventre, & tumores valde rubicundi Timonactis filio ferme bimestri, bis autem sedatis conuulsiones, & comitiales fiebant sine febribus multis diebus, & mortuus est.

De crurum vlceribus hæc scribuntur in lib. 4. de mor. pag. 77. & nu. 22. Vlcera si curentur; maxime in diebus imparibus inflammantur. & subdit. si vlcus curetur in his diebus; pus exitum non habens, & isthic vnà cum eo, qui accessit permanens dolorem inducit, & carnem circa vlcus attollit; & ex illo si quidem in cruribus habuerit vlcus, attolluntur venæ. quæ iuncturis crurum existunt: si verò in manibus; quæ in manuum iuncturis sunt: & ex hoc glandularum tumores fiunt. quibuscunque verò hominibus febris incidit, si nihil aliud mali habeat homo à pinguiore, quàm oportet existente humore incidit: & venæ impletæ dolorem, ac calorem vlceri inducunt.

Crustæ l. Vstio.

Cubitus.

De Cubitu plura lege in l. de loc. in homin. nu. 12. atque de ossibus ipsius fractis. in l. de Frac. pag. 187. nu. 4. de cubiti gibbi articulo emoto, & luxato in l. de Arti. pag. 195. num. 21. de repositione in l. de Frac. nu. 41. de articulo transgresso supra cubiti os. nume. 42. & pag. 191. de cubiti gibbo recrudescente in l. de Arti. nu. 22. in cubiti gibbis disectiones præsertim quæ sunt cum inflammatione ad suppurationem perueniunt, adsectionesque, ac vstiones, nu. 25. cubiti ossa cum vlcere. nu. 66. pag. 201. sed lib. 5. de morb. popul. pag. 142. num. 26. ex casu vulnerato cubito ob corruptionem cubitus suppuratur. cætera ibi lege. Et in l. 2. pag. 132. sec. 5. cui vena in cubito pulsarit, & insanus, & iracundus est: cui verò quieuerit, stupus est. hanc ex cubito prænotionem obserua in l. de Coac. præ. nu. 2. quæ est. Cubiti, ac colli dolores conuulsorij sunt.

Cucumis pepo.

Cucumis pepo vrinam cit, & aluo secedit, ac leuis est. altera verò non pepo frigiditatem quãdam exhibet. & sitim sedat. in l. de inter. affect. nu. 50.

Cucumeres.

Cucumeres crudi frigidi sunt, & ægrè concoctiles. maturi autem & pepones minguntur. & per aluũ secedunt: verùm flatuosi sunt. in lib. 2. de Diæ. nu. 15. sed numer. 8. eiusdem libri. cucumeris semen per lotium magis abit, quàm per secessus. explet autem, & crassefacit.

Cucurbita.

Cucurbita frigefacit, & humectat, & aluum mouet. Sic scribitur in lib. 2. de Diæ. nu. 14. sed in lib. de inter. affect. numer. 49. reficiunt cucurbita, & beta, & blitum, & rumex, & per humiditatem secedunt.

De Cucurbitulis.

Cucurbitarum, vt legitur in lib. de medi. pagin. 7. num. 6. duo modi commodi existunt: quando enim fluxus procul ab apparente carne compactus fuerit, circulum ipsius breuem esse oportet, ipsamque non ventrosam, sed prolixam parte ad manum vergente non grauem. quæ enim talis est, indirectum trahet, & serosos humores separatos, ac distantes probe ad carnem adtrahet. maiore autem dolore per carnem dispersa, in reliquis quidem consimilem cucurbitam esse oportet, sed circulum magnum. sic enim ex plurimis partibus id quod dolorem facit, educere comperies ad locum conuenientem, neque enim magnum esse circulum putant, si non ex pluribus locis caro comprehendatur ac contrahatur. at si grauis sit; ad supernos locos repit: inferne autem magis detractionem facit, vt sæpe morbi relinquantur. lati itaque circuli, vnà cum incumbentibus fluxionibus, & longè distantibus à supernis locis, multa simul adtrahunt de alia carne; contingit igitur humiditatem inde detractam, apponi collecto inferne sub cucurbita seroso humori, & quæ quidem infestant, relinqui; quæ verò nihil molestant, detrahi. magnitudinem porrò cucurbitæ, quæ commoda sit, iuxta corporis partes, quibus admouere oportuerit, coniectare oportet. Et numer. 7. vbi verò scarificationem subter cucurbitam adhibere velis, sanguinem scarificandorum locorum conspicuum esse oportet, aliàs neque circulum adtractum scarificare, ac pertundere oportet: debilior enim est caro loci dolore affecti. Scalpris autem incuruis in summo non valde angustis vtendum est: aliquando enim serosi, ac sanioſi humores viscosi, ac crassi veniunt; periculum igitur est, ne in fissuris subsistent, vbi arctæ fuerint incussæ.

Vsus autem cucurbitarum multiplex est, vt in li. de loc. in homin. pag. 31. nu. 20. in dolore aurium retro cucurbita medica affigenda: si sinistra auris doluerit; ad dextram; si in dextra: ad sinistram, non autem scarificando pertundere oportet, sed ut trahat solum sinenda est. Et in lib. 2. de mor. popu. pag. 132. sec. 6. ad auris dolorem cucurbitam affigito. Et in eosdem, l. de loc. in homin. nu. 34. in coxendicum morbo à fluxione cucurbitam medicam effigere oportet, & foras trahare, & non scarificando pertundere, & calfactorijs medicamentis in potu exhibitis; quò exitus fiat, tum foras ad cutem per cucurbitæ tractionem, tum intus ad ventrem per caliditatem. Et in l. de inter. affect. pag. 91. num. 57. in coxendicum morbo si à sanguine ægrotarit: fomentum adhibeto, & cucurbitam affigito, & venas in poplitibus secato. Et in li. 2. de mor. pag. 66. nu. 26. in angina primum cucurbitas

ad

ad verticulum in collo affigito, deinde in capite præraſo,& iuxta aurem ab vtraque parte apponito.& vbi cucurbitam affixeris;ad multum tempus adhærere ſinito. poſtea fomentum ex aceto, nitro, origano, & naſturtij ſemine adhibeto. Et nu.27. in alia angina primum cucurbitam affigito,vt ſupra diximus.deinde ſpongiam aqua calida imbutam ad collum,ac maxillas adhibeto. Et in eodem l.pag.69.nu.55.in eryſipelate pulmonis ſi diſceſſerit dolor ſub ſcapulas ;cucurbitam affigito: & venas in manibus pertundito. Et in l.de affec. pag.80. num.4. ſi fauces inflammatæ fuerint gargariſmis vti oportet. ſi verò gingiuæ, aut aliquid ſub lingua inflammatum fuerit;his quæ commanduntur vtendum eſt. à pituita autem hæc fiunt. ſi verò vua dependerit,& ſuffocarit:quidam hoc gurgulionem vocant: ſtatim gargariſmis vtendum eſt. ſi verò ex his gracilis non fiat, retro raſo capiti cucurbitæ duæ adhibeantur,& ſanguinis plurimum detrahatur, & pituitæ fluxus retro reuellatur. ſi verò nec ex his detumeſcat; ſcalpello incidito, & aquam educito. Et in lib. de inter. affec. pag.87.nume.23.in alba pituita ſi tibi viſum fuerit ſanguinem à lumbis detrahere; cucurbitam affigito, & venas in ſcroto craſſiſſimas ſecato. Et in eodem l.num.44 in Typho, veratrum per ſextum diem dato. & ſi alicubi in articulis tumor fiat,& abſceſſus fierit nolit;cucurbita affixa ſanguinem detrahito punctum per acum triangularē facta in genua,ſi in genibus tumor fuerit. verum nullum ex alijs articulis perpunxeris. & in li. de na.huma.pag.93. num.5.ſi vteri penitus ex pudendis exciderint, poſtera die decumbenti cucurbitam quā maximam ad coxendicem affigito, & multo tempore trahere ſinito. Poſtquam verò detraxeris;ne ſcarificato,ſed reclinatam ſinito,& nihil aliud,quàm ſuccum exhibeto. Et in eodem. l.in mala affigito ad lateris mollitudinem.& in lib.2. de mor.mul. in vteris motis è loco cucurbitam, quàm maximam ad coxam affigito.Et in eodem l.2.pag.102. nu.2. de fluxu muliebri ſcribit. & cum cucurbitis ſub mammas affixis, ipſas eleuato, modo ad dextram, modo ad ſiniſtram partem tranſlatis. ſi verò ſpirandi difficultas oriatur ad cucurbitę emotionem,cucurbitam amoueto,ſanguinem autem non detrahito. Et in l.4. de mor. popul. pag.137. num.12.Qui cucurbitam affixit cum in coxa eſſet dolor : huic ad crus deorſum venit, & melius habuit. Qui in Ceramico ab equo lapſus eſt, cui non ſtatim cucurbita affixa eſt; vſtus eſt intro, & vigeſima die recruduit malum: ſanguinis eruptiones feculentæ,& erodentes. Et in l.5.pag.140.num.3.in dolore crurum bibebat pharmaca, & cucurbitas adhibebat,& venam ſecabat,atque his factis,melius habere videbatur. Et in l. de vlce. pag.205. nu.17. ſi verò influat ſanguis ; cucurbitam affigere oportet. & ſi ablata cucurbita,multum ſanguinis,aut ſeroſus ſanguis fluat:cito priuſquam repleatur,rurſus affiges,& quod reſtat, extrahere: ſin minus grumis in fiſſuris inhęrent, & deinde ex ipſis inflammata vlcera fiunt. Et in l.de Viſu.pag.207. num.4.ad lippitudinem annuam ac popularem conducit purgatio capitis, & ventris inferni, & ſi corpus habeat, ſanguinis detractio ad quoſdam eiuſmodi dolores confert. conferunt,& cucurbitæ circa venas affixæ.

Curatio.

Vt ęgrum ſanitati reſtituat,curat medicus.ſed curatio,alia tentatiua, de qua loquitur Hipp.in lib.de Vict.ra.in mor.acu.comm.2.par.1.his verbis. Lateris dolorem ſiue is per exordia fuerit, ſiue poſtea obortus ſit,tentare calidis fomentis diſſoluere,non abs re exiſtit.Et in l.6.de mor.popul.ſect.7. Non proderat ventris turbatio,nec venæ ſectio, nec quæcūque tētaui. Alia curatio eſt ex opera medici adhibita,qualis eſt ea,quæ legitur in l.6.aphor.38. & eſt,Cancros occulto omnes melius eſt nō curare. Et Gal.in com. inquit.Curare duplex eſt, vnum quidem omnia agere,vt particula patiens ad ſanitatem perducatur : alterum verò eam adhibere prouidentiam, quę paſſioni congruat, hoc eſt,ipſam mollire, ac mitiorem facere, ac tum præcipue, cum adeſt exulceratio. hæc Gal.at prima curatio aut eſt recte adhibita, aut non recte.& ambæ fiunt aut per ſimilia,aut per contraria. per ſimilia curatur morbus, veluti uomitus vomitu: per contraria,vt per reuellentia. verùm de his copioſe egimus in cap.de Medica.

Curſus.

Curſus per funem attenuant,vt legitur in lib.3.de Diæ nu.3.Curſus longi,ac curui,in veſte,recti,reuertentes,& circulares quā ſinguli vim habeāt, quibuſque potiſſimum conueniant lege in l.2.de Diæ.num. 27. de hac exercitationis ſpecie in tuenda valetudine,atque ea recuperanda plura reperies in l.Hip.

Cutis.

Cutis.& carnes exhibent omnium colligationem, ac conſtructionem, vt legitur in li. de oſſium naturā pag.28.nu.17.Et in l.de loc.in homin.pag.32.nu.34. Exitus fiat in coxendicum morbo a fluxione ad cutem foras per cucurbitæ tractionem. itaque patet per cutē euacuari humorē. verùm & ipſa quoq; patitur : nam legitur in l.9.de mor.popu.ſec.6.cutes aridæ,duræ,laxæ,raræ.& paulo ſupra.cutis arida,circūtenſa,ſalſuginoſa. Et ſect.3.eiuſdem lib. Cutis raritas,ventris denſitas,cutis colligatio,hoc eſt aſtrictio. hoc eſt, vt recitat Gal. cutis raritas eſt, & propterea denſus eſt venter : nam multa eſt per cutem euacuatio. deinde cutis colligatio, ſiue ſtrictio ſæpe immoderati carnium incrementi in cauſa eſt. ad cutem quandoque defluit humiditas, & idcirço ſi magis ad cutem ſeceſſerit ; externis partibus fomentum adhibebis : ſi verò intro ad ventrem, medicamentum bibendum dabis. Et in l.3.de Diæ.pag.50.nu.14. Qui eructat acida,illud alimentum ſub cutem expellitur, & hominem decolorem facit, & morbos ſimiles, aquæ inter cutem. curationem ibi lege. Et in li.2.de mor.pagin.65.nu.12.in quodam capitis dolore capitis cutis craſſeſcit, & ad tactum cedit,& de paucis cibis tenet,ac bene coloratus apparet, & non acutum auditum habet. curationem verò ibi lege. Et in li.5. de morb.popul.num.35.liuefactis oſſibus & febricitantibus cutis ab oſſe diſceſſit, & pus non comparuit. Et in l.2.ſect.3. fiebant in febribus æſtiuis circa ſeptimam,octauam, & nonam diem aſpritudines in cute miliaceæ, culicum morſibus maximè ſimiles, non valde pruriginoſæ.hæ perſeuerabāt vſque ad iudicationem.nulli equidem maſculo tales erupiſſe vidi,& mulier vlla mortua eſt. Et in l.de affec.n.35.lepra,pruritus, ſcabies, impetigo, vitiligo,& alopeciæ à pituita fiunt. ſunt autē talia turpitudo cutis magis quàm morbi. Et in l.6.de mor.pop.ſec.3. omnis attēnuatio laxat cutem: deinde circuntenditur. rēnutri-

tio

tio viee versa, cutis cõsidentis corrugatio, renutritæ extensio. rugosum, læue vtriusque signum, itemque subbilioſum, & subrubrum. Et in l. de inter. affect. nu. 47. in ileo cutis color plumbi formis est. Et in li. de humi. vsu. pag. 54. nu. 5. Cutis quoniam est coniuncta neruo, patitur caliditatẽ, & frigiditatem. Et nu. 1. cutis ipsa superne exulceratur calidæ aspersione. sed calida suppuratoria, vt legitur. n. 1. Cutem mollit & fomentum corporis totius aut partis. cutis duræ mollitio, distentæ laxatio, neruorum, carnium, humorum sub cutem effusio, sudoris secretio. Et n. 10. aqua frigida prodest papulis, quæ mulieribus ex mensium sub cutem recursu fiunt. Et ab irritamentis cutis. Et subdit quæ ex frigore fiunt, aut quæ exasperantur instar miliij: deinde exulcerantur, eas frigida lædit, & calida prodest. sicut legitur in l. 5. aph. 22. calida cutim mollit, & extenuat; sic contrà frigida indurat, atque incrassat. Tandem duas prænotiones ex cute accipe. prima est in l. 5. aph. 71. cuius verba sunt. Quibus cutes obtẽduntur aridę, & siccę, sine sudore moriuntur: Quibus verò laxæ, & raræ cum sudore moriuntur. secunda est in l. prog. com. 1. par. 7. & 8. Cutis circa frontem dura, & circuntenta, ac arida, & color totius faciei pallidus, aut etiam niger, & liuidus, aut plumbeus, nulla manifesta causa præcedente, sed ex morbo talis, ægrum morti proximum esse significat.

Cyceones.

Cyceones, hoc est, farinæ omnes in lacte bene alunt, vt legitur in l. 2. de Dię. n. 6. sed cyceon in melle calfacit, quidem minus, ac nutrit: per aluum verò magis secedit, si non meracum mel fuerit: sin minus non secedit, sed aluum sistit. cyceon autem solum in aqua frigefacit, ac nutrit: in vino verò calfacit, ac nutrit, & aluum sistit. verùm cyceon, aut farina cocta in pulmonem, aut in eius fistulam perueniens hominem enecat. sic legitur in l. 4. de mor. nu. 32.

Cydonia.

Cydonia astringunt, & non mouent aluum. succi autem malorum vomitum sistunt, & vrinam cient: & ante vomitum odores ipsorum præstant. sic scriptum est in l. 2. de Diæ. nu. 15.

COMMENTARIVS IIII.
IOAN. MARINELLI
IN LIBROS HIP.

Deambulatio.

DEambulatio est species exercitationis, quæ fit aut ante cibum, aut post; siue mane, siue vesperi. fit & post exercitationem magnam. de his scripta sunt hæc in l. 2. de Diæ. n. 27. quæ sunt. at verò deãbulationes etiam ipsæ maxime præ reliquis naturales sunt, habent autem quid violentum. vis ipsarum est. deambulatio à cœna, & aluum, & corpus, & ventrẽ siccat, ipsumque amarum fieri non finit ob hanc causam. cum mouetur homo, calefit corpus: itemque cibi. attrahit igitur humiditatem caro, & aluum amaram fieri non finit. corpus quidem purum reddetur, aluus verò attenuatur. siccatur autem eadem ob hanc causam. cum corpus mouetur, & calefit, & quod tenuissimum est alimenti, consumitur partim per insitum calorem, partim verò vnà cum flatu foras excernitur, partim etiam per lotium eijcitur: quod verò siccissimum est de cibis relinquitur. quare vnà cum aluo etiam caro resiccatur. matutinæ deambulationes attenuant, & partes circa caput leues, & agiles, ac promptas reddunt, & aluum soluunt. Attenuant quidem; quia motu corpus calescit; & humiditas attenuatur, ac purgatur, partim per spiritum, ac flatum, partim verò emungitur, & excreatur: sed & aliqua pars in alimentum caliditatis animæ consumitur. aluum autem soluunt; quia cum calida sit; frigido spiritu superne allabente, caliditas frigiditati cedit. leues autem partes circa caput faciunt, ob hanc causam. cum euacuata est aluus, ex reliquo corpore, & capite humiditatem in se ipsam attrahit, nimirum calida existens. euacuato autem capite, & uisus, & auditus depurgantur, & homines agiles fiunt. deambulationes autem post exercitia, corpora pura reddunt, & attenuant, non permittentes carnis colliquationem fieri præ labore, sed ipsam depurgant. Et in l. 2. prædic. pa. 172. nu. 8. si cœnam non ederit, solito autem more deambularit, iucundiorem aspectum præ se feret, & vegetior, ac operosior in exercitijs erit. verùm alui egestio modica, & compacta maxime in hoc fuerit. si verò cœna sumpta non deambulauerit, ructum vtique edet, & flatuosus fuerit, & plenitudo non minor apparebit, & inter laborandum magis, quàm antea sudabit, & difficulter spirabit, ac grauis erit, & transitus alui maiores, ac minus viscosi his fuerint. quòd, si neque cibum consumpserit, neque deambulauerit, pigrior vtique fuerit, & tumidior. Et in li. 2. de Diæt. nu. 33. ad eos quorum habitus humidior sit cõfert & deambulationibus vti, tum à cœna, tum mane, itemque à cursibus. à cœna quidem, quò alimentum siccius anima suscipiat ab ingredientibus, ac ingressus, mane verò, quò transitus humoris euacuentur, & meatus animæ non obturentur: ab exercitijs verò; vt ne in corpore relinquatur, quod secretũ est à cursu, neque animæ commisceatur, ne quid transitus obturet, neque alimentum conturbet. Et in li. 3. nu. 5. docet quo loco fieri debeant deambulationes, cum inquit. Exerceri oportet, & deambulationes in vmbra. Et subdit. à cœna deambulandum non est, sed saltem surgendum, mane verò deambulationes vtendum est. & hoc in vere. sed de reliquis anni temporibus

poribus quo modo faciendæ sint deambulationes. lege in eodem libro, in quo etiam videbis, quæ competant repleto homini.

Debilitas.

Non de ciborum, nec medicamentorum, nec morborum debilitate hoc tempore nobis tractãdum est. sed de ea, à qua detinetur homo in toto corpore, vel in aliqua eius parte. debilitas igitur fortitudini est opposita in eodem genere. & idcirco quemadmodum fortitudo est in virtute corporis; dicitur enim virtus fortis; sic contrà debilitas est in virtute; eo quod nos dicimus hanc corporis virtutem debilem esse. virtus verò primo consistit in calore: & propterea si calor est fortis, & virtus est fortis: si debilis; & ea est debilis. calor autem est in spiritu. vnde vt calor sit fortis, necesse est, vt spiritus sint robusti, &, vt rectius dicam, crassi. spiritus autem, qui est vehiculum caloris, primo est in humiditatibus corporis, atque ex his fit, ac præterea in carne, in neruis, ac ossibus: si quidem partes solidæ fiant ex non solidis. necesse igitur est, si virtutem habere velimus robustam, vt omnes partes, & solidæ corporis, & non solidæ sint fortes. & hæc fortitudo non solum consistit in crassitie materiæ, sed in perfecta mixtione partium, ex quibus conflatur nostrum corpus. appellatur igitur debilis homo, cum vis vitalis, vel naturalis, vel sensitiua, vel motiua, operationes proprias non perfecte perficiens. Vis igitur vegetatrix, siue naturalis si debilis fit; debiles facit homines: nam scribitur in li. de denti. pag. 24. nu. 3. fugentes, qui non probe aluntur, macilenti fiunt, & ægre vires recolligũt. verum debilia sunt membra plurimum ob frigiditatẽ atq; etiam ob humiditatem. vel ob debilẽ commixtionẽ vt mulierũ corpora: legitur. n. de septim. pag. 21. nu. 8. filiæ citius, quàm filij pubescunt, & sapiunt, ac senescunt propter corporum imbecillitatem, & victus rationem; atque hęc imbecillitas in fœminis oritur ob earum naturam, quæ frigidior est, & humidior, quàm viri. Et in l. de aere, aquis, & locis. pag. 37. nu. 39. vult Hip. timidiores effœminatiores, ac imbelles prę Europæis Asianos existere propter anni tempora, quæ non magnas permutationes faciunt, neque caloris, neque frigoris: sed semper æqualia permanent. Et in l. de mor. fac. pag. 58. num. 10. si in alteram partem defluxerit; leuiter syderatum facit: non enim potest sanguis pituitam superare; cum tenuis sit, & frigidus, ac modicus. sed ipse superatus congelatur, vt impotẽtes fiãt illæ partes, iuxta quas sanguis fuerit corruptus. Et in l. 2. de mor. pag. 65. n. 6. dolor occupat caput, vox intercipitur, ac sui impotens fit. patitur hæc cum atra bilis ipsi in capite commota fluxerit maxime in partem, in qua plurimæ sunt venæ, in collum scilicet ac pectus, deinde postridie syderatus fit, ac impotens, sanguine nimirum perfrigerato. Et nu. 8. si syderatus fiat; anteriorem capitis partem dolet, soporatur, venæ pulsant, febris debilis tenet, & corporis impotentia. patitur hæc, cum venæ in capite calefactæ fuerint, & calefactæ pituitam in se ipsas attrahunt. Et in l. 4. pag. 76. n. 1. si multum fuerit id, quod affligit in corpore magis quàm opportunum est, & aceruaaim robustum; turbatur ad ventriculum, & cũ non possit calorem suffere corpus, eo fruitur, & grauedolentiam circa spiritum fieri necesse est. cum nequeat corpus præ debilitate, nimirum omni humore morboso existente, spiritum trahere, quo ea quæ in ventriculo sunt refrigerentur; quicquid est humoris vitalis, id foras exhalat. atque ita homo moritur: non enim superat alius salubris humor, sed totus à morboso, qui multus est eleuatus, ac consumptus à febri exhalauit, ac perspirauit. itaque nobis innotescit frigiditatem, & humiditatem debilitatis esse autores. verum & calor simul cum humiditate imbecilles reddit vires: nam legitur in l. de humor. pag. 54. nu. 3. fic. & in 5. aph. 16. calidum scilicet aqua calida vbi sępius vtatur, hęc mala affert, carnium effœminationẽ, neruorum incontinentiam, ideſt, debilitatem, mẽtis torporem, profluuia sanguinis, animi deliquia, hæc ad mortem. Et in l. 2. aph. 28. febricitantium corpus plus quàm ratio postulat contabescere, imbecillitatem significat. Et in l. 3. aph. 12 si hyems australis, & pluuiosa, & serena fuerit ver siccum, & aquilonium; mulieres, quibus partus ad ver ineſt, ex quacunque occasione abortiunt. quæ verò parient, imbecilles, & morbidos infantes pariunt. at ex imbecillitate hæc obseruato prog. legitur in l. 4. aph. 46. si rigor incidat febre non deficiente ægro iam debili, lethale est. Et in l. 2. apho. 49. Qui consueti solitos labores ferre, & si fuerint imbecilles, vel senes non consuetis fortibus, atque iuuenibus facilius ferunt.

Decolores.

Qui decolores sunt, magis tendunt ad temperiem frigidam, quàm ad calidam: nam legitur in l. de Coa. præn. pag. 176. lethargici, tremuli ex manibus somnolenti, decolores, tumidi, pulsibus tardi sunt, & partes sub oculis eleuatas habent, & sudores insuper accedunt: & aluos biliosas, & intemperatas subtumidas habent. Et num. 3. eiusdem lib. in his qui decolores neque ad septem annos vires recolligunt, & spiritus in vijs aceruatus, & terræ concupiscentia, sanguinis corruptionem, & exolutionem significat. Et in l. 5. aphor. 36. mulieri menses decolores, neque per idem semper tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam humoris, vt exponit Galen. pituitosi, ob quem & decolores fiũt. Et in l. 2. pror. par. 37. neque intumescentes. s. purgandi sunt, nec vertiginosi, nec in errando deficientes, nec cibos auersantes, nec decolores.

Decubitus ægrotantium.

In l. de decen. orna. pag. 8. nu. 10. considerare oportet etiam decubitus, quosdam ex ipsis iuxta anni tempus, quosdam iuxta genera: quidem enim in altis sedibus, quidam in subterraneis, ac tenebrosis décumbunt. verum illud obseruato, quod decubitus quandoque significet locum, in quo moratur æger, aliquando inclinationem materiæ ad aliquod membrum. vt in l. 6. aph. 56. cuius verba sunt. in morbis melancholicis ad hęc periculosi decubitus, hoc est inclinationes periculosæ sunt materię ad membra principalia; quoniam stuporem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cęcitatem significant. Et in l. 4. de mor. popul. pag. 138. num. 20. aluum in principio turbatam habuit. expectabam ad oculum decubitũ, hoc est, vt quidam volunt abscessum per decubitum. Et in l. 6. de mor. popul. sec. 2. pag. 144. venæ temporum non confidentes, neque viriditas splendida, si spiritus intus relinquatur, aut tussis sicca non ferina, vt in articulos decumbat. Expectare oportet è directo distentionem secundum ventrem vt plurimum.

Et

Et Gal.in com. sic exponit.si ex morbo aliqui leuati, venas habeant, quæ plurimum dilatentur, neque color adsit naturalis,atque respiratio amplior, & tussis sicca; his ad articulos expectandus est abscessus. at quandoque decubitus significat ægri cubationem, quæ si talis sit, qualis sano competit, saluberrimum est: sin contra; malum. Hipp.autem in l.prog.com.1. part.13. de decubitu ægrorum hæc scribit. cubantē offendi ægrum à medico oportet in latus dextrum, aut sinistrum, ac manus, ceruicemque & crura paulum reducta habentem, & omne corpus molliter positum. ita enim plerique bene valentium cubant. at ita cubare vt sani solent, saluberrimum est. supinum verò cubare manibus,& cruribus extentis,minus bonum.si verò procliuior est,ac deorsum delabitur sub inde ad pedes, maiori cum periculo est. si verò nudos habeat pedes,nec ad modum calidos: ac manus, collum.& crura dispergat inæqualiter,malum:significat enim inquietationem. exitiosum autē est,si hiāti dormiat ore,si cura quoque supini cubantis admodum reducta, distractaque sint. si quis cubet in ventrem, nequaquam solitus ita dormire quo tempore sanus fuit: malum est: delirium enim aut dolor circa ventris sedes significatur. si verò velit residere æger in ipso morbi vigore, in omni morbo acuto malum, pessimum verò in pulmonia est. & in lib. de Victus ratione. in mor.acu.com 4 pag.48.iacere in conclaui obscuro debent,& lecto valde molli,diuque positum eum sustinere, & quam minime se se proijcere, & iactare: nam id tales maxime iuuat.

D fluxiones, & Defluxus.l. destillatio.

Deglutitio.

Legitur in li.de Coac. præn.n.2. neque deglutire, neque collum conuertere posse vt plurimum lethale est. Et n.3. deglutitio violenta mala est. vnde in l. 7.de mor.popu.pag.148.nu.10.si quis aliquid ad manducandum, aut sorbendum obtulisset; large, ac furiose deglutiebat,ac sorbebat. Et in Coac. præ. pag. 175.nu.1.qui in potibus substrepunt, & submurmurant in siccis,& qui dificulter deglutiunt spiritu tussiente pernitiose habent in acutis perfrigeratis.Et n. 2.in febribus derepente suffocari, & deglutire non posse citra tumorem malum est.

Deiectiones.

Deiectiones dicuntur excrementa,& ea, quæ euacuantur. harum consideratur tum multitudo, idest, quantitas, tum qualitas, de quibus sic scribit Hip.in l.1.aphor.23.deiectiones non multitudine sunt extimandæ, sed si talia deijciantur, qualia conueniunt, & ægri facile tolerant, atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare. ex quo aph.nos percipimus non solum quātitatem deiectionum esse considerandam, sed qualitatem & tolerantiam ægri. verum qualitates excrementorum cognoscuntur ex coloribus,& ex substantia.ex coloribus veluti legitur in l.4.aph.21.deiectiones nigræ qualis est sanguis niger sponte venientes siue cum febre, siue sine febre, pessime. & quanto colores magis fuerint praui, & fuerint plures; peius cum medicamento verò melius: & quanto colores plures,non praui.Et in li.prog.com.2.par.20.si aquosa admodum, aut candida, aut admodum crocea siue viridis,aut spumans, hæc omnia mala. Et par.21. si exigua, glutinosa, candida, subcrocea leuisque sit mala. Et part.22. exitiosior verò est, si nigra, aut liuida, aut opima, aut fœtida est. Et part.23.si versicolor est, diuturnior quidem, sed tamen exitialis est. hæc strigmenta habebit, ac biliosa erit cruenta, porracea, & nigra, quæ aliquando simul, aliquando vicibus excernuntur. & in lib.3. aph.6. in morbo diuturno fastidium cibi: & deiectiones sinceræ malum.& Gal.in com. ait. sinceras deiectiones nominauit impermixtas aquosæ humiditati: quoniam solus humor euacuatus deijcitur siue sit biliosus, siue melancholicus, siue porri colorem referens, siue bilis,quæ æruginosa nominatur; nam deiectiones huiusce modi exustam esse omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonstant. Et apho.23.à deiectione sincera difficultas intestinorum scilicet sequitur.& in l.de Vict.ratione in morb.acu.comm.4.par. 57.perdiscendum est si cum exurgit, defectu animæ corripiatur,& si facile spiret, & si deiectio nigra admodum fuerit,vel sincera qualis sanorum existit. nigra deiectio mortem iudicat. quæ sane similis est cū omni die apparuerit, salutem. Et in l.3.pror.par.35. post sanguinis eruptionem, deiectiones nigræ malæ prauæ aut, vt impense rubræ. an & quarta die talis eruptio fiat? comatosi ex his conuulsione finiuntur: an nigris procurrentibus, & tumefacto ventre? Et par. 25. eiusdem lib. quæ in acutis morbis vomendo trahuntur, vitiosa. atque albæ deiectiones difficiles. & par.64. ex torminoso sedimētum limosum, & sub liuidum malum.an ex hypocundrijs dextrum dolere videatur? & exoluatur? atque his parotides parum dolorificæ? venter his omnibus copiose fluens perniciem affert. sed de deiectionum consistentia agamus. deiectio optima est, vt legitur in l. pro. com. 2. par.13. si mollis,& constans est, & eo tempore secreta,quo secunda valetudine affuerit,si copia ex ratione ingesti cibi est:si enim talis excernitur inferior vēter bene valet.& par.14. deiectio madens, ex vsu est, si nec stridet, neque crebro, & paulatim excernitur: frequens enim desidendi labor insomniam facit.at si vniuersim, & sępe deijciatur, periculum defectionis animæ imminet. & par. 15. sed pro copia ingesti cibi deijciat bis, aut ter die, noctu semel, oportet. plurimum verò subeat prima luce,quemadmodum homini fuerat consuetum. & par.16. corpulenta reddatur deiectio, morbo eunte in iudicationem, oportet. & par.17. subrufa verò,nec admodum graueolens esto. & par. 18. ac lumbricos quoque teretes eunt in iudicationem morbo descendisse idoneum est. & par. 24.si flatus sine sonitu,crepiturque excernitur, optimus est. melius verò est, quoties erumpit cum sonitu,quàm si condatur,ac reuoluatur.quod si ita excernitur indicio est hominem vexari dolore, aut delirare,nisi sponte dimiserit flatum.Et lib.7.aph.65.& quibus deiectiones sistere permiseris, & non moueris velut strigmenta subsistunt. & si pauca, paucus est morbus: & si multa multus. his confert alui purgatio. quod si aluo non purgata dederis sorbitiones, quanto plura dederis,tanto magis nocebis. & Gal.in com. per aluum exeuntia solet Hipp. deiectionis ac subductiones nominare. & propterea quidam hoc loco acceperunt eius sermonem esse de his, quæ per aluum euacuantur. & l.3. pror. par.24. arenidæ & liuidæ deiectiones,perfrictionesque non sine febre vitium habent. rigores ex his tum vesicam, tum ventrem

trem præhendentes,& opprimentes dolorem pariũt & parti.25. lentore carentia ex his percurrentia cum multo æstu in mentis eunt aberrationem. ex his comatosi,& torpidi postea fiunt.morbus ex talibus diutius manet. an & circa iudicationem arescentes difficulter spirent? Et par.54.frequentes,& paruæ surrectiones subflauæ, lentæ, stercoreum exiguum habentes,cum hipocundrij dolore, & lateris,morbi regij participes existunt, an hi constant, exoluantur? & simul sanguinem profundant lumborum tensio his,& dolores sanguinis indicant eruptionem, & in lib.4. aph.83. mictio noctu plurima facta paruam significat deiectionem,& in l.5.apho.94. lac dare malum est,quibus in febribus acutis bilioſæ sunt deiectiones. verum l.Egestiones,& Excrementa.

Delassati.

Scriptum est in l.de Coac.præn.nu.1.horrore affecti,anxij,delassati lumbos dolentes, aluos humectas habent. & in l.1.prædic. delassati in stragulis,ac vestimentis doloroſi. & in l.4.aph.31. lassitudinem habentibus in febribus in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt. & in l.de humo. pag.56. nu.3.raro in acutis,multa ducere oportet,in delassatis totum. at leg.Labor,& Lassitudo.

Deligatio.

Deligatio medicinæ propria est ex qua æger opẽ sentit.maxime autem prosunt duo, hæc quibus vtendũ est comprimere videlicet, vbi oportet, & remisse deligare. & subdit concinnas autem deligationes ad spectaculum comparatas, & nihil iuuantes reprobare oportet,sic scribitur in l.de Med.nu.4. Et propterea deligationis ratio diligenter consideranda est. at verò deligationis initium vide in l.de Chirur.offi.n. 7.vbi quoque apparet.n.6. qualia debent esse deligamenta,& n.8.deligamentorum multitudo, longitudo,& latitudo, & n.3.eiusdem li. constituuntur duæ deligationis species. verum quomodo fieri debeat deligatio vide,nu.5. & 11.cęterum, nu.4 deligatio omnis ad decliuia,& acuminata fugit. & modus deligãdæ clauiculæ legatur in l. de Artic.n.17. & qui deligatione curari nequeant vide in l.de Frac.nu.32.sed proditum est in l.2.de mor.popul.sect.3. in pulsantibus sanguinem fundentibus figura ampla,& in totũ si ex omnino decliue, accliuo fiat. quapropter etiam deligationes invenarum sectionibus impetũ faciunt fortes verò sanguinem impediunt.

Delyrium.

Cum in capite de Desipientia diffuse differuimus de causis,signisque delyrij,nè repetam ea, quæ dicta sunt,ea tacebo; tamen pauca quædam, quæ delyriũ significant,& quæ quid post delyrium secuturum sit ostendunt.dicam,& propterea legitur in li.2. prædi. nu.2.delyraturi non diu latere possunt, si quis nouerit,quibus hic morbus cognatus est,aut prius aliquãdo insaniuerunt: si enim hi homines ebrioſi fuerint, aut carnes vorauerint, aut vigilauerint, aut in frigore,aut calore inconsiderate versari fuerint;multus timor est ex tali victus ratione ipsos delyraturos esse. Et nu.23.eiusdem lib.in principijs febrium siue delyrium accesserit,siue alicuius membri syderatio: periturum hominem sciendum est,si nõ omnino, aut ex optimis signis aliquod accedat,aut corporis uires adsint.& in l.4.aph.50.vbi in febre nõ intermittẽte difficultas spirandi,& delyriũ accidit:lethale.& in l.6. aphor.26.qui in febribus ardentibus tremores fiũt delyrio soluuntur,& in l.prog.comm.2.par.68.si abscessus deletur ac retrocedit nequaquã secreta secreatione,ac febre detinente; difficilis morbus est; periculum enim delirij & mortis imminet. & comm.3. eiusdem lib.par.13. aurium dolor acutus cum febre continua, ac vehementi difficilis est; periculũ enim delyrij, & abolitionis imminet. & in l.2.pror.part.1. si quippiam in vrina sublime petierit occultato coxæ dolore; delyrium portendit,& quæ circa aurium sonitus talia existunt & par.36. nigra reuomentes,cibos fastidientes, delyros, in pube parum dolentes, quibus oculus ferox, & clausus purgare non oportet:pernicioſum enim, & in comm.1.par.34 ob has causas, atque ob alias similes adhuc magis qui tota vtuntur ptisana,septimo die vel celerius moriuntur, alij quidem delyri,alij verò ob difficultatem spirandi,& stertorem præfocati.& comm.2.par.45.& 46. docet signa, quæ si ab initio apparuerint, delyrium graue,& vehemẽs indicant. atque vt plurimum ęgri moriuntur.& in comm.4 par.42. quibus item febribus vertigines à principio & capitis pulsus sunt, & vrina tenuis,his ad iudicationes vsq; febris accessionem expectare oportet:quod si delyrent quoque nihil mirum,sed in l.2 aph.2. vbi somnus delyrium sedat,bonum,& lib.4.aphor.72. quibus vrinæ albæ,& perspicuæ malæ, præsertim si in delyrantibus appareant.& in Coac.præ.n.4. delyrium in febre significat egestio valde rubicunda. Affectiones insuper rigentes, & quæ ad noctem aliquanto magis exacerbãtur cum vigilijs ac delyrio in somnis,aliquando vrina inuoluntarie omittentes in conuulsionem desinunt.& delyria cum sopore cõuulsoria,& delyriũ in spiritu, ac sudore lethale est: itẽ in spiritu, ac singultu.& delyria circa necessaria pessima,quæ ex his exacerbantur lethalia sunt. & prædebilitatorũ delyria pessima, & qui caput dolent, stupore correpti delyrantes aluo suppressa, oculo ferociente,florulenti,hi in posteriorem partem conuelluntur. & paulo post auris dolor pertinax,cum febre acuta, & alio quędã signo aliquantum maligno,iuuenes quidem septima die occidit,& citius delyrio correptos,si non multũ pus effluxerit ex aure, aut sanguis è naribus, neque aliud quoddam signum bonum compareat: seniores autem tardius,& minus tollit. nam & aures suppuratione præueniunt.& minus delyrãt.verum multi ex his recidiuant,atque sic pereunt,& inferius.Dẽtes collidere, aut stridere quibus non familiare id est à pueris,furioſum,& lethale est:iam verò delyrans si hoc faciat, penitus lethale est. pernicioſum autem est, & reficcari dentes, & ex dentis corruptione vehemens febris superaccedens, & delyrium lethale est. si verò feruenter vlcera suppurabunt, & ossa discedent & spiritus qui densus quidem, & paruus est, inflammationem & dolorẽ in locis in principalibus significat.magnus autem,& per multum tempus delyrium,aut conuulsionem,& frigidus quidem lethalis est, lethalis autem est febriculoſus, & fuliginoſus. & in l.6. de mor. popul.sect.3. delyrium significant supra rotunda. & in lib.prog.comm.1.par.19.si quis cubet in ventrem minime solitus: malum est: delyrium enim aut dolor circa ventris sedes significatur. & part. 28. verum oculos talium conspicari oportet. si enim crebre obtutus mouetur; expectan-

da

da insania est. Et in lib. de vict. ratione in morb. acutis com. 4. part. 58. cum venter glandi non obedierit, & spiritus placidus, & quietus fuerit, & surgens æger in sedem, vel dū in lectoest animi defectu corripiatur, si hæc vel mari, vel fœminæ inter initia fuerint, delyrium fore expecta. Et par. 66. cum febrientis lingua quarto die turbata quædam loquitur, atque venter liquida bilioſa deijcit; talis delyrare consueuit. Et part. 67. in acutis morbis quæ æstate, & autumno fit repentina sanguinis destillatio, &cet. si æger ætate floruerit, & fuerit corpore ob exercitationes bene carnoso vel melancholico ex potatione manus tremulæ fuerint; delyrium vel conuulsionem prædicere bene est. sed l. Desipientià, insania, mentis emotio, & phrenitis.

Dentes.

Legitur in lib. de Carn. pag. 19. nu. 12. post ossa generantur dentes ex hac causa. Ex ossibus capitis ac maxillarum incrementum sit glutinosi: & quod ex pingui inest; à calido siccatum exuritur, & fiunt dentes reliquis ossibus duriores: quia nihil frigidi inest. & primi quidē dentes nascuntur à victu in vtero & postquam natus fuerit; puero lactenti à lacte. vbi verò hi exciderint à cibis & potibus: excidunt autem vbi ad annos primi alimenti peruenerint: quibusdā etiam prius, si à morbido alimento nati fuerint: plurimis verò, cum septem annos impleuerunt. qui verò postea enascuntur, simul consenescunt, nisi præmorbo proforentur. cæterum dentes propterea posterius alijs nascuntur in maxilla. venæ sunt.

Et huic ossi soli inter omnia ossa ex inferno ventre alimentum præbent, ossa verò tale augumentum dant, qualia existunt: sic & talia omnia. Et nu. 13. eiusdem lib. à septennio vsque ad decimum quartum annum tum maximi ex dentibus, tum alij omnes nascūtur, postquàm exciderint hi, qui ab alimento in vtero nati sunt. Et nu. 14. quin & in quarto septennario dentes enascuntur plerisque hominibus duo, qui sapientiæ dentes appellantur. at verò pueris ad dentitionem accedentibus vt ait Hip. in l. 3. aph. 25. gingiuarum pruritus, febres, conuulsiones, alui profluuia, & maxime vbi dentes caninos producant, tum pueris crassissimis, tum his qui duros ventres habent. & propterea in l. de Dent. pag. 24. n. 2. quibus in dētitione aluus amplius subducit minus conuelluntur, quā quibus parum. quibus verò in dentitione febris acuta accedit, parum conuelluntur: sed qui dētientes habitiores manent, & altiore somno vtuntur, periculū est, ne conuulsione corripiantur. sed non omnes in dentitione conuulsi moriuntur. Sed multi ēt seruantur. qui hyeme dentiūt, reliquis similib. existentibus melius liberātur. At verò infra, si attente tractantur.

Hyeme dentitionem facilius ferunt. & qui cum tussicula dentiunt, tardius dentes producunt, in perunctione autem magis gracilescunt. & ideo nos habemus signa dentitionis à superiori aph. & postea ea, quæ confirmant aphorismum.

Ex dentium quidem multitudine hoc præsagium dat Hip. in lib. 2. de mor. popu. sect. 6. pag. 132.

Qui longæ vitæ sunt, plures dentes habent. sed & in libro de homin. struc. dicitur, dentes cum maxillaribus duo supra triginta sunt, anteriores autem diuidentes, qui & secantes appellantur. atque ex stridore ac collisione dentium, hæc habetur prænotio, quæ scripta est in l. prog. com. 1. par. 21. cuius verba sunt. si quis strideat dentibus non consuetus à pueritia ita efficere; insania significatur ac mors, sed in vtrisque futurum prædicere periculum necesse est. si verò mente motus ita efficiat: admodum exitiosum est. vbi Gal. ait, & reddit rationem. strident dentibus quoties musculi in temporibus, & maxillis modo conuulsionis commouentur, aliquando affectis musculis duntaxat aut ab ortu naturæ, aut propter aliam causam posteriorem, aliquando origine neruorum in talem affectionem deducta.

Patiuntur dentes dolores, corruptiones, erosiones reficcationes. De dolore dentis scribitur in lib. 5. de morb. popu. num. 26. Aspasij vxori dolor dentis vehemens, & maxillæ in tumore eleuatæ sunt. cum vero castoreum, & piper collueret, ac in ore teneret, opē sentiebat. Et in lib. 6. de morbor. popu. sec. 6. quibus in dentium dolore de supercilio tenuia descendunt; his à pipere probe affricto, postridie crassiora descendunt, si etiam alia non obtinuerint: nam Hegiesipo soporiferum inditum non obtinuit, sed magis & vio lentius insuper prouocauit. Et in lib. 4. nume. 9. Athenadæ puero masculo doluit à sinistra parte infernus dens, à dextra supernus. huius auris dextra suppurata est dum non amplius doleret. At de corruptione dentis hæc prædictio sumitur in lib. de Coact. præn. nume. 2. ex dentis corruptione febris vehemens superaccedens, & delyrium lethale est. atque ibidem alia legitur, quæ est. dentis corruptio abscessum circa gingiuam factum soluit. De Corrosione dentis legitur in l. 4. de mor. pop. nu 8. puero ab vlcere phagedęna erroso dentes inferni & ex supernis, ac infernis anteriores mergebant: cauitatem habebant. deinde subdit. quibus superni dentes anteriores his latus est meratur, quatuor radices habet, singulis paribus numeratur, quatuor radices habet, singulis paribus ad vtrunque vicinum dentem connexis, extremitatibus omnibus ad internam partem reflexis. circa tertium dentem suppurationes plures, quam iuxta alios omnes, & ex naribus fluxiones crassæ, & à temporibus dolores ex hoc maxime fiunt. corroditur hic maxime quintus. ex medio quidē nodū habebat vnū, duo autē anterius. paruus primus, intrinsecus iuxta duos corrodebatur. septimus radicē vnam crassam, acutā habebat. Et nu. 16. eiusdē lib. dens, cuidam suppuratio iuxta oculū, suppuratus est iuxta extremam. rursus sanatus est oculus, & secundū nares pus descēdit crassum, aliū casum leg. nu. 16. De siccitate autē dentum hæc habemus in lib. de Coac. præ. nu. 2. dentes reficcari pernicioſum est. verùm de his quæ viscosa circa dentes adhærent scribitur in l. 4 aph. 53. Quibus circa dentes in febribus quidam lentores. i. viscosa nascuntur, his fortes fiunt febres. Et in li. 4. de morb. pop. num. 26. Quibus in dentibus circum circa viscosa fiunt, malum est subhiare, ac fixis oculis intē dere, sed dentē purgans, & bene olētē faciens scribitur pharmacum in lib. 2. de morb. mul. numer. 65. at caue à frigidis: siquidem, vt legitur in lib. 5. aphor. 18. frigidum sit inimicum ossibus, dentibus: calidum verò vtile.

Desipientia.

Desipiēs appellatur homo, cū neque loquatur, neque agat ea, quæ rationi consentanea sunt; desipien-

tiæ autem duplex est species, quædam à natiuitate, quædam à morbo. de ea uero, quæ à natiuitate est, sic scribitur in lib. 1. de diæta. nume. 35. & ait si amplius adhuc superetur ignis à præsenti aqua, hoc est à pituita; hos iam alij desipientes, alij attonitos, siue stupidos appellant. & hæc insaniæ quædam species tardior existit, hi plorant nemine molestante, aut verberante. & formidant non formidanda, & tristantur in rebus nihil ad se attinentibus, & sentiunt ea, quæ non conueniunt sapientibus. confert his vti fomentis, & à fomentis veratro expurgari, ac diæta vti, quam prius dixi. atque indiget talis homo attenuatione pulmonis, ac siccitate. Et nume. 37. si aquæ vis ab igne amplius superetur, hoc est, si corpus valde bilioſum sit; ad insaniam adigitur. talibus confert actionibus obire, ac transigere à cibo accepto magis, quàm ieiunis: stabilior enim redditur anima alimento commodo ammixto, quàm alimento indiga. Et nume. 38. si verò adhuc amplius superetur aqua ab igne; talis anima valde acuta est, & tales necesse est somnia videre. vocant autem ipsos subfurioſos: nam res valde propinqua insaniæ est; etenim a breui, & incommoda inflam matione insaniunt, & in ebrietatibus, & carnis bona habetudine, & præ carnium esu. verum talem oportet ab his omnibus abstinere, itemque à reliqua repletione, ac exercitijs violentis in victu vtendum est maza, vino dulci nõ subacta, & oleribus coctis, sed non purgantibus, & piscículis ex muria, & aquam bibere præstantissimũ est; si fieri possit: sin minus; vinum molle, & album quod sit proximum. deambulationibus quoque multis manè vtendum est. à cœna verò satis est exurgere; quò cibi quidem non reficcentur à deambulationibus post cœnam. corpus autem euacuetur à matutinis lauare autem magis conducit aqua tepida circum affusa, quam vngi. cætera verò ibi lege.

Desipientiæ secunda species, quæ ab affectione aliqua fit ea aut noua est, & non confirmata: aut vetusta & confirmata veluti hectica febris. & vtraque fit aut à bile, aut à pituita, quemadmodum & ea species quæ à natiuitate ortum habet. hi autem humores permiscentur cum sanguine. & sanguine permutato concidit prudentia: nam legitur in lib. de Flat. pag. 40. & nu. 20. opinor inter omnia quæ in corpore sunt nihil magis ad prudentiam conferre, quam sanguinem. hic ergo cum inconstanti habitu persistit; consistit & prudentia: sanguine verò permutato, concidit simul, & prudentia. & subdit. in temulentis per ebrietatem aucto repente sanguine, percellit animus, & in animo prudentia, fiuntque præsentium malorum obliuioſi, ac futurorum bonorum fœcunda spe beantur. mixtis verò humoribus dictis cum sanguine narrat Hipp. in lib. de virg. mor. pag. 92. nume. 2. quid postea fiat. & inquit. sanguis cum meatus vteri fuerint concluſi præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum, quibus repletis cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delyrium apprehendit: locus enim ad delyrium, ac insaniam paratus est. cum enim hæ partes repletæ fuerint & horror cum febre ingruit; erroneas febres appellant. his autem sic habentibus, præ acuta quidem inflammatione insanit: præ putredine clamat: præ calignoſitate timet, ac formidat: præ compreſſione verò circa cor strangulationes parat. præ sanguinis autem malitia animus mærens, ac anxius malum attrahit. Sed & alium horribiliter compellat, & in puteos præsilire, ac incidere iubet, & strangulari, tanquam meliora sint hæc, & omnem vitæ vtilitatem excedentia. aliquando verò sine spectris, ac fantasmatis voluptas quædam adest, ex qua mortem velut bonum aliquod amat. in lib. autem de morb. sac. pag. 59. num. 17. cum antea dixerit prudentiam ineſse in animo, animum verò sedem habere in cerebro ibi videtur, & inquit. sapientiam ipsi scilicet cerebro exhibet aer. oculi verò, & aures, & lingua, & manus, & pedes qualia cerebrum statuit, ac cognoscit: talia subministrant: sapientia enim toto corpori contingit, prout aere participarit. ad intelligentiam verò internuntius est cerebrum. at verò in l. de Corde pag. 25. nume. 8. proditum est mentem hominis in siniſtro ventriculo cordis insitam esse, & reliquæ animæ imperare. quapropter videtur Hip. sibi ipsi dissentire. hoc verò minime verum est, sed sedem animæ in corde esse pluribus affirmari potest argumentis. Sed operationes ipsius per cerebrum manifestantur. Et propterea corrupto cerebro à pituita, vel à bile, corrumpitur hominis prudentia: nam quanto tempore cerebrum quieuerit, tanto etiam homo sapit. sic inquit Hippo. in lib. de morbo. sac. numero 16. & subdit. qui à pituita insaniunt, quieti sunt, & non vociferantur neque tumultuantur: qui verò à bile, vociferatores sunt, & malefici, & non quieti, & semper aliquid intempestiuum faciunt. si quidem igitur assidue insaniunt; hæ ipsis sunt causæ. si vero non, sed terrores, & timores accedant; à cerebri transmutatione id contingit. transmutatur autem dum calescit. calescit autem præ bile. vbi ad cerebrum impetum fecerit ex corpore per venas hæmatitas, hoc est, sanguinarias appellatas, & timor adest, donec rursus redierit in venas, ac corpus: deinde quiescit. angitur autem homo ex inquietudine multa iactatur intempestiue, dum cerebrum perfrigeratur, & præter consuetudinem compingitur. hoc vero à pituita perpetitur. ab hac autem affectione etiam obliuioſus euadit. & subdit. cum contigerit vt homo videat in somnium horrendum, & in timore fuerit, & si vigilet: tunc magis facies igneſcit, & oculi rubeſcunt cum timuerit, & mens meditatur aliquid mali operari; sic etiam in somno patitur. vbi vero ex pergefactus fuerit, & resipuerit, atque sanguis rursus in venas prædictas dispersus fuerit; quieſcit. itaque habemus cor, & cerebrum autorem esse desipientiæ, quæmadmodum radix plantæ, & rami sunt auctores fructuum.

Signa porro specierum desipientiæ ex his, quæ diximus nota esse arbitror: attamen hæc addam. Scriptum est in lib. progn. comm. 1. part. 24. Si spiritus magnus sit & multo interpoſito tempore; delyrium significat. Et in lib. 1. pror. part. 18. si in ardente febre aurium sonitus cum caligine fuerit, proueneritque in naribus grauitas, mente ex melanc. aberrant. & part. 19. vacillationes mentis cum voce clangoſa, linguæque conuulſiones cum tremore, & uoces ipsæ obtremiſcentes mentis indicant alienationem. Et part. 20. linguæ obtremiſcentes signum non constantis mentis. Et part. 22. rari in his laterum dolores delyrium oſtendũt. uerum de signis

plura

plura lege in capite de delyrio.

Vt verò cognoscas ex quo humore facta sit desipientia præter alias notas antea descriptas, has obserua to. Desipientiæ aliæ fiunt cum risu, aliæ feroces sunt. quæ cũ risu fiunt sanguis plurimus est cum alio humore in causa, si minimus & alij plures, qui quemadmodum bilis flaua, feroces fiunt desipientię, de quibus paulo post dicemus. verum quandoq; externa desipientiam producunt, vtpote quæ sanguinem alterent, perturbent, atque cum alijs humoribus misceant, vel ad aliquam qualitatem perducant non propriam externa causa desipientiam efficit, multa potatio, vt legitur in lib. 7. aph. 7. ictus capitis, ut aph. 14. in ossis præcisione, vt aph. 24. ilei, aut aph. 10. eiusdem lib. 10. profluuium sanguinis, vt aph. 9.

At verò quis sit finis desipientiæ, quæ ab his proueniat causis, sententiam Hip. proferemus. scriptum est in lib. 6. aph. 53. desipientiæ, quæ cum risu fiunt se curiores: quæ verò cum studio periculosiores. & in l. 1. pror. par. 25 tantulum feroces desipientiæ ferinæ sunt, & solum si tantulo fiant tẽpore. Et Gal. in com. cũ videris quemp â cum ferocitate desipientem, & si paulo post sedetur; cognosce mentem eius nõ febris ratione læsam esse, sed phreniticam subali affectionẽ quæ post adaucta ferina tibi videbitur. ferinas autẽ, appellat desipientias, in quibus ægri calcitrant, pedibus feriunt, mordicus impetunt. Et lib. 7 aphor. 7. ex multa potatione rigor, & desipientia malum. Et aph. 14. in capitis ictu obstupescentia, & desipientia malum. Et aph. 24. in ossis præcisione desipientia si in vacuum apprehenderit. & hæc est ex causis intrinsecis, & etiam quæ sequuntur, nam legitur in eodem lib. 7. nu. 18. in vigilia conuulsio, vel desipientia malum. f. & aph. 10. ab ileo vomitus, singultus desipientia, vel conuulsio malum. & aph. 9. à profluuio sanguinis desipientia, ac conuulsio malum. Et aph 5. à furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio bonum. Et in lib. 1. pror. par. 8. prælanguentium desipientiæ pessimæ. alia quoque prognostica in his lib. comperies, quæ lege in capite de Delyrio, & de Phrenitide. ad desipientes hanc accipe medelam. scribitur in l. 2. de mor. pop. sect. 5. si autẽ desipiat; caput irrigato, si nõ præcordia fuerint eleuata.

Destillatio.

Destillatio est fluxio humiditatis à partibus supernis, ad minus superna, aut ad inferna. hæc maxime fit à cerebro, à quo defluit, & in propinquas partes, vt in oculos, nares, aures, fauces, palatum, pulmonem, & in reliquum corpus. Legitur autem in li. de Carn. num. 17. vbi cerebrum ipsum de se ipso plurimum liquefecerit; in palatum, fauces, pulmonem, ac reliquum ventrem, & corpus destillat. fiunt destillationes cum tussi senibus, vt in lib. 3. aphor. 31. legitur. Et in lib 7. aphor. 38. defluxio in superiorem ventrem, hoc est, thoracem suppuratur in viginti diebus. Et in lib. de Dent. nume. 3. destillationes tonsillas vexatas habentibus his aluus amplius subducta siccas tusses soluit. Sed in capite de Fluxione plurima lege.

Diæta.

Diæta est victus ratio in sex rebus non naturalibus. hæc instituta fuit ad sanitatem tuendam, atque ad ægritudinem expellendam: sanitas autem, & ægritudo inest in corpore humano, cuius persona vi tam vulgarem, aut publicam traducat qui duo ordines, aut iuuenes existunt, aut senes, aut in media ætate. & hi aut laboribus dediti aut otiosi. & huiusmodi dięta respicit non solum personas, verum etiam anni tempora: sed potissimum, ac cibaria ac potiones. diæta igitur ægrotum describitur in locis, in quibus tractantur & morbi peculiares. at verò de diæta sanorum diuitiorum, & quibus sanitatis studium præcipuè esse curæ solet, lege in lib. 3. de Diæ. nu. 8. at multitudo, ac vulgus, quod ex necessitate vitam transigit, qua ratione singulis anni partibus diæta instituere, ac primum hyemis tempore debeat, vide in eodẽ lib. 1. 2. itemq; in lib. de Salu. Diæ. nu. 1. in quo agitur de dięta diuitiorum, & priuatorum, qualis hyeme vere, æstate, & autumno esse debeat: & nu. 2. diæta ad ætates, ad anni tempus, & ad corporum species constituitur. hos igitur libros diligenter legas. diæta mala est primum cum quis cibos liquidos: aut siccos in corpus ingerit, quam ipsum ferre possit. Deinde cum varios, & dissimiles inter se cibos adsumit: seditionẽ enim mouent, quæ sunt inæqualia.

Diarrhœa est copiosum sine vlceratione, & inflãmatione alui profluuium. cuius signa, & curationem lege in l. de Affect. pag. 81 num 26

De Diebus criticis, & cur dies impares morbos iudicent.

Omnis operatio naturalis est finita; propterea quod subiectũ, circa quod versatur, est finitum: & quoniã mensuratur magnitudine, aut tempore, aut vtrisque, quæ finita sunt. verùm cibi concoctio est naturalis operatio: idcirco est finita, & tempore finito, atq; terminato mensuratur. quota verò sit temporis mensura in concoquendo alimento, his verbis scriptum est in lib 4. de morb. pag. 76. num. 16 Postquam comedit homo, ac bibit, & humor ad corpus peruenit eo, quo dictum est, modo ammixtus alij tum ei, qui in corpore, tum ei, qui in fonte est; ea quidem die, qua accesserit, in corpore manet: postridie verò alius humor ad ipsum accedit. atque hi quidem duo sunt dies, duo verò in corpore humores. & alteri quidem humori duo dies sunt, alteri vnus. & qui postridie accessit, manet in corpore, vt qui sit crassus. alter autem coctus à caliditate diffunditur, & tenuis factus postera die ad ventriculum accedit, & per omne tempus à recenti expellitur. vbi verò ad ventriculum peruenit; cibos in hoc loco coquit, & de se sanguinem in corpore facit. si verò permanserit; tempore graueolens fit. tertia verò die vnà cum stercore, & vrina exit, copia ipse sibi ipsi æqualis, & consimilis, & æquilibris, etiamsi sui ipsius pars quædam sit, quo humor maneat in corpore iuxta relatam rationem. quapropter in prima die alimentum in corpore manet, postridie per aluum secedit, humor autem ad tertiam diem. itaque per tres dies cibus coquitur, distribuitur, ac secernitur purum ab impuro. & id nobis sit argumento à contrario sumpto, quod legitur in libr. de Vete. medi. pag 4. nume. 21. & hoc est. Dico etiam alios omnes homines, qui duos, aut tres dies inediam pertulerint, eadem passuros esse, quæ de impransis dixi, ideſt impotẽtiam vehementem, tremorem, animi deliquium, oculos pallidos, &c. hæc quoque habes

in lib. de Vict. ratio. in morb. acu. cap. 2. part. 22. vsque ad 32. quanquam librum de Vete. med. nemo negat esse illegitimum Hipp. immo Erotia. inter germanos collocat. Sed ad rem. Cum igitur cibi semper postridie per aluum secedant, & humor ad tertiam diem; homines sani degunt, vt legitur in eodem lib. 4. de morb. nume. 21. & subdit. Si humor pluribus, quam tribus diebus in corpore permaneat, aut alius multus implens accedat; venis calescentibus, ac stantibus; maius malum, aut minus homini significationem de se præberet, hyemi quidem minus, & posterius: æstate verò maius, ac prius. deinde nume. 17. explicat quod malum contingeret, & inquit. Calor, & dolor corpori accedet, sed in æstate, citius: calidus enim tunc est aer ambiens, & calidiorem corpus in se ipsum trahit. &, si calido adhuc existente ventriculo, calidior, quàm opportunus est, spiritus homini accedat; nihil miri est hominem ex tali febrire. hyeme verò cum frigidum spiritum trahat in se ipsum; multo magis poterit corpus repletionem ferre, homine modicè ventrem exonerante. Et nume. 18. postquàm autem aliquid corpori aduenerit copiosius, non ita multò corpus calescit sensim, vt non valde lædatur: & liquescit in ventriculo, & cibum homini iniucundum facit. Si verò humor alius alio copiosior fuerit; febris ex hoc oboritur. Et subdit nume. 19. sed & corpus hoc modo sufferre, ac reualescere potest: humiditate enim vberiore existente in ipso calorem exoluit: calescit enim corpus à febre. &, si quidem modicum fuerit id, quod affligit; tertia die eodem modo dimittit, per duas autem continuè tenet: si verò copiosius; quinta die: per quatuor verò tenet pro ratione. atque hoc modo morbi per dies iudicantur. at, si dimiserit febris in imparibus diebus; & sanus homo fit, & moritur. At verò quænam sit hæc tertia, quanquam antea relatum est; exponit tamen nume. 20. & ait. Quæcunque febris de corpore hominem corripuerit; necesse tertia die humorem affligentem exire de corpore, aut in alio quopiam impari die, vt antea declaratum est: non enim exit prius quàm alius bonus de ventriculo ipsi accedat: nam intermedia, & postera die corpus trahit de ventriculo quicquid ipsi in se ipso dimiserit priori die, nisi ventriculus id expulerit, & alium humorem habuerit, quod sane malum homini esset. si vero dimiserit tertia die; eodem modo dimittit, quo etiam eadem die. atque ita contingit, vt febris de corpore oriens, tertia die remittat. dico etiam si quinta die, aut septima, aut nona dimittat; eodem pacto dimittere, quemadmodum & tertia exiuit. Dimittit autem febris diebus imparibus; quoniam in paribus trahit corpus de ventriculo: in imparibus verò dimittit. ventriculus autem extra propellit in homine sano. iuxta huiusmodi necessitatem morbi in imparibus diebus iudicantur. Deinde subdit. Dolent maxime homines ægroti in imparibus diebus: quoniam conturbatur humor, cum homo febricitat. cuius rei signum est, quòd horror aliàs atque alias per corpus transcurrit. quod non contingeret, nisi humor conturbaretur, & de ipso aut plus, aut minus secerneretur, & alius alium superaret. conturbatur autem maxime in imparibus diebus, cum homo ægrotat: & tunc horror maxime fit: habet enim se res hoc modo. De humore affligente expellitur aliquid ex corpore à recentissimo humore superatum, & procedit ad aluum infernam, & aluus ipsa vnà cum affligente calefit, suscipiens in seipsam magis, quàm priore tempore. hoc autem maxime fit in morbi iudicatione. &, si paulatim corpus ad aluum dimiserit, & non multum fuerit id, quod hominem affligit; & aluus, & corpus calorem sufferre in iudicatione potest. & homo sanus euadit; vbi humor affligens egressus fuerit, & is, qui febri alimentum præbuit, consumptus, & sanus præualuerit. Et subdit num. 21. Quòd humor turbetur in diebus imparibus, hoc signum est. Quicunque iam à febre continua correpti pharmaco vsi sunt in diebus paribus; hi nimium purgati nunquàm sunt: qui verò in diebns imparibus medicamento forti vsi sunt; nimium purgati sunt. multi verò etiam perierunt nimium purgati. hæc ex li. 4. de morbis. ex quibus percipimus, nisi humor tertia die ad exitum paratus nõ expellatur à recenti, ac permaneat, aut alius multus accedat; venas calefieri, atque fisti, hoc est, intendi, vt exponit Galen. in com. 4. de Victus ratio. in morb. acut. part. 27. ac postea malum homini adferre. at verò die quinta, quæ tertia est vnà cum prima die tertia; iterum conturbatur. &, nisi expellatur; turbatur rursus septima, vel nona, vel vndecima, & maxime affligit hominem ob turbationem humoris, veluti relatum est: & tunc fit crisis. hac igitur de causa morbi iudicantur diebus imparibus, fit sanitas, & mors. & idcirco scribit Hipp. in lib. prog. com. 3. part. 1. Febrium iudicationes fiunt hisdem numero diebus, & ex quibus supersunt homines, & ex quibus moriuntur. verùm vt legitur in lib. 2. de morb. popu. sect. 6. Interceptio morbi fieri non poterit, nisi in die impari: neque principium fieri poterit, nisi in die pari, itemque mense, ac anno pari. Et subdit. Qui moriuntur eos necesse est die impari, & mense impari, & anno impari mori. bonum autem fuerit prædicere mortem, aut dolores fortes. Quorum oculi robusti non sunt; his mors breui imminet. si verò in impari anno fiat; ab vtrisque impares fieri necesse est. Si autem in anno pari; necessarium est in impari die mori. ex numero tertia fortissima est. Et in lib. de Septi. partu pag. 20. nu. 6. Conceptus, & abortus, & partus mulieribus in eo tempore, in quo etiam morbi, & sanitas, & mors omnibus hominibus fiunt. hæc verò omnia partim secundum dies, partim secundum menses, partim secundum dierum quadragenarios, partim secundum annum significationem sui præbent: in omnibus enim his temporibus insunt ad vnumquemque & vtilia multo, & hostilia multa: ex vtilibus verò sanitas, & augmentum contingit: ex contrarijs morbi, & mors. dies igitur maximè insignes in plurimis sunt primi, & septimi, multum potentes in morbis, & multum in fœtibus: nam plurimi abortus in his diebus fiunt: nominantur autem tales effluxus, non abortus. verùm alij dies intra quadragesimum insignes quidem minus sunt: multi verò iudicant. Et subdit nu. 7. In mensibus eadem, quæ in diebus fiunt, iuxta rationem insunt: menses. n. mulieribus sanis singulis mensibus apparent, tanquam peculiarem in corporibus vim mensis habeat.

beat. vnde sanè septimi menses his, quem vterum gestant, fœtus in principium perfectionis constituunt. pueris verò, vbi septem menses à natiuitate impleuerint, tum alia vtilia in corporibus fiunt, tum dentes in eo tempore apparere incipiunt. eadem ratio est etiam in decretorijs diebus, si quidem fortassis vnà cum his quos recensui coniungere quis velit, historiæ ac cognitionis gratia referentur. etenim medium, qui ægrotorum salutem rectè coniectare volet, animaduertere quidem oportet, & contemplari omnes dies, ex paribus verò decimumquartum, & vigesimumoctauum, & quadragesimumsecundum: hic enim terminus ponitur à quibusdam pro harmoniæ ratione, & integer, ac perfectus numerus: verùm ob quam causam; longius fuerit in præsenti exequi. contemplari autem sic oportet per temerarios, ac quaternarios quidem duobus ad duos connexis. at verò quadragenarij primum in fœtibus iudicant: quisquis enim primos quadraginta dies transmiserit, abortus effugit ex omni causa contingentes. plures autem fiunt in primo quadragenario abortus, quàm in alijs omnibus. hoc autem tempore præterito fœtus fortiores sunt, & ipsorum corporis per singula membra discretio fit: & masculorum quidem partes omnes valde conspicuæ fiunt: fœmellæ verò in hoc tempus, carnes apparent exortus, ac processus solum habentes: similia enim longius tempus in simili sunt, & tardius discernuntur propter consuetudinem, & amicitiam: quanquàm aliàs cum à matre segregatæ fuerint, filiæ citius, quàm filij pubescant; & sapiant, ac senescant, propter corporum imbecillitatem, & victus rationem. alter quadragenarius est, in quo circa octauum mensem fœtus vtero ægrotant: de quibus hic totus sermo institutus est. tertius est, in quo vbi nascantur pueri etiam male afflicti, si effugerint quadraginta dies, apparent magis robusti, ac sapientes: nam & splendores clarius vident, & strepitum audiunt, quod prius non potuerunt, tanquam incrementum habeat hoc tempus, cum iuxta alia, tum iuxta sapientiam ex corpore elucescentem. Et subdit nu. 10. quanquam mors etiã per fatum sit forte designata, vt hoc exemplo omnibus sit, quod omnia existentia, quę naturam ex ijsdem habent, transmutationes per tempora venientia habeant. declaratur autem in singulis, cum alia nascantur, alia corrumpantur. porrò anno finiente multi quidem morbi fiunt, multæ etiam sanitates, iuxta tẽporis rationem ad menses, & ad singulos dies. septenarijs autem annorum cum alia multa insignia corporibus fiunt, tum dentes pueris excidunt, & alij nascuntur. Et in lib. de Car. pag. 19. num. 20. Vita hominis septem dierum est: primum etenim postquàm genitura in vteros peruenit; in septem diebus habet quæcunque corpus habere debet. Et multa ego vidi hoc modo deinde modum explicat. postea subdit. num. 21. Quòd verò vita hominis septem dierum sit, etiam ex hoc manifestum redditur. si quis in septem diebus nihil edere, aut bibere velit; pleriq́ue quidem in ipsis moriuntur. sunt autẽ, qui ipsos transmittunt; & tamen moriuntur. Et num. 22. Puer septimestri partu natus, pro ratione natus est, & viuit, & rationem talis habet, ac numerum ad hebdomadas, ac septenarium exactum. Octimestris autem natus nullus vnquam vixit. Nouem verò mensium, & decem dierum partis fit, & viuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum: quatuor enim denarij hebdomadum, dies sunt ducenti & octoginta. in denarium autem hebdomadum septuaginta dies incurrunt. habet autem & septimestris partus tres denarios, siue decadas hebdomadum, & in vnaquaque decade septuaginta dies. tres verò hebdomadum decades ex toto sunt dies ducenti, ac decem. Et subdit num. 23. Quia & morbi acutissimi sic hominibus fiunt, præteritis diebus hebdomadis dimidiæ, aut vnius, in quibus iudicantur, & moriuntur, aut sani fiunt: tertij generis in vndecim diebus, hoc est, vna & dimidia hebdomada: & quarti in duabus hebdomadis, & quinti in duodeuiginti diebus, hoc est, duabus, & dimidia hebdomadis. at verò alij morbi non habent, vt certa sententia prænuntiari possit, quanto tempore homines ab ipsis sani euadant. Ad eundem morbum etiam vlcera magna in capite, ac reliquo corpore quarto die inflammari incipiunt, in septem autem inflammatio sedatur, aut etiam quatuor & decem, aut duodeuiginti. at subdit tandem nu. 24. Est & aliud signum scilicet, quòd vita hominis septem dierum fit. pueri septem annis præteritis dentes explent. & in septem annis sunt & ratione, & numero exacte hebdomades trecentæ ac sexaginta. necessitatem autem naturæ, quapropter in septem hæc singula dispensentur; ego alijs locis declarabo. Hæc in lib. de Car. Atque hinc acceptus est sententia illa descripta in lib. 2. aph. 23. quæ ait. Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Et aph. 24. Septenorum quartus est index. alterius septimanę octauus principium: est autem & vndecimus contemplabilis: ipse enim quartus est alterius septimanæ. rursus verò & decimus septimus: ipse siquidem quartus est à quartodecimo: septimus verò ab vndecimo. In hoc verò apho. habemus aliam diuisionem: nam prima fuit, quòd vita hominis diuidatur per septem: secũda est, quòd septem diuidit in duas partes, quarum altera est quartus, quæ cum sit medietas septenarij; indicat, quantum septem facultatis sit habiturum. At de quarto die pluribus in locis mentionem fecit Hippocr. verùm & de tertio simul in l. de Nat. pueri pag. 16. num. 20. cum inquit. Mouetur masculus tertio mense, fœmella verò quarto. prius autem mouetur masculus: quia fortior. Et in lib. de Fract. pag. 191. nu. 33. Minime tertia, & quarta die omnia vulnera mouere oportet; & vt in summa dicam, etiam omnes specillorum admotiones vitare conuenit in his diebus, & alia quoque, quibus vulnera irritantur: in totum enim tertia, & quarta dies in plerisque vulneribus recrudescentias parit, & quæ ad inflammationem, ac immunditiam procedunt, & quæ ad febres deueniunt. & in lib. de Articul. pagin. 201. numer. 78. Reponere autem oportet eadem die, aut postridie: tertio, ac quarto minime: quarto enim die maxime recrudescere solent. quibus autem non statim repositi fuerint: in his dictos dies transgredi oportet; quia quod intra decem dies repositum fuerit, omne id continetur. Præterea & in lib. 4. de morb. pagin. 77. num. 22. legitur. Quin & vlcera si curantur maxime in his diebus, scilicet imparibus inflãmantur. & rationem reddit, & ait. venit enim humor ad omnes venas cum turbatur, easque replet. &, vbi ad vlcus peruenit, siquidẽ non curetur,

& pus exitum habeat; expellitur ab humore, qui in turbatione accedit,& vlcus foras expurgatur. si verò curetur;pus exitum non habēs, & isthic vna cum eo,qui accessit permanens, dolorem inducit, & carnem circa vlcus attollit. Et subdit. atque hoc modo caliditas ad vlcera peruenit calescit enim corpus, & vlcera ab humoris commotione. & labor talia efficit.liberantur autem vlcera ab inflammatione quinta die, & iuxta horum dierum rationem,prout etiam vlcera fuerint magna,& tertia, & quinta,& septima, & nona, & vndecima. De hoc quoque numero impari sic loquitur in l. 4. aph. 36. sudores febricitanti si inceperint, boni, & tertio die,& quinto,& septimo,& nono,& vndecimo, & quartodecimo,& decimo septimo,& vigesimo,& vigesimo septimo, & trigesimo quarto: sic enim sudores iudicāt morbos qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi lōgitudinem,& recidiuam. Sed & in l.de Fract. prædicto pag. 191. nu 35. Hanc per nectes commotionem, & extensionem eadem die, aut secunda facere oportet. non autem tertia,minime verò quarta,aut quintam,etiam si non reponis;sed alias molestiā exhibeas his diebus;inflammationem induxeris: quanto magis,si reponas? Et in l.2. de mor. pag.65. num. 14. Dolor caput corripit, & si paululum moueatur; bilem vomit. quandoque etiam vrinam difficulter emittit, ac desipit. & septima die quandoque moritur,& nona quoque,ac vndecima;nisi sanguis è naribus,aut auribus proruperit.

Nunc verò quinam sint dies inspiciendi, diximus, & eos maxime, qui sunt impares. pares verò siquid habeāt considerationē dignū,id est; propterea quòd, vt dixit Hip. partem continent dimidiam imparium dierum, sicut quatuor dimidium septimanæ vnius continet: sed in lib. 2. de morb. popul. sect. 3. pag. 128. hæc verba leguntur. Quæ paribus diebus exacerbantur, paribus iudicantur. quorum autem exacerbationes in imparibus fiunt,ea in imparibus iudicantur. Est autem primus iudicatorius, ex circuitibus diebus paribus iudicantibus quartus dies: deinde sextus, decimus, decimus quartus, decimus octauus, vigesimus, vigesimus quartus, vigesimus octauus, trigesimus, trigesimus quartus, quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, & centesimus vigesimus. Ex circuitibus verò in imparibus diebus iudicantibus, primus est dies tertius, deinde quintus, septimus, nonus, vndecimus, decimus septimus, vigesimus primus, vigesimus septimus, & trigesimus primus. at verò nosse expedit, si aliter iudicatio fiat extra præscriptos dies; recidiuas fore significat, & fuerit sanè pernicioſe. oportet autem animaduertere, & nosse in his temporibus iudicationes futuras esse ad salutem,aut mortem:aut inclinationes ad melius,aut deterius.sed in eodem l. 2. sect. 6. contrà dicit sic. Interceptio morbi fieri non poterit, nisi in die impari: neque principium fieri poterit, nisi in die pari, itemque mense. & anno pari. quæ contradictio diligenter consideranda est. Et de die pari sic inquit in li. 3. de mor. pop. pag. 135. & col. 4. Aegro. 10. Exacerbationes, & dolores huic ad finem vsque in diebus paribus magis erant. At qui sint dies pares, nondum ab Hip. didicit: tamen in l. prog. com. 3. par. 3. inquit. Primus impetus. i. circuitus dierum insignium in quarto, vel citius finitur. secundus ad septimum producitur: tertius ad vndecimum: quartus ad quartum decimum: quintus ad decimum septimum: sexus ad vigesimum. Si igitur ex morbis acutissimis per quatuor ad viginti ex additione terminatur. & subdit par. 4. Fieri verò non potest, vt horum vllum integris diebus eximie numeretur: non enim annus,ac menses in tegris numerati diebus natura apti sunt: quoniam, vt exponit Gal. in com. annus non trecentorum, & sexaginta quinque dierum est tantū, sed quartæ partis diei: & item ad hæc partis cuiusdam propè quodam non centesimę. vnusquisque verò mensis minor est triginta diebus, maior verò nouem & viginti. ita etiam Hip. septenarium dicit, constatque, vt quaternarius quoq; non sit integrorum dierum, sed partem quandam deesse, tantum, vt tres septenarij viginti circunscribantur diebus. deinde subdit Hipp. par. 5. Postea verò eodem modo,& ea ipsa adiectione, prima circuitio quatuor & triginta dierū, altera quadraginta, tertia sexaginta dierū est. Ex quibus verbis percipitur quāuis numero dies videantur pares; attamē revera non sunt, sed tenent quid imparitatis. sed tamen neque adhuc habeo, quis nam sit primus dies par,& quomodo par sit: nisi quod legitur in lib. 4. de morbis pag. 76. num. 26. Humor hic. s. qui tertio die prodire foras debet (atque hic memoria tenendum est illud, quod Hip. dixit, hoc est. quòd cibus in primo die in corpore manet, secundo fæces crassæ per aluum secedunt, tertio humor) si secundo exiret die; non graueolens esset, sed veluti coctus, & vrina potui similis,& corpus semper euacuaretur,& per omne tempus homo vbi ventrem exoneraſſet, ac minxisset; opus haberet statim potu,ac cibo,si modo validus esse deberet. & si quidem comedisset, bene esset: sin minus;& euacuatus debilis esset: humor enim in corpore manens, robur exhibet. hæc ibi leguntur, quæ nobis quodam modo argumento sunt, si postridie humor exeat,& est dies par, debilem euadere hominem. atq; vbi est imbecillitas, ibi est morbi principium. sed hæc quæso, videant medici; est etenim admodum arduum negotium, quod fortasse aliqua ex parte explicatur, si causas, quas recenset Hip. dierum criticorum. exponamus. Causæ dierum criticorum, quæ in pluribus descriptę sunt libris Hip. sunt hæ. legitur in l. 4. de morbis pag. 76. nu. 21. si humor tertio die in corpore permaneat, & alius cibus multus implens accedat, venis calescentibus, ac stantibus ob humoris turbationem, ac motionem malum adfert. & hæc est vna causarum. deinde subdit aliam, quæ est concausa, cum inquit. hyeme minus,& posterius: æstate plus,& prius. tertiam recitat in l. de septi. partu pag. 20. n. 7. & inquit. Ex paribus verò diebus contemplari oportet decimum quartum, & vigesimum octauum,& quadragesimum secundum: hi enim terminus ponitur à quibusdam pro harmoniæ ratione, & integer,& perfectus numerus. & idcirco affirmat ex quorundam sententia proportionem harmonicā hos efficere dies. Quartam vult esse consuetudinem, & amicitiam vnius cum alia re: nam subdit in eodem loco. Post quadraginta dies masculorum partes omnes conspicuæ sunt: fœmellæ verò carnes apparent, exortus, atque processus solum habentes: similia. n. longius tempus in simili sunt,& tardius discernūtur propter consuetudinē,& amicitiam. Et n. 10. quintā addit, cum ait. Mors per fatum est sorte designata.

Sextam

Sextam numerat in l.de carnibus pag.20. nu.24.quæ est. Necessitatem autem naturæ, quapropter in septem hæc singula dispensentur, ego alijs locis declarabo.

Sed forte idem fatum esse volunt quidam,ac necessitatem naturæ. quod minime approbo,nisi pro natura intelligatur id,quod cũcta mouet, & nõ mouetur.

Septimam narrat in l.de Natura pue.pag.16.n.20. & ea est.Mouetur mas tertio mense,fœmella quarto quia mas fortior est: quia à fortiore, & crassiore genitura fit.

Octauam habemus in l.4 de morb. pag.77. nu.22. quæ est morbi magnitudo: inquit enim liberantur vlcera ab inflammatione quinta die,& iuxta horum dierum rationem,prout etiam vlcera fuerint magna & tertia, & quinta.

Nona est soliditas, & mollities, quæ citius,ac tardius decernunt: ac magnitudo & paruitas: nam scriptum est in l.de Fract.pag.191.nu.36. Totus ossis circulus si in quadraginta diebus discesserit; bene discedet. quædam enim ad sexaginta dies perueniunt: nã & rariora ossa citius discedunt, soliditora verò tardius: alia autem minora, multo minore tempus spatio: alia aliter. qua de re concludere possumus causas,ob quas contingant morbi iudicari in talibus diebus alias esse extrinsecas, & vniuersales,quemadmodum aeris mutationem, & quæ in rebus non naturalibus consistunt: alias intra corpus, sicuti est maximum corporis robur, sanguis, vel bilis plurima:complexio calida,vel frigida: habitudo corporis rara,vel densa: vel aliquod membrum molle,vel durum:alias esse prætenaturales,veluti:est morbus,Causa morbi, & symptomata, aut si morbus morbo superueniat. sed de his diffuse locuti sumus in cap.de Crisi.

Digiti.

Scriptum est in l.de natu.pueri.num.15.progressu temporis ossa fœtus articulati ramificantur. rursus extremitates ossium quemadmodum arboris extremitates postremum ramos spargunt; sic & in puero digiti manum, ac pedum disparantur. sed digiti vt apparet in l.de loc. in homi.n.12. digiti articulos habent multos vnusquisque tres: vnum ad vnguem, in medio vnguis, & nodosæ prominentiæ: alterum in ipso nodosa prominentia: tertium qua parte digitus à manu exoritur. Et in lib. de oss. natu. num.1. digitorum quidem ossa, & articuli simplicia sunt, manus autem & pedis multa alia, & alio modo coarticulata.

De Fractione digiti indicis scribit Hipp. in lib. 5 de morb.popul.n.28. atque de magno digito, & osse dextræ manus confracto.in l.7 nu.20.ibidem quoq; scriptum est de magni digiti in pede luxatione. luxatio articuli digiti cognitu est facilis,quemadmodum apparet in l. de Articu. nu. 90.

Cæterum & digiti præsagium nobis dant: nam legitur in l.de Coac.præ.n.3 digiti, ac vngues ad corporis grauitatem etiam liuidi facti, mortem in propinquo esse significat.si verò pœnitus nigrescant;minus pernicioſi sunt liuidis. Et in l.prog.cõ.2.part.8. si verò præter grauitatẽ vngues,ac digiti liuidi sint; expectanda mors statim est. Et par. 9. si digiti, ac pedes omnino nigrescant, minus pestiferi sunt, quam si liueant: sed alia signa considerandа sunt: si enim facile ferre malum appareat, & aliud salubre fuerit signum; morbum verti significat ad abscessum. Et in l.4.de mor.popul. n.24. quibusdam ab initio subtremuli digiti, & labia vbi loquerentur itidemque aliæ partes:& proteruè lingua citiore,ac volubiliore præditi: his rubor in facie maxime erat. hi ebrioſi erant, aut vomitu commode vsi intumescebant.

De Distentione.

Cum distentione tetani appellati corripuerint, maxillæ rigent, velut lingua, & os aperire non possunt, & oculi lachrimantur, ac distorquentur,& dorsum riget, & crura contrahere non possunt, similiter neque manus, & facies rubicunda est,& valde dolet, & vbi moriturus est, & potum, & sorbitionem, & pituitã per nares reuomit. hic tertia die, aut quinta,aut septima,aut decimaquarta perit. vbi verò has effugerit, sanus euadit. hæc scripta sunt in lib. 3. de morb.pop.pag.72.num.13.quæ indicant distentionẽ morbum acutum esse,propterea quòd dies in quibus terminatur,decernant morbos acutos.sed & in lib.5. aph.6.legitur. quicunque à distentione corripiuntur in quatuor diebus pereunt: si verò has effugerint; sani euadunt. manifestum quoque fit distentionem nõ pati carnosa, nec pinguia, sed tantummodo neruos, ac nerueas partes. idcirco legitur in lib. de Frac.pag. 91.nu.35 si reponenti conuulsio accesserit,non multa salutis spes est. commodum autem est rursus ejcere os à sua sede; si hoc fieri citra molestiam possit : non enim in laxioribus, quam opportunum est,conuulsiones,ac distentiones accedunt: sed in his,quæ magis extenta sunt. sed & in l. de loc.in hom.pag.30. & n.9.maxime impetũt neruos distentiones,& alij morbi, à quibus tremor corpus occupat. distentio quoq; vt ex verbis superioribus percipi possumus,est cõuulsionis species. quæ totum corpus, vel partem incuruam reddit:& propterea velox fit iudicatio; cum natura per longum tolerare non possit laborem.

Causa verò efficiens, atque materialis sunt hæ, quas in capite de Conuulsione recitauimus. at verò has memorabimus. proditum est in l.5.apho.17. frigidum conuulsiones, distentiones, liuores, rigores febriles : nam vt exponit Gal.immodicum frigidum hæc facit ob neruorum refrigerationem, quæ vel cogit humiditatem,& extinguit calorem naturalem: vel exprimit humiditatem simul cum calore. quandoq; tamen videtur confici conuulsio à caliditate, à calido quemadmodum legitur in eodem lib.5.apho. 65.quibus tumores,inquit,in vlceribus apparent,nõ conuelluntur maxime, neque insaniunt. verum his euanescentibus derepente, quibusdam à tergo conuulsiones, & distentiones fiunt.sed in com.ait Gal.& hoc pacto exponit Hip. verba.Quibus tumores vlceribus aduenium,non admodũ conuelluntur,neq;insaniunt.hoc autem indicio est,quod aliqui in ipsis cõuelluntur,& insaniunt.sed raro hoc patiuntur, quando.s.magnitudinẽ effatu dignam vel malignitatem assumpserint.in l.autem.7.apho.13. scribit. ab æstibus fortibus conuulsio,aut distentio neruorum malũ propter neruorum siccitatem,vt exponit Galen.quæ difficillimę sunt.de Humore verò morbum hunc efficiente hæc scribuntur in l.de morb.sac.pag.58.nu.7. Quique mucus, neque saliua vlla prodit,neque in vteris pueri mundi sunt,neq;in caput vllũ vlcrs erũpit,nepurgationem fecerunt; colliquatio .s. fit à cerebro. Si porrò ad cor progressum fecerit defluxus : palpitatio

tatio apprehendit, & anhelationes, & pectora corrũpuntur. aliqui verò etiam incurui fiunt: cum. n. descenderit pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor per frigeratur sanguis. & alia ibi lege. Et nu. 18. cor conuellitur quidem, velut præcordia, & magis etiam: nam ex omni corpore venæ ad ipsum tendunt. & cõclusiones habet, vt sentiat, si quis dolor, aut collectio homini contingat: necesse est enim & dum angitur inhorrere corpus ac distendi. Qui autem distentione correpti sunt, quam salutis spem habere debeant, antea dictum est, & nunc dicetur. Legitur in lib. de Coac. præno. num 3. in distentionibus ante, & retro sientibus, & in tergum solum contingentibus, si maxillæ soluantur, lethale est. & ibidem in distentione in dorsum fiente sudare, & corpus dissolui, & in eadem affectione reuomere per nares, aut clamare, aut nugari, si ab initio vox intercepta fuit, lethale: in posteriorem enim diem mortem significat. Et in lib. 4. de mor. popu. pag. 138. nu. 25. quibus in dextris distentio submollis, phrenitici sunt; si non soluatur febre desinente. Et in lib. 6. pag. 143. sectio. 1. distentiones corporis, & articulorum durities malum. Et in lib. de Coac. præn. n. 2. distentiones ad pedes, & ad lumbos ex mensibus suppurationem inducunt: itẽq; quæ de aluo viscosa, graueolentia; cum dolore prodeunt. Est & talia distentio, de qua scribitur in li. de Chirur. off. ad rem chirurgicam pertinens. hæc fit maxime, vt scribitur in eodem lib. pag. 186. nu. 11. circa maxima, & crassissima, ac æqualia, & vbi ambo ossa læsa sunt: secundo loco vbi subiectum, minime vbi supernum. Si verò magis moderatio fiat, detrimentum affert, pueris exceptis.

Curatio autem est hæc. legitur in lib. 5. aphor. 21. est autem vbi in distentione sine vlceratione, iuuene bene carnoso, ætate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat: calor autem exoluit. & apho. 22. calidum suppuratorium rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat. Sed in lib. 3. de. morb. nu. 13. huic catapotia ex pipere, & veratro deuoranda dato: & insculum voluerium pingue calidum. inducendæ sunt etiam fortes, ac multę sternutationes, & fomenta adhibenda. cum autem fomentis non vtitur; calefactoria humida, ac pinguia vndequaque in vesicis ac vtriculis apponantur, maxime tamen ad partes dolentes, & calido oleo multo, ac sæpe illinatur. sed I. Tetanus.

De Dolore.

Dolor est propria tactus passio, impropria verò aliorum sensuum. maxime verò sentit cor: nam legitur in lib. de Mor sa. pag. 59. nu. 18. Ex omni corpore venæ ad ipsum. s. cor tendunt, & conclusiones habet, vt sentiat, si quis dolor, aut collectio homini contingat: necesse est enim & dum angitur: inhorrere corpus, ac distendi: & si quis nimio gaudio perfunda tur, idem pati. quapropter cor maxime, & præcordia sentiunt. hæc Hipp. quæ nos docent particulas nostri corporis, veluti arterias, & alias, quæ tactilia percipiunt, deferre ad cor non obiectum, sed id, quod consequitur obiectum, hoc est, voluptatem, vel dolorem. Quæ verò sint obiecta prima, quæ sit primum particula accipiens tactibilia, sic explicat in lib. de lo. in hom. pag. 33. nu. 51. Dolor & propter frigiditatem fit, & propter caliditatem, & propter valde exuperans; & propter imminutum, hoc est, dolor fit à defectu, aut à superabundantia, siue excessu tangibilis ad sensum tactus; propterea quòd, cum instrumentum tactus sit in omnibus qualitatibus temperatus; si ab excessu, veluti à caliditate immodica capiatur; dolet: itemque si à defectu, sicut à frigiditate, siue à quauis alia qualitate tactibili. Deinde subdit. In perfrigeratis quidem natura extra corpus ad cutem, propter calfaciens valde, dolor fit: in calidis verò natura, propter frigidum: & in siccis natura, si humectentur: & in humidis natura, si resiccentur: in singulis enim quorum natura permutatur, ac corrumpitur, dolores fiunt. Nec solum primæ illæ qualitates dolorem exhibent; sed secundæ, quemadmodum grauitas, & leuitas: durities, & mollities, scabrities, raritas, denfitas, acuitas, siue subtilitas, & aliæ, quæ quidem qualitates sunt in spiritibus, flatibus, humiditatibus, partibus fluuidis, & non fluuidis; intra, & extra corpus. & huiusmodi qualitates in talibus subiectis collocatæ si calidæ admodum sint, vel acutæ; subitos inferunt dolores, & pungentes: si graues; obtusum, fixũ, ac stabilem: si duræ: tensiuum. Verùm, & excessus qualitatis dolorem faciat; affirmat in lib. 2. de mor. pag. 64. n. 3. cum ait. Hic caput quidem dolet præ nimia eius calefactione. Et in lib. de humid. vsu pag. 54. n. 5. Vlcera calide gaudent ex confesso: quia tegi adsueta sunt. merito itaque ex altera grauantur. sic & ipsæ venæ; quia sunt in calido. meritò etiam ipse thorax, & ventriculus ipse à frigide superatus moleste fert, & mortem minatur. Et in l. 3. de Diæ. pag. 51. nu. 20. cum non habeat intestinum humiditatem circa excrementum, intumescens, transitus obturat, & dolorem exhibet, & calor occupat. Et nu. 10. eiusdem l. Dolet corpus aliquibus totum, aliquibus pars quædam quæcunque tandem. dolor autem est velut lassitudo: & delassati esse videntur, segnicieśque, ac repletione curantur, donec ad febrem perueniant. quòd verò spiritus dolorem exhibeat, sic videtur in l. de Fla. pag. 40. n. 18. vbi legitur. Cum violentia quadam inuicem discedunt, & finduntur carnes. fissurã subtercurrit spiritus, ac dolore affligit. Et supra nu. 17. Effusione sanguinis facta, venæ spiritu complentur, & ex eo dolor sequitur. Et in l. de morb. sac. pag. 58. nu. 8. aer exiliens per sanguinem sursum, ac deorsum conuulsionem, ac dolorem inducit: ac propterea calcitrat epilepticus. Et in l. 1. de mor. pag. 92. nu. 16. cum caro afflicta fuerit, aut conuulsa, aut percussa, & plus solito resiccata, percalescit, & dolorem exhibet. Et n. 24. eiusdem li. Cum pulmo præ caliditate traxerit de vicinis locis: percalfacit totum corpus, ac dolorem exhibet maxime dorso, ac costis. Et num. 30. eiusdem li. Frigiditatis, & febris, & dolorum principium hoc habet. Cum sanguis, qui est in venis, perfrigeratus fuerit à pituita; transmutatur, & conuellitur aceruatim alias alia parte, & tremit. tandem omnia perfrigerantur, & moritur. Et in l. 7. de morb. popul. nu. 37. conuulsio facit dolorem. Quòd autem humores dolorem efficiant, lege in lib. de loc. in hom. pag. 33. nu. 45. & ait. sanguis cum morbum facit, dolorem exhibet; pituita autem grauitatem vt plurimum. Et in eodem li. nu. 14. In articulis labor, & dolor fit; vbi à carne humiditas fluxerit vitiosa. Et in l. 2. de mor. pagin. 65. Derepente dolor occupat caput, & statim vox intercipitur, ac sui impotẽs fit. patitur hæc, cum atra bilis ipsi in capite commota fluxerit.

Et

Et nu.7.eum caries facta fuerit in osse, dolor ex osse corripit.hæc patitur is,cui in secunda lamina pituita superueniens reficcata fuerit. num.17. si venæ circa cerebrum sanguinem supereuomuerint, ac cerebrũ calefecerint;febris emergit fortis,& dolor ad tempora,& sinciput, ac posteriorem capitis partem, & nu. 18. hæc eadem repetit. & in l.4.pag.76. nu.17.si cibi in ventriculo maneat, & dum premuntur à plenitudine venæ; calor,ac dolor corpori accesserit,& n.22. Pus exitum non habens, & isthic vnà cum eo scilicet humore, qui accessit permanens, dolorem inducit,& carnem circa vlcus attollit,& nu 25.Cum homines laborarint,quibus sanè maxime sanguinis afflictio contigerit; illic firmatur,& calescit,& ex hoc dolor oboritur,& in l.de Inter.aff pag.61.n.54 Consistit dolor multo tempore in inguinibus, simul; coxendicibus,acutus,& æstuosus.fit & à bile,& à pituita:fit item a sanguine dolor consimilis veluti ab omnibus morbis. At verò ex his causis,quæ dolores efficiunt,à nobis recitatis palam quoque fit, quo modo & dolores fiant.Sed hunc præsertim inter cęteros lege, qui descriptus est in lib de Victu. in morb.acu. com.4 par.27.cuius verba sunt. Dolores cum accesserint,bilis atræ, fluxionumque acaium,destillationes fiunt;dolent morsa interna, morsæque atque admodum arefactæ venæ intenduntur, trahuntque inflãmatæ quæ influunt; quapropter corrupto sanguine, nequeuntibusque spiritus naturales pertransire meatus, infrigidationes fiunt, ob stationem, vertigines, aphoniæ,capitis grauitas, & conuulsiones, si iam ad cor,vel hepar, vel in venam peruenerint.

Prænotiones,quæ ad dolores pertinent,has recensebimus,ac primo illud animaduertendum est,quod scribitur in l.2 de morb.popu. sect.2.dolores fortissimos quo modo denouerit quis conspicatus, fuga tolerantiæ,experientiæ,timiditates iudicant.legitur in lib.2.aphor.6. quicunque dolentes parte aliqua corporis,omnino dolores non sentiunt, ijs mens ægrotat.& in lib.4 apho.33. sed si cui etiam pars quædam doluerit,priusquam ægrotet,ibi firmatur morbus,& in l.3 apho 46.si duo dolores simul eueniant, non in eodem tamen loco, vehementior alterum obscurat. & in l.4.apho.11. quibus sunt dolores intestinorum, & circa vmbilicum labores, & lumborum angor, qui non soluatur,neque à purgant medicamento, neque aliter,in hydropem siccam firmatur. Et in eodẽ l.n.18 dolores supra septum transuersum, quicunq; purgatione egent, medicamento quod per superiora purget,indigere significant:quicunque autem infra, per inferiora. Et in l.6.aph.5.dolores & in lateribus, & in pectore, & alijs partibus num valde præsent, perdiscendum est.& in eodem l.aph.7.dolores,& tumores,qui ventre fiunt,sublimes leuiores,non sublimes vehementiores.

Curatio verò dolorum hæc fit, si in splenem dolor acutus incumbat: per fungos crustas octo inurito.& vbicunque alius dolor incubuerit: vrito: sic.n. statim sanus erit, vt legitur in l.de Inter. affect.pag. 87.nu.20.sed in eodem l.n.30.in dolore hepatis acuto oui gallinacei cocti liquorem terito,& succi solani ad dimidiam heminam affundito, & aquæ mulsæ dimidiam semiheminæ partem ammisceto, diluito, ac bibenda dato, & sedabunt dolorem. alia verò ibi lege.Et in l.5. de mor.popul.pag.141.nu.23.doloribus circa lumbos, & crura, & coxam ex laboribus obortis, aquæ marinæ, & aceti calidum fomentum confert, ita vt vel aspergas, vel spongiam his imbutam adhibeas. Et in l. 5.aph. 22. calidum suppuratorium dolorem sedat. Et aph.25.plurima frigida aqua large effusa leuat, & extenuat, & soluit dolorem arti culorum sine vlcere: nam modicus torpor dolorem soluit.sed in eodem lib.5.aph.20 vlceribus frigidum mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit.

Dormire.

Quemadmodum ex natura, & in consuetudine est interdiu vigilandum,noctu dormiendum est. si contrà commutetur; peius est. minime verò offendit, si quis dormiat prima luce ad tertiam diei partem.qui verò tempore somnus est; deterior est.hæc leguntur in l.prog.com 2.par.11.verum subdit.nu.12.pessimũ alio est, si neque interdiu,neque noctu dormiat: dolor enim ac labor ab eo inditio significatur, aut delyrium. & in comm.1. eiusdem lib. par. 18. exitiosum est si hianti dormiat ore. Et hæc in morbis acutis. at verò in l.de Denti.legitur.qui scilicet pueri bene dormiunt, & habitiores sunt multum alimentum adsumunt, idque adiacet non sufficienter distributum. At leg. somnus.

Dorsum.

Dorso multæ eueniunt affectiones, dolor nempe, tabes,quæ dorsalis dicitur,conuulsio estque dorsum ruptum,ex dorso pleuritis, dorsalisque morbus. præterea ex dorso plures accipimus prænotiones. At primum de dolore agamus. legitur in li.1.de morb.pag. 61. num. 10. Qui dolorem aliquem habent vel in pectore, vel in dorso; habent ex his, quæ in corpore insunt,à bile,& pituita: ab externis verò,ab aere insito calori ammixto: sed & à laboribus, ac vulneribus. Et nu.23.loci circa dorsum ab affixo ad latus humore pituitæ,ac bilis percalescunt, & quandoque dolorem locis infrà latus exhibent. Et n.24.peripneumonia fit cum commota, ac calefacta pituita, ac bile, pulmo præ caliditate traxerit in se ipsum de vicinis locis ad ea, quæ iam sunt in ipso. & percallacit quidem totum corpus,ac dolorem exhibet, maxime autem dorso,& costis, & humeris, ac spinæ nimirum ab his in se ipsum attrahens plurimam humiditatem & superficcantur hæ partes,& nimium calescunt.dolores porrò dorsi hæc nobis prænuntiant. legitur in l.de Coac præ n.3.dolores fortes colli, ac dorsi conuulsiones efficiunt. Et infra.in dorsi,ac pectoris dolore mictio cruenta suppressa pernicioſa est doloroſe. Et infra. ex dorsi dolore ægritudinis principia difficilia sunt. De doloris verò curatione scriptum est in l.de ossium nat.pag.28.n.12.hoc modo oportet venæ sectiones in doloribus in dorso,ac coxendicibus à poplitibus facere & à malleolis forinsecus. Tabes preterea dorsalis à medulla fit.signa,ac curationem vide in l.2.de morb.pag.69.n.49.itẽ de pectore, & dorso conuulso lege.n.52. Verum.n.60. eiusdem lib.de Dorso rupto ac pectore scribuntur signa, & curationes; itidemque in l.de inter.affect.pag.85.num.9. descriptæ sunt causę,signa, ac curationes. Describitur quoque pleuritis ex dorso in lib.3.de morb.pag.63.nu.21.ibi sunt signa,& curatio.fit etiam morbus dorsalis cuius notæ,& curatio legitur in l.2.de morb. pag.69. n.54. vritur quandoque in dorso pro erysipelate pulmonis

nis curando, vt in eodem l. nu. 53. legitur. Habentur tandem ex dorso hæc prognostica. legitur in libr. 2. pror. par. 42. ex dorso horrores frequentes, celeriter translabentes, molesti. Et in l. de Coac. præ. nu. 1. ex dorso rigores molestiores sunt. Et, conuulsoriæ videntur colli, ac dorsi perfrigerationes, immo totius corporis.

Dulce.

Dulcia fiunt omnia à calore: nam scriptum est in l. de aere, aquis, & loc. pag. 36. nu. 18. Quod tenuissimum, ac leuissimum in aqua est, hoc relinquitur, ac dulcescit, dum à sole vritur, ac coquitur. fiunt autē, & alia omnia, quæ concoquuntur, semper dulcia. De dulci verò alimēto nutritur fętus in vtero: quoniam ait Hip. in l. de Na. pue. Trahit quod dulcissimum est in sanguine ad sese. sed in l. 2. de Diæ. nu. 19. dulcia, pinguia, ac oleosa replent: quia ex modica mole multum diffunduntur.

Durities.

Duræ fauces dicuntur asperę, & alui duræ. i. dura excernunt, vt apparet in l. 3. aphor. 5. durum hepar. i. duricies, quæ sclirosis, siue tumor prædurus dicitur, aut inflammatio, vt in l. 6. aph. 42. vesica dura, & dolens. i. phlegmonosa, & inflāmata, vt in com. 2. prog. par. 71. Vacillationes mentis cum voce clangosa, linguaęque conuulsiones cum tremore, & voces ipsæ obtremiscentes, mentis indicant alienationem, hoc est, vniuersis his induratis pernicioſum propter immoderatam siccitatem, quæ in cerebro facta est. hęc in l. 1. pror. par. 19. Verum in eovem l. 2. part. 44 Refrigeratio cum duricie signū malum. i. corpora frigida, & dura. Et in Coac. præn. n. 4. duricies circa ventrem cum dolore in febribus cū horrore cibos auersantibus, aluo parum ad purgationem humectata, nō suppurantur.

De Dysenteria.

Legitur in l. 3. de Dię. pag. 50. nu. 12. vbi corpore calefacto, purgatio acris fiat; tunc & intestinum raditur, & exulceratur, & sanguinolenta egeruntur. hoc autem dysenteria, à mala intestinorum affectione appellatur, morbus grauis, & periculosus. Signa scribūtur in l. de affec. pag. 81. nu. 24. & ea sunt. dysenteria cum habuerit: dolor adest per totum ventrem, & tormen, & egerit bilem, ac pituitam, & sanguinem combustum. Et subdit. morbus hic fit, vbi bilis, & pituita in venas & aluum incubuerint. ægrotat quidem sanguis, & corruptus fecedit. ægrotat autem & intestinum, & raditur, & exulceratur. fit autem hic morbus longus, & laboriosus, ac lethalis, & si quidem robusto adhuc corpore curetur; spes est fugæ. si verò colliquato iam, & ventre omnino exulcerato; nulla vitæ spes supereſt. Ex quibus verbis habemus tum causas materiales dysenteriæ, tum signa quædam indicantia, ac prognostica.

Nunc videndum est, quibus contingat. legitur in l. 5. apho. 65. quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur maximè, neque insaniunt: verum his euanescentibus, derepente, quibusdam à tergo conuulsiones, & distentiones fiunt, quibusdam autē insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi. Et in l. 2. de morb. popul. sec. 2. ex dysenteria magis laborat: quisquis sane etiam è tenesmo vexatur. Et in l. 2. prædict. & in l. 3. aphor. 30. dysenteriæ ætatem constantem agentibus accidunt. Et in eodem lib. nū. 11. dysenteriæ fiunt maxime mulieribus, & iuris natura humidioribus, si hyems sicca, & aquilonia fuerit: ver autem pluuiosum. Et, post hyemem australem, & pluuiosam mulieribus fiunt, pituita à cerebro defluente propter naturæ humiditatem. sic in lib. de aere, aquis, & loc. pag. 37. nu. 27. cæterum dysenterię viris, & mulieribus quando familiares sint, lege in eodem lib. n. 25. & 26. Et num. 11. eiusdem lib. æstate dysenteriæ multæ, ac alui profluuia incidunt in occidentalibus ab aquis lacustribus & palustrib. & nu. 4. dysenteriæ fiunt viris in ciuitatibus meridionalibus frequentes, & in l. 1. sect. 2. recitat dys. factas esse in constitutione frigida, & hu. & in sec. 3. eiusdē lib. populares commemorat dysenterias. Et in lib. de Arti. pag. 202. n. 81. expectare oportet, vt tales per tempus à dysenteria corripiantur: nam in plerisque denigrescentibus dysenteria accedit, & in sanguinis eruptionib. ex vlceribus. accedit autem iudicatis iam denigrationibus, ac sanguinis eruptione, & procedit largē, & vehenti impetu: sed non ad multos dies durat, neq; lethalis est: neque enim valde cibum auersantur tales, neque aliàs vasa vacua facere conducit. Et in l. de nat. homin. num. 13. ver est calidus, & humidus, signum est, quòd homines vere, & æstate maxime dysenterijs corripiuntur, & sanguis ex naribus fluit.

At verò quæ dysenteriam futuram significent, proditū est sic in l. de Coa. præ. nu. 4. dysenteriam, & fortassis etiam lumborum dolorem significat ægestio pituitosa acuta cum oris ventriculi dolore. & in l. 1. de mor. popul. sect. 2. ad dysenteriam ex sanguinis eruptione transitus. & in l. de Coac. præno. n. 1. in dysenteriam desinit pulsus, ac dolor in febribus secundum venam quæ in collo est. & in l. 7. aph. 72. dysenteria ab alui profluuio superuenit, sed à difficultate intestinorum, vt legitur in eodem l. aphor. 73. leuitas intestinorum superuenit, & in l. 1. de mor. n. 3. ad dysenteriam tenesmus accedit.

Quæ autem sint prognostica, quæ à dysenteria capiuntur, videndum est scriptum est in l. 4. aphor. 26. à difficultate intestinorum habito, si veluti carunculæ exeant, lethale est. & in eodem lib. nu. 24. difficultas intestinorum si ab atra bile inceperit, lethalis est, & in l. 6. de mor. popul. sect. 7. in dysenterijs longis cibi fastidia mala, tum aliàs, tum si insuper febrierint, & in lib. 6. aph. 3. in longis difficultatibus intestinorum cibi auersationes malum, & cum febre peius, & in eodem l. aph. 43. quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his superueniente longa difficultate intestinorum aqua intercus, aut leuitas intestinorum aduenit, & moriuntur, & in lib. de Coac. præ. num. 3. quibus ex dysenteria acuta humor ad purulentiam deuenit, his quod superstat, valde album, & multum erit, & in eodem lib. num. 3. dysenteriæ subrubræ, linosæ, largæ egestiones alui in flammeis, valde rubicundis coloribus solutæ: insaniæ timorem inducunt. Et ibidem. dysentericis vomitus biliosus in principio malus est. Et supra, dysenteria intempestiuè suppressa abscessum in costis, aut visceribus, aut in articulis facit. ac postea dysenteria non longa splenicis commoda est, longa verò mala: desinente enim si hydropes, aut intestinorum leuitates fiūt, lethale est, & in l. 6. aphoris. 48. lienosis dysenteria si successerit, bonum. Et in 7. aphor. 5. à furore difficultas intestinorum,

stinorum,vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio bonum. Et in l.2.præd.pag.174.& nu.30.dysenteriæ si quidem cum febre inuaserint, aut varijs alui egestionibus, aut cum hepatis inflammatione, aut præcordij,aut ventris: aut quæ dolorosæ fuerint,aut cibos interficiunt,sitimque inducunt,hæ omnes malæ sunt. Et qui sanè plurima horum malorum habuerit, citissime peribit: cui verò pauciſſima talium affuerint,huic plurimæ spes sunt, moriuntur autē ex hoc morbo maxime pueri. quinquennes, & seniores adhuc,decenes reliquæ verò ætates minus. at quæ dysenteriæ cōmodæ sunt,hæ mala hæc non inducunt. verùm sanguine,& ramentis egestis,desiuerunt septima die,aut decimaquarta,aut vigesima, aut quadragesima,aut intra hæc tempora:huiusmodi.n.egestiones etiam eos,qui prius sunt in corporibus, morbos sanant,antiquiores quidem diutiore tempore,recentiores autem in paucis diebus submouere possunt: nam & quæ vterum gestant,etiam ipsæ euadunt superstites magis ad partum,& ex partu, & fœtus conseruant sanguine,& ramentis egestis,etiam per multos menses; nisi dolor ipsis affuerit, aut aliud quoddam malum signum ex his,quę in dysenterijs scripsi, accesserit.si verò aliquod illorum apparuerit;& fœtui perniciem significat, & prægnanti periculum,si non post fœtus effugium, & secundæ exolutionem, ipsa dysenteria eadem die,aut post modicum tempus desinat.sed in eodem lib.nu.15.sanant podagras optime dysenteriæ,si succesſerint.

Narrat porro. Hip.in l.4.de morb.popul.num.21. mulieri menses septem annis non prodierunt, facta est dysenterica,& non tenesmo tenta. Et in l.7.n.49. Epicharmi vxori ante partum dysenteria, dolor,alui egestiones subcruentæ,mucosę.vbi peperisset;statim sana erat.& nu.3.eiusdem lib. Eratolai filius circa æquinoctium autumnale dysentericus fiebat,& febris tenebat, egestiones alui biliosæ, tenues,multæ, & moderatè subcruentæ. dolor ventris vehemens, vbi serum,& lac bibisset, silice candefacta immissa; dolores, & subcruentæ egestiones moderatiores fiebant,sed biliosæ comitabantur:& sæpe ad exonerandum aluum surgebat, sed minore dolore cætera ibi lege. Et in l.5 de morb.popu.nu.15.dysenteria arripiebat ipsum,quam vbi effugisset; omnia edebat donec totus intumuit, & erupit ipsi pus deorsum, & ventris profluuio mortuus est.

Sed curationem aggrediamur. scribitur in l.de affect.pag.81.nu.24.huius vbi purgaueris caput;pharmaco in potu exhibito, quod sursum pituitam purgat, & aluum lacte cocto elueris, reliquum corpus curato,& si febre caruerit; pinguibus,& dulcibus,ac liquidis semper ea,quæ insunt,ex aluo subducito, & multa calida partes sub vmbilico lauato;si dolor affuerit. potus autem sorbitiones, ac cibos exhibeto, veluti scriptum est in medicamentario lib. Et nu.26. eiusdem lib.dysenteria,& lienteria,ac diarrhæa siue profluuium ventris consimiles sunt. & oportet ipsos sic sanare, vt defluxum à capite, & superiore ventre intercipias,aut auertas: morbi enim natura hinc est. aliam verò curationem lege in lib.3.de Diæ.pag.50. nu.12.verum in l.2.de mor.mul.pag.122.nu.7.ad dysenteriam curandam plura scribuntur. sed illud notandum est, quod scribitur in lib. de vict. ratione in morb. acut. pag.158. nume. 54. dysenteria sedata abscessum, aut tumorem aliquem faciet, si non ad febres, aut sudores, & vrinas crassas, & albas, & valde perspicuas, aut ad tertianam, aut ad varicem aut ad testem, aut ad crura, aut ad coxam dolor decubuerit.

Dysuria.i.vrinæ difficultas.l.Vrina.

COMMENTARIVS V.
IOAN. MARINELLI
IN LIBROS HIP.

EBRIVS.

LEGITVR in lib. prædict.nu.8. si homo ebrius factus fuerit;sudabit magis,quàm antea, & difficulter spirabit, & ipse se ipso grauior erit,ac humidior:sed & lætior erit: si non caput ipsi affligatur.hęc sunt signa ebrietatis. Et in l.3.de mor.nu.8.si ex ebrietate capitis dolor acutus statim vocem interceperit, ita affectus septima die moritur. minus tamen ex ebrietate, quàm alias: nam si eadem die, aut postera, aut e tertia vocem edat: sani euadunt curationem verò ibi lege.& in l.2.de mor.nu.22.sic legitur. si quis ex ebrietate voce priuetur, & statim sane ipsum etiam febris corripiat:sanus fit:si verò nō corripiat:tertia die moritur, si itaque in ita affectum incideris, ibi lege quo pacto is curādus sit.sic legitur in l.5.apho.5.si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ,vocem recuperet.sic in lib.3. pror.par.29.inquirit à quonam sit orta conuulsio temulento, cui ossis temporalis traiectio facta fuerit, & sanguinis eruptio. at verò inebriari semel,atq; iterum confert his, qui horrent ex gymnasijs,& cum se exuunt,donec decertent,vt legitur in l.3.de Diæ. pag.51.num.21.

Edulia.

Edulia plus de sicca parte in se habentia siccant, & calfaciunt. quæ verò humidæ partis plus habent, ea omnia calfacientia humectant, & aluum magis mouent. & horum recentia maiorem quàm alia fortitudinē habent. at cruda alunt, & ructus cient:propterea quod quæ ignem coquere oportebat, ea venter transigit debilior,quàm quæ ingesta sunt existēs.

dulcia,

duſcia & acria, & ſalſa, & amara, & auſtera, & carnoſa caſacere ſolent: item quæ ſicca ſunt, & quæ humida. hæc in l. 2. de Diæ. n. 17. 18. 19. at ſi plura cupis lege Cibum.

Efœminatio. i. mollicies carnis legitur in l. 5. aph. 56. & efœminantur hominibus carnes cruris. in l. de arti. nu. 58 Et excarne, & emuſculatum, ac efœminatum, & tenuius fit totum crus. 57.

Egeſtiones.

Legitur in l. de Coac. præ. pag. 182. col. 1. alui egeſtio optima eſt mollis, cohærens, ac compacta, ſubfulua, non valde graueolens, prodiens hora conſueta, copia pro ratione ciborum ingeſtorum. ſpiſſa autem fiat ad iudicationem. commodum eſt & lumbricos rotundos exire ſimul vbi ad iudicationem tendit. in acutis ſpumoſa, circumbilioſa alui egeſtio, mala item valde alba. adhuc verò peior eſt, quæ farinæ ac ſterquilinij ſpeciem refert. ſopor in his malus eſt, & cruenta egeſtio. & vaſorum vacuatio præter rationem. alui interceptio. parua, nigra, velut caprarum ſtercora ad neceſſitatem coacta emittens, naſus in his erumpens, malum. viſcoſa meraca, aut alba alui egeſtio mala eſt. mala eſt abunde multum fermentata ſubpituitoſa. praua item ex compactis quibuſdã innatantibus, ſubſidentia ſubluida, purulenta, cum bilioſa, ſanguinem ſplendidum egerere, malum eſt, tum aliàs, tum ſi quis dolor affuerit. ſpumoſa, circum bilioſa alui egeſtio, mala eſt, ſed & morbum regium ex talibus incurrunt. in bilioſis alui egeſtionibus ſpumoſa florulentia, mala eſt, maxime ei, cui lumbi doluerint, & mente motus fuerit. num autem his dolores? tenuis ſpumoſa alui egeſtio, aquoſam cum viro re pallidam habens ſubſidentiam, mala eſt. mala etiã purulenta, & nigra cruenta mala, cum febre, & aliàs. & varia, abunde bile colorata egeſtio, mala eſt tantoque deterior quanto colore magis horrenda eſt, præterquam in medicamentorum vſu. in hoc enim periculo vacat, ſi non copia excedat. & tenuis, mollis egeſtio, in febre mala eſt. mala quoque ſicca, friabilis, decolor, tum aliàs, tum ſi aluus humectet. nigris verò antea egreſſis occidit. liquida alui egeſtio, & aceruatim, & paulatim fiens, mala eſt altera enim vigilias, altera exolutionem facere poterit. liquida ſubtenuis alui egeſtio perfugeſcens, non ſine febre, mala eſt. rigores in his veſicam, & ventrem corripiunt. aquoſa verò valde non deſinens in acutis, mala: & magis ſi etiam ſitim non habuerit. valde rubicũda egeſtio in alui profluuio mala eſt. mala quoque valde cum virore pallida, aut alba, aut ſpumoſa, aut aquoſa, & parua, & viſcoſa, & leuis, & cũ virore ſubpallida, mala eſt, & ſoporoſis torpefactis liquida egeſtio, peſſima eſt. lethale autem & aluum ſanguine manare, multa grumoſa egeſtione, itemque alba, ac liquida cum ventre in tumorem eleuato, egeſtio alui nigra velut ſanguis, & cum febre, & ſine febre mala eſt. malæ item omnes variæ, abundæ, ex bile coloratæ. egeſtiones deſinentes in ſpumoſas meracas, omnes quidem exacerbant, conuulſos autem etiam valde. ex talibus abſceſſus iuxta aurem emergunt. at quæ valde liquidæ fiunt, & rurſus compactæ, meracæ egeſtiones longitudinem morbi ſignificant. valde rubicunda in febre delyrium. alba ſtercoracea morbo regio difficilis eſt. itemque liquida, quæ ſæpe ſita ruborem capit. in ſanguinis eruptionibus viſcoſa egeſtio nigris variegata, maligna eſt, maxime autem valde albidis. valde alba egeſtio in febre, non bene iudicat. aluus turbulenta paruis frequentibus ad egerendum progreſſibus, maxillas intendit, ſoluit etiam rubores in facie fientes. ſtercoracea cum contentione egeſtio alui afflictionem ſignificat. pituitoſa verò acute cum oris ventriculi dolore, dyſenteriam: fortaſſis autem, & lumborum dolorem. talibus alui circumtenſio ad neceſſitatem liquida demittens, citius reſtitans, habet quid conuulſorium, inſuper rigere his pernicioſum eſt. quibus nigra per aluum prodeunt, frigidum ſudorem excludunt. quibus aluus ab initio turbatur, vrinæ verò paucæ ſunt, & progreſſu temporis aluus quidem ſiccatur, vrina verò tenuis redundat. his abſceſſus ad articulos fiũt. progreſſus ad egerendum paulatim fientes, horrores, ac rigorem inducunt. & quibus longa fit egeſtio difficillimum eſt quartanis incipientibus. frequẽtes ad egerendum progreſſus paulatim fientes, pauca ſtercoracea ſubuiſcoſa habentes cum præcordij, & lateris dolore, morbum regium denotant. num his ſuppreſſis hi cum virore pallidi fiunt? arbitror autem, & hoc ſanguinem effundere. at dolores in lumbis, in his ſanguinem fundentibus, & ſanguinem egerunt ſplendidum. Cum ſopore, & capitis dolore, cale ſcere inſuper, pernicioſum eſt. viſcoſæ, bilioſæ, magis abſceſſum iuxta aurem faciunt quicunque tumores aluo humecta eleuantur, cum doloribus malum. aluo verò ſuppreſſa, & nulla alia re nouata cito rumpuntur, & malignus eſt. vomitiones in his malæ ac ferinæ. quibus & flammeis & valde rubicundis ſolutis graueolens, larga ſubrubra fit, hi ne inſaniant timor eſti corpus ſquallidum aluum male affectam ſignificat in his. valde rubicundæ, inſtar purulentæ, carunculæ, egeſtiones maxime prodeunt, ad aluum bilioſam mollem ſtercoracea egerẽtem, ardores comparentes, tumorem iuxta aurem faciunt, bilioſas egeſtiones ſurditas ſedat. & ſurditatem ſedat bilioſa alui egeſtio. puſtulæ ſerpiginoſæ ſupra inguina, ad laterum mollitudinem, & pubem fientes, aluum male affectam ſignificant. exolutio dolorem ſoluens aluum maxime humectat. iuxta ſedem doloroſæ ſuppurationes aluum turbant. lethales egeſtiones ſunt, pinguis, nigra, liuida cum graueolentia, & bilioſa habẽs in ſe ſimile quiddam ciceri, aut fabis freſis, aut veluti floridos ſanguinis grumos, & quæ odore ſimilis eſt egeſtioni infantium, & varia eademque diuturna, talis autem fuerit cruenta, tamentoſa, bilioſa, nigra, praſſina, & ſimul, & permutatis vicibus. lethalis quoque omnis eſt quæ ſenſum ægri fugiens exit. qui potum difficulter de glutiunt ſpiritu tuſſiente, eructatio ſubtracta intro reuoluta dolorem ventris ſignificat. malæ ſunt etiam egeſtiones valde rubræ, æruginoſæ in quartanis. & tales ſanguinis fluxiones ſoporoſę ſunt ex his cõuulſione moriuntur, nigris antea egreſſis. exolutiones alui repentinæ præter rationẽ, in diuturnitate temporis cõſumptis, vna cum vocis tremula interceptione, pernicioſe habent. tenues nigrorũ egeſtiones horrificæ meliores talibus ſunt. tales proſunt maxime in ętate ante vigorẽ, prurigino ſæ affectiones oĩbus nigrorũ egeſtionẽ ſignificant, & vomitũ grumoſum, & tremulę affectiones cũ morſu ac capitis dolore nigras egeſtiones ſignificãt. ante tales, vomitur prodit, & vbi vomuerũt, multę tales in-

ſuper

ſuper detrahuntur.quibus in alui turbatione exacerbatur morbus, citra iudicationē nigra inferne prodeunt. ex aluo diutine affecta, vomentibus, bilioſis, cibū faſtidientibus, ſudor multus cū impotentia repentina occidit. in medicamentorū vſu,in defluxione,tenuis abunde ſanguis eliqueſcens,malum eſt.duricies circa ventrem cum dolore,in febribus cum horrore cibos auerſantibus,aluo parum ad purgationem humectata, non ſuppurantur, vna cum febre aluus turbata ſalſuginoſo modo, ſoporoſos, torpidos non valde comitatur. ex aluo liquida laſſatos, caput dolentes, ſiticuloſos, vigilantes, valde rubicunda egeſtione ſolutos, timor eſt ad inſaniam deuenturos eſſe, ſi difficulter ſpirauerint. ad hoc vbi quis cum virore palleſcit, bene ſpirare noxium non eſt aluo inſuper probe egerente. aduſtæ egeſtiones contentionem habentes, aluum male affectum ſignificant. bilioſis aluus turbata, parua frequenter egerens, diſtendentia cum paucis mucoſis, dolorem circa tenue inteſtinum hæc faciunt, & vrinam non facile prodeuntem, ex talibus ad hydropem deſinunt. linguæ tremulæ quibuſdam alui eruptionis futuræ ſignum ſunt. quibus ardor fit, & ad egreſſas egeſtiones alui, inſuper exudant, his febris exacerbatur. ex aluis liquidis perfrigeratio cum ſudore mala. Ex aluis liquidis ſanguis de gingiuis defluens lethalis eſt.alui egeſtio pura ſuperueniens ſoluit febrem acutam cum ſudore. At de egeſtionibus, quæ in pluribus libris narrantur,hæc dicta ſufficiant collecta,& in lib.de Coac. præno. citato de ſcripta.

Elaterium.

Scribitur in l.3.de mor.pag.72.num.11.poſtquam remiſerit morbus ſcilicet angina,& iam cibos guſtarit;elaterio recenti purgato: ne in aliud malum incidat. & in l.de Inter. Aff. nu.40. in morbo regio quodam,fomento adhibito,elaterium dat. Et in l.2. ſect. 6. à ventris turbatione, aut à tuſſi ſi cancer fiat; os amareſcit. dato autem elaterium bibendum bis, aut ter,ſi non balbus fuerit.

Elementum.

Elementorum ſecretio quo pacto fiat ab Hip. lege in l. de Car. pag.18. nu.1. & quo modo ex alimentis turbatis,& permixtis ſingulæ corporis partes ſint creatæ, & primo de ſimilarium generatione,& temperamento.

Eluſcentiæ.i. Epilepſia.l. Epilepſia.

Engaſtrimyſthi, quaſi ex ventre loquentes l. in l.5.de mor.pop.nu.24.

Epiglottidis, quæ hederæ folio aſſimilatur, officium in l.de Cor.pag.25.nu.2.

De Epilepſia.

Epilepſia latine appellatur morbus comitialis, & morbus ſacer. eſt conuulſio omnium corporis partium non perpetua, ſed quæ ex temporum accidit interuallis, cum mentis ac ſenſuum oblæſione. Cauſam huius morbi recenſet Hipp. in l. de mor.ſac. pag. 58. nume.7. & inquit. Qui pueri mundi ſunt, & neque vlcus vllum in caput erupit, neque mucus, neque ſaliua vlla prodit, neque in vteris purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, ſi pituitoſi ſint, vt ab Epilepſia corripiantur. defluit autem pituita à cerebro, quę ſi à vijs excluſa fuerit, quas diximus, & in venas defluxum fecerit, mutus fit, & ſuffocatur, & ſpuma ex ore effluit, & dentes conſtringuntur,& manus conuelluntur, & oculi diſtorquentur, & nihil ſapiunt. aliquibus etiam ſtercus inferne ſecedit. mutus eſt, cum pituita derepente in venas delapſa aerem excluſerit, & non admiſerit, neq; in cerebrū, neq; in venas cauas,neq; in vētriculos,ſed occuparit reſpirationē. Et ſubdit.quare vbi fuerit excluſus a venis aer prę pituita eumque non ſuſceperint; mutum,ac deſipientem hominem reddunt: nam qui ad venas, peruenit aer, confert ad ventriculos ingreſſus, & ad cerebrum, atque ſic ſapientiam, & motum membris exhibet. at vero manus impotentes fiunt, ac cōuelluntur,ſanguine quieſcente, & dum non diffunditur, velut ſolebat. oculi quoque diſtorquentur aere à venis excluſo, & commouentur. ſpuma verò ex ore prodit ex pulmone: cum enim ſpiritus non ingrediatur in ipſum,ſpumeſcit, & ebullit velut moriens. ſtercus verò ſubdit;dū violēter ſuffocatur. ſuffocatur aūt hepate, & ventre ſurſū ad ſeptū tranſuerſū irruētibus,& ſtomacho vētris concluſo. irruunt autem cum tantum ſpiritus in os non ingreditur, quantum ſolebat.calcitrat autem pedibus: cum aer in membris concluſus fuerit, & foras penetrare non poterit præ pituita: verum exiliēs per ſanguinem ſurſum, ac deorſum, conuulſionem, ac dolorem inducit, & propterea ſane calcitrat.porro omnia hæc perpetitur:cum pituita frigida defluxerit in ſanguinem calidum exiſtentem: perfrigerat enim & ſiſtit ſanguinem. & ſi quidem fluxus multus fuerit, aut craſſus: ſtatim occidit: dominatur enim ſanguini per frigus,ipſumque congelat. ſi verò paucior fuerit; in præſens quidem dominatur, ob turans reſpirationem,deinde temporis progreſſus,cum diſperſus fuerit per venas,& ammixtus ſanguini multo exiſtenti,ac calido,ſi ſic ſuperatus fuerit: venæ aerem ſuſcipiunt, atque ita ægri reſipiſcunt. hæc in libro de morbor.ſac.numero 7. & 8. & idcirco apparet cerebrum in cauſa eſſe huiuſce morbi. verum in libro de Flati. pag. 40. numero 21. & 22. de cauſa Epilepſiæ, de modo, deque ſymptomatibus ſic loquitur. dico, & ſacrum morbum tum fieri cum plurimus ſpiritus per omne corpus vniuerſo ſanguini fuerit permixtus: tum enim multæ oppilationes ſunt multifariam per omnes venas. cumque in craſſiores, & pleniores ſanguine venas aer prodierit, progreſſuſque diutius maneat: prohibet ſanguinis curſum, atque alio quidem loco conſiſtit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius. qua ſanè inęqualiter tranſitus ſanguinis per corpus facta, omnigenæ inæqualitates per omne corpus contingunt: omne.n. corpus vndiquaque contrahitur, ac turbatur, nimirum corpore partes ſuas ad tumultum, ac conturbationem ſanguinis adminiſtrante: contingunturque ex ſanguinis peruerſione, totius omnino corporis ſubuerſiones. eo enim quo corripiuntur à morbo, tempore,neque ſentiunt quicquam,neq;audiunt,quæ dicuntur,neq; vident, quæ fiunt,neq; vllos aliquos dolores percipiūt ſic namq; aer conturbatus ſanguinem turbauit,& cō ſpurcauit.ſpumaq; etiam per os illis excurrit,neq;id ab re eſt: nam per iugulares venas aer tranſiens penetrat quidem ipſe, adducit autem ſimul ſecum, quod tenuiſſimū eſt in ſanguine. idipſum cum humidum ſit; multa permixtione albeſcit: tenues.n.membra-

nas purus permeans aer pellucet. quapropter & albæ ſpumæ omnes apparent. in l. verò 2. prædic. pag. 172. num. 11. Declarat epilepſiam fieri quandoque à natiuitate, & ait. qui hos morbos congenitos habet, his ægre ab ipſis liberari poteſt. ſic & in lib. de morb. pop. num. 5. De modo autem, ac de cauſa, ſcribitur quoque in lib. de Vict. ratione com. 4. part. 27. hoc modo. cum dolores acceſſerint, bilis atræ, fluxionumque acrium deſtillationes fiunt: dolent morſa interna, morſæque atque ad modum arefactæ venæ intenduntur, trahuntque inflammatæ quæ influunt: quapropter corrupto ſanguine nequeuntibus ſpiritibus naturales pertranſire meatus, infrigidationes fiunt ob ſtationem, vertigines, aphoniæ, capitis grauitas, & conuulſiones ſi iam ad cor, vel hepar, vel in venam peruenerint. hinc epilepſiæ, & paraplexiæ, ſi continentes locos fluxiones inuaſerint, atque ſpiritibus exire nequeuntibus exaruerint. Cauſis autem epilepſiæ enarratis addamus illam, quæ ſcripta eſt in lib. de morb. pop. num. 26. & ea eſt. Anecheti filio hæc contigerunt. hyeme in balneo dum vngeretur ad ignem, calefactus eſt, & ſtatim in conuulſiones comitiales incidit. quid poſtea factum ſit ibi l. hæ igitur ſunt cauſæ. & quot ipſæ ſint, tot epilepſiæ ſpecies deſcribere poſſumus.

Cauſas verò adiuuant anni tempora, conſtitutiones, ætates, complexiones, & alia. anni tempora eo adiuuant; propterea quòd legitur in libr. 3. aphoriſ. 20. verè furores, & atræ biles, & morbi comitiales. Et aphoriſ. 22. autumno, & plurimi æſtiui morbi fiunt, morbi comitiales, furores, atræ biles. Et in lib. de morb. ſac. num. 12. ſenibus hyems infeſtiſſima eſt. & ſubdit. idem hoc patitur ac ſic à morbo ſacro apprehenditur. periculum multum eſt, vt & verè patiantur idem hoc, ſi caput fuerit inſolatum: minime autem æſtate: non enim fiunt repentinæ mutationes. Et nume. 15. cæterùm immutationes ventorum propterea morbo ſacro corripi cenſeo, maxime quidem auſtrinis, poſtea verò aquilonaribus, deinde etiam reliquis ventis: hi autem ſunt, qui fortiſſimi ex ipſis exiſtunt, & inter ſe tum ſtatione, tum viribus contrarijſſimi. Et in lib. 3. aphoriſ. 16. in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, & attoniti. In ætatibus verò fit quandoque epilepſia quemadmodum ſenibus, de quibus antea dictum eſt. ſed in lib. 3. aphoriſ. 29. iuuenibus ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis. verùm in lib. de morb. ſacr. num. 13. ait. poſtquàm viginti anni præterierint; non amplius hic morbus corripit; præterquàm paucos, aut nullum, niſi ex puero connutritus fuerit: venæ enim plenæ ſunt, & cerebrum compactum eſt, & adſtrictum. quare non defluit in venas. ſi verò defluxerit; ſanguinem non ſuperat multum, ac calidum exiſtentem. in quo verò à puero augmentum cepit, ac connutritus eſt, in eo per conſuetudinem facit, vt in mutationibus ventorum patiatur, & vt plurimo morbo ſacro corripiatur, præcipuè auſtrali, ac humida aeris conſtitutione. & liberatio difficulter contingit: cerebrum enim humidius quàm ex natura fit, & præ pituita inundat, vt defluxiones quidem frequentiores fiant, non autem amplius poſſibile ſit pituitam excerni, neque cerebrum reſiccari, ſed perrigatur, & humidum exiſtit. Et ſubdit. cum ætatem adeptus fuerit morbus; non amplius curabilis eſt: cerebrum. n. eroditur à pituita, ac colliquatur. id verò quod colliquatur aqua fit, & foris cerebrũ ambit, & circumalluit: & propterea frequentius, & facilius à morbo hoc corripiuntur. propterea verò diuturnus eſt morbus; quia id, quod influit venis, tenue eſt præ multitudine, & ſtatim ſuperatur à ſanguine, ac caleſcit. Quę verò cõplexiones inclinationẽ habeant, ad hunc morbũ, dicitur in l. de mor. ſac. n. 7. hoc eſt. morbus ipſe fit in pituitoſis, in biliоſis verò non. incipit aũt fieri in fętu adhuc in vtero exiſtente: putrefatur. n. & floreſcit cerebrũ, veluti ẽt alię partes priusquã gignantur. & in l. 6. de mor. pop. ſec. 7. pag. 146. atrabiliarij comitiali morbo corripi plerunque ſolent, & viciſſim comitiales fieri ſolent atrabiliarij. & in l. 2. prędi. pag. 172. nu. 16. hæc mirum in modum deſcripta de morbo comitiali legas velim. ex his, qui à ſacro morbo corripiantur, difficillime quidem liberatur hi, quibus à puero contingit morbus, & ſimul ad virilem ætatem peruenit: deinde hi, quibus corpore in vigore ætatis conſtituto factus eſt, & fuerit à viginti quinque annis vſque ad annum quadrageſimũ quintum. poſt hos autem, quibus factus fuerit morbus, nullam ſignificationem prębens, ex qua corporis parte initium ſumat. at quibus ex capite initium capere videtur, aut a latere, aut à manu, aut pede facilius curatur. verum differunt etiam hæc morbi generat: qui enim à capite initium ſumunt, ex his grauiſſimi ſunt: deinde qui à latere. qui verò à manibus, ac pedibus maxime ſanari poſſunt. cæterum horum curam aggredi oportet medicum, qui medendi modum nouit; ſi homines fuerint iuuenes, & laboris amantes, mens mali aliquid habuerit, aut quis ſtupore attonito ſideratus fuerit: nam hæ atrabiliariæ mentis emotiones non ſunt conducibiles. alij verò, qui ad infernas partes conueniuntur abſceſſus, boni ſunt. longe verò optimi, & hic ſunt, qui ſunt ſanguinolentiſſimi. quicunque verò ſenes apprehendi incipiunt, maxime moriuntur. & ſi non pereant: ſtatim, celerrimeque per ſe liberantur. à medicis autem, minimè opem ferunt. at quibus pueris oculi repente diſtorti fuerunt, aut maius quoddam malum perpeſſi ſunt, aut tubercula ſub ceruicem oborta ſunt, aut vocem graciliorem adepti ſunt, aut tubes ſiccæ diuturnæ adhærent, aut maioribus factis dolor procedit ad ventrem, & non exturbatur, aut in lateribus diſtortiones habent, aut venas craſſas circa ventrem varicoſas, aut omentum deſcendit, aut teſtis magnus factus eſt, aut manus tenuis, & impotens, aut pedes, aut tibia tota clauda facta eſt, citra aliam cauſam; his omnibus morbum antea factum fuiſſe, ſcire oportet, præ his vniuerſis. & plurimi, qui pueros educunt, ſi interrogentur, confitebuntur: quoſdam verò etiam res latet, negantque ſe ſcire, quicquam tale factum eſſe. Et in l. de morbor. ſac. numero 9. quicunque pueri parui hoc morbo corripiuntur, vt plurimi, moriuntur; ſi multus fluxus contingat, & humidus exiſtat: venæ. enim tenues exiſtentes pituitam præ craſſitudine, ac multitudine ſuſcipere non poſſunt: ſed perfrigeratur, & congelatur ſanguis, & ſic moriuntur. ſi verò modica exiſtens

ſtēs pituita in vtraſque venas defluxū fecerit, aut in alterius partis; ſuperuiuunt, nota ex morbo impreſſa, relicta: aut enim os conuellitur, aut oculus, aut ceruix, aut manus, vbicunque ſanè vena pituita repleta ſuperata fuerit, & gracilis reddita. hanc itaque venam neceſſe eſt debiliorem eſſe, & hanc corporis partem læſam defectuoſiorem. verùm ad longius tempus plerunque prodeſt, non enim amplus morbo apprehenditur, ſi ſemel notam impreſſam ſuſceperit. quapropter neceſſario etiam reliquæ venæ affligantur, ac partim ſimul gracileſcunt, vt aerem quidem ſuſcipiant, pituitæ autem defluxus non amplius ſimiliter illabatur. debiliora tamen ſimiliter membra eſſe veriſimile eſt, venis afflictis. quibuſcunque autem imperfectis, & valde modica pituita defluxerit, & ea in dextras partes; hi citra notæ impreſſionem ſuperuiuunt: verùm periculum eſt ne morbus connutriatur, ac ſimul augeſcat, ſi non his quæ commoda ſunt: curetur. ſeniores autem non occidit, neque diſtorquet: nam venæ ſunt cauæ, & ſanguine calido refertæ. vnde pituita ſuperatur. at antiquiſſimos occidit, aut leuiter ſideratos facit; quia venæ ſunt euacuatæ, & ſanguis modicus, ac tenuis, & aquoſus. cætera ibi lege, in 3. autem pror. part. 39. Qui ſtatis certisque temporibus ſanguinem profundunt, ſiticuloſi hi difficiles, & exoluti ſi non profuderint; epileptici moriuntur. Et in lib. de Coac. præno. nume. 4. comitiali morbo laborantibus vrinæ tenues & crudæ præter morem, ſine repletione morbi inuaſionem ſignificant, tum aliàs, tum ſi quis dolor, aut conuulſio in ſummum humerum, aut collum, aut dorſum incidat, aut torpor corporis fiat, aut turbulentum inſomnium viderit. Et num. 3. comitialis morbi affectiones hydropicis accedentes pernitioſæ ſunt, & inter ſe ſigna praua ſunt, & aluos humectant. Qui verò liberentur, de his mentionem facit Hipp. in lib. 6. de morb. popul. ſect. 3. part. 4. cuius verba ſunt eluceſcentiæ, id eſt, vt exponit Galen. epilepſiæ infantium vnà cum pubertate quandoque habent mutationes, & aliàs, & in renem dolor grauis cum cibo repletur. Et in lib. de Flatib. nume. 23. liberantur aliquando huic morbo obnoxij, maxime accedente hyeme. quo modo autem id fiat dicam. & tu ibi l. Et in lib. 5. aphoriſ. 7. quibuſcunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibuſcunque autem vigeſimoquinto anno, commoriuntur. Et in lib. 2. aphor. 45. quicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberantur. at verò hic aphoriſ. prænuntiat quid futurum ſit, & curationem docet, de qua cum pauca commemoret Hip. & nos quoque pauca dicemus. legitur in lib. de Victus ratione in morb. acu. com. 4. part. 28. talibus ſanè prius adhibitis fomentis venam confeſtim ab initio ſecare oportet, cum nondum fixa ſint omnia quę contriſtant tum ſpiritus, tum fluxiones facilius etenim remedijs patent. & hæc de epilepſia dicta ſint, & ſi quæ deſiderentur ad hanc partem neceſſaria, leg. lib. de mor. ſac.

Equus, & equitatio.

Equinæ carnes aſininis ſunt, leuiores vt legitur in l. 2. de Dię. n. 9. at verò quo modo equitatio continua ſcythis ſterilitatem inducat lege in l. de ae. aq. & loc. n. 52. & ibidem. n. 50. ab equitatione dolores articulorum diuturni. Et in lib. de morb. popul. ſect. 7. qui equitauerunt, aut amplius iter fecerunt, aut alios labores cruribus perfecerunt: his ad lumbos, aut crura impotentiæ reſolutoriæ obortæ ſunt, & ad femora, ac tibias laſſitudo, ac dolor. verùm ſi vis, de quodam ex equo lapſo lege in libro quarto de morb. popul. num. 10.

Erectio.

Erectum ſedere velle malum eſt in acutis, peſſimum autem peripneumonicis, ac pleuriticis. ſic ſcribitur in l. prog. com. 1. & in Coac. præ. nu. 3. & erectæ ceruicis ſpiratio quibus puellis vterum geſtantibus contingit, his mammæ ſuppurantur, & menſes apparere in principio malum eſt, vt ſcriptum eſt in Coac. prænot. numer. 3. vbi quoque ſic legitur. erectæ ceruicis ſpirationes facit hydrops. erecte titubant, obambulans multo tempore l. in libro tertio, de morb. popul. ſect. 3.

Erinaceus.

Erinaceorum oua, & locuſtarum humor, & muſculi, & vrſæ, ac cancri, magis quidem fluuiatiles, ſed & marini aluum mouent, & vrinam cient, vt legitur in lib. 2. de diæ. num. 11. Et ibidem nu 9. Erinaceorum terreſtrium carnes humidiores ſunt, ac vrinam cient.

Eruca, & Eruum.

Eruca eaſdem habet facultates, quas ſinapis, vt legitur in l. 2. de Diæ. nu. 14. Eruum verò aluum ſiſtit, & robuſtum eſt, & craſſefacit, & explet, & boni coloris hominem facit, vt eodem lib. nu. 8 legitur. Sed in lib. 2. de morb. popul. ſect. 4 His qui eruo veſcuntur, genua dolent.

Eructuatio oculorum fluxiones conducit, vt l. in lib. 6. de morb. popul. ſect. 2. & poſt cibos, & potus à ſpiritu; vt in lib. de Flatibus, num. 10. ſcriptum eſt, ſed L. ructus.

De Eryſipelate.

Eryſipelas ignis ſacer dicitur, cuius cauſas, & modum, quo fiat, narrabimus. Eryſipelas in pulmone fit, vbi pulmo fuerit nimium reſiccatus, id quod contingit ab ardore, & à febribus, & à labore, ac intemperie, & hæ ſunt cauſæ. modus verò ſequitur, & cum ſupereſiccatus fuerit: plurimum ſanguinis in ſe ipſum trahit, maxime quidem, & plurimum ex magnis venis: hæ enim ipſi viciniſſimæ ſunt, ac ipſi incumbunt. trahit etiam ex alijs venis, & tenuiſſimum, ac debiliſſimum trahit, poſtqua autem traxit: febris fit acuta. Fit eryſipelas in facie, de quo ſcribitur hoc prognoſticum in lib. de Coac. præno. n. 2 eryſipelatis quidem ſignum in facie futuri ſunt rubores circa aurem ex prægreſſo dolore in febribus fientes. Eryſipelatis autem in vtero ſigna, & curationem lege in libro de Natur. mul. num. 12. & in lib. 2. de morb. mul. numer. 58. prognoſtica verò talia ſunt. legitur in libro 5. aphoriſ. 43. ſi mulieris grauidę in vtero ſit eryſipelas lethale, & in libro ſeptimo, aphor. 19. in oſſis exutione eryſipelas, ſcilicet malum, & aphoriſ. 20. ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, ſcilicet malum. Et in lib. 6. aphoriſ. 25. eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora non eſt bonum. ab interioribus autem ad exteriora bonum. curationem autem habes ſuis in locis. ſed ſcriptum eſt in lib. 5. apho. 23.

eryſipelas non vlceratum iuuat frigidum. Et in l. de vlce. pag. 204. nu. 7. vbi periculum eſt ignem ſacrum in vlceribus oboriturum eſſe iſatidis folia trita, cruda cum lini ſemine imposito: aut lini ſemen, ſolani, aut iſatidis ſucco ſubactum imponito. Et in libr. 2. de mor. mul. pag. 118. num. 58. in eryſipelate veteri lac aſininum bibendum dare oportet, ac purgare. ſi verò ſic non ſoluatur; ventrem mollibus frigefactorijs perfrigerare, & ſubdititijs non moleſtis, & leuibus paulatim purgare, itemque vomere. commodum eſt ſambuci folia ſumere cocta cum origano, aut thymo, aut ruta. ſi verò febris dimiſerit; etiam vinum & cibos dulces dato. Et in l. de nat. mul. pag. 94. nu. 12. mercurialem edat, & ſambucum: & neque ſalſa, neque pinguia, neque acria, velut eſt origanum, aut thymus, aut ruta. at plura lege de curatione eryſipelatis in l. 2. de mor. pag. 69. nu. 53. & in l. de inter. affect. pag. 85. num. 8.

Euacuatio.

Euacuatio ſanat morbos, quicunque ex repletione fiunt, vt apparet in l. 2. aph. 22. & contra quicunque ex euacuatione repletio. Et euacuatione opus eſt ſi cibum non capienti ſudor multus ex ſomno citra manifeſtã cãm fiat, vt ſcriptum eſt in l. 4. apho. 41. & euacuatione opus eſt ſi quis cibũ an aſſumens, nõ corroboratur, vt patet in l. 2. aph. 8. verum ab euacuatione fit conuulſio, vt in l. 6. aph. 39. Et euacuationes ad extremũ ducentes periculoſæ ſunt, vt in lib. 1. aph. 3. & euacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut omnino quomodocunque corpus mouere multũ, & repente periculoſum eſt, quia omnis multitudo naturæ contraria eſt, vt in l. 2. aphoriſ. 51. Et ab euacuatione detentus, tenuis exiſtens, & derepente ſubſidens moritur, vt in l. de loc. in homin. nu. 44. at l. Purgatio, & Pharmaca.

Eunuchi.

Eunuchi propter genituræ tranſitum, qui per teſtes eſt ablatum non coeunt, vt ſcriptum eſt in lib. de geni. pag. 13. num. 3. eunuchi ante pubertatem facti, neque in mento, neque in pube pilos producunt, ꝙ via genituræ non facta cuticulam non rarefecit per totam ſuperficiem, vt apparet in lib. de natura pueri. pag. 16. & nu. 18. Eunuchi calui non fiunt, ꝙ vehemẽtẽ motũ non faciant, neque pituita cũ corpu calfacta pilorũ radices exurit, vt in eodẽ lib. nu. 19. Et dixit. Eunuchi nõ laborant podagra, neque calui fiunt, vt in lib. 6. aphoriſ. 28. & Eunuchi plurimæ ſcytharum & qũo fiant, legitor in l. de aer. aq. & loc. pag. 30. nu. 49. & in eodem lib. nu. 51. ait. Eunuchorum affectionem diuinitus ſcythis non contingere, neque alijs affectionibus diuiniorem eſſe exiſtimandũ. Et Eunuchus ex venatione, & diſcurſu hydropicus factus, vt in l. de mor. pop. pag. 152. nu. 58.

Exacerbatio.

Ait Hippo. in l. 6. de mor. pop. ſect. 1. pag. 143. Exacerbationes circa initia in omni morbo conſidera, quale eſt ad veſperam exacerbari, & annus ad veſperam & aſcarides. Et dixit in l. de Cap. vul. pagin. 183. nu. 4. Exacerbant omnes quidem, conuulſos aũt etiã valde, egeſtiones deſinentes in ſpumoſas meracas. & narrat in l. 4. aph. 30. quibus exacerbationes fiunt, quacunque tandẽ hora febris dimiſerit, ſi poſtridie eadẽ qua ante hora corripuerit difficulter iudicant. Et in l. 2. pror. par. 14. Deiectiones in ſpumoſas, ſinceraſque deſinentes exacerbant. i. indicant, vt exponit Gal. morbum exacerbandum, & par. 43. Qui cum faſtidio, & ſine vomitu exacerbantur, male habent, ideſt, vt placet Gal. faſtidioſi fiunt. & in lib. 3. par. 9. Nocte magis exacerbantes &c. in comatoſas quandoque finiuntur conuulſiones, & in l. de Coa. præno. nu. 1. Qui melius habuerunt, ſi poſtridie exacerbantur, malum eſt. ſi tertia die cohibiti, quarta exacerbantur, malũ eſt. Num & tales exacerbationes phreniticæ ſunt? hæc habemus pgnoſtica. at l. Acceſſio.

Exanguium partium robuſtiſſimę ſunt cerebrũ & medula, vt legitur in l. 2. de Diæ. pag. 47. nu. 13.

Excandeſcentia.

Excandeſcentiæ vtilitatẽ vide in l. 2. de mor. pop. pagin. 132. ſect. 4. & ait. Excandeſcentia retrahit cor, & pulmonem in ſeipſa, & ad caput calida, & humida: lętitia verò relaxat cor, vt in lib. 6. de mor. popu. pag. 145. ſect. 5.

Exceſſus.

Dixit Hipp. in lib. 1. de Diæ. pag. 42. n. 3. exceſſum in vtram tandem partem contingat prænotio primũ adinuenta. Et ait eodem lib. 3. pag. 49. n. 4. Exceſſus in exercitijs vitandus.

Exercitatio.

Exercitationum, ſiue laborum alij ſunt naturales, alij violenti. naturales ſunt labores viſus, auditus, vocis, curarum. violenti ſunt deambulationes, quæ fiunt aut à cœna, aut mane: fiunt etiam poſt exercitia: & curſus ſiue lungi, ac curui ſenſim facti, ſiue in veſte, ſiue recti reuertentes, & equeſtres indefiniti, ſiue circulares: & concuſſiones, & commotiones, & alleuationes, & lucta, & fricatio, & voluta tio in puluere, & micatio per ſummas manus, & follis, & manum ad rythmum motus, & ſpiritus detentio, & exercitia in puluere, & oleo, & frictio ex oleo & aquâ. de his verò omnibus lege in lib. 2. de Diæ. pag. 48. nu. 26. vſque ad 30. ibique comperies earum facultates: item in l. de Sal. Diæ. pagin. 12. & in lib. de inter. Affect. hæc breuitatis cauſa omiſimus.

Excretio.

Excretiones in febribus non intermittentibus liuidæ, & cruentæ, & graueolentes, & bilioſæ omnes malæ ſunt, at probe ſecedentes bonæ, & per aluum, & per ueſicam: & vbi ſanè quid ſecedens conſtiterit non purgatum malum, vt legitur in li. 4. aphoriſ. 47. & ait in lib. de Coacis prænotio. pag. 178. nu. 3. cum excretione violenta lumborum dolori in ventriculi os dolente habet quid conuulſorum. verùm l. ſcrea tio, & ſputum.

Excrementum, & excretio.

Excrementa alimentorum quantitati reſpondent, vt ſcriptum eſt in libro quarto, de morb. pag. 76. numero 16. Et dixit in lib. 2. prædic. num. 9. excrementa otioſorum ab æquali ciborum copia, procedunt plurima. Et excrementum graueolent fit, ſi humores vltra conſuetum tempus in ventre moram traxerint, vt patet in libro quarto, de morb. pagi. 76. numero decimoſexto. Et ait. excretionem ſubtus erũpentem deſituram eſſe prædicendum, cum tangenti ventrem manu nullus motus occurrerit, & in fine egeſtionis flatus penetrarit, vt in li. 2. præn. num. 32. Excretiones conſiderare oportet, vbi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore naſcuntur. Si enim bilioſæ fuerint, corpus ſimul ægrotat. ſi verò ſimiles

miles sanis fuerint, tutum est corpus nutrire, vt legitur in l.2.aph.15.

De Exolutione.

Ait Hippo. in lib. 2. aphoris 36. Exoluuntur cito, sana habentes corpora, dum medicamentis purgantur, itemque qui prauo cibo vtuntur. Et exoluuntur disperati, quibus vrina clandestine ad pudendum allabitur, vt legitur in lib.de Coac. præno. num.4.& exolutio dolorem soluens, aluum valde humectat, vt in lib. de Coa.præn. nu.4. Et ibidem exolutionem facere poterit alui egestio liquida, paulatim fiens. Fit etiam exolutio ex tuberculi introrsum ruptione, vt legitur in l.7 aph 8. verùm in lib. de Coac. præn.nu. 2. legitur cum exolutione vocis interceptiones, pessimæ Et num.3. Exolutiones torpefactoriæ difficiles quidem ex partubus contingunt, & mentem emouentes, non tamen perniciosæ. Sed & mensium copiam præsignificant: Et nu.4. Exolutiones alui repetinæ præter rationem in diuturnitate temporis consumptis, vnà cum vocis tremula interceptione, perniciosè habent. Et nu.1. Eiusdem lib. exoluti cum capitis dolore, ex rigore in periculo versantur. Et in l.2. aph 41 qui frequenter, ac fortiter absque causa manifesta exoluuntur, derepente moriuntur. vbi Galen. ait. non omnes qui exoluntur derepente moriuntur: sed necesse est, vt sæpius hoc patiantur, deinde vt fortiter, tertio vt sine causa manifesta.

Extensio.

Extensionum multi sunt modi, de quibus lege in l.de Frac.nu. 14.atque in eodem li.num.32.vide quænam extensio sit iusta per machinamenta. sed extensione facta quomodo deligandum sit apparet ibidem nu.5. Extensiones verò gibbosorum in scalis impositoribus potius, quàm medicis sunt in vsu, vt legitur in l. de Arte. nu.39.

Extenuationes ad extremum non sunt ducendæ: periculosum enim est. sed qualis natura est eius, qui perferre debet, ad hoc ducere conuenit. sic legitur in l.1. apho.3.

Extremæ partes.

Legitur in l.7 apho.1. In morbis acutis frigus partiũ extremarum malum. Et aph 16. In forti dolore ventris partium extremarum malum. Et in li.prog.com. 2.par 4 si caput, manus, ac pedes frigidi sunt, scilicet in morbis acutis, ventre costisq; calentibus, malum hinc patet quænam sint partes extremæ, de quibus l. Corpus.

Exudare. l. Sudor.

COMMENTARIVS VI.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

Faba.

Fabæ aluum sistunt, ac inflant; quia meatus aliud insuper accedens alimentum non suscipiunt, hæc in lib. 2.de Diæ.num.8.

Facies.

Cum primum medicus ad ægrotum accedit; inspiciat faciem: nam indicia, quæ in facie existunt, in primis apparent, & vim obtinent maximam. & propterea facies optima erit, quæ sanorum faciei est simillima, maxime verò ipsa sibi ipsi. sic legitur in lib. prog com. 1 part. 5. contra si quam maxime contraria sit sibi sano exitiosissima est, & propterea facies bona in magnis morbis, bonum, vt legitur in l.6.de morb. popu. sect. 2. verùm faciei considerantur partes ex quibus conflatur, & color. notæ faciei in mor. acutis desumptæ à partibus ipsius, quæ malum significent lege in lib. prog. com.1. par.6.7.& 8. atque in alijs vsque ad 13. sed in l.præ.nu.2. scribitur faciei corruptio est lethalis, verùm minus, si propter vigilias, aut famem, aut alui exturbationem fiat. & hæc quoque lege in l. prog. loco citato. facies præterea, quæ ex tumida humiliatur, & vox debilior, ac leuior fiens, & spiritus rarior ac leuior, remissionem in sequentem diem significat. hæc in l.de Coac.præ.num.2. vbi quoque & hæc sunt. quibus facies sana, præcordia non mollia, non liberantur citra multi sanguinis ex naribus fluxum, aut conuulsionem, aut coxendicum dolorem. Et in lib. de diebus iudica. nu.1. circa faciem partes graciles,& venarum trãquillitas, bonum. Et in l.2 de mor pop.sec.5. si febre tenente, partes circa faciem graciles fuerint in die impari, sequenti die soluetur. & in l.2.præ.nu.42 distortiones in facie si nulli alij corporis parti communicent: cito sedantur, aut sua sponte, aut ad necessitatem coactæ: reliqui verò syderati fiunt. De colore verò hæc prognostica sumuntur. in l.prog.loco citato scribitur. faciei totius color alteratus, malum signum. Et in l.3 de Diæ.num.14. faciem decolorem habent,& vbi comederint; paulò post eructant acida, & acor in nares proserpit, his corpora pura non sunt, & plus est quod de carne colliquatur præ labore, quam quod depurgatur præ circuitu. Et in lib.de Coac.præn.num.2 faciei bonus color,& torpuitas in morbo acuto, malum. Et in lib.2 prædic.nu. 6 faciei bonus color & toruitas, malum. Et nu.2. de Coa. præ. circa faciem color bonus, & sudore non fe brientibus, stercora vetusta subesse significat, aut victus rationem inordinatam.& n.3 eiusdem lib. facies flores habente,& aluo liquidiore suppurationes circa pulmonem habent.

De fame.

Fames aliquando sanat, aliquando occidit, vt legitur in.lib.de Veteri med.nu.15.sed in lib.2. aphor. 4.non fames, non satietas, neque aliud quidquam bonum, quod naturæ modum excedat. Et ait in lib. 7.

aph. 59. sed vbi fames non oportet laborare, legitur in l. 2. apho. 16. Et ait. famē minus fuerunt bilioſi ſupernis partibus. pituitoſi contra. & hoc in l. de Vict. ratione. nume. 17. famē vini potus ſoluit, vt in lib. 2. aphor. 21. Et in lib. de Flat. pag. 39 num. 2. ſtatim vbi fames moleſtat; morbus fit: quicquid enim homini moleſtiam adfert, ac triſtitiam, hoc morbus vocatur. quod ergo eſt famis remedium? hoc .ſ. quod famem ſedat. id autem facit cibus.

Farina.

Farinæ cum melle, & oleo coctæ, aut aſſatæ omnes æſtuoſæ ſunt, & ructum cient, vt ſcribitur in l. 2. de Diæ. nu. 7. Et ibidem. farinæ in lacte datæ magis per aluum ſecedunt, quam in aqua propter ſerum & maxime inter aluum mouentia numerantur. Et ibidem. farina pura in aqua pota frigefacit, & lotura pollinis tritici.

Fatuitas.

Fatuos ex morbo regio voce deſtituti, verum ſententes eſſe contingit. mala eſt autem ex morbo regio fatuitas, vt in lib. 1. pror. nu. 4. apparet. Et nu. 12. eiuſdem lib. fatuitatem inducentes affectiones ardentes. ſed leg. Delyrium, Deſipientia, & phrenitis. Fatuum fit cor, ex fatuitate torpedo, ex torpedine delyrium. ſic legitur in l de Virg. mor. pag. 92. nu. 2. hinc videmur, quomodo ex corde delyrium accedat, & quæ ſic inter fatuitatem, & delyrium differentia, & quid ipſa ſit lib. 2. pror. part. 59.

Fauus fit à pituita, vt legitur in lib. de Affect. pag. 82. nu 35. & vt plurimum fit viris, vt in lib. 2. præd. num 18.

Fauces.

Fauces varias ſuſtinent affectiones, quemadmodū fluxiones, inflammationes, ſonitus, dolores, exaſperationes, exulcerationes, irritamenta, gracilitates, carcinoma, tumores, ſtrangulationes. De fluxionibus in fauces delabentibus ſcribitur in l. de vet. med. nu. 33. ex quibus, ait, raucedines fieri anginas, eryſipelata, peripneumonias, omnes hæ primum quidem ſalſæ, & humidæ, & acres deſcendunt, & in talibus morbi firmantur. vbi verò craſſiones, & maturiores factæ fuerint, & ab omni acrimonia liberatæ: tunc iam & febres, & alia hominem lædentia ſoluuntur. Fauciū & gingiuarum inflammatio, & curatio deſcribitur in l. de affect. pag. 80. nu. 4. à pituita talis fit inflammatio. Porrò in faucibus ſonitus frequentes cum ſaliuæ ſputatione conuulſorij, vt in l. 1. pror. nu. 15. apparet. Fauces præterea vbi ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, vt leg. tur in l. 2. apho. 15. excretiones inſpicere oportet: nam ſi bilioſæ fuerint, corpus vna ægrotat: ſi verò ſimiles ſanis, totum eſt corpus nutrire. & hoc præceptum in omnibus faucium affectionibus eſt obſeruandum. Et fauces doloroſæ, graciles, cum ægri tolerabili moleſtia, ſtrangulatoriæ, per minuſ acutè, vt legitur in l. 1. præd. nu. 11. & in li. de Coa. præ. nu. 2. Loce circa fauces in acutis morbis doloroſi, graciles, parui ſuffocatorij, quando hiarit eger vt os claudere at aperire facile non poſſit, mentis emotionem protendunt. & ex talibus phrenitici fiunt. & pernicioſæ affect. Et hoc in lib. 1. prædict. n. 2. apparet præterea iuxta fauces graciles, dolores parui in acutis, in gracili vbi hiarit, non facile os contrahente mentem mouent, vt ſcribitur in lib. de Coact. præ. n. 2. Et ibidem circa fauces dolores forees, tumores circa aurem, & conuulſiones efficiunt. Et in eodē lib. nu. 2. in faucibus dolores ſtrangulatorij à capitis dolore originem trahentes conuulſorij ſunt. Fauces præterea exaſperat aquilo, vt lib. 3. aphor. 5. fauces exaſperatæ parum ſi augeatur dolor difficile, vt legitur in l. 1. præd. n. 11. Fauces modice exaſperatæ, & aluus vanis conatibus nitens, frontis dolores, ægri palpando contrectantes: doloroſi, quæ ex his augeſcunt difficilia ſunt. & hoc in l. de Coa. præn. nu 2. in faucibus exaſperatis ſomnus multus, &c. vide in l. 1. præno. num. 14. De faucibus verò ſanguine impletis legitur in l. 2. prædict. n. 25. At verò fauces exulceratæ in febre cum alio ſigno ex his quæ difficilia ſunt, periculoſæ ſunt, vt proditum eſt in l. de Coac. præn. n. 2. Vlcera verò circa fauces proſerpentia, grauiora, & magis acuta, vt plurimum ſpirandi difficultatem inducunt, vt ſcribitur in l. de Denti. pag. 24. nu. 3. ſed faucium exulceratio, exaſperatio, & inflammatio à pituita alijs humoribus permixta, vt ſcriptum eſt in l. de Flati. pag. 40. n. 16. Irritamenta quibus circa fauces ſunt, his, vt apparet in l. de Coac. præ. nu. 2. tumores circa aurem leuiter erumpunt Carcinoma, cui in faucibus vſum eſt, ſanus euaſit à nobis. ſic ſcribitur in l. 7. de mor. popu nu. 34. De tumore legitur in l. 4. aph. 34. ſi à febre habito tumore non exiſtente in faucibus, ſtrangulatio tepente ſuperuenerit lethale. videtur. vt ait Gal. in com. Hip. nominare fauces ſpatium illud laxius, quod inter gulam, & guttur præiacet. verum in lib. 2. de morb. popul. ſect. 2. quæ circa fauces ad alterutram partem repentina proceſſerunt: exulcerata non ſunt, ad ſiniſtram tranſiuerunt, ad ſplenem dolor venit citra iudicationem.

De Febribus.

Febris ſæpe ab Hip. appellatur calor, & ignis, qui calor non eſt naturalis, nec inter res non naturales commemoratur, ſed præternaturalis, hoc eſt, contrarius naturæ, quemadmodum ſunt morbi omnes, ac eorum cauſæ, & ſymptomata: quæ tria ſunt omnino naturæ humanæ contrarijſſima. & propterea multoties reperies in lib. de morb. popul. calorem, ardorem ignem pro febre poſitos. quin & aliquando, cum dicit febrem; ſignificat calorem febrilem, quemadmodum in lib. 5. de morb. popul. num. 8. vbi inquit. vigeſima tumor cœpit circa aurem, & febris, & rigor. Et n. 10. eiuſdem lib. cum rigor ſubrepens dimiſiſſet: febris venit. at verò, vt diximus, appellat quandoque febrem, calorem, vt in lib. 7. de morb. popul. num. 28. cum ait. ad noctem calores. Et nu. 27. ex fomentis, vt videtur, calores nullo tempore relinquebant, magis tum ad veſperam augeſcebant, ſudores fiebant per totum corpus.

Verùm quam partem primum corripiat febris noſtri corporis. videamus. proditum eſt in l. 6. de mor. popul. ſect. 5. part. 31. rigor à ſuperiori ventre, ignis verò magis ab inferiori. Et Gal. in com. ait. ex partibus ventris ſuperior rigorem magis, inferior verò febrem facit, aut ſentit, aut inchoat. Et in l. de Natu. mul pag. 94. nu. 13. ſi vteri præter naturam hient; febris, rigor, & dolor imum ventrem, & lumbos corripit. Et in l. de loc. in hom. pag. 32. nu. 39. hunc medicamentum potare oportet, quod educat, qua parte magis hæret, ſiue ſuperne, ſiue inferne. Et in lib. 7. de mor. pop. uu. 1. febris adeo lenis facta eſt, vt obſcura conſiſteret præterquàm in temporibus.

Cæte-

Cæterùm transeamus ad illam partem, quæ nobis declarat, quonam modo fiat febris & quibus causis. scriptum est in lib 4. de morb. pag. 76. numer. 17. si cibi maneant in ventriculo ampliore tempore, quàm opportunum est, & alij ad ipsos incidant, corpus vtique repleatur: & dum premuntur à plenitudine venæ, calor ac dolor corpori accedent, venis. s. calescentibus, ac stantibus, æstate quidem citius, hyeme verò posterius: æstate. n. calidus est aer ambiens, & calidiorem corpus in se ipsum trahit. & si calido adhuc existente ventriculo calidior quàm opportunus est, spiritus homini accedat: nihil miri est hominem ex tali febrire. hyeme verò, cum frigidum spiritum trahat in se ipsum; multo magis poterit corpus repletionem ferre, homine modicè ventrē exonerante. Et in lib. 1. de loc. in homi. numer. 38. febres propterea fiunt cum corpore superinflammato carnes intumuerint, & pituita, ac bilis concluſa quieuerint, & neque refrigeretur quicquam neque exeat, neque moueatur, neque aliud quid subeat. hæc duo loca H. pp. non solum modum exponunt, quo fiat febris, sed causas materiales, quæ sunt cibi multi, vel pituita, ac bilis: deinde obstructio, quæ est causa secūdaria à primis producta Et in dicto lib. 4. de morb. num. 25. cum homines laborarint, quibus sanè maximè sanguinis afflictio contigerit, illic firmatur, ac calescit, & ex hoc dolor oboritur. Si autem aluus, ac vesica non breui copiam expulerint: febris ex hoc irruit. & si quidem prior humor æqualis fuerit: nequaquam. si verò in labore ipsorum plurimus in corpore permaneat: superat ille. at numer. 23. ait febris hoc modo oboriens non periculosa, neque fortis est. Et subdit. at si calescente sanguine exhalat maxime per hunc humos aquosus, qui febri est infestissimus; remanet pinguis, ac leuis, quia est biliosus, & febris maximè nutrimentum, & attenuatus hic biliosus humor corpus magis calere facit. quæ verba nobis indicant non solum humoris quantitatem producere febrem. sed etiam qualitatem. Et propterea in libr. de vet. Medi. pag. 5. numer. 30. ego hoc maximum signum esse puto, quòd non propter calidum simpliciter homines febricitent, neque hoc fit simpliciter afflictionis causa; sed est amarum, ac calidū idem, & calidum ac acidum, & salsum ac calidum, & alia infinita: & rursus frigidum cum alijs facultatibus coniunctum: propterea quòd qui ardenti febre febricitant, & alijs fortibus morbis, non cito ex calore liberantur, neque adest sic frigidum aduersus calidum. hæc itaque sunt, quæ lædunt; simul adest autem & calidum robore participans, nimirum ducens. & exacerbans, & augens simul cum illis, verū nullam potentiam maiorem, quàm conuenit habēs. vidimus igitur quo modo fiat febris & causas febriū esse primarias multitudinem, siue repletionem ciborum, secundariam verò pituitam, & bilem vtranque, tertiam has consequentem obstructiones. his porrò causis proderunt vt plurimi locus, tempus, & res non naturales, quæ à medicis sex numerantur: & hæ ex se ipsis febres efficere possunt, sed simplicissimas; illas verò minime. Concausæ porrò sunt ætas, sexus, cognatio, temperatura, atque habitudo corporis totius, vel partis, consuetudo in rebus, pauca, vel multa, studia, negocia, fortunæ, modus viuendi, & huiusmodi, & causæ hæ omnes appellantur primariæ, siue externæ à Galen. & ab alijs, qui eū secuti sunt: sed humor. & obstructio, internæ. Ab his igitur causis febres sunt.

Has porrò plures suscipiunt diuisiones, quas nonnulli species nominant: siquidem aliæ diuiduntur secundum subſtantiam, aliæ secundum accidens. quæ subſtantiales appellantur, aliæ tales sunt a forma, aliæ à materia, aliæ ab vtrisque. Febres autem, quæ à forma dicuntur; diuisionem habent, prout magna fuerit, vel parua formæ vis: propterea quòd alia febris dicitur vehemens, vt apparet in lib. 7. de morb. pop. num. 15. & in com. 4. de Vict. ratio. in mor. acut. part. 46. & comm. 3. prog. part. 13. & in lib. 4. apho. 33. aliæ tenues, vt com. 2. prog. par. 60. alię simplicissimę, vt com. 3. prog. par. 2. aliæ mediocres, vt in l. 2. pror. par. 49. Quę verò febres denominationem accipiunt à materia, aliæ dicuntur siccæ, vt legitur in l. 4. de mor. popu. num. 12. aliæ salsuginosæ, vt in lib. 6. sect. 1. aliæ acutæ, vt l. 1. aph. 14. & lib. 3. aph. 7. atque alijs plurimis in locis: aliæ ardentes, vt 7. de morb. popul. num. 54. & 55. & l. 4. aph. 54 & 58. & alibi: aliæ statim amburentes ad manum, vt lib. 6. de morb. popul. sect. 7. & aliæ acutæ ad manum submordentes, vt eodem lib. 6. sect 6. quæ verò denominantur à materia, ac forma simul, aliæ dicuntur implacidæ, vt scriptū est in 4 de Vict. ratione. par 46. aliæ pessimæ, vt in com. 2. prog. par. 2. aliæ horridæ, vt in l. 1. de morb. popul. sect. 1. & l 2. sect. 3. aliæ malignæ vt in lib. 7. num. 40. Et in lib. 2. pror. par. 41. & hæc est diuisio febrium secundum subſtantiam.

Diuiduntur præterea per accidens: quoniam aliæ denominantur à quantitate. aliæ qualitate, alię à tempore, aliæ à loco. A' quantitate verò aliæ dicuntur continuæ, vt in com 3. prog. part. 13. & in lib. 1. de morb. popu. sect 1. aliæ non continuæ, & hę dicuntur intermittentes, quarum aliæ appellantur ephemeræ, siue diariæ, vt in lib 4 apho. 55. aliæ quotidianæ, vt in l. 1. de mor. pop. sec. 2. aliæ tertianę, vt in eadem sec. aliæ quartanę, vt ibidem. aliæ quintanæ, septimanæ, nouanę, vt in eodem lib. sec 3 alię longę, vt in lib. 4 aph. 44. & 45. aliæ magnæ, vt in lib. 2. de morb. mul. Quæ diuiduntur à qualitate, denominantur ab actionibus, vel à passionibus, quæ originem ducunt à qualitatibus. Et propterea aliæ dicuntur laboriosæ quia laborem, ac dolorem producunt, vt in l. 4 apho. 74. aliæ sudorosæ, siue sudorificæ, vt in l. 7. de morb. popu. nu. 1. aliæ inflatæ, & liuidæ, vt in l. 6. sect 1 aliæ anxiosæ, horridę, vt in l. 2. sect. 3. aliæ tremulę, singultuosæ, mentem contingentes, vt in li. de Fract. n. 12. & 38. aliæ lethales maxime vt nu. 44. eiusdem l. Quæ autem diuiduntur secundum locum aliæ vrunt intra, & frigefaciunt extra, vel contra, vt febris Epialos, & febris lipiria, de quibus legitur in lib. de superfœ. nu. 24 & in l 2. de mor. num. 16. & 49. & in l. de affect. nu. 14. aliæ dicuntur à splene ortæ, vt in lib. 4. de morb. pop. num. 20. aliæ à capite, alię ab alia corporis parte veluti ab vtero, vt in l. de morb. mul. Quæ autem diuiduntur secundum tempus aliæ sunt diurnę, vt in lib. 1. de morb. popul. sect. 3. aliæ nocturnæ, vt ibidem, aliæ erroneæ, vt in eodem lib. sect. 2. Et in com. 2. prog. par. 60. aliæ diuturnæ, vt in lib. de inter. affec. n. 53. Et tales sunt diuisiones febrium, quę reperiuntur in lib. Hip. quæ omnes cum principium habeant; & finem quoque habent: igitur & medium,

quod

quod & vigor,& ſtatus appellatur.inter principium, & ſtatum eſt augumentum febris.inter ſtatū, & finē eſt declinatio. quapropter quatuor,vel quinq; deſcri būtur ſingulorum febrium partes,quę à medicis tem pora febrium nuncupantur.

Nunc tempus eſt, vt aliam aggrediamur diuiſionem.legitur in l.de Flat.num.7.ſunt febrium genera duo, quorum alterum commune omnibus peſtis appellatur, alterum propter malam diætam priuatim his contingit,qui ea vtuntur. communis febris propterea omnibus accidit, quòd eundem ſpiritum omnes attrahunt, fitque vt ſimili corpori, ſimiles ſpiritus,ſimiliter permixti ſimiles gignant febres. Et nu. 10.propter malam dictam fit febris, cum corpus cibis expletum eſt, ac ſpiritus quoque multitudo vehementer excellit, dum cibi, & ventri diu immorantur,& inferior vēter ſit obturata; per vniuerſum corpus permeant flatus, ſanguineque plenas corporis partes maxime petentes eas frigefaciunt.frigefactis his locis, vnde fontes, & radices ſanguinis prodeunt,per vniuerſum corpus horror conſequitur,& tremor,& hiatus.de quibus lege num.11.& 12.& de ſudore.n.13.harum igitur febrium aliæ ſunt ſimpliciſſimæ,aliæ acutę, & aliæ longę. Simpliciſſimę febres,vt legitur in com.3. prog.par.2.ac ſignis firmatę ſecuriſſimis,quarto die,aut citius deſinunt: deterrimę verò, ac ſignis affligentes difficillimis, quarto die, aut citius interimunt. acutę verò febres ſic appellātur,vel quia ſunt breues,& deterrimę, vel quia fiunt à cauſis acutis, veluti à bile meraca, vt legitur in l.de Fract.nu.44 in conſtitutione ſicca,vt in lib.3. aph.7. vel quia habent grauia ſymptomata, vt legitur in l.7.de mor.popu.nu.38.& omnis febris aut eſt continua, vt intermittens;nam & acuta ratione ſymptomatum eſt intermittens,& ratione febris eſt continua;vt eodem n.38.videre poſſumus. præterea inter continuas eſt febris ardens. at primum de continua in genere,deinde de acutis,tertiò de ardentibus agemus, ſed primum varia febrium in vniuerſum ſignā tum prognoſtica, tum indicantia ſunt recitanda poſtea ad particulares febrium ſpecies veniemus.

Ait Hipp.in l.de Coac.prę̄no.pag.157.col.2.rigores velut in febre tertiana ſi in media inordinata febre exacerbantur,valde maligni ſunt.ſi verò contrario conuellentibus modo exacerbentur cum rigore, & febre pernicioſum eſt.Et febres ex præcordiorum dolore malignæ ſunt,ſopor in his peſſimus eſt. Et,in febre vocis interceptiones malignæ ſunt. Et, qui inſuper exudant in febre maligne habent. Et in febribus inflata aluo flatus non erumpere malum.Et ſubdit.in febre tractus velut à vomitu,in ſcreatione deſinens malum. Et in febribus mentis emotiones taciturnæ, in eo qui voce priuatus non eſt pernicioſæ ſunt. Et,in febre liuores fientes breui morte affore ſignificant. Et quibus in febre dolore lateris fiente,aluus multa aquoſa, ac bilioſa egerit,hi alleuātur. Et, febrienti ſi atra bilis in principio ſurſum, aut deorſum prodierit lethale. Et, qui cum perfrigerationibus,non ſine febre ſuperne exudāt,moleſte ferentes, & phrenitici in acuto morbo pernicioſe habent. Et ſubdit.pag.176.in febribus inguinis dolor,morbum diuturnū ſignificat. Et,in febribus iudicationes impeditę, ac ſublatæ tēporis qdē diuturnitatē inducūt nō aūt pnicioſę sūt. Et,febres ex doloribus vehemētibus diuturnæ. Et quibus deſinunt febres, non in diebus iudicatorijs,his recidiuæ fiunt. Et febres ver tiginoſæ cum voluulis,vel ſine voluulis,pernicioſæ. &, quibus in febre dolores circa lumbos,& infernas partes fientes,ſeptum tranſuerſum contingunt,infernas partes relinquentes, pernicioſi ſunt, tum aliàs, tum ſi aliud quoddam ſignum prauum accedat, ſi verò alia ſigna non fuerint praua, ſuppuratum fore timor eſt. Et, quibus febris aliquando intermittit periculo vacat. Et,in febribus longis aut tubercula, aut dolores, in articulis fiunt:& ſi facti fuerint, non ſunt inutiles. Et,in febribus ſecundum venam,quæ in collo pulſus ac dolor in dyſenteriam definit. Et, quibus in febribus venæ in temporibus pulſant, & facies ſana eſt,& præcordium non molle diuturnum morbum ſignificat,& non definentem citra multi ſanguinis ex naribus fluxum, aut ſingultum,aut conuulſionem,aut coxendicum dolorem. Et,quibuſcunque in febribus tremores circa iudicationē ceſſant, his temporis progreſſu abſceſſus doloroſus ſuppuratus in articulos fit, & veſica doloroſa. Et,febrientibus, quibus rubores ſunt in facie, & dolor capitis fortis,& venarum pulſus, his ſanguinis fluxio plerū que contingit. Et, quæcunque ſigna febri ſe opponunt, & non abſceſſus ſignificationem habent maligna ſunt. Et,febres quæ neque in diebus iudicatorijs,neque poſt ſolutorium ſignum deceſſerunt recidiuant. Et,quibus febrire incipientibus, ſanguis de naribus ſternutatione fiente deſtillat, & vrina ſubſidentiam albam in quarta die habet, his in ſeptima die ſolutionem ſignificat. Et,ſeptima die,aut nona, aut decimaquarta fluxiones ſanguinis à naribus fiētes,plerunque febres ſoluunt, ſimiliter, & alui fluxio bilioſa, & qualis in dyſenteria fieri ſolet, & genuum,ac coxendicum dolor,& arina concocta ad iudicationem. in muliere verò etiam menſtruę purgationis fluxus.Et,qui in febribus exudant,caput dolētes aluo ſuppreſſa conuulſi fiunt. Et,conuulſio in febre fiens in eadem die deſinens bona eſt. Et,conuulſio in febre fiens ſedat febrem eadem die, aut poſtera,aut tertia. ſi verò tempus in quo incepit,tranſgrediatur,& non deſinat,malum eſt.Et,febres intermittentes, verùm inæqualiter caleſcentes aluo inflata, pauca egerente, in his poſt iudicationem lumborum dolore conſequuto, alui erumpunt. at amburentes ad manū torpidæ,ſiticuloſæ,anxioſæ,in his aluo ſuppreſſa grauati exoluuntur. quandoque vero & rubicundæ in pedibus ambuſtiones, eadem ſignificant. Et ſubdit. capitis dolor moderatus cum ſiti cibum capiente, aut cum ſudore non ſoluente febrem, abſceſſus in gingiuis, aut circa aurem ſignificat aluo non exturbata.Et pa.177. in febribus ſurditas aluū ſi ſtit. Et, rubores in febribus fientes circa aurem ex prægreſſo dolore ſignum quidem ſunt eryſipelatis in facie futuri, ſed & conuulſiones ex talibus fiunt cum vocis interceptione,ac exolutione. Et,ex febribus ſurditatem, ſanguinis è naribus fluxio ſoluit itē alui turbatio.Et,ſubdit. oculorū rubor in febre fiens alui diuturnam affectionem ſignificat. Et,in oculorum diſtortione febrienti laſſato rigor pernicioſus, & ſoporoſi in his male habent. Et, viro lippienti febre ſuperueniente ſolutio. ſin minus, periculum eſt, ne cęcus fiat,aut pereat, aut vtrunque. Et qui febres ad tactum non adurentes habent, phrenitici fiunt &

magis

magis si sanguis fluxerit. Et linguam circa bifidam sui partem, velut saliua alba obducit, febris remissionis signum est. cętera verò ibi lege. Et ex dentis corruptione vehemens febris superaccedens, & delyriũ lethale est. si verò seruentur, vlcera suppurabunt, & ossa discedunt. Et, sputi excreationes in febre liuidę, nigræ, bilioſæ si quidem supprimantur malæ sunt, ie cedẽtes verò pro ratione vtiles. Et, quibus vox cum febre deficit, & cum iudicatione intercepta, tremuli moriuntur. Et, vocis interceptiones in febre conuulsorio modo fientes, ad mentis emotionem cum silentio deueniunt, pernicioſum. Et, lethalis est spiritus febriculoſus, & fulginoſus. Et subdit. colli dolor malum quidem in omni febre, peſſimum autem his, quibus timor est, vt etiam insaniant. Et, in pectoris dolore febriculoſo, aluus turbata, torpida nigrarũ egestionum signa sunt. Et, fauces exulceratæ in febre cũ alio signo ex his, quæ difficilia sunt, periculoſæ sunt. Et, in febribus derepente suffocari, & deglutire non posse, citra tumorem malum est. Et oris ventriculi dolor, & pulsus præcordiorum, & febre perfrigerata malum, tum aliàs, tũ si insuper exudarint. Et subdit. quibus derepente dum sine febre sunt præcordij, & oris ventriculi dolor, & circa crura, & infernas partes, & aluus in tumorem eleuata est: soluit venæ sectio, & alui fluxio. his febrire nociuũ est, longe enim & vehementes salubres fiunt & tusses, & singultus, & spiritus fiunt. Et, dolores ad præcordia in febre, voce intercepta sine sudore soluti malum est, his ad coxendices dolores fiunt. Et, iuxta ventrem in febre palpitationes, mentis emotiones inducunt. Et, dolores in febre ad præcordia exilientes, sine sudore soluti maligni sunt. Et duricies circa ventrem cum dolore in febrientibus cum horrore, cibum auersantibus si aluo insuper parum humectata purgationem non faciunt, ad suppurationem peruenient. Et subdit. dolor in pectus firmatur torpore, malus in febre est. hi repente pereunt. ex lumborum dolore recursiones ad os ventriculi febriculoſæ horrorem inducentes. alia verò ibi lege. Et in l. 4. apho. 27. quibus in febribus sanguinis multitudo alicunde eruperit, his dum reficiuntur, alui humectantur. Et aph. 29. quibus in febribus sextũ diem agentibus rigores fiunt, difficilis sunt iudicij. Et apho. 30. quibus febris acceſſiones fiunt quacunque hora eas febris dimiserit, postero. die eadem hora si inuaserit difficilis sunt iudicij. Et aph. 34. si febricitanti tumore non existente in faucibus, strãgulatio statim superuenerit lethale. Et aph. 35. si febricitanti collum repente peruertitur, & vix deglutire possit, tumore in collo non apparente, lethale est. Et nu. 36. sudores febricitantibus si inceperint boni tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & decimoseptimo, & vigesimo primo, & vigesimoseptimo, & trigesimo primo, & trigesimo quarto. hi enim sudores morbũ iudicant: qui autem non sic eueniunt, laborem significant, & longitudinem morbi, & recidiuam. Et aph. 46. si rigor incidit febre non desinente ægro iam imbecillo, lethale. Et aph. 51. in febribus abscessus si nõ soluuntur in primis iudicationibus lũgitudinẽ morbi significãt. Et aph. 52. qui in febribus, aut alijs morbis ex voluntate lacrymant, nihil absurdum est; qui verò non ex voluntate, absurdius. Et aph. 67. ei qui conuulsione, aut distentione vexatus, si febris succesſerit, soluit morbũ. Et aph. 61. febricitatem nisi imparibus diebus febris dimiserit, ea redire solet. Et, aph. 62. quibus in febribus morbus regius ante septimum die succedit, malum. Et apho. 63. Quibus in febribus quotidie rigores eueniunt, ijs quotidie febres soluuntur. Et aph. 64. quibus in febribus septimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo morbus regius succesſerit, bonum est, nisi dextrum hypocundrium durum fuerit: si verò non malum est, non bonum. Et aph. 65. in febribus circa ventriculum æstus vehemens, & cordis morsus, malum. Et aph. 67. in febribus ex somnis pauores, aut conuulsiones, malũ. Et aph. 68. in febribus spiratio offendens, malũ: conuulsionem enim significat. Et aph. 69 Quibus sunt vrinæ craſſæ, grumoſæ, paucę, non sine febre existentibus, si multitudo ex eis aduenerit tenuis, iuuat: præcipue autem tales ab initio exeunt, aut breui sedimẽ obtinent. Et aph. 70. quibus in febribus vrinę pertur batę sunt, veluti iumenti alicuius, ijs capitis dolores, vel adsunt, vel aderunt. Et apho. 71. quibus in febribus die septimo iudicium fit ijs nubeculam obtinet vrina quarto die rubram, & alia, secundum rationẽ. Et aph. 72. quibus in febribus vrinę perspicuæ & albę, malę, præcipue autem si in phreniticis appareãt. Et apho. 73. quibus hypochundria eleuata à lumborum dolore succedente, alui ijs humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinę multitudo exeat, in febribus autem hęc accidunt. Et in l. 6. aph. 40. Quibus circa hypochũdria dolor fit sine inflammatione, ijs febris succedens dolorem soluit. & apho. 44. eiusdem lib. Quibus post stranguriam ileos succedit, in septem diebus moriũtur, nisi febre subsecuta, satis vrina fluxerit. & aph. 50. Quibuscunque cerebrum discissum fuerit, ijs necesse est febrem, & bilis vomitum succedere. & apho. 51. quibus sanis dolores fiunt repente in capite, & statim obmutescunt, & stertunt, moriuntur in septem diebus, nisi eos febris apprehenderit. & aphor. 54. in acutis morbis qui cum febre existunt, luctuoſæ respirationes, malum. & in lib. 7. aph. 31. Quibuscunque febricitantibus in vrinis veluti farinæ craſſæ, subsidentiæ fiunt longam ægritudinem fore significant. & aph. 37. eiusdem lib. quicunque sanguinem vomunt, si sine febre salubre est, si verò cum febre malum. & aphor. 52. Quibus hepar vehementer dolet, ijs si febris superuenerit, soluit dolorem. Et in l. 1. de mor. nu. 6. Febrienti, ac bilioſo in tempore foras bilis bonum: diffusa verò, ac dispersa, & ad vnam aliquam corporis partem allapſa malum. Et in l. prog. com. 3. part. 22. quibus febres cessant, neque signis solutorijs apparentibus, neque in diebus iudicatorijs, his riuersuras esse expectandum. quæcunque febris longiorem moram traxerit, homine aliqui ad salutem dispoſito, ita vt, neque dolor teneat ob inflammationem, aut ob aliquam aliam manifestam causam: huic abscessum expectare oportet cum tumore, ac dolore ad aliquem articulum, vel maxime infernum. Et, in l. 4 aph. 53. quibus in febribus circa dentes viscoſa adhærent, his fortiores febres fiunt. & in l. 2. prædi. num. 23. in febrium principijs siue delyrium acceſſerit, siue alicuius mẽbri syderatio periturum hominem sciendum est, si non omnino, aut ex optimis signis aliquod accedat, aut corporis vires adsint. & in l. de Coac. præn. num 4. cum febre, & sine febre egestio alui nigra velut sanguis, ma-

la

la eſt. malæ item omnes variæ, abunde ex bile coloratæ. & in l. prog. com. 3. quicunque in febre non læthali ſplendores ob oculos verſari, cum præcordiorum in dextra, aut ſiniſtra parte tenſione ſanguinis de naribus fluxionem ſignificat. & in l. de Coac. præ. nu. 4. in febre tenuis, ac mollis egeſtio mala eſt, mala quoque ſicca friabilis decolor, tum alias, tum ſi aluũ humectet. nigris verò antea egreſſis occidit. & ibidẽ febris his exacerbatur, quibus ardor fit, & ad egreſſas egeſtiones alui inſuper exudant. Et in l. 2. de mor. po. ſec. 5. ſi febre tenente partes circa faciem graciles fuerint in die impari, ſequenti die ſoluetur. ſed ad curationem tranſeundum eſt.

Curatio verò omnium febrium fit coctione humoris, vt percipitur in l. de Vet. med. n. 32. & 33. con coctio autem fit, vt ibidem ſcriptum eſt, ex permixtione, temperaturaque mutua, & quaſi coctura. Et in l. de lo. in ho. n. 38. Cum laſſitudo occuparit, & febris, ac repletio; lauare multa aqua oportet, & oleo illinere, & maxime calfacere; vt caliditas, aperto corpore, præ ſudore egrediatur. conſequenter autem hæc facienda ſunt per tres, aut quatuor dies. & ſi nõ ſedetur, ac ceſſet; pharmacum in potu exhibendũ eſt quod bilem educat. & febris perfrigcranda eſt præter quam quartana: medicamentum tamen, donec corpus floridum eſt, ne propinato: non enim vacuantur niſi parum, vtpote corpore turgente. cum autem gracile fuerit, ac macilentum: tunc bibendum exhibe, & euacuabitur. Et ſic patefit in morbi principio lotiones faciendas eſſe, & medicamentum purgans minime exhibendum. & in eodem l. num 30. In pleuritide febris ſedanda non eſt per ſeptem dies. ſeptima lauandus eſt eger: ſi febris dimittere non velit: quo præbalneo ſudor contingat. ſi verò neque ſeptima dimiſerit; nona ceſſat, ſi non aliud quod periculoſum accedat. ſi dimiſerit; triticeis ſorbitionibus vtaris. In l. autem de Vict. ra. comm 4. part. 36. ſi febris hominem corripiat, vetere excremento deſcendente, vel nuper cibatum, ſiue cum latheris dolore, ſiue non: is quieti tantiſper permittendus, donec cibus ad ventrem imum deſcenderit. & part. 39. obſerua febrium acceſſiones, vt nunquam cum adſunt, neque cum futuræ ſunt, ſorbitiones exhibeas: ſed vel cum ceſſant, vel quieuerunt, & maxime a principio receſſerunt. frigentibus ergo pedibus neque potum, neque ſorbitionem, neque aliud quidpiam huiuſmodi dabis donec valde incaluerint. deinde id, quod confert, exhibe. cauſam horum ibi lege. ſic in lib. 1. apho. 11. in acceſſionibus abſtinere oportet: nam cibum dare nocuum eſt: & quibus per circuitum fiunt acceſſiones. & apho. 19. His, qui per circuitum acceſſionẽ habent, nihil dare oportet, neque cogere: ſed ſubtrahere adiectioni ante iudicationes. & aph. 4. victus tenuis, & exquiſitus in morbis quidem longis ſemper, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculoſus. & apho. 7. vbi morbus eſt peracutus: extreme tenuiſſimo victu vtendum eſt: vbi non, ſed pleniorem victũ contingit adhibere: tantum cibi indulgendum eſt, quanto morbos extremis eſt mollior. & apho. 8. cum morbus in ſuo vigore conſtiterit: victu tenuiſſimo vtendum eſt. & apho. 9. coniectare oportet, an æger cum victu ſufficiat perdurare, donec morbus conſiſtat &c. & aph. 17. & quibus ſemel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora particolatim oportet offerre, conſiderandum eſt. & aph. 10. In ipſo conſiſtendi tẽpores, & parum ante illud cibus ſubtrahendus: prius verò vberius alendum; vt æger poſſit perdurare. Et ſic habemus quo morbi tempore ſit cibandus æger. at illud aduertendum eſt, quod legitur in lib. 7. apho. 63. ſiquis, ait, cibum febricitanti dederit, vt ſano robur ſic laboranti morbus. & in l. de lo. in hom. nu. 39. Febrienti cibum ne offeras, neque ſorbitionibus ſubtus aluum ducas. in potu dabis aquam calidam, & aquam mulſam, & acetum cum aqua. hæc autem quã plurima bibat: ſi enim non frigidus ingreſſus fuerit potus calidus exiſtens, ac manens: ex corpore ægroto detrahet, & vel per vrinam deijciet, vel exudabit. vndiquaque autem apertum, & reſpirans, & motum corpus; id, quod conducibile eſt, faciet. Hinc fortaſſe ille apho. qui ſcriptus eſt in l. 1. aphor. 16. Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime verò pueris, & alijs, qui tali victu vti conſueuerunt. ſed & id notandum eſt. lac dare his, quos caput dolet malum: item febricitantibus, vt legitur in li. 5. aphor. 64. præterea inquit in com. 4. de vict. rat. part. 44. corpos quieti, permittere, vngere, & æqualiter cõtegere oportet, mulſamque aquoſam bibendam, & ptiſanæ cremorem veſperi ſorbendum dabis. ventrem ab initio clyſtere duces, ſed medicamenta purgantia non admouebis: nempe ſi ventrem moueris, vrina non maturabitur, febriſq; citra tum ſudorem, tum iudicationem in longum protrahetur tempus, & part. 43. quibus principio vrinæ, & nebuloſæ, & craſſæ exiſtunt, hos annuentibus cæteris purgare cõuenit. quod ſi vrinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis: at ſi videatur, clyſterem exhibebis. tales autem ita curare confert. & in lib. 7. apho. 42. ſi febris non à bile habeat, aqua multa calida in caput affuſa, febris ſolutio fit. ſed in 1. de mor. mul. num. 58. cum mulieri partus purgamenta nõ fuerint purgata aut menſes non prodierint, aut vterus durus fuerit; ſi ſine febre fuerit, balneis curato. ex talibus autem febres fiunt acutæ. Et in l. de Coa. præn. nu. 1. febrem ſedat conuulſio in ipſa fiens eadem die, aut poſtera, aut tertia.

De Febri continua.

Legitur in l. 1. de morb. popu. ſect. 3. febres quædam continuæ ſunt, quædam interdiu tenent, noctu intermittunt: vel contrà. ſunt autem acutiſſimi, & maximi, ac grauiſſimi morbi, ac maxime lethales in continua febre. Prognoſtica ſunt hæc. legitur in lib. de Coac. præ. pag. 176. col. 2. in febre continua quicunque voce deſtituti iacentes, oculis conniuentes nictant, hi ſi poſtquam ſanguis ipſis ex naribus fluxit, & vbi vomuerunt, loquantur, & ad ſe ipſos redeant, ſeruantur. &, quibus in febribus continuis, puſtulæ per totum corpus erumpunt lethale, ſi non purulentus abſceſſus fiat, maxime autem circa aurem his fieri ſolet. &, febres continuæ per tertiam diem augeſcentes periculoſæ. & ſubdit. qui diutius ſecure ex febre continua laborant citra dolorem, aut inflammationem, aut aliam cauſam his abſceſſus expectendus eſt cum dolore, & tumore, & magis in infernis partibus. expectare autem oportet abſceſſus, his magis qui vigeſimum annum egreſſi ſunt. & tunc expectare abſceſſus oportet, vbi viginti dies febris tranſmiſerit, ſenioribus autem minus. fiunt, & vbi multo tempore febres durant. & nu. 3. cum febre

continua

continua veſicæ duræ, & dolentes, peſſimæ ſunt. Et in l. 3. aphor. 32. æſtate febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ. & in l. 1. de morb. popul. ſect. 2. in febre continua acutiſſimi, & maximi, ac grauiſſimi morbi maximè lethales, & in l. de iudicatio. pag. 160. nu. 9. in febre continua ſi quis quarta die, & ſeptima affligatur, & vndecima non iudicatus fuerit, plerunq; perit. & in lib. 4. aph. 46. ſi rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, lethale eſt. & aph 47. Excretiones in febribus non intermittentibus liuidæ, cruētæ, fetidæ, & bilioſæ omnes malæ. & ſi bene exeunt, ſiue per alui excretionem, ſiue per vrinas bonæ. ſi verò non aliquid eorum, quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum. & aphor. 48. in febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores frigidæ, interiores vrantur, & ſitim habeat, lethale eſt, &, aph. 49. in febre non intermittente, ſi labrum, vel oculus, vel naſus, vel ſupercilium peruertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili exiſtente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima eſt. & aph. 50. vbi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delyrium acciderit, lethale.

At verò de continua febre curanda hęc pauca ſcribuntur. in l. 2. de mor. pag. 67. nu. 36 ſi febris neq; noctu, neque interdiu remittat, & ad contactum ſupernas partes habeat calidas, venter autem, & pedes frigidi ſint, & lingua aſpera; huic medicamentum ne dederis, ſed molli infuſo per clyſterem ſolutio, & ptiſanæ ſuccum bis in die frigidum ſorbendum dato, & vinum aquoſum inſuper bibendum. reliquo verò tẽpore aquam frigidiſſimam bibat. & hic ſi quidem ſeptima die exudarit, & febris ipſum dimiſerit; bene eſt: ſin minus; decima quarta die plerunque moritur. ſic ait. & propterea quòd ſupradixit, ſi bile infeſtatur homo; hæc febris ſcilicet continua fit à bile.

De Febre acuta.

Febris porrò acuta, vt diximus, ſic appellatur; propterea quòd ſit continuo calida, vel cauſa eius ſit acuta, vt bilis; vel quia ſymptomata ſint ſæua. quapropter mirum non eſt, cum tot modis dicatur acuta; ſi quandoque ex cauſa extrinſeca fiat: nam legitur in l. 2. de morb. popul. ſect. 2. Zoilo iuxta murum ex tuſſi matura febri, acuta. & in l. 3 de morb. pop. ſect. 3. Aegro. 3. ex laboribus, & laſſitudinibus, & neglecta victus ratione, rigor magnus, & febris acuta corripit, ſiticuloſus, bilioſus non dormiuit. reliqua ibi l. Et Aegro. 1. eiuſdem libro febris corripuit acuta, ab initio continua, ardens ſiticuloſa, &c. ſed in l. 1. eiuſdem lib. ſect 3. Aegro. 12. calefactus cenauit, & bibit amplius, vomuit omnia noctu: febris acuta, & in lib. 1. ſect 3. Aegro. 9. Pedis dolor fortis à magno digito cępit: & ſubdit, ſecunda die puſtulæ nigræ, febris acuta, inſanit. Et Aegro. 10. Febris vehemens corripuit, dolebat caput, collum, lumbos ab initio, ſubditque. Febris acuta inuaſit. præcordium eleuabatur cum tumore, diſtẽtio non valde, lingua ſicca. Et Aegro. 11. Vxorem, quæ filiam pepererat, ſecũda die rigor corripuit, febris acuta, ac ſympto, lege, & l. 7. nu. 67. Cœpit febris acuta, rubor faciei ex nulla cauſa manifeſta, paulò poſt in die rigorem habuit &c. Hos recitauimus acute febriẽtes; vt cauſas, & ſymptomata innoteſcerent, quæ ibi lege, & in pluribus locis in l. de morb. popul. nam & in l. 1. ſect 3. Aegro. 1. febre acuta primo die correptus eſt, & Aegro. 2. ſecũdo die febris acuta. Et Aegro. 3. febris acuta. & Aegro. 4. octaua ſuperriguit. febris acuta. & Aegro. 5. poſtridie à partu febris acuta, cordis dolor, & muliebrium partum. vbi verò glandem ſubdiſſet; hæc quidem leuiora facta ſunt. & ſubdit. decimaquarta ſuperriguit. febris acuta. Quibus verò fiant acutæ febres, & quo anni tempore, ſcribit Hip. in l. 1. aph. 14. febres ſenibus non ſimiliter acutæ fiunt, ſicut ſcilicet creſcentibus: frigidum enim eorum corpus. & in l. 3. aph. 29. iuuenibus ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ. & apho. 11. ſi hyems ſicca, & aquilonia fuerit, ver autem pluuioſum, & auſtrale; neceſſe eſt æſtate febres acutas fieri. & aph. 14. ſi autumnus aquilonius fuerit & ſiccus; his qui naturam habẽt humidiorem, & mulieribus conferet, reliquis autem erunt lippitudines ſiccæ, & febres acutæ. & apho. 71. in ſiccitatibus febres acutæ fiunt. & in lib. de ae. aq. & loc. nu. 25. lege quando hominibus, & qua de cauſa febres acutiſſimæ maximè pituitoſis accidant. Prognoſtica verò ſint hæc. ſi febris fuerit, & venter non egeſſerit; conuulſiones pueris fiunt, vt legitur in com. 3. prog. & febris acuta ſuperueniens conuulſionem ſoluit, vt legitur in l. de Coac. præn. nu. 3. ſed n. 2. febris acuta, & bilioſis ſpiritus magnus poſt præcordiorum tumorem, abſceſſus circa aurem attollit. & in l. de Denti. nu. 2. febris acuta pueris in dentitione accedens conuulſionem quandam inducit. & in l. de Iudica. nu. 8. cum febre acuta ſudores frigidi lethales: cum mitiore verò morbi longitudinem. & in l. de præſ. n. 2. cum febre acuta conuulſiones perniciosæ. & in l. 1. prædi. in morbis acutis bilioſis valde albę ſpumoſæ circum bilioſæ egeſtiones malæ. malę item & vrinæ eiuſmodi. num his hepar doloroſum eſt? Et ſubdit. ſitis præter rationem ſoluta in acutis morbis mala eſt. ſudor multus cum febribus acutis oboriens malus eſt. & vrinæ doloroſæ malæ ſunt. & in l. prog. com. 1. Qui febre acuta manus ſubinde ob os fert aut fruſtra venatur muſcas, aut colligit feſtucas, aut de veſte euellit pilos, aut de pariete ſtipulas capit, lethale eſt. & in l. de Coac. præno. pag. 177. col. 2. cum febre acuta auris dolor pertinax, & alio quodam ſigno aliquantulum maligno. iuuenes quidem ſeptima die occidit. & cætera ibi lege. Et in febre acuta aures obſurdeſcere furioſum. & cum febre acuta tumores circa aurem ex plurimis graueolentibus, & cum præcordio intento tardius excitati occidunt. & in febre acuta à vocis interceptiones cum exolutione ſine ſudore ſunt quidem lethales, minus verò quàm cum ſudore: verùm diuturnitatem temporis ſignificant. ſortaſſis autem, & qui ex recidiua tale quid patiuntur, tutiſſimi ſunt. perniciosiſſimæ autem ex talibus habent quibus ſanguis ex naribus fluit, & quibus alui humectantur. Et bona autem ſpiratio in omnibus morbis qui cum febre acuta ſunt, & in quadraginta diebus iudicantur, magnum momentum ad ſalutem habet. & pag. 176. anheloſis febris poſtea acuta. Et ibidem pueris febris acuta, & aluus ſuppreſſa cum vigilijs & calcitrare, & colorem mutare, & ruborem habere conuulſorium eſt. & pag. 176. capitis dolor pertinax cum febre acuta, & alio ſigno maligno lethale. Febrium quidem acutarum curationem ſi deſideras, lege in l. de Affect. pag. 80. nu. 12. & 13. & 14. ſed hæc pauca nos addemus. ſcriptum eſt in lib. de Coacis præno. nume. 4. febrem acutam cum ſudore

ſoluit

soluit alui egestio pura superueniens. Et, ibidem.n. 3. febres acutas turbulento, non bilioso insaniæ os ventriculi dolenti soluunt.& in l.4.de morb.popu.n. 20.curatus hæmorrhoidibus insanijt.febre acuta succedente cessauit. in febribus acutis sticuloſi,à medicis potu interdicto, aut etiam à seipsis abstinentes, multum sibi bibere posse videntur. his aqua frigida data, vt reuomant, prodest. bilioſa enim aderunt.

Febris à bile.

Scribitur in l.2. de morbis pag.67.nu.36. si bile in sestatur homo: febris ipsum corripit quotidie, ac dimittit. & in l.de Nat.hom.pag.111.n.27.Febres pluri mæ à bile fiunt.species ipsarum quatuor sunt,præter eas, quæ ab occultis doloribus generantur. nomina ipsarum sunt,continens,quotidiana,tertiana,quartana. Continens,a plurima,ac meracissima bile prouenit, & iudicationes quam breuissimo tempore facit: corpus enim nullo tempore perfrigeratum cito colliqueſcit,nimirum à multa caliditate calfactum, de Quotidiana, Tertiana, & Quartana suis dicemus locis, sed in lib.2. de morb. citato loco subdit. detinet autem febris à bile maxime in meridie, & os amarũ est, & cum sine cibo manet, offendit ipsum, vbi verò ederit; strangulatur, & à modicis quibusdam cibis impletur,& abominatur,& vomitiones ipsorum inuadunt,& ad lumbos, ac crura grauitas incumbit, & multum dormit. hic si post febrem exudarit frigidum, ac multum sudorem, & febre non liberetur; morbum diuturnum sentiet. si verò non sudarit;citius iudicatur. cum sic habuerit, & ad nonum diem deuenerit, pharmacum dato: nam si statim à febris initio dederis, postquàm purgatus est: febris repetit, & rursus medicamento opus habet; at si os non afficiatur, verum ad imum ventrem tormen irruat, pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & postea lac asininum, aut serum, aut aliquem succum. si verò debilis fuerit; per clysterem eluito.ante medicamenti verò potionem si quis febriat; danda est ipsi aqua mulsa aquosa. altera autem die, qua febris detinet,aquam frigidam, quantum bibere volet,dabis. vbi verò remiserit febris:ptisanæ succum, aut milium tenue sorbeat. & vinum album, odoratum, aquosum insuper bibat. si verò febris neque noctu, neque interdiu remittat, quid faciendum sit L.supra de febre continua. cæterùm illud non est omittendum, quod legitur in l.4 de mor. pagin.77. n.25.& id est.si in homine fuerit aliquid morbosi, & ea quæ ex cælo obueniunt,incommoda fuerint,& calescat homo:turbatur humor omnis in corpore calescens, hoc autem violentia facit. & si purgetur homo, humore illo turbato, secernitur quantum eius plusquam cõmodum est,redundarit, & quemadmodum lac concussum, ac turbatum spumescit,ac secernitur, & butyrũ in superficie consistit, cum leue sit: graue verò, & crassum deorsum, serum lactis mediũ locum tenet: sic in homine dum turbatur humor,id quod leuissimũ est in superficie consistit, & est bilis: secundo loco sanguis, tertio pituita. grauissima autẽ horum humorum est aqua.his verò ita se habẽtibus, quisquis plurimus fuerit, in principio contingente turbatione;deuenit ad locum,vbi plurimus esse possit.in turbatione verò,spacioſa capacitate euadente, secretus distrahitur, & calefacit corpus. aut aliqua corporis parte firmatus,vnà cum alio humore, cum quo est in alio loco, dolorem, ac calorem exhibet, ille verò, qui calefactus est locus, reliquum quidem corpus calefacit: & ex hoc febris oboritur, & oboritur magis a bile, & pituita, & sanguine: calidissimi enim hi humores existunt. ab aqua verò non valde febris oboritur,neque diuturna; nam igni non bonũ alimentum aqua præbet, sic scriptum est de bile, & sanguine, sed potissimum de bile, vt pote quæ sit febrium causa materialis potissima.

Febris ardens.

De Febre ardenti, quàmuis à nobis antea scriptũ sit in cap. de Causo:tamen illi parti hæc pauca addemus,quæ ex libro 2.de morb.pagin.70.n.61.traduximus.verba autem hæc sunt.febris tenet, & sitis vehemens,& lingua aspera,& nigra, & cum virore pallida,& sicca, & vehementer rubicunda: & oculi cum virore pallidi sunt. & excrementum egerit rubicundum,& cum virore pallidum.talem quoque vrinam mingit,& multum spuit. sæpe trãsmutatur veluti ad peripneumoniam, & delyrat. ex qua re cognoueris, quod peripneumonia fit.hic si quidem peripneumonicus fiat, & quatuordecim dies transgrediatur; sanus fit. si verò in decem,& octo diebus peripneumonicus fiat,quomodo sit curandus ibi L. Et in l.de Affect.pag.80.nu.11.febris ardens,sine causos cum habuerit; febris detinet,& sitis fortis,& lingua aspera, ac nigra fit à spiritus caliditate, & color subbilioſus fit,& sputa bilioſa,& æger extrinsecus frigidus fit.intrinsecus verò valde calidus. Prognostica autem sunt hæc.leguntur in l.de Coac. præno.pagin.175.col.2. quibus cum febre ardente tumores somnolenti torpidi fiunt,his dolor in latus superueniens leuis syderationis,& resolutionis modo occidit.& pag.176. in febre ardente si aluus eruperit, mortale est. Et, febris ardens ex alui dolore laborioso,pernicioſe. Et, in febribus ardentibus si aurium sonitus accedant cũ visus hebetudine, & grauitate secundum nares melancholico modo ab atra bile mente mouentur sanguine ipsis non erumpente. Et tremores in febribus dentibus mentis percussio soluit. Et in febribus ardentibus fluxio sanguinis ex naribus quarta die malum. mala est si non aliud quid boni conciderit. verum quinta minus periculoſa. Et,qui ex febribus ardentibus aliquantulum perfrigerantibus cum egestionibus alui aquosis,ac bilioſis laborant,oculis malum est,tum alias, tum si stupidi fiant. Et, febris ardens rigore superaccedente soluitur. Et ibidem,febres ardentes recidiuare solent. & vbi per dies quatuor significationem de se præbuerunt, postea exudant. sin minus septima die. Et subdit, febres ardentes quatuordecim dies diiudicant aut alleuantes,aut perimentes. Et,ex febre ardente abscessu purulento circa aurem non fiente non valde seruantur. Et pag. 177. abscessus iuxta aurem ex acutis morbis maximè in febribus ardentibus fiunt, & si non iudicationem fecerint, & matureſcant, aut sanguis ex naribus fluxerit,aut vrinæ subsidentiam crassam habuerint, ægri pereunt.alia verò ibi lege.Huic conducit frigefacientia adhibere,& ad aluum,& forinsecus ad corpus, cauenda ne inhorreſcat. potiones quoque ac sorbitiones dandæ sunt frequentes, & paulatim, quàm frigidissimę,venter autem curetur.& si quidẽ non subeant,quæ insunt, infusa frigidissima per clysterem immittantur, aut quotidie, aut alternis diebus.

bus: hic autem morbus fit à bile cõmota si intra corpus firmata fuerit, solet etiam in peripneumoniam transire, iudicatur autem breuissimus quidem nona, aut decima die, longissimus autem decimaquarta, & si quidem transierit in peripneumoniam; pauci effugiunt, si verò non multi effugiunt, atque hi morbi acuti vocantur, & oportet hos sic curare. Et in lib. de loc. in hom. pag. 32. num. 39. cum verò gracilem existentem febris vrat; manifestum est, quòd non propter corporis tumorem febris occupat: & si non cesset; nutrire oportet, ac tumidum facere. Et si neque sic conducat; palam est quòd non oportuerit febrem inducere, hunc itaque medicamentum potare oportet, quod educat, qua febris parte magis hæret, siue superne, siue inferne, & si quidem superne hæreat; superne: sin inferne; inferne, nihil autem minus oportet etiam debiles fortia medicamenta potare, sed similiter, aut solum sic, vt fortibus quidem forte, debilibus verò debile exhibeas, ardores verò potionibus, & sorbitionibus, quemadmodum febrem frigefactorio medicamento, exoluere oportet, camaro scilicet aut alio quopiam huiusmodi, & si nauseam contrahat à frigefactorio; calfactorijs vtere consequenter: vbi verò non cesset; frigefactorijs rursum vtere, at verò quæ frigefactoriæ potiones in febre ardenti conueniant, describuntur in lib. 3. de morb. pag. 74. nume. 29. atque ibi plures conficiendi eas leguntur modi. de febre ardenti cum varijs symptomatibus, si cupis, leg. in l. 7. de mor. pop. num. 9. febris ardens acuta post capitis dolorem legitur in libr. 3. Aegro. 9. & ibi quoque Aegro. 5. legitur alia febris acuta ardens. & Aegro. 7. alia, & Aegro. 12. alia cum plurimis symptomatibus, atque alijs in locis, quos diligenter lege: nam sparsim & causas, & signa, & symptomata reperies, sed l. Causus.

Febris erronea.

Febris corripuit erroneo modo, & quo modo lege in lib. 1. de morb. popul. sect. 3. Aegro. 6. verum in lib. de Coac. præn. num. 4. In febribus erroneis nigræ in vrina nubeculæ quartanam indicant. Et nume. 1. eiusdem l. Febres intermittentes, & erroneo modo inuadentes, autumno maxime in quartanam leuiter transeunt: & hoc magis his, qui triginta annos excesserint.

Febris lenis epialos Græcis dicta legitur in lib. de superfæ. num. 24.

Febris lypirica.

Febris lypirica huius est naturæ, proditum est in libro 2. de morb. pag. 67. nume. 37. foris ad contactum febris debilis est, intrinsecus autem ardet, & lingua ipsius aspera est, & per nares, & per os spirat calidum, quinta die præcordia dura sunt, & dolor inest, & calor qualis in morbo regio apparet, & crassam ac biliosam vrinam ejicit, hunc si septima die rigor, & febres vehemens apprehenderit, & exudarit; bene est, sin minus; moritur septima, aut nona, corripit maxime hic morbus, si non annus squallidus fuerit, cum sic habuerit, quotidie calida lauato, & aquam mulsam aquosam multam bibendam dato, & ptisanæ succum frigidum bis in die sorbendum, à sorbitione verò vinum bibat aquosum, album modicum. Si verò aluus non egerat; clysterem adhibeto, aut glandulam subdito, cibum autem ne exhibeas; donec febris remittat, vbi verò sedata fuerit; pharmacum deorsum purgans bibat: reuertitur enim quandoque morbus, si impurgatus permanserit, & amplius morbus hic rursus corripit: si sanguis nimiũ biliosus factus fuerit, at verò in lib. de Coac. præno. num. 1. febres lypiricæ bilis sursum ac deorsum effusione non accedente non soluuntur. Fit morbus in capite quidam, ut legitur in li. 2. de morb. num. 16. cum quis liberatus fuerit à febre lypiria. Et nume. 49. eiusdem lib. in tabe dorsali temporis progressu, vt febres fortes ipsum corripuerint; perdunt febres lypię. Et in lib. de affect. pag. 80. num. 14. si externæ partes non valde feruidæ fuerint, verum internę, & lingua aspera, ac nigra sit; huic pharmacũ ne dederis. curato autem frigefacientia adhibendo, & ad aluum, & ad reliqua corpus, vocatur autem hęc febris æstuosa, iudicatur maxime vndecima die, & decimaquarta.

Febris nonana, septimana, adhuc longior est, & nõ lethalis, vt legitur in l. 1. de morb. popu. sect. 3. harum curationes in l. Hip. nondum legimus.

Febris nocturna non admodum lethalis est, verum longa, vt legitur in eodem lib. sed febris diurna, nocturna lõgior: quibusdam autem & ad tabem vergit, sicut scriptum est in l. 1. de mor. pop. sect. 3.

Febri semitertianæ contingit, & acutos morbos fieri, & est hæc præ cæteris maxime lethalis. sed & tabidi, & quicunque ex alijs longis morbis ægrotant, ex hac maxime ægrotant, sic obseruatum est in lib. 1. de mor. popu. sect. 3. at verò in semitertiana anxietas, & vomitus, & simul horror, febre incipiente, vt legimus in lib. 7. de morb. popu. nu. 47.

Febris singultientis signa, & curationem lege in libro 2. de morb. nume. 62. Et in lib. de Vict. ratio. in morb. acut. com. 4. & recitat medicamentum. postea subdit. Talis effugere non potest, si non sudores iudicatorij, & somni æquales acceserint: & vrinæ crassæ, & acres, aut ad absessum morbus decubuerit.

Febres pestilentes, vt placet Gal. vocantur ab Hip. pemphingodes, aspectu terribiles: manui libro 6. de mor. popu. sect. 1. hanc dat Hip. febrium diuisionem, febres aliæ mordaces sunt manui, alię mites: alię non mordaces, sed post insurgentes: aliæ verò acutæ, sed quæ à manu vincuntur: aliæ statim perurentes, aliæ in totum debiles, aridæ: aliæ salsuginosæ: aliæ pemphingodes, aspectu terribiles: aliæ tactui humectæ: aliæ valde rubræ, aliæ valde pallidæ: aliæ valde liuidæ: & id genus aliæ.

Febres diuturnę, siue longæ.

Febres diuturnæ pueris, senioribus, & ad puberta tem accedentibus fiunt, vt scribitur in lib. apho. sect. 3. part. 27. Et in lib. de Iudica. num. 8. febris diuturnæ signum sunt in manibus palpitationes, aut breues iudicationes in deterius Et in lib. de Coac. præn. num. 4. febrem diuturnam vrina cruenta in principio mieta significat: turbata, cum sudore recidiuam. Et num. 1. Eiusdem lib. in febribus iudicationes impeditæ, ac sublatę temporis quidem diuturnitatem inducunt, non autem pernicioſæ sunt. Et in lib. aphor. sect. 3. part. 16. febres longæ in pluuiarum multitudine plerunque fiunt. Et in lib. præ. nu. 24. quæcunque febris longiorem moram traxerit, homine alioqui ad

salutem dispositò, ita vt neque dolor teneat ob inflammationem aut ob aliquam aliam manifestã causam; huic abscessum expectare oportet cum tumore, ac dolore ad aliquem articulum, vel maximè infernum. & in lib. de Victus ratio. in morb. acut. solent autem longæ hæ fieri febres, & impetuosos humorum de loco, ad locum illapsus habere: si quidem infernæ partes frigidæ fuerint circa aures, & collum. cætera verò ibi lege. Et in lib. de Coac. præno. nume. 4. in febribus longis tenuibus, erroneis, vrinarum tenuium mictiones splenicæ fiunt. Et in lib. aphor. sect. 4. part. 44. quibus febres longæ his tubercula ad articulos, aut dolores fiunt. Et in eodem lib. sec. 7. par. 63. etiam patet illud. Et in lib. de Coa. præn. num. 1. in febribus longis, aut tubercula, aut dolores in articulis fiunt. & si facti fuerint, non sunt inutiles Et in l. aph. sect. 5. par. 64. lac in febribus longis conuenit.

Febris vehemens.

Legitur in lib. 7. de morb. popul. nume. 15. Theodori vxori in febre vehementi sanguinis eruptio facta est hyeme. reliqua ibi lege. Et in 3. sectio. 1. Aegro. 2. Hermo cratem, qui ad Nouum murum decumbebat febris vehemens corripuit, cœpit autem dolere caput, & lumbos. Et in 1. sectio. 3. Aegro. 7. Metonem febris vehemens corripuit, lumborum grauitas dolorosa. alia verò ibi lege. Et in lib. de Coac. præno. num. 2. febris vehemens, & delyrium ex dentis corruptione lethale est. Scribitur in lib. aphoris. sect. 4. part. 54. febres fortiores fiunt, quibus circa dentes in febribus viscosa adhærent. Et in lib. de Medi. purg. pag. 41. num. 4. in febribus fortioribus bile à medicamento commota, æger neque bibens, neque sorbens plerunque perit. Et ibidem. febri forte correptus, si prima die qua medicamentum sumpsit superstes maneat, & vnà cum purgatione remittat febris sanus fit. Et ibidem numero 5. à febri forte correptus, si detinet medicamentum, ante meridiem nihil purgatur: à meridie verò nimium purgatur, & perit. Et in lib. 2. de morb. numero 37. foris ad contactum febris debilis est, intrinseca autem ardet, & lingua ipsius aspera fit, & per os, & per nares calida spirat. reliqua ibi lege. Et in lib. de Affectio. nume. 13. in febre forte, bilis per superiora, aut inferiora purgatio. Et in lib. de Medi. purg. pag. 41. nume. 4. febribus fortibus correptis medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris: carnes enim ipsorum & ventres cum sint calidi medicamentum adsumũt, & nihil depurgantur.

Febris Hyberna.

Febres ex hyeme austrina, vere, & æstate siccis lege in libro 2. de morb. popul. sect. 3. Et in lib. 7. de morb. popul. nume 10. Hermoptolomi vxori hyemis tempore febris, & capitis dolores. alia ibi leg. Et in lib. de Victus ratione in morb. acut. num. 48. si in febre hyberna lingua aspera fiat, & animi deliquia adsint, tali remissio febris contingere solet. Et in lib. de Affect. num. 11. febrium hyemalium in acutas transitus fit, cum duo humores, bilis videlicet, & pituita commoti ac inter se coacti parti alicui vbicunque tamen contigerit allabuntur. Et ibidem, febrium hyemalium siue ex vino, siue ex lassitudine, siue ex aliqua fiant causa, obseruatio, & tutela, quam ibi lege.

Febres Vertiginosæ.

Febres vertiginosæ cum voluulis, & sine voluulis pernicioſæ, vt patet in lib. de Coacis præno. num. 3. Et in lib. de Victus ratione in mor. acutis, num. 44. quibus in febribus vertigines ab initio, & capitis pulsus fiunt, & vrinæ tenues, in his expectare oportet, vt ad iudicationes febris exacerbetur, nec verò admiraret, si delyrarent.

De Febribus, quas varia comitantur symptomata.

Febris, quæ post capitis affectum fiat, vel antecedat, vel comitetur, mentio fit his in locis. scribitur in lib. 1. de morb. popu. sect. 3. ægro. 10. Febris uehemens corripuit. dolebat autem caput, collum, lumbos ab initio, & in lib. de iudica. num. 2. Quibus in febre capitis dolor, & alia signa circunstant, in his bilis dominatur. Et in libro 1. de mor. pop. sect. 3. Aegro. 14. Melidiæ, quæ decumbebat iuxta Iunonis templum, capitis, & colli, & pectoris dolor fortis cœpit, statim autem febris acuta corripuit. Et in lib. 3. eiusdem libro sect. 1. Aegro. 2. Hermocratem qui ad Nouum murum decumbebat febris vehemens corripuit, cœpit autem dolere caput, & lumbos. Et in libro aphor. sectio 7. part. 51. quibuscunque sanis derepente dolores fiunt in capite, & statim voce intercepta iacent, ac stertunt, & in septem diebus pereunt, si non febris apprehendat. Et ibidem part. 50. quibus cerebrum dissectum fuerit his necesse est febrem, & bilis vomitum accedere. Et in l. 2. prædict. num. 23. febrem in capitis vulnere intercipere quarta die, aut septima, aut vndecima lethale est, alia verò ibi lege. Et in libro de cap. vulner. numero 28. febre inuadente ex capitis vlcere, quid faciendum ibi lege, & in libro de loc. in homin. num. 44. febricitanti caput ne purgato, vt ne furiosus fiat, reliqua ibi lege.

Febris cum affectibus aurium, ait Hippoc. in lib. 7. de morb. popul. numero 5. Cydij filio circa solstitium hybernum rigor, & febris, & auris dextræ dolor, & capitis dolor, reliqua ibi lege. Et in libro de Iudi. numero 11. Quibus in febribus aures obsurduerunt, his non soluta febre insanire necesse est, soluit autem sanguis è naribus erumpens, aut aluus biliosa egerens, aut dysenteria accedens, aut coxarum, aut genum dolor. Et in libro aphor. sectio. 4. part. 60. quibus in febribus aures obsurduerunt, his sanguis è naribus effusus, aut aluus exturbata morbum soluit.

Febris in affectionibus colli, scribitur in libro de Coact. præno. numero 2. in omni febre malum est colli dolor, pessimum autem in his, quibus timor est, vt etiam insaniant. Et in lib. aphoris. sect. 4. par. 35. si à febre occupato collo repente obuersum fuerit, & vix deglutire poterit tumore non existente, lethale est. Et in l. 1. prædic. num. 9. colli dolor malum quidem in omni febre, pessimum autem his, quibus timor est, vt insaniant.

Febris cum affectibus præcordiorum. Scribitur il lib. de Coact præn. num. 1. febris ex præcordiorum dolore malignæ sunt, sopor in his pessimus. Et in eodem libro 4. febris dolores circa præcordia absque

inflam-

inflammatione soluit. Et nume.3. in febre malus est dolor in pectus firmatus torpore. & numer. 2. in febre dolores ad præcordia exilientes, sine sudore soluti maligni. his ad coxendices dolores fiunt. & ipsis vna cum febre ardente aluus deorsum erumpens pernicioſum est. Et ibidem. in febre ad præcordia dolores voce intercepta, sine sudore soluti, malum est. Et in eodem lib. numer. 2. febrire nociuum est, quibus derepente dum sine febre sunt, præcordij, & oris ventriculi dolor, & circa crura, ac infernas partes, & aluus in tumorem eleuata est. longæ enim & vehementes febres fiunt, & tusses, & spiritus, & singultus fiunt &c. Et in lib. 1. prædict. nume. 7. febres ex præcordiorum dolore malignæ sunt. Et in lib de Victus ratione in morb. acut. num. 45. Quibuscunque febres anxioſæ sunt, & quæ præcordia intendunt, & decumbentes in eodem loco decubitum non sustinent, & extremæ partes perfrigerantur, hi plurima omnino diligentia, & custodia opus habent.

Febris cum affectibus vocis. Inquit Hipp. in lib. 1. prædict. numer. 12. quibus voces cum febribus deficientes post iudicationem, hi trementes, ac soporoſi moriuntur. Et in lib. de Vict. ratione in mor. acut. numer. 50. cum febricitanti decimaquarta die vocis interceptio accesserit, non cita solutio contingere solet, neque liberatio à morbo fieri, sed temporis diuturnitatem tali significat. Et in lib. de Coac. præno. num. 2. in febre vocis interceptiones conuulsorio modo fientes ad mentis emotionem cum silentio deueniunt. Et ibidem. cum febre vox deficiens, & cum iudicatione intercepta, hi tremuli moriuntur.

Febris cum aluo affecta scribitur in lib. de Coac. prænotio. nume. 1. in febribus inflata aluo flatus non erumpere malum. Et in lib. 1. de morb. nume. 6. febrienti aut vulnerato aluus reficcata malum. Et in lib. de Coac. præno. nu. 4. vna cum febre aluus turbata salsuginoso modo, soporoſos, torpidos non valde comitatur. Et in eodem lib. nu. 1. febres amburentes ad manum torpidæ, sticuloſæ, anxioſæ, in his aluo suppræssa grauati exoluuntur.

Febris cum affectionibus lateris. legitur in li. de Coac. præn. num. 3. cum febre diuturna lateris dolor, puris eductionem fore significat. Et in lib. 7. de morb. popu. numer. 47. Metoni circa pleiadum occasum febris, lateris siniſtri dolor vsque ad clauiculam. cætera ibi lege. Et in lib. de Coac. præno. numer. 3. in febribus iuxta latus dolores consistentes citra notas, venæ sectio læserit, siue cibum auersetur æger siue præcordium sublime habuerit, &c.

Febres cum affectibus glandularum coniunctæ. febres omnes ex glandularum tumoribus malę sunt. & febris ex glandularum copioſa fluxione legitur in l. de Glan. num. 2.

Febris cum icteritia. quibus in febribus morbus regius fit ante septimum diem malum, vt patet in lib. 4. aphor. 62. at verò aphoris. 64. quibus in febribus septimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo morbus regius succedit, bonum, nisi dextrum hypochundrium durum fuerit: si verò non malum, & non bonum. Et in lib. de ludi. num. 3. desinente febre ardente si accedat morbus regius, non solet amplius exudare, neque vsquam alibi abscessum facere, sed sanus fit.

Febris in affectibus crurium scribitur in lib. de Vict. ratione in morb. acu. nu. 49. quibus in febribus crura fiunt tuberculoſa, & hæc tubercula moram trahentia non maturantur, febribus perseuerantibus, &c. talibus sanguis è naribus fluere solet. si quidem multus fluxerit, solutionem morbi significat: sin minus, morbum longum.

Febris quartana l. Quartana.

Febris quotidiana l. Quotidiana.

Febris tertiana l. Tertiana.

Fel.

In lib. de ossium natu. pag. 27. numer. 6. de situ fellis hæc narrata sunt. Hepatis extremitates quinque sunt. super quarta autem extremitate fel incumbit: quod oſculum ad septum transuersum, & cor, & pulmonem profert. Eius vsus explicatur in lib. 4. de morb. pag. 75. nume. 2. his verbis. sanguini fons est cor, pituitæ caput, aquæ splen, bili locus folliculi in hepate. & num. 8. Postquam comedit, & bibit homo quid amari; quodque bilioſum, ac leue est, bilioſior etiam bilis fit in hepate. trahit folliculus in hepate, quicquid bilioſi isthic inest. & si derepente multa bilis fiat; homo hepar dolet, & de ventre copioſior fit: hoc enim contingente, procedit de veteri bile propter multitudinem ad ventriculum, & ex hoc tormen ventriculo oboritur. & pars ipsius per vesicam, pars per aluum egreditur. atque sic minima pars in homine manet, & dolores cessant. si verò per corpus distribuatur, & multa; statim significationem sui præbet alij humori ammixta. si verò modica; non adeo læserit, cum magnum sit corpus; si non & aliud quoddam principium suboriatur. verùm temporis progressu si alia bilis superaccedat copioſior; hominem vtique læserit. reliqua ibi vide. & in lib. de inter. affe. pag. 88. num. 32. Hepatis fel pituita, & sanguine repletum, velut ratiocinamur, dirumpitur. &, vbi diruptum fuerit; celerrime insanit, & indignatur, & loquitur stulta, & latrat velut canis. & vngues punicei fiunt, & oculis videre non potest, & pili in capite erecti stant, & febris acuta corripit. plerique moriuntur in vndecim diebus, paucique effugiunt. curationem lege nu. 31. hæc de situ fellis, atque de morbis, qui ab ipso fiunt. At de animalium fellibus hæc lege.

Fel tauri tritum in potione ad purgationes muliebres datur, vt apparet in lib. de Natu. mulieb. nume. 105. fel verò scorpij marini ad fœcunditatis experimentum in eodem lib. nume. 90. & ibi quoque num. 29. fel suillum ad ciendos menses atque secundas educendas.

Fœmur.

De Fęmoris anatomia scribitur in l. de oſ. nat. nu. 1. & 2. Et in lib. de loc. in homi. nume. 13. & in lib. de Arti. nu. 88. at verò fęmur dolore afficitur, pungitur, extenuatur, luxatur, frangitur, atque os abscęditur. Ex fęmoris dextri dolore febris acuta ardens, scribitur in lib. 3. de morb. popula. sect. 3. sed fęmoris punctionem sine sanguine mors tertia consecuta est in lib. 5. numer. 19. & fęmur extenuatum est ex labore montano, vt scribitur in lib. 6. sect. 3. verùm in lib. de Arti. nume. 87. agitur de fęmore in posteriorem partem luxato. Et nume. 55. de fęmoris articulo ex coxa elapso. ibidem quoque descri-

buntur fæmoris intro elapſi ſigna. Et nu. 65. fæmoris caput in poſteriorem partem elapſum. Et nu. 70. fæmoris caput in anteriorem partem elapſum. Et nu 81. fæmoris oſſis abſceſſio. Et nu. 82. fœmoris circa coxam luxatio. Et nu. 86. fœmoris caput ad externam partem luxatum. & nu. 66. fœmoris in poſteriorem partem elapſi ſigna. & 62. fœmoris caput in exteriorem partem elapſum. At verò n. 90 ſcribitur fœmoris repoſitio. & nu. 66. fœmur non repoſitum Et num. 57. fœmoris tibiæ, & pedis decurtatio ex articulo nõ repoſito. Et nu. 24. fœmur fractum quinquaginta diebus corroboratur. & nu. 22 agitur de fœmoris oſſe fracto. verum nu. 23 deſcribitur fœmoris breuius effecti dedecus. & num. 38. fœmoris, aut brachij os extra eminens. & num. 24 fœmur magis gibboſum ad partem æxternam.

Ferinum.

Legitur in l. 6. de morbo. popu. ſect. 1. ferinum autumno, & oris ventriculi dolores, & horrores, & atrabilis. vbi Gal. inquit. ſiue vermes, qui aſcarides appellantur, ſiue lumbricos inſinuarit per illud ferinũ, ſiue elephantem, & cancrum, ſiue etiam tabem vt voluere non nulli, ſiue quidquid malignũ ſit; merito hęc omnia in autumno, tum ob prauorum humorum eo tempore reddundantiã, tum ob aeris ambientis inæqualem temperiem oboriuntur. vnde neque mirum eſt, ſi cordis dolores, & horrores, & atræ et biles autumni tempore vigeant. Et in l. 6. de morb. po. ſec. 2. par. 24. Tuſſes ſiccæ &c. neque linquæ ad morbum torrefactæ non ferino, ſed ſpiritu. & Gal. in com. inquit. Pro maligno ferinum accipiendum eſt, ſiue ex deſtillatione à capite tuſſiant, ſiue ex vlcere cuiuſpiã ex membris ad ſpiritum attinentibus, ſiue ex abſceſſibus ibidem obortis, ſiue ex appellatis ſuppurationibus. ſic in eodem ſect. par. 17. Tuſſis ſicca, non ferina, hoc eſt, maligna. Dicitur etiam vlcus ferinum, de quod ſcriptum, eſt in lib. de lo. in ho. pag. 32. numero 41.

Ferox.

Ex compoſito, modeſtoque homine, hoc eſt, benigno ferox reſponſio mala. hæc refertur ſententia in l. 2 pror. par. 9. & rationem reddit Gal. in comm. & inquit. omne ſi quidem, quod præter naturam eſt propriam, malum eſt. & par. 36 quibus ferox oculus, clauſuſq; purgationem non oportet & part. 55. oculo feroci, & floreſcentes in ſcapulos rigẽt. & in l. 3. par. 19. turbulentæ, feroceſq; è ſomno excitationes conuulſiuæ tum alias, tum cum ſudore.

Ferrum ſanat quæcunque medicamenta non ſanant, quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, ea incurabilia putare oportet. ſic ſcribitur in l. 7. aphor. 85. pag. 166.

Ferula.

Ferulæ in deligationibus, quales eſſe debeant lege in l. de Chirur. offi. pag. 186. nu. 9. Et qualem eſſe conueniant in fracturæ partibus in li. de Fra. pag. 187. n. 6. & in quibus vitandæ ſint ferularum locationes in eodem lib. pag. 188. nu. 20.

Feſtucas in febribus acutis aut peripneumonijs, aut phrenitide, aut capitis dolore legere lethale. Sic ſcribitur in l prog. pag. 166. num. 4.

Fex vini combuſta. in l. de natu. mul. nu. 29.

Fibri teſticulus in ſuffimento ad os vteri hians in l. de ſuperfæ. nu. 19.

Ficus.

Scriptũ eſt in l. 2. de Diç. nu. 17. ficus primę peſſimę ſunt; quia ſucculẽtiſſimç: optimę autẽ ſunt poſtremę. ficus, & vuę paſſę ęſtuoię ſunt, ſed aluum mouẽt. ficus viridis humectat, & aluum mouet, ac calfacit. humectat; quia ſucco plena eſt. calfacit, propter ſuccum itidem, aluum mouet propter ſucci dulcorem. ficus aridæ æſtuoſæ ſunt, ſed aluo ſecedunt. Et in l. de inter. affe. nu. 21. euomat, donec ficus euomuerit: hæ enim poſtremum euomuntur.

Figura.

Figura in cõpoſitis eſt quędã forma; propterea q, quemadmodũ forma materialis habet vim actiuã, & paſſiuam; ſic figura compoſiti. & hęc eſt determinata quantitas corporis, ſiue potius qualitas in quantitate. In figura reperiuntur hæc contraria: rectum. ſ. angulare, & circulare. atque vnaquaque in eo, q formalis eſt, agit; in eo, quòd eſt materialis, patitur: nam figura circularis ad velociorem motum facit, & maxime capax eſt: verùm Hipp. in corporibus noſtris nos docet quænã formæ agant, & quæ patiantur. Et ſic diuidit eas in l. de vete. med. pag 6 num. 39. figuræ aliæ cauæ ſunt, & ex amplitudine in arctũ coactæ, aliæ expãſæ, aliæ ſolidæ, & rotundæ, aliç latæ, & penſiles, aliæ extentæ, aliæ longę, aliæ denſç, aliæ raræ, & hiantes, aliæ ſpongiformes, ac molles. quæ igitur ex his trahere ad ſe, allicereque humiditatem ex reliquo corpore maxime poſſunt? equidem puto tales eſſe, quæ ex cauitate, & amplitudinem in arctum ſunt coactæ. id quod ex manifeſtis forinſecus condiſcere oportet, partim quidem, quod ore hians nihil ſane humoris attraxeris: vbi verò labra foras produxeris, contraxerisque, ac compreſſeris, inſuperque fiſtulam admoueris; facile ſanè attraxeris quicquid volueris: partim verò quod cucurbitæ, quæ corpori adponi ſolent, ex amplitudine in anguſtiam arctæ ad hoc factæ ſunt, ad trahendum videlicet, & allicicndum ex carne ſunt aũt & alia multa eiuſcemodi. verum intra hominem natura, & figura talia ſunt veſica, & caput, & vterus in mulieribus atque hæc manifeſte maxime trahunt, & ſemper plena ſunt attractæ humiditatis. at verò cauæ, & expanſæ figuræ influentem quidquidem humorem maxime omnium ſuſceperint, nõ autem ſimiliter attraxerint. ſolidæ autem, & rotundę neque attraxerint, neque ſuſceperint: dilabitur. n. & non habet ſedẽ, in qua maneat. & n. 4. Spongiformes verò, & molles, velut lien, pulmo, & mammæ, vbi ad motæ maxime fuerint, & adhæſerint, ebibunt, duraque fiunt, ac augeſcunt humore accedente maxime pulmo: non. n. in ventriculo ineſt, in quo humorem extrinſecus contineat ipſe ventriculus, in quo eſt humor, vt quotidie exhauriatur: ſed cum biberit, & ſuſceperit ipſe in ſeipſum humorẽ, & vacua, & rara, ac parua penitus explentur, & pro raro ac molli durus, ac denſus euadit, & neque concoquit, neq; admittit, atque hæc patitur propter figuræ naturam. quæcunque autem flatum, & reuolutiones operantur in corpore, ea in vacuis, ac amplis, veluti ventre, ac pectore ſtrepitum, ac ſonitũ facere ſolent: etenim quod nõ ſic repleant, vt ſtent; ſed habent tranſmutationes, & motus; neceſſe eſt, vt ab ipſis, & ſtrepitus, & manifeſtæ commotiones fiant. quæcunque verò carnoſa ſunt, & mollia in talibus torpores, & excreſcentia, velut in trucidatis fiunt. Et nume. 41.

multæ

multæ verò etiam aliæ & extra, & intra corpus figurarum ſpecies ſunt, quæ magnopere inter ſe differunt, quòd ad affectiones pertinet, tum ægroto, tum ſano: velut capita parua, aut magna, colla tenuia aut craſſa, lõnga aut breuia, ventres longi, aut rotundi, pectoris, & coſtarum latitudines aut anguſtiæ, & alia infinita, quæ omnia noſſe oportet, quatenus differant: quò cauſas ſingulorum cognitas probe obſerues.

Figura porrò dicitur poſitio alicuius membri ſiue decens, ſiue indecens, veluti legitur in lib. 6. de morb. popul. ſect. 3. part. 16. figuræ leuantes, ſicut qui manibus ſarmenta complicabat, & contorquens prę doloribus decumbebat, ſummum paxillum apprehendens ille inhæſit, & leuatus eſt. vbi Gal. ait. ſi ipſe dum ſarmenta contorqueret, in laſſitudinem incidit, non eſſet hoc iuconueniens ex ea figura dolorem fuiſſe leuiorem factum. ſed in lib. de Frac. pag. 188. num. 12. agitur de figurarum deligationis ſumma. Et in lib. de Chirur. offic. pag. 185. nume. 7. legitur de figura quæ doloris exors eſt, & ſecundum naturam.

De Fiſſuris.

Fiſſurarum oſſium ſpecies omnigenæ, ſcribuntur in l. de Cap. vuln. pag. 183. nu 7. Et fiſſuræ ex contuſione depræhenſu difficiles quæ in eod. l. nu. 17.

Fiſtula.

Fiſtularum generatio legitur in l. de Fiſtu. num. 1. Et fiſtulæ primum creſcentes, ſunt reſecandæ, vt ſcriptum eſt in l. eodem lib. num. 1. Fiſtulæ difficillimæ, quæ in cartilaginoſis, & excarnibus locis ſunt & cauæ ſunt, & procedunt, ac ſanie manant ſemper, & caruncula in oſculo ipſis ineſt, curatu autem faciliores ſunt, quam quę in mollibus, & carnoſis, & non neruoſis exiſtunt. ſic ſcribitur in lib. de Coa. præ. nu. 3. Et cui fiſtula refrigebatur, tuſſiculæ permanere impediebant, vt pro ditum eſt in lib. 6. de morb. popul. pag. 146.

Flatus.

Flatus non vnica eſt ſignificatio: aliquando enim ſcribitur pro crepitu, vt in l. 6. aph. 73. & in lib. 1. de mor. pop. ſect 3. atque in pluribus locis. Et in lib. 2. de Diæ. Quod verò intus manet, flatum inducit, & partim ſuperne eructatur, partim inferne ſecedit. aliquando pro ſpiritu ſumitur hæc vox, vt in l. de Flati. vbi inquit. ſpiritus, qui in corporibus inſunt, flatus vocantur: qui extra corpus exiſtunt, aer. aliquando pro inflatione vſurpatur, vt in lib. 2. de morb. de morbo ructuoſo, vbi ait. Venter flatuoſus fit. i. inflatur, aè durus fit. ſic in l. 2. de morb. mul. ſi vteri inflati fuerint, venter attollitur, & flatuoſus fit ſiue inflatur, & durus fit. Quæ bona, quæue mala adferant flatus, lege in l. de Flatibus. pag. 40. Cauſa flatuum in corpore eſt debilitas caloris. ſed & edulia flatus progignunt, vt apparet in lib. de Affect. pag. 82. num. 44. ſic pituita: nam legitur in lib de Inter. affect. pag. 87. num. 26. cùm in hepar pituita acceſſerit, & hepar ipſam ſuſceperit, & humectum fuerit; ſtatim calorem exhibet, & flatum inducit. deinde temporis progreſſu aqua impletur. De flatu, ſiue crepitu hoc accipe ex lib. prog. com. 2. part. 24. ſi flatus ſine ſonitu excernatur; optimus eſt. melius verò eſt, quoties erumpit cum ſonitu, quàm ſi condatur, ac reuoluatur. quòd ſi ita excernitur; indicio eſt hominem vexari dolore, aut delirare, niſi ſponte dimiſerit flatum. Et propterea mirum non eſt, ſi Hip. in l. de mor. popu. dum hiſtorias recitat de ægro. flatus hos commemoret: ſiquidem plurimum ad futuri prædicationem faciant. l. Ventus.

Floridum.

Floridum corpus apponitur gracili: nam in l. de loc. in ho. pag 33. num. 53. Hoc faciunt & aluum ſubducentia, & florere ipſum facientia: gracile faciunt corpus & reliqua omnia contraria his facientia. Et num. 36. eiuſdem lib. Ex ijſdem & ſplen floreſcit, & corpus contabeſcit. cum autem corpus tenue fuerit, & ſplen floruerit. ſed dicitur & forma florida, veluti in l. de ae. aq. & loc. pag. vbi ſic ſcriptum eſt. Hominum formæ boni caloris ſunt, & magis floridæ, hoc eſt, viuidiores. Floreſcit etiam cerebrum: ſiquidem legatur in l. de mor. fac. num. 7. purgatur, & floreſcit cerebrum, vt aliæ partes. Et in lib. 6. de morb. popul. ſec. 3. legitur floridũ corpus, hoc eſt, vt explicat Gal. floridum corpus fit & ex exercitationibus, & in illis alioqui, qui bono refecti ſunt ſanguine. Et in l. 2. nu. 23. aſperitas efflooreſcebat. Floret quoque morbus: ait enim Hip. in lib. de mor. fac. pag. 59. nu. 18. A familiari, & conſueto floret, ac augeſcit morbus: ab aduerſo, & hoſtili perit, & diſſipatur. & in lib. 2. de morb. pop. ſect. 3. ſputa multa, florida, laborioſa. Et infrà. lingua florida. Et ſuprà ſec. 2. ſubfloridum ſpuebat. Et in li. 2. pror. par. 55. capite dolentes &c. & floreſcentes. i. impenſe rubentes.

Fluuidum.

Corpora vbi quis purgare voluerit, oportet fluuida facere. ſic legitur in l. 7. aph. 67. videtur autem declarare, quid fluuidum ſignificet in l. 1. de morb. mulieb. pag. 100. num. 1. cum ait. mulier quæ non peperit, grauius: & citius è menſibus ægrotat, quàm ea, quæ peperit: cum enim peperit; venulæ fluuidiores ſunt ad menſes. fluuidas autem ipſas facit purgatio illa quæ fit à partu. & vbi hæc erumpit; vicinæ maxime ventri, ac mammis corporis partes diſcinduntur: diſcinditur item reliquum corpus. deinde neceſſe eſt venas magis aperiri, & ampliores, ac fluuidiores ad menſes fieri. Et ſic fiunt venæ fluuidæ. corpora uerò quo pacto reddantur fluuida leg. Concocta medicari.

Fluxio.

Legitur in lib. de loc. in homi. pag. 31. nume. 15. Fluxiones fiunt per frigerata ualde carne, & percalfacta, ac ſuperinflammata. propter frigus fiunt, cum caro in capite, & uenæ tenſæ fuerint: hæ enim horrente carne, & ad anguſtias perueniente adſtrictaque ac excludente humiditatem exprimunt. & ſimul carnes ipſæ contrà exprimunt ad anguſtias peruenientes: & capilli ſurſum erecti fiunt, utpote ſimul undiquaque fortiter compreſſi. quicquid igitur inde expreſſum fuerit, id ipſum quocunque contigerit, fluit. fluit autem etiam propter caliditatem, cum carnes rarefactæ tranſitus præbuerint. & humor calefactus tenuior redditus fuerit: omnis enim humor calefactus tenuior fit, & omne cedens fluit, maxime uerò, ubi ualde fuerit inflammatum, propter hanc fluit cauſam. & alia ibi leg. de Fluxione. ſed ſubdit num. 18. fluxiones de capite ſeptem ſunt, in nares ſcilicet, in aures, in oculos, in thoracem, in medulam, retro ad uertebras, & in carnes. primę tres ſunt con-

ſpicuæ cum in thoracc influxerit prę frigore; bilis fit. magis autem in thoracem prę frigore fluit; propterea quòd facilis eſt fluxio ad guttur, vtpote non contectum. ſuppurati fiunt, itemque tabidi hi quibus in thoracem fluxerit: cum verò in medulam; tabes occulta oboritur. cum retro ad vertebras, & in carnes; hydrops fit. Et num. 14. labor, & dolor fit, vbi à carne humiditas fluxerit vitioſa: primum enim articulus ſtabilitur: non enim lubrica eſt humiditas, quæ de carne influxit. deinde vt multa, & valde ſparſa & ex carne non irrigata ſemper reſiccatur, & vt multa exiſtens, & articulo ipſam non capiente, effluit: & male ſtabilita eleuat neruos, quibus articulus colligatur, & ipſos diſſolutos facit. & propterea claudi fiunt, cum hoc magis fit. ſigna verò vniuſcuiuſque fluxionis comperies in eodem lib. pag. 31. nume. 20. vſque ad 36. vbi quoque vide curationes. Et in l. de morb. ſac. pag. 58. num. 7. ſi colliquatio moderata facta fuerit, ſaniſſimum caput habebit. Si verò ampliora toto cerebro; morboſum caput, augeſcens fœtus habebit, & ſonitus plenum, & neque ſolem, neque frigus tolerabit, ſi verò ab vna aliqua parte colliquatio contigerit aut ab oculo, aut ab aure, aut vena aliqua ſimul gracilis facta fuerit; ille ſic afficitur, qualiter ſane colliquatio contigerit. & ſubdit. ſi porrò ad cor progreſſum fecerit defluxus; palpitatio apprehendit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur. Et ſubdit. ſi in vētrem fluxio fuerit; profluuia alui apprehendunt. Si verò ab his vijs excluſus fuerit, & in venas, quas dixi defluxum fecerit, mutus fit, & ſuffocatur, & ſpuma ex ore effluit, & dentes conſtringuntur, & manus conuelluntur. Et in lib. de Glan. pag. 26. nume. 8. fluxiones de capite vſque ad ſecretionem contingunt, per aures ſecundum naturam, per oculos, & per nares. atque hæ tres ſunt. & aliæ per palatum in guttur, & in gulam, & aliæ per venas in medulam ſpinalem, & in ſanguinem. quæ omnes ſeptem numero exiſtunt. hæ fluxiones cerebri ſordes, ac purgamenta diſcedentes ſunt. & ſi nō diſceſſerint morbus ipſi inde oboritur. ſic autem, & reliquo corpori aliqui morbi accedunt; ſi intro abierint, ac diſceſſerint hæ fluxiones, & non foras. & rurſus turbatio multa oboritur; ſi hianter, ac affatim attrahat, & acrem quidem fluxionem cerebrum demittat, quæ influxiones corrodit, & exulcerat. & ſi id, quod cerebro influit, copioſum fuerit, fluxio deſcendens non deſinet, donec multitudinem influentis exhauſerit: atque ſic id, quod influit foras demittens & aliud ſuſcipiens, ac ſemper in conſimili ſtatu conſiſtens, & humores trahit, & morbos facit. ambo autem magno tædio, ac moleſtia naturam frangunt, quæ ſi fuerit affecta, dolorosa afflictio exiſtit. affectiones enim naturæ ſunt prædictæ fluxiones, & multitudinem moleſtē ferunt, at morſum, ac roſionem perceptant: ex eo quod præter rationem, & non conſuetum exiſtit. At verò fluxiones aliæ ſunt pituitoſæ, aliæ bilioſæ, acres, ſalſuginoſæ, & nitroſæ, de quibus nihil eſt quòd dicam. De curatione verò fluxionum vniuerſali ſcribuntur in lib. de loc. in homi. pag. 33. num 42. hoc modo. morbos à principio curare oportet, & ſi quidem à fluxionibus fiant; primum fluxiones ſedare: ſi verò ab alia cauſa; principium morbi ſedare, ac curare: deinde id quòd influxit, ſiquidem multum fuerit; educere: ſin modicum; per diætam moderari, ac componere. Et nu. 47. fluxione ex capite fluente vomitus conducit. ſed ſi fluxio fuerit in nares; curationem habes. nu. 20. eiuſdem lib. ſi in oculos, nu. 21. 22. & 23. ſi in thoracē fluxerit num. 24. vſque ad 29. ſi in ſpinam; nu 29. ſi per gulam in ventrem. num. 32. ſi retro in carnem iuxta vertebras. num. 33.

Fluxus muliebris. l. Menſtrua.

Fœcundæ quæ ſint mulieres, ac de Fœcunditate. l. Conceptio.

Fœmina.

Vbi fœmelam generare volet; cum plurimi menſes prodierint mulieri, & dum adhuc eunt, coeat, ac dextrum teſtem obliget quantum id tolerare poterit. hæc ſcripta ſunt in l. de ſuperfœtatione. pagin. 23. nu. 18 cœterùm fœmela ab aqua magis & a frigidis, ac humidis, & mollibus augeſcunt, tum cibis, tum potibus, itemque ſtudijs, ac exercitijs. ſi igitur fœmelam parere velit, diæta ad aquam vergente vtendum eſt. & non ſolum virum hoc pacere oportet, ſed etiam mulierem: non enim ſolum quod a viro ſecernitur auctile eſt, ſed etiam quòd à muliere. rationem verò lege in l. 1. de Diæt. pag. 43. nu. 22. ſed in l. 6. de morb. popul. pag. 145. ſectio. 4. hircire incipiens vter teſtis extra apparuerit, ſi quidem dexter; maſculum; ſi verò ſiniſter fœmelam portendit. tertio menſe mouetur maſculus, & quarto fœmela, quia debilior eſt. & primum quoque conformatur maſculus: nam fartiore, & craſſiore genitura fit. ſic in l. de natu. pueri. nu. 14. verùm in l. de Octi. par. pag. 21. nu. 9 cum filiæ à matre ſegregatæ fuerint citius quàm filij pubeſcūt & ſapiunt, & ſeneſcunt propter corporum imbecillitatem, & victus rationem.

Fœtor.

In l. 2. de morb. pag. 68. num. 46. Vbi iam pus circa cor putruerit; nidoroſum odorem prunis iniectū de ſe præbet: & cerebrum concaleſcens ſalſuginoſum humorem effundit, qui aluum mouet. Hinc obſeruandum eſt ſputum fœtidum ex partibus circa cor deriuari: & ſalſum ex cerebro. Et in l. 4. de mor. num. 21. à quo fœtor perueniat, videtur explicare, cū ait. Si multum fuerit id, quod affligit, in corpore, plus, quàm opportunum eſt, & aceruatim robuſtū; turbatur ad ventriculum. &, cum non poſſit calorem ſufferre corpus eo fruitur, & graueolentiam circa ſpiritum fieri neceſſe eſt. & hic apparet à calore præternaturali fieri graueolentiam. Et propterea excretiones fœtidæ, vt legitur in l. 4. aph. 47. in febribus non intermittentibus, malæ. Et in l. prog. com. 1. par. 42. pus minime fœtidum, æquale, læue, candidum optimum. contrà peſſimum: nam, vt exponit in com. Gal. graueolentia putredinis eſt, non concoctionis ſignum. quam ob rem exitioſior deiectio eſt fœtida, ſicut & in l. prog. com. 2. par. 22. explicat Hip. hinc ſequitur illa part. 41. eiuſdem com. quæ eſt. Vomitio liuida ſi graueolet; ocyſſimam indicat abolitionem: indicat enim, vt exponit Gal. putredinem cum extinctione caloris. deinde ſubdit Hip. quaſi declarans affectionem quacunque deteriorem euadere, cui permiſceatur putredo, & inquit. Omnis ſub putris, ac fœtidus odor in omni vomitione malus eſt.

Fœtus.

Scriptum eſt in l. de Geni. pag. 13. num. 7. ſi mulier conceptura eſt; non procedit foras, ſed manet in vte-

ro

ro genitura: nam vteri ſuſceptam, & concluſam in ſe ſe continent, oſculo nimirum ipſorum præ humiditate contracto, ac concluſo: ſimulque permiſcentur tum quæ à viro venit, tum quæ à muliere emmiſſa eſt. Et primis diebus vt legitur in lib. de natu. pue. pag. 15. nu. 14. pauciſſimus ſanguis à muliere in vteros venit, deinde copioſior. ſed vt ait in eodem l. nu. 1. genitura primum ſimul miſcetur, vt pote muliere non quieſcente. coaceruaturque, ac craſſa per calorem euadit. deinde ſpiritum concipit, nempe in calido exiſtens, & poſtea matre ſpirante. hic verò ſpiritus ſibiipſi viam foras facit, & per mediam genituram erumpit: & rurſus alius frigidus à matre inſpirat. id autem quod caleſcit, trahit ſpiritum frigidum per fiſſuram, vnde nutritur. genituræ autem calfactæ, ac inflatæ ex toto, pellicula forinſecus circundatur, & iuxta medium tranſit ſpiritus per pelliculam. atqui genitura quæ ſex diebus in vtero manſit ſimilis eſt, ſi quis ouo crudo, & externam teſtam circuncirca adimat, in interna verò pellicula incluſus liquor, pelluceſcat. vidi eam, vt inquit Hipp. in eodē lib. nu. 4. tuber erat liquor, & rotundus, in pellicula verò fibræ quædam albæ, ac craſſæ ineſſe videbantur, cum cruore craſſo, & rubro obuolutę; circum autem pelliculā foris cruenta veſtigia inſtar ſugillatorum: iuxta medium verò tenue quid eminebat, quod mihi vmbilicus eſſe videbatur, & per illum ſane ſpirationem extra, & intro primum facere apparebat; quin & pellicula genituram ambiens, ac cōplectens, tota ex illo tendebatur, & num. 5. genitura igitur in pellicula eſt, & ſpiritum habet intro, & foras, & augeſcit à matre, ſanguine in vterum deſcendente à toto corpore mulieris. his in orbem forinſecus pellicula circunſtat, ſimulque cum ſpiritu ſanguis intra per pelliculam trahitur qua parte perforata eſt: & à genitura diſtat, congelaturque & futuro animali augmentum præbet. cum autem tempus acceſſerit, rurſus aliæ pelliculæ intra primam pelliculam tenues, & multæ circumtenditur eo modo, quo prima pellicula facta fuit. ſunt autem & hæ à vmbilico extentæ, & inter ſe mutua ligamenta habent. hoc facto, ex deſcendente à matre ſanguine, & congelato caro fit. ſanguis autem procedit ſenſim, & modice, citra dolorem, quotidie in vterum ipſum. iuxta mediam autem carnem vmbilicus diſtat, per quem ſpirat, & alimentum, ac incrementum capit. nec illa ſententia, quæ legitur in lib. de Car. pag. 19. nu. 8. eſt conſona opinioni Hipp. nam ſic legitur. puer in vtero comprimens labra ex vtero matris ſugit tum alimentum, tum ſpiritum. quod quidem verum non eſt, ſed liber hic nō eſt abijciendus, neque negligendus; ſi quidem ab aliquo imperito hæc verba addita ſint. Et nu. 7. caro ſpirans ſanguinem atrahit in incrementum, & ſi vtilis non ſit; in ſinus pellicularum ſecernitur. cęterum caro augeſcens à ſpiritu articulatur, & abijt in hac vnumquodque ſimile ad ſimile, denſum ad denſum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, & vnumquodque in propriam regionem iuxta cognationem ad id, a quo genitum eſt, & quæcunque a denſis genita ſunt, denſa ſunt: & quæcunque ab humidis, humida. Et nu. 14. articulatio cōtingit in fœmela in diebus quadraginta duobus, in maſculo in triginta: genitura enim fœminea debilior eſt, ac humidior quam maſcula, & idcirco illud eſt animaduertendum, quod ſcriptum eſt in l. de Geni. pag. 13. num. 7. & ideſt. quandoque fortius eſt ſemen à muliere emiſſum, aliquando verò debilius, ſimiliter etiam id, quod vir emiſit & eſt tum in viro fœmineum, itemque maſculum ſemen, tum itidem in muliere. fortior autem maſculus fœmina eſt. neceſſe igitur eſt maſculum à fortiori ſemine generari. quapropter ſi ab vtriſque ſemē fortius prodierit, maſculus erit partus, ſi verò debile; fœmina naſcetur. vtrū autem multitudine ac copia præualuerit, iuxta illud ipſum partus naſcetur: ſi enim multo plus fuerit debilis ſeminis quàm fortioris; ſuperatur forte, & debili permixtum, in fœminam tranſit. ſi verò plus fuerit fortis ſeminis, quàm debilis, ſuperatur debile, & in marem tranſit. Et ſubdit procedit non ſemper ab eodem viro genitura fortis, ſed neque ſemper debilis, ſed aliàs alia: atque ſic et ā in muliere res habet, & in ipſa genitura egreditur, & maſculinum, & fœmineum ab omni corpore, & à debilibus debilis, & à fortibus fortis. Et in l. 1. de Diæ. pag. 43. nu. 22. fœmellæ ab aqua magis, & à frigidis, ac humidis, & mollibus augeſcunt, tum cibis, tum potibus, itemq; ſtudijs, ac exercitijs, maſculi verò magis ab igne, à ſiccis videlicet, ac calidis cibis, & reliqua diæta. Et ſubdit num. 23. corpora maſcula ſi ab vtriſque ſecreta fuerint; augeſcunt pro re præſenti, & ſiunt hi viri animis ſplendidi, & corpore fortes: ſi non à diæta poſtea detrimentum ſentiant. ſi verò viro maſculum ſecernatur, à muliere verò fœmineum, & ſuperauerit, ſi ita contingat, maſculum; corpus ſane maſculum augeſcit, fœmineum verò minuitur, & in aliam ſortem ſecernitur, & hi quidē minus prioribus ſplendidi fiunt: tamē quia maſculum viro ſuperauerit; viriles euadunt. ſi verò muliere quidem maſculum ſecretum fuerit, à viro autem muliebre, ſuperauerit autem maſculum augeſcit eodem modo ſicut prius, fœmineum verò minuitur, & ſiunt hi Androgyni. i. viri effęminati, atque ſic recte appellantur. tres igitur quidem hæ ſunt generationes maſculorum differentes in eo, quod magis, aut minus tales ſint, propter partium aquæ temperamentum, & alimenta, & inſtitutiones, ac conſuetudines. Et nu. 24. ſi ab vtriſque fœmineum ſecretum fuerit; fœminoſiſſimæ, ac ingenioſiſſimæ fient. ſi verò a muliere quidem fœmineum, à viro autem maſculum, ſuperauerit autem fœmineum; audaciores quidem, prioribus fient: verumtamen ornatæ, ac moderatæ etiam ipſæ. ſi verò à viro quidem fęmineum, à muliere autem maſculū ſecretum fuerit, & fœmineum ſuperauerit: augeſcit eodem modo, & fiunt hæ audaciores adhuc prioribus, ac viriles, ac viragines nominantur. atque hinc oritur ſimilitudo fœtus ad parentes: nam legitur in li. de geni. pag. 13. num. 8. ex quacunque corporis viri parte plus prodierit in genituram quàm mulieris: partus ille magis ſimilis erit patri. vndecunque verò à corpore mulieris plus venerit, magis aſſimilabitur matri. eſt autem impoſſibile, partum per omnia matri ſimilem eſſe, & patri nihil, aut vice verſa, neque alteri quicquàm ſimilem eſſe: ſed vtriſque neceſſe eſt in aliquo ſimilem eſſe, ſi quidem ab vtriſque corporibus ſemen in partum procedit. vter autem tandem plus contulerit ad ſimilitudinem, & à pluribus corporis regionibus, illi magis ſimilis eſt. Contingitque aliquando, vt filia nata, maiori ex

parte

parte, magis similis sit patri quam matri, & filius natus aliquando magis similis est matri, quam patri. Et subdit. quandoque partus tenues & debiles generantur ex patre, & matre crassis, ac robustis. & sic quidem multis iam generatis pueris tale quid contingat, manifestum est. quod fœtus in vtero ægrotauit & ab vtero quid de suo ipsius incremento foras prodiuit, vtero nimirum amplius hiante: & propterea debilis factus est, vnum quodque autem animal iuxta proprium robur ægrotat. si verò omnes pueri nati debiles fuerint, vteri ipsi in causa sunt, angustiores quam oportet existentes. si enim non habuerint spaciositatem, in qua fœtus nutriri possit; necesse est ipsum tenuem fieri, ut pote qui non habeat satis amplum locum ad incrementum capiendum. si verò habeat satis amplum locum, & non ægrotet; verisimile est ex magnis parentibus magnam sobolem, generari. porrò autem masculus primum mouetur, quia fortior est, quam fœmella: & primum quoque conformatur: nam à fortiora, & crassiore genitura fit. at fit. at de alimento pueri. l. in l. de natu. pue. de Sept. par. ac de Octim. itē de perditione fœtus, & de causa in lib. de Geni. & in l. Mul. similiter signa mortui fœtus describuntur in l. de superfæ. pag. 22. n. 6. & in l. mul. quod verò septimestris fœtus vitalis sit, octimestris verò non L. in l. de Carni pag. 20. num 22. Et in l. de Sectim part. n. 1. in quo lib. nu. 2. fertur abortus plurimos in primis quadraginta diebus fieri. & nu. 4. de octauo mense agit, & cur partus non superstites maneant. id quod quidem & legitur in lib. de Octim. partu. nu. 1. decimestres autem non pereunt, veluti ibi scriptum est. fiunt & vndecimestres partus quemadmodum in eodem l. n. 5. legitur. sed vt finem imponamus huic parti, legamus ea, quæ scripta sunt in l. de Alim. pag. 54. num. 9. ad figurationem, soles triginta quinque; ad motum, septuaginta: ad perfectionem ducenti, & decem. alij tradunt: ad formam quadraginta quinque: ad motum septuaginta sex. ad exitum ducenti, & decem: alij sic: ad formam quinquaginta: ad primum saltum centum: ad perfectionem trecenti. alij sic: ad discriminationem, quadragenta: ad transitum, octoaginta: ad elapsum ducēti quadraginta. non est, & est. gignuntur autem in his & plures, & pauciores, secundum totum, & secūdum partes. non multo autem plures, aut pauciores verò tot, & quæcunque alia his similia.

De Fomentis.

Fomentis plurimum vsus fuit Hip. ad præparandos humores, vt facilius euacuarentur, ad sedandos dolores, ad durities emoliendas, atque ad concoquēdas. sed quo modo has consequantur facultates, scribitur in l. de Flat. pag. 40. nume. 14 & talis est. solent quidam calida fomenta extra adhibentes dolorem mitigare: rarefacto enim corpore à calore, fomentum spiritus inde exhalat, vt quies aliqua, & mitigatio cō contingat dolorum. at verò fomenta alia humida sunt, alia sicca: & vtrorumque alia calida, alia non calida. & propterea scriptum est in lib. de Vict. ratione in morb. acu. com. 2. pars. 1. lateris dolorē siue per exordia fuerit, siue postea obortus sit, tentare calidis fomentis dissoluere, non absre existit. Et subdit par. 2. fomentorum calidorum probatissimum est aqua calida vel in vtre, vel in vesica, vel in vasculo æneo, aut testaceo posita. & hic nos habemus in quo vase reponi debeat materia fomenti calidi, & humi. & part. 3. dat hoc præceptum. verum prius molle quipiam lateri, vt mitior. & iocundior fotus fiat, supponere oportet: quæ scilicet vt exponit Gal. lateri quadrare, & coherere debeant, vt nullo pacto angat; vt lana mollis, vel linteum multiplex. & part. 4. aliud instrumentum dat, & inquit. vtilis & spongiæ mollis, & magnæ, atque ex aqua calida expressæ explicatio. sed fomentum linteo vestiendum, vt vis eius pluſculo sufficiat tempore, & permaneat: atque simul ne halitus ad laborantis spiritum feratur, nisi forsan, & id prodesse aliquando videatur: nempe interdum prodest. Et subdit part. 5. & docet fomentum siccum, quale esse debeat, cum ait. præterea & hordeum, & eruum in aceto ita diluto, vt paulò acidius sit, quam vt quis bibere possit, madefacta, perfusaque, & feruefacta, atque in sacculos conecta lateri apponuntur: atque ad hunc modum furfur & num. 6. siccis ex fomentis maxime conueniunt, quæ ex sale, & milio frictis, ac torrefactis, atque in sacculis conclusis parantur. leue siquidem quipiam, & benevolum, & iocundum est milium. & par. 7. fomentum eiusmodi, & dolores ad clauiculam, & humerum pertinentes soluit. & part. 8. sectio autem non similiter tollit dolorem, nisi his ad clauiculam pertingat. & part. 9. verum si fomentis dolor non placetur; non diutius calefacito: siccat enim id pulmones, atque suppurationem excitat. hæc sunt verba Hip. ex quibus intelligere possumus, quando, & quomodo vtēdum sit fomentum, & quod aliud est siccum, aliud humidum.

Sed quibus morbis conferat, videndum est: scriptum est in l. de inter. affect. pag. 90. nu. 47. in voluulo fomento prius adhibito, cneorum bibendum dato. & nu. 55. in coxendicum morbo à bile facto postera, aut tertia die adhibito fomento, lacte asinino cocto subpurgato. Et num. 56. cnidium granum bibendum dato, adhibito prius fomento. & nume. 57. in morbo coxendicum à sanguine facto fomento adhibeto, & cucurbitam affigito. & in comm. 4. in vict. ratione. in mor. acu. pag. 28. talibus prius adhibitis fomentis, venam confestim ab initio secare oportet. & in l. de inter. affect nume. 31. vbi primi dies præterierint in morbo hepatico quodam, fomentum adhibeto: deinde scammonio suppurgato & num. 15. in renum morbo cum scammoniæ succo, aut ipsa radice, fomento prius adhibito, totum corpus purgato. & nume. 22. in pituita si clysterem non voluerit; humectum hominem facere oportet, fomento humido admoto. & in l. de nat. mul. pag 93. numero 7. si complicatum fuerit os vterorum, vrina humana foueatur, & post fomentum lenticulæ decocto lauetur. & postquam lota fuerit, vteri vnguento ægyptio foueantur. & nu. 30. si aqua in vteris gignatur; collutione facta & fomento adhibito, cyclaminum apponito. & nu. 35. si inflati fuerint vteri; pharmacum deorsum purgās bibendum dato, & calida lauato, ac fomentum adhibeto, Et subdit. frequentissime totum corpus foueto. tunc autem, & sub pudenda odorata suffiantur: sub nares autem graueolentia. & in l. 5. de morbo. popul. pag. 140. nu. 7. in coxa marcorem habuit, & osse diu disparato. sectus est, & postea vstus, cœpit conuulsionem. curabatur repefactorijs vtriculis, & fomentis erui per totum corpus. & in 2. lib. de morb.

mul.

mul.pag.113.num.8. ſi inflammati fuerint vteri, aut concluſi, fomenta adhibere oportet mollia, donec os vterorum molle fiat: poſt fomenta, infuſis qualibus opus habere viſæ fuerint. Et in l.5.de morb.popul.num.23.doloribus circa lumbos, & crura,& coxam ex laboribus obortis aquæ marinæ,& aceti calidi fomentum confert, ita vt vel aſpergas, vel ſpongiam his imbutam adhibeas deligare verò oportet lanis ſuccidis,& pellibus agninis. Et in l.6.ſect.2.latæ puſtulæ non valde pruriginoſæ ſunt. hyeme vbi ad ignem inungeretur,aut calida lauaretur; opem ſentiebat,vomitus non proderant arbitror ſi quis calida fomenta adhibuiſſet, opem ferre potuiſſe. & in l.7.ad collum conuulſum vtriculi,& fomenta & nu.27. eiuſdem lib. ex fomentis, vt videbatur, calores nullo tempore relinquebant, magis tamen veſperam augeſcebant, ſudores fiebant per totum corpus. & in l.de ſuperfæ.pag.22.nu.3.ſi vitali puero naſcente ambo crura in propatulo manſerint, neque alio proceſſerint; fomenta vti opus eſt, à quo humectiſſimus vterus reddatur. habeat autem odorem ipſum fomentum. Et nu.14.cum os vteri non recte habeat, ita vt genituram non ſuſcipiat;per totum corpus fomentum adhibere oportet,& pharmacum bibendum dare. & in l.de loc.in hom.pag.31.num.20.ſi in tumuerint nares, & pituita plenæ fuerint, atque ea compacta; oportet eam attenuare, aut fomentis, aut medicamento,& non auertere.Et nu.33.cum fluxus hydropem fecerit, ſi magis ad cutem feceſſerit; externis partibus fomentum adhibebis: ſi verò intro ad ventrem; medicamentum bibendum dabis.& num.35.in tabe ex fluxione retrorſum, medicamentum potandum præbe elaterium deorſum purgans, & infernè aluum lacte infuſo elue. de cætero fomentis vtere.& in l.3.de Diæ.pag 50.nu.10. ad repletionem curandam maxime mollibus fomentis hominem foueamus:aut ſi id fieri nequeat,multa calida lauemus. & in l.2.de mor.pag.65.num.14.in dolore capitis poſtea leuibus fomentis aures foueto, ſi obſurdeſcant. Et ſubdit. hunc multa calida lauato, & ſpongias aqua calida imbutas exprime, & tepidas ad aurem appone.ſi verò neque ſic erumpat; auri fomentum adhibeto. & nu.16.in alio capitis morbo ſedato dolore, fomento capiti adhibito, ac nares medicamento apponito. Et interpoſito triduo, medicamentum deorſum purgans exhibeto.& n.25.ſyderatum multa calida lauato, & calefactoria ad caput adhibeto à fomentis verò myrrham, & æris florem in nares infundito.& num.26.in angina poſt cucurbitam affixam fomentum ex aceto, nitro, origano,& naſturtij ſemine adhibeto. & num.39. ex laſſitudine, aut profectione febre correptus, ad quartanam ſi quis deueniat, fomentis adhibitis allium dato in melle tinctum. & in lib.3.de mor.pag.72.num.13. in tetano inducendæ ſunt fortes, ac multæ ſternutationes, & fomenta adhibenda. cum autem fomentis non vtitur; calefactoria humida, ac pinguia vndiquaque in veſicis,ac vtriculis apponantur, maxime tamen ad partes dolentes: & calido oleo multo, ac ſæpe illinatur.& in l.de inter.affect.pag.84.num.1. ſi pulmonis arteria fuerit exulcerata, aut aliqua tenuis venula; fomentum alias, atque aliàs adhibeatur.& qua die fomentum adhibetur ſine cibo ſit, excepta farina cocta,cuius heminam abſorbeat. & nu.11. eiuſdem lib. in tabe quadam ſi tibi viſum fuerit; ante pharmacum fomentum adhibeto: & ſic pharmacum dato. ſi verò dare nolueris, facto fomento vomitum ex cibis facere cogito. & num.13.in alia tabe primum fomentum adhibeto, & poſtridie aquæ mulſæ dimidium congium ipſi bibendum dato, modico aceto affuſo. & nu.40. in regio morbo quodam fomento adhibito,elaterium bibendum dato. & nu.44.in Typho veratrum dato, toti corpori antea fomento adhibito.& in l.de ſuperfœ nu.13. & 14. hæc mira obſeruanda ſunt de vſu fomentorum. Huic per totum corpus fomentum adhibere oportet, & pharmacum bibendum dare, ac corpore primum purgatam,ac mūdam reddere mulierem ſcilicet vtero laborantē,ſiue ſuperne, & inferne opus habuerit, ſiue ſuperne ſolum. Et ſiquidem ſuperne purgans medicamentum dederis; fomentum ante purgationem non præmittes:verùm fomentum adhibebis inferne purgatus. ſi verò ſuperne purgante medicamento non egere videbitur; præmiſſo fomento, inferne purgans bibendum dato. Cum autem probe purgatum eſſe videbitur; poſtea vtero fomentum adhibeto, frequentes inſeſſus ipſis adornans; ſi ita conferre videbitur. immittes autem in fomentum cupreſſi ramenta, & lauri folia contuſa, lauabisque multa,& calida aqua. vbi verò recens lota fuerit, & fomentum admiſerit;vteri os dilatabis. Hęc quidem verba nobis ſignificant ad purgationem infernam, & ſupernam fomētis opus eſſe.deinde ad membrum læſum emolliendum. ſed & ſimile dat præceptum in l.1.de mor.mul.nu.25.cum ait. Vteros,ſi ad hanc diætam non paruerint; pharmacis ſubditijs non mordacibus purgare oportet.Fomentum tamen ſemper purgationibus præmittendum eſt, prius id,quod ex fœniculo paratur:deinde quod ex ſuffimentis.Fomenta verò, & ſubditiones medicamentorum facito', coniectura facta, vt omnia fiant, & pro ratione adhibeantur, quo tempore menſes prodeunt. Quo modo autem præparetur fomentum ex ſuffimentis, docet in l.2.de morb.mul.num.28.modus verò conficiendorum fomentorum, & fouēdorum vterorum ibi lege.nu.24.& 25.& nu.88. At tandem fomentum ad oculorum dolores facere legitur in l.6. aphor.31. & ad fluxus muliebres plura ſcribuntur in lib. 2. de mor.mul.nu.72.ſed in l.de na.mul.nu.29. alia & humida,& ſicca ad vteros.

Formæ hominum.

Qui homines ciuitates,quæ ad orientem ſitæ ſunt ſolem, habitant; eorum formæ boni coloris ſunt,& magis floridæ; ſi non quis alius morbus prohibeat. ſic ait Hipp.in l.de ae. aq.& loc.pag.36.num.8.cauſa fortaſſe eſt,quia aquæ ſunt ſplendidæ,odoratæ, molles,amabiles in his locis: præterea aeris caliditas, & frigiditas eſt moderatior. quare huiuſmodi regio veri eſt ſimilis, ſic & iuuentus quæ floridas reddit hominum formas. quapropter qualis eſt locus, tales ſunt hominum formæ, & mores. nam in eodem l.legitur.nu.57.inuenies ferè ſemper & formas hominum,& mores regiones naturæ compares: nam, vbi terra pinguis eſt, & mollis, & aquoſa, aquæ autem valde ſublimes, ita vt æſtate calidæ ſint, & hyeme frigidæ, & temporum ratio aliàs probe conueniat; ibi & homines carnoſi, articulis non apparentibus, humidi, laboris intolerantes, & vt plurimum malig-

gni

gni nascuntur. quin & supra, nu. 56. qui altam colunt regionem, planam, ventis expositam, & aquosam, eorum formæ magnæ, & inuicem similes, & erectæ. qui verò macra, aquis carentia, & nuda loca tenent, & quæ temporum mutationibus non sunt permixta horum formas necesse est esse asperas, & vegetas, flauas magis. quàm nigras: mores rigidos, pertinaces, & contumaces: vbi enim mutationes temporum contingunt frequentes, & plurimum inter se diuersę; ibi & formas, & mores, & naturas reperias plurimum differentes. Verum & nu. 53. eiusdem l. ait. In Europa hominum genus valde inter se dissimile est, diuersum quò ad magnitudinem, & quo ad formam ob temporum mutationes magnas, & frequentes; sunt enim calores vehementes, & hyemes fortes, pluuiæ multæ, rursumque siccitas diutina, & venti plurimi, hinc, vt arbitror, plures corruptiones contingunt in seminis coactione. demum & aquæ magnam obtinent vim formas permutandi; nam, vt nu. 55. legitur. si flumina extent in ea regione, quę stagnantes, & pluuias aquas euehant; homines ipsi incolumes, ac splẽdidi viuent. si verò flumina desint aquasque puteorum stagnantes, & olentes bibant; necesse est ab ipsis illis aquis & ventrem lædi, & splenem. Et nu. 37. Cum multus aer ab aquis, regionem occupat; quò ad formam, ac corporum speciem attinet, Phasiani sunt à reliquis hominibus longe diuersi: sunt enim magnitudine ingenti, ac corpulentia valde excellenti &c. quocirca, vt idem concludit, nu. 57. temporum varietates potissimæ sunt, quæ naturam ipsam permutant: deinde regio, in qua quis nutritur; postremum autem aquæ.

Fortitudo, ac robur corporum hic.

Explicat in l. 1. de Diæ. nu. 27. quę nam corporum hominum à natura fortia, ac robusta reddãtur, & inquit. Quæ corpora ignis. i. caloris fortissimi, & aquæ ideſt, seminis densissimæ temperamentum acceperunt, fortia, & robusta fiunt: sed magnæ transmutationes in his fiunt. Hæc adiuuat regio, & temporum mutatio: propterea quòd scriptum est in l. de aer. aq. & lo. pag. 38. nu. 55. Qui regionem montanam, asperam, nudam, & non aquosam incolunt; his mutationes temporum contingunt magnæ, & diuersæ. vnde & hominum formas magnas progigni conuenit, qui & ad laborem, & ad viriliter agendum à natura præstent: quibusque feritas, & immanitas non mediocriter à natura sunt congenitæ. signum verò robusti hominis habemus in lib. 6. de morb. popul. sect. 1. cuius verba sunt. Acutum habentes caput, qui quidem validam habent ceruicem, robusti sunt tum aliàs, tum ossibus. Et sect. 4. eiusdem lib. Oculi prout validi fuerint; ita etiam corpus, sed & color. scilicet oculorum in peius, aut in melius vergit: si enim vt vult Gal. oculi bonum habuerint colorem, & corpus totum bene valere significant. Verùm quæ victus ratio fortibus competat, lege in l. 1. de Diæ. antè citato loco. Fortitudo præterea morbis tribuitur; dicitur enim apoplexia fortis. i. acutissima in lib. 2. apho. 42. Et febris fortis, hoc est, vehemens ob symptomata in l. 4. aph. 43. Fortis æstus aph. 65. Fortes dolores, ideſt molesti aph. 66. & l. 6. aph. 7.

De Fracturis.

Fracturarum, & luxationem extensiones quàm directissimæ sunt faciendæ, veluti nobis præcepit Hipp. in l. de Fract. pag. 187. num. 1. hæ quidem sunt aut sine vlceribus, aut cum vlceribus, vt apparet ibi. num. 33. de manu fracta in eodem l. agitur, num. 1. de osse cubiti fracto, nu. 4. de brachio fracto, nu. 8. de ossibus pedis fractis, nu. 10. de ossibus tibiarum fractis, nu. 17. 18. 21. 22. de crure fracto. 20. de femoris fracturis. 26. de ossibus simplici modo fractis, nu. 27. de ossium fracturis, num. 45. sed & in lib. de Arti. de his plura reperies.

Fricatio.

Fricatio est species exercitij. hæc quidem, & lucta externis corporis partibus magis laborem exhibent. calfaciunt autem carnem, & corroborant, & augeri faciunt. sic legitur in l. 2. de Diæ. nu. 29. & ibi quoque hæc reperies. Frictio ex oleo, & aqua mollit, & non vehementer excalfieri sinit. Et in li. de Inter, aff. nu. 40. ad morbum quendam regium populare carnem defricato, et defrictas sordes in vino albo bibat. Et in l. 3. de Diæ. pag. 51. nu. 17. ad eos, quibus per aluum secedit cibus incoctus ob carnis frigiditatem, et humiditatem confert frictio multa, & lucta tarda, & in oleo, & in puluere; quo caro calescens reficcetur, & humiditatem ex ventre reuellat. Et in libro 3. de morb. pagin. 72. num. 11. In angina fauces, & lingua confricentur his, quæ pituitam ducunt.

De Frigiditate.

Nunc frigiditas alia fit in nostro corpore per absentiam, vel retractionem caloris: alia, quæ corpori accedat, de prima legitur in lib. de Coac. prẽno. num. 1. frigiditas partium posteriorum conuulsoria est. Et in lib. 7. aph. 1. In morbis acutis frigus partium extremarum, malum. Et aphor. 26. In forti dolore ventris, partium excremarum frigiditas, malum. Et li. 4. apho. 39. Et qua corporis parte calor aut frigus. s. insigne; ibi morbus: nam, vt exponit Gal. hoc exijt à tẽperie naturali, quæ sanitas est, sed lege Perfrictionẽ. frigiditas verò, quę corpore humano accedit, est in spiritu siue flatu, vt patet in l. de nat. pue. pag. 17. nu. 31. vbi legitur. Aqua, quæ æstate hauritur, vbi hausta fuerit, statim frigida est, calida autem fit postea: propterea quòd terra rara existente, & spiritum in ipsa existente, perfrigeratur, verum alius flatus oritur ex terra, qui frigidus est, & siccus, mortificans, indurans, & exiccans: nam nimium frigida, vt legitur in lib. 1. de morbis, siccant. alius oritur ex aqua, qui & mollior, ac mitior est, quò humiditas est magis cedens, quàm siccitas: siccitas enim acuit & calorem, & frigus. attamen, si cum humiditate sit aliqua siccitatis portio; frigus, vel calor est multo vehementius. Et propterea in l. de aer. aq. & loc. scriptum est, compressi à summo calore, & à summo frigore. Et in lib. 6. de morb. pop. sect. 5. frigus indurat quæ in ventre sunt. Et in l. prędicto de aer. acq. nu. 44. Boues cornibus carent prę frigore. Et in l. de Fist. nu. 6. Quæ frigefaciunt, fluere prohibent. Et in l. de Fract. nu. 37. Frigidis ne madefacias; rigorum enim febrilium periculum est, & conuulsionis: frigida enim semper cõuulsionem prouocant, tamen in l. 5. de morb. pop. nu. 28. ait Hippo. frigidorum adhibitiones plus profuerunt, quàm calidorum, sed ea frigiditas si in subiecto inerat sicco; minime vehemens erat: in humido autem, non excedebat; propterea quòd humiditas à summo frigore congelatur, & à vehementi calo-

re

re euaporat. At verò quibus temperaturis, quibus nostri corporis partibus, ac quibus morbis competat frigidum, lege Aquam.

De Fronte.

Frontis contractio in morbis acutis, phrenitidis signum est, vt proditum est in lib. de Coac. præno. nu. 2. Et, quoniam ait Hipp. in lib. 5. aphor. 68. Dolenti partem capitis posteriorem, in fronte recta vena incisa prodest: idcirco in lib. 2. de morb. pag. 69. num. 18. explicat modum venæ incidendæ, & in quo capitis dolore, & inquit. si venæ supereuomuerint in caput; dolor grauis totum caput tenet, & ad collum & alias ad alias capitis partes transit. & vbi surrexerit; vertigo ipsum corripit, febris autē non inuadit. Cū igitur sic habuerit deraso capite, si non calefactorijs cesserit; frontem ea parte, qua capillus definit à capite, findito. vbi secueris, disparata, ac diducta cute, cum sanguis defluxerit; salem tenuissimum inspergito. & postquam effluxerit sanguis; fissuram compono, & duplici filo totam ipsam includito. deinde &c. sed frons dolore afficitur, qui difficilis est profecto, vt legitur in lib. de Coac. prænot. nume. 2. Contigit autem denudatione in fronte facta, nona die febris: deinde os liuefactum est. mortuus est. sic scribitur in lib. 5. de morb. popularib. nu. 35. Et homo quidam prurigine toto corpore vexabatur, maxime autem testibus ac fronte. & subdit huic nemo opitulari potuit. transgressus autem ad Melum, vbi sunt calidæ balneæ, a pruritu, & cutis crassitudine liberatus est. verum hydropicus factus obijt. hæc narrantur in eodem lib. 5. num. 4. sed & num. 8. recitatur historia cuiusdam, qui fronte percussus est supra oculum dextrum. hanc ibi lege. Porro in frontis vlceribus, quatenus cataplasmatis vtendum sit, vide l. de capitis vulne. nu. 18.

Fructus.

Fructus a suis plantis, quæ alimentum à terra trahunt, nutriuntur. sole verò quod humidissimum in ipsis ad se trahente, coquuntur, & solidi redduntur. sic scriptum est in lib. de natura pueri. num. 23. quas autem vires habeant fructus, qui ab arboribus colliguntur, lege in l. 2. de diæ. n. 15.

Fuligo de furno ad fœtum mortuum expellendum. in l. 1. de mor. mul. nu. 128.

Fului, fimi, oculis magnis, boni. contra Fului, naso acuto, oculis paruis, mali. in lib. 2. de morb. pop. sect. 5.

Funiculus lucernarius in vteris ascendentibus, ac suffocantibus. in l. de na. mul. 81.

Funambulationes sunt species exercitij. hæ quidem attenuant. in l. 3. de diæ. n. 3.

Furfures.

Furfurum decoctum in clystere renibus affectis contulit, vt proditum est in l. 7. de mor. popu. nu. 33. Et furfurum succus coctus, leuis, per aluum secedit, vt in l. 2. de diæ. nu. 7. Et furfures ordei ad vteros trāsmotos faciunt, vt in l. de na. mul. nu. 54. sed furfures in vrina pura, vesicæ scabiosæ sunt signa, vt apparet in l. de na. hom. nu. 26. hæc quoque leguntur in lib. 4. aph. 77.

De Furore.

A furore difficultas inteſtinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio, bonum. hæc est Hip. sententia in l. 7. aph. 5. Gal. autem in com. rationem reddit, & inquit: quoniam à capite noxij humores transferuntur ad inferiora. & subdit. Mentis alienatio tantum abest, vt sit furoris solutio, quod quispiā magis diceret esse incrementum, ac quidem si vere Hipp. continuum, atque vehementem furorem alienationem mentis nominauit. quendam nouimus sic à furore mediocri, quo prius detinebatur, fuisse liberatū. vnde ratiocinando perpendimus ex vehementi motu causarum efficientium furorem, solutionem fuisse secutam, vt in morbis acutis, vehementiſ. casus solēt aliquando bonas crises operari hinc habemus quantum differat furor a alienationem mentis. sed a quo humore ortum habeat sic declaratur in lib. 6. aph. 56. in morbis melācholicis ad hæc periculosi decubitus, stuporem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cęcitatem significant. & Gal. in comm. ait. furor contingit propter humorem irritantem, ac mordentem, veluti flaua bilis, aut humor melancholicus, cū supra modum exustus, aut putrefactus malignam induerit acritudinem. fit etiam furor a sanguine feruēti, vt exponit Gal. nam legitur in lib. 5. aph. 40. quibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat. at verò quo anni tempore fiat, sic exponit Gal. in l. 3. aph. 20. vere furores, & atræ biles. Et aph. 22. autumno morbi comitiales, furores, atræ biles. signa autem furoris per se nota sunt. tamen legitur in l. prog. com. 1. part. 21. furiosum, ac lethale est dentes collidere, aut stridere, quibus non familiare id est. Et in l. de Coac. præn. n. 4. furiosa sunt ex vomitibus anxietates, clangores, oculi concretionem lanuginosam habentes. Et in lib. 7. aph. 40. si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore elanguit, is est melancholicus. Curationem verò accipe ex lib. 6. aph. 21. & est. in insanientibus si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio. attamen inquit Gal. insaniam hoc loco dici proprie melancholiam, & non illum, qui fit ex bile furorem. sed in l. 6. de morb. popul. affirmat furorem iuuari à varicibus. at fortasse illum dixit, qui à melācholia fit adusta. verum reuulsionis causa hæmorrhoides, & varices furori conferunt. l. desipientia, Delyrium, Insania.

Furunculorum species, forma, generatio, & curatio l. in l. de hu. vsu. nu. 10.

COM-

COMMENTARIVS VII.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

GEMELLI.

GEmelli, quemadmodum scriptum est in lib. de Natu. pue. pag. 18. nu. 44. fiunt vno coitu hoc modo. vteri sinus frequentes, & curuos habentes, alios remotiores, alios propinquiores pudendo, & animalia, quæ multa gignunt, pares sinus habent, quàm ea, quæ pauca. similiter autem habent, & pecora, & feræ, & volucres. vbi itaque contigerit genituram findi, & in duos sinus peruenire, & vteri genituram susceperint, & sinus alter, ad alterum non hiarit, nec dimiserit, segregata genitura in vtroque sinu pelliculas induit, & viuificatur eodem modo, quo vnus fœtus. quapropter verò id fiat diximus. quòd verò ab vno coitu gemelli gignantur, hoc testimonio constat. est canis, & sus, & alia animalia, quæ ab vno coitu pariunt, & duo, & plura, & vnumquodque animal in vtero, in sinu, ac pellicula existit. atque hæc ipsa fieri videmus, & hæc omnia eadem die vt plurimum pariunt, sic autem & mulieri ab vno coitu, vterque in sinu, & pellicula est, & eadem die vtrumque parit, & alter prius foras procedit, & pellicula ipsius, siue secunda. quòd autem gemelli fœmella, & masculus generantur, hoc causæ esse sentio. In muliere & viro, & in omni animali, & in singulis & debilior, & fortior genitura inest, & non semel, ac simul genitura procedit, sed & bis & ter ebullit, ac eiaculatur: & non est possibile omnem esse fortem, tum quæ prius exiuit, tum quæ posterius. in vtrum autem sinum crassiorem, ac fortiorem genituram ingredi contigerit, illic masculus gignitur: in vtrum verò rursus humidiorem, ac debiliorem, illic fœmella generatur. si verò in vtrumque fortis ingredietur; ambo masculi fient. sin debilis; ambo fœmellæ. Verum in l. 1. de diæ. pag. 44. nu. 25. hæc verba exponuntur. quomodo gemini nascuntur, hoc sermone declarabo. equidem natura vterorum in fœminis vt plurimum in causa est. si enim similiter in vtramque partem iuxta osculum dispositi à natura fuerint, & similiter hiauerint, & à purgatione siccantur; alere possint, si semen viri conceperint, ita vt statim discindatur: sic enim necesse est dispergi in vtrũque vterum similiter. si quidem igitur multum seminis ab vtrisque, & forte secretum fuerit; in vtrisque locis augere potest; dominium enim habet in alimentum, quod accedit. si verò aliter contingat, gemini non fiunt. cum itaque masculum ab vtrisque secretum fuerit; necessarium est in vtrisque masculos gigni: cum verò fœmineum ab vtrisque; fœmellæ fiũt. cum autem alterum fœmineum, alterum masculum fuerit, vtrum altero præualescet, id ipsum augescet pro ea ratione. similes porrò inter se fiũt gemelli ob hanc causam. primum quidem quòd æquales sunt loci, in quibus augescunt: deinde quòd simul secreti sunt: postea quòd ijsdem alimentis augescunt, vitalesq; in lucem prodeunt. & in l. de superfœt. pag. 22. n. 7. Quæ gemellos gestat, eadem die parit, velut concepit. habet autem vtrosque pueros in vna secunda. signum gemellorum recitatur in l. de Coa. præ. nu. 3. hoc est. gemellorum partum significant tumores difficiles circa intestinum tenue. In l. autem. 3. de mor. pop. sec. 3. Aegro. 14. refert historiam de muliere, quę cum gemellas filias magna difficultate perperisset, & & non valde purgata esset: febris inuasit horrida, acuta. in l. 7. nu. 48. aliam recitat de muliere, quæ gemellos quinto mense abortiuit ex casu.

Genæ.

Tenuis genæ pars præcisa, ac dissecta non coalescit, vt legitur in lib. 1. de morb. nu. 17. Et id quoque confirmatur in l. 7. aph. 19. s. quod neque augetur, neque coalescit.

Generatio.

Generari, & corrumpi, idem est. idem est commisceri & secerni. generari idem est, quod commisceri. corrumpi, ac minui, idem est, quod secerni: vnumquodque ad omnia, & omnia ad vnumquodque idẽ sunt. hæc habentur in lib. 1. de diæ. pag. 42. nu. 5. & Lege de Hominis generatione. hac de materia lege in l. de Natu. homi. pag. 10. num. 2.

Genitura.

Genitura appellatur semen humanum, siue sperma, de quo sic scribitur in l. de Geni. pag. 13. num. 1. venæ, & nerui ab omni corpore in pudendum vergunt. quibus dum aliquantulum teruntur, & calescunt, ac implentur, velut pruritus incidit. & ex hoc toto corpori voluptas, ac caliditas accedit. cum vero pudendum teritur, & homo mouetur, humidum in corpore calescit, ac diffunditur, & à motu conquassatur, ac spumescit, quemadmodum etiam alij humores omnes conquassati spumescunt; sic in homine abunde spumescente, id quod robustissimum est, ac pinguissimum secernitur, & ad medullam spinalem venit: tendunt enim in hanc ex omni corpore viæ, & diffundunt ex cerebro in lumbos, ac in totum corpus, & in medullam: & ex ipsa medulla procedunt viæ. ad hanc postquàm genitura peruenerit, procedit ad renes; hac enim via tendit per venas: & si renes fuerint exulcerati; aliquando & sanguis simul defertur. à renibus autem transit per medios testes in pudendum. procedit autem non quà vrina, verum alia ipsi via est contigua, & sanè, qui somnia venerea habent, propterea per somnum genituram effundunt; cum humidum in corpore

pore diffusum, & calfactum fuerit, & siue ex labore, siue alia quapiam re spumuerit, dum ab ipso secernitur; coitus imaginem representat: habet enim humiditas hæc similiter vt coeuntibus.eunuchi præterea non coeunt; quia nerui, qui ex testibus in pudendum tendunt,dum castrantur, rescinduntur.nec pueri; quia venulæ tenues, & repletæ existentes,genituræ transitum impediunt,& pruritus ipsis non similiter accedit: & propterea neque conquassatur in corpore humidum ad genituræ secretionem. porrò genituram dico à toto corpore secerni, & à solidis,& à mollibus partibus,& ab humido omni in toto corpore.sunt autem humidi species quatuor, sanguis, bilis, aqua, & pituita. hæc in lib. de Genitu. numero primo,vsque ad 6. Et in libro de natu.pueri. hæc eadem explicantur. & propterea, cum ex omni parte corporis genitura secernatur, ex quacunque corporis viri, siue mulieris parte plus prodierit in genituram,vis masculà,vel fœminea; partus ille magis similis erit patri, vel matri: quin legitur in libro de morb.sac. pag.58. nume.5. semen genitale ab omnibus corporis partibus procedit, à sanis sanum,à morbidis morbosum. & idcirco forma filij non solum similis erit parentibus, sed etiam si quid morbosi in ipsis inerit;& in filio quoque.postquam emissa fuerit genitura in vterum; quid postea fiat scriptum est in lib.4.de morb.pag.74.nume.1. & verba sunt. ad hominis generationem de omnibus, & viri, & mulieris partibus semen progressum, & in vterum mulierem illapsum condensatur, temporeque veniente, natura hominis formam referens ex ipso producitur. & de quatuor humoris speciebus non minima, neque debilissima in semen procedit portio. & quia animal secundum parentes nascit;tot humorum species,& sanorum,& morbosum in se ipso habet. cæterùm in vtero retenta genitura quid postea fiat, lege de conceptione, atque de Fœtu. hoc tantum nobis commonefaciendum est, quod legitur in libro 2. de morb.popu.sect.1. hoc est. Quæ res commonefacit nos communionis pectorum,mammarum,genituræ, vocis. vbi Genitura perperam translata est à Corna. nam vox illa græca non genituram solum sed genitalia, vtpote testes significat. & propterea hoc in loco non genitura vertenda est,sed genitalia, vel testes. si quid verò in hac parte desideres amplius, lege semẽ. attamen hunc obserua aphorismum.lib.6. quibus nares natura humidiores,& genitura humidior,minus integra sanitate fruuntur, quibus verò contraria salubrius degunt:propterea quod, vt ait Gal.in com.in siccioribus temperaturis nulla superfluitas per nares effluit ex cerebro,neque per cutem sudor: contra in humidioribus siue secundum cerebrum tantum, siue corpus vniuersum: etenim continuo destillationibus ex parua occasione capiuntur. Et hunc,qui reperitur in lib.5.aph.62.quęcunque,scilicet mulieres præhumidos vteros habent,non concipiunt: extinguitur enim in eis genitura: & quæcunque siccos magis,ac adurentes:nam ex defectu alimẽti corrumpitur semen.fit tandem à crassa genitura in vtero retenta mola, cuius curationẽ lege in l.2.de mor. mul. pag.119.num.62.

Genu.

Laborat genu præter alias ægritudines dolore; grauitate, tumore, abscessu, & luxatione: atque hi morbi,& affectus sunt,& prognostica,& quandoque morbos alios soluunt. nam legitur in lib. 2. de morb. popul. sec. 6. quicquid supernarum partium doluerit dolor ad coxas, aut ad genua, & anhelatio oboriens,omnia hæc soluit. Et in l.de Coa. præ.nu.1.genuum, ac coxendicum dolor septima, aut nona, aut decimaquarta die febrem soluit. contra verò in eodem lib.num.1. in febre manuum, ac pedum dolores maligni sunt: neque genuum dolor bonus est. Et in lib. 5. aph.23. quæ corrupturæ sunt fœtus,his mammæ extenuantur. si verò rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, ac oculos, aut genua infestabit, & non corrumpent: propterea quòd vt ait Gal. ad alteram partem materiam inutilem natura reponit. in libro autem de mor.popul. nu.28. dolor ad genua, & tibias comitabatur febrem, & ad flectendum, ac extendendum alio opus habebat æger. Et nume. 29. Osander vbi inhorruit, lateris dolor, & ad genua, itemque ad femur. vbi comedisset; delyrauit. breui mortuus est. in lib. autem 6. sec. 4. recitat Hipp. genuum dolores ex erui esu obortos esse. De genuum verò grauitate hanc lege prænotionem in lib. 4. aph. 20. non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor; purgari inferius oportere significatur. Et in lib.de Vic. ratione com. 4. par.86. si genuum grauitas afficiat; helleborum dabis,&c. De Tumore sic legitur in l. 7. de mor. popul. nume.26. Cleocho ex lassitudinibus, ac exercitijs melle per dies aliquot vtenti, tumor ad genu dextrum obortus est.&c. Et in eodem lib.7.num.13. Bion ex hydropico diuturno cibum auersabatur ad multos dies,& vrinæ stillicidio vexabatur.in sinistro genu abscessus fiebat,suppuratus est.mortuus est. De luxatione verò circa genu leg. in l. de Frac. pag.191. nu.40. & 41. pedum præterea,ac genuum situs in curatione qualis esse debeat,vide librum de Chirur.offi. pag.185.nu.2. Et in l.de Fract.nu.26. genu flexio deligationibus in femore,ac tibia turbationem inducit. Et in lib.de Arti. nu. 93. genu propter expeditam,ac facilem naturam mitius est,quàm cubiti gibbus.

Gibbositas.

Gibbositas quibusdam fit in spina,vt Coco,de quo Hip.mentionẽ facit in l.5 de mor.popu.nu.22. & inquit. Coco in spina gibbositas facta ex phrenitide. alijs fit prope ceruicem, vt scriptum est in l.de artic. nu.39.alijs supra septum transuersum,sicut ibi. num. 38 fit & infra septum transuersum, vt ibi Legitur. fit etiam iuxta verticulum,vt in eodem lib. num.43. apparet. dicitur quoque aluus gibbosa, vt in lib. 4. de mor.popul.nu.7. & præcordium cadens,& gibbosum vt nu.24.eiusdem libri. scriptum est etiam in l.1. sec. 3. Agro. 1. splen eleuatus est orbiculari gibbositate. Fit autem gibbositas ex phrenitide, quemadmodum dictum est supra.fit ex morbis,vt in lib. de Artic. nu. 37. accidit etiam ob tubercula dura,ac cruda, vt ibidem. sed omnia, aut pleraque talia propter collectiones intra spinam fiunt.contingunt autem à causa extrinseca, veluti ex casu spina gibba fit,vt nu.39.legitur.verùm de his sic scribit Hip.nu.37. verticula spinæ,quibus in gibbum trahuntur ex morbis,pleraque vt soluantur fieri non potest; insuper, & quæ supra septum transuersum, ac connexionem gibba fiunt.

quæ verò infra, eorum aliqua soluunt varices in cruribus oborientes: sed magis hæ, quæ in vena iuxta poplitem fiunt. fiunt autem, & in vena circa inguina. soluit & dysenteria diuturna, & quibus gibba fit spina, dum pueri sunt, priusquam corpus ad augmentum plenum perfectum fuerit; his corpus iuxta spinam coaugeri non solet. sed crura quidem, ac manus perficiuntur, illæ verò partes defectuosiores fiunt. & quibus supra septum transuersum gibbositas est; his & costæ in amplitudinem augeri non solent, sed in anteriorem partem: & pectus acutum fit, & sed non latum: & ipsi difficulter spirant, & stridulam faucium asperitatem habent: nam ventriculi, qui spiritum suscipiunt, ac emittunt, minorem amplitudinem habent, & alia ibi lege. & subdit numero 38. quibus infra septum transuersum gibbositas est; horum quibusdam morbi renum, ac vesicæ accedunt: sed & abscessus ad suppurationem, & circa laterum mollitudines, & inguina diuturni, ac ægrè curabiles: & neutri horum gibbositates soluant. coxæ verò his magis excarnes fiunt, quàm his quibus supernè gibbositas contingit, vniuersa tamen spina his longior est, quam superne gibbosis. pubes verò, & barba tardior, ac imperfectior. sed & in fœcundiores hi sunt, quàm superne gibbosi. at verò quibus in acuto corpore gibbositas facta fuerit, quid postea eueniat ibi lege, de gibbosis verò legitur in lib. 6. aphor. 46. qui gibbi ex asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur. Galen. verò in com. ait. gibbos solet Hippo. nominare, quos nunc omnes homines conuexos appellant: nam & vere eis est spina in parte posteriore conuexa. conuexo igitur oppositè dicitur cauum: gibbo, regibbum. sed hæc de sola spina græci dicunt: illa verò de omnibus.

De gingiuis.

Pluribus detinentur affectionibus gingiuæ: nam male olent, dolent, discedunt è dentibus, tument, pruriunt, sanguinem emittunt, nigræ fiunt, abscessum, suppurantur, inflammantur, & id generis alia. verum quibus de causis scriptum est in lib. 2. de morb. parg. 65. num. 11. & inquit. tonsillæ & partes sub lingua, & gingiuæ, & lingua, & quæcunque eiusmodi hoc loco consistunt, hæ omnes ex pituita ægrotant. pituita autem de capite descendit. caput autem ex corpore trahit. trahit autem, vbi fuerit calefactum. percalescit autem à cibis, & sole, & frigore, & laboribus, ac febrili calore. cum verò calefactum fuerit; tenuissimum ex corpore ad se ipsum trahit. vbi verò traxerit; rursus id ad corpus descendit. sed scriptum est in lib. de Inter. affect. pag. 88. nume. 34. in quodam splenis morbo color mutatur, & fit niger, pallidus, & ex aure male olet, & gingiuæ male olent, & à dentibus discedunt, & ex tibijs vlcera erumpunt velut pustulæ nocturnæ. idcirco videtur vitiatas esse gingiuas non à pituita, sed ab humore in splene contento. quod quidem verum est: propterea quòd talis humor caput petens est causa mediata: sed, cum descendit à capite in gingiuas, dicitur pituita ratione capitis: & hæc est, causa immediata, quæ tandem sapit naturam mediatæ. Et in lib. 2. prædict. pag. 164. num. 42. gingiuę vitiatę, & ora graueolentia sunt his, quibus sunt splenes magni. de gingiuarũ dolore legitur in lib. 7. de morb. popu. nume. 35. sic. cum gingiua dolore corriperetur, & vehementer intumesceret; sectio venę brachij, & alumen ęgyptium in principio sedabat. Pruritum autem gingiuarum commemorat Hippo. in l. 3. aph. 25. & inquit. in progressu verò cum iam deintire incipiunt, gingiuarum prurigines, & febres. De gingiuis porrò sanguis defluens ex aluis liquidis, lethale est, vt scriptum est in lib. de Coacis præno. nu. 4. si autem quandoque gingiuæ fuerint denigratæ; his calida conuenit, vt legitur in lib. de humi. viu num. 11. Præterea circa gingiuas abscessum factum dentis corruptio soluit, vt legitur in lib. de Coact. præno. pag. 177. at pag. 176. inquit. capitis dolor moderatus, cum siti cibum capiente, aut cum sudore non soluente febrem abscessus in gingiuis, aut circa aurem significat, aluo non exturbata. De gingiuarum verò inflammatione sic scriptum est in libro de Affect. pag. 80. num. 4. si gingiuæ, aut aliquid sub lingua inflammatum fuerit: his, quæ commandantur, vtendum est. à pituita autem hæc fiunt. Et in lib. 4. de morb. popu. nume. 15. iuxta gingiuam carunculæ paruę rotundę abscesserunt. huic circa tertiam diem suppuratio affutura putabatur, postea auertebatur. derepente verò intumuit maxilla, & oculi. Et in lib. 7. de morb. popu. num. 26. tubercula ad gingiuas circa dentes magna, velut vuæ acini, liuida nigrefacta, doloris exortia, vbi cibum non caperet. Et in lib. 6. sect. 6. circa gingiuas, & circa nares suppurationes. & sect. 7. gingiuarum exulcerationes. sed tandem legitur in l. de Coac. præno. num. 3. ad gingiuas, & dentes comparentes fluxiones in habitibus tabescentibus, cum febre, malę sunt.

De Glandulis.

Glandularum natura, sicut proditum est in libro de Glan. pag. 26. numero primo, est spongiosa: sunt enim rarę & pingues & neque carnes sunt reliquo corpori similes, neque aliud quid simile corpori, sed friabiles sunt, & venas multas habent. si verò diserтes; sanguis largus erumpit specie albus, & veluti pituita. tangenti autem velut lanę apparent. & si multa vi ipsas digitis compresseris; glandula humorem oleosum remittit, qui & ipse conteritur, vt plurimum, ac disperit. ęgrotant autem non valde sed vnà cum reliquo corpore. cum verò proprio morbo ęgrotant; tubercula fiunt, & strumę, & febris corpus occupat. perpetiuntur autem hęc, vbi humiditate repletę fuerint ex reliquo corpore in ipsas influente. influit autem per venas, quę per ipsas extentę sunt, multę, & cauę, vt humor facile in ipsas sequatur. & si multa, ac morbosa fuerit fluxio; glandulę reliquum corpus in se distendunt. atque sic febris incenditur & eleuantur, ac inflammantur glandulę. duplex porrò glandularum est genus ac vsus de quo lege nume. 2. vbi quoque reperies glandularum alimentum, & in corpore situm: & quòd glandulę & pili eadem participent vtilitate: & quòd pili ex glandulis nascantur, & augescant. ibi quoque leges de glandulis inguinum. Et nume. 3. videbis cęteras partes, quę glandulas tantum habent, & cur glandulę intestinorum debiles existant, & maiores. & num. 4. legitur de glandulis renum. Et num. 5. de tota glandularum colli natura, & quando glandulę, & à quibus

bus fluxionibus infestentur, & à quibus non. Et nu. 7. glandulæ capitis sunt ipsum cerebrum, cuius substantia glandularum substantiæ est persimilis. Et nu mer. 11. Glandulæ pectoris mammæ dicuntur. Et in lib. de Arti. num. 12. agitur de glandulis sub alis. item que in lib. de Glan. num. 2. vbi etiam legitur de glan dulis sub vtraque aurium parte.

Glaucedines fiunt senibus, vt inquit Hipp. in l. 3. aph. 31. Gal. autem in comm. ait, glaucedines fiunt in oculis propter immodicam instrumentorum siccitatem, & quia speciem habent suffusionis.

Gracilis homo.

Gracilitas opponitur crassitiei: nam inquit Hipp. in libro secundo, aphoris. 44. qui natura admodum crassi sunt citius intereunt, quam qui graciles. Sed graciles sunt hi quorum venæ amplæ, & ventres, & ossa ampla hi sunt, qui tenues sunt, pingues verò his contraria habent: & in his qui fame macerantur mediocritates. sic explicat Hippoc. in lib. 2. de mor. popul. sectio. 2. & id circo gracilitatem corporis quo studio consequi possit homo crassus, lege in l. de Diç. salub. pag. 12. numero quarto, at verò gracilis, ac macilentus à febre vstus quo modo cibandus sit, & curandus, vide in l. de loc. in homin. pag. 32. num. 36. & si gracilis purgandus sit, dicit Hippoc. in libro quarto, aphoris. 6. graciles, & facile vomentes purgare superius cauentes hyemen: contra vomentes difficulter & mediocriter bene carnosos per inferiora cauentes æstatem. verum carnosi variis de causis fiunt graciles, quarum potissima est splen. legitur enim in l. de ae. aq. & loc. pag. 36. num. 10. bibentibus aquas palustres, & stabiles, splenes semper sunt magni ac pleni: in splenem enim carnes colliquantur, quapropter graciles existunt. pulmo quoque læsus corpus tenue reddit. & idcirco legitur in lib. de inter. affect. pag. 84. num. 1. in pulmone affecto quammaxime resicito, vt quamminimum tenuis fit: ad huiusmodi enim morbum non conducit tenuem esse. inedia etia efficit gracilem hominem, vel aliquod membrum. quapropter dicit Hippoc. in lib. 5. aphoris. 37. mulieri vtero gerenti si mammæ graciles repente fiant abortit. Galen. in commen. ait. communes quædam venæ sunt, mammis, ac vteris, quæ vbi parum habuerint sanguinis, graciles mammas ostendunt. Et in lib. de Vlce. pag. 204. nu. 3. omni recenti vlceri præterquã in ventre, conducit frequenter sanguinem defluere facere: facile scentia enim sieciora fiunt vlcera ac minora. quare aliquando prodest corpus attenuari; nã legitur in li. de Frac. pag. 188. nu. 17. attenuationem corporis ita facere oportet, prout talem, vel talem vim ipsa luxatio habet. Et in lib. affec. pag. 70. nu. 12. obseruare ac vitare oportet febres in hyeme. sit autem obseruatio & tutela ab ipsis quies, gracilitas, & ventris euecutio.

Grauedo.

Humorem de naribus secretum, tenuem, & incoctum nominare solent omnes veteres medici grauedinem, quemadmodum defluxionem talem ex palato secretum. de qua sic scriptum est in lib. de vete. medi. pagina quinta, num. 31. quibuscunque grauedo innascitur, & fluxus per nares mouetur, hic vt plurimum acrior est eo, qui prius erat, & quotidie ex naribus prodibat; & tumescere facit nasum, & exurit calentem, & extremè ignitum. si verum manum admoueas, & diutius perseueraueris, etiam exulceratur locus minimè carnosus, & durus existens. sedatur autem aliquo modo ardor in naribus, non cum fluxio prodit, & inflammatio consistit: sed postquam fluxus crassior, & minus acris, & concoctus, & magis permixtus priore fuerit; tunc sane iam etiam ardor cessat. rursus autem alijs ex frigiditate ipsa sola manifeste grauedo fit nullo alio accedente. omnibus autem liberatio est hæc, ut ex frigiditate affecti percalfiant, ex ardore verò perfrigerentur. atque hæc breui accedunt, & concoctione nulla opus habent. reliquæ autem fluxiones, quæ propter humorum acrimonias, & intemperantias fiunt, restituuntur, & curantur, vbi temperatæ fuerint, & concoctæ.

Quando autem, & quibus hominibus contingant grauedines, scriptum est in lib. 3. aphor. 20. & verba sunt. vere furores, anginæ, grauedines, & raucedines. Et aphoris. 23. hyeme morbi laterales, grauedines, atque raucedines. Et apho. 13. eiusdem lib. si æstas sicca fuerit, & aquilonia, autumnus verò pluuiosus, & australis; dolores capitis ad hyemen fiunt, & tusses, & raucedines, atque grauedines. Et aphorism. 14. si verò autumnus aquilonius, & siccus fuerit, his qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet. reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ & grauedines. hæc quoque in libro de aere, aquis, & locis, numero vigesimo octauo, in l. autem. 2. aphoris. 40 raucedines, & grauedines in valde senibus coctionem non admittunt. Quibus autem morbis conferant grauedines exponit in libro secundo, prædic. pag. 174. num. 36. & inquit. quibus dolores circa caput, & frontẽ ex magnis ventis siũt, & ex frigore cum vehementer calfacti fuerint: eos grauedines quidem maximè perfecte liberant. grauedines autem fiunt vt perfectæ adeo, & tusses succedant; & sternutationes succedentes, si dolores non se dauerint: necesse est tubercula, & decolorationes his succedere. De grauedine verò hanc habuimus prænotionem in li. prog. com. 2 par. 49. & verba sunt. grauedines, & sternutamenta per omnes morbos, qui in pulmone fatigent, præire, & subsequi malum est, sed de alijs morbis exitiosis sternutamenta vtilia sunt. ad grauedinem facit myrrha trita ammixto melle linteo excepta, & naribus confricta, sicut scribitur in lib. 2. de mor. mul. pag. 122. n. 5.

Grauida l. prægnans.

Gula.

In lib. de corde pag. 25. num. 1. sic legitur. Gula, siue stomachus, velut infundibulum, potus copiam, & quicunque volumus excipit. talis est gulæ vsus. at de positione eius, hæc scribuntur in lib. de corp. resect. pagin. 25. num. 2. Gula à lingua principium faciens, in ventrem desinit; quam sanè Græci etiam Oesophagum, & stomachum, idest, os ventris, significanter appellant.

Gurgulio.

Gurgulio, vt habemus in lib. prog. com. 3. par. 21. cum periculo secatur, & scarificatur, quoad rubidus, & magnus fuerit: inflammatio enim fatigat, & sanguinis fluor. sed hunc oportet alijs medicamentis extenuari. vbi verò secretum fuerit omne id, quod vuam appellant, sitq; pars gurgulionis summa maior ac liuida, superior verò tenuior per illud tempus admoliri

moliri manus tutum est, sed præstat, vt primum aluum subduxeris; vti chirurgia, si liceat per tempus, nec æger stranguletur.

Guttur.

In lib. de cor. pag. 25 n. 1. de gutturis vsu sic differitur. Potus in guttur, ac arteriam, quantum epiglottis, siue lingulæ permiserit, fertur. Et in Epist. n. 38. Guttur, & gula inter se coniuncta, vicina sunt: illud enim in viam spiritus: hæc in profundum ventris alimentum dimittit, large id propellēs. hæc Demo. ad Hip. Et in li. de Car. pag. 19. num. 19. Gutture præfecto vox non ceditur; quòd spiritus intro per cauitatem attrahi nequit. Verùm, cum dolet guttur, sic curatur in l. 2. de morb. pop. sect. 6. In gutturis dolore aquam calidam super caput fundito, si non frigus fuerit. sin minus: farinam quàm calidissimam dato, & vinum meracum. cum autem tumefiat: de eo hæc loquitur Hip. in lib. 7. nu. 17. Polemarchi vxori hyeme anginosæ tumor sub gutture. febris multa. vena secta est. cessauit strangulatio ex faucibus, quid postea euenisset, ibi lege.

Hymnasticæ medicina est contraria: gymnastice enim permutatione opus non habet, sed medicina. hæc in lib. de loc. in ho. pag. 33. nu. 46.

COMMENTARIVS VIII.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

Habito.

Si à febre habito, tumore non existente in faucibus, strangulatio repente superuenerit; letale. hic aph. est in l. 4. apho. 34. & verbum Habito sic explicat Gal. in com. licet & simpliciter audire initium aphorismi, in quo ait: Si à febre habito, tanquam ita dixisset. Si homini febricitanti tumore non existente. licet autem & cū maiori aliqua significatione, quemadmodum solet in Epidemijs scribere, non simpliciter quouis modo febricitantem ostendens, cum ait. Febris ipsum habebat: sed de eo, cui magna insit febris, ita loquens. quapropter verbum Habito addit vim febri, veluti si dixisset. si à magna febre detento. In l. autem 6. aph. 16. A morbo laterali, vel pulmonia habito, alui profluuium adueniens malum. Gal. inquit. Cum partes aliquæ patiuntur; non simpliciter aliæ compati sunt natura aptæ: sed cum forti passione detinentur. secundum hoc igitur, & hepate fortiter patiēte, singultus superuenit, compatiente stomacho. tussis autem, & difficilis anhelitus, compatientibus his, quæ respirationi obseruiunt, instrumētis. sic & his ipsis pessime affectis, hepar compatitur, & hoc ipsum manifestè ostendit Hip. cum non simpliciter dixerit, in morbo laterali, vel pulmonia aluum turbatam esse, malum signum: sed adiecerit, Habito: ac si dixisset, detento, atque vexato homine à talibus passionibus, profluuium alui superueniens, malum esse signum. Hæc Gal. ex quibus innotescit, quid significet verbū Habito, de quo in aph. Hip. mentionem pluries facit.

Habitus.

Habitus appellatur partiū corporis humani structura, atque compositio, vt in l. de Vict. rat. comm. 2. part. 32. apparet. s. maximè mutationes eorum, quæ circa naturā nostram. i. temperaturam, habitūque. i. structuram partium contingunt, maxime morbos cō mittunt. sic exponit. Gal. in com. sed in lib. 1. apho. 3. inquit. habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi si in extremo constiterint: neque enim possunt in eodē permanere, neque quiescere. cum verò non quiescant, neque possint proficere in melius; reliquum est, vt decidant in deterius. his de causis bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. in com. autem inquit Gal. habitum talem esse dispositionē, siue ipsum esse dispositū, vt soluatur; nā habitus, & dispositio nō fiūt sine trāsmutatione, quæ fit secundū passiones; & mutatio ex habitu in operationē nō est aliquid pati, vel recipere; sed quæ est ex contrario, est secundū passionē, & corruptionem cōtrarij habitus, siue dispositionis, secundū q̄ in vnaquaque alteratione sunt multę corruptiones contrarij illius, quod abijcitur. verū q̄s bonus sit habitus, sic legitur in l. præcep. pag. 9. nu. 9. hominis bonus habitus natura quædam est, quæ motum nō alienum ex natura acquisiuit, sed valde congrua est, & spiritu, & calore, & humorū concoctione vndiquaque, & vniuersa victus ratione, & alijs omnibus composita, ac constructa, si non aliquis ex natiui tate aut ab initio defectus fuerit. si verò etiam quis fuerit; is si exilis est, conandum est vt subiectæ naturæ assimilentur: præter naturam. n. est id quod immi nutum est, etiam per tempus. habitiores quoque dicū tur carnosiores, ac compositiores: dicitur. n. in lib. de denti. pag. 24. & nu. 2. qui plus mingunt, quàm egerunt, pro ratione habitiores sunt: qui bene dormiunt & habitiores sunt, multum alimentum ad sumunt, idque adiacet, non sufficienter distributum. dicitur in lib. de Salu. Diæt. num. 2. habitus corporis carnosus & mollis, ac ruber. cæterum quo modo bonus accedat habitus ex esu lege lib. 4. de morb. nu. 18.

Hæmorrhoides.

Hæmorrhoidum morbus hoc modo fit. cum bilis, aut pituita ad venas recti intestini decubuerit, sanguinē qui in venis est, calefacit. calescētes autē venæ ex vicinis venulis sanguinē attrahunt; & vbi replentur interna sedis pars intumescit, & capita venarū supereminent: & partim dum, à stercore exeunte cōprimuntur, partim dū à coaceruato sanguine coguntur, sanguinem eiaculantur. atque hoc maxime quidem

dem vnà cũ ſtercore, aliquando verò etiam ſine ſtercore ſic legitur in l. de Hæmor. pag. 206. nu. 1. hęmorrhoidum verò alię ſunt clauſę, alię apertę, veluti percipitur in eodem libello, in quo vt eas cognoſcas, ſic ait. ſupereminent in internam recti inteſtini partem velut vuæ acini, liuidæ, & ſimul vt ſedes extrahitur, ſanguinem eiaculantur. harum autem omnium aliæ fortes ſunt, ac diuturnæ, vt legitur in l. 5. de mor. popul. num. 10. aliæ minime. Hæ profecto ætatem conſtantem agentibus accidunt, quæ quemadmodum ſcriptum eſt in l. 3. apho. 30. atque frequentes viris in meridionalibus ciuitatibus, vt in lib. de ae. aq. & loc. num. 4. at verò vt proditum eſt in lib. 4. de mor. pop. num. 13. mulier cui menſes non prodibant per duos annos hyeme habuit hæmorrhoidas. Et in l. de Coa. præ. num. 3. hæmorrhoides quibuſdam ex menſibus oppreſſis fiunt. Et in lib. 5. de mor. popu. num. 10. hæmorrhoidibus cancer ſucceſſit, febris irruit, & non dimiſit, antequam occideret. Et ſubdit. hæmorrhoides extra erectum inteſtinum erant, reliquo tempore à purgationibus auſpicatæ, & flatus per ipſas prodibat: & ad ſternutationem principium fiebat. hæmorrhoidum verò futurarum ſigna ſcribuntur in li. 1. prædic. pag. 170. num. 18. his verbis. lumbis dolentibus oris ventriculi dolores accedentes, ſigna hæmorrhoidum fluxionis futuræ ſunt, arbitror autem & hoc progreſſę hæmorrhoidum eruptionis ſignum eſſe. Et in l. 2. pag. 171. num. 2. eos qui hæmorrhoidas habent, ſi quis hyeme multo potu vti viderit, & bono colore præditos, de his prædicere licebit, quòd ad ver multa ſpes ſit eruptionis ſanguinis, & vt de colores, & aquatici ſub æſtatem fiant. cæterùm hæmorrhoides plurimum conferunt, atque præſeruant, & curant morbos: legitur enim in lib. de Coa. præn. nu. 3. ſi hęmorrhoides ſyderatis accedant; vtile eſt. Et in l. de Iudicatio. pag. 160. num. 10. atrabiliarijs cum phrenitide occupatis, ſi hæmorrhoides oboriantur bonum eſt. Et in 6. aph. 11. atra bile vexatis, & renum paſſionibus, hæmorrhoides ſuperuenientes bonum. & aphor. 21. in inſanientibus ſi varices, vel hęmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio. Et in 6. de mor. po. ſect. 3. par. 144. qui hęmorrhoidas habent neque pleuritide, neque peripneumonia neque phagedæna, neque furunculis, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus corripiuntur: fortaſſis autem neque lepris, fortaſſis neque vitiliginibus. multi tamen intempeſtiue curati talibus non tarde correpti ſunt, & ſic perniciosæ fuerunt: & quicunque alij abſceſſus. velut fiſtulæ, aliorum medela ſunt. Et propterea inquit in lib. 4. de morb. popul. pag. 139. nume. 30. Alcippus cum haberet hæmorrhoidas, à curatione prohibebatur, curatus inſanijt, febre acuta ſuccedente ceſſauit. & idcirco ait in lib. 6. aphoriſ. 12. à diuturnis ſanato hæmorrhoidibus ſi vna non ſeruatur, periculum eſt aquam inter cutem, vel tabē aduenire. in lib. autem 2. prædict. pag. 174. num. 36. curant hæmorrhoides capitis dolorem. in l. de Coac. prænoc. legitur ex hæmorrhoide parum apparente, vertigines obortæ paruam, ac modicam ſyderationem ſignificant. ſoluit venæ ſectio. & quicquid hoc modo apparuerit mali aliquid ſignificat. Curationem verò habes hæmorrhoidum in libello citato de hæmor. Et in libro de Vict. ratione pag. 159. nume. 67. de muliebri hęmorrhoide curanda lege in eodem libello num. 6.

De Hepate.

Hepar, vt legitur in lib. de Corpor. reſecti. pag. 25. numero ſecundo ſimilitudinem cum alijs omnibus habet: verùm ſanguinolentius, quàm alia exiſtit, apices habens duos, quos portas appellant, in dextris locis ſitas. ab hoc verò obliqua vena inferne ad renes tendit. verùm in lib. de Carni. pag. 19. num. 9. de generatione hepatis ſic ſcriptum eſt. cum vnà cũ calido multum humidi concluſus eſſet, citra glutinoſum, ac pingue frigidum ſuperauit calidum, & congelatum eſt. atque iecur ſic compactum eſt. huius ſignum hoc eſt. quando quis victimam mactat, donec calidus fuerit ſanguis, liquidus eſt. poſtquam autem perfrigeratus eſt, congelatur. ſi quis verò ipſum conquaſſet, & fibras eximat, non congelatur: fibrę enim frigidę ſunt, & glutinoſę. Et in lib. de oſſ. natu. pag. 27. nume. 6. hepatis extremitates quinque ſunt. ſuper quarta autem extremitate fel incumbit, quod oſculum ad ſeptum tranſuerſum, & cor, & pulmonem profert. Et in epiſtolis. pag. 212. nume. 38. quod ſanguinem ſuppeditat, & in alimentum tranſmutat, cum apicibus ſæpe vena caua circumfluum hepar eſt, concupiſcentię cauſa. viridis autem bilis iuxta hepar manens vbi ſuperebulijt humani corporis corruptio eſt, nociuus, ac inutilis corporis humani inquilinus. veruntamen vice verſa dormit, nullum negotium exhibens. Et in lib. de Alimen. num. 7. venarum radicatio eſt hepar. verùm hepatitidis venę diſtributionem lege in l. 2. de morb. popu. ſectio. 4. & in lib. de oſſium natu. num. 14. Hepatis verò vſus eſt talis, vt legitur in libro de homin. ſtruct. pag. 215. nume. 5. ipſum alimentum triplici digeſtione in ſuccum redigit. ex prima cor alimenti qualitatem, ſapo rem ſcilicet ſuſcipit, & puri ſanguinis procreatio fit. ſecundam ipſum deſumit, & partibus corporis alimentum diſtribuit, vnde flauę bilis conſtitutio fit. tertia alimentum ſuperne in ſtomacho in ſuccum vertitur: & tunc reſeratur ianitor, qui ventriculus nuncupatur: quoniam tranſitus tantum facultatem ſubminiſtrat. inde alimentum in inferiorem vētrem dimittitur. hęc de ſtructura hepatis: atque de vſu quę reperimus in lib. Hip.

Verùm hepar plures ſuſtinet affectiones, quarum alię ſunt per ſe, alię ex alijs membris accedunt per ſe autem dolet hepar, tumet, durum fit, hydropem patitur, ſuppuratur, eleuatur, inflammatur prętęrea recipit percuſſiones, vulnera, atque diſcinditur. fiſtula quoque eius rumpitur, per compaſſionem verò vteri afficitur, atque aliorum principalium membrorum.

At verò quo modo doleat, videamus. ſcriptum eſt in l. 4. de morb. pag 75. num. 8. poſtquam comedit, & bibit homo aliquid amari, quodque biliosum, ac leue eſt, copioſior etiam bilis fit in hepate, & ſtatim dolet hepar, quod pueri cor vocant. dolet quidem hepar, ſi derepente multa bilis fiat, & trahatur à folliculo. at ſi per aluum egrediatur, vel per veſicam dolor ceſſat. Et is profectò eſt modus, & cauſa doloris hepatis. quibus verò id contingat, ſcriptum eſt in libro 1. prędict. num 7. his verbis. in morbis acutis, biliosis valde albę, ſpumoſę, circumbilioſę egeſtiones, malę. malę item & vrinę eiuſmodi. num his hepar doloroſum eſt? prę-

notionem præterea accipe ex Coac.prȩn.num.3.quę est, hepar dolentes,os ventriculi dolentes, ſoporoſi, rigorem habentes, & aluum exturbatam, cibum auerſantes, multum exudantes,purulenta per aluum egerunt. De curatione verò doloris hepatis,ait Hip. in lib.7.aphoriſ.53. quicunque hepar circumdolent, his febris ſuperueniens, ſoluit dolorem. hic verò dolor fit, vt exponit Galen. non propter inflammationem, quia homo febricitaret, ſed propter ſpiritum flatuoſum. dolet etiam hepar mediocriter propter obſtructionem, ſed cum quodam ponderis ſenſu potius quam vehementis doloris. Et in lib.6. de morb.popul.in fine inquit, cui apex hepatis complicatus erat, eum concuſſi: derepente dolor ſedatus eſt. Et in l.de Coa. præn.num.2. quibus hepatis dolor,hi ſanguine per aluum egeſto ſeruantur: non autem egeſto moriuntur. Et in lib. de vic. ratione comment.4.par.21. potiſſimum iecinoris dolores, & lienis grauitas atque inflammationes aliæ ſolui non poſſunt, ſi quis primum purgante vti medicamento agreſſus fuerit: nam venæ ſectio in his præferenda venit. deinde clyſmis eſt opus, ſi vehemens, & magnus fuerit morbus; ſi verò non & poſtea medicamento opus ſit; ſane id poſt ſanguinis miſſionem ſecurè, & mediocriter porrigendum eſt. Et par.79. ſi panacem oximellite feruefactam, percolatamque propinaueris; bene facies, proderit autem,& hæc hepaticis aut exſepti tranſuerſi dolore affectis, & his omnibus qui per aluum,aut per vrinas expelli deſiderant,ex vino,& melle.

At verò de hepatis inflammatione hæc docet Hippoc.in l.5.aphor.58.hepati inflammationem patienti ſingultus aduenit.ſ.vt exponit Gal. propter neruorũ communicationem præſertim, quando maxima eſt inflammatio. Et in l.aph.17.in hepatis inflammatione ſingultus malum.

De tumore ſic loquitur Hippoc.in lib.7.de morb. popul.nu.30.Cleotimo ſutori aluo liquefacta multo tempore,& calore ob orto,iuxta hepar tumor tuberculoſus ad imum ventrem deſcendit, & aluus liquida fiebat,& aliud ipſum tuberculum iuxta hepar ſurſum ad præcordium,mortuus eſt. Et in l.de inter.affect.pag.90.num.51.cum bilis in hepar influxerit,& capite conſtiterit; hepar intumeſcit, & præ tumore ad ſeptum tranſuerſum expenditur; & dolor ſtatim in caput irruit,maxime verò in tempora; & auribus non acutè audit reliqua vna cum curatione ibi lege. Et nu.31.eiuſdem lib.ſi inebriatus fuerit intempeſtiue,aut venere vſus fuerit aut aliud quid fecerit,quod commodum non eſt,hepar ſtatim ipſi durum fit, & intumeſcit ac è dolore pulſat. & ſi quid facere feſtinarit, derepente hepar & totum corpus dolet. huic vbi ſic habuerit, & primi dies præterierint; fomentũ adhibeto, deinde ſcamonio ſubpurgato, verum deduritie hepatis hunc obſerua aphoriſmum,qui habetur in lib.6.aph 42. morbo regio laborantibus ſi fiat hepar durum, malum.

Hepar eleuatur quandoque, vt legitur in lib.2.de mor.poſ.ſec.2. Coi ſorori hepar eleuatum eſt ſplenico modo,mortua eſt die ſecunda. De hepate percuſſo ſic ſcribitur in l.5.de morb.popul.nu.24.ei qui hepar percuſſus eſt iaculo, ſtatim color qualis eſt mortuorum per corpus diffuſus eſt, oculi raui, anxietas,moleſtia,mortuus eſt priuſquàm cõcio ſolueretur, cum ſub diei exordium percuſſus fuiſſet. Et numero decimoſeptimo,eiuſdem lib. puer à malo percuſſus, ventrem, & hepar,mortuus eſt quarta die, ſpiritum autem denſum habebat,& non intelligebat quidquam & febris tenebat. Et in lib.1.de morb.pag.60.num.3. moritur, ſi quis cerebro ſauciatus fuerit, aut ſpinali medulla aut hepate. Et in lib.6.aph.18. veſica diſciſſa,aut cerebro, aut ventriculo,aut iecore lethale eſt, & in l.de natu.mul.numer.46. ſi ex partu ſanguinem vomat; hepatis fiſtula ſauciata eſt, & dolor ad viſcera procedit,& cor conuellitur,hunc multa calida lauare oportet, & reliquam curationem ibi lege. Hepar quandoque ſuppuratur,de quo hæc lege in lib.7. aphoriſ.45. quorum hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit, & album,euadunt: in tunica enim his pus continetur. ſi verò qualis amurca fluat; pereunt,& Gale.in comm. exponit quibus in tunica eſt pus,nihil patiente ſubſtãtia hepatis ſaluantur omnes,quibus verò vſque ad carnem hepatis corruptio pertingit iure moriuntur. vt verò cognoſcas quibus hepar languet, docet Hippoc.in l.2.de morb.popul. ſect.1. color eſt, velut qui multum pallidus eſt, & qui ex candicante pallet: quoniam omnia eiuſmodi ab hepate ſunt, & ex hoc ſunt hepatici in his morbi: & morbi regij ab hepate ad ſubalbidum colorem vergunt: & qui ex aqua intercutem, & pituita alba laborant,ſigna progno. in hepatis affectionibus. Legitur in l.de coa. præn.num.3. in hepatico colliquatio cum raucedine malum, tum aliàstum ſi aliquantum tuſſiat, & ibidem, quibus hepaticis multum eſt ſputum, cruentum, ſiue ſubputridum,ſiue bilioſum meracum, ſtatim pernicioſum eſt. Et in libro ſecundo,pror,par.45. ſi ex ventre tenuia non ſentienti ægro exierint, ſi extra ſe non ſit,malum, vt hepatico. Hepatis porrò morbi tres deſcribuntur in lib.de inter.affect.pagin.88.horum primus eſt,numer.30,qui fit ab atra bile cum influxerit ad hepar, idque maxime in autumno,in mutationibus anni.notæ ſunt dolor acutus in hepate, & ſub vltimas coſtas & in humero, & in clauicula, & ſub mammam, & ſuffocatio fortis tenet, aliquando bilem liuidam reuomit: rigor, & febris primis diebus debilior, & dum attingitur, hepar dolet, color ſubliuidus eſt, cibi quos prius comedebat, ſuffocant ipſam, & in geſti vrunt, ac torquent ventrem. reliqua verò, & curationem ibi lege: ſecundus hepaticus morbus deſcribitur,numero 31. color malicorij formam habet, in tempore verò æſtatis maximè incidit, dolores acuti, non deficiunt vlla hora, aliquando vomitus bilis pallidæ, fit hic morbus à bubulæ carnis eſu, & vini potu nimio, cætera & curationem ibi lege. tertius narratur, numero vigeſimotertio, color niger eſt, hepatis fel pituita, & ſanguine repletum, velut rationamur, dirumpitur: & vbi diruptum fuerit, celerrime inſanit, & indignatur, & loquitur ſtulta, & latrat velut canis, vngues puniciei fiunt, & oculis videre non poteſt, & pili in capite erecti ſtant, & febris acuta corripit. curationẽ verò eam, quam ſuperiores deſiderat.

In hepate quandoque fit aqua, & hepatis cauſa quandoque oritur hydrops, verum de hepate aqua pleno hæc ſcribit Hip.in lib.7.aphor.55. quibus hepar aqua plenúm in omentum eruperit, his venter aqua repletur,& moriuntur. Gal.autem in comm. inquit.

quit. veſicas aqua plenas in ea generari membrana, quæ hepar ambit exterius. quo modo verò fiat, & quo modo curetur, narratur in lib. de inter. affe. pag. 87. nu. 26. & inquit ab hepate fit aqua intercus, cum in hepar pituita acceſſerit, & hepar ipſam ſuſceperit, & humectatum fuerit, ſtatim igitur calorem huic exhibet, & flatum inducit. deinde temporis progreſſu aqua impletur. poſtea rurſus in corpus incidit & tumor in tibijs, ac pedibus ineſt: & hepar durum eſt, ac intumeſcit, & clauiculæ attenuantur. Et in l. prog. com. 2. par. 3 quibuſcunque ab hepate aquæ inter cutem oriuntur, his tuſſes, tuſſiendique propenſio accedit, & nihil memorabile expuunt. & pedes tument, & venter non egerit, niſi dura, & coactus, & circa aluum fiunt tumores, aliqui in dextra, aliqui in ſiniſtra parte, tum conſiſtentes, tum conſidentes. Curationem verò lege in l. de inter. affect. nu. 26. at verò nu. 27. ſubdit. ſi aqua inter cus innaſcatur, & rumpatur in ventrem ijſdem medicamentis, & potibus, & cibis, ac laboribus, quibus priores curato. vinum verò bibat auſterum nigrum. ſi verò tibi videatur veniſſe ab hepate; per ferrum vbicunque apparuerit vrito, & aquam paulatim emittito, & velut reliquos priores curato. ſi verò ab his non ſanus fiat; temporis progreſſu corrumpitur, ac moritur: morbus enim eſt grauis, & pauci hunc effugiunt. cęterùm hepaticorum vſtio fit per fuſos buxeos, quales lege in eodem lib. de inter. affect. nu. 30. & ibi habebis rationem vſtionis, ex qua ſumitur illud progn. quod ſcriptum eſt in l. de Coac. prænn. 3 & hoc eſt. quibus hepar vſtis, velut amurca prodit, lethale eſt. & hoc quoque ſupra explicatum fuit ab aph. 45. l. 7. Nunc ad hepatis affectus tranſeamus, qui ab alijs patientibus membris fiunt. ſi vteri ad hepar acceſſerint; muta derepente fit mulier, & dentes conſerit, & color niger fit. patitur autem hæc derepente, dum ſana eſt. quo pacto autem curanda ſit lege in l. de natu. mul. pag. 93. nu. 3 at verò in l. 1. de morb. mulieb. pag. 101. nu. 17. vbi apud hepar, & pręcordia fuerint vteri; mulier albas oculorum partes ſubuertit, & frigida fit. ſunt autem, & quæ liuidæ fiunt: quædam dentibus frendunt, & ſaliuæ ad os fluunt. & ſi diutius moram traxerint, mulier ſtrangulatur. Et in l. 2. pag. 114. nu. 19. recitat eadem quæ ſupra dicta ſunt in l. de natu. mul. verùm in li. 7. de mor. pop. nu. 33. Alcmani ex renum affectionibus ſe recolligenti, & ſanguine deorſum detracto, ſurſum ad hepar conuerſus eſt morbus, & ad cor dolor vehemens, & ſpiritus præ dolore detinebatur. & aluus difficulter egerebat parua caprini ſtercoris pilulis ſimilia. anxietas non inerat. cætera verò, & curationem ibi lege.

Hederæ albæ folia aſtringunt, vt ſcriptum eſt in l. de humi. vſu. pag. 55. nu. 9.

Herniæ fiunt hyeme pueris, vt legitur in li. de ae. aq. & loc. pag. 36. nu. 12.

Herpetes.

Herpetes minime omnium vlcerum quę depaſcendo proſerpunt, periculoſi ſunt: verùm maxime difficulter ſubmoueri poſſunt, quemadmodum cancri occulti. in omnibus autem talibus febrem ſuperuenire vna die confert, & pus quàm albiſſimum, ac craſſiſſimum. comodat & corruptio nerui, aut etiam oſſis, aut etiam amborum tum in profundis, tum in nigris putredinibus. hęc ſcripta ſunt in li. 2. prędict. pag. 173. nu. 21. ſed n. 18. inquit. viris fiunt cancri occulti ſubmerſi, & ex puſtulis nocturnis herpetes, donec ſexaginta annos tranſmiſerint.

Hiatus.

Scriptum eſt in l. de flatibus pag. 4. num. 12. hiatus febres præcedunt: ſi quidem multus aer coaceruatus cumulatim ſuperna petens quomouet, ac diducit os; cum per hoc facillimus ei exitus pateat. Et in l. prog. comm. 1. part. 18. exitioſum eſt, ſi hianti dormiat ore. & hoc intelligitur de his, qui acuto laborant morbo.

Homo.

Homo non ex vno aliquo elementorum, ſed ex quatuor inuicem permixtis conſtat, vt apparet in li. de natu. hum. n. 1. & ibi habetur ratio. Et n. 9. declarat hominem primis diebus ſui reſpectu calidiſſimũ eſſe, vltimis verò frigidiſſimum. is verò in tertium annorum ſeptenarium augeſcit vſque ad quartum, & quintum ſeptenarium, ſicut ſcriptum eſt in lib. de carni. n. 14. ſed quoniam homo dicitur, is qui conſtat ex anima, & corpore, plurimum locuti fuimus de ipſo in cap. de Corpore. de animo verò quoniam nihil ad medicum attinet, niſi, vt cognoſcat facultates illas vegetatrices, ſenſitiuas, & motiuas: de his copioſe ſuis diſſeruimus locis.

De Horrore.

Proditum eſt in l. de Flati. pag. 40. nu. 10. cum corpus cibis expletum eſt ac ſpiritus quoque multitudo vehementer excellit, dum cibi ventre diu imorantur (imorantur autem cibi cum præ multitudine exire nequeant.) & inferior venter vel aluus ipſa ſit obturata: per vniuerſum corpus permeant flatus, ſanguineq; plenas corporis partes maxime petentes eas, frigefaciunt. frigefactis autem his locis vnde fontes, & radices ſanguinis prodeunt per vniuerſum corpus horror conſequitur. vniuerſo autem ſanguine frigefacto, totum corpus horret. Et ſubdit. nu. 11. ſanguis præſentis horroris timore perculſus concurrit, ac penetrat per omne corpus ad locos maxime calidos, hi enim ſunt eius ſaltus. fit etiam horror ex alijs cauſis: nam ſcriptum eſt in l. 5. de morb. popu. nu. 32. ex potationibus horruit. ad noctem febres. poſtridie vomitus bilioſus, merus, modicus. tertia die ſudor totius corporis. ceſſauit. Et in l. de Coa. præ. n. 4. horrorem, ac rigorem inducunt progreſſus ad egerendum paulatim fientes: & quibus larga fit egeſtio, difficillimũ eſt quartanis incipientibus. Et n. 2. eiuſdem lib. horrorem efficit ſanguinis fluxio. ſed & aquilo horrores excitat, vt notat Hip. in l. 3. apho. 5. Horror autẽ quid ſignificet, nobis declarat in lib. 7. apho. 4. cum inquit horror ex ſudore non bonum. Et in l. de Coa. præno. nume. 1. horror, & ſpirandi difficultas in doloribus ſigna tabis ſunt. Et ibidem. horrore affecti, anxij, delaſſati, lumbos dolentes aluos humectas habent. Et ibidem. horrore affecti, caput dolẽtes, exudantes, malignum eſt. Et ibidem. horrore affecti, multum inſuper exudantes, difficili malo implicantur. Et nu. 3. horrorem habentibus, laſſitudine affectis, capite grauatis menſes erumpunt. Et ibidem. horrore affecti frequenter ad ſuppurationẽ deueniunt. ſed & febris tales ad ſuppurationem perducit. Et nume. 1. horrores ex dorſo frequentes, & cito tranſeuntes ægre tolerari poſſunt. & in lib. 7. de morb. popul. numero 14. quibus ſanis horrores frequentes ſunt, hi ex ſanguinis

guinis fluxu ſuppurantur. Et in lib. 1. prædic. nu. 21. & in lib. de Coac. præno. num. 1. Qui in horroribus ſi mul iudicatoriè exudarunt, poſtridie verò poſtquā inhorruerunt, præter rationem vigilant, eos ſanguinem effuſuros eſſe arbitror. Horroris verò curationem ſic explicat Hip. in lib. 7. aph. 56. Et in lib. 1. de morb. popul. ſect. 6. horrorem vinum æquali menſura aquæ ammixtum potum ſoluit. Et in l. 3. de diæ. nu. 22. agitur de horrentibus ex gymnaſijs; eorundēque curatione.

De humero.

Summus humerus ex ſcapulis naſcitur, in pleriſq; diſſimiliter, ut legitur in lib. de oſ. natu. pag. 27. nu. 4. at verò de humeri articulo Hipp. ſententiam contra medicos lege in lib. de Arti. pag. 193. num. 1. humeri dolorem patiuntur, inflammationem, inflationem, attenuationem, lapſum, luxationem, & auulſionem, & alia. humeri dolorem habebat in eſtate obortum ex abſceſſu, vt recitat Hip. in l. 7. de morb. popul. nu. 38. profuit ipſo corpus, & humerum in aqua marina madefacere ad multum tempus, & per tres dies vinum album, aquoſum bibere, ſimul vt in aqua marina decumberet, ita vt & in ipſam vrinam ejiceret. Et in li. 2. prædict. pag. 175. nu. 44. dolores in humeris oborientes, qui ad manus deſcendunt, torporeſq;, atque dolores inducunt, his abſceſſus non ſuccedunt, verum nigram bilem vomentes ſanantur. qui verò iſthic in humeris manent, aut etiam ad dorſum progrediuntur, eos puris, & atræ bilis vomitum effugiunt. Et in l. 7. de morbo. popul. num. 27. Piſtrato humeri dolor, & grauitas diuturna deambulanti, & alias ſano: hyeme verò incidit multos lateri dolor, & calor, & tuſſis & excreatio ſanguinis ſpumoſi, & in faucibus ſtertebat. & n. 51. Epicharmo circa plei adum occaſum, humeri dolor, & grauitas vehemens ad brachium, anxietas, vomitus multi, aquæ potus. in l. autem de Coac. præno. nu. 1. qui frequenter exudare cum præcordij intenſionem non ceſſant, plerunque malignè habent dolorem in ſummum humerum ac clauiculam incūbentes, in his praui ſunt. Humeri præterea, quibus facile inflammentur, lege in l. de Artic. pag. 194. nu. 7. Humeri, ac mammæ cibis, & potibus inflantur, vt legitur in l. 2. de morb. popul. ſect. 3. Humeri præterea attenuantur ex aquis lacuſtribus, ſicut proditum eſt, in l. de ae. acq. & loc. n. 10. Humeri frequentes elapſi repoſitio facilis adeo vt quibus id accidit, plerunque ſibi ipſis ad reponendum ſint ſufficientes. modum verò lege in lib de Artic. num. 2. ſed nume. 111. humeri frequenter excidentis curationem & nume. 1. humeri articulus vno modo luxatur. Et n. 111. lege humeri luxati vſtionem. Et num. 15. de humeri ſummi auulſione.

Humiditas.

Humidum autem dicitur corpus humanum, non quod humore ſit refertum bilioſo, ſed quod ſanguine abundet, vel pituita. dicuntur etiam humida quæcunque extra corpus noſtrum ſunt aqua, vel aqueahæc profecto, vt legitur in lib. de Alim. nu. 12. ſunt alimenti vehiculum. &, vt refrigerent, & humectent; in cibis exhibentur è febre ægrotantibus: competit enim omnibus frebrientibus victus humidus, maxime verò pueris, & alijs, qui tali victu vti conſueuerunt, vt teſtatur Hip. in l. 1. apho. 16. competit præterea diæta humida reſiccatis: eamque docet in lib. de Inter. affect. pag. 91. n. 54. Et in lib. 1. de mor. mul. pag. 104. num. 54. ſi ea, quæ in partu eſt ſicca fuerit, & difficulter humectetur, oleum bibat, & locos oleo calido cum maluæ aqua irriget, & cerato liquido illinat, & anſerinum adipem cum oleo infundat. Et in l. de Sal. diæ. pag. 12. nu. 4. pinguis ex gracili quomodo fiat, habetur per humectantia. Et in lib. 2. & 3. de diæta multa inueniuntur corporis humectationi opportuna, ac maxime nu. 19. pag 47. alimenta recenſet humectantia. & nu. 20. humectant balnea. & n. 21. humectat vnctio calida: item vmbra, & frigus. ſic ſudor humectat ob colliquationis reliquias: ſic vomitus ob colliquationem præ labore. & nu. 23. humectat ſomnus, atque ſegnities, & otium. Auſter humectat, vt in l. 3. aph. 17. humectant loca humida, vt in l. de ae. aq. & lo. n. 37. ſcribitur. at lege librum de hum. vſu pag. 54. & 55.

De Humoribus.

At verò omnis humiditas quatuor habet partes; propterea quod ſi turbetur, in ſuperficie leuiſſima cō ſiſtit, grauiſſima in ima parte ſecundo loco pars, quæ aliquid tenet leuitatis: tertio pars, quæ habet grauitatis naturam. & talis eſt ordo in rebus. & talem habet ordinem lac ſi turbetur, quemadmodum explicat Hip. in l. 4. de mor. nu. 25. quatuor igitur à loco ſumuntur humorum ſpecies: qui enim inſuperficie exiſtit, bilis nuncupatur, ſecundo loco ſanguis tertio pituita, & grauiſſimum omnium eſt aqua, quæ & hydrops, & atra bilis ab Hip. appellatur. ex his conſtat homo, ſiue ex humiditate illa generica, vt apparet in l. de natu. huma. pag. 10. nu. 8. Et quemadmodum ex his conflatur corpus humanum, ſic cum his congenitum eſt, & ex his nutritur congeniti ſunt humores, vt teſtatur Hip. in l. de natu. hum. loco citato. ſed & in l. de Alim. pag. 53. nu. 2. inquit. facultas alimēti peruenit, & ad oſſa, & ad omnes partes, & in neruum, & in venam, & in carnem, & pinguedinem, & ſanguinem, & pituitam, & medullam. ex humoribus autem nutritur quemadmodum in pluribus Hip. libris declaratur. ſed & in l. 4. de mor. pag. 74. nu. 2. vbi demōſtrat, quo modo ex cibis humores gignantur. ſunt igitur quatuor humorum ſpecies, quæ ſicut ab vna humiditate extrahuntur ob latitudinem: eadem de cauſa vnuſquiſque humor plura obtinebit nomina, ac ſpecies, dum omnino purus non ſit. horum humorum qualitates hæ ſunt, bilis eſt calida, & ſicca, ſanguis calidus, & humidus, pituita frigida, & humida, atra bilis frigida, & ſicca. ſed in l. 1. de morbo. pag. 63. nu. 22. pituita eſt frigidiſſima ex natura, calidiſſimus autem ſanguis, frigidior eſt aliquanto bilis ſanguine hæc ſententia aduerſatur ei, quæ deſumitur in lib. de natu. huma. ſed dicendum eſt, quod ſangui: calidior eſt bile, dum homo ſanus eſt. cum verò ægrotat bilis, vel dicamus bilem calidiorem dici ratione ſiccitatis. quæ eſt lima caloris. dictum autem eſt antea ſingulos humores in quatuor poſſe diſtribui partes, ſi conturbentur; ſi quidē pars aliqua tenuior erit pars craſſior, pars alia magis aquoſa, & ſeroſa, pars terreſtris: deinde pars quædam leuis, quædam grauis, & quædam medio modo ſe habens: præterea pars calida, pars frigida, vel humida, vel ſicca, poſtea pars inſipida, pars dulcis, aut amara, aut acris. præter hæc pars alba, pars rubea, vel viridis, vel crocea, vel ex his mixta. & propterea quod, veluti diximus, humores ſunt

conge-

congeniti; fit, vt cum homo conſtet, vt plurimum ex vno humore potius, quam ex alijs; in illo corpore, humor ille excellens ex cibis trahat ſibi ſimilem, quem admodum legitur in l. 4. de morb. pag. 75. n. 3. alimentum verò ex quo nutritur homo, & exquo fiunt hi humores cum aſſumptum fuerit in ventriculum deſcendit. ventriculus autem dum plenus eſt; omnium corpori fons eſt. vbi verò vacuus eſt, corpore fruitur colliqueſcente. ſunt & alij fontes quatuor, à quibus vnuſquiſque horum humorum in corpus procedit. & hi quoque fontes vbi euacuantur; de corpore fruũtur. ſed & ipſum corpus attrahit, vbi ventriculus in ſe ipſo quid habuerit. humorum fontes ſunt hi, ſanguini fons eſt cor, pituitæ caput, aquæ ſplen, bili locus folliculi in hepate. ſic legitur in l. 4. de mor. nu. 2. verum n. 11 ſubdit. fontes hi quatuor cum pleni fuerint ſemper corpori diſtribuunt. vbi verò vacui; vicuerſa trahunt: nam vbi aluus vacuatur; rurſus retro humor ab ipſa redditur, quemadmodum ſuſceperat, veluti ex alijs ad vnum vaſculũ: venæ enim ſunt per totum corpus tendentes, aliæ tenuiores, aliæ craſſiores, multæ, ac frequentes. hæ autem donec viuit homo; apertæ ſunt, & ſuſcipiunt, & dimittunt nouum humorem. vbi verò mortuus fuerit: claudũtur, & extenuantur. Et nu. 13. caput, cor, & ſplende omnibus humoribus participant vnumquodque tamen ſi non ægrotet; plurimum de proprio participat. trahunt autem, & de alio humore venæ in ſe ipſas amplæ, & craſſæ, & inſtar pampini retortæ, ita vt vbi trahant; alius humor aliu m ſequatur. Et ſubdit. n. 14. caput, & ſplen maxime ſunt morbis obnoxia: ægrotant enim & ab his, quæ à natura inſunt; cum plura quam opportunum eſt; acceſſerint. egrotant item ab alijs humoribus ad eum humorem, qui à natura ineſt ſe ammiſcentibus. humores igitur duabus de cauſis ſunt morborũ cauſæ, primum ſcilicet ſi plures ſint, quam opportunum ſit: deinde ſi droprium non teneant locum, ſed cũ alijs humoribus commiſceantur. mixti autem caleſcunt: calefacti turbantur: turbati autem in venis ſurſum, ac deorſum mouentur. ſic legitur. n. 25. eiuſdem lib. præterea. n. 17. eiuſdem lib. ſi humores permanſerint in corpore ampliore tempore, quã opportunum ſit, graueolentes fiunt, & putreſcunt. & hæc eſt tertia cauſa morborum ab humoribus. verũ vnuſquiſque humor proprios efficit morbos. ſed ex omni humore fit vnus, qui deſcribitur in l. 4. de mor. citato n. 23. ſed humor ſua habet tempora, in quibus in corpore maneat: nam primo die cibus in corpore manet. ſecundo feces craſſæ euacuantur. tertio humores. quatuor autem ſunt loci, per quos homo de ſingulis humoribus expurgatur, os ſcilicet, nares, podex, vrinæ meatus, ſic ſcriptum eſt. n. 15. eiuſdem li. ſed & per meatus cutis euacuatur humor tenuis, vt legitur. n. 18. verum quot ſunt loca concoctionis humorum, tot expulſionis ſuperflui. vbi igitur humor aliquis affligens copioſior factus fuerit; ſi his locis homo depurgetur, nullus ipſum morbus ab illo premit. at quando non depurgetur; id arte faciendum eſt, & pluribus modis quemadmodum recenſet Hip. in l. de humo. n. 1. ſed in l. 7. de morb. pop. nu. 44. veratrum duxit omnigena. quãdo verò, & qui ſint humores euacuandi, ſcribitur in l. aph. nam legitur in li. 1. aph. 2. ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: ſin minus, cõtra. in quo loco loquitur Hip. de humoribus qualitate peccantibus. Et in l. 7. aph. 62. dat nobis ſignum euacuationis humoris, cũ inquit. ſudor multus, calidus, vel frigidus ſemper fluens, humorem abduci robuſto quidem ſuprà, debili verò infrà ſignificat. Et in l. 4. aph. 2. in medicationibus talia educere è corpore, qualia, & ſponte prodeuntia, vtilia. quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet. ſed in li. de natu. homi. nu. 17. humoribus ex anni temporum differentijs reſiſtendum eſt. Et in lib. de humo. docet, quo humorum impetus, & ferocitas deducenda ſit. ſed de his lege de Purgante medicamento, & de Criſi, in quibus plura reperies opportuna.

De Hydrope.

Hydrops quandoque ponitur ab Hipp. pro aqua. & hæc aqua aut eſt inter cutem, aut ſubter carnem naſcens, vt legitur in l. 1. de mor. pag. 60. nu. 3. eſt, & hydrops, de qua loquitur Hip. in l. 4. aph. 11. & hæc à quibuſdam tympanites appellatur, ſiue hydrops flatuoſa. fit hydrops & in toto corpore, & in partibus, veluti in pulmone, vt legitur in l. 2. de mor. nu. 59. in teſtibus, vt in l. de ae. aq. & loc. n. 7. in vtero, vt in lib. 4. de mor. pag. 79. n. 34. & circa ventriculum, vt in eodem l. n. 33. hydropis porrò cauſæ aliæ ſunt internę, aliæ externæ. de internis ſic ſcriptum eſt in li. de loc. in homi. pag. 31. n. 18. cum à cerebro fluxio fuerit retro ad vertebras, & in cărnes, hydrops fit. fit etiam hydrops ex quartanis, vt in l. de ae. aq. & loc. nu. 26. ſcriptum eſt. ad hydropem etiam deſinunt, quibus circa tenue inteſtinum dolores, vt legitur in l. de Coa. præ. nu. 4. in hydropem à ſplene, aut ab hepate, aut pituita alba, aut dyſenteria fit tranſitus, vt notatum eſt in li. de affe. nu. 23. fiunt quoque hydropes ex morbis acutis doloroſi, ac pernicioſi. incipiunt autem plerique à laterum mollitudine, aliqui etiam ab hepate, vt legitur in l. prog. com. 2. par. 1. & in l. de Coac. præ. nu. 3. contingit etiam hydrops ex febre ardente, vt habetur in l. 7. de mor. pop. par. 13. verùm hydropes plurimi, ac lethaliſſimi fiunt ab aquis lacuſtribus. ac paluſtribus, veluti à cauſa externa, vt habemus in l. de ae. aq. & loc. nu. 11. Cæterùm ſigna & modum, quo fiat aqua intercus, habemus in l. de loc. in homi. pag. 31. n. 18. & verba ſunt, quæ primum docent ſigna. ſiccæ anteriores partes ſunt, caput ſcilicet, & nares, & oculi: & oculis amplius habetudo accedit, fiuntque cum virore pallidi, itemque reliquum corpus: & nihil expuit homo, etiam ſi multum fluat: modum verò deſcribit poſtea, & inquit Hip. fluxus per mediam carnem retro fluens & ab anteriore auerſus, anteriores partes ſiccas facit, poſteriorum verò carnem irrigat, & magis eam quæ intus eſt ad ventrem, quàm quæ foris eſt ad naſum. & propterea corpus foris magis ſolidum eſt, quàm intus, & anguſtiores meatus, ac foramina habet. quare ſanè cum tenuia ſint foramina conſtringuntur ipſaque ſibi ipſis medentur, & fluxus nullus, ac tranſire poteſt. intus autem foramina ampliora ſunt, & inter media tenuiora habent. fluxus verò, vtpotè ab altioribus procedens, & tenuia impedimenta contra ſe habens influit, & carnes humiditate replet. ſed & humiditas à cibis in idem procedens corrumpitur: corrupta autem ipſa præ ammixtione, & ſimul cum ipſa ea, quæ à capite defluit, corpus nutriunt. carnes verò multo humore nutritæ, & morboſo

auge-

tugescentes hydrope plenæ sunt. at verò de signis, atque de modo lege in lib. 4. de mor. pag. 79. numero 33. ac maxime quo modo circa ventriculum solùm hydrops, & aqua fiat. Et in lib. de affect. num. 23. aqua inter cutem fit plerunque, cum quis ex longo morbo impurgatus multo tempore manet: corrumpuntur enim carnes, & liquantur, & fit aqua. fit etiam hydrops à splene, cum ægrotauerit: & ab hepate, & a pituita alba, & a dysenteria, ac lienteria: & si quidem expurgatione non facta fiat hydrops, venter aqua impletur: pedes, aut suræ attolluntur, humeri vero, & clauiculæ, & pectora liquefiunt. Et subdit. cum carnes à pituita, & tempore, & morbo, & non purgata immunditia, & mala curatione ac febribus corruptæ fuerint, liquescunt, & fiunt aqua & venter quidem non distribuit aquam in se ipsum, verum in circuitu, circa ipsum consistit. Et in l. 2. de morb. popul. sect. 5. habemus hydropis signa, & ea sunt. hydropici rauos oculos habent, & calui sunt. & signa hidropico salutem indicantia scribuntur in in l. 2 prædic. pag. 172. nume. 11. & ait. eum qui ab hydrope correptus est, & superstes esse volet; bonis visceribus præditum esse oportet, ita vt natura se exerat simulque facile concoquat, & bene spiret, sitque sine dolore, & totum corpus æqualiter tepidum habeat, & non circa extremas partes colliquatum. melius est autem, vt tumores potius habeat in extremis partibus. optimum verò est neutrum horum habere, nam molles, & graciles esse conuenit extremas partes, itemque ventrem ad contactum mollem. tussim verò adesse non oportet, neque sitim, neque linguam resiccari, tum reliquo tempore, tum post somnos, quando hæc valde fieri solent. at cibos libenter accipere oportet, & vbi multum satis comedit, non affligi. aluum verò ad medicamenta quidem celerem habere, reliquo autem tempore egerere recrementum molle efformatum. vrinam autem apparere conuenit, pro studiorum ratione, & vinorum mutatione transeunte. laborem verò ferre oportet facile, & lassitudinis exortem esse. ac optimum quidem est hominem ita per omnia dispositum esse. & sic securissime sanus fieri poterit, sin minus; plurima ex his habeat; nam spes erit, vt superstes euadat. qui verò nihil horum habuerit, sed contraria, eum disperatum esse scito. qui autem pauca horum habuerit, quæ bona esse dixi, si hydrope elaboranti adsunt, huic exigua spes restant cui verò multum sanguis sursum, ac deorsum eruperit, & febris insuper accesserit, eum multa aqua repletum iri timor est atque hic hydrops breuissimi temporis; & ex quo pauciissimi euadunt. verum de hoc alteri prius significare oportet. at quibus magni tumores facti emarcescunt, ac rursus attolluntur hi magis conualescunt, quam illi qui ex sanguinis eruptione implentur. verum fallunt hi hydropes ipsos ægrotos, faciuntque, ut ipsi à medicis discedant, ac pereant. Et in l. 4. de morbor. numero 34. hydropis morbi adhuc difficiliores fiunt, si ex alio morbo corpus liquefactum, ad hunc deuenerit. Et in libro de affect. num. 19. in hydropem splenicis morbus degenerat his, quibus pharmacorum potiones nihil proficiunt. Et in lib. de coact. præ. nu. 3. in hydrope fiunt biliosi, aluo turbata egerente. & in l. 4. de mor. n. 34. si subito morbus occupauerint hominem, moritur, nempe alio morbo diutissime iam affligente, & vbi etiam aluus valde fluuida fuerit, citissime moritur, & sentiens, & loquens. Et in l. de Coac. præ. nu. 3. hydrops qui ad curationem remisit, recurrens dispe ratus est. Et in l. 2. de mor. popul. sec. 5. hydropicus si tumorem in cruribus habens tussiat, malum. Et in l. de coa. præ. nu. 3. hydropico febrienti vrina parua, & turba pernicioſa est. Et in lib. 7. aph. 47. hydropicũ si tussis vexat, disperatus est. Et in lib. 6. aphor. 8. hydropicis fientia vlcera in corpore, non facile sanantur. Et in l. 7. in quibus hepar aqua repletum in omẽtum eruperit, his venter aqua impletur, & moriuntur. Et in l. de coa. præ. nu. 3. ex hydropicis comitiales pernicioſi Et ibidem. hydropicis comitialis morbi affectiones accedentes pernicioſæ sunt, & inter se signa praua sunt. Et ibidem. & hydropicis siccis vri næ stillicidia mala. malæ etiam vrinæ paruas subsidẽtias habentes.

Curatio verò talis est. scribitur in lib. de loc. in homin. pagin. 32. num. 33. cum retro in carnem iuxta vertebras fluxus illapsus hydropem fecerit, sic mederi oportet. caro in collo inter venas crustis tribus vratur. & reliqua ibi lege. Et subdit num. 36. in puero hydropem sic curare oportet. partes humidę, & aqua plenæ aperientes sunt scalpello, & frequenter, ac parum educendum est. educendum autem est à singulis corporis partibus, & fomentis vtendũ & semper locum apertum, vnde eduxeris, calfactorio medicamento illines. Et in l. de affec. pagin. 81. numero vigesimo tertio, hunc si à principio acceperis, priusquàm aqua subcrescat, pharmaca bibenda dato, à quibus aqua aut pituita purgatur. bilem verò ne moueto. cibos autem, & potus, & labores, ac deambulationes constituito, a quibus gracilis, ac siccus euadat, & carnes quam obustissimæ fiant morbus autem est lethalis, cum alias, tum si venter aqua repletus fuerit. cum verò à splene, aut ab hepate, aut pituita alba, aut dysenteria in hydropem transitus fit; conducit quidem per eadem curare. effugiunt autem non valde: nam in morbis cum alter alteri succedit: plerumque occidit: cum enim corpori à præsenti morbo debilitato alius morbus accesserit, præ imbecillitate perit, priusquàm alter morbus, qui posterior accessit, desinat, & subdit. si igitur à pharmacis, & alia victus ratione æger vtilitatem percipiat, & venter ipsius euacuatur; bene est: sin minus, sectione facta aquam emittat. secatur autem vel iuxta umbilicum, vel retro iuxta lumbos. effugiunt autem, & hinc pauc. Et in lib. de vic. ratio. in morb. acu. commen. 4. par. 3. hydropum duæ sunt naturæ, quorum hyposarcidius si hominem agreditur; vitari non potest. alter ex flatibus constat, & multa, & bona indiget fortuna. curaturque tolerantia, situ, & temperantia. sicca autem & acria edat: ita enim maxime tum valebit, si difficulter spirauerit, fueritque anni tempus æstiuum, & floruerit ætas, viribusque fuerit valentibus, sanguinem à brachio tolles, deinde calidos panes ex vino nigro, & oleo tinctos dabis; isque quamminime bibat, & quam plurimum laboret: suillaque edat carnem ex aceto coctam, ut aduersus arduas resistat inambulationes. Et in li. de inter. affec. num. 9. in hydrope fomenta ante pharmaca facienda sunt. at in lib. de Iudic. numer. 11. qui ab hydrope detinentur,

si aquo-

ſi aquoſitas per ventrem, ad veſicam, aut ad ventrem fluat, ſolutio fit. Et in lib. de Coac. præno. num. 3. hydropas leucophlegmatias appellatos alui profluuiũ ſedat. Et in lib. de Vict. ratio. comm. 4. par. 122. deſcribitur poculum hydropi ex cantharidibus, quod ab Gal. vituperatur. Et in lib. 5. aph. 27 hydropici quicunque ſecantur, aut vruntur, aqua aceruatim effluente, moriuntur. Et in lib. 2. de morb. popul. ſect. 5. ſi hydropicum tuſſis corripiat, ſi quidem ſtatim animo linquatur, calidis omnibus vtatur. ſin minus, inebriato, ac cibis ipſum impleto, venas autem internas ſecato, dum morbus in intentione eſt. Hydropicorum quoque curatio ſcribitur in lib. 5. de morb. popu. num. 27. Et in lib. 6. ait. hydropicorum pectinem ne contingito, neque internas partes: ſimile eſt enim multis genibus. Et in lib. de Coac. prænot. numer. 3. hydropicis circa venas aqua, in aluum prolapſa ſolutio fit.

De Hyeme.

Hyems eſt tempus anni frigidum, & humidum natura, ſed quandoque per accidens fit ſiccum, & frigidum, vel calidũ, & humidum. & propterea ſi hyems ſuam ſeruauerit temperaturam, inquit Hipp. in lib. 1. aphoriſ. 14. hyeme cibos facillime ferunt, ſecundum locum ver habet. Et in lib. 3. de diæ. pag. 49. nu. 3. quo victu vti conducat hyeme docet. & in lib. de aere, aquis, & locis. num. 3. hyeme frigida homines capita humida, ac pituitoſa habere par eſt, & ventres ipſorum frequenter exturbari pituita à capite influente. ſed ad hyemem naturarum aliæ bene, aliæ male habent, vt legitur in lib. 3. aph. 13. & ſi quandoque hoc tempore purgari oportet: inquit Hipp. in lib. 4. aph. 4. hyeme inferiores partes magis purgare oportet æſtate ſuperiores. ſed quoniam omnia anni tempora ſuas producunt affectiones in corporibus humanis; & idcirco hyeme morbi fiunt laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tuſſes, dolores pectoris, & laterum, atque lumborum, capitis dolores, vertigines, & apoplexiæ. verùm ſi hyems non naturalis fuerit; alij contingent morbi, nam ait Hip. in lib. 3. aph. 12. ſi hyems auſtralis, & pluuioſa, ac clemens fiat, ver autem ſiccum, & aquilonare, mulieres quidem, quibus partus ad ver inſtat, ex omni occaſione abortiunt, quæ verò pariunt. impotentes, ac morboſos pueros pariunt, ita vt aut ſtatim pereant, aut tenues, ac morboſi viuant. alijs autem dyſenteriæ, & lippitudines ſiccæ fiunt, ſenioribus verò defluxiones breui perimentes. Et in lib. de aere, aquis, & locis. num. 28. hyems morbida æſtatem pluuioſam, & auſtralem conſequitur. Et ibidem. nu. 25. ſi hyems ſicca, & borealis: ver autem pluuioſum, & auſtrale ſit, neceſſe eſt æſtatem febriculoſam fieri, & lippitudines inducere. Et in li. 3. aph. 13. ſi hyems ſicca, & aquilonaris fuerit, ver autem pluuioſum, & auſtrale; neceſſe eſt eſtate febres acutas, lippitudines, & dyſenterias fieri, maxime mulieribus & viris natura humidioribus. Et in l. de aer. aq. & loc. nu. 26. poſt hyemen auſtralem, & pluuioſam obortus frequentes, pueri tenues, ac debiles.

Hypocundrium.

Hypocundria ſi non ſana fuerint, patiuntur dolores, inflammationes, durities, tenſiones, & huiuſmodi. ſana dicũtur hypocundria, vt legitur in l. prog. com. 1. par. 27. ſi dolore vacant ſi mollia, & æqualia ſunt dextra, ac ſiniſtra parte. ſi verò inflammatione vexantur, aut dolore, aut intenta ſunt, aut inæqualiter affecta dextra, ac ſiniſtra parte: hæc animaduertenda ſunt. ſi verò pulſus in ilijs inſit: perturbationẽ ſignificat, delyrium, aut perturbationem. verum oculoſtalium conſpicere oportet: ſi enim crebro obtuſmouetur: expectãda inſania eſt. Et ſubdit. tumor in ijs durus, & dolens, peſſimus eſt, ſi in omnibus fatiget. ſi verò altera parte infeſtat, hoc eſt dextra, ſiniſtralminori cum periculo eſt. talis verò tumor ab initio mortis cito futurę ſignificat, & alia ibi lege. Et in lib. 1. pror. par. 7. de ardore hypocundrij ſic loquitur. qui in hypocundrio refrigerata febre ardores relinquuntur, tum aliàs, tum in ſudoribus mali ſunt. Et in lib. 2. par. 10. quibus vox acuta eſt, his hypocundria intro tracta ſunt. Et par. 20. febres ex hypocundriorum doloribus malignæ. Et part. 39. ſtomachi dolor cum hypocundrio contento, dolorque capitis malignum, & ſuſpirioſum quippiam. Et par. 57. in febribus ad hypocundrium dolores ſine voce ſudore ſi ſoluuntur, maligni. Et in lib. 3. par. 8. quibus lumborum tenues, & diuturni dolores ad hypocundrium euntes &c. cito cum quadam conuulſione perimit. Et part. 33. ſanguinis ad latus diuerſum eruptiones malæ. atque res in hypocundrijs ita habet. cum ſudore deterius id exiſtit. Et par. 52. ventris palpitationes cum hypocundrij tenſione ſublonga, & tumente, ſanguinis indicant eruptionem. inhorreſcunt autem hi. Et par. 55. hypocundrij tenſio cum capitis grauitate & ſurditate, & quę conſequenter fatigant, ſanguinis denuntiant prefuſionẽ. Et par. 64. ex torminoſo ſedimẽtum limoſum, & ſubliuidum malum. an ex hypocundrijs dextrum dolere videatur? Et par. 66. ex voluulis male olentibus cum febre acuta, & hypocundrio ſublimi diutius perſeuerante, parotides exurgẽtes perimũt. & par. 72. quibus ampliter & crebro ſpirantibus morbus regius, & febres acutæ & duris hypocundrijs, refrigeratæ fuerint; his abſceſſus magni ſecundum aures ſuſcitant. Et part. 77. hypocundrij contentio cum comate faſtidioſo, & capitis dolore, parotidas effluere faciunt.

Hyſſopum calidum eſt, & pituitam ducit, vt legitur in l. 2. de Diç. nu. 14.

COM-

COMMENTARIVS IX.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

Iactantes.

Roditum est in lib.2. prædict.nu.11. num iactantibus se anxie citra vomitum, lumbos dolentibus si ferociter mente moti fuerint, spes est vt nigra per aluum prodeant? Et in l. de Coa.præ.num.4. qui anxie se iactantes, citra vomitum exacerbantur male habent: itemque qui lancinantur citra vomitum.

Icteritia.l.Regius morbus.

Iecur l.Hepar.

Ieiunium.i.longa inedia,& paucus cibus.

Scribitur in lib.de Vict.ratio.in mor.acut.Ieiunio ad capitis dolorem,& crapulam malum est.Et in lib. 1.aphor.13.ieiunium facillime ferunt senes, secundo loco,qui ætatem consistentem habent, minus adolescentes,omnium minime pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores,sed l.Inedia,& fames.

Ignis.

Ignis quatuor modis hoc intelligitur loco: primũ pro elemento puriori,de quo scribitur in lib.de car. num.1.dicitur & materialis,vt in l.7.aphor.85.ignis sanat,quæ ferrum non sanat, quæ verò ignis non sanat,ea incurabilia putare oportet.sumitur tertio pro calore naturali, quemadmodum proditum est in l.1. de diæ.nu.4. hoc est. ignis omnia per omnia mouere potest,aqua omnia per omnia nutrire.Et numer.10. ignis omnia, quæ in corpore sunt secundum ipsius modum exornat.Et nu.11.ignis in corpore circuitus tres.& quod in illo humidissimum est,in venis cauis existit. Et in l.2.de diæ.nu.16. ex igne & aqua omnia constitui,& ex his augeri,& in hæc secerni,ac resolui.scribitur tandem in lib.de mor.popul. ignis quandoque pro calore febrili.

Ignis sacer.

In lib.6.de mor.pop.sect.7. sacri ignes quibusdam à collo, & circa has partes, in facie iudicabantur,nigri etiam, quibus a collo, mali erant: & si pustulæ essent; malæ erant; & quibus aluus turbata esset. at l.Erysipelas.

Illuuies.

Illuuies siccat,cum humiditas consumitur.sic scribitur in l.2.de diæ.nu.2.

Impetigo.

Impetigines vere fiunt,vt scribit Hipp.in l.3.aph. 20.fiunt lepræ, & impetigines ex morbis ab atra bile factis. ex his autem facilius sanantur, quæ in maxime iuuenibus fiunt, & quæ recentissimæ sunt, & in mollissimis, ac carnosissimis corporis partibus producuntur, sic legitur in l.2. prædic.pag.175.nu. 49. Curatio verò ea est. impetigini acetum ad calidum solem effusum prodest, vt habetur in l.de humi.vsu.nu.8.ad impetigines lege medicamentum in l.2.de morb.mul.pag.119.nu.68.

Impotentia.

Quæ præter vacuationis vasorum rationem contingunt impotentiæ, infirmitatesque, non existente vasorũ vacuatione, malæ.sic legitur in li.2.pror.par. 5.sed part.3.quibus aluus liquida, lassitudo, capitis dolor,sitis,vigiliæ,obscuritas, & impotentia fuerit, vt hi mente moueantur, spes est.

Incurui fiũt, si defluxus capitis progressum ad cor fecerit, vt legitur in l.de morb.sac.nu.7.

Inediæ quibus consequenter accedunt, ac sudores cum bona facie,colore, & aluo liquida,ita vt adsit etiam aliquis cordis,seu potius oris ventris dolor; hi vbi longius ægrotarunt, peripneumonicorum modo moriuntur sic habetur in l.de coa.præ.nu.1.

Inexercitati vbi derepente laborauerunt, & carnis colliquationem violentam, ac multam fecerunt,quo modo curandi sint scribitur in l.3.de Diæ. nu.16.

Infantes.

Infantibus tussicula cum ventris turbatione, ac febre continua, significat post iudicationem bimestri,in totum vigesima die, etiam tumores ad articulos. si quidem infra vmbilicum constiterint in infernis articulis superna,bonum. si verò supra; non similiter morbum soluunt, nisi suppurata fuerint,& hoc legitur in lib.2.de morb.popul.sect.1.at in l.de Dentitio.n.3.infantibus, quibus in sugendo tussis instat, vuam maiorem habere solẽt. Et l.3.aph.12.si hyems australis,& pluuiosa,& serena fuerit, ver autem siccum,& aquilonium; mulieres, quibus ad uer partus inest, ex quacunque occasione abortiunt. quæ verò parient, imbecilles, & morbidos infantes pariunt. quare vel statim pereunt,vel tenues,& valetudinarij viuunt. sed l.Puer.

Infernæ partes.

Legitur in l.de Coa. præ.pag.175.col.1.quibus in febre dolores circa lumbos, & infernas partes, fientes, septum transuersum contingunt, infernas partes relinquentes pernicioſi sunt, tum alias, tum si aliud quoddam signum prauum accedat. si vero alia signa nõ fuerint praua; suppuratum forte timor est. Et in eodem lib.qui diutius securè ex febre continua laborant, citra dolorem, aut inflammationem; aut aliam causam, his abscessus expectandus est cum dolore, & tumore,& magis in infernis partibus. cætera ibi lege. Et in eodem lib. capitis dolor pertinax cum febre acuta, & alio signo maligno lethale est. cæterum sine signo malo, transgrediens vigesimum diem,sanguinis,aut puris fluxũ è naribus,aut abscessus ad infernas partes significat. alia autem ibi vide. Et in eodem lib. præ. pag.178. quibus derepente dũ sine febre sunt,præcordij, & oris ventriculi dolor,& circa crura, & infernas partes, & aluus in tumorem

ele-

elcuata eſt: ſoluit venæ ſectio, & alui fluxio, reliqua ibi lege. at in lib. de Iudicatio. nume. 10. in locis infernis dolorem fortem ſoluit aut ſurditas, aut ſanguis multus è naribus erumpens. verùm lege Corpus.

De inflammatione.

Inflammatio fit in aliqua corporis parte, in quam influxerit humiditas bilioſa præſertim, & acris, & ibi manſerit. hoc quidem affirmat lib. de Gland. pag. 26. numer. 5. vbi legitur. ſi multa, & acris influxerit, manſeritque acris, & glutinoſa, inflammatur, ac intumeſcit, & collum diſtenditur. fit præterea inflammatio ab extra vt declaratur in lib. de ſuperfœ. nu. 5. his verbis. ſenſim hoc faciendum eſt, non violenter, ne præter naturam diuulſa, inflammationem inducat. fit igitur inflammatio à cauſis extrinſ. & intrinſ. cauſa autem intrinſeca eſt humor acris, ac bilioſus qui perſiſtat. ſed & ſanguis copioſus eſt in cauſa inflammationis: nam legitur in lib. de Flatib. pag. 40. nume. 11. ſanguine abundantes propter ſanguinis multitudinem tremunt, & inflammationes ſuſcitant: nequit enim fieri, vt ſanguinis multitudo conquieſcat. & in lib. de capitis vulneribus pag. 184. numer. 18. partes vlcus ambientes inflammantur, ac intumeſcunt propter ſanguinis influxionem. & in l. de vlcerib. pag. 204 num. 2. inflammantur vlcera cum ad ſuppurationem tendunt. ſuppurantur autem alterato ſanguine ac calefacto, donec putrefactus talium vlcerum pus fiat.

Verùm quo modo inflammationes fiant, ſic ſcriptum eſt in l. 1. de morb. pag. 61. nume. 11. caro ſauciata ſupereſiccatur, & ſubcaleſcit, & humiditatem in ſe ipſam à vicinis, tum venis, tum carnibus trahit. vbi autem attraxerit, intumeſcit, & inflammatur, & dolorem exhibet. Et in lib. 4. de morb. pag. 77. num. 22. docet, quo modo vlcera inflammentur, & inquit. vlcere ſi curentur in diebus imparibus inflammantur. venit enim humor ad omnes venas, conturbatur, & eas replet. ſi verò vlcus curetur, pus exitum non habens dolorem inducit, & carnes circa vlcus attollit. inflammatio fit in venis vt legitur in lib. de Vict. ratione com. 4. par. 67. fit in cerebro, vt in li. 7. de morb. num. 1. in pulmone vt l. 2. de mor. Et in l. de inter. affec. nume. 7 fit in faucibus, & in gingiuis, vt in lib. de affect. nume. 4. fit inflammatio abſceſſuum, vt in lib. de flatib. nume. 7. fit inflammatio in mammis, vt in lib. de Glan. nume. 11. fit in artic. vt in lib. de artic. nume. 7. fit ad palatum, vt in lib. 2. de mor. num. 32. fit in angina ad pectus, aut pulmonem conuerſa, vt in eodem lib. nume. 27. fit in vteris ex partu, vt in lib. 1. de mor. mul. num. 112. accidit etiam inflammatio in præcordio ſuppuratoria, quæ tunc eſt, quibus ante mortem nigra per aluum ſubeunt, vt in lib. de Coa. præ. nu. 2.

Signa autem inflammationis & doloris in locis principalibus ſunt ſpiritus denſi, & parui, vt habetur in lib. de Coac. præno. nu. 2. in quo etiam num. 4. inflammationem in locis ſupra ſeptum tranſuerſum, aut dolorem ſpiritus denſus ſignificat.

Inflammatio autem quid agat, ſic legitur in lib. prog. com. 3. par. 23. hoc eſt, febrem prorogat. Et in lib. 3. de mor. nu. 15. ficcat. Et in l. de virg. mor. infamit. Curationem inflammationis hanc habemus in l. 5. aph. 23. ibi enim ait frigidum vtile eſſe inflammationibus, aut flammeis ardoribus ad ruborem, & ſubcruentum colorem ex nouo ſanguine tendentibus. Et in epiſt. num. 33. inflammatione in principiò laborantibus pharmaca inimica. Et in l. de vict. ratio. comm. 4. par. 21. inflammationes aliæ ſolui non poſſunt ſi quis primum purgante vti medicamento aggreſſus fuerit: nam venæ ſectio in his præferenda eſt. deinde clyſmis eſt opus, ſi vehemens, & magnus fuerit morbus: ſi verò non; & poſtea medicamento opus ſit; id poſt ſanguinis miſſionem ſecurè, & mediocriter faciendum eſt. ſed quandoque inflammatio ſcribitur ab Hip pro maximo calore, vt in lib. prog. com. 1. par. 27. & Galen. ibi ait. Inflammari ſignificat veluti igniri, & ſuccendi, ac peruri.

Infuſa.

Infuſa alia competunt hominibus craſſioribus, ac humidioribus: alia ſiccis, ac debilioribus, etenim in lib. de Salu. diæ. pag. 12. nume. 6. hæc narrantur. ſunt infuſa pro craſſioribus, ac humidioribus ſalſiora, & tenuiora, pro ſiccis verò, & gracilibus, ac debilioribus pinguiora, ac craſſiora. tenuia verò & ſalſa ſunt muria, & aqua marina, & huiuſcemodi. craſſa autem & pinguia ſunt quæ ex lacte fiunt, & cicerum decoctum & huiuſcemodi. de infuſorum verò menſura præſertim ad vteros pertinente ſic ſcribitur in lib. 2. de morb. mul. pag. 121. nu. 90. infuſum nulli, vt ſemel dicam competit, quam duarum hæminarum.

Inguina.

In guinibus autem fiunt dolores, tumores, inflammationes durities, vulnera, & id generis. ſcriptum eſt in l. de Coa. præ. num. 1. inguinis dolor in febribus morbum diuturnum ſignificat. Et in l. de Flati nu. 7. cum inguinum inflammatione abſceſſus, & febris cõſequitur. Et in lib. 7. de morb. pop. nu. 58. inguinum tumor ad ſex annos, varices, & coxendicum dolores. Et in lib. 6. ſect. 7. inguinum glandularumque tumores plurimi fiebant; eo quod hepatitis affecta eſſet. Et in lib. de Coac. præn. num. 4. ſupra inguina ad laterum mollitudinem, & pubem fientes puſtulæ ſerpiginoſæ, aluum male affectam ſignificant. præterea in lib. 5. de morb. popu. nume. 27. loquitur Hip. de inguinibus duris extuberantibus. & in l. 7. nu. 40. legun tur inguinum tubera. Et in l. de natu. pue. nu. 7. ſcribuntur iguinum tubercula ex retentis menſibus. at verò de vulneribus legitur in l. 5. de morb. popu. nu. 20. iuxta inguen ſagitta percuſſa. & ibidem. ex inguine cuſpis ſexto tandem anno eſt erupta. ſed inter le thalia vulnera connumerantur ea quæ fiunt in inguinibus, vt proditum eſt in libro ſecundo prædi. num. 19.

Inquietudo.

Quæ in iudicatorijs diebus cum proiectu, & inquietatione, & abſque ſudore perfrictiones ſunt, mala exiſtunt. atque ex his ſuperuenientes rigores mali. hæc in lib. 2. pror. par. 26. vbi Gal. ait ſuperfluam orationem eſſe, abſque ſudore. Et in lib. 1. part. 26. Quæ cum refrigeratione non ſine febre ſuperioribus ſudanti partibus fiunt morbi, implaciditates, & inquietudines phreniticæ exiſtunt, & pernicioſæ. Et part. 27. frequentes in phrèniticis permutationes cõuulſionem indicant. Gal. in com. inquit. In ſuperiori particula ſimplicium recenſuit permutatio-

nem, quæ circa morbi initia fit: atque eam non bonum esse signum dixit. in hac autem de qua agat permutatione explanat, ex prauis nempe symptomatis ad praua ostenditur permutatio. l. lactatio.

Insania.

De causis insaniæ satis fuisse dictum arbitror, in cap. de desipientia. & propterea ne alias repetam, ibi legendæ sunt. attamen hæc pauca addemus. quæ ex lib. 1. de morbo. pag. 63. nu. 28. desumpsimus, & id est, tanto minor insania, ipsumque delyrium fit, quanto paucior, ac debilior est bilis, quam pituita. Et in l. de ae. aq. & loc. nu. 12. insaniæ morbi in occidentalibus ab aquis fiunt lacustribus, & palustribus. Et in l. de Coa. præ. nu. 3. insaniæ timorem inducunt dysentericæ subrubræ, limosæ, largæ egestiones alui in flammeis valdæ rubicundis coloribus salutæ. Et in lib. de loc. in hom. pag. 33. num. 48. cum homo manibus, ac pedibus distentus, ac tortus fuerit, insaniam sibi ipsi facit. A quonam humore insaniunt homines, & quo modo cognoscantur, vide in cap. de Desipientia. At verò insaniæ futuræ signa, quædam exponemus. legitur in l. de Coa. præn. nu. 2. insaniam cito affore denuntiant vomitus in capitis doloribus, æruginosi cũ surditate, & vigilijs. Et in lib. 1. præd. pag. 171. num. 2. insaniam portendunt vox clangorosa ex vomitu nauseabundo oborta, oculi puluillum incumbentem habentes. Et in l. de Coa. præ. nu. 4. ad insaniam deuenturos esse timor est, ex aluo liquida lassatos, caput dolentes, siticulosos, vigilantes, valde rubicunda egestione solutos, si difficulter spirauerint. Et in l. 5. apho. 40. insaniam significat quibuscunque mulieribus sanguis ad mammas colligitur. Et in lib. de Coac. præ. nu. 3. ad insaniam deueniunt ex leuibus syderationibus post mentis emotiones taciturnas, non quiescentes. Et nu. 4 eiusdem lib. timor est ne insaniant, quibus & flammeis, & valde rubicundis solutis, graueolens, larga, & subrubra fit egestio.

Qui verò insani sint narratur in l. 2. de morb. pop. sect. 5. & inquit. cui vena in cubito pulsarit insanus, & iracundus est: cui verò quieuerit, stupidus. de insanis autem has cape prænotiones. scriptum est, in l. de Coa. præ. nu. 3. insania acutè correpti voce intercepta, ita affecti moriuntur. Et nume. 2. eiusdem lib. quibus timor est vt insaniant, in his colli dolor malum est. Et in lib. 5 aphor. 65. quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur maxime, neque insaniunt. quibusdam ante insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, si tumores sunt rubicundi. ex insania præterea ad raucedinem cum tussi fit discessus, vt legitur in lib. de Coac. præno. & ex insania dysenteria, aut hydrops, aut mentis emotio bonum.

Verùm insania hos producit effectus. legitur in l. de Coa. præn. nu. 3. insaniæ febres acutas turbulentas, non bilioso os ventriculi dolenti soluunt. Et in l. 2. de mor. popu. sect. 5. insania, magni morbi ex morientis solutio.

Curationem verò insaniæ legitur in lib. de Virg. mor. num. 3. quæ est. insaniæ curatio est sanguinis detractio, si nihil impediat: virgines autem quam citissime viris iungantur. Et in 6. aphoris. 21. varices, aut hæmorrhoides accedentes insaniam soluunt. Et in l. de iudicatio. pag. 160. nume. 10. quicunque insaniunt sua sponte liberati ex morbis, his insaniam soluit, dolor ad pedes progressus, aut ad pectus: aut tussis vehemens oborta. si verò horum nihil fiat; insania soluta, oculi priuatio contingit. in li. autem 5. de morb. popu. num. 1. recitatur in sani à liberaliore potatione curatione.

Insomnia.

Cum in somno oculi ardent, & prudentia permutatur, & opiniones peregrinæ mentem occupant, tales insomnia appellantur, vt refertur in lib. de flati. pag. 40. num. 20. sed alia sunt insomnia bona sani, alia ægri. vnde legitur in lib. de morb. popu. nu. 29. in febribus ab insomnijs vexabatur quæ nouimus, & cessauit & ipsa eadem somniare vnà cum iudicatione. sed insomnia in phrenitide euidentia, bona sunt, vt apparet in l. de Coac. præno. num. 1. & insomnia horrenda in morbo crasso, lege in lib. de inter. affec. nu. 51. verùm in lib. de insomnijs. pag. 52. nu. 3. insomnia diurnis actionibus aduersaria, & de ipsis pugna oborta, turbationem in corpore significat. sed plura de his lege in l. de Insom. citato.

De intestinis.

De intestinorum generatione hæc prodita sunt in l. de carnibus pag. 18. num. 3. fauces, & stomachus, siue gula, & venter, & intestina in podicem vsque caua facta sunt: cum enim frigidum semper calescat quantum eius circumcirca glutinosum erat, exassatum est, & mẽbrana tunica facta est. quod verò intra frigidum erat, colliquatum est, & factum liquidum; non. n. erat in ipso, neque pingue, neque glutinosum multum. in l. autem de homi. structura pag. 215 num. 7. intestina cubitos tresdecim habent. Et in Epist. nu. 38. obnoxia verò ventris compositioni per opificium conuoluta, circum ventrem euoluuntur intestina ad sumpsionis, & excretionis causæ. & in l. de oss. pag. 27. num. 6. intestina crassa homo maiora, quàm canis habet. dependent autem ex mesenterij membrana, quæ mesocolon, hac parte vocatur. mesocolon autem ex neruis de spina sub ventrem. Et in li. de corp. resec. pag. 25. n. 3. à ventre extat intestinum ventri consimile, longum cubitorum non minus duodecim, pampino fortiter in sinibus inuolutum, quod aliqui colon appellant, per quod alimenti delatio contingit. à colo autem situm est rectum, ac princeps intestinum postremum carnem copiosam habens, & in summum anum desinens. sed intestini recti situs talis habetur in lib. de artic. pag. 198. nu. 42. hæc autem de anatomia intestinorum.

Aegritudines, quæ intestina corripiunt, hæ sunt scilicet dolor, tumor, inflãmatio, tormina, humectatio, & saniei fluor, exasperatio, elapsus, pertusio, & vulnus, intestinorum leuitates, difficultates, agitationes, humiditates, aqua intercus, & voluulus. Dolor autem intestini tenuis, talia nobis dat prognostica. in lib. enim de Coac præn. nu. 3. ad intestinum tenue dolores ex laterum mollitudine transeuntes in morbis longis ex corruptione fœtus, non valde purgata, pernicioſi sunt. Et ibidem. circa intestinum tenue dolores diuturni, & circa lumbos, & ad præcordia, si ægri cibos auersantur, vnà cum febre his dolor intentus, ad caput progressus ipsos quidem occidit conuulsorio modo. Et nume. 4. eiusdem lib. narrat doloris causam, & inquit. circa

inte-

inteſtinum tenue faciunt, bilioſis aluus turbata, parua, frequenter egerens, diſtendentia cum paucis mucoſis. In lib. autem 6. de morb. pop. ſect. 4. curationem recitat quandam cum ait. cui inteſtinum in dextra parte dolebat, & articulari morbo correptus eſt, erat quietior. poſtquàm autem hic curatus fuit: magis dolebat. Tumorem circa inteſtinum tenue difficiles prægnantibus memorat in lib. de coa. præ. nu. 3. Inteſtini verò recti inflammatio, ſic ſcripta eſt in libr. de Fiſtu. pag. 206. num. 3. ſi inteſtinum rectum inflammatum fuerit, & dolor habeat, & febris, & frequenter ad exonerandum aluum deſideat, & nihil egerat, & præ inflammatione ſedes exijſſe videatur, & aliquando vrinæ ſtillicidium corripiat: hic morbus fit, cum pituita ex corpore ad inteſtinum rectum decubuerit. conferunt autem calida, & cætera: nam ibi curationem exacte recenſet Hip. Et nu. 5. eiuſdem lib. ſi inteſtinum rectum humidum fiat, & ſanies defluat; curationem habes. item ſi ſanguis profluat: item cũ ſedes, ſiue rectum inteſtinum exciderit, & in loco ſuo manere noluerit. Et num. 6. eiuſdem lib. curationem habes, ſi inteſtinum rectum procidat, & ſanguis profluat: ſimiliter ſi inflammatum fuerit: ſic ſi dolor fiat, & inflammatum non ſit, ac præterea cum inflammatum ſit: ibi enim ſunt horum morborum inteſtinalium curationes deſcriptæ. at verò huic parti addamus aph. 58. lib. 5. recto inteſtino, aut vtero inflammationem patiente vrinę ſtillicidium accidit. De inteſtinorum autem vulnere legitur in lib. 9. apho. 18. diſciſſa, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, lethale eſt. Et in l. 2. de morb. popul. ſect. 6. vulnerato inteſtino, reſpiratio prodit infernè inconſpicua iuxta vulnus, & euacuantur pectora. dato igitur lac, & vinum pari aquæ menſura ammixtæ. inteſtinorum porrò agitationes à flatibus cauſantur, vt apparet in lib. de flati. pag. 40. nu. 14. atque voluuli, tormina, & oppilationes in inteſtinis: omnium enim horum cauſa eſt ſpiritus tranſiens, qui cum contingat locos teneros, inconſuetos, ac prius intactos, quemadmodum ſpiculum infixum penetrans per carnem perrumpit, aliquando præcordia petens, aliquando ilia, imo quandoque vtranque ſimul affligens. quare ſolent quidã calida fonienta extra adhibentes dolorem mitigare: rarefacto enim corpore à calore, fomentum ſpiritus inde exhalat, vt quies inde aliqua, & mitigatio contingat dolorum. hæc ibi. De inteſtinorum verò humiditate legitur in lib. de Glãd. num. 6. quòd eorum humiditas morbos non facit. De inteſtinorum voluulo lege Voluulũ. Sed hunc nota aphor. qui deſcribitur in lib. 6. aphoriſ. 44. quibus ex ſtillicidio vrinæ ileos ſuperueniente, ſatis vrina fluxerit. De inteſtinorum verò leuitate ſiue lienteria, quàmquam ſcripſimus in capite de Lienteria; tamen pauca quædam addemus; ac primũ de quadam cauſa, ſic ſcribit Hip. in l. 7. aph. 76. inteſtinorum leuitas à dyſenteria accedit. Et in l. 6. prædic. num. 19. inteſtinorum leuitate corripiuntur, quibus aluo ſuppreſſa ſanguinis eruptio fit; & inſuperrigent. Et in lib. de aere, aquis, & loc. num. 27. inteſtinorum leuitates, & aqua intercus fiunt à concepta in ventriculis humiditate, fit inteſtinorum tum leuitas, tunc difficultas autumno, vt legitur in lib. 3. aph. 22. Quæ ſint inteſtinorum leuitates malæ, legitur in lib. 2. prædic. num. 31. verum hæc ſunt animaduertenda, quæ ſcribuntur in li. 6. aph. 3. eaque ſunt. in longis inteſtinorum leuitatibus cibi faſtidium malum: & cum febre peius. Et in lib. de coa. præ. num. 3. qui in longis inteſtinorum leuitatibus vna cum animalculis tormina patiuntur, & doloribus afficiuntur, his ſolutis intumeſcent. inſuper rigere his malum eſt. Et ibidem. inteſtinorum leuitates cum ſpirandi difficultate & lateris punctura in tabem deſinunt. pro curatione verò leuitatis inteſtinorum ſcribitur medicamentum quoddam in lib. 2. de mor. mul. pag. 122. num. 5. de inteſtinorum verò difficultate, ſiue dyſenteria plura ſcripſimus in Cap. de Dyſenteria, & ibi lege.

Iracundi.

Iracundi qui ſint, nos docet Hip. in lib. 2. de morb. popul. ſect. 6. & inquit. iracundi ſunt, qui caput magnum, oculos paruos habẽt, & balbi. qualis autem ſit eorum natura deſcribitur in lib. 1. de diæ. pag. 45. nu. 39. & inquit. iracundi, ſegnes, doloſi, ſimplices, infeſti, beneuoli, ex diæta immutari non poſſunt: natura enim obſcura, haud quaquam transformari poteſt.

Iudicationes.

Iudicatio ſiue criſis eſt morbi exolutio, de qua ſic legitur in lib. 2. apho. 13. quibus criſis, ideſt iudicatio fit, his nox grauis ante acceſſionem. quæ verò ſub ſequitur, magna ex parte leuior exiſtit. Et in lib. prog. pag. 167. nu. 10. commodum eſt, & lumbricos rotundos cum egeſtione prodire, morbo ad iudicationem tendente. Et ſupra. inſpiſſari oportet egeſtionem morbo ad iudicationem tendente. ſit autem ſubfulua, & non valde graueolens. Et in lib. de iudic. pagin. 60. num. 1. de iudicationibus, quæ cito ad melius tendunt, plerumque eadem ſigna ſunt, quæ etiam ſanitatis. Et in l. de coa. præ. num. 4. cito iudicantur quorũ vrinæ cito ſubſidentiam habẽt, ſed leg. Criſis, & dies decretorij.

Iuuentus.

Legitur in l. de natu. mul. pag. 93. nu. 1. iuuenculæ humidiores ſunt, & multo ſanguine plerunque refertæ, & in l. 2. aph. 54. magnitudo corporis iuuentæ, neq; indecẽs neq; illiberalis: ſenectæ verò inutilis & deterior paruitate. Et in eodẽ l. aph. 20. quibus iuueni bus alui humidæ, his ſeneſcentibus ſiccantur. quibus verò iuuenibus aluus ſicca eſt, his ſeneſcentibus humectantur. ſed aph. 53. eiuſdẽ li. inquit. qui aluos humidas habent iuuenes, melius degunt ſiccas habẽtibus: in ſenectute autẽ peius. Et in li. 3. aph. 29. recitat, qui morbi fiant iuuenibus cum ait, iuuenibus ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutę, morbus comitialis & alij, ſed præcipue antedicti. Et in lib. 2. aphor. 39. ſeniores iuuenibus plurimum ægrotant minus.

COMMENTARIVS X.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

Labia.

IN lib. de Epist. pag. 212. nu. 38. quendam labiorum vsum describit, cum ait. Mollis labiorum contactus os circumplicans, verborum sensum, exactamque articulationem gubernans exhibet. Labia hunc præcipuum habent, quòd inter alia membra vlcerantur, ac præsertim in febribus ob calorem, siccitatemque febrilem; nam in lib. de morb. pop. sect. 7. pag. 146. ait. febres, in quibus vlcerantur labia, fortassis intermittentes: & tertianis perfrigerationes. Cõcutitur etiam in acutis quandoque labium infernum. id quod inter signa mala connumeratur, vt testatur Hipp. in lib. de Vict. ratio. pag. 155. num. 22. At non hoc solum dant præsagium labia, verum alia quoque: vult enim in lib. 7. aph. 70. quòd in febre non intermittente si labium, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertatur, si non videat, si non audiat, & iam debilis sit, quicquid horum fuerit; mors prope sit. Et in li. de Coac. præ. num. 2. labium liuescens lethale. & in lib. prog. c. 1. par. 12. si peruertitur, aut liuida palpebra est, aut labium, aut nasus cum aliquo signo; mortem prope esse sciendum est. lethale est etiam habere labia resoluta, & pendentia, & frigida, & albicantia facta. & in l. de Coa. præ. nu. 2. labium contractum, alui biliosæ eruptionem significat.

Labor.

Labor aliquando significat accessiones, vel casus, vt, Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores. sic scriptum est in l. 1. aph. 7. Aliquando significat lęsionẽ, vel nocumentum, veluti in l. 2. aph. 1. In quo morbo, ait, somnus laborẽ facit, mortale: si verò iuuat; nõ mortale. aliquãdo significat dolores, vt in l. 4. aph. 44. vbi legitur. Quibus febres longę, his tubercula, vel labores in articulis fiunt. Aliquando significat morbũ, vt in eodẽ li. aph. in quo hæc verba sunt. Cum sudores nõ ita fiunt; laborẽ significant, & morbi longitudinem. & aph. 8. eiusdem lib. si sanguinem mingunt &c. circa vesicã laborem. Verùm dicuntur & febres laboriosæ, vt eodem lib. aph. 74. in quibus ait Gal. hoc inesse, vt cito abscessus faciant. Et in li. 2. pror. par. 41. febres laboriosæ malignæ. Aliquando autem significat malam affectionem in morbis, vt declaratum est in l. de Vict. ra. com. 2. par. 48. in l 4. autẽ aph. 32. legitur. siquid laborauerint ideſt, si qua pars laborans, vel dolens fuerit. Et lib. 5. aph. 72. Qui morbo regio laborant ideſt, qui habent ad regium morbum inclinationem. hæc de significationibus laboris, prout Galen. exponit. Labor autem quandoque exercitationem significat: & de hoc lege in cap. de exercitatione. huius tamen paucas dicemus operationes. ait Hipp. in lib. 6. de mor. pop. sect. 5. labor articulis, & carnibus, cibus, somnus visceribus. Et in l. 2. de diæ. nu. 24. labor siccat, & corpus robustum facit, & in l. 6. de mor. popul. sect. 7. labores in circuitibus, quicquid in septuaginta mouetur, in triplicitate perficitur. Et in l. 2. aph. 39 labores consuetos ferre adsueti etiam si fuerint debiles, vel senes, non adsuetis fortibus, ac iuuenibus facilius ferunt. Sed in l. 6. sectio. sexta. labores, cibi, potus, somnus, res veneræ omnia mediocria. Et ibidem. labores cibos præcedant.

De Lactæ.

Lac, & sanguis alimenti sunt redundantia, vt legitur in lib. de alimen. pag. 53. numero octauo, ait autem, numero septimo, lac nutrimentum est, quibus. s. secundum naturam alimentum est, alijs verò non. fit autem lac, vt scriptum est in lib. de natu. pue. pag. 16. numer. 21. ob huiusmodi necessitatem. cum vteri tumidi prę puero sunt; ventrem mulieris comprimunt, eius autem pleni vbi compressio contigerit; pinguissimum de cibis, ac potibus foras prosilit in omẽtum, ac carnem. Et à pinguitudine calfacta, ac alba existẽte, quod edulcatum est à caliditate, quę ab vteris accessit, expressum venit in mammas, & in vteros quoque parum, venit per easdem venulas: tendunt enim in mammas, & in vteros venulæ hę, & cõsimiles alię. Et vbi peruenerit in vteros de lacte, hoc est, de nutrimento, quod vicem gerit lactis: puer ipso paululum fruitur, mammę verò susceptę lacte impletę attollun tur, dum mammæ lactant, si lactauerint; ac exuguntur; venulæ in mammas ampliores fiunt, à vẽtre pinguedinem trahentes, & in mammas distribuunt: nã si vir multum coeat, venæ ampliores redditæ venerem magis inducunt. Et num. 20. tunc lac iudicationem sui matri præbet, cum mouetur fœtus. & in mulieribus densam carnem habentibus, posterius; in raram verò, prius significationem de se præbet, ac prodit. Et propterea lac viri non faciunt, vt legitur in l. de gland. pag. 17. n. 11. quoniam angustia locorum, & corporis densitas impedit. & licet tantummodo mulieribus grauidis lac fiat, tamen legitur in libr. 6. aph 39. lac habens mulier, quæ neque prægnans est, neque peperit, menses ipsius defecerunt, sed in grauidis lac si multum fluat: necesse est fœtum debilem esse, vt declaratur in libro secundo, de morb. podula. sectio. sexta, lac præterea quoniam quædam sunt mulieres, quæ natura sine lacte sunt, & quibusdam deficit ante tempus: quæ multum lactis faciant, & augeant lege in l. 1. de morb. mul. num. 71. sed & quandoque impurum fit præsertim si pituitosis cibis, ac potibus, & alimentis impuris nutrix vtatur, vt explicatur in 4. de morb. numer. 28. quapropter lac calidum, ac biliosum pueris calculum generat, sicut dicit Hip. in lib. de ae. aq. & loc. num. 23. at de lactantitibus

tibus quædam historiam vide in l. 2. de morb. popu. sect. 2. quæ est lactans quædam pustulas per corpus vbique habebat. postquam autem lactare cessauit; sedatæ sunt per ætatem: ad lac extinctum lege in lib. de natu. mul. num. 68. & lacti extincto quæ medeantur in l. 1. de morb. mul. num. 73.

De lactis vsu.

Scribit Hip. in l. 5. apho. 64. lac dare caput dolentibus malum, malum etiam febricitantibus, & quibus præcordia permurmurantia, & siticulosis. malum & quibus bilioſę alui egestiones in febribus acutis sunt & quibus sanguinis multi egestio facta est. conuenit autem exhibere tabescentibus non valde multum febrientibus. Et in febribus longis, debilibus, nullo ex prædictis signis præsente, sed præter rationem consumptis. Et in l. 7. de morb. popu. num. 7. lac in farina in ventris dolore. Et in lib. de inter. affect. nume. 4. vsus describitur, lactis bubuli, caprini, asinini, & equini in pulmonis affectibus. Et in lib. de loc. in hom. nu. 35. lactis infusum in tabe. Et in lib. de natu. mul. num. 44. fit mentio de lacte vaccæ nigræ. Et num. 29. eiusdem lib de lacte canino in vterorum morbis. & in l. 2. de diæ. num. 6. lac ouillum aluum sistit; caprinum magis per aluum secedit: bubulum minus, equinum, aut asininum magis secedunt.

Lachrymæ.

Lachrymæ fiunt læso oculo, vel in ægritudinibus alijs. si lachryma procedit calida, ac salsa, periculum est, & pupillam exulcerari, & palpebras, vt legitur in l. 2. prædict. num. 27. sed curationem dat Hip. in l. de humid. vsu. num. 11. Et inquit, lachrymis mordacibus calida conuenit. in alijs verò morbis lachrymæ, aut sunt voluntariæ, aut inuitæ. de voluntarijs legitur in l. 4. de morb. popul. num. 26. & in lib. 7. aphor. 71. lachrymæ voluntariæ, malum non sunt. inuitis autem decurrentes malum. Et in l. 6. de mor. popul. sect. 1. lachrymæ in acutis male habentibus, vltroneæ quidem bonę: inuoluntariè autem defluentes malę. Et in lib. 4. apho. 52. quicunque in febribus vel in alijs morbis sponte lachrymantur, nihil absurdi est: qui verò non est sponte, absurdius. de inuitis verò lachrymis quamuis locuti fuimus; tamen hanc addam prænotionem, quæ scribitur in l. 1. de morb. pop. sect. 3. lachrymæ inuitæ quibus in febribus acutis magis ardentibus defluunt; his sanguinis eruptionem è naribus expectare oportet, si etiam alia pernicioſæ non habeant.

Lapis.

Si lapis puero iam adulto ex terræ esu gignatur, dolor ipsi non adest, priusquam ipse sibi ipsi cibum deligat. sic scribitur in l. 4. de mor. num. 28. verùm illud sciant quadragenarij, quòd lapis in vesica post annum quadragesimum secundum, nisi prius existat, non fit. hoc habemus in l. de Coa. præ. num. 3. sed qui plura cupiunt legant calculum.

Lactuca frigidissima est, priusquam succum habeat. debilitatem autem quandam corpori inducit, vt legitur in l. 2. de diæ. num. 14.

Lassati, ac lassitudo. Legitur in libro de Coacis præno. numero primo, lassati cum horrore si exudarunt iudicatorio modo, recalfacti in morbo acuto, male habent tum aliàs, tum si circa hæc sanguis de naribus stillarit. & ibidem. Lassati, caligantes, vigilantes, soporosi, exudantes, recalescentes in febre male habent. & ibidem. lassati, singultientes, stupore detenti mali. Et nume. 3. lassitudine affectis horrorem habentibus capite grauatis menses erumpunt. Et numer. 2. in oculos distortione febrienti lassato, rigor pernicioſus. Et infra. lassitudo in linguam nigram citra rationem habentibus, mala. Et in lib. 3. de diæ. pag. 48. nume. 31. fit mentio de tribus lassitudinum speciebus quæ est. de lassitudinibus, quæ in corpore fiunt, hoc modo res se habet. homines inexercitati ab omni labore lassantur: nulla enim corporis pars exercitata est ad vllum aliquem laborem. corpora autem exercitata ab insuetis laboribus delassantur. aliqua verò etiam à consuetis exercitijs lassantur; si modum excesserint. species igitur lassitudinum eiusmodi sunt. vis autem ipsarum sic habet: etenim inexercitati humidam carnem habentes cum laborarint corpore calefacto, multam colliquationem remittunt. rationem verò huius rei, & curationem, quæ ad hanc lassitudinis speciem pertineat, subdit: itemque aliarum specierum. verùm cum plures oriantur ægritudines à lassitudine, sicut in eodem loco legitur: tamen quòd ex lassitudinibus fiat febris, confirmat Hip. in lib. 1. de morb. popu. sectio. 3. Aegro. 2. & pustulæ in lib. 4. de morb. popu. nume. 12. & febris ex lassitudinibus, laboribus, & cursibus insolitis in lib. 3. sect. 3. Aegro. 8. Sed illud obserua medicamentum præ lassitudine, quod prodit Hipp. in li. 2. aphor. 48. cum art. Lassitudini in corporis motu cum dolore, quies statim medetur. Et in lib. 2. prædic. nu. 10. lassitudinum solutio fit in mingente sanguinem, raro quidem, & sine febre, ac dolore. cur verò lassitudine affligantur, qui à bilis fluxione infestantur, lege in li. de loc. in homi. num. 18. tandem verò Progno. hæc habeas velim. lassitudines spontaneas morbos denuntiare, vt vult Galen. in l. 2. aphor. 5. Et in lib 4 aphor. 31. lassitudinem habentibus in febribus in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt. Et in lib. 2. pror. par. 56. In oculorum peruersione cum febre, & lassitudine rigor pernicioſus: comatosi ue in his male habent. Et in comm. 4. de Vict. ratio. par. 2. Febris vehemens habet, corpusque veluti ab ossearia lassitudine habitum laborat, & dolet. Galen. autem in com. inquit. laborat corpus eorum lassitudine vlceroſa propter humiditatum acrimoniam.

De Latere.

Latus vtrunque in vehementissimas incidit affectiones, veluti in dolorem, lateris puncturas, suppurationes atque ictus, & tumorem. sed quæcunque laterum naturæ scapulas alarum modo eminentes habent propter cauæ debilitatem in destillationibus malignis, siue excretio fiat siue non fiat, malum, quemadmodum scribit Hip. in l. 6. de mor. popul. sec. 3. præterea in li. prog. commen. 2. par. 2. à laterum mollitudine, & à lumbis aquæ inter cutem pleræque, incipiunt. aliquæ verò etiam ab hepate. quin & laterum mollitudo à flatibus eleuatur, sicut recenset Hip. in l. 4. de mor. popul. num. 22. vbi lege historiam. Quo verò ad dolores attinet, legitur in lib. 6. aph. 5. dolores in lateribus, & pectoribus, & in alijs partibus, an multum differunt, considerandum est. sed primum causas considerare oportet: nam lateris dolores facit aquilo, vt legitur in l. 3. aph. & lateris sini-

stri dolor factus est ex febre æstiua, & alui profluuio, vt recitat Hip. in l. 7. de morb. popul. num. 21. at ibidem nu. 49. lateris sinistri dolor ex nausea, & lassitudine, tamen si absque causa manifesta lateris, & lumborum dolor fiat, morbum regium incurrunt, vt legitur in l. de coac. præ. nu. 3. & ibidem, lateris dolor in sputo bilioso præter rationem euanescens, perniciosus. dolorũ porrò lateris alij sunt acuti, alij minime. & horum alij assidui, alij rari. Et idcirco scriptum est in l. de coa. præ. num. 3. ad latus dolor acutus fit, item cum febre surditas, quibus ex partu alba prodeuntia supprimuntur. Et in l. 3. de mor. pop. sec. 3. Aegro. 8. recitat quendam acutè febrientem cum lateris dolore assiduo. in l. autem primo prædic. num. 3. rari dolores hoc dant præsagium. circa latus rari dolores in bilioſis meracis alui egestionibus, desipientiam significant. Et ibidem num. 1. quibus ad latus dolor, ac suffocatio accedit, hi moriuntur. Et ibidem. num. 3. cum lateris punctura intestinorum leuitas, & spirandi difficultas, in tabem desinunt. Et ibidem. nu. 4. lateris dolor cum febre diuturna putis eductionem fore significat. Et in l. 1. præd. nu. 1. lateris dolor ex sputis bilioſis citra rationem si euanuerit, mẽte mouentur. Et in l. de coa. præ. nu. 3. in lateris dolore stillatio sanguinis de naribus mala est. Et ibidem. quos ex lateris dolore cibi fastidia sequuntur, oris ventriculi dolore, ac sudore aliquantulum vexantur. Et ibidem cum lateris dolore non tamen pleuritico, & turbulentis, tenuibus, hi phrenitici euadunt. Et ibidem. nu. 1. in lateris dolorem cum tumoribus somnolentis, & febre ardente superueniens occidit. Et ibidem. nu. 3. ex laterum mollitudine dolores intestinum tenue transeuntes in morbis longis ex corruptione fœtus non valde purgata, pernicioſi sunt. Cęterum de lateris dolore curando hæc leguntur in l. de coa. præ. nu. 3. dolores iuxta latus in febribus consistentes citra notas, vena sectio læserit, siue cibum auersetur æger, siue præcordium sublime habuerit: & in perfrigeratione non sine febre torpidos, sanguinis detractio lædit: & putantes se melius habere, hi moriuntur. de dextri verò lateris dolore cum tussi, & febre lege historiam in l. 47. de mor. popul. num. 16. & aliam num. 11. De tumore verò lumborum scribitur in lib. de coa. præno. num. 3. quibus latus in tumorem subleuatum, ac calidius est, & inclinatius in alterum, grauitas aliqua impendere videtur, his pus ex vna parte est. De ictu autem legitur num. 4. 18. in l. 5. de morb. popul. num. 23. & in 7. num. 18. vbi ait. in latus retro ictus iaculo. At de punctura scribitur in l. de coac. præno. num 3. & inquit. cum lateris punctura intestinorum leuitates, & spirandi difficultas, in tabem desinunt. De suppurationem verò lumborum proditum est in lib. 2. de morb. num. 45. cum ait. lateris sinistri suppurati sectio minus periculosa, quàm dextri. reliqua verò ibi lege.

Lectus.

Lectus præter morem mollis dolorem inducit, itemque præter consuetudinem durus, vt scriptum est in l. de vic. ratio. in mor. acut. num. 23.

Lætitiæ ex nulla alia re quàm cerebro contingunt vt proditum est in l. de mor. sac. nu. 15. at in lib. 6. de mor. popul. sec. 5. lætitia relaxat cor.

Legumina.

Legumina omnia flatuosa sunt, & cruda, & cocta, & fricta, & macerata, & viridia, vt scribitur in l. de vic. ratione. num. 59. at in l. 6. de morb. popul. sec. 4. ex leguminum assiduo vsu, crurum impotentia. De leguminum verò decocto in peripneumonia vide in l. 2. de mor. num. 43.

Lens.

Lens astringit, & turbationem inducit, si cum cortice sumatur, vt legitur in l. de vic. ratio. nu. 59. at in l. 2. de diæ. num. 8. lentes æstuosæ sunt, & turbatiuæ, & neque per aluum secedunt, neque ipsam sistunt. Lenticulam verò quo modo præpares, lege in lib. de affec. num. 39.

Lepra.

Lepra, pruritus, & scabies à pituita fiunt. sunt autem talia turpitudo magis, quàm morbi. quo verò hęc depurges, pharmacis sic vtendum est. & lege modum. hæc in l. de Aff. pag. 102. nu. 35. Lepræ acetum ad solem calidum affusum prodest, vt scriptum est in l. de humid. vsu. num. 8.

De Lepore.

Leporinæ carnes siccæ sunt, & aluum sistunt, vrinæ autem citamentum quiddam faciunt, vt patet in l. 2. de diæ. nu. 9. leporini pili in pesso puerperę recẽs enixæ. in l. de superfœ. nu. 25. Et leporis pili combusti ad vterum in l. de na. mul. num. 29.

De lethargo.

Lethargus est cerebri passio. fit cum, cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit. sic legitur in l. de homi. structu. pag. 215. numero tertio verum in l. 2. de morb. pag. 70. num. 63. signa describuntur lethargi, quæ sunt hæc. tussis oboritur, & saliuam spuit multam, ac liquidam, & nugas garrit. & vbi nugari desierit; dormit. & recrementum male olens egerit. Et in l. 3. de morb. pag. 71. num. 5 morbi lethargi appellati status idem est, qui & peripneumoniæ. verum difficilior, & non omnino liber ac remotus est ab humida peripneumonia. sed multo tardior est morbus. patitur autem æger hæc. tussis, & sopor ipsum tenet. & saliuam liquidam, ac multam educit, & vehementer impotens est. & cum moriturus est; multum atque id liquidum infrà egerit. huic valde exigua vitæ spes est. Sed huic prognostico signo addemus ea, quæ scripta sunt in libro de Coac. præno. nu. 1. & hæc sunt. lethargici, tremuli ex naribus, somnolenti, discolores, tumidi, pulsibus tardi sunt, & partes sub oculis eleuatas habent, & sudores insuper accedunt, & aluos bilioſas, & intemperatas subtumidas habent. si verò obaridas habuerit; vrinæ, & egestiones alui latenter ipsi progrediuntur. vrina velut iumentorum est, potum non expetunt, neque aliud quidquam. postquàm verò resipuerint, collum doloroſum se habere dicunt, & sonitus per aures transire, & subdit hoc. qui verò ex lethargici seruantur, plerunque pectori suppurati fiunt. Ex phrenitide, & lethargo ammixta vera stupida insania, vt legitur in lib. 4. de morb. popul. nume. 5. Lethargi porrò ætatem constantem agentibus accidunt, sicut scriptum est in l. 3. apho. 30. Curatio verò ea est. proditum est in l. 3. de mor. num. 5. hoc curandum est, vt plurimum spuat, & calefiat, & à vino abstineat. si verò effugerit, suppuratus fit. Et in l. 2. num. 63. huic aquam de macerata in ipsa farina crassa bibendam cato. & vinum album vinoſum postea bibendum, & ptisanæ succum sorbẽdum. verum huic mali puni

ei ſuccum amiſceto, & vinum vinoſum album inſuper bibat, & ne lauet. hic in ſeptem diebus moritur. ſi verò has effugerit; ſanus euadit.

Lien. l. ſplen.

De lienteria.

Scriptum eſt in l. de affect. pag. 81. nu. 25. in lienteria, hoc eſt, inteſtinorum leuitate, cibi ſecedunt, nõ putrefacti, liquidi, dolor autem non adeſt, & corpus attenuatur. vnde vt ſcriptum eſt in l. 1. de morb. nu. 3. ex lienterea in aquam inter cutem tranſitus fit. Quis lienteriæ finis ſit futurus, legitur in l. 6. apho. 1. & eſt. in longis leuitatibus inteſtinorum ſi ructus acidus fiat, qui prius non erat, ſignum bonum. Et apho. 43. quicunque lienoſi a difficultate inteſtinorum capiũtur, his ſuperueniente longa difficultate inteſtinorũ, aqua intercus, aut leuitas inteſtinorum aduenit, & moriuntur. Et in l. 7. aph. 72. dyſenteriæ lienterię ſuccedit. Curatio verò ea ſit, quæ legitur in l. 4. apho. 12. & eſt. quorum alui inteſtinorum leuitate laborant, hyberno tempore ſupra purgari, malum. Et in lib. de Affect. loco citato. hunc per eadem curato, velut à dyſenteria detentos. morbus autem fit, cum ex capite, & ſuperiore ventre pituitæ defluxus fit in ventrem inferiorem. quod vbi contingit, cibi ab ipſo frigefiunt, ac humectant, & ſeceſſus ipſorũ non putrefactorum velox contingit, & corpus liqueſcit; dum ſi mul cibi per multum tempus in ventre non concoquuntur, & ſimul a ventre calido, præter naturam caleſcunt. Et n. 16. hi morbi dyſenteria inquam, & liẽteria, ac diarrhæa, ſiue profluuium ventris, conſimiles ſunt. & oportet ipſos ſic ſanare, ita vt defluxum a capite, & ſuperiore ventre intercipias, aut auertas: morbi enim natura hinc eſt. & nemo ſententiam tuã reprehendet.

Ligatio ab initio cum linteis fiens, omnium prẽſtantiſſima, vt ſcribitur in l. de fract. nu. 20.

De lingua.

Præter ægritudines, quæ fiunt in lingua, ipſa nobis ſæpe indicio eſt alicuius futuræ. quod indicium ſumitur à colore, à motione ipſius, ab aſpritudine, à tumoribus, ab impotentia, teneritudine, obſcuritate, ab vlcere, tremore, ab ariditate, à ſaliua. à colore ait Hip. in l. de Coac. præn. n. 2. lingua, quæ in principio quidem inhorruit, in colore verò permanet, progreſſu autem tempori exaſperatur, & liueſcit, & rumpitur, lethalis eſt. ſi verò valde nigreſcit, in quartadecima die iudicationem fore ſignificat. at in l. de affect. nu. 11. lingua nigra, & aſpera in febre ardente à ſpiritus caliditate. Et ibidem. ſi lingua in peripneumoniã in principio ſtatim nigreſcat morbus citius finitur. Et in l. de Coac. præno. n. 2. lingua nigreſcens, iudicationẽ decimaquarta die fore ſignificat. Et ibidẽ lingua nigra cum virore pallida periculoſiſſima eſt. Et in l. 6. de morb. popul. ſect. 5. lingua concolor attingentibus ipſam humoribus: quapropter per hanc humorem cognoſcimus. Et in l. de Coac. præno. num. 2. linguæ denigratæ in aluo liquida celerem mortem ſignificant. At de aſpritudine linguæ inquit Hipp. in l. de affect. n. 11. lingua nigra, & aſpera in febre ardente a ſpiritus caliditate. & in l. de Vict. ratio. n. 48. lingua aſpera, & animi deliquia in febre hyberna, cui adfuerint, tali remiſſio febris contingere ſolet. & in l. 2. de morb. popu. ſect. 1. linguæ ſubaſperæ quibus ſint, vide, qui voces aſperas natura habent. Linguæ autem, & faucium aridarum in febri ardenti laborantibus cauſam lege in l. 1. de morb. nu. 27. & in l. de Coac. præno. n. 2. linguæ aſperæ, & reſiccatæ phreniticæ ſunt. De lingua autem tumefacta ſcribitur in li. de Coac. præno. n. 3. in lingua anginoſi tumores, citra ſigna diſparentes pernicioſi. De impotentia verò linguæ, ſcribitur in lib. 7. apho. 40. ſi lingua derepente impotẽs fiat, aut aliqua pars corporis ſyderata atra biliarium tale exiſtit. Et in l. 2. de morb. popul. ſect. 5. qui lingua offendunt, & labiorum non ſunt potentes, eos neceſſe eſt, dum illa ſoluuntur ſuppuratos fieri. De teneritudine autem hoc dat præſagium, in lib. de Coac. præno. nu. 2. ait. Lingua citra rationem tenera fiens, & cum cibi faſtidio nauſeabunda, cum frigido ſudore, ex aluo liquida, nigrorum vomitum ſignũ eſt; laſſitudo in his mala eſt. At de linguæ obſcuritate ſic legitur in l. præcep. n. 12. & ait. linguæ obſcuritas fit aut propter affectionem, aut propter aures, maximè verò in ijs, qui artium tenentur ſtudio. Ab vlcere autem, legitur in lib. 2. prædict. nu. 18. quibus in obliqua linguæ parte, vlcus fit diuturnum, in his dentes conſiderare oportet, an quis iuxta illam vlceris partem auctior fiat. At de tremore linguæ proditum eſt in lib. 1. prædict. numer. 3. & in lib. de Coa præn. n. 2. & ait. num lingua tremula mentem non firmam ſignificat. & in eodem l. de Coac. præno. nu. 2. lingua tremula cum robore iuxta naſum, & aluo liquida, ſi reliqua ſine ſignis, ſint circa pulmonem malum eſt, & calores purgationes pernicioſas ſignificant. Et in eodem lib. n. 2. & 4. linguæ tremulæ quibuſdam etiã aluum liquidam quandoque faciunt. Et in eodem l. n. 1. linguæ conuulſiones tremulæ mentem alienant. Et in lib. 7. aph. 40. ſi lingua ſtatim incontinens facta fuerit, aut aliqua pars corporis ſtupore elanguit; tale eſt melancholicum. præterea quæ circa linguam eleuantur collectiones, & humiles calculi, & quæ podagricis fiunt, circa debiles illorum articulos ſunt: nam oſſium natura, vt hæc indurentur. ſic ſcriptum eſt in l. 2. de morb. popul. ſect. 3. Linguam tandem circa bifidam ſui partem, velut ſaliua alba obduci, febris remiſſionis ſignum eſt. ſi quidem id, quod ſuperinductum eſt, craſſum fuerit, eadem; ſi verò tenuis: poſtridie: ſi verò adhuc tenuius; tertia die. eadem ſignificãt etiam huiuſmodi, ſi circa ſummam linguam fiant, verum minus. hæc ſcribuntur in lib. de Coac. præno. num. 2.

Lintea.

Linteorum præparatio qualis eſſe debeat, lege in l. de Chirur. off. pag. 185. nu. 6. lintea circa cruris deligationẽ qualia ſint neceſſaria, narrantur in l. de Frac. pag. 188. nu. 19.

Lippitudo.

A cerebro quandoq; fluxio fit ad oculos, quæ ophthalmia græcis, latinè lippitudo appellatur, & oculi in ipſa intumeſcunt. hę fluxiones ad oculos foris conſpicuæ ſunt, & nõ lethales in totum. ſic ſcribitur de generatione lippitudinis, deque eius cauſis, & ſignis in lib. de gland. pagin. 29. numer. 9. at, quoniam fluxio alia eſt pituitoſa, alia acris, & bilioſa; ſic lippitudines, aliæ humidæ ſunt, aliæ ſiccæ. & hæ oẽs, vel breues ſunt, & priuatæ: vel diuturnæ & pop. vt vult Hipp. in l. de ae. aq. & locis. pag. 35. n. 4. ſi non ex mutatione temporum morbus aliquis omnibus cõmunis occupet. lippitudines verò in ſiccitatibus plerũque

que fiunt, ſicut ſcriptum eſt in libro tertio, aphor. 12. fiunt quoque poſt autumnum ſiccum, & borealem, quem admodum idem explicat in l. de aere, aquis, & locis. pag. 37. num. 28. verum & nu. 6. eiuſdem lib. lippitudines duræ, ac vehementes meridionalem plagã incolentibus ſunt familiares. Et ibidem, nu. 27. lippitudines ſiccæ propter carnis caliditatem, & ſiccitatẽ fiunt. Et in lib. 6. aph. 14. lippitudines ſiccæ fiunt, humidas naturas non habentibus, ſi autumnus aquilonaris, & aquarum exors fuerit. Et ibidem. ſi hyems ſicca, & aquilonaris fuerit, ve rautem pluuioſum. Et nu. 10. lippitudines oculorum æſtate fiunt. Et hæc de cauſis lippitudinis, ac de temporibus. porrò prædictionem facere oportet iuxta lippitudinum differentias, vt legitur in l. 2. prædict. pag. 173. n. 29. cum peſſima ſigna acceſſerint, diuturnarum lippitudinum: cum verò optima, breuium: tunc enim ſeptima die deſituras eſſe prædicendum eſt, aut prope hoc tempus, & alio qui ſecuras eſſe putandum eſt. recidiuas autem expectare oportet; his quibus melius habere contingit, neque in diebus iudicatorijs, neque ſignis bonis conſpectis. omnium verò maxime vrinæ ſtatũ in oculorum affectionibus conſiderare oportet: nam temporum occaſiones repentinæ ſunt. Et propterea legitur in l. 6. de mor. popul. ſect. 6. tumores aut liuores in lippitudinibus erumpentes in ſupernis palpebris relicti, dum alia circumcirca gracileſcunt, recidiuas faciunt. Et in l. de Coac. præno. num. 2. quibus lippientibus capitis dolor accedit, & ad multum tempus concomitatur, periculum eſt, ne cęci fiant. Curationem verò ex libris Hipp. hanc accipimus. legitur in lib. 6. aph. 17. lippientem alui profluuio corripi, bonum. Et in lib. de Coac. pręn. num. 2. viro lippienti febre ſuperueniente ſolutio fit. Et in l. 2. de mor. popul. ſect. 6. anginam, & lippitudinem ſoluit venæ ſectio. Et in lib. de viſu, pagin. 207. n. 4. ad lippitudinem annuam, ac popularem conducit purgatio capitis, & ventris inferni, & ſi corpus habeat: ſanguinis detractio ad quoſdam eiuſmodi dolores confert. conferũt & cucurbitæ circa venas affixæ. reliquam curationẽ bi lege.

Liuores.

Liuores quacunque corporis parte fuerint, & ſemper, malum ſignificant: legitur enim in l. prog. com. 1. par. 12. ſi peruertitur, aut liuida palpebra eſt, aut labrum, aut naſus cum aliquo alio ſigno; mortem prope eſſe ſciendum eſt. Et in com. 2. par. 8. ſi verò præter grauitatem vngues quoque, ac digiti liuidi ſint: expectanda mors continuo eſt. Et par. 63. in purulentis pus viride, & liuidum ſi ſpuãt, exitiale. Et par. 39. ſi vomitio fuerit porracea, aut liuida, aut nigra, malum. Et part. 41. ſi vomitio liuida graueolet; ocyſſimam indicat abolitionem. Et par. 22. deiectio exitioſior eſt, ſi nigra, aut liuida, aut opima, aut fœtida. quare liuiditas in omnibus eſt conſideranda: nam, vt apparet in par. 9. ſi digiti, & pedes omnino nigreſcant minus ſunt peſtiferi, quàm ſi liueant; fiunt. n. liuores.

Liuores, qui fiunt in febre acuta breui mortem affere ſignificãt, ſic habetur in l. de Coac. pręn. num. 1. Ex immodico frigore, vt legitur in lib. 5. aph. 17. tandem illud obſerua.

Loca.

Loca dicuntur mundi partes, in quibus res collocantur. dicuntur etiam loca partes noſtri corporis, vt loci ſuperni ſi turgeant, qui ſunt circa caput: vicerũ purgatio, vomitus, hydrops. ſic ſcriptum eſt in l. 2. de morb. popu. ſect. 6. Et, loca loci alterius morbos excipientia aut ob dolorem, aut ob grauitatem, aut propter aliud quiddam liberant, aut quod alijs ſunt communicationes. hæc in l. 6. de morb. popul. ſect. 3. ſed in l. de Vict. ratio. com. 4. par. 27. hinc epilepſiæ, & paraplexiæ, ſi continentes locos fluxiones inuaſerint. Et Gal. in com. locos dixit corporis partes, cor ſcilicet, hepar, & venam, quæ prædicta coniungit viſcera, poſtea à medicis cauam appellatam. ſed de his plura ſcribuntur in cap. de Corpore. Et propterea loca, quæ incolimus, explicemus. Ea ſunt calida, vel frigida, vel ſicca, vel humida. & horum alia terrea, alia aquea: & terreſtrium alia alta, & ſquallida, alia campeſtria, & æqualiter ſita, alia caua. & aqueorum alia maritima, vt inſulæ: alia lacuſtria, alia paluſtria. & horum omnium alia ſpectant orientem ſolem, alia occidentẽ, alia meridiem, alia ſeptentrionalem regionem & ab his omnibus inſurgunt ſecundæ qualitates: ſi quidem alia ſunt ſquallida, arboribus nuda, ſaxoſa: cõtrà alia: alia niue. ac gelu obducta: alia æſtu. atq; hinc exuſcitant tertiæ virtutes: propterea quod alia ſalubria ſunt, alia peſtifera, ac inſalubria: nam locus ſe habet ad locatum, ſicut forma ad materiam; locus enim temperatus temperatos reddit homines, & itidem ſanos: intemperatus infirmos tum corpore, tum animis: inquit enim Hip. in l. de ae. aq. & lo. pag. 35. n. 8. Ciuitates orientem ſpectantes ſunt ſeptentrionalibus, & meridionalibus ſalubriores: primum enim moderatior eſt caliditas, & frigiditas. aquæ ſplendidæ, odoratæ, molles, & amabiles neceſſario ibi oriuntur. hominum autem formæ boni coloris, & magis floridæ. ſi non quis alius morbus impediat, & clara voce præditi ſunt, & ad iram, ac intelligentiam præſtantiores ſeptentrionalibus. morbi pauciores, ac debiliores, ſimileſque ſunt morbis, qui in ciuitatibus ad ventos calidos conuerſis oriuntur. Et fœminæ iſthic valde fœcundæ ſunt, ac facile pariunt. contra qui habitant occaſum, vt n. 9. exponit. De locis verò meridionalibus, atque ſeptentrionalibus in hoc plurima narrantur libro. n. 2. 3. vſque ad 10. itemque Aſianorum naturæ, ac mores, & Europæorum quoque n. 31. vſq; ad finem. Verum hæc obſeruet de locis medicus præter ea, quæ in l. de locis deſcripta ſunt: quæ explicantur in l. 2. de diæ. pag 45. n. 1. & ea ſunt. regionum ſingularum ſitum, & naturam hoc modo cognoſcere oportet. & in ſumma res hoc modo ſe habet. regio ad meridiem ſita calidior eſt, & ſiccior, quam ea, quæ ad ſeptentriones iacet; propterea quod ſoli propinquior eſt. & in his regionibus neceſſe eſt, & hominũ genera, & naſcentia ex terra ſicciora, ac calidiora, & fortiora eſſe, quam in contrarijs; velut lybica gens ad Ponticam, & vtriſq; vicinæ. ipſa autem loca iuxta ſe ipſa hoc modo habent, alta, & ſquallida, & ad meridiem ſita; propterea quod pauciores humores habent, illa enim ſtationem pro aqua pluuia non habent, hæc habent. at verò lacuſtria, ac paluſtria humectant, & calfaciunt. & calfaciunt quidem; quia caua ſunt & circundata, & non perflantur. humectant autem, quia naſcentia ex terra, quibus homines aluntur, humidiora ſunt, & ſpiritus, quẽ attrahimus craſſior eſt propter aquæ ſtationem, ac immobilitatem. verum caua loca, & non aquoſa ſiccãt, & calfaciunt.

& cal-

& calfaciunt quidem, quia caua sunt, & circundantur: siccant autem tum propter alimenti siccitatem, tum quod spiritus, quem inspiramus, siccus existens humorem ex corporibus trahit in alimentum sibijpsi cum non habeat alium humorem, ad quem allapsus nutriatur. vbi autem regionibus montes adiacent ad austrum; in his squallidi austri, & morbosi efflāt. vbi autem ab aquilone montes adiacent, in his aquilones perturbant, ac morbos faciunt. vbi verò ab aquilone caua loca vrbibus adiacent; ab æstiuis ventis calida, & morbosa hæc regio existit: propterea quod neque aquilo perflans puram spiritus inductionem exhibet, neque ab æstiuis ventis porfrigeratur. cęterum insulæ propinquæ continenti tempestuosiores sunt, & ægre in ipsas hybernamus. marinæ verò hyeme tepidiores sunt, propterea quod niues, & glacies incontinenti stationes habent, & ventos frigidos in vicinas insulas mittunt. verum insulæ intra pelagus positæ non habent in hyeme niuium stationem.

De Lumbis.

Lumborum dolor, & distentio, frigiditas, & grauitas prædicunt, quid futurum sit de ipso morbo, & de alijs quoque prænuntiant, quemadmodum nunc explanabimus. legitur in lib. de coa. præn. nu. 4. cui lumbi doluerint, & mente motus fuerit, in bilijosis alui egestionibus spumosa florulentia mala. Et ibidem num. 3. ex lumborum doloris recursu oculi distortio malum. Et ibidem nume. 2. lumborum dolor, & supra vmbilicum dolor, si medicamentis non soluantur; in hydropem siccum desinunt. Et ibidem nume. 3. quibus lumborum dolor est, hi malè habent. num his tremores fiunt, & circuli rubicundi in tibijs in rigore? & ibidem. quibus lumborum dolor, & lateris sine causa manifesta, hi morbum regium incurrunt. Et ibidem nume. 6. quibus lumborum dolor diutinus cum ardore fastidioso, ac nauseabundo, hi si exudent, malum est. num his tremores fiunt? Et in eodem lib. nume. 2. lumborum dolor in præcordiorum dolore sub murmuranti superaccedens in febribus, ventres vt plurimum humectat, si non flatus eruperit, aut vrinæ copia. Et ibidem. lumborum dolor sine causa manifesta sæpe impetens, maligni morbi sunt. Et nume. 3 quibus ex lumbis recursus fit ad caput, & manus, hi torpidi, & os ventriculi dolentes, sanioſis, ac serosibus humoribus pleni sanguinem profundunt. sed & aluus his turbulentis erumpit. Et ibidem. lumborum dolor cum sopore anxioso malus est. Et in eodem lib. de coa. nume. 3. ex lumbis dolores diuturniores, qui febre tertianæ generis modo exacerbantur, grumosum sanguinem egerere faciunt. Et ibidem. in lumbis dolores sanguinis fluxionem inducunt. Et ibidem. num lumbos dolentibus, cibos fastidientibus, non vomentibus, modice ferociter mente motis, spes est nigra proditudra esse? Et ibidem. ex lumbis affectiones ad collum, & ad caput transeuntes, leuis siderationis modo resoluentes, conuulsoriæ mentis emotoriæ sunt. num tales etiam soluentur conuulsionibus? aut talium alui ægrotant per eadem prodeuntia. At in libro. 1. prædictio. numero 14. lumborum dolor conuulsorium quidam habet. Et numero 17. eiusdem libro. ex lumborum dolore ad os ventriculi recursiones, febriculosæ, horridæ reuomentes aquosa tenuia multa, mente motę, voce destituta nigrorum vomitu facto, moriuntur. Et nume. 16. quæ ex lumbis ad collum, ac caput progressa sunt, & leuis syderationis modo resoluerunt, conuulsoria fiunt, & mentem emouentia. Et num. 18. eiusdem lib. prædic. & in lib. de coa. prænoct. nume. 3. lumbis dolentibus oris ventriculi dolores accedentes, signa hœmorrhoidum fluxionis futuræ sunt. Et num. 15. & in lib. de coac. præn. num. 3. quibus circa lumbos tenues diuturni dolores ad præcordium se reuoluentes, & ciborum fastidium inducentes vna cum febre: his ad caput dolor intentus progressus, repente conuulsorio modo occidit. Et in lib. pręno. nume. 19. circa lumbos, & infernas partes dolores cum febre fientes, si septum trāsuersum attigerint. infernas partes relinquentes, periculosi valde sunt. Et in lib. 4. aphor. 20. lumborum dolor citra febrem, inferna purgatione opus esse significat: Et aphor. 11. eiusdem lib. quibus lumborum dolor, qui neque à medicamentis, neque aliàs soluitur, in hydropem siccum firmatur. Et in lib. de natu. mul. num. 6. lumborum dolor in ventriculi ore dolente cum screatione violenta, habet quid conuulsorium. Et in l. 1. de morb. popul. sec. 3. Aegro. 10. post lumborum capitis, ac colli dolores febris. Et Aegro. 7. lumborum grauitas dolorosa, & febris vehemens. at in lib. 1. de mor. mul. num. 58. lumbis dolor fortis corripit, & omnem circa pudenda locum, & intumescit, & femora ardent, si purgatio modica mulieri prodierit. Lumborum dolor scribitur in lib. 1. de morb. mul. num. 51. & in eodem lib. nume. 42. lumborum dolor in muliere vterum gestante. Et in lib. 2. prædict. nume. 46. legitur lumborum ac crurum dolor. Et in l. 6. de morb. popul. sec. 7. lumbos dolenti recursus ad latus, & pustulæ, quæ seps vocantur. at in lib. 4. de morb. popul. num. 23. leguntur symptomata lumborum, & crurum dolores. Nunc verò ad curationem veniamus. vnde ait quidem Hipp. in l. de coac. præn. num. 3. in lumborum dolore pertinaci, & ampliore alui subductione, à veratro vomere spumosa multa prodest. Et in lib. de natu. mulie. nume. 64. ad lumborum dolores anisum, & cuminum Aethiopicum & cætera, quę ibi lege. Et in lib. 5. de morb. popul. nume. 23. doloribus circa lumbos, & crura & coxam ex laboribus obortis aquæ marinæ, acetique calidi fomentum confert, alia autem ibi vide. Et in libro 7. de morb. popul. nume. 37. eadem adsunt & in lib. de natu. huma. nume. 20. in lumborum, & testium dolore venæ sectio de poplitibus, ac malleolis intrinsecus facienda hæc autem de lumborum dolore sufficiunt. At de distentione lumborum proditum est in libro de coac. præsio. nume. 3. lumborum distentio ex mulierum mensium multitudine, ad suppurationem tendit: & variè prodeuntes viscosi, grauecolentes, stragulatorij menses ex prędictis, ad suppurationem tendunt. arbitror autem tales etiam aliquantum delyrare. Lumborum autem tetanus in posteriorem, ac anteriorem partem, vide, Tetanus lumborum. De Frigiditate verò lumborum. legitur in libro de coac prænoct. num. 3. quibus sanis hyeme circa lumbos frigiditas, & grauitas ex leui causa, & aluus suppressa, superno ventriculo probe officium suum prę-stante, his coxendicum morbus, aut renum dolor aut vrinæ stillicidium fortasse contigerit. & legitur

in

in lib.6.de morb. popul. sect. 7. ad lumbos, & crura impotentiæ resolutoriæ ab equitatione &c. Tandem de grauitate lumborum. scriptum est in l. de vict. rat. in morb. acu. num. 41. cum ad lumbos grauitas deuenerit, infuso per clysterem vtendum erit, & alia, quæ ibi lege.

De Lumbricis.

Lumbricorum tres sunt species, rotundi, lati, & ascarides. rotundi longitudine sunt palmares, aliquã do longiores. de quibus scribitur in l. 3. aph. 26. cum dentes iam produxerint, ac magis adoleuerint pueri, his fiunt calculi, lumbrici rotundi, & ascarides. Et Gal. in com. ait. ascarides sunt tenues quidam lumbrici, qui in parte maxime inferiori crassi intestini gignuntur, & plurimi apparent in iumentis male cibũ coquentibus, quorum malam coctionem fœtor indicat excrementorum. rotundi verò in superioribus intestinis magis generantur, adeo quòd ad ipsum quando que ventriculum ascendant. de his sic scribit Hip. in l. prog. com. 2. part. 17. & 18. subrufa scilicet deiectio, nec admodum graueolens esto, ac lumbricos quoque teretes eunte in iudicationem morbo descendisse idoneum est. at de lumbricis lege plura in lib. 4. de mor. pag. 78. num. 27. quæ ab Hip. dignitate aliena esse videntur. idcirco hæc addita sunt ab aliquo rerũ ad rem modicam pertinentium imperito.

Lupini natura robusti sunt, & calidi, verum per præparationem leuiores, ac frigidiores fiunt, & aluo secedunt, vt scribitur in l. de diæ. nu. 8.

Lupi stercoris vsum vide in lib. 1. de morb. mul. numero 97.

Lux.

Lucis species duæ, & vtriusque vsus duplices, qui sint, l. in lib. de Chirur. off. num. 1. sed hoc accipe à luce præsagium, quod legitur in lib. de Coac. præno. & in lib. prog. comm. 1. lucis splendorem fugere &c. malum.

Luxatio.

Luxationum ratio circa coxas legitur in li. de articu. pag. 199. n. 60. Et in eodem lib. n. 5. luxationes recẽtiores cito reponuntur. Et ibidem. n. 8. luxationes articulorom prohibet mucus cum inflammatione. & n. 5. luxationes, & repositiones, quibus faciles, aut difficiles. Et ibidem. luxationes etiam inueteras reponi posse. Et in eodem lib. n. 19. luxationes ex supernis obliquæ ad latus, aut deorsum. luxatio extra, & intro, scribitur in l. de artic. nu. 58. & luxatio ad malleolum. n. 59. luxatio autem in pede scribitur in l. 7. de mor. popu. n. 20. Et in l. de artic. nu. 6. luxationi curboues maxime obnoxij. Et in l. de frac. nu. 39. luxationes ossium circa genua mitiores sunt ijs, quæ circa cubiti flexuram. & n. 19. eiusdem lib. luxationes, brachium sursũ coactum corrigit. & nu. 1. luxationum & fracturarum extensiones, quam directissimæ faciẽdæ. Et in eod. lib. n. 3. lnxationum, cõuulsionum, &c. deligationes.

COMMENTARIVS XI.

IOAN. MARINELLI IN LIBROS HIP.

MADEFACTIO.

MADEFACTIONEM, & humectationem, debile quiddam esse; frigefactionem verò, & calefactionem forte esse affirmat Hip. in lib. de humi. vsu. pag. 55. num. 2. ratio fortasse est, quia humiditas siccitati comparata debilior est, & facile à frigore, & calore superatur.

Magnitudo.

Magnitudo corporis iuuentæ, neque indecens est, neque illiberalis: senectæ verò inutilis, & deterior paruitate: propterea quòd, vt ait Gal. in com. ex hac senescentes gibbi fiunt, & vix possunt onus perferre. sed qui magni sunt, boni existunt: dicit enim Hip. in lib. 2. de morb. popu. sect. 5. magni, calui, balbi, gracile voce præditi, boni. mali sunt quicunq; fului, naso acuto, oculis paruis.

Mala.

Mala syluestria aluum sistunt, cocta magis aluum mouent, verum ad respirationem, quæ erecta ceruice fit, & succi ipsorum, & ipsa quoque haustra prosunt, vt scribitur in l. 2. de diæ. pag. 47. nume. 15. & ibidem. mala dulcia ægre concoquuntur: acida verò, & matura minus. & ibidem. mala punica vinosa, minus æstuosa sunt. acida verò, magis frigefactoria. nuclei autem omnium aluum sistunt. & in eodem lib. n. 15. mali punici dulcis succus aluum mouet, habet autem quid æstuosum. at in lib. de affectio. pag. 83. num. 48. malum punicum reficit, & pituitosum est, & cum nucleo quidem, aluum sistit; citra nucleũ verò secedit.

Malum.

Legitur in l. 2. aph. 13. somnus, atque vigilia si modum excesserint; malum, hoc est, significant morbũ. aliquando malum significat, reualescentiã, vt omnes fere, qui male se habent. i. qui reualescunt, circa initia bene cibati. sic in l. 2. aph. 32. significat sanum, vel ægrum, vt naturæ hæ ad æstatem, hæ verò ad hyemem bene, maleve se habent, hoc est, sunt sanæ, vel ægræ, & id in l. 3. aph. 2. sed lib. 4. aph. 10. tardare malum. i. nocuum. & lib. 5. apho. 3. vbi sanguis plurimus fluxerit, singultus, aut conuulsio superueniens, malũ id est, letale Et aph. 16. eiusdem lib. calidum vbi sæpius eo vtatur, hæc mala affert, id est, passiones. & aphoris. 64. lac dare caput dolentibus malum, id est, nocet. & aphoris. 66. si in vulneribus fortibus, & paruis tumor non appareat; ingens malum, id est,

peri

periculum. sic exponit Galen.

Mamma.

Scriptum est in l.de Glan. pag. 27. num. 11. glandulæ in pectoribus mammæ appellantur, & attolluntur, ac lac faciunt, aliquibus verò lac faciunt, aliquibus verò non. Et faciunt quidem lac mulieres, viri verò non faciunt: mulieribus enim rara est glandularum natura, quemadmodum etiam reliquum corpus habent, & alimentum, quod in se trahunt, in lac permutant. Et dum mammę, lactant, ac exuguntur, vt legitur in l.de natu.pue.num.22. venulæ in mammas ampliores fiunt. ampliores autem factæ à ventre pinguetudinem trahentes, in mammas distribuunt. sed ex mammis dextra plurimam habet vim. dicit enim Hip. in l.2. de mor. popul. sect. 6. circa naturam plurimam vim. habet mamma dextera, oculus dexter, & quæ infra sunt hac parte. nam masculi dextris inhærent: attamen, vt subdit, vena crassa est in vtraque mamma: quapropter maximam habet confluentiæ partem. at verò cum quibus confluat membris, declarat in eodem lib. 2. sect. 1. & inquit. abortientium mammæ graciles fiunt: neque. n. contrarium est: neque tusses diuturnæ; quoniam vbi testis intumuit; cessant: & testis tumor à tussi cessat, & alleuatur. quæ res commonefacit nos cõionis pectorum, mammarum, testium, ac genitalium, & vocis. communicant igitur mammæ cum vteris: inquit enim Hipp. in l.5. aph.53. quæ corrupturæ sunt fœtus, his mammę extenuantur. Et in l.2. de morb. pop. sec. 6. mãmæ si solidiores fuerint, sanior est fœtus. & in l.5. aph.5. mammarum altera gracilis facta, abortum præsignificat. sed in l. de glan. citato. n. 12. scribitur. ex mammarum ablatione suffocationem consequi. cum igitur debiles fuerint mammæ; debilis quoque fuerit fœtus. nam legitur in l.5. apho.52. mulieri gerenti si lac multum è mammis effluat, hoc est, graciles, ac debiles sint, ac molles; fœtum imbecillem significant, si verò solidæ; saniorem. Et in l.6. de mor. popu. sec. 5. si mammarum papillæ, & rubor pallidus fuerit; morbosum vteris vas est. Et in l.2. prædict. nu. 32. mammas tumidas, ac magnas habere ad conceptionem bonum est, habent quoque mammæ communiones cum corde, & septo transuerso: nam scriptum est in l.5. aph.40. quibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat. Causa huius potest esse ea, quæ legitur in l. de virg. morb. pag. 92. n. 1. hoc est, cum os vteri non fuerit apertum ad menses, & sanguis amplius influxerit, propter cibos, & corporis augumentum; tunc sanguis non habens effluxum præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum. cum hæc repleta fuerint; cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, & ex torpedine delyrium apprehendit. deinde subdit curationem, quæ est sanguinis detractio, si nihil fuerit, quod impediat. at hęc ibi lege. videtur præterea mammas cõmunicari cum pectore. proditum est enim in lib. de Coac. pręno. num.3. quibus mammarum dolor ex febribus fit. sputatio cruenta, non feculenta oborta soluit dolores. sed & in l. de Iud. n. 11. mammarum eleuatio febrem ardentem soluit. sustinent igitur mammę affectiones per consensum; igitur, & per se: propterea quòd inflãmãtur, abscedũt, dolent, asperæ fiunt, rumpuntur, ac suppurantur. suppuratio autem quibus fiat, sic legitur in l. de Coac. præno. nu.3. mammę suppurantur, quibus puellis vterum gestantibus erectæ ceruicis spiratio contingit: & menses apparere in principio malum est, & in l. de natur. pue. num.43. mammæ, & alia membra humidiora, mulieribus in partu rumpuntur. & in lib. de glandulis. numer.12. refertur mammarum tubercula, ac inflammationes fieri, & in lib.2. de morb. mulie. mammis asperis quo modo sit medendum docet. Et in lib.5. aph.53. dolor erit in mammis, si ex gracilibus rursus duræ fiant.

Mania. L. Furor.

De Manibus.

Manuum figuræ quo modo ad omnes artes naturales sint dispositæ, lege in l. de Fract. pag. 187. num. 2. sed quando læsæ sunt actiones proprias obire non possunt. læsio verò est dolor, rubor, tremor, contractio, impotentia, aqua intercus, resolutio, luxatio, breuitas, fractio, resecatio, suppuratio, & huiusmodi. atque hi affectus aliquid præsariunt maxima ex parte: nam legitur in lib. de Coac. præ. num.2. in manibus, ac pedibus rubores pernicioſi, & in l.1. prædic. si manus tremulæ fuerint, sanguinis de naribus destillationem futuram expecta. & in lib. de vict. ratio. pag. 258. num.49. his extinctis, si manus contrahatur, aut tremulæ fiant; conuulsio talem corripit, & delyrium & in lib. de morb. sac. num.8. in comitialibus manus impotens fiunt, ac conuelluntur, sanguine quiescente, & dum non diffunditur, velut solebat. & in lib.1. prædict. num.8. manus, & caput, & pedes in aqua intercute laborantibus si frigida sunt, malum est, vbi venter, & latera calida sunt, & in l. de exect. fœtus, num.2. manus in fœtus extra pudendum exerta, mortui signum est: non exerta, plerunque viuentis, & l. de Coac. præ. nu.3. ad manum torpidæ, obaridæ, sitis exortes, menses emittentes, suppuratæ fiunt. Et ibidem, num.9 qui ad manum exiliunt, male habent. Et in l. orog. com.1. par.23. qui in febre acuta, aut phrenitide, aut pulmonia, aut capitis dolore manus subin de ob os fert, aut frustra uenatur muscas aut colligit festucas, aut de veste euellit pilos, & de pariete stipulas capit: id omne malum est, & lethale. Et in li. 7. de mor. pop. nu.15. dum signa futuræ mortis describeret Hipp. hæc quoque adiunxit. manuum plerunque ad parietem aut ad stragula habebat, post sudorem manus velut in glaciem congelatæ, sudor sequebatur frigidus. spiritus multus, manus træmulæ fiebant sub mortem progressæ iam etiam conuulsæ, & in lib.4. pag. 138. nu.21. Fullo collum, caput, septima manus torpida, nona crus torpidum, tussis cessauit. & in lib.5. num.24. ex capitis vulnere conuulsio manum sinistram inuadebat: nam in dextris magis vlcus habebat. & in l.2. præd. nu.34. dolores in humeris oborientes, qui ad manus descendunt, & torpores, ac dolores inducunt; his abscessus non succedũt, verum nigram bilem vomentes sanantur, & causam recensetin lib.1. de morb. num.17. & inquit. cum in aliqua vena plenitudo copiosior facta fuerit, si contigerit, vt ad humerum trãsferatur, grauitatem in manu inducit, ac torporem, & segnitiem, & in lib.7. de mor. pop. nu.10. inter signa exitialia memorat tremores circa manus. & in l.3. sect.1. Aegro.1. Cœpit tremor à manibus prima die, febris acuta, delyrium. & in lib.4. numero 47. ex tussientibus, qui manibus laborabant sola dextra resoluti cessauerunt, quando quidem perpessi sunt, hoc tussientes. Et in libro 6.

sect.7.

sect.7.qui manibus laborarunt, manibus tantum syderati, ac resoluti sunt, ex frequenti australium, & aquilonarum, ac niuosorum transmutatione. Et in l. 2. sect. 5. in conuulsione digitorum manus citra febrem venam secato, sine caput doleat: sin minus: aquam calidam affundito. Et in lib. 4 de mor. popul. num. 14. dolor ad manus, & brachium. Et in l. de hæmor. nu. 4. manus, aut crura in articulis re secata sanguinem non fundunt. supra verò, vel infrà fundunt, si de resolutione manus legere optas, vide in lib. 2. de mor. pop. sec. 2. de manu dextra, & crure sinistro syderationis modo resolutis. verum de luxatione articulorum manus lege in lib. de artic nu. 23. & de manus tota luxata. Et in l. de frac. nu. 3. legitur manus supinæ extensæ deligatio incommoda. Et in eodem lib. num 4. manus fractæ recta extensio, & deligatio. Et in lib. de Frac. num. 1. manum fractam tractare nõ est multi negotij. Et num. 8. quo modo manum fractam in fascia gestare conueniat, docet. Et in lib. de artic. nu. 23. legitur, manus ex natiuitate breuior facta. Et in lib. 5. de mor. popul. nu. 17. manus suppurata vsque ad cubitum, sed in l. de superfœ. num. 10. ait. manuum aut aliarum partium doloris in vtero conceptio, solutio est.

Mare.

Mare spiritus haud exors est. non enim viuere natantia animalia possent; si non spiritu participarent. hæc in lib. de flati pag 39. num. 5. at in l. de humidorum vsu. pag. 54. num. 7. de viribus aquæ maris hæc scribuntur, mare pruriginosis, & qui ab acribus humoribus vellicantur prodest, vt & lauent, & foueant, ex calido. qui verò non adsueti, aliquantum lædunt. verum ad vlcera, & ambusta, ac desquamata, & quæcunque talia, contrarium est, aptum est autem puris. bonum est & ad attenuandum ad piscatorum vlcera; hæc enim neque suppurantur si non vellices: & ad vlcera cuniculosa, & depascentia proserpendo sedat, ac sistit, velut sal, salsugo, nitrum. omnia autem hæc, si quis parum vtatur; irritant; excellenter; bona sunt. melius est autem calidum ad plurima. Et in lib. præcep. num. 13. maritimus locus ad sanitatem optimus.

Masculi.

Masculorum generationem in dicant in viris hęc: scribitur enim in l. 6. de mor. pop. sect 4. hircire incipiens, vter testis extra apparuerit, si quidem dexter, masculum: si verò sinister; fœmellam portendit. Et lib de Geni. pag. 13 numer. 7. si ab vtrisque, scilicet masculo, & fœmina semen fortius prodierit; masculus erit partus; si verò debile, fœmina nascetur. Et in lib. de superfœ. pag 23. num 18. vir vbi marem generare voluerit, mensibus desinentibus, aut defectis misceatur. & quàm penitisse intrudat, donec de sæuiat, vbi verò fœmellam generare volet: cum plurimi menses prodierint mulieri, & dum adhuc eunt, coeat ac dextrum testem obliget, quantum id tolerare poterit, sed si marem generare expetat, sinister testis obligandus erit. post conceptionem verò legitur in lib. de septim. par. pag. 20. num. 8. masculini fœtus partes omnes post quadragesimum diem completum, conspicuæ fiunt: fœmellarum non item. Et in lib. 2. de morb. popula. sect. sexta, masculis dextris inhærent, & idest, signum fœtus masculini. id quod etiam confirmat in lib. 5. aphoris. 48. fœtus mares in dextris partibus. fœminæ in sinistris magis. Et in eodem li. 5. aph. 42. mulier prægnans si marem gerit bene colorata est: si verò fœminam; male colorata. Et propterea quòd masculi augescunt magis ab igne à siccis videlicet, & calidis cibis, & reliqua diæta, vt legitur in lib. 1. de diæ. nu. 21. idcirco masculi cuiuscunque tandem ætatis, fœmellis in suo genere sunt calidiores: atque hanc ob rem mas trimestris, fœmina quadrimestris motum in vtero habet. sed hæc satis. at si ampliora cupis; l. Conceptionem, Fœtum, & Fœmellam.

Materia. l. Humor.

Maxillæ.

In l. de carni. pag. 19. num. 13. hæc de maxillis leguntur. solæ ex ossibus maxillæ ipsę in se ipsis venas habent. & ob id alimentum amplius in ipsas, quàm in alia ossa trahitur. & quia vberius alimentum & densiorem influxum habent; augumentum, ipsæ à se ipsis tale pariunt, quales sane ipsæ existunt. atq; hoc donec homo integer augescat, hoc est, vsque ad decimum quartum annum. & in hoc tempore tum maximi ex dentibus, tum alij omnes nascuntur, postquam exciderint hi, qui ab alimento in vtero nati sunt. verum maxilla altera est superior, altera inferior. superior motus est expers, vt legitur in lib. de Artic. num. 24. nec valde luxatur, vt ibidem legitur. afficiuntur, & maxillæ, quemadmodum & aliæ partes corporis humani. dolore afficiuntur, de quo sic scribitur in lib. de Coa. præ. num. 2. dolores circa maxillas vehementes periculum est ne ad ossis eductionem deueniant. patiuntur colligationem, quæ cum fit pernitiosa est, vt scriptum est in eodem loco. soluuntur etiam maxillæ: etenim scribitur in l. de Coac. præ. nu. 3. si in distentionibus ante & retro fientibus, & in tergum solum contingentibus maxillæ soluantur, lethale. & ibidem num 4. maxillas intendit aluus turbulenta paruis frequentibus ad egerendum progressibus. circa maxillas abscessus fiunt, & quo modo sic legitur in lib. 4. apho 31. lassitudinem habentibus in febribus in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt. luxantur etiam maxillæ, vt habetur in lib. de artic. num. 24. & luxationis cognitionem docet. num. 26. atque ibidem. maxillæ vtriusque luxatæ curationem dat: nam maxillam non repositam, vitæ periculum sequitur, vt scriptum est nume. 27. eiusdem lib. maxillæ præterea fractionem patiuntur, vt in lib. de artic. num. 27. legitur. sed num. 28 ait maxillam confractam viginti diebus corroborari Et num. 29. inquit. maxillæ fractæ deligatio ossa ad fracturam magis vergentia inclinat, quàm ad naturam ducit. Et num. 27. legitur de maxillæ osse caulatim diffracto. maxillæ marcor ex dentis dolore contigit, vt recitat Hip. in lib. 5. de morb. popul. nume. 35. Et ibi quoque affirmat maxillas ex dentis dolore in tumorem eleuatas.

Maxime.

Maxime significãt, vt plurimum: propterea quòd scriptum est in l. 2. apho. 9. tabes fiunt maxime ætatibus à decimo octauo, vsque ad trigesimũ quintum. aliquãdo significat raro, si quidem inquit Hip. in eodem lib. apho. 65. quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur maxime, hoc est, nisi raro. aliquando significat naturaliter: etenim in lib. 6 apho. 32. legitur. balbi alui profluuio maxime capiuntur.

D:

De Maza.

Scribitur in lib. 2. de Diæ. numero 6. maza aqua, & vino dulci emollita, ac prius subacta, nutrit quidem minus, per aluum autem secedit, & flatum magis inducit. Et ibidem. maza ficca, vino dulci emollita, ac trita siccat quidem non similiter, propterea quòd vehementer est astricta, alimentum verò plurimum corpori exhibet. Et ibidem. maza prius subacta, respersa vino dulci non emollita leuem facit, & per aluum secedit, ac frigefacit. Et in eodem lib. num. 60. maza prius subacta, fortior est, quam non subacta. Et ibidem. maza omnis generis sic vtimur. farinæ ex toto collatæ alimentum quidem minus habent, verum magis per aluum secedunt. Et in li. de vic. ratio. nu. 18. mazæ præter consuetudinem ingestę incommoda. & in eodem lib. 2. de diæ. supracitato n. 6. si mazam statim, vt subacta est, exhibere velis, resiccatoria est.

De Medica arte, de medico, ac medicamentis.

Medicina, vt legitur in lib. 1. de diæ. pag. 43. num. 16. id, quod molestat, tollit, & id, à quo homo ægrotat auferens, sanum facit. natura eadem sua sponte nouit. is est medici finis. at in l. de Arte. pag 1. num. 4. inquit. De medicina, vt potè de quâ hic institutus est sermo, claram demonstrationem faciam, & primum sanè definiam quod sentito, Medicinam esse morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere, & eorum, qui à morbis victi sunt, curationem non aggredi, cum id in confesso sit, quod medicina tales sanare non possit. quapropter, vt inquit Hippoc. in Lege, medicina est omnium artium præclarissima. verum ob ignorantiam eorum, qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro medicis iudicat, & habet, iam eò res deuenit, vt omnium artium longe uilissima censeatur. multi uerò medici inueniuntur, sed, quia est omnium difficillima, idcirco pauci peritissimi euadunt, proditum etenim est in libro de locis in homine pag. 33. numero 50. medicinam cito discere est, impossibile, propterea quòd impossibile est statam, ac certam doctrinam in ipsa fieri, quandoque enim per contraria curat, quandoque per similia, deinde omnes homines cum varias habeant temperaturas, varias quoque expetunt curationes, quanquam unus & idem est morbus. &, si diuersæ sint curationes, diuersa quoque erunt instrumenta, cum quibus curare necesse est. at, quia omnis curatio in tempore fit, sub quo occasio comprehenditur, & illa præceps est. quas ob res iure omnium artium difficillima censenda est ars medica. Cum igitur medicina sanum facit hominem ægrotantem, auferens id quod molestat, nec os curans ægros, qui à morbis uicti sunt, necessaria sunt ad hanc artem is, qui sanitatem inducat: is, qui sanandus est, species morbi, qui in sanitatem uertatur, instrumenta cum quibus æger est curandus, tempus, in quo curatio sit adhibenda. Medicus igitur, qui artem habet medicam, ac possidet, curabit corpora humana, atque ea ægrotantis, & ægrotationis naturam, ac speciem cognoscet, & instrumenta ad opus perficiendum opportuna, ac tandem tempus, in quo curatio sit facienda. de ægrotatione, siue morbo suis dicetur locis. Sed de medico hic agemus, inquit Hip. in Lege. Quisquis medicinæ scientiam sibi verè comparare volet; eum hi ducibus voti sui compotem fieri oportet: natura scilicet, doctrina, moribus generosis, loco studijs apto institutione à puero, industria, & tempore. hæc ei, qui artem medicam exercere volet, sunt necessaria. & de his lege ibidem. Curet medicus corpora, vt dictum est, humana. ad eorum curationem nouisse oportet temperaturas: nam legitur in lib. de locis in homine pag. 30. nume. 1. corpus, quod siccius est, morbos magis recipire, ac magis dolere à natura solet: humidum verò minus. deinde cognoscere oportet corporis partes; propterea quòd scriptum est in eodem lib. nume. 2. Corporis singulæ partes altera alteri, vbi hinc, atque illinc processerit; morbum statim facit, venter capiti, caput carnibus, ac ventri, ac reliquæ omnes iuxta eandem rationem. modum verò docet, & subdit. Cum venter egestionem moderatam non fecerit, & in ipsum cibus ingeratur; humiditate ciborum ingestorum corpus irrigat. ipsa autem humiditas à ventre obstructa, aceruatim ad caput viam facit. & vbi ad caput peruenerit; à vasis in capite non recepta, fluit quocunque contigerit, & circum circa caput, & in cerebrum per os tenue, & partim quidem os ipsum subit, partim verò circum cerebrum per os tenue. & siquidem in ventrem rursus peruenerit; ventri morbum inducit. si verò ad aliam aliquam partem incubuerit; illi ipsi morbum facit. ita etiam reliquæ partes altera alteri morbum inducit. Mens præterea, vt præceptum est in l. 2. præd. pag. 172. nu. 7. mores, & corporis vires sunt considerandæ. sed & habitus, sexus, ætates, cognationes, victus ratio, consuetudines, fortunæ, studia, actiones, & huiusmodi sunt perpendendæ. præterea aer, aqua, & loca, quæ homo colit, inspicienda sunt, de quibus omnibus diffusè scripsit Hip. Cognito homine, cognoscat, oportet medicum morbum, à quo detinetur, & species illius morbi quot, & quæ sint: de quibus suo loco orationem habebimus. Postea sit retrum peritus, quæ ad morbũ tollendum sint necessariæ. atque hæ tres existunt, dieta, medicamenta, & instrumenta chirurgica. De diæta copiosè actum est in libro de Vete. med. atque in pluribus alijs. Medicamenta verò tot specie existunt, quot sunt curationi necessaria: nam opus medicamenti est, vt tollat id, quod molestat. molestat autem corpus aliqua simplex qualitas, aut humor. si qualitas, & ea sit prima; medicamenta adhibeantur, quorum qualitates primæ sint ad id, quod affligit, expellendum idoneæ: nec secundæ, nec alię sunt omittendę à peritissimo medico; vtpotè quæ à primis ortum trahant. si verò ęgritudo à secundis oriatur qualitatibus; medicamenta ea sint, quorum virtutes secundæ illam curent: inquit enim Hipp. in lib. de Vete. med. pag. 4. nume. 1. quicunque de medicina dicere, aut scribere aggressi hæc sibi ipsis suppoſuerunt, calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum, aut aliud quodcunque voluerint principium, causamque tum morborum, tum mortis hominibus omnibus horum vnum, aut duo proponentes: hi in multis quidem, quæ dicunt manifesto errasse deprehenduntur. Et nu. 30 eiusdem lib. ego hoc maximum signum esse puto, quòd nõ propter calidum simpliciter homines febricitent, neque hoc sit simpliciter afflictionis causa: sed est & amarum, ac calidum idem, & calidum, ac

acidum,& salsum,ac calidum,& alia infinita: & rursus frigidum cum alijs facultatibus coniunctum. hæc itaque sunt, quæ lædunt. simul adest autem, & calido robore participans, nimirum ducens, & exacerbans,& augens simul cum illis: verum nullam potentiam maiorem, quàm conuenit videlicet habens. hæc Hipp. ex quibus motum fit, si morbi non ex primis tantum qualitatibus conflentur; nec medicamenta ab hisdem trahi. verum si in secundis qualitatibus peccet morbus, veluti si nimium sit mollis, vel durus; medicamenta sint emollientia, vel indurantia. si autem morbus sit ab obstructionibus, à flatibus; medicamenta sint aperientia, atque flatus expellentia. & propterea legitur in l. 6 de morb. popu. sect. 2. cum quibus medicamentis, atq; instrumentis medendum sit. & quo modo, cum ait Hipp. Dilatare, constringere, alia quidem, alia verò non: humores alios quidem expellere, alios verò siccare, alios autem indere, & alia quidem parte, alia verò non. Attenuare, crassefacere corpus, cutim, carnes, & alia: & aliqua quidem, aliqua verò non. Leuigare, exasperare, indurare, mollire, alia quidem, alia non. Excitare, torpefacere, & quæcunque alia huiusce modi. deinde modum subdit, & inquit. Deriuare subsidentiam statim reuellere, remittentibus concedere. alium humorẽ non prodeuntem ducere: prodeuntem verò simul effundere: operari simili, velut dolor dolorem sedat. dissimilia, si vergant sursum alleuata, inferne soluere, & contraria per eadem: veluti est capitis purgatio, venæ sectio: quando non temerè detrahitur. Et in lib. de humo. pag. 55. num. 1. impetus, & ferocitas humorum vbi non reciprocatio humorum est, velut florum, ducendus est, quà repit per conuenientes, ac commodas regiones.

Exceptis his, quorum maturitas tempore contingit. maturitates, vel intro repunt, aut alio quò oportet. & subdit. quibus quantum deficit, aut non, mede la, declinatio, deriuatio in caput in obliqua, quã maxime repit, aut reuulsio in supernis deorsum, in infernis sursum: aut siccare, aut aliquibus inferna, aut aliquibus superna, aut eluuitur, aut quibusdam mitigabitur: humores effusi intro reuellantur, sed secretiones siccentur. turbato, infusio per sedem, pelluuium, quibus abscedit ad sedem, vnde exoluitur aut medicamentum, aut vlcus, aut humor aliquis compactus, aut eruptio pustulosa, aut flatus, aut cibus, aut animalculum, aut æstus, aut alia quædam affectio. sed de his, si plura desideras, lege in lib. de humo. in lib. autem. 1. de morb. pag. 60. nume. 1. docet Hippo. ea, quæ medium in sanatione animaduertere docet, & hæc vide.

Medulla.

Fluxio quandoque fit è capite in medullam spinalem, vt scriptum est in lib. de loc. in homi. pag. 31. nume. 18. & idcirco tabes occulta, ac inconspicua oboritur. sed non omni ætati id contingit, sed vt legitur in lib. de Coac. præno. num. 3. medullæ spinalis defluxus post annum quadragesimum, nisi prius existat, non fit signa verum existat, non fit. signa verò fluxionis in spinam sunt, vt habetur in eodem li. de loc. in homi. nume. 29. hæc. lumbi dolent, & anteriores capitis partes vacuæ videntur ipsi esse. Et subdit. nume. 35. qui hac affectus est, & caput est purgandum debili medicamenio ne donec fluxus auertatur, medicamentum potandum præbe elaterium deorsum purgans, & infernè aluum lacte infuso elue. de cætero fomentis vtere. sed l. Spinalis Medulla.

Melancholia.

De melancholia cum in capite de atra bile abunde diffeuerimus; pauca hoc loco dicemus; atque ea fort asse, quæ ibi recitauimus. attamen scribit Hipp. in lib. 3. aphoris. 22. melancholiæ autumno fiunt. Et in eodem lib. aphoris. 20. melancholici morbi vere fiunt; propterea quod, vt explicat Gal. cum tunc temporis omnes moueantur humores; necessario & mouetur atra bilis. qua commota morbi excitantur melancholici. sed anni tempus, quod verè correspondeat huic humori; est autumnus. at verò cum melancholicos euacuare voles: te docet Hip. in lib. 4. aphor. 9. cum ait. melancholicos infra vehementius purgabis eadem ratione contrariam inijens vacuandi viam.

Mel.

Mel calidum est, & siccum; si meracum sit: cum aqua autem humectat, & aluum mouet biliosis, pituitosis verò sistit, vt in lib. 2. de diæ. pag. 47. & nume. 13. patitur. & mel coctum æstuosum est, & ventri adheret. cum coctum fuerit in ventre efferuescit, venter ardet, & dirumpi videtur. Et in lib. de inter. affect. nume. 59. mel cum alijs commestum nutrit, ac bonum calorem exhibet. at in lib. de vict. ratio. numero 27. vel simplum duplo vino meraco fortius.

De Membranis.

Scribitur in lib. de carnibus pag. 18. nume. 2. venę frigiditatis multum habent, atque eius frigidi, quantum circumcirca glutinosissimum erat; a calido exassatum, membrana euasit. frigidum verò, quod erat a calido superatum, dissolutum est; & ob id liquidum factum. & quoniam plures sunt membranæ in corpore humano, si membrana circa cerebrum ob vulnus læsa fuerit, quo pacto sit curanda, lege in lib. de capitis vulneribus. num. 24. est quoque membrana oculo vteri præposita, de qua, vt cognitionem habeas, vide in lib. de natu. mul. num. 60.

Membrana.

Membrorum articulatio fit fœmellæ in quadraginta, & duobus diebus vt longissimè, masculo vel in triginta diebus, vt plurimum enim hoc tempore, aut paulò breuiore, aut paulo longiore articulatio ipsis contingit, nam & purgatio fit a partu, vt plurimum in fœmellis diebus quadraginta, & duobus, atque hæc tardissima est, & perfecta. vacauerit autem periculo, etiam si viginti quinque diebus purgetur. in masculo verò purgatio fit diebus triginta, atque hæc tardissima est, & perfecta. sic scriptum est in l. de nat. puer. pag. 15. nume. 15. primum membrorum autem opus est moueri. mouentur autem ab aere, hoc est, a spiritu vt legitur in l. de morbor. sac. nume. 8. & quemadmodum labor carnositati membrorum prodest, quia exsiccat, vt legitur in l. de aricu. nume. 61. sic austri quia humectant, membris tarditatem, & languorem conciliant, quemadmodum recitat Hipocr. in l. 3. aph.

Mens.

Mens siue ęgrotet, siue sana sit, plurimas nobis dat prænotiones, & ab alijs signa habemus futuram eius

ægri-

ægritudinem, vel ſanitatem indicantia, etenim legitur in lib. 2. apho. 6. quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat. Et in eodem lib. apho. 33. in quouis morbo mente conſtare, & bene ſe habere, ad illa, quæ offeruntur, bonum, contra verò ſe habere, malum. ſed inter reliqua, quę mentem turbant, calidum eſt, hoc eſt, aqua calida, inquit enim Hipp. in lib. 5. apho. 16. calidum vbi ſæpius eo vtatur, affert carnium effęminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem. Et in l. 7. apho. 5. à furore difficultas inteſtinorũ vel aqua intercus vel mentis alienatio bonum. Et in lib. 1. pror. par. 15. mente aberrantes acute ſuperfebrientes cum ſudore phrenitici ſunt. Et part. 14. mẽte ob melancholiam aberrantibus tremores ſuperuenientes maligni. Et part. 18. ſi in ardente febre aurium ſonitus cum caligine fueris, & prouenerit in naribus grauitas, mente ex melancholia aberrant. At in l. de Coa. præ. pag. 175. nu. 1. furarum dolores cum febre maligni ſunt, mentem emouent, tum alias, tum ſi vrinæ ſubſidentia in medio innatet. Et ibidẽ. præter conſuetudinem quid facere, velut eſt, proponere ſibi aliquid, & expectare aliquid prius non conſuetum, aut contrarium malum eſt, & mentis emotioni proximum. Et ibidem. in febribus mentis emotiones taciturnæ, in eo qui voce priuatus non eſt, pernicioſæ ſunt. Et ibidem. mentis emotiones, tremulæ, palpatoriæ, phreniticæ ſunt, & dolores circa ſurã mentem emouent. Et, qui in principio tenues cum capitis pulſu, & vrina tenui ad iudicationem. acerbãtur, his nihil miri eſt ſi & mentis emotio, inſuper vigiliæ accedant. Et, turbulentæ cum ferocia excitationes mentem emouentes malæ ſunt, item conuulſoriæ. Et, mentis emotiones modice feroces, ferinæ ſunt, ſed & conuulſiones ſignificant. Et ibidem. affectiones ſtatim turbulentæ, vigilias inducentes, ſanguinem de naribus ſtillantibus, ſexta die alleuantes per noctem, verum poſtridie rurſus affligentes exudantes in ſomnum delatæ, mentem emouentes, large ſanguinem fundunt, & morbos ſoluunt. aquoſa vrina talia ſignificat. qui cum relatis ab atra bile mente moti tremuli fiunt, maligne habent. Et, mentis perculſiones, voces clangoroſæ, linguæ conuulſiones tremulæ, & voces træmulæ fientes, mentem alienant, duricies in his pernicioſa eſt. Et in febribus ardentibus ſi aurium ſonitus accedant cum viſus hebetudine, & grauitate ſecundum nares, melancholico modo ab atra bile mente mouentur, ſanguine ipſis non erumpente. Et ibidem. quibus ab atra bile mente motis tremores fiunt, malum eſt. Et, qui ab atra bile mẽte moti, tremuli fiunt, ac ſaliuam fundunt, num ſane phrenitici ſunt? Et, mente moti, acute inſuper febriẽtes phrenitici fiunt. Et. quibus variè ægrotant, & frequenter ſoporoſi mente mouentur, his nigrum vomitum expectandum eſſe dicito. Et, mentis emotiones modice feroces, & ferinum, & conuulſionem, ſignificant. Et, qui caput dolent ſtupore correpti, delyrantes, aluo ſuppreſſa, oculo ferociente, florulenti, hi in poſteriorem partem conuelluntur. capitis ſucceſſiones, oculi rubicundi, mente manifeſte emouentes, pernicioſæ ſunt, nõ commoriuntur hæc, ſed circa aurem tumorem faciunt. Et, caput dolentes, ſiticuloſi aliquatenus vigilantes, obſcuri cognitu, impotentes, ex aluo liquida delaſſati, num mente mouentur? Et, morbi derepente mentem percellentes cum anxietudine ſanguinem profundunt. Et pag. 177. ſonitus aurium cum viſus habetudine, & narium grauedine, mentem emouent, & ſanguinem profundũt. Et, accedente ægritudine ſurditas, & vrina ſubrubicunda, ſubſidentiam non habens, ſed id quod in medio innatat, mentem emouet. Et, num lingua tremula mentem non firmam ſignificat? Et ibidem. modice feroces mentis emotiones malæ, & ferinæ ſunt. Et, vocis interceptiones in febre conuulſorio modo fientes, & ad mentis emotionem cum ſilentio deueniunt, pernicioſum. Et ibidem. mẽtis emotiones cum vocis interceptione pernicioſæ ſunt. & num. 2. dolores parui in acutis iuxta fauces graciles, in gracili vbi hiarit, non facile os contrahente, mentem emouent. Et ibidem. iuxta ventrem in febre palpitationes, mentis emotiones inducunt. &, dolores circa vmbilicum palpitatorij, habent quidem, & aliquid mentis emotorium, verum circa iudicationem pituita his aceruatim copioſa cum dolore penetrat. &, affectiones ex lumbis ad collum, & caput tranſeuntes, leuis ſyderationis modo reſoluentes, conuulſoriæ mentis emotorię ſunt. &, ex lumborum dolore recurſiones ad os ventriculi, febriculoſæ, horrorem indueentes: ſic affecti reuomentes tenuia aquoſa, mente moti, voce deſtituti, nigrorum vomitu facto moriuntur. & in l. 1. pror. par. 34. ex rigore deſidiæ non apud ſe exiſtunt. Et in lib. de Coac. præn. nu. 3. mentis emotiones taciturnæ non quieſcentes, oculis circumſpicientes, ſpiritum extra efferentes, pernicioſæ ſunt. faciunt, & leues ſyderationes diuturnas. ſed & ita affecti ad inſaniam deueniunt. qui verò in ventris perturbatione ita exacerbantur, his nigra circa iudicationem prodeunt. & ibidem. num. 2. mentis emotorius eſt pulſus in præcordio cum tumultu. &, mentem mouet ſpiritus, velut his, qui ſtrangulantur præ manibns expoſitus eum vocis interceptione. & num. 3. mentem ad nugas garriendas emouent ſputa in tabeſcentibus ſuppreſſa. & in l. 1. prædic. mente mouentur ſi lateris dolor ex ſputis biliоſis citra rationem euanuerit. & in lib. 6. de morb. popu. ſec. 6. à mentis emotione liberat ſanguinis ex ſiniſtra nare eruptio, & vrina multam ſubſidentiam habens. & ibidem ſputa rotunda mentem emouent. & in l. 7. de mor. popu. num. 45. legitur, mente mota ex capitis dolore. & in l. 1. prædic. nu. 4 mente motos morbo regio corripi malum. & in l. 2. pror. par. 18. ſi in febribus aphoniæ conuulſiuo modo in motionem mentis cum ſilentio tranſeunt; pernicioſum. verùm l. Deſipientiam, Delyrium, Inſaniam, & phrenitidem.

Menſes.

Legitur in lib. de Octim. par. num. 7. menſis ſeptimus fœtus perfectionis principium conſtituit. & ibidem. menſis octauus mancum, aut fœtum gerentibus difficilior: eiuſmodi autem fœtus plerunque non ſunt ſuperſtites, cęteri non item. & ibidem. menſis vndecimus partui contingit, cum vltra pleniluniũ mulier concipit.

Menſes, ſiue menſtruæ purgationes.

Diximus in cap. de Conceptione, ac de Fœtu ſanguinem, qui ſingulis defluit menſibus mulieribus, cũ conceperunt, perduci in vterum veluti materiam, ex qua fœtus fiat, & alimentũ, ex quo nutriatur, atq; augeatur. cum verò mulier non concipit; natura

veluti ſuperfluum quiddam ſingulis expellit menſibus moderatè. moderati autem ſunt menſes, vt legitur in l. 5 de morb. mul. pag. 101. n. 15. prodeuntes in omni muliere ſi ſana ſit, vt duarum heminarum Atticarum menſura ſecedant, aut pauco plures, vel pauciores, atque ad duos, aut tres dies. longius aut breuius morboſum, & ſterile eſt. coniectare porro oportet, mulieris corpus inſpiciendo, & interrogare collatione ad priora facta, an ſemper morboſa viuat, aut non: ſi enim pauciores, aut plures dies quam ſolent prodeant, aut ipſi pauciores, aut plures fuerint, morboſi ſunt, niſi natura ipſa morboſa, & ſterilis fuerit. ſi verò hoc fuerit, & ad ſalubriorem ſtatum tranſmutatur: melius eſt. procedit autem ſanguis velut à victima, & cito congelatur, ſi ſana fuerit mulier. quibus verò in natura eſt, vt plures, quam quatuor dies purgentur, & menſes valde multi prodeunt, hæ tenues fiunt, & fętus ipſarum tenues & marceſcunt. quibus autem purgatio infra tres dies fit, aut pauci menſes ſecedunt, hæ craſſæ ſunt, & bene coloratæ, virileſq; ac partus immemores, & neque concipiunt Et in l. 2. prædict. pag. 174. nume. 33. ex mulieribus, quæ magis aut minus in vtero concipere ſolent interrogare oportet de menſtruis purgationibus, an omnibus menſibus compareant, & an copia ſatis magna, & an boni coloris ſint, & æquales in ſingulis temporibus, & in hiſdem menſium diebus; ſic enim has fieri optimum eſt. Et ſubdit. quæcunq; igitur mulieres in vtero concipere non poſſunt, verum pallidæ apparent, neque febre, neque viſceribus in cauſa exiſtentibus; hæ capite ſe dolere dicent, & menſes ſibi male, ac meracos prodire. ex verbis igitur enarratis, hæc menſtruis purgationibus inſint, vt omnibus compareant menſibus, & copia, qua deſcripta eſt, & boni coloris ſint, & æquales in ſingulis temporibus. quod ſi non omnibus menſibus, ſi in maxima copia vel admodum pauca, ſi mali coloris ſint, veluti albi, biliоſi, pituitoſi, & huiuſmodi: præterea non æquales in ſingulis temporibus, nec in hiſdem menſium diebus; mali ſe habebit mulier, & plurimum non concipiet. propterea legitur in l. de natu. pueri. nume. 6. menſes retenti vterum non geſtantibus dolorem inducunt, & cur. Et in libro de virg. morb. pag. 92. num. 1. cum ſanguis non exierit; præ multitudine reſilit ad cor & ad ſeptum tranſuerſum, vnde cor fatuum fit, ac delyrium apprehendit. ſed in lib. de Geni. num. 4. atque in eodem lib. de virgin. morbis menſes virginibus iuuenculis propter venas tenues, ac repletas non procedunt. at in prægnãtibus ſi puer ſanus ſit, & permanere debeat, non prodeunt. verum vt in l. 2. de morbor. mul. quandoque euenit vt menſes retenti mulieres nonnunquam, ſe prægnantes exiſtimantes, fallant. attamen quandoque comparent prægnantibus, vt legitur in l. de ſteril. num. 27. ſed menſes in quibus omnino ſuppreſſi ſint. lege in l. de ſteril. num. 4. in l. autem de ſuperfœ. num. 17. ait. menſes immotis vteris, aut alioqui non rectè habentibus, aut non apparent, aut certe pauciores. quapropter legitur in lib. de Coact. præ. num. 3. menſes non ſupprimi commodum eſt. ex talibus comitiales morbi fiunt, vt arbitror: quibuſdam verò ventris ſubductiones diutnrnæ, quibuſdam hæmorrhoides. quo modo autem ex menſibus ſuppreſſis morbi generentur, & qua ratione menſes ſuppriмantur, & quibus id frequenter accidat, lege in lib. de Geni. num. 7. ſigna menſium occultorum ſcribuntur in lib. 5. aphor. 39. & verba ſunt, menſes mulieri defecerunt, ſi lac habens, neque prægnans eſt, neque peperit. Et in l. de nat. mul. pag. 94. nume. 18. cum menſes occultati fuerint; dolor imum ventrem tenet, & onus incumbere ipſi videtur, & lumbos dolet, ac laterum mollitudinem. Et in lib. 1. de morb. mul. num. 3. poſtquam mulieri, quæ non peperit, occultati fuerint menſes, & viam foras reperiri non poterint; morbus fit. hoc autem contingit, ſi vterorũ os concluſum fuerit, aut diſtortum, aut aliqua pudendi pars contracta. & ſubdit ſigna nume. 4. ſuffocatio alias, atque alias in ipſam irruet, & febris, horror ac lumborum dolor. & reliqua ibi lege. Vt autem menſes prodeant, omnia tentanda ſunt. ſed dum retenti ſunt; ſi ſanguis ex naribus fluat; bonum eſt, vt recitat Hippoc. in l. 5. aphor. 33. menſes porrò educit ſuffitus aromatum, vt in l. 5. aphor. 28. ſed in lib. de ſuperf. num. 17. modum habemus menſium prouocandorum, & quo pacto ſuffitus parentur. Et in eodem lib. nume. 24. quo modo virgini menſes euocandi ſint. Et in libris de morbis mul. infinita ferè reperies ad hanc rem facientia: & idcirco eos lege.

Verùm ſi plurimi fluant menſes, ac immodici, ac craſſiores, nimirum corpore natura fluuido exiſtente, & oſculo vterorum prope pudendum ſico, & ad hæc multo cum viro coitu vtatur, & conuiuetur ſe mel aliquando multi deſcendentes, & cumulate prodeuntes, os vterorum impetu ſuo magis dilatant, & ſi ad hæc non incidat vaſorum euacuatio, ſed rurſus multus acceſſerit calor & os amplum faciunt, & corpus: vtpote dum conuiuante & voluptatem, ac conſuetudinem viri conſectante muliere, facili fluxu ad vteros etiam calor defertur, & decalor erit quamdiu ſic habuerit. &, ſi poſtea morbus aliquis, aut affectio inceperit, aut corpus affligatur, & vteri ſimiliter iuxta ſolitum morem ampli ſunt, & corpus facili fluxu in ipſos præditum eſt. & poſt hæc febris habet, & cibum auerſatur, & anxia eſt, & tenuis, ac debilis, & lumbos ex menſibus dolebit, & progreſſu temporis ſi non curata fuerit, omnia ipſam magis affligent, in intermedio tempore, & periculum ipſi imminet, ne ſterilis fiat, aut à tempore, & morbo vexata, ſi alius morbus coincidat, ex hoc moriatur. prodeunt autem menſes craſſiores, & plurimi in intermedijs diebus incipientes autem, & definentes, pauciores, & tenuiores.

Nunc ad menſium colores accedamus. legitur in l. 2. de morbo. mul. pag. 111. nume. 1. mulierum fluxus albus, fuluus, & ruber quibus magis, & vnde fiant, & eius ſigna. Et nu. 4. quæ circa fluxum curationes conſiderandæ, ſuperalbidæ, nigræ, vini colorem referentes. & num. 6. fluxus ruber qualiter fluat, & eius ſigna, quas, & quando potiſſimum inuadat, & de eius curatione. & in eodem lib. num. 8. fluxus fuluus, & eius curatio legitur. & num. 9. ſcribitur fluxus albus, eius ſigna, & curatio. & nu. 10. fluxus albi alterius ſigna & curatio, & n. 11. alius fluxus, & eius curatio. & nu. 12. alius fluxus velut ex ouo crudo luteum ſubalbidum, & eius curatio. & nume. 13. alius fluxus, & eius cauſam. & num. 14. purgatio velut à carnibus aſſatis, & eius cauſa, & curatio. atque

num.

num.15. scribitur sanioſi fluxus curatio diuturna, & eius causa. Et nu.75. leguntur ad fluxum rubrum sub dititia. Et nu.77. scribitur fluxus sanguinolentus aut albus. sed in l.1. de mor.mul.num.11. scribuntur hęc. menses putrefacti,& purulenti in pudendum prodeũtes. Et num.12. menses pituitoſi. & num.18. eiusdem lib.de menſium bilioſorum cognitione,& signis. & num.21. menſium pituitoſorum cognitio,& causa.& nu.22. purgationis bilioſę,aut pituitoſæ qualitas,vn de petenda,enarratur. Et num.25. menses pituitoſi à quibus prodeant. Et in eodem.li.nu.38. menses bilioſi,& pituitoſi quo modo cognoſcendi sint. Et ibidẽ n.87. menses velut aqua à carnibus.& in l.1.n.6. menſium ad pulmonem progreſſorum,ac receptorum signa eadem,quæ in tabe: Et menſium ſuppuratorum (vaſæ)& signa.& n.7. Meſes ſupra inguen erumpentes.& in l.2. de morb.mul.num.59. menses arenoſi,& aquoſi;& nõ valde cruenti,aquæ intercutis in vteris signa.& in l.5.aph.36. menses decolores & in eodem ęmpore ſemper fientes,purgatione opus eſſe ſignificant.& in l.de natu.mul.nu.106. ſcribitur purgatorium menſes pallidos, ac ſubcruentos detrahens. & in l.2. de mor.mul.nu.8. menses ſupra inguem erumpentes, aut mulierem interimunt, aut ſterilem reddunt.& ibidem n.13. leguntur menſes pituitoſi à quibus prodeant.& nu.11. menſes ſuppurati quinto, aut ſexto menſe ſupra inguen erumpẽtes. & in lib. de Coac.præ nu.3. menses erumpunt horrorem habentibus,laſſitudine affectis, capite grauatis.& in lib 2. de mor.mul.nu.19. quibus menſes plures,aut pauciores fiant. Et in l.5.aph.50. mulieri ſi menſes cohibere velis cucurbitam quàm maximam ad mammas appone. Et in l.de Coac. præno. num 3. menſium copiam præſignificant torpefactoriæ exolutiones ex partubus. Et ibidem.ex menſibus ſtrangulationes,ſuppurationem faciunt. & ibidem. menſibus multis comparentibus caligines ſoluuntur. Et ibidem,menſibus albis humidis derepente progreſſis, quibus aluo tumefacta ad pudendum rubor deuenit in longis febribus moriuntur. & ibidem.nu.2.ex menſibus quibus dolores pertinaces circa ſupernam partem,& inteſtinum tenue, & aluos humectant, aliquantum cibum auerſantur.& in l.5.apho.57. menſibus pluribus prodeuntibus morbi fiunt,& non prodeuntibus ab vtero contingunt. & in l.de Coac.præn.num 2.in menſibus muliebribus qui aquoſi ante partus prodeunt,mali ſunt.& in l.2.de morb. popul. menſtruæ purgationes,ſimiles octimeſtribus intendentibus ad decimum menſem fientes,malum. & in lib.de Coac. præno.nu.1.menſtruę in muliere purgationis fluxus febres ſoluit. & in lib. de morb. nume. 6. menſibus ſanguinem vomenti erumpentibus ſolutio fit. At de menſibus præter libros de mul.lege lib. de loc.in ho. pag.34.num.60.

Meridionalis plaga.

Qui plagam inhabitant meridionalem morbis acutis ſunt obnoxij, quemadmodum affirmat Hipp.in l. de aere,aquis,& loc.num.6. verùm longæ ſunt vitæ, magis,quàm alij homines.

Meſocolon.

Inteſtina craſſa homo maiora, quàm canis habet. dependent enim ex meſenterij membrana, quæ meſocolon hac parte vocatur. Meſocolon autem ex neruis de ſpina ſub ventrem, hæc in lib.de oſſ.natu. pag.27.nume.6.

Metalla.

Metalla, ferrum, æs argentum, aurum, ſulphur, alumen,bitumen, nitrum omnia præ caloris violenti naſcuntur. ſic legitur in lib. de aere, aquis, & locis.num.23.

Micatio per ſummas manus.

Micatio per ſummas manus eſt exercitij ſpecies, quę attenuat,& carnes ſurſum trahit, vt ſcriptum eſt in l.2.de diæ.nu.29.quibus verò melior ſit,quàm ſollis,lege in l.3.de diæ.nu.23.

Mictio.

A mictione hanc accipe prænotionẽ. legitur in li. de Coac.præ.nu.2.Mictio cruenta in dorſi, ac pectoris dolore ſuppreſſa, pernicioſa eſt dolorosè. & ibidem.Mictiones craſſiorem farinam referentes in his ſunt,quibus frigiditates colli, ac porſi, ſed & totius corporis conuulſoria apparent. Et in l.4 aph.83. Mictio noctu multa fiens modicam alui egeſtionem ſignificat. Et in l.6.de morb.pop.ſect.3. Poſt mictionẽ concretio pueris magis:num quòd calidiores? At progno.quædam addamus. legitur in l.de Coa.præn.nu. 2.Mingentes nigra condenſata, perniciosè habent. Et ibidem nu.3.mingendi difficultatem inducentes, tuberculum circa veſicam &c. Et in l.de Denti.nu.2. Qui non pro ratione mingunt,verum aluus frequenter cruda à pueris egeſſit, morboſi ſunt. Et ibidem. Qui plus mingunt,quàm egerunt, pro ratione habitiores ſunt.at l. Vrina.

Milium.

Proditum eſt in l.2.de diæ.n.8. Milij grana,ac paleæ ſiccant, & ventrem ſiſtunt..& cum ficubus fortibus doloribus conferunt. ipſum autem milium coctum alit,non tamen aluo ſecedit. Et in l.2.de morb. pag.65.num 12. in morbis à capite orientibus delingat æger primis diebus milium,& cucurbitam edat, aut betas per triduum. & num.19.eiuſdem lib.ſi cerebrum bile infeſtatur; ſorbeat milium tenue,modico melle affuſo,& bibat aquam.ſi verò aluus non ſubeat braſſicas edat,& ſuccum ſorbeat. Et num.22.ſiquis ex ebrietate voce priuetur, poſtquam ad ſe redierit; primis diebus tribus, aut quatuor milium tenue ſorbeat, aut ptiſanæ ſuccum, & vinum mellis ſpeciem referens bibat. Et num.36.ſi bile infeſtatur homo;febris eum corripit.vbi verò remiſerit ptiſanę ſuccum aut milium tenue ſorbeat, & vinum albũ odoratum, aquoſum inſuper bibat.

Mintha.

Mintha calfacit, & vrinam ciet, & vomitus ſiſtit, ſemen verò ſæpe comectum colliquefacit, vt quis diffluat, ex arrigere prohibet, & corpus debile facit, vt apparet in l.2.de diæ.num.14.

Mœror.

Mœrores,anxietates,triſtitiæ,eiulatus,& querelę & cerebro contingunt, vt legitur in li.de morb.ſac. num.15.Ex mœrore febricula tenuis facta eſt, vt recitat Hipp.in l.3.de morb pop.

Mola.

Molæ conceptus cauſa,hęc eſt.cum multi menſes modicum, ex morboſum ſemen conceperint, neque fœtus rectus fit,& venter plenus eſt velut prægnantis,nihil autem in vẽtre mouetur,neque lac in mammis generatur.mammę autem turgidæ ſunt.hæc itaque ad duos annos, ſæpe etiam tres ſic ſe habet. & ſi

quidem vna caro fiat: mulier peperit: neque.n. fieri potest, vt superstes maneat. si verò plures; erumpit ipsum per pudendum sanguis multus, ac carnosus. &, si hoc moderatè fiat; seruatur: sin minus, a fluxu correpta perit. & morbus quidem talis est. iudicare verò oportet ex plenitudinis molæ, & quod in ventre non mouetur.

Nam mas trimestris, & fœmina quadrimestris motum habet. postquam igitur tempore hoc prætergressio non mouetur; nimirum hic morbus est. est autem hoc magnum signum, quòd lac in mammis non generatur. hanc igitur maxime quidem ne curato, aut certe cum prædictione. & primum quidem totũ corpus foueto: deinde per sedem clysterem adhibeto; quò sanguis multus erumpat. fortassis.n. quod compactum est, commoueris, id quod fœtus esse putatur, muliere à pharmaco concalefacta. sed & vteros colluito, quò sanguinem educas: sin minus, subditijs vtatur è bupresti: & dictamnum creticum in vino bibat. sin minus, castoris testẽ: & retro cucurbitam ipsi ad laterum mollitudinem alligito, & plurimum sanguinem detrahito, atque hoc maxime coniectura virium ipsius facta. hæc scribuntur in l. de steril. pag. 124. nu. 20. verum in l. 2. de mor. mul. pag. 119. num. 62. molæ curationem hoc pacto aggreditur. si mola ipsa innascitur, à crassa genitura intus retenta, thymbram tritam in aceto, & aqua, liquidam bibendam præbeto. aut hyoscyami semen tritum, & cum muria, ac silphij succo, & aceto colluito: si opus fuerit cum aqua. optimum verò est aquam mulsam infundere, cum aqua lentium, aut erui, aut floris violæ. si verò purgata fuerit à talibus, quæ sunt, velut, igne ambusta; myrtum coquito, ac perluito, & myrrham aut netopum cum lana apponito. si ventus in vteris fuerit, ac momorderit: & quà transit calorem facit, & præ ardore intumescit, & dolet, & virum auersatur, & coitum valde ægrè fert: & tenditur, ac intumescit pectem, & erigi non potest, nec dirigi. cum sic inueneris; scito quòd ventus, & genitura vteris est, & propterea nunc ægrotet. accipe itaque mel, ceram, lini folia trita, & adipem gallinaceum, & hæc in vino odorato tepefacta per clysterem in vteros infunde. apponat autem lini folia, aut semen lini tritum, & in lanam inuoluito, & ad os vteri apponito, sin minus; efficaciore vtere. irinum, & crocum, & lini folia, & adipem gallinaceum terito & lacte muliebri, diluta rasura de tenuibus linteolis derasa excipito, ac illigato, & ad vteri osculum apponito. &, si pinguitudo carnosior enascatur; quod consumat, indito, & mediocriter attenuato: quæ enim valde attenuantur, raræ fiũt, & abortiunt.

Mollitoria.

Mollitoria vterorum scribuntur in l. 2. de morb. mul. nu 86. alia mollientia aquam purgantia, sanguinem, ac menses ducentia describuntur in lib. de natu. mul. num. 35.

Montes.

Vbi montes ab aquilone regioni adiacet, in his aquilones perturbant, ac morbos faciunt. sic legitur in lib. 1. de Diæ. num. 1. at in l. de ae aquis, & loc. nu. 45. mõtani propter mutationes temporum magnas, & diuersas, maiora corpora gignunt: in conuallibus autem habitantes, minora.

Mora calfaciunt, humectant, ac aluo secedunt. sic scriptum est in l. 2. de diæ. num. 15.

De Morbo.

Morbus quid sit, quot sint ipsius species, è quibus fiat causis, nunc dicamus. legitur in lib. de Flati. pag. 39. num. 2. Quicquid molestiam, ac tristitiam homini infert, hoc morbus vocatur. quod quidem confirmat artis medicæ definitio, quę scripta est in lib. 1. de diæ. pag. 43. num. 16. atque ea est. Medicina id, quod molestat, tollit: & id, à quo homo ægrotat auferens, sanum facit. natura eadem sua sponte nouit. Partes morbi sunt tres præcipue, principium. s. medium, & finis: siquidem omnis passio hęc tria habeat; veluti videre licet in febribus. morborum species re vera est vna, sed, vt scriptum est in l. de Fla. num. 4. ob locorum, siue partium corporis humani diuersitates; plures numerantur species: morbi.n. species est vna dolor capitis, alia inflammatio in hypochondijs, & sic de alijs est dicendum. Verum & species plures sunt iuxta causarum multitudinem. & causæ aliæ sunt internæ, alia externæ: dicit.n. Hip. in l. 1. de morb. pag. 60. nu. 2. Morbi vniuersi fiunt ex his quidem, quæ in corpore insunt, tum à bile, tum a pituita. ab externis verò, à laboribus & vulneribus: sed & à calido, & supercalefaciente, & à frigido, ac superfrigefaciente, & à ficco, & supereficcante, & ab humido, ac super humectante. Et bilis quidem, ac pituita vnà cum nascentibus gignuntur, & sunt in corpore aut plus, aut minus. morbos autem exhibent partim à cibis, & potibus, partim à calido supercalefaciente, & à frigido superfrigefaciente. Et in l. 4 de morb. pag. 74. nume. 1. recensęt causas morborum intrinsecas, cum inquit. Habet & mulier, & vir quatuor humorum species in corpore, à quibus morbi fiunt, qui non à violentia aliqua fiunt. sed in l. de Aff pag. 80. nu. 1. scribit morborum omnium causas esse bilem, & pituitam. & verba sunt hæc. Morbi omnes hominibus à bile, & à pituita fiunt. Bilis autem, & pituita morbos exhibent: cum in corpore nimium aut reficcantur, aut humectantur, aut incalescunt, aut frigefiunt: patiuntur autem hęc pituita, & bilis, & à cibis, & à potibus, & à laboribus, & à vulneribus, & olfactu, & auditu, & visu, & coitu, & à calido, & à frigido. patiũtur autem cum singula ex relatis, aut non in debito tempore corpori exhibentur, aut non consueta, aut plura, & fortiora, aut pauciora, & debiliora. Et in l. de loc. in hom. pag. 30. num. 2. corporis singulæ partes altera alteri, vbi hinc aut illinc proreperit, morbum facit, venter capiti, caput carnibus ac ventri: etenim, cum venter egestionem moderatam non fecerit, & in ipsum cibus ingeratur, humiditate ciborum ingestorum corpus irrigat. ipsa autem humiditas à ventre obstructa, aceruatim ad caput viam facit, & vbi ad caput peruenerit, à vasis in capite nõ recepta, fluit quocunque contigerit, & si in ventrem humor peruenerit, ventri morbum inducit. si verò ad aliam partem incubuerit; illi ipsi morbum facit. Et in lib. 4. de morb. pag. 77. num. 23. si cibi plures, quam opportunum est quiam commodi sunt, intus maneant, & homo non purgetur, & alij cibi superingerantur; corpus ab humore priore, ac recẽti repletum calescit, & febris ex hoc homini oboritur: sed non periculosa, neque fortis, in qua humor æqualis est, copia paululum vberiore nos affligens. & subdit. Vnus autem morbus solus esse ex omni humore, & septem signa habet. nam

tussis

tuſſis ipſum habet,quæ & debilis,& ſicca eſt: & venter durus ſit, vtpote ſtercore intus contento:caput grauatur: vomit; febrit: & vrina non probe prodit. Si verò aluo egeſtione nõ prodeunte,vnus ex alijs humoribus ſuperet;melius deget homo,&,ſi quis febre oboriente ab omni humore,non adhibeat idonea,inualeſcet morbus, quantum ipſi humores ſuperauerint, hoc modo caleſcente ſanguine exhalat maximè per hunc humor aquoſus, qui febri eſt infeſtiſſimus. relinquitur autem pinguis, & leuis, qui eſt bilioſus, & febri maximè nutrimentum eſt,& attenuatur corpus magis præ calore. Hinc videre licet,quonam pacto cauſæ extrinſecæ morbum efficiant, & quo modo à repletione ægritudines gignantur, ac poſtea ab humoribus attenuatis,vt explicitum eſt.gignuntur etiam à eruditate, & à ſecundis humorum qualitatibus:etenim inquit Hip.in lib.de Vete.med. pag.6.nu.33.omnes hæ primum ſalſæ & humidæ,& & acres deſcendunt, & in talibus morbi firmantur: vbi verò craſſiores, & maturiores factæ fuerint, & ab omni acrimonia liberatæ; tunc iam & febres & omnia alia lędentia ſoluuntur.oportet autem vtique cauſas vnuſcuiuſque ea putare,quæ cum adſunt:talem modum fieri neceſſe eſt: cum permutantur in aliud temperamentum: ceſſare, quando igitur ab ipſa caliditate ſincera, aut frigiditate fluxiones contingerint, & nulla alia facultate participauerint; ſic ſanè ſedabuntur, vbi ex frigido in calidum mutata fuerint,& ex calido in frigidum,at cum amaritudo quę vam diffuſa fuerit, quam bilem flauam appellare ſolemus;quales ſtatim anxietates,& æſtus,& impotentiæ occupant? verum vbi liberati fuerimus ab illa, & purgati,aut ſponte,aut per medicamentum ſi modo tempeſtiuè quid ipſorum fiat; manifeſte & à doloribus, & à calore liberamur, ſed quanto tempore eadem eleuata fuerit,& cruda, ac meraca, & intemperata. nulla arte neque dolores neque febres ſedare poſſis. non ſedantur autem hæc priuſquam eadem expurgetur, & proſternatur, & alijs permiſceatur. concoqui autem,& permutari, & attenuari, ac craſſeſcere in humorum ſpecies per multas & omnigenas ſpecies contingit. quapropter & iudicationes, & numeri temporum in talibus multum poſſunt.hæ profecto ſunt cauſæ morborum intrinſecæ, quæ à ſe ipſis vel à cauſis externis ad motum concitantur, quemadmodum ſupra diximus,ſed prętet cauſas externas narratas ſunt & aliæ plurimæ, ex quibus morbus fit,ſicuti aer intemperatus, anni tempora,aquæ, loca laſſitudines,vigiliæ,ſomni,crapulæ, ebrietates, venus, atque animi affectus,veluti mœror, triſtitia, & id generis,quas ſæpe Hipp.in libris de morbis popul.memorat.ſed in l.de nat.hom.pag.11.num.18. ſic cauſas diuidit externas. morbi tum ex diætis,tum ex ſpiritu,quem attrahentes viuimus,fiunt. ſed cum ab vno morbo mutti homines corripiuntur eodem tempore: cauſam ad id, quod cõmuniſſimum eſt, & quo maxime vtimur omnes referre oportet. eſt autẽ hoc ſpiritus,& aer,& non diæta:cum morbus omnes cõſequenter contingat & iuniores,& ſeniores mulieres ue, ac viros, & tam vinolentos, quàm aquæ potores, & tam mazam edentes, quàm pane veſcentes, & tam multum laborantes,quàm parum. Cum verò omnis generis morbi fiunt eodem tempore; palam eſt victus ſingulos ſingulis cauſas eſſe; & curam facere oportet ex contrario inſtando aduerſus morbi cauſam; & victus rationem permutare; propterea quòd non eſt ipſi commoda, aut in totum, aut magna ex parte, aut vnum ſaltem quoddã ex ipſa: quòd vbi cognoueris tranſmutare oportet,habitaque conſideratione naturæ hominis, & ætatis,& ſpeciei,& horæ anni,& modi ipſius morbi, curationem facere aliquando detrahendo, aliquando apponendo, tum in exhibendis pharmacis,tum in conſtituenda diæta, ſed cum vnius morbi popularis graſſatio conſiſtit, quo pacto diæta ſit permutanda, ſubdit numer.19. præterea inter cauſas morborum intrinſecas collocãtur ætates,& ſexus:ſingulæ enim ætates ſingulos habent morbos,vt legitur in lib.3.aph.ſic morbi mulieres differunt ab his, qui hominibus contingunt,ſicut in l.1.de mor.mul. exponit Hip.tot igitur dicuntur morborum ſpecies,quot cauſæ. verum & quidã denominantur morbi ab accidentibus:nam ſæpe ſcribit Hip.morbum liuidum,morbum craſſum, morbũ nigrum; propterea quòd cauſa ægritudinis vel ſymptomata liuidum,craſſum,vel nigrum reddebant hominem. ſic dicitur ob eaſdem cauſas morbus ſiccatorius, & morbus corruptorius. verùm antequàm ad alia progrediamur; de cauſis quandam in medium proferemus diuiſionem aliam, quæ ſcribitur in li.4. de mor.pag.77.nu.24. atque ea eſt. principia ex quibus fiunt morbi tria ſunt. vnum eſt,ſi cibi diu in corpore permaneant.alterum eſt ſi contingat, vt ea quæ ex cœlo obueniunt inepta, & præter victus rationẽ ſint. tertium eſt ſi violentum quid accidat. violentũ autem eſſe dico & caſum,& vulnus, & plagam,& laborem, & ſi quid aliud eſt huiuſmodi. horum verò principiorum maximum eſt violentia; ſi magna fuerit:ſi verò parua,non ita maximum. ſecundum eſt;ſi non purgetur homo. tertium, ſi quæ ex cœlo obueniunt, inepta fuerint ad ſanitatem: tunc ſuperat aliquid humoris,& velut ad morbum calefacit,& frigefacit prius;ſi fieri contingat hoc modo. Si autem in eodem homine fuerit aliquid morboſi,atque ea quæ ex cœlo obueniunt, incommoda fuerint, & caleſcat homo; turbatur humor omnis in corpore caleſcens, hoc autem violentia facit, & ſi quidem depurgetur homo,humore illo turbato: ſecernitur quãtum eius plus, quam commodum eſt redundarit.& in ſuperficie bilis conſiſtit, ſecundo loco ſanguis, tertio pituita, grauiſſimum autem horum humorum eſt aqua. his verò ita ſe habentibus, quiſquis ex his in morbo plurimus fuerit, in principio contingente turbatione; deuenit ad locum, vbi plurimus eſſe poſſit. verum in turbatione ſpacioſa capacitate euadente, ſecretus diſtrahitur,& calefacit corpus,aut aliqua corporis parte firmatus,vna cum alio humore,cum quo eſt in alio loco,dolorem,ac calorem exhibet. qui verò calefactus eſt locus, inſuper etiam reliquum corpus concalefacit,ac calorem exhibet:& ex hoc febris oboritur,& oboritur magis bile,& pituita,& ſanguine.cæterũ ab aqua nõ valde, quia igni non bonũ alimentũ aqua præbet. & ſubdit. ſi verò multus fuerit affligens humor; fruitur & conſumitur ad morbum etiã alius.qui prius ſalubris erat.fruitur aũt: ſi morb. non amplius ſufficiens alimentũ habuerit, & conſumitur ab humore,qui in loco dolente exiſtit: primũ enim propinquũ aſſumi, deinde longius depaſcitur, donec conſumptũ fuerit,& non amplius ineſt in cor

pore

pore alimentum. alimentũ autem eſt homini humor leuis. quemadmodum igitur, vt certum eſt, putrefactio primum paulatim fit, ſi maxime calefiat. poſtea vbi iſthic alimentum putrefactioni non amplius ſufficit; depaſcitur de ſano, initio ſumpto à proximo ad totum corpus, donec totum quidquid carnoſum eſt, putrefecerit poſtquam verùm in totum depaſta eſt; alimentum putredini conſumitur, & ſi ampliora deſideras ea lege quæ ſequuntur. aliæ quoque reperiuntur morborum cauſæ: nam legitur in lib. de flati. pag. 39. num. 6. non aliunde vnquam veriſimile eſt, morbos euenire, quàm à flatu, ſi is aut plus, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis ſordib. inquinatior in corpus ſe ingerat. Et in l. de vict. ratio. in mor. acut pag. 155. nu. 17. ſufficiens hoc ſignum eſt, quòd maximæ mutationes eorum quæ circa naturas noſtras, ac habitus contingunt, maxime morbos faciunt. & propterea temperatura mutata, & compoſitio eſt cauſa morborum, ſed id maxime quod ipſas permutat. ſed & ſimilia morbos gignunt: etenim ſcriptum eſt in l. de loc. in homin. pag 33. num. 51. per ſimilia morbus fit, & per ſimilia adhibita ex morbo ſanantur: velut vrinæ ſtillicidium idem facit; ſi non ſit: & ſi ſit: idem ſedat, & tuſſis eodem modo ab hiſdem fit, & ſedatur. febris quæ propter tumefactionem ex pituita fit, aliquando ab hiſdem fit, & ſedatur, aliquando autem à contrarijs, & hæc de cauſis dicta ſint, & diuiſionem morborum aggrediamur. morbi igitur alij fiunt à cauſis externis, velut ab aere, potu, & cibo, motu, & quiete, ſomno, & vigilia, repletione, & inanitione, & ab animi affectibus, qui ab aere fiunt morbi populares appellantur, ſub aere comprehenduntur anni tẽpora, & conſtitutiones & loca: & ab his denominantur morbi æſtiui, autumnales, hyemales, & vernales, de quibus mentionem facit Hippo. in l. 3. aph. & in l. de ae. aq & loc. nu. 11. & 12. & in l. de humo. pag. 56. num. 5. quamquam omnes morbi, vt affirmat in li. 3. apho. 19 in omnibus temporibus fiunt; attamen quidam magis, in quibuſdam ipſorum fiunt, & excitantur. & regiones ad tempora male diſpoſitæ morbos tales pariunt, quali tempori ſimiles fuerint: verbi gratia inæqualis calor aut frigus eadem die cum talia fuerint; morbos autumnales faciunt: & in alijs tẽporibus ſecundum rationem. alij ab odoribus cœnoſis, aut paluſtribus, alij ab aquis, calculoſi, ſplenici: alij à ventis bonis, & malis incipiunt. alij præterea morbi a cauſis proueniunt internis, quemadmodum a temperie mutata in calore naturali, in ſpiritibus, in humoribus, in ſexu, in ætate, & id generis: itemq; vnum membrum alteri morbum facit, quemadmodum ventriculus capiti, & contrà caput ventriculo. at verò omnium horum morborum alij ſunt breues, alij longi, alij medio modo ſe habent: ſi quidem legatur in l. 1. de mor. num. 1. morbi neceſſario, vbi facti fuerint, aut longi ſunt, aut breues, aut lethales, aut nõ lethales, aut aliquam corporis partem mutilant, aut non mutilant, & alij poſtquam orti ſunt, dubij ſunt, an mala ab ipſis euentura ſunt, aut bona. & horum omniũ quidam neceſſitatem habent, vt ab ipſis morbis homines perimantur, cum fiant, vt tabes, aqua inter cutem, ac ſubter carnem naſcens, & ſi mulierem fœtum in vtero habentem peripneumonia corripiat, aut febris ardens, aut pleuritis, ſiue lateris inflammatio, aut phrenitis, aut eryſipelas in vtero fiat. Sunt autem hi acuti, vt legitur in l. de vict. ratio. in mor. acut com. 1. quos vteres nominauerunt pleuritidem, peripneumoniam, phrenitidem, & febrem ardentem, & alios morbos, qui ex his hærent; quorum febres omnino continuæ ſunt, & occidunt; cum enim non peſtilentis morbi modus quis communis graſſatus fuerit, ſed ſparſi fuerint morbi, & non ſimiles; ab his morbis plures moriuntur, quàm ab alijs omnibus. Dubij autem morbi, vt & pereant, & non tales ſunt, peripneumonia, febris ardens, phrenitis, pleuritis, ſplenitis, nephritis, dyſenteria. in muliere fluxus ſanguinolentus. Non lethales ſunt tales, niſi quid ipſis accedat, affectiones fluuidæ circa articulos, atra bilis, podagra, coxendicum morbus, teneſmus, quãrtana, tertiana, ſtrangulatus vrinæ, lippitudo, lepra, impetigo, morbus articularis. multa autem frequenter ab his mutili fiunt, ſyderanturque manibus, & pedibus & linguæ impotentes redduntur, & ab atra bile, quidam leuiter ſyderantur. claudi verò coxendicum morbo fiunt. oculi autem, & auditus mutilantur à pituita obfirmata. Longos autem neceſſe eſt eſſe tabẽ, dyſenteriam, podagram, affectiones tumidas circa articulos, pituitam albam, coxendicum morbum, vrinę ſtrangulatum, in ſenioribus verò nephritim; mulieribus verò fluxum ſanguinolentum, hæmorrhoidas, ani fiſtulas. At verò febris ardens, phrenitis, peripneumonia, angina, vua, pleuritis, cito dercernunt, & propterea morbi d cuntur acuti: ſcribitur enim in l. de affect. pag. 80. num. 7. pleuritis, peripneumonia, febris ardens, phrenitis hi morbi acuti vocantur, & fiunt maxime quidem, ac fortiſſimi hyeme: fiunt etiã æſtate, verum minus, & molliores, ſed vt diximus tales morbi ſtatim decernunt; inquit enim in lib. 2. aph. 23. acuti morbi in quatuordecim diebus iudicãtur. Sed qui valde acuti ſunt in ſeptem diebus, & acutiſſimi in tribus, vel quatuor, vel ſtatim in prima acceſſione. Et idcireo tales morbi periculoſi dicuntur, ac præcipue ſi quod ſymptoma non bonum accedat: nam vt legitur in lib. 2. aphor 1. in quo morbo ſomnus laborem facit mortale: ſi verò, iuuat, nõ mortale. Verùm quicunque morbi ſenſim ex modico temporis cauſa fiunt, & quorum cauſæ cognitu faciles ſunt, ſecuriſſimi fore prædici poſſunt, vt habetur in lib. de Nat. hu. pag. 11. num. 25. at in l. de Arte pag. 2. num. 16. morbi partim non in obſcuro poſiti ſunt, & non multi: partim non in manifeſto loco hærentes, & multi ſunt. Qui verò ad ſuperficiem corporis ſunt, aut tumeſcunt manifeſti ſunt: exhibent enim ſeſe, vt tum viſu, tum tactu & ſoliditas, & humiditas ipſorum percipiatur, & qui calidi ſint, & qui frigidi ſentiantur. atque horum omnium in omnibus certas, ac infallibiles medelas eſſe oporter.

Non ob id, quod faciles ſint; ſed quod certo inuento conſtent; neque vero a quibuſuis volentibus inueniuntur; ſed ab his, qui volunt, itemque poſſunt, poſſunt autem quibus tum diſciplina non eminus, ſed prope, & largiter contingit, tum natura non infœlix liberaliter acceſſit. Poſtea ad morbos occultos deuenit, nu. 17. & inquit. ſunt morbi minus aperti, qui ad oſſa, & qui ad ventriculum ſunt conuerſi. habet autẽ corpus nõ vnum ventriculum, ſed plures: duo enim ſunt, qui cibum ſuſcipiunt, & demittunt, & alij plures: nam quæcunque membra carnem in orbem circumſitam habent, quam muſculum appellant, ea omnia

nia ventriculum, sinumve habent: omne enim inconcretum, & quod non coaluit, siue pellicula, siue carne consequatur, cauum est.

Impletur autē, dum sanum est, flatu: dum ægrotat; sanie. & subdit. Et qui thorax appellatur, in quo hepar continetur, & capitis circulus, in quo cerebrum concluditur: ipsumque adeo dorsum, ad quod pulmo vergit, nullum horum est, quod non vacuum sit, ac multis segmentis plenum, ac quasi discriminatum existat, quæ parum abest, vt vasa existant: quorum tamen aliqua habentem lędunt, aliqua verò etiam prosunt. Et subdit. nu. 18. Venæ multæ, & nerui non in carne sublimes, sed ad ipsa ossa protenti ligamentum sunt articulorū. ipsi etiam articuli, in quibus ossium, quæ mouentur, commissuræ, inuoluuntur: & horum nullum est, quod nō subspumosum sit, & circa se forulos habeat, quos sanies prodit: quæ deductis ipsis multa, & magno multorum mœrore egreditur. tales igitur sunt morbi tum breues, tum longi, salubres, lethales, & dubij. Morbi quinam breues sint, facile cognoscuntur: quia breui iudicantur: & itidem habent initia, & status celeres. sed longi non adeo facile discernuntur. sed, vt ea percipiamus, inquit Hip. in l 4. aph. 41. In febribus abscessus, qui ad primas iudicationes non soluunt; longitudinem morbi significant. Et ibidem aph. 40. Morbi longitudinem significat, vbi in toto corpore mutationes, & si corpus perfrigeretur, aut rursus calefiat, aut color alius ex alio fiat. Et in lib. de Coa. præn. nu. 4. Morbi longitudinem significant egestiones, quæ valde liquidæ fiunt, & rursus compactę meracæ, stercoraceæ. Et in lib. de aer. aq. & loc. nu. 3. morbi citius sedantur æstate sicca: contrà hyeme præsertim humida. Morborum porrò subiectum est corpus humanum, atque eius partes. & idcirco si cognoscere vis in qua corporis parte sit morbus, hoc pacto te docet Hip. in lib. 4. aph. 2. Quibuscunque resurgentibus ex morbo si quid laborauerit; hic fiunt abscessus. Et aph. 38. Vbi sudor in corpore inest, ibi morbum nunciat.

Quis verò sit morborum terminus, declarat in l. de Coa. præn. & in aph. cum ait morbū facile gerere, bonum est. Et in lib. prog. Ventrem molle esse in omni morbo, & iusta mole præditum oportet. At quæ morbum indicent salubrem, vel lethalem, longum, vel breuem declarat in l. 1. aph. 12. & inquit. Accessiones, & constitutiones morbi indicabunt & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. sed ex his, quæ mox apparent, indicia sumuntur, quemadmodum in morbo laterali si circa initia statim sputum appareat; morbum breuiat: si verò postea; producit. Et vrinæ, & alui excrementa, & sudores vel bonam morborum iudicationem, vel malam: vel breues, vel longos fore morbos mox apparentia, ostendunt.

Cæterùm morbi curantur per diætam, per medicamenta, & per manum chirurgicam. morbum verò si quis non cognoscat; medicamentum bibendum præbeat non forte: si itaque leuior inde fiat; demonstrata via est, quòd gracilitatem inducendo curandus est. si verò leuior non reddatur, sed peius habeat, contraria facienda sunt. si, non profuerit, gracilem facere; tumidum facere conducet, & frequenter permutare. ita vt hoc cōsilio vtaris. si quis in morbis, quid permutaturus est, forti quidem ægroto, debili autem morbo; tum quidem confidenter fortiore quàm morbus est, medicamentum vtendum est: nam etiamsi si quid de sano abducat vnà cum debili, ac ægroto; nullum detrimentum est. si verò morbum fortiorem, ægrotum autem debilem acceperis; debilibus pharmacis curabis, quæ ipsum morbum superent, & abducant: verùm ægrotum nihilo debiliorem reddant. ars exercendi corpora, & medicina contrariæ sunt: ars enim exercendi corpora gymnastice græcis appellata, non opus habet permutatione; sed medicina: sano enim non auxiliatur transmutato ex præsenti statu, verùm ægroto. Et nu. 54. medicamenta sunt omnia, quæ præsentem statum transmouent, omnia autem fortuna transmouent. licet autem si velis medicamento transmouere, & rursus si velis alimento, ac cibo. omnia verò ex præsenti statu transmouere, ægrotanti opitulatur: si enim id quod morbum facit, non transmoueris; augescit. Et num. 53. cum autem id quod offertur, transmutatur; necesse est, & id cui offertur, transmutare: etenim corpus transmutatum parum efficax, ac potens est, & ab omnibus offensiones percipit. hoc autem aluum subducentia, & florere ipsum facientia, gracile corpus faciunt, & reliqua omnia contraria, his facientia. at verò medicinam breuem occasionem habet. & qui hoc nouit, illa stata, ac certa habet, & scit, quæ consueta sunt, & quæ non consueta, (ad quæ cognoscenda non est occasio in medicina) & quòd aluum subducentia, non subducentia fiunt: & reliqua quod contraria sunt, & contrarijssima, non contrarijssima. occasio autem hæc est, vt cibos offeramus ea copia, quantum corpus, cui offeruntur, superare valeat: nam, si quis sic fecerit, omnino necesse est cibum aluum subducentem oblatum, subducentē, esse & pituitosum, pituitosum. si igitur superauerit corpus ipsos cibos; neque morbus, neque contrarietas fit ex his, quæ offeruntur. & hæc est occasio, quam medicum nosse oportet. cum verò occasionem supergressus fuerit, contrarium fit. &, antequam ei excessum factum esse putant, consequens est, vt calescat: donec enim corpus id, quod oblatum est, superauerit, corpus nutritur. vbi verò hanc occasionem transmiserit, contrarium fit: nam attenuatur, & gracilescit. Sed & alia omnia, & quæ tumefaciunt, donec quidem superauerit corpus, ampliusque pro occasione offeruntur, aliam iuxta naturam suam singula faciunt, & pituitosa, siue tumefacientia tumefaciunt, vbi verò occasionem transmiserint; contraria sunt. Et num. 55. medicamenta fortia à natura in debilibus morbis dare non oportet, neque paucitate medicamenti, debilitas ipsis facienda est, sed fortibus natura, fortibus pharmacis vtendum est: debilibus verò, pharmacis non fortibus, neque partiendū est medicamentum, sed singulis secundum naturam, debilibus quidam debilia à natura, fortibus verò morbis, fortis naturæ pharmaca exhibenda sunt. cæterùm morbi ea parte, qua proximi sunt, educendi sunt, & qua parte singulis exitus proximus est, extrahendi. sed in lib. de affect. pag. 82. nume. 34. quibus pharmacis purgandum sit corpus, deinde dat medico præcepta quædam, quæ omnino sunt obseruanda. inquit igitur. quo hæc depurges, pharmacis sic vtendum est. quicunque bilioſi sunt, his dato ea,

à qui-

à quibus bilis purgatur: pituitosis verò ea, à quibus pituita: atrabiliarijs autem ea à quibus atra bilis: hydropicis ea, quæ aqua. quæcunque verò pharmaca in potu dantur, & non purgant neque bilem, neque pituitam, ea cum in corpore ingressa fuerint; vino exhibere oportet, aut frigefacientia, aut calefacientia, aut siccantia, aut humectantia, aut contrahentia, aut diffundentia. atque hæc de pharmacis: deinde subiungit præcepta medico opportuna, quæ sunt hæc. cum ad ægrotum deueneris, interrogare oportet, quæ patitur, & ex qua causa, & quot diebus, & an venter secedat, & quo victu vtitur. & primum considerare, an morbus à bile, aut pituita factus sit, aut vtrisque fiat. deinde vtrum siccitate, aut humiditate opus habeat: aut aliquæ quidem partes corporis siccitate, aliquç verò humiditate. postea an morbos sursum purgare oportet, aut deorsum, siue per veficam. & an augescit morbus, aut marcescit, & an soluuntur, aut in alium transit. Et in l. de vic. ratio. pag. 157. num. 47. cum ægrum interrogaueris, etiam hęc omnia considerabis. primum quidem quomodo caput habeat, an doloris exors sit, neque grauitatem in se ipso habeat: deinde præcordia, & latera an doloris exortia sint, an eleuata, ad obliquitatem aliquam habuerint, an satietatem. considerandum verò est, an dum exurgit, animi deliquiũ incidat, an bona species tolerantia ipsum habent: & inspicienda alui egestio, num vehementer nigro colore prodierit, aut pura, quales sani hominis sunt egestiones: an febris ad tertium diem exacerbetur. & de his plura reperies in libro de humor. pag. 55. & in lib. de Alimen. pag. 53. sed & in lib. 1. de morb. pag. 62. nu. 10. hæc leguntur. in his, ac similibus morbis multum refert, quantum ad facilem, ac difficilem curationem, vir sit an mulier, qui morbum habet, iuuenis an senex, mulier iuuencula, an anricula. & præterea tempus à tempore differt, in quo ægrotant. interest, an ex alio morbo ægrotent, aut non ex alia. differt etiam affectus ab affectu maior a minore, & corpus à corpore, & curatio ad curatione. his autem sic inter se differentibus, necesse est etiam tempus diuturnitatis differre; & alijs longius fieri, alijs breuius: & alios perire, alios non: & morbos alijs durabiliores esse, & maiores, alijs minores, & breuis temporis, alijs permanere vsque ad senectutem, & commori, alios perire ab ipsis breui. & quo ad ea, quæ ad diætam spectant, legitur in l. 1. de diæt. pag. 42. nume. 2. oportet, velut par est, laborum vim pernoscere, tum naturalium, tum eorum, qui per vim fiunt, & qui ex ipsis carnes in augumentum præparant, & qui in defectum: & non solum hæc, sed etiam mensuram, ac proportionem laborum ad multitudinem ciborum, & hominis naturam, & corporis staturas, ac ætates, & ad tempora anni & ad mutationes ventorum, & ad situs regionum, in quibus degunt, & ad anni constitutionem, ac statum. sed & astrorum ortus, & occasus cognoscere oportet; quò mutationes, & excessus ciborum, ac potuum & ventorum, & totius mundi, ex quibus sanè morbi hominibus oriuntur, obseruare sciat. Et subdit. at etiam si valde parum defectuosiora, quàm alia fiant; in multo tempore necesse est, corpus ab excessu superari, & ad morbum peruenire: non enim derepente morbi hominibus accedunt, sed paulatim collecti; aceruatim apparent. Et in l. de mor. sac. pag. 59. num. 18. naturam vnusquisque habet, & vim in se ipso, & nullus nec auxilij, nec remedij expers est, & plerique his ipsis curantur, à quibus etiam nascuntur: alterum. n. alterius nutrimentum est, alterius verò pernicies, & afflictio. hoc itaque medicum nosse oportet, & temporis occasionem in singulis pernoscere, quòd alterum quidem alimentum absoluet, & augebit, alterum verò detrahet, & minuet. oportet autem non augere morbos, sed festinare, vt ipsos exterramus, id quod aduersissimum est morbo exhibendo, non quod amicum, & familiare; à familiari, enim, & consueto floret, ac augescit: ab aduerso, verò & hosti li perit, & dissipatur.

Morbum ructuosum l. in lib. 2. de diæ. nu. 76. ibíque comperies signa, & curationem.

Morbi crassi causas, signa, & curationem lege in l. de Inter. aff. num. 50.

Morbi corruptorij signa, & curationem lege in l. 2. de mor. num. 73.

Morbi liuidi signa, & curationem reperies in l. 1. de mor. nu. 66.

Morbi nigri signa, & curationem lege in lib. 2. de morb. num. 71. 72.

Morbi siccatorij signa &c. in lib. 2. de mor. n. 71.

Mordentia saniem diffundunt. sic legitur in lib. de na. mul. nu. 21.

Mori radix cum melle in pesso. in lib de mor. mul. numer. 85.

Mors.

Qui moriuntur eos necesse est die impari, & mense impari, & anno impari mori. bonum autem fuerit prædicere mortes, aut dolores fortes, hæc leguntur in l. 2. de mor. pop. sed ad mortem tendentia, vt legitur in l. de Iudic. nu. 6. in die, ac nocte iudicantur quę videlicet debilitationis signa sunt, velut epoti medicamenti exturbationis alui, & sursum, ac deorsum, anxietatis, & aliorum huiusmodi, sed in l. de coa. prę. num. 2. mortem citam significant tumores in præcordio duri, & dolorosi in principio.

De Motu, & mouere.

Mouere aliquando significat per medicamenta purgari, vt concocta medicari, atque mouere, hoc est, purgare per medicamenta, vt in l. 1. aphor. 22. sed in l. 2. apho. 29. cum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue. i. euacua: cum vero consistunt, ac vigent, melius est quietem habere. aliquando significat alterare; nam legitur in eodem lib. 2. aph. 51. plurimum atque repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum. aliquando significat se exercere, vt in lib. 4. aph. 15. vbi ait. cum volueris magis ducere helleborum; moue corpus: cum verò sisteres; somnum facito, & non moueto, sed motus è loco est effectus animæ mouentis, veluti motus fœtus in vtero, vel quouis alio modo. anima autem per spiritum membris præstat motum, ac sapientiam, vt legitur in l. de morb. sac. nu. 8.

Mucus.

Mucus omnibus à natura est, & cũ hic purus fuerit: articuli sani sunt, & bene moueri possunt, vtpote lubrici inter se ipsos, sic legitur in l. de loc. in homi. num. 14. sed in l. de artic. n. 8. mucus amplior moderato subest; si non adsit inflammatio, & sic sane lubricus

brieus fuerit.ſ.articulus: mucoſiores.n.omnino ſunt articuli carnibus,quàm carnoſis: nam & ipſæ carnes eorum qui non recte ex arte fame macerati ſunt, in macilentis mucoſiores ſunt,quàm in craſſis. quibus verò cum inflammatione mucus ſubeſt, his inflammatio vinculo facto articulum continet:& ob id, hi qui ſubmucoſi ſunt articuli,non valde excidunt: & exciderent, vtique ſi non plus, aut minus inflammationis acceſſiſſet. deinde recitat, quo modo articuli excidant. ſed in li.6.aph.59. quibuſcunque à coxendicum dolore diuturno moleſtatis excidit coxa, & rurſus incidit,his mucores ſuperueniunt. mucus autem & ſaliua repletionis ſigna ac indices ſunt, quem admodum legitur in lib.3. de diæ. pag.50.num.8.& ſubdit: quieſcente corpore,meatus ſpiritus obturãt, multa repletione exiſtente. vbi verò calefactum eſt præ labore; attenuata excernuntur.quando verò muci per nares, vel aures eruptio facta fuerit, ſi caput torpore teneatur,ſoluit,vt habetur in li.de Salu. diæ. numer.14.

Muli ſtercus in vino ad fluxum muliebrem cohibendum facit, vt legitur in libro ſecundo, de morb. mulie.num.71.

De Muliere.

De muliebri natura, deque affectibus mulierum nunc pauca ſunt nobis dicenda. primum igitur ſcriptũ eſt in l.2.mor.mul.pag.100.num.2. rariore carne mulier prædita eſt, & teneriore, quàm vir. ſed habet ſanguinem calidiorem.& propterea dolet; nam tanquam teneriori carne præditæ mulieri, vbi corpus ſanguine repletum fuerit,ſi nõ ab ipſo ſeceſſerit;carnibus impletis, ac calefactis, dolor oboritur. verum in lib.de natu.pueri. pag.16. num.18. mulieres leues fiunt,& mento & corpore, quòd in coitu ipſarũ humiditas non ſimiliter agitata velut viri, cuticulam raram non facit. retinetur igitur humiditas, quæ cũ ſit debilior ſiccitate; mulier ideo ambi dextra non eſt,vt legitur in aphoriſmis.quapropter ſi aurumnus aquilonius fuerit, & ſiccus; his, qui natura humidi ſunt & mulieribus confert, vt habetur in l.3.aphor. 14.ſed his partes interiores calidiores ſunt,quàm poſteriores;& id circo rigores incipiũt mulieribus quidem ex lumbis magis,& per dorſum ad caput: ſic & viris parte corporis poſteriore magis,quàm anteriore,veluti fęmorum, cubiti.ſic ait Hip.in li.5.aph.69. ſed mulierum aliæ alijs ſunt calidiores, vel frigidiores,vel ſicciores, vel humidiores. ſi igitur mulierem pituitoſam,aut bilioſam cognoſcere velis;id ex menſtruis purgationibus conſequeris, & modum lege in l.de natu.mul.nu.20.pituitoſæ verò,ac præter naturã craſſæ,& pingues non concipiunt,vt recitat Hip. in l.aph.Et in lib.de natu.mul.nu.19.Et in lib.de ſteril.nu.15.hæ quidem ſuperalbidæ ſunt:& tales humidiores ſunt, & fluuidiores: nam mulieres nigræ duriores acerbioresque, ac aſtrictiores ſunt, vt legitur in li.de natu.mul.nu.1.quomodo autem curatio dięte tica ſit conſtituenda in curatione mulieris humidioris,aut ſiccioris,leg.in l.1.de morb.mul.nu.32.Et in lib.de Salu.diæ.nu.10.

At verò peculiares mulierũ affectus ſunt dolores, qui in temporibus purgationum oboriuntur menſtruæ purgationes immoderatæ, aut nullæ, aut alieni coloris, earumque retentio, ſterilitas, dolores ex partu,abortus,molæ, & huiuſmodi dolores ſuſtinẽt mulieres menſibus hac de cauſa: nam proditum eſt in l.1.de morb.mul.pag.100.num.1.mulier,quæ non peperit,grauius,& citius è menſibus ægrotat, quàm ea quæ peperit:cum enim peperit: venulæ fluuidiores ſunt ad menſes. fluuidas autem ipſas facit purgatio illa quæ fit à partu. & vbi hæc erumpit vicinæ maxime ventri, ac mammis corporis partes diſcinduntur: diſcinditur item reliquum corpus. quo diſciſſo,neceſſe eſt venas magis aperiri,& ampliores,ac fluuidiores ad menſes fieri.cauſa igitur ægrotationis è menſibus ſunt venulæ aſtrictæ,& minime fluuidiores:quas vt aperias,& fluuidas reddas,lege lib.mulieres. Purgationes verò menſtruæ,quæ deficiũt, quo modo ſint excitandæ,in prædictis lege libris:itemq; hæ,quæ ſunt alieni coloris,vel immodicè fluunt. de muliere verò non concipiente,quæ prius concipere ſolebat,& de ipſius curatione lege in lib.de ſuperfœ. num.9.& vt facile concipiat ibidem docet,nu.10.de mulieris quidem non concipientis, nec viro miſceri potentis curationem repies in lib. de ſteril. num.14. verùm quæ mulieres magis,aut minus in vtero concipiant,narrantur in lib.2.de diæ.num.32.de abortu verò mulieres valde attenuatæ rarefiunt,& abortiũtur,veluti ſcriptum eſt in lib.2.de morb.mul.Mulier autem,quæ parere non poteſt, quo pacto ſit curanda lege in lib. de ſteril.nu.14.& mulieris ex partu dolentis curatio.lege in l.1.de mor.mul.nu.79.quot,& qualia mulieribus contingant propter quæ non pariant, antequam curentur, & propter quæ omnino ſteriles fiunt,reperies in l.de ſterilibus,nu.1. De cæteris præterea affectionibus proprijs lege locis, & hæc pauca obſerua. Mulier. capra,elaterium,aut cucumerem ſylueſtrem comedentes, pueris purgatio. ſic proditum eſt in l.6.de mor.pop.ſect.5.mulier podagra non laborat ſi non menſes ipſi defecerint, & legitur in li. 6.aphor.9.mulieres ob meatuum amplitudinem plus bibunt, vt ſcriptum eſt in l.de ae.aq.& loc.nu.24. At l.fœmellam.

Mulſa.

Mulſa, ſiue melicratum plurimo fuit priſcis temporibus vſui propter excellentes ipſius qualitates,etenim ipſam exhibet Hip. in libro ſecundo, de morb. num.12.in morbis à capite orientibus, ſed eam aquoſam,& in alio capitis dolore nu.14.bibat aquam mulſam aquoſam; ſin minus; aquam de farina craſſa in ipſa macerata. Et num.21.in alio capitis morbo, hoc eſt. apoplexia aquam mulſam tepidam in os inſtillat. Et nu.36.vbi agit de febris à bile,inquit.Ante medicamenti potionem ſiquis febriat; danda eſt ipſi aqua mulſa aquoſa.& in l.3.de morb.nu.12.oportet ipſum qui morbo regio afficitur,calida lauare,& aquã mulſam bibendam dare,ita vt de nucibus thaſijs decorticatis,& abynthij coma æquis portionibus acceptis, & de aniſo cribato dimidia parte ammixta, obolos tres ieiunus ex illa bibat. & rurſus dum cubitum it; hanc aquam mulſam ſumat, & in lib.de inter.affect. num.23. Qui detentus eſt pituita alba, bibat aquam mulſam tepidam,polenta modica inſperſa; quo corpus præparatum ſit ad pharmacorum potum. Et nu. 59.in tetano aquam mulſam tepidam, ſiquidem hãc bibere poterit; per os exhibeto. ſi verò non poterit; per nares infundito. & in l.7.de morb.popul.num.7. Mulieris ſenioris maxillæ erant compactæ, & dentes in ſeipſos, & vox balbutiens;eo quòd reſolutum,

& im-

& immobile, ac debile effet corpus. prudens tamen erat. calefactorijs, & aqua mulsa tepida, tertia ferè die hæc luxauit: & postea succis, & iusculis sana euasit. Et in l. de Vict. ra. in mor. acu. com. 3. par. 9. Melicratum per totum morbum in acutis epotum parte plurima tum picrocholis, tum his, quibus tumefacta sunt viscera, minus, quàm nõ huiusmodi est idonea. Porrò subdit. siticulosa minus, quam dulce vinum mulsa existit; nempe & pulmonem mollit, & sputum mediocriter educit, & tusses mitigat: habet enim vim quandam exterendi, quæ plus, quam mediocriter viscosum facit sputum. ciet nunc & vrinas, nisi ex visceribus aliquod prohibuerit. biliosa quoque alui deijcit magis, interdum quidem bona, sed interdum quam decet redundatoria, spumatoriaque, quod biliosis magis, & his quibus tumefacta sunt viscera, cõtingit. mulsa præterea, quæ dilutior est, sputum educit magis, pulmonemque lenit. meracior verò spumosa excrementa, atque plus quàm conuenit valde biliosa calidioraque quàm dilutior agit magis. deiectiones autem huiusmodi habent quidem, & alias, quæ graues sunt offensas: neque enim hypochundriorum extinguunt ardorem, sed excitant: inquietationemq; & membrorum iactationem faciunt: intestina etiam sedemque exulcerant, sed horum auxilia scribentur. qui ergo in morbis huiusmodi relictis, sorbitionibus mulsa potionis alterius vice vtetur, is vt multa felicitèr consequetur, sic ei nequaquam præter animi sententiam succedent multa. verum quibus danda sit, & quibus non, & quam ob causam, iam magna ex parte dictum est. damnata autem propterea ab hominibus est mulsa, quòd bibentes ad vltimum imbecillitatis agat, atque ob id citam adferre mortem, sic creditum. verum id ob languentes ipsos dictum fuerit. sunt enim qui sola vtantur mulsa, tanquàm huiusmodi existat, sed hoc non omnino ita habet, sed mulsa quàm aqua multo potentior est, sola epota, nisi aluum perturbet. cæterum vino albo tenui, paucifero, & vinoso, quodam modo fortior est, & quodam modo infirmior. vini autem, melliscque meracitas, si robur vtriusque contemplatus fueris, insigne recipit discrimen: nam si duplam vini meri mensuram ad mellis dilinæum quis biberit, à solo nimirum melle validior longo reddetur, nisi ventrem turbauerit: nempe multum stercoris deijcietur. mulsa tamen post ptisanæ sorbitionem epota valde replet, inflat, & hypocundriorum visceribus est inutilis. sed si ante sorbitiones bibatur, non vt, superepota lædit, sed iuuat. cocta autem mulsa sanè quidem cruda longe est melior, splendida, si quidem, & tenuis, & alba, & pellucida existit, sed qua ab ea cuariet virtute non habeo; neque enim est suauior si mel bonum fuerit, imbecillior tamen, & minus stercoris habens quorum neutro vt auxilietur, mulsa opus habet. cocto tamen probissime vtendum, si mel vitiosum fuerit, impurũ, nigrum, & mali odoris; nempe coctura plurimam malignitatum turpitudinem tollit.

De Musculis.

Quæcunque membra carnem in orbem circunsitam habent, quam musculum appellant, ea omnia ventriculum, sinumve habent. omne enim inconcretum, & quod non coaluit siue pellicula, siue carne contegatur, cauum est. impletur autem dum sanum est, & tu: dum ægrotat; sanie. hæc in l. de Arte pag. 2. nu. 17. verum musculi alij sunt solidi, alij minus musculi. n. solidiores, vt legitur in l. de Alim. n. 11. ægrè magis quàm alia colliquescunt, excepto osse, ac neruo. Et in lib. de ossium natu. nu. 2. musculi lumbares hac parte existunt. f. qua spina à sacro osse vsque ad magnum verticulum gibbosa est. Et de his habetur aphorismus 36. in l. 7. cuius verba sunt. quibus morbo renali laborantibus; prædicta accidunt signa, hoc est, insidens pingue ac simul totum, doloresque circa spinæ musculos fiunt, si quidem circa loca exteriora fiant; absessus quoque exterius futuros expecta: si vero dolores magis circa loca interiora fiant; etiam absessus expecta futuros interius. musculi porrò temporales, & manducatorij leguntur in l. de Artic. nu. 25. sed de musculis hoc cape præsagium, quod scribitur in l. de Coa. præ. nu. 3. musculorum capita maxime in fœmoribus si vulnerentur, claudi plerumque fiunt; & si obliqui vulnerantur, præsertim.

Mustum inflat, & subducit, ac conturbat feruens in ventre, & aluo secedit, vt legitur in lib. 2. de diæ. num. 19.

Mutationes.

Mutationes omnes repentinę periculosæ sunt; sed quæ paulatim fiunt, minime. mutationes verò dicuntur aeris, anni temporum, constitutionum, aquarum, locorum, ventorum, alimenti, habitus, qualitatum, ægritudinum, colorum, ætatum, complexionum, & omnium rerum non naturalium, & propterea omnes hæ sunt cauendæ, ac præsertim maximæ: nam legitur in l. de præcep. n. 11. aeris repentina turbatio vitanda est. Et in l. de aer. aquis. & loc. pag. 37. nu. 30. maxime obseruare oportet magnas temporũ mutationes, vt neque medicinas in illis libentes exhibeamus, neque vramus, quæ circa ventrem, neque secemus, priusquam prætereant dies decem aut plures, & non pauciores. periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maxime æstiuum. periculosum etiam æquinoctium vtrunque, maxis verò autumnale. Et nu. 39. quòd timidiores, effœminatiores, ac imbelles præ Europæis Asiani existant, moribusque mansuetiores, tempora ipsa anni in causa sunt, quæ non magnas permutationes faciunt, neque caloris, neque frigoris, sed semper æqualia permanent. vnde neque mentes stupore percelluntur, neque corpora fortem transmutationem incurrunt: à quibus verisimile est, iram exasperari, cognitionemque, & calorem amplius excitari, quàm si semper in eodem statu, quis persistat: mutationes enim sunt, quæ hominis mentem semper excitant, neque quiescere sinunt: idem dicendum est de anni constitutionibus. quod quidem approbat Hipp. in l. citato, & in l. 3. aph. sic de aquis, vt in eodem l. de aere, aquis, & lo. num. 10. & 11. sic de ventis, & locis, veluti ibidem legitur. & in l. 6. de mor. pop. sect. 7. ex ventorum transmutatione tusses. at in l. de octime. par. pag. 21. num. 3. Viris transmutationes locorum, ac victus morbos pariunt. eadem ratio est & de vestibus, vt ante scriptum. Alimenta, & respirationes periculosè mutantur. Et in l. de lo. in ho. n. 47. morbi antiqui recentes fiunt. Et in l. de Vict. ra. in mor. acu. nu. 17. magnæ circa habitus, ac naturas nostras mutationes maximè morbos faciunt. Et nume. 24. mutationes repentinæ ex multa quiete ad ampliorem laborem magis lædunt, quàm ex multo labore ad otium. Et in l. 3. aph. 1.

aphor.1. mutationes in temporibus magnæ frigoris, aut caloris, & reliqua iuxta rationem maxime morbos pariunt. Et in lib.2.aphoris.45.mutationes maxime ætatis,& regionum,& victuum iuuenibus comitialibus liberationem faciunt. Et in lib.4.aphori.40. Vbi in toto corpore mutationes fiant,& si corpus per frigeretur, aut rursus calefiat, aut color alius ex alio fiat;longitudinem morbi significat.

Mutilati.

Legitur in lib.de Geni.pag.13.numer.8. mutilum in vtero puerum,sentio, aut contusum ex matris vterũ gestãtis plaga,aut eiusdem lapsu, aut alio quopia violento affectu matri accidente,mutilatum esse,qua verò parte mater plagas acceperit,ea puer mutilatur.& subdit numer.9. quin & talia eiuscemodi causa pueri mutilantur. cum in vtero iuxta locum quo mutilatus est fœtus,angustia fuerit: necesse est corpus,quod in angustia mouetur mutilari iuxta illum locum. Et addit. quòd ex mutilatis hominibus sani, & integri gignantur pueri, vt plurimum contingere solet: habet enim mutilatum, numero omnia, quæ sanum. vbi verò morbus aliquis ipsis & humido ipsorum acciderit,à quo semẽ prouenit,(quatuor sanè cum species sint humidi,quę naturaliter in corpore existũt) genituram non totam exhibent, debiliorem autem iuxta mutilatam partem. quare nihil miri videtur,si etiam mutilentur,quemadmodum parens. Et in lib. 1.de morb.num.3.oculi,& auditus mutilantur à pituita obfirmata. Et ibidem.multi frequenter mutili fiunt,syderanturque manibus,atque pedibus à morbis,qui non lethales sint,quemadmodum ab atra bile,podagra,coxendicum morbo, tenesmo,quartana, tertiana,strangulatu vrinæ,lippitudine,lepra impetigine, & morbo articulari. at verò modos mutilationis plures lege in lib.de Artic.num.72. Et in lib.de Septim.partu.pag.20. & nu.4. quæcunque mulieres multos pueros perpererunt, & quidam ex ipsis claudus natus est, aut cœcus, aut aliud quoddam malum habens, aiunt in hoc puero octauum mensem ipsas difficilius transigisse, in his, quos pepererunt, nihil mali habentes; fœtus enim mancus in octauo mense fortiter ægrotauit, vt etiam morbus absessum, ac ablationem siue mutilationem alicuius partis fecerit, quemadmodum etiam viris fortes morbi faciunt.

Mutus.

Dum epileptici à morbo tenentur:muti fiunt. causam verò recitat Hip.in lib. de morb. sac.pag.58.nu. 8.& inquit. mutus est, cum pituita derepente in venas delapsa aerem excluserit,& non admiserit,neque in cerebrum, neque in venas cauas, neque in ventriculos:sed occuparit respirationem. Et subdit. quare vbi fuerit exclusus,eumque non susceperint,mutum ac desipientem hominem reddunt. Et in lib.de mor. nu.3. si cerebrum concussum fuerit, ac doluerit, eius qui percussus fit; necesse est è vestigio mutum fieri, & neque videre, neque audire. hæc quod confirmat in lib.7.aphor.59. dum inquit. quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit:necesse est statim mutos fieri. Galen. in comm.dicit,quòd consuetudo est Hipp.ab vno accidente notissimo,veluti à vocis amissione nominare & ostendere illos, qui nullum alium motum seruant secundum electionem,vel nihil omnino sentiunt. iacent autem eodem modo, quo apoplectici sine sensu, & motu. idem quoque significat Mutum in lib.6.aph.51. cuius verba sunt. quibus sanis dolores fiunt, repente in capite, & statim muti fiunt, & stertunt; moriuntur in septem diebus nisi febris apprehenderit. in lib.autem de Carni.pag.19. num.19. si lingua semper occurrens non articularet, non posset homo clare differere, sed singula à natura vnam vocem haberent. huius signum est.muti ex natiuitate discere non possunt,sed vnam tantum vocem sonant. etiam si quis spiritum efflans, sermonẽ proferre conetur.

COMMENTARIVS XII.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

De naribvs.

De narium natura hæc pauca scribuntur in lib.4. de morb. popu.num.8. quibus os ex palato discedit, his medius considet nasus. quibus verò superni dentes anteriores, his latus est summus nasus.affectus autem qui nares habent, hæc enarrantur, frigiditates humiditates, fluxiones, læsio olfactus, polspi, grauedo, sanguis è naribus, nasus in infernam partem subsidens, nasus fractus, acutus, distortus,liuescens, inflammatus, destillans. atque hæ affectiones quandoque signum dant prognosticum: propterea quòd legitur in pluribus locis. nasus & aures quibus semper frigidæ sunt, malum: si quidem inter extremas partes collocentur. & in lib. de Carni. num.17.nares humectæ olfacere nequeunt: quamobrem qui grauedine tenentur, nihil olfaciunt, aut parum. & in l. 6. aphoris. 2. quibus nares natura humidiores, & genitura humidior,minus integra sanitate fruuntur. quibus verò contraria salubrius degunt: nam vt exponit Galen. humidioribus naturis sensibiles fiunt

ſuperfluitates præſertim cerebri, quod eſt natura frigidius: vnde qui ſunt humidiores ſiue ſecundum cerebrum, ſiue vniuerſum corpus non contingit ſalubrem vitam cuiuſuis noxæ expertem traducere: verò continuo deſtillationibus ex parua occaſione capiuntur. & ſi ſuperfluitas ad inferiora per palatum deſcendat; partes ſubiectæ offenduntur, fauces, guttur, aſpera arteria, pulmo, gula, ventriculus. tuſſes itaque in ipſis fieri & difficiles anhelitus, & anginas & cruditates & ventris profluuia eſt neceſſe: aliquando verò, & difficultates inteſtinorum cum id quod deſtillat ſalſum quodammodo fuerit, hos, & alios quoque morbos confirmat Hipp. in lib. de loc. in homi. fieri, & in lib. de Glandu. præterea narium grauedo cum aurium ſonitu, & viſu hebetudine mentem emouet, & ſanguinem profundit. ſic legitur in lib. de Coac. præno. num. 2. verum in lib. de Iudica. num. 12. ſcriptum eſt. ſi aqua vel pus per nares, aut aures fluxerit, caput circumcirca dolenti, ac ægrotanti ſoluit morbum. Et in eodem lib. de Coac. præno. num. 2. aliquid de naribus deſtillare ex ſurditate, ac torpore difficultatis aliquid habet vomitus his conducit, & alui perturbatio. Et in lib. 1. prædic. numero primo, naſus deſtillans in phreniticis pernicioſus tum aliàs, tum quarto ab initio die. Et in eodem lib. numero decimo, naſus in biliоſis vomitionibus deſtillans, pernicioſum. Et in libro quinto, de morb. popul. num. 27. Timochari hyeme deſtillatio, maxime in nares: cum venere vſus eſſet, reſiccata ſunt omnia. Et in lib. de Coac. præno. numero ſecundo, naſus liueſcens lethalis. Et in lib. 4. aphoriſ. 49. in febre non intermittente ſi labrum, vel oculus, vel naſus, vel ſupercilium peruertatur, vel non videat, vel nō audiat, iam debili exiſtente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima eſt. Et in lib. progno. commen. 1. part. 64. inter ſigna exitioſa in morbis acutis collocatur naſus compreſſus, hoc eſt, extenuatus: atque eo magis ſi morbi principio id fiat, & neque vigilia, neque ventris ſolutio, neque inedia præcederit. Et in lib. de Victus ratio. in morb. acut. num. 48. nares ipſas inſpicere oportet an ſpiritus æqualiter per vtraſque feratur, & ſi multus feratur è naribus conuulſio fieri ſolet. ſi verò conuulſio fiat; tali mors expectanda eſt.

At verò de his quæ ad artem pertinent chirurgicam, pauca ſunt dicenda; eaque ſunt naſus in infernam partem ſubſidens decem diebus perſanari poteſt. ſic ſentit Hip. in lib. de artic. num. 32. & ibidem numer. 31. tractat de naſo fracto deorſum in ſinum vergente. Et numer. 32. de naſo in obliquum fracto. Et ibidem num. 30. de naſi fractura. & num. 32. de naſo inflammato.

Reliquum eſt igitur, vt ſcribamus quid boni, malive ſignificet ſanguis è naribus erumpens, & quæ indicent ſanguinem fluxurum. accidit, vt inquit Hipp. in lib. prog. comm. 1. par. 32. his ſcilicet quos in illis tumor fatigat in prima circuitione ſanguinis è naribus fluor; atque admodum iuuat, ſed inquirendum eſt, num doleant caput. an hebetudines ſubeant oculorum; ſi quid enim horum fuerit, eò tendet. Et ſubdit. ſanguinis fluorem in iunioribus potius quin tum & trigeſimum annum agētibus expectare oportet, & maxime æſtate. At verò in lib. de Coac. prēn. numer. 2. ſurditatem ex febribus ſanguinis è naribus fluxio ſoluit. & in libro quarto, aphor. 60. quibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis è naribus fluēs aut aluus turbata ſoluit morbum. Et aphor. 74. quibus ſperatur abſceſſum futurum ad articulos, liberat ab abſceſſu vrina multa, craſſa, & alba facta, &c. ſi verò etiam ex naribus fluxerit ſanguis; breui admodum ſolutio fit. Et aphor. 27. eiuſdem lib. quibus in febribus ſanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte cum reficiuntur, alui his humectantur. Et in lib. 5. aphor. 33. mulieri menſtruis deficientibus ſi ſanguis è naribus fluxerit, bonum, & in lib. de Coacis præno. num. 1. affectiones ſtatim, vigilias inducentes, ſanguinem de naribus ſtillantes, ſexta die alleuantes per noctem, verum poſtridie rurſus affligentes exudantes in ſomnum delatæ, mentem emouentes, large ſanguinem fundunt, & morbos ſoluunt. & ibidem. ſeptima die, aut nona, aut decima quarta fluxiones ſanguinis è naribus fientes, plerunque febres ſoluunt. Et num. 3. eiuſdem lib. quibus dolores præcordiorum, oris ventriculi, hepatis, & partium circa vmbilicum, hi ſanguine per aluum egeſto ſeruantur, non egeſto autem moriuntur. Et in lib. 1. de morb. popul. ſect. 1. In aeris ſtatu auſtrino paucis obortæ ſunt febres ardentes, atque his omnino boni ſtatus; & paucis ſanguis erupit: neque ex his moriebantur. Et in eodem lib. ſect. 2. conſtit. 3. Erant febrium ardentium affectiones. quibus quidem bene, ac large ſanguis per nares erupit; per hoc maxime ſeruabantur; & nullum noui in hac conſtitutione qui mortuus eſſet; ſi recte ipſi ſanguis profluxiſſet. Et ſubdit. Quibuſdam morbus regius accidit ſexta die. verum his purgatio per veſicam, aut aluus exturbata profuit, & larga ſanguinis eruptio. & ſubdit. Sanguis plurimis erupit, maxime adoleſcentibus, & in vigore conſtitutis; & talium plerique perierunt, quibus ſanguis non erupit. Deinde inquit. Quibuſdam, qui ægrotarunt, quibuſque etiam ſanguis erupit; ad dyſenteriam tranſitus factus eſt, & ſuperſtites manſerunt. Et tandem ait. Riguerunt pauciſſimi vere, æſtate plures, autumno adhuc plures, hyeme longe plurimi. at ſanguinis eruptiones ceſſabant. Et in lib. de Coac. præ. nu. 1. quibus ſanis horrores frequētes ſunt, hi ex ſanguinis fluxione ſuppurantur. Et ibidem. laſſati cū horrore, ſi exudarunt iudicatorio modo, recalfacti in morbo acuto, male habent, tum aliàs, tum ſi circa hæc ſanguis de naribus villarit. Et, capitis dolor in morbo acuto, præcordium reuulſum, non profluente ex naribus ſanguine, ad phrenitidem deuenit. Et, in febre ardente fluxio ſanguinis ex naribus quarta die, mala eſt, ſi non aliud quid boni coinciderit. verum quinta minus periculoſa eſt, & pag. 177. eiuſdem lib. caput dolentibus ex poſteriore parte oſſa rupta habentibus fluxio è naribus larga, craſſa, mala eſt. Et numero ſecundo, vocis interceptiones cum exolutione in febre acuta ſine ſudore, ſunt quidem lethales, minus verò quàm cum ſudore: verum diuturnitatem temporis ſignificant. fortaſſis autem & qui ex recidiua tale quid patiuntur, tutiſſimi ſunt. pernidioſiſſime autem ex talibus habent, quibus ſanguis ex naribus fluit, & quibus alui humectantur. Et numero tertio, quibus præcordia non mollia, facies ſana, non liberantur citra multi ſanguinis ex naribus fluxum, aut conuulſionem, aut coxendicum dolorem. Et num. 1.

eiuſ-

eiusdem lib. sanguinis stillæ pusillæ malæ. Et num. 2. oculorum rectitudo in morbo acuto, & motus velox, & somnus turbulentus, & vigiliæ, & quandoque sanguinis è naribus stillationes, nihil boni. Et, qui febres ad tactum non adurentes habent, phrenitici fiunt, & magis si sanguis fluxerit. Et in lib. 5. aphoris. 16. vbi sanguis plurimus fluxerit, singultus, aut conuulsio superueniens malum. Et in lib. 7. aph. 9. post sanguinis fluxum delyrium, aut etiam conuulsio malum. Quæ verò indicent signa sanguinem erupturum, sic declaratur in lib. de Coac. præ. nu. 1. vbi legitur. qui inhorruerunt, & exudarunt iudicatorio modo, & postridie præter rationem horruerint, si quis non vigilijs infestetur, neque concoxerit ei sanguinem erupturum esse puto. Et morbi derepente mentem percellentes cum anxietudine sanguinem profundunt. Et sonitus aurium cum visus hebetudine, & narium grauedine, mentem emouet, & sanguinem profundit. Et ibidem. capitis dolor pertinax cum febre acuta, & alio signo maligno lethale est: cæterùm sine signo maligno transgrediens vigesimum diem, sanguinis, aut puris fluxum è naribus, aut abscessus ad infernas partes significat: fluxiones quidem iunioribus triginta quinque annis, senioribus verò abscessus. si verò circa frontem, & tempora fuerit dolor ille pertinax, fluxiones hæc. & in com. 3. prog. par. 11. Et qui caput dolent stupore detenti, doloroſi, oculum rubicundum habentes, sanguinem effundunt. Et ibidem. capitis concussiones, & aurium sonitus sanguinem effundunt: aut mulieri menses deducunt. &c. Et, capite grauati iuxta sinciput dolentes, vigilijs infestati sanguinem effundunt, tum alias, tum si quid ad collum se extendat. Et, quibus in febribus venæ in temporibus pulsant, & facies sana est, & præcordium non molle, diuturnum morbum significat, & non desinentem citra multi sanguinis ex naribus fluxum, aut singultum, aut conuulsionem, aut coxendicum dolorem. Et febrientibus quibus rubores sunt in facie & dolor capitis fortis, & venarum pulsus, his sanguinis fluxio plerunque contingit. Et in lib. prog. com. 3. part. 33. Quibus per talem febrem, hoc est, non exitiosam dolet caput, & pro tenebris ob oculos offusis hebetudines subeunt oculorum, ac splendor obuertitur, & pro ventriculi dolore circa ilia, aut læua parte, aut dextra aliquid contenditur neque cum dolore, neque cum inflammatione; sanguinem de naribus in his fluere pro vomitione expectandum est: magisque in adolescentibus sanguinis fluorem. agentibus verò trigesimum annum, aut etiam adultioribus, minus: sed vomitionem in talibus expectari oportet. At in l. 1. aphoris. 19. legitur. quæcunque refrigerata sunt excalefacere oportet, exceptis his quibus sanguis fluit, aut fluxurus est. Et aph. 24. eiusdem lib. frigida qualis nix, & glacies, pectori inimica, tussem mouent, & sanguinem, & destillationes. Et in lib. 3. aph. 20. verè furores, & atræbiles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepræ, & tussis, & impetigines, & pustulæ vlceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores. Et aphor. 27. grandioribus autem, & iam accedentibus ad pubertatem plurima ex his, & febres diuturnæ, & ex naribus profluuia sanguinis.

Nasturtiũ calidum est, & carnem liquat sistit autẽ pituitam albam, quare vrinæ stillicidium inducit, vt scribitur in 2. de diæ. nu. 14.

Natura.

Natura aliquando vires significat, vt in libro 1. aphoris. 3. cum ait. qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. aliquando significat naturam regulatam, vt in eodem lib. aphor. 21. quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eò ducere. dicuntur etiam ventres natura calidissimi, hoc est, naturali calore præditi, veluti scribitur aphorism. 15. aliquando significat virtutes, & temperiem, quemadmodum in libro 2. aphorism. 4. non satietas, non fames, neque aliud quidquam, quod modum naturæ excedat. Et aphorism. 17. cibus præter naturam plus ingestus morbum facit, hoc est, plus quàm vires possint tolerare. aliquando significat temperaturam, vt aph. 24. in morbis minus periclitantur, quorum naturæ aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus. aliquando significat naturæ opus, vt aphorism. 51. omne nimium naturæ inimicum, verum in lib. 5. aphorism. 44. quæcunque præter naturam tenues existentes verò gerunt, hoc est, supra modum. & in lib. 6. aphor. 20. si in ventrem sanguis præter naturam effunditur. i. non propriam, necesse est suppurari.

Nausea.

Nausea est ventriculi propensio ad vomitum: verum & venarum dicitur nausea, quemadmodũ, vbi de venis egerimus, notum fiet. In l. autem de Coact. præ. n. 2. Ex surditate leniter abscessus iuxta aures fiũt tum aliàs, tũ siquid nauseæ accedat. & infra. lingua citra rationem tenera fiens, & cum cibi fastidio, nauseabunda, cum frigido sudore, ex aluo liquida, nigrorum vomitum signum est. lassitudo in his mala est.

Nephritis.

Leguntur in lib. de inter. affect. pag. 86. nume. 15. quatuor renum morbi, quorum primus ab his significatur. dolor acutus incidit in renem, & in lumbos & in testes secundum renum situm, & frequenter mingit, & adstringit paulatim, ac supprimitur vrina, & cũ vrina procedit arena: & vbi per vrinæ meatum dolorem fortem in meatu exhibet. cum autem ipsam per vrinam eiecerit; dolor remittit. postea verò rursus in isdem doloribus iacet. cum autem mingit, etiã colem præ dolore fricat. hic morbus fit à pituita cum rem susceptã in se ipsum pituitã non rursus dimiserit, sed in ipso in totum concaluerit, & fiũt ex ea tenues lapilli, velut arena. curationem ibi lege at de alijs renum morbis agemus cum de renibus tractauerimus. hæc solummodo nobis dicenda sunt q̃ nephritides senibus fiunt, vt scriptum in li. 3. aph. 31. sed in lib. de Coac. præ. nu. 3. scriptum est nephritis post annum quadragesimum secundum non fit. Et in lib 7. aphoris. 36. quibus morbo renali laborantibus, prædicta accidunt signa, hoc est, in vrinis bullæ subsistunt, atque insidens pingue, ac simul totum, doloresque circa spinæ masculos fiunt: si quidem circa loca exteriora fiunt, abscessus quoque exterius futuros expecta. si verò dolores magis circa loca interiora fiant; etiam abscessus expecta futuros interius. Et in lib. de Coact. pr. ænot. nume. 2. soporoſi in principijs sientes cum capitis, lumborũ,

colli, præcordij dolore, vigilantes nephritici fiunt. ex nephritide, vt legitur in l. de inter. affe. num. 17. fit tabes renalis. sed. l. Renes.

De Neruis.

Scriptum est in l. de Carni. pag. 19. num. 11. cum ossa facta essent, quæcunque ex ipsis pinguia erant, celerrime exusta sunt. quantum autem ex ipsis glutinosum erat, id ipsum exuri non poterat, sed medio inter vstum, & siccatum loco contentum, à calido in neruos, & saliuam, ac mucum transiuit. Et in lib. de loc. in homi. pag. 30. nu. 9. nerui sicci sunt, & ventriculos siue cauitates non habent, & ad ossa consistunt, & maxima ex parte ab ossibus nutriuntur. nutriuntur, & à carnibus, & colorem, ac robur inter ossa ac carnem medium habent: & humidiores quidem sunt, ac carnosiores, quam ossa: sicciores autem ac magis ossei, quam carnes vsus verò ipsorum est, vt legitur in lib. de ossium natu. pag. 28. num. 17. est talis. nerui flexionem, & contractionem, ac distentionem exhibent. Et ibidem. num. 7. neruorum exortum tractat & inquit. neruorum exortus ab occipicio vsque ad spinam, ad coxendicem, in pudenda, in fęmora, pedes, in tibias, in manus. alij in brachia, partim in carnes, partim ad fibulam in magnũ digitum, partim ex carnibus in alios digitos. alij ad scapulas, pectus, ventrem, ossa, ligamenta. à pudendo verò ad princeps intestinum, ac podicem, acetabula coxarum, partim supra fęmur, partim infrà ad genua. inde alius ad genu extentus, ad tendinem, pernam, pedes: alius ad fibulam, alius in renes. Et in l. de artic. pag. 197. nu. 41. alij nerui neruosi perpetuo, annexi, hinc atque illinc iuxta ipsa porrigũtur. & cæterea ibi lege. Et in lib. de oss. natu. nu. 16. duo crassi nerui à cerebro sub os magni verticuli superne, & magis ad gulam ab vtraque arteriæ parte, vterq; progrediens inter se committuntur, vt vni similes existant, deinde verticula, ac septum transuersum hic sunt, vbi desinũt. & quidam dubij ad hepar & splenem, ab hac societate tendere ipsos putauerunt. alius neruus vtrinque ex verticulis iuxta claui culam ad spinam tendit ex obliquo verticulorum, & se in costas ingerit. atque hi quemadmodum venæ per septum transuersum, mesenterium mihi tendere videntur. vbi autem hæ deficiunt rursus hinc, vbi septum exoritur ab eo continui, ac cohærentes existentes iuxta medium infra arteriam, de cætero ad verticula se ingerunt, quemadmodum venæ donec totum sacrum os pergressi consumuntur. hæc eadẽ scribit Hipp. in l. 2. de morb. popula. sect. 4. In lib. aũt de loc. in homin. nu. 9. Nerui premunt articulos, extentique sunt per totum corpus. robusti autem maxime, & semper crassissimi sunt in illis corporis partibus, in quibus pauciſſimæ carnes sunt. & corpus quidem omne neruis plenum est. verum circa faciem, & caput non sunt nerui, sed fibræ consimiles neruis inter ossa, & carnes, tenuiores, & solidiores. Et in lib. de natu. pue. pag. 16. numero 16. In pedibus, & manibus tenuissimæ, ac densissimæ, & plurimæ venæ sunt: nerui item tenuissimi, ac densissimi, & plurimi, & ossa magnitudine minima. Et hæc de neruorum essentia, quæ plures sustinet affectiones.

Sed quicunque morbus in neruos peruenerit, roboratur, & quiescit in eodem loco, & difficile est ipsum educere, vt legitur in lib. de loc. in homi. nu 9. deinde recitat quos morbos ipsi patiantur, & inquit. maximè impetunt ipsos distentiones, & alij morbi, à quibus tremor corpus occupat, & qui tremere ipsum faciunt. Et in lib. 4. de morb. popul. nume. 30. Quòd nerui ipsi in se ipsos trahunt, signum est: siquidem enim nerui in supernis manus sauciati fuerint, manus deorsum nutabit, dum ab infernis neruis trahitur: si verò contrà; vice versa. Et in lib. 7. de mor. popul. nume. 35. Ex cholericis affectionibus ad neruorum in omnibus distẽtionem definit, vnà cum fecessu deorsum. bilem multam abunde coloratam vomit ad tres dies, ac noctes valde subrubram. sub vomitum bibit, & impotens erat, & anxius, &c. Nerui præterea inflammantur: nam inquit Hipp. in lib. de Arti. pag. 194. nume. 9. Quibus nerui inflammati sunt, si humero vti non possunt: prohibet enim dolor, & inflammationis distentio. Tales igitur curare oportet cerato, & splenijs, & linteis multis deligando, & reliqua ibi lege. Porrò neruorum impotentiam calida frequenter ea vtentibus inuehit, vt placet Hip. in lib. aph. & in lib. de Arti. num. 13. neruis inimicus est ignis. At frigida quoque noxia est: nam scriptum est in lib. 5. aphoris. 18. Frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calidum verò vtile. Verùm non sæpe, vt antea dixit, eo vti nos debemus: frequens enim calidæ vsus tantum alterat, quanquam debilis eius est vis; quantum rarus eiusdem, quæ in tertio fit gradu calida. Verùm si neruorum continuitas soluta sit, scriptum est in lib. 1. de morb. num. 3. neruus præcisus, ac dissectus non coalescit, neque vesica, neque aliquod ex tenuibus intestinis. & in lib. 6. aphoris. 19. vbi neruus discissus fuerit, neque augetur, neque coalescit. Et in eodem lib. 1. de morb. nume. 4. nerui dissectio conuulsionem facit. sed cum nerui vulnerati sint, de eis sic scribitur in lib. de Coac. prænotio. num. 3. nerui crassi si vulnerantur, plerunque claudi fiunt, & si obliqui vulnerantur præsertim, & si musculorum capita, & maxime in fœmoribus, & propterea legitur in lib. 2. prædic. nume. 21. nerui, aut ossis, aut amborum corruptio interdum in capitis vulneribus confert. Et in eodem lib. nume. 24. quibus neruus elapsurus esse videtur, securius de claudicatione prædicere licet, tum aliàs, tum si inferiorum neruorum aliquis fuerit exolutus. Et in lib. 1. de morb. nume. 3. neruos crassos vulneratos habentes, eos claudos fieri necesse est. verùm ad neruos dissectos lege in l. de vlceri. nu. 12.

Nigra.

Niger color in quacunque corporis parte, superueniat in morbis acutis, malum: legitur enim in lib. 4. aphoris. 23. quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue, quo vis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vt sanguis niger desuper exierit; postridie moriuntur. Et in lib. 1. prædic. numer. 18. nigrorum per aluum transitus post sanguinis deiectionem malum. Et in lib. de Coac. præno. num. 2. nigra ante mortem per aluum subeunt in præcordiorum inflammatione cum suppuratione. Et in eodem lib. num. 4. vomitum nigrorum faciũt frequentes per eadem recidiuæ circa iudicationem. fiunt item tremulæ. Et in lib. 1. prædic. numer. 12. manus tremulæ, caput dolentes, collum

dolentes,

dolentes subsurdi, mingentes nigra densata: quibus hæc sunt, his nigra ventura esse expectare oportet, pernicioſum. Et in lib 4.aph.21.deiectiones nigræ qualis est sanguis niger, siue cum febre, siue sine febre pessimæ. Sed in eodem lib.aph.25. sanguis supra qualiscunque fuerit, malum: infra autem nigra deiecta, bonum est. Et Gal.in comm.ait.verbum Bonum non tanquam proprie dictum est, sed tanquàm melius diceret est audiendum, quasi ita diceret Infra autem melius nigra deijci. Et in lib. progn. com.2. par.9.si digiti, ac pedes omnino nigrescunt, minus pestiferi sunt, quàm si liueant. Sed alia signa consideranda sunt: si enim facile ferre malum appareat, & aliquod aliud salubre fuerit signum; morbum verti significat ad abscessum, ita vt æger sit conualiturus; corporis verò nigredo casura. Et par.22.exitiosior est deiectio, si nigra, aut liuida, aut opima, aut fœtida est. Et par.29. nubecula quæ in vrina inuehitur si candida est, bona; si nigra; vitiosa est. Et par. 32.exitiosior verò vrina est, si aquosa, fœtida, nigra, crassaque est. in mulieribus, & viris vrina nigra, in pueris aquea, deterrima est. Et part.39. si vomitio fuerit porracea, aut liuida, aut nigra, malum esse censendum est. Et par.48.si screatio ita sincera fuerit, vt nigra appareat, est difficilior, quàm si viridis, & spumans admodum est. Causam verò nigredinis si inquiramus; calor profectò adures, aut frigus congelans nigritiem efficiunt: dicit enim Hipp. in lib. 5. aphor.20. Vlceribus frigidum mordax, dolorem insuppurabilem facit, liuorem obducit. Et aphor.17. Frigidum conuulsiones, distensiones, liuores, rigores febriles. at verò liuor est nigredini color omnino propinquus, & ex hisdem fit causis, sed his remissioribus. Et in lib.2. de morb.mulie.num. 4. Quæ mulieres superalbidæ sunt, humidiores sunt, ac fluuidiores: nigræ verò ficciores, & acerbiores, ac adstrictiores.

Nox.

In lib.de Vict.ratio.in morb.acu.num.44. Noctes plus, quàm dies, delyrij significationem præbent. & in l.2.aphor.13. Quibuscunque crisis fit, his nox grauis ante accessionem: quæ verò subsequitur, magna ex parte leuior existit. Fiunt noctu nonnullæ febres, quas Hippo. in libris de morb.pop. nocturnas vocat. fiunt etiam pustulæ nocturnæ, de quibus mentio fit in lib.2.præd.

Nouimestres partus, qui superuiuant, & qui non 1.in l.de Septi.par.nu.5.

Nuces rotundæ amygdalis persimiles sunt. latæ verò maturæ probe alunt, & aluum mouent: depuratæ verò etiam flatum inducunt. hæc in libro 2. de diæ.num.15.

Numerus.

De numero pari, atque impari agitur in capit.de Diebus decretorijs: atque quænam sit ipsius numeri imparis vis, & à quibus producatur causis, sed hoc sciendum est numerum ternarium fortissimum esse, vt ait Hipp. in lib.7.de morb.popul.numer.32. Numerus impar in ægrotis maxime verendus est: nam hi dies in alterutram partem ægrotos inclinare faciunt.

De Nutrimento.

Nutrimentum à tota substantia transmutatur in naturam nutriti à calore naturali: non enim transmutari posset, nisi id, quod nutritur ex hisdem esset, ex quibus est nutrimentum; nam omnia, quæ nutriuntur, aluntur his rebus, ex quibus constant, & non vno tantum elemento, sed pluribus mixtis.

Quòd verò nutrimentum in naturam conuertatur nutriti, fit manifestum in libr. de Carni. pag.19. nu.13.vbi legitur. Alimentum vbi accesserit; vnumquodque talem speciem vnicuique reddit, qualia sanè erant: singula enim irrigata ab alimento augmentum capiunt calidum, & frigidum, & glutinosum, & pingue, & dulce, & amarum, & ossa, & alia vniuersa, quæ in homine insunt, & in libro de Alimen.pag.53.numero secundo, facultas alimenti peruenit & ad ossa, & ad omnes partes, & in neruum, & in venam, & in arteriam, & in musculum, & in pelliculam, & in carnem, & pinguedinem, & sanguinem, & pituitam, & medullam, & cerebrum, & medullam spinalem, & interanea, omnesque ipsorum partes, & sanè etiam in caliditatem, & in spiritum, & humiditatem, sed cum partium nostri corporis aliæ sint crassæ, ac solidæ, aliæ tenues, ac molles, atque humidæ, & spirituales; idcirco aliud nutrimentum desiderat spiritus, aliud humor, aliud partes crassiores. quapropter in lib.de Flati. pagin.39. numero 4. scriptum est. corpora omnia, tum hominum, tum reliquorum quoque animantium, à triplici nutrimento sustentantur. horum autem nutrimẽtorum nomina hæc sunt, cibus, potus, spiritus. ac spiritus quidem, qui in corporibus sunt, flatus vocantur: qui verò extra corpora existunt, aer. qui sane maximus est in omnibus, quæ corpori accidunt, & autor, & dominus. horum autem trium mentionem facere videtur Hipp.in lib.de Alimen.pag.54.num.11. cum ait. humidum alimentum facile magis transmutatur, quàm siccum. siccum, scilicet quandoque facilius transmutatur, quàm humidum, & quicunque veloci appositione opus habent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum. quicunque verò adhuc velociori indigent per olfactum, qui autem tardiore appositione opus habent, solido alimento vtantur. at verò ex quibus constat nutrimentum palam fit in l.1.de diæ.pag.42.numer.9.vbi legitur. alimento ingrediente ab aqua, & igne, sicco & humido, alia quidem intro coguntur, alia verò foras protunduntur. & in lib.2.pag.46.num.7.ex ipsis panibus maximi maxime alunt; propterea quòd minime exuritur humiditas ab igne. & fornacei panes magis alunt, quàm focarij, & veruarij; propterea quòd minus exurũtur ab igne. sed huiusmodi humiditas, quæ remanet in pane non est aquea, sed propria materiæ, ex qua confectus est panis: aqua enim vt legitur in lib. de Cor. non est alimentum, nec ventus sed sunt alimenti vehiculum, quemadmodum sentit Hip. in l.de Alim.n.12. facultates præterea nutrimentri non vna est: si quidem sint adesse solum, & ad augumentum: ait.n.Hip.in li.de Alim.nu.7.carnes, & alię multæ alimenti species, & iuxta regionẽ, & iuxta consuetudinem alunt partim ad augumẽtum, & ad esse: partim ad esse solũ, velut in senibus. at, propterea quod tria explicata sunt nutrimenta, quorum primum spirituosum est, vtpote quod per olfactum munus suũ obeat: secundũ est liquidum, siue humidum, quod est

potus, tertium est crassum, quod est cibus: quapropter si inter spirituosum, & crassum est medium: sic inter spirituosum, & potum est medium: & inter potum, & cibum est aliud medium, quod Hip. appellat in lib. de vict. rat. in morb. acut. sorbitionem, de qua sermonem habebimus proprio loco. in nutrimento præterea inest moles, & facultas, de quibus hoc scribitur pacto in lib. de alimen. num. 10. potentia alimẽti melior, quàm moles; moles alimenti, melior, quàm potentia. quantum verò nutrimenti, capiendum sit, docet in lib. de loc. in homi. pag. 33. nu. 54. & inquit. occasio est hæc, vt cibus offeramus ea copia, quantam corpus, cui offeruntur, superare valeat, sed nutrimentum nos præbemus, & corporis sano, & corpori ægroto. de nutrimento quod corpori sano competat, loquitur Hip. in li. 1. aph. 14. sic. qui crescunt plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento; alio quin corpus absumitur. senibus verò parum calidi innati inest. paucis præterea fomitibus egent: quia à multis extinguuntur. deinde aphoris. 15. exponit, quo anni tempore alimenta copiosiora sint exhibenda, & inquit. ventres hyeme ac vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda: etenim tunc calor innatus plurimus est, vnde, & pluribus egent alimentis. indicio sunt ætates, & athletæ. Et in lib. de Denti. pag. 24. nu. 2. qui bene dormiunt, & habitiores sunt, multum alimentum adsumunt, id ue adiacet non sufficienter distributum. Et nu. 1. quibus aluus multum profluit, & bene concoquunt, hi scilicet pueri saniores sunt. quibus modicè profluit, & voraces sunt, & non pro ratione similiter nutriuntur, morbosi. Et subdit num. 3. sugentes qui non probe aluntur, macilenti fiunt, & ægrè vires recolligunt. corpori autem ægroto si ali. sit exhibendum, ille prius legatur aphoris. 17. lib. 1. & is est. & quibus semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora particulatim oporteat afferre considerandum, condonandum autem aliquid tempori, ætati, & consuetudini. Et in lib. 2. aphoris. 7. quæ longo tempore extenuantur corpora lente reficere oportet: quæ verò breui, breuiter. Et aphoris. 8. si à morbo cibum assumens quis non corroboratur: plurimo alimento corpus uti significatur. quòd si non assumente cibo id accidat, scire oportet, quòd indiget euacuatione. Et aphor. 10. non puta corpora quantò plus nutries, tanto magis lædes. Et aphor. 15. vbi cibus præter naturam ingestus est plus, hic morbum facit. ostendit autem sanatio. Et aph. 15. vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet: nam si bilioſæ fuerint: corpus vnà ægrotat si verò similes sanis: tutum est corpus nutrire. Et aph. 28. eorum, qui vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiant excretiones. porrò sunt qui dã qui nutrimentum respuunt ob hanc causam. prodictũ est in li. 3. de Diæ. pag. 50. n. 16. in corporibus dẽsa carne prẽditis cum cibi concalescunt, ac diffundũtur, & a primo somno, & præ cibis carne calescente. secretio per somnum fit à carne multæ humiditatis. deindecaro densa existens alimentum non suscipit. id verò quod à carne secretum est alimento contrariũ, ac foras protrusum, hominẽ suffocat, ac calfacit, donec euomuerit. Et num. 17. secedit cibus per aluũ liquidus, incoctus; vnde corpus contabescit alimentum conueniens, ac debitum non accipiens, vẽtresq; corrumpuntur, & in morbos incidunt. & nu. 14. his corpora pura insunt, & plus est, quod de carne colliquatur præ labore, quàm quod depurgatur præ circuitu, & hoc sanè intus manens alimento contrariũ est, ipsumque violat, ac actiuum facit. alimentum igitur eructatur, illud ipsum verò sub cutem expellitur, & hominem decolorẽ facit, & morbos similes, aquæ inter cutem parit. Dicitur tandem alimentum non bonum ignis, & febris, aqua, vt in lib. 4. de morb. nu. 25. dicitur alimentum ossis ex confractione, vt in l. de Alim. nu. 10. Et pus vlceris alimentum. pus alimentum venæ, arteriæ. medulla alimentum ossis, vt in eodem lib. num. 12.

Nyctalops.

Legitur in lib. de visu pag. 207. num. 3. nyctalops medicamentum bibat deorsum purgãs, & caput purgetur, & ceruicem eius, quàm maxime scarificato, & fame ad multum tempus premito. vbi verò remiserit; vnum aut duo frusta prout maxima deuorare potest, de hepate bubulo crudo in melle tincto exhibeto. Et in lib 4. de morb. popul. num. 27. hanc recitat Hip. historiam. nyctalopes, qui plurima minxissent, postea parum quiddam mingebant. verum tussientes, & insuper febrientes tubercula ad aures habebant, erumpẽtia circa septimam, aut octauam diem. Et in lib. sect. 7. nyctalopicæ affectiones firmabantur in hac constitutione scilicet frequenti australium, aquilonarium, ac niuosorum transmutatione, vt quæ etiam ex alijs causis fiebant. fiebant autem pueris maxime. Et in lib. 2. prædict. pag. 174. num. 40. qui nocte vident, quos sane nyctalopas vocamus, hi morbo corripiuntur iuuenes, aut pueri, aut etiam adolescentes, & liberantur sua sponte, aliqui in quadraginta diebus, aliqui septimo mense: quibusdam verò, & per totum annum permansit. quapropter de tempore coniectare oportet, ita vt ad morbi robur, & ad ægri ætatem respicias.

COM-

COMMENTARIVS XIII.
IOAN. MARINELLI
IN LIBROS HIP.

OBLIVIO.

OBliuiosus homo euadit à pituita, dum cerebrum perfrigeratur vt scriptum est in l. de mor. sa. pag. 59. nu. 16. hanc ex obliuione accipe prænotionem, quę scribitur in l. de Coa. præ. num. 1. obliuio cum rigore malum. at in l. 7. de mor. popul. nu. 3. legitur obliuio in dysenteria cum febre.

De Oculis.

Legitur in l. de lo. in ho. nu. 5. In oculos venulæ tenues ad visum ex cerebro per lambientẽ membranã feruntur. hæ aũt venulæ visũ alunt, humore de cerebro purissimo, qui etiã in oculis apparet. eædem venę etiam visum extingunt, vbi fuerint resiccatæ. membranæ autem tres sunt, quę oculos custodiunt. superna quidem crassior, media tenuior, tertia tenuis, quæ humorem conseruat. ex his superna & crassissima si lędatur, ac mutiletur; morbos facit. media verò etiam ipsa periculosa est. & vbi rupta fuerit, prominet foras, velut vesica. tertia autem tenuissima omnino periculosa est, quæ humorem conseruat. Et in l. de carni. pag. 19. nu. 18. de oculo hæc scribuntur. à cerebri membrana vena in vtrunque oculum per os descendit: per has duas venulas. quòd est glutinosissimi tenuissimum de cerebro percolatur. & propterea ipsam circum ipsum oculum tunicam talem facit, quale est ipsum oculi pellucidum, quod ad aerem vergit, ad quod venti. ac flatus irruunt eadem planè ratione, quemadmodum de alijs membranis, ac tunicis dixi. sunt autem multæ hæ tunicæ præ oculis pellucidæ, quales ipsi existunt: huic enim pellucido lumen, & omnia splendida relucent. per hoc igitur relucens videt. quod verò non splendidum est, neque relucet, hoc non videt. verùm reliquum, quod circum oculos est album, caro est. quæ verò pupilla oculi appellatur nigra apparet, ob id quod in profundo est: & tunicæ circum ipsam nigræ sunt. tunicam autem appellamus id, quod, velut pellicula inest. est autem non nigra, si quis inspiciat; sed alba, ac pellucida. humidum verò oculi glutinosum existit: sæpe. n. vidimus in oculo rupto exire humorem glutinosum: & si quidem adhuc calidus fuerit, liquidus est: postquam verò perfrigeratus est; siccus euadit, velut thus trasparens. atque hoc & in hominibus, & in brutis similiter habet. cæterùm oculum molestia afficit omne, quod inciderit, & venti irruentes, & alia, quæ splendidiora sunt quàm ipse est. & si quis interroget, respondere licet; propterea quòd consimilis coloris existunt: quemadmodum os, & lingua, & reliquus venter, humida sunt. sed postquam oculorum morbos recensuimus: optimum erit si de his, quid scriptum est in l. 2. prædic. pag. 173. nu. 28. referemus, oculi lippientes optime permutantur, si & lachrymas, & sordes, & tumor simul fieri inceperint. si verò lachryma sordi fuerit permixta, & non valde calida: sordes autem alba fuerit, & mollis, & tumor leuis solutus; oculus conglutinabitur ad noctes, vt doloris exors sit. atque hoc modo res minime periculosa fuerit, nec diuturna. si verò lachryma procedit multa, & calida, cum pauciſſima sorde, ac paruo tumore, atque hoc ex altero oculo tantum; tunc diuturnum valde fit malum, verum non periculosum, & doloris exors est hic morbus. & iudicationem in his maxime expectare oportet, primam quidem ad vigesimam diem. si verò hoc tempus transmittat; ad quadragesimam si verò neque in his diebus sedetur; in sexaginta iudicatur per totum autem tempus hoc; sordem considerare oportet, an in digito misceatur, & alba, ac mollis fiat, maxime sub iudicationis tempus: si. n. desinet; hæc faciet. at si vtrique oculi hæc perpetiantur; in maiori periculo sunt, ne vlcerentur. verum iudicatio breuioris temporis erit. sordes autem siccæ valde dolorosæ sunt, sed cito iudicantur; si non vulnus acceperit oculus. si verò tumor magnus fuerit, doloriſq; exors, & siccus; periculo vacat. si verò cum dolore fuerit, malus est si siccus sit, & periculum est, ne vlceretur oculus, ac concrescat. sed & grauis est tumor, si lachrymam coniunctam habeat, itemque dolorem: si. n. lachryma procedit calida, ac salsa; periculum est, & pupillam exulcerari & palpebras. si verò tumor consederit, sed lachryma multa multo tempore effundatur, & sordes fuerint, viris quidem palpebrarum euersionem prædicere oportet: mulieribus autem, & pueris exulcerationem, ac auersionem, palpebrarum, at, si sordes pallidæ, aut liuidæ fuerint, & lachryma multa, ac calida, & in capite ardor fuerit, & de tempore dolores in oculum decubuerint, & vigiliæ his accesserint; necesse est vlcus in oculo factum esse, & timor est quoque, vt talis rumpatur prodest autem febris accedens, aut dolor ad lumbos innixus. prædicere verò his futura oportet, ita ut respectus, & ad tempus habeatur, & ad ea, quæ ex oculo fluunt, & ad dolores: itemque vigilias. postquam verò & oculum contueri datum fuerit, si quidem compertus fuerit ruptus, & per fissuram prominuerit, oculus; malum est, & difficile, vt sedetur. si verò & putredo tali suberit; penitus inutilis oculus redditur. at verò alios vlcerum modos prædicere oportet, locos considerando, & putredines, & profunditates: necessarium enim est iuxta vlcerum vehementiam cicatrices fieri. quibus igitur rumpuntur oculi, & postea prominent, vt extra locum oculus sit; his & tempore, & arte opem ferre non datur, ad hoc vt videant. paruæ verò oculorum transmutationes sedari possunt.

sunt; si nihil mali accesserit, & homo iuuenis fuerit. at vlcerum cicatrices, quibus nihil aliud mali affuerit, omnes & à temporibus, & ab arte opem ferre posse putandum est, maxime recentissimas, & in iuuenum corporibus. cæterum ex locis maximè oculi læduntur, si exulcerantur: deinde pars, quæ est supra alia: postea quicquid vicinissimum his locis fuerit. pupillæ verò glaucescentes, aut argenti speciem referentes, aut ceruleæ non bonæ sunt. his autem paulo meliores sunt: quæ autem minores apparent, aut ampliores, aut angulos habentes; siue ex causis tales factæ fuerint, siue sua sponte. caligines, & nubeculæ, & cicatrices subalbicantes leuigantur, ac delentur; si non vulnus aliquod in eo loco accesserit, aut prius cicatricem habuerit in hoc loco, aut vnguem pterygion dictum. si verò splendicans cicatrix in nigra oculorum parte fiat; partem aliquam nigredinis dealbat, adeo vt si multo tempore permaneat, & aspera, & crassa; etiam memoriam sui relinquat. præterea in l. de Visu. pag. 207. num. 1. oculi corrupti sponte quidem cærulei euadentes, derepente tales fiunt: & vbi facti fuerint, non est talium sanatio qui verò maris speciem referunt, paulatim per multum tempus procedendo corrumpuntur, & sæpe alter oculus in multo tempore postea corruptus est. huius caput purgare oportet, & venas vrere, & si quis ab initio curatus fuerit hoc modo; malum sedatur, & in deterius non procedit. at qui colorem inter cæruleum, ac marinum medium referunt, si quidem puero tales fiant, vbi senior fuerit sedantur, si verò seniori septimum annum egressum fiant; melius videt magna valde, & splendida; & videt quidem procul sed non clare: & si quid valde ad oculum admouerit, etiam hoc videt, aliud autem nihil. confert autē huic capitis purgatio, & vstio. sanguinem verò his detrahere non conducit, neque cæruleo, neque maris speciem referenti, & visus oculorum oculo sano existente in iunioribus hominibus, tum fœmellis, tum masculis, quicquam faciendo nihil iuueris, quādiu adhuc augescit corpus. cum autem non amplius augescit; ipsius oculi palpebras intritus radendo attenuato. & si opus esse visum fuerit, etiam ferramentis non admodum candentibus intrinsecus inurito. reliqua ibi lege. Verum ad oculorum lachrymas hæc non tantur in l. 2. de mor. mul. pag. 122. nu. 4. si oculus lachrymetur, & dolor vexet; mali punici dulcis succū expressum in æreo vase coquito, vt niger fiat instar picis. si verò æstas fuerit, ad solem exponito. deinde liquidum sublinito. si verò dulci lachryma fluat oculus; cum vua fuerit alba valde matura, & gracilis in uite, decerptā exprimito, ac excolato: deinde in sole siccato. & vbi siccus factus fuerit succus, deradito, & æruginis dimidium obolum attici ponderis admisceto: deinde hoc sublinito. verum lege puluillum in spersilem ibi. in l. autem de Coac. præno. nu. 4. ad oculos lachrymosus abscessus deuenit aluo turbata suppressa, & velut culicum punctura erumpunt. Et in l. prog com. 1. oculi inuoluntarie lachrymantes malū signū. Et in l. 7. aph. 81. quibuscunque in ægritudinibus oculi ex voluntate lachrimantur, bonū. quibus verò citra uolūtatem, malum. verū & senibus fiunt oculorum humiditates, ut legitur in l. 3. aph. 31. sed & in oculos fluxio procedit: & tunc inflammantur, & tument. sic autem affectum hominem medicamēto liquido, aut sicco insperfili curare oportet. sic legitur in l. de loc. in homi. pag. 31. n. 21. & subdit. si verò statim inflammati fuerint; nihil omnino illine, sed aut fortissimo quàm infime vrito, aut alio quopiam aluū subducente medicamento attenuato, vitando ne vomitum facias. si verò velut lapilli subtercurrerint; medicamentum illines, quod plurimam lachrymam ducere potest, & reliquum corpus humectabis, ac tumidum facies; quò oculi humidiores fiant, ac colluētur; vt lachrymam adstrictā, ac compactam decurrere facias. cum autem in oculos paulatim fluxerit, & pruritum fecerit, sic affectum molli medicamento illines, quod siccare potest, si mulque modicam lachrymam ducere, & ad nares medicamentum adhibebis, aut singulis diebus, aut alternis eodem vtens. sit aut tale medicamentum, quod non plus, quàm acetabulum per nares deducat, idque paulatim: quod verò oculis adhibetur, reficcet, vt quod oculorum pharmacum reficcarit, ac obstruxerit, ad ipsum ad nares feratur. medicamenta caput purgantia, quæ quidem fortia sunt, à toto capite ducunt: quę verò debilia, ab oculis, & hinc à vicinis nasi partibus. si autem à carne, & osse, muco inter os, & carnem subsistente, fluxus ad oculos fiat; ex hoc manifestum fit, quòd inde profluit. cutis in capite compressa cedit, & vlcera in capite enascuntur, & oculi lachrymantur, & palpebræ non exulcerantur, nec mordax est fluxus, nec visum habetat, sed homo ipse acutius videt. fluxus enim non est salsus, vtpotè de cerebro, sed magis mucosus. hunc sic sanare oportet. medicamento caput purgandum est non forti, & corpus attenuandum, & cibis, & medicamentis infra corpus subducentibus; donec attenuato corpore fluxus reficcetur, aut medicamento emoueatur. verum ad ipsos oculos nullum pharmacum adhibendum est. Et in l. 6. de mor. pop. sec. 2. oculorum fluxiones si aliàs conducere videtur, reuellere ad fauces conuenit, & vbi eructuatio conducit, & quæcunque alia huiusce modi. Et in l. de vete. medi. pag. 5. hum. 32. quæcunque fluxiones ad oculos vertuntur, vt fortes & omnigenas acrimonias habentes exulcerant quidem palpebras, erodunt autem aliquorum genas, & sub oculis & partes ad quascunque tandem influxerint. rumpunt etiam, & peredunt eam, quæ oculum ambit tunicam. dolores autem, & ardor, & inflammatio extremæ adsunt aliquādiu, donec fluxiones fuerint concoctæ, & crassiores redditæ, & lemæ ab ipsis extiterint. fit autem concoctio ex permixtione temperaturaque mutua, & quasi coctura. At verò si oculos dolor infestet; eos soluit meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum. Et Gal. in com. sentit singula horum magis experientia, quàm ratione aliqua Hippocratem cognouisse. Et in li. 7. aph. 47. dolores oculorum post meri potionem, & aquæ calidæ balneum venæ sectione curato. Et in l. de vict. ratio. in morb. acut. pag. 159. nu. 69. legitur. Chalcitidis drachma vna, vuæ expresè vt duæ partes reliquæ, myrrham, & crocum terito, & mustum admisceto, & ad solem coquito, ac illinito ad dolores oculorum. fiunt autem in vase æneo. circa oculos pustularum eruptiones in virium refectionibus aluum prorumpere faciunt, vt scriptum est in l. de Coac. præn. num. 2. Et in l. 7. de mor. pop. nu. 30. num & omnibus suppurationibus, & affectionibus circa oculum, dolores ad

noctem ?

noctem? Et in l.4.de morb.pop.nu.16.quibus abſceſſus ad oculos in febribus ardentibus, hi maxillas rubent, & ſanguinem ex naribus fundunt, ſed & quibus ad aures,& in l.prog.pag.166.nu.2.hæc legũtur. ſi lucem fugiant ſcilicet in morbis acutis, aut inuoluntariè lachrymentur,aut diſtorqueantur,aut alter altero minor fiat, aut albas partes rubentes habeant, aut venulas liuidas,aut nigras,aut lemę,ac ſordes circa oculos appareant, aut hæ etiam inſtabiles, aut eminentes, aut caui vehementer facti, aut ſquallentes,& obſcuri fuerint, aut color totius faciei alteratus fuerit, hæc omnia mala & pernicioſa eſſe putandum eſt. & nu.5.verum oculos talium ſuper in tueri oportet. ſi enim oculi frequenter moueantut furioſos eos fore timor eſt. Et in l.de Coac.præ.numer.2. oculi aſſidue nictantes mali. Et in li.6.de mor.popul. ſect.1.oculus inareſcens malum. Et in l.4.aphor.49. ſi in febre non intermittente oculus diſtorqueatur aut non videat, mortem propinquam eſſe ſignificat. Et in lib.1.prædic.numer.6.oculus hebes malus. Et ibidem. oculus fixus, & caliginoſus malus. Et in l. de Coac. præ.num.2.oculus peruerſus malos. Et in l. 1.prædic.nu.9.oculum ferocem,aut clauſum habentes medicamentis purgare non oportet. Et in lib.7. aph.3.à vomitu ſingultus,& oculi rubicundi malum. Et in l.1.prædic.nu.19.oculi valde rubicundi ſanguinis eruptionem ſignificant. Et in l.2.de morb.popul. ſect.6. quorum oculi robuſti non ſunt, his mors breui imminet. Et in l.prog.nu.3. oculi partes albas rubentes habentes malum ſignum. Et in l.1.prædic. nu.11.oculi confractio in morbo acuto mala. Et in l. de Coac.præ.nu.3.oculorum diſtortio ex lumborum recurſus,malum. Et in l.1.prædic.num.11.oculorum diſtortio in febribus ardentibus ſuperfrigerantibus egeſtionibusque alui biliioſis, aquoſis, &c. malum ſignum. Et in l.de Coa.præ.nu.2.in oculorum diſtortione febrienti laſſato,rigor pernicioſus; & ſoporoſi in his male habent. Et in l 6.de morb.pop.ſec.1.oculi audacia delyrij ſignum eſt, & oculorum deiectiones,ac peruerſiones malum. Et in l.prog.numer.3.in ſub apparitionibus oculorum in ſomnis ſi albę quid partis ſub apparuerit palpebris non commiſſis ſi id non ex alui profluuio,aut medicamenti potione fuerit, aut ægrotus ita dormire conſueuerit; malum ſignum & valde lethale. Et in l.de Coac.præ.num.2. oculorum puras, & albas ipſorum partes ex nigris, aut liuidis fieri, iudicatorium eſt. ſi igitur cito purgenter;celerem iudicationem ſignificat: ſi tardè:tardiorem. Et in l.de diæ.iudic.num.3.oculorum partes albas in principio morbi denigrati neceſſe eſt,ſi inualuerit morbus.hæ igitur ſi puræ fiant:perfectam ſanitatem iudicant;leniter quidem tardius: vehementer autem,citius. Et in lib.de Coac.præn. numero ſecundo,oculorum rectitudo in morbo acuto,& motus velox,& ſomnus turbulentus, & vigiliæ, & quandoque ſanguinis è naribus ſtillationes nihil boni. Et ibidem, oculorũ obſcuratio, & vox acuta planctum referens,conuulſorium eſt. Et in l.1.prędic.num.15. oculorum obſcuratio conuulſionem prope eſſe ſignificat. Et in l.de Coac.præ.nu.2.oculorum obſcuratio cum animi delio breuem conuulſionem inducit. Et ibidem.oculorum obſcuratio, & oculus fixus caliginoſus,malum. Et ibidem. oculorum cauitas, & expreſſio valde foras, & ſplendoris extritio, mala. & ibidem.oculorum agitatio, aut iactatio frequens, malum. Et ibidem. oculorum rubor in febre fiens alui diuturnam malignam affectionem ſignificat. Et ibidem.num.1.oculis malum eſt aliàs, tum ſi ſtupidi fiant, qui ex febribus ardentibus aliquantulum perfrigerantibus, cum egeſtionibus alui aquoſis, ac biliioſis laborant. Et ibidem.nu.3.quibus oculus morbi regij colore infectus,ac caliginoſus eſt,ſtrepitu ſputi multo in pectore exiſtente, & facies triſtis in pleuritide hi pereunt. Et hæc prog.in acutis vt plurimum euenire ſolent.

At,ſi homo ſanus ſit,& oculi ſint raui,magni, caput magnum,ceruix tenuis,pectora anguſta,cõgruè adaptati hominis ſunt; quemadmodum legitur in l. 2.de mor.pop.ſec.6.in qua & hæc enarrãtur,quæ fortaſſe corroborant ſententiam illam. Oculus dexter, mamma dextra,& qui infrà ſunt hac parte,circa naturam plurimam uim habent.at multò fortaſſis hæc, quę ſcripta ſunt in lib.6.ſec.4.& ea ſunt. Oculi prout validi fuerint,ita etiã corpus: ſed color in peius,aut melius vergit. Præterea & oculis hanc accipe notitiam.quibus partes ſub oculis vehementer attolluntur,eos magnos habere lienes comperies.

De Oculis ſuppuratis hæc legũtur in li.4.de mor. pop.num.23.ſuppuratis oculis, & dum errumpunt; vlcera magna fiunt:& dũ ſecantur;profunda:& vtroque modo oculi vlcerantur. Et in eodem l.num.15. Huic ſuppuratio iuxta oculum. ſuppuratus eſt iuxta extremum, & rurſus ſanatus eſt oculus, & ſecundum nares pus deſcendit craſſum. De oculo verò percuſſo lege hiſtoriam in l.5.de morb.pop.num.21. Oculos autem lædentia ſunt, atque eis incommoda lenticula,fructus pomorum dulces,& olera,vt proditum eſt in l.5.de mor.pop.num.23. ſed oculi debiles à quauis cauſa facile læduntur,veluti recitat l.de medi.n.2.Mutilantur autem à pituita,ſicut ſcribit Hip. in l.1.de morb.num.3. Verum in l.2. de mor.num.1. Cæcutiunt oculi, cum ad venas in oculis peruenerit pituita:aquoſior.n.fit viſus,& turbulentior,& ſplendor in oculis non ſimiliter ſplendidus eſt, neque in ipſo comparet,ſi videre voluerit ſimiliter ſicut antè, cum ſplendidus,& purus eſſet. Porrò oculos mordẽt conſtitutiones aquiloniæ,vt inquit in lib.3.apho.13, ſed aqua calida conducit:nam ſic ait in l. de Humid. vſu nu.11. Manum deligare,& oculos,& lachrymas lenit, ita vt ad acres ſtillamentũ lene infundat quis: vt ne ſalſuginoſa contactu lędat,& foſſulis vlceribus oculorum elotio prodeſt, & repletio ad naturam perducens. calida oculis conuenit, doloribus, ſuppurationibus,lachrymis mordacibus,ſiccis omnibus. Frigida doloris exortibus,valde rubicundis, & qui collectiones tuberculæ iuxta venas habere ſolent, qualia ſunt vlcuſcula capitis manantia circa thoracem, & alia dura.

Occaſio.

Occaſio quandoque ſignificat cauſam manifeſtã, vt mulieres ex quacunque occaſione abortiunt. verùm de hac nobis non eſt ſermo:ſed de illa,quæ temporis pars eſt, agendum eſt. de hac igitur ſic ſcriptũ eſt in l.præcep.pag.8.nu.1. Tempus eſt, in quo occaſio eſt: occaſio verò. in qua tempus non multum. medela tempore, aliquando etiam occaſione contingit,& propterea medicinam cito diſcere non eſt poſſibile; propterea quod impoſſibile eſt ſtatam,ac certam

tam doctrinam in ipsa fieri: siquidem ipsa & nunc, & statim, non idem facit, & ad eundem contraria facit & hæc etiam contraria sibi ipsis. sic legitur in lib. de locis in hom. pag. 33. num. 50 & quo modo hæc sint, deinde explicat. & tu ibi lege. at verò num. 53. subdit. Medicina breuem occasionem habet. & qui hoc nouit, illa stata, & certa habet, & scit quæ consueta sunt, ac ad quæ cognoscenda non est occasio in medicina, & quòd aluum subducentia non subducentia fiunt, & reliqua quæ contraria sunt, & contrarijssima, non contrarijssima. occasio autem est hæc, vt cibos offeramus ea copia, quantam corpus, cui offerun tur, superare valeat: nam, si quis sic fecerit; omnino necesse est cibum aluum subducentem oblatum, subducentem esse, & pituitosum, pituituosum. Si igitur superauerit corpus ipsos cibos; neque morbus neque contrarietas fit ex his, quæ offeruntur. & hæc est occasio, quam medicum nosse oportet. cum verò occasionem superegressus fuerit; contrarium fit: &, antequam ei excessum factum esse putant; consequens est, vt calescat: donec etiam corpus id, quod oblatum est superauerit; corpus nutritur. vbi verò hanc occasionem transmiserit; contrarium fit: nam attenuatur, & gracilescit. sed & alia omnia, & quæ tumefaciunt, donec quidem superauerit corpus, ampliusque pro occasione afferuntur; etiam iuxta naturam suam singula faciunt: & pituitosa, siue tumefacientia tumefaciunt: vbi verò occasionem transmiserint; contraria sunt. medicamenta sunt omnia, quæ præsentem statum transmouent, omnia autem fortiora transmouent. licet autem si velis medicamento transmouere, & rursus si velis alimento, ac cibo. omnia verò ex præsenti statu transmouere, ægrotanti opitulatur: si enim id quod morbum facit nō transmoueris, augescit. Et in l. de morb. sac. pag. 59. num. 18. medicum oportet, & temporis occasionem in singulis pernoscere, quòd alterum quidem per alimentum absoluet, & augebit: alterum verò detrahet, & minuet. Et in l. 1. de morb. pag. 60. num. 4. temporum autem occasiones multæ sunt, & variæ in arte, quem admodum etiam morbi & affectiones, & horum curationes. maxime verò repentinæ sunt in his, quibus animo defectis opitulari oportet, & qui neque vrinam, neque stercus egerere possunt, & qui suffocantur, & si mulierem parientem, aut sauciatam liberare oportet, & quæcunque eiusce modi. & hæ quidem occasiones repentinæ sunt, & paulo posterius non sufficiunt: pleriq; enim paulo posterius pereunt. occasio verò est, si horum aliquid perpetiatur homo, & quis antequam animam efflet, opituletur, hoc tantum ex occasione opitulatur. est quidem igitur ferme hæc occasio etiam in omnibus alijs morbis: semper enim in quocunque sane quis opituletur tempore, ex occasione opitulatur. quicunque verò morbi aut vulnera non ad mortem tēdunt, sed periculosi sunt, doloresque in ipsis fiunt, verum possibile est, vt cessent, si quis recte medeatur; his sane nō prosunt auxilia à medico adhibita, cum adhibeantur: nam & non præsente medico vtique cessassent. alij verò morbi sunt, quibus occasio est, vt curentur matutina diei hora, nihil autem refert, an valde mane, aut paulo posterius. alij morbi sunt, quibus occasio est, vt semel in die curentur, nec refert, quo tempore id fiat. Alij per tertium, aut quartum diem curantur, & alij semel per mensem, & alij per tertium mensem, nec refert, an id ipsum tertij augmēto, vel sine fiat. tales itaque occasiones sunt in quibus non aliam, quàm hanc certitudinem habent. intempestiuitas autem hæc est, si quæ mane curari oportebat in meridie curentur. propterea verò intempestiue curantur; quia inclinationem ad peius habent, propter curationem non in tēpore factam. quæcūque etiam citius, siue in meridie, siue vesperi, siue noctu curentur, intempestiue curātur: & si vere curari oporteat; curētur autem hyeme: aut si hyeme oporteat; curentur autem æstate: aut si quod iam curari oportet; id ipsum differatur: aut qđ differre nō oportet; id ipsum differatur: aut quod differre oportet, id ipsum iam curetur; talia omnia intēpestiue curantur. recte porrò, & non recte in ipsa hęc fiunt. non recte quidem fit, si morbum alium existentem, alium esse pronuncies, & magnum existentem, paruum dicas, & viciſſim paruum, magnum: & si superuicturum, non superuicturum pronuncies, & periturum, non periturum, & si suppuraturum existētem non cognoscas, nec morbum magnum in corpore nutriri cognoscas: & si medicamento, aut potione quis opus habet, quo ipsi opus sit non cognoscas: &, si quæ sanari possunt, nō sanes, & quæ sanatu impossibilia sunt, te sanaturum recipias. Et in l. 2. de mor. pop. sect. 1. occasiones vnde quis ægrotare cœpit, considerandæ sunt, siue capitis sit dolor, siue auris, siue lateris. signum autem sunt, in quibusdam dentes, & in quibusdam inguinum tumores. Et in l. præc. pag. 9. n. 3. attendere oportet fortuitæ occasioni, quæ plerūque se offert. atque hoc cū vtilitate, ac leni progressione potius, quàm cum promissione, & excusatione ea, quæ fit cum actione. Et in l. 6. de morb. pop. sect. 3. part. 18. quæcunque alatæ naturæ costarum propter impotentiam occasionis, & in destillationibus malignis, siue excretio sit, siue non sit malum. Hip. atque prisci propemodum omnes occasionem appellant quācunque rei cuiusuis materiam, vnde initium ad subsequentes actiones prodit, siue id argentum fuerit, siue alterius generis opes. siue potestas quædam fuerit, siue locus, siue fides, siue negotium, siue causa siue tandem quodpiam aliud quicquid illud simpliciter sit. sunt tamen qui arbitrētur ipsum locos primario laborantes affectu aliorum occasiones vocare, q ex illis verbis Hip. iudicari aiunt, vbi ait, occasiones, vnde laborare incœpit perpendendę sunt.

Occidentales.

In li. de aere, aquis, & locis, nu. 9. sic loquitur Hip. occidentalium aquæ non sunt splendidæ; quod aer matutinum tempus vt plurimum occupat: qui aquæ immixtus claritatem eius disperdit. Et n. 12. occidentales homines minime longęui.

Octimestres.

Octimestres partus, veluti notatum est in libr. de Octi. par. nu. 1. ob duas consequenter succedentes afflictiones, non sunt superstites. Et in l. de Sep. par. nu. 2. octauos menses difficillime veteros ferre.

Odores.

Odores, & strepitus circa ægrotos vitandi sunt, vt legitur in l. Præcep. nu. 11. horum effectus sic scribit in l. 6. de mor. pop. ex parua tabula. Odores delectantes, offendentes, implentes, placantes. at l. Olfactus.

Olera.

Olera, quæ naturam humidam, frigidam, ac fa-

tuam

tuam habent, & odores graues, magis per aluum ſecedunt, quàm per vrinam. ſic legitur in l. 2. de diæ. nu. 12. & 15. ſed ibidem. acerba, & auſtera aluum ſiſtunt, odorata, & acria vrinam cient: acria, & ſicca in ore omnia ſiccant; accida frigefaciunt. ſylueſtria, quæ os calfaciunt, & odorata ſunt, ea calfaciunt, & minguntur magis, quàm per aluum ſecedunt. Porrò in li. de Aff. n. 49. Ex oleribus coctis ſecedunt quæ ex natura humidiſſima, aut acerrima ſunt, & caliditatem habent. danda autem hæc ſunt tepidiora, & flaccidiora: ſic enim ad ſeceſſum commodant.

Olfactus.

De ſenſu olfactus, & quomodo fiat, à quibus, & ex quibus, hoc pacto habetur in l. Hip. In naribus non ineſt foramen, verùm mollis laxitas, velut ſpongia. & propterea per longiorem diſtantiam audit, quàm olfacit: odor enim ab olfactu longe diſpergitur. Et hæc ſcripta ſunt in l. de lo. in ho. pag. 30. nu. 4. At verò in l. de Car. pag. 19. nu. 17. ſic legitur. Olfacit cerebrum humidum exiſtens, aridorum odorem vnà cum aere per corpuſcula cartilaginoſa ipſum trahens: cerebrum enim in cauitatem naſi pertingit. atque hac parte non eſt ante ipſum os aliquod, ſed cartilago mollis, velut ſpongia: neque caro, neque officulum. & vbi quidem cauitas naſi ſicca fuerit, ipſum ſe ipſo exactius arida olfacit: aquam enim non olfacit: humidior eſt enim quàm cerebrum niſi ſit putrefacta: putrefacta enim aqua craſſior fit, & alia omnia. cum verò nares humectæ fuerint; olfacere non poſſunt: non enim aerem attrahit cerebrum ipſum ad ſe ipſum: ſimiliter etiam vbi cerebrum ipſum de ſe ipſo plurimum liquefecerit, in palatum, & fauces, & pulmonem, ac reliquum ventrem. cognoſcunt autem hoc homines, & ex capite deſtillare dicunt deſtillat autem & in reliquum corpus. & eſt modus eius calidus.

Omentum ſi exciderit; neceſſe eſt, vt puteſcrat. ſic ait in l. 6. aph. 58.

Ophthalmia. l. lippitudo.

Opilatio.

Opilatio ſit, vt legitur in l. de Flat. pag. 40. n. 142. flatibus', & quo modo recitat ibidem n. 13. cum ait. Sanguinis tranſitus in capite magna anguſtia coarctantur: repleti enim ſunt multo aere, cuius abundãtia, ac concluſio dolorem excitat in capite. ſanguis enim ipſe natura calidus exiſtens, vi coactus per anguſtam viam tranſire celerrime non poteſt: cum multa impedimento ſint obſtacula. Et in l. de Vict. ra. in morb. acu. com. 4. par. 27. cum dolores acceſſerint, bilis atræ, fluxionumque acrium deſtillationes fiunt. dolent morſa interna, morſæque, & admodum arefactæ venæ intendũtur, trahuntque inflammatæ quę influunt: quapropter corrupto ſanguine, & nequeuntib. ſpiritib. naturales tranſire meatus, infrigidationes fiũt ob ſtationẽ, vertigi. aphoniæ, capitis grauitas, & cõuulſiones, ſi ad cor, vel hepar, vel in venã venerint hinc epilepſiæ, paraplexię, ſi continentes, locos, hoc eſt, cor, hepar, & venam. ſ. cauã, fluxiones inuaſerint, atq; ſpiritibus exire nequeuntibus, exarue rint, Et in eodem l. de Fla. n. 20. Cum ſomnus inuaſerit corpus; ſanguis frigefit. quo infrigidato, languidiores fiunt eius meatus. quod hinc palam fit, quod corpora aggrauata reclinantur. Et in l. de loc. in ho. pag. 32. nu. 38. febres propterea fiunt, cum corpore ſuperinflammato carnes intumuerint, & pituita, ac bilis concluſa quieuerint, & neque refrigeretur quic quam, neque exeat, neque moueatur, neque aliud ſubeat. deinde lege curationem ibidem, atque ſuprà num. 34.

Opiſthotonos.

Cum diſtentio in poſteriores partes, opiſthotonos appellata, tenuerit; reliqua quidem plerunque eadem ſunt; uerum in poſteriores partes conuellitur, & vociferatur aliquando, & dolores emergunt vehementes, & crura interdum contrahere non permittit, neque manus extendere: ſunt enim cubiti incuruati, & digiti in pugnum contracti, & policem. plerunque alijs digitis continet, & clamat, & nugas garrit quandoque, & non poteſt ſe ipſum continere, ſed aliquando exilit, vbi dolor premit: cum verò dolor remittit: quietem habet. aliquando etiam vox intercipitur ſimul vt morbo corripiuntur, aut inſani, & atra bile perciti fiunt. hi tertia die moriuntur voce ſoluta, & reuomunt per nares. ſi verò effugerint decimum quartum diem; ſani fiunt. curandus hic eſt vel vt Tetanus, quod ſi voles etiam ſic facias. aquam frigidam plurimã ſuperfundito, & poſtea veſtimẽta tenuia, pura, ac calida ſuperintegito. ignem autem tunc non adhibeto. hoc auxilium & ad tetanos, & ad opiſthotonos adhibere oportet. hęc in l. 3. de mor. pag. 72. n. 14. ſcripta ſunt. Et in l. de inter. affect. pag. 91. n. 60. in diſtentione retrorſum contingente, opiſthotonum vocant, alia quidem eadem ęger patitur. fit autem, cum tendines, qui ſunt retro in ceruice ægrotarint. ægrotant autẽ ab angina, aut ab vua, aut locis circa tonſillas ſuppuratis. aliquando etiam a capite febribus ſuccedentibus, conuulſio ſuccedit. iam verò etiam à vulneribus. hic trahitur in poſteriorẽ partem, & præ dolore circa dorſum, ac pectora, eiulat. hic conuellitur vehementer, vt vix detinere poſſint ipſum præſentes, ne è lecto excidat. hic ſæpe in die dolore affligitur, ſæpe etiã leuius degit. huic ſic habenti eadem exhibere oportet, quę priori. morbus autem adhæret, ad ſummum diebus quadraginta. ſi verò hos euaſerit, ſanus fit. Et in l. 5. de morb. po. pag. 141. nu. 20. qui percuſſus eſt ſpiculo acuto retrorſum paulo infra collum, vulnus quidem habebat non memorabile aſpectu; neque enim in altum ferebatur, verum non multo tempore poſtea exempto ſpiculo, diſtendebatur in poſteriorem partem tractus, velut opiſthotonici, & maxime ligatæ erant. & ſi liquorẽ aliquem in os ſumeret, eumq; deglutire conaretur; rurſus relidebatur ad nares. cæteraque ſtatim peiora fiebant; ſecunda die mortuus eſt. Et. n. 28. eiuſdem li. magnæ nauis gubernatori anchora digitum indicem, & infernum os dextrę manus confregit, inflammatio ſucceſſit, & marcor, & febris. ſubpurgatus eſt moderate. ealores leues, & dolores: de digito quid decidit. poſt ſeptimum diem, ſanies exibat lenis: poſtea per linguam dixit ſe non omnia poſſe enunciare prædictum eſt opiſthotonum aduẽtare. ad hoc conferebant maxillæ conſertæ, & ad collũ rigidæ. tertia verò die, totus conuellebatur in poſteriorem partem cum ſudore. ſexta à prædictione mortuus eſt. Et in l. 7. de mor. pop. n. 20. Harpali filius luxationem infra in pede magni digiti accepit. inflammatus eſt, & valde doloroſus etat. & vbi repoſitus eſt, & dolor remiſit; profieiſcebatur ad agrum. rediens lumbos doluit,

lauit,

lauit. maxillæ ad nostem conferebantur, & opistho tonos aderat, saliua spumosa vix per dentes foras prodibat. tertia die mortuus est. Thrinon Damonis filius habebat circam tibiam, aut malleolum vlcus iuxta neruum iam purum. huic à pharmaco corroso contigit, vt opisthotono moreretur.

Ordeum natura frigidum est, ac siccum. inest & purgatorium quidam à succo palearum. hæc in lib 2. de diæ. nu. 6.

De Ore.

De ore autem pauca dicemus. legitur in l. 2. præd. n. 41. ora graueolentia his sunt, quibus splenes magni. Et in l. 3. aphor. 24. oris vlcera, quæ aphthæ vocantur paruis, ac recens natis puerulis fiunt. Et in l. de Coa. præ. nu. 3. Ora feruido aphtæ vlcere affecta, vterum gestantibus non sunt bona. num & alui humectantur? Et in l. 3. aph. oris exulcerationes æstate fiunt. Curatio verò. dicit Hipp. in l. 7. de morb. pop. nu. 26. ad vlcera in ore sorbitio lenticulæ commoda est. Et in l. 2. de mor. mul. nu. 65. recitat curationem mulieri opportunam, cui male oluerit ex ore, & gingiuę nigrę fuerint, ac prauæ.

Origanum calfacit, & bilioſa ſubducit, vt legitur in l. 2. de diæ. num. 14. at in l. 7. de morb. popu. nu. 38. origanum oculis, & dentibus malum.

De Ossibus.

De ossium materia, & de modo generationis eorum hæc scribuntur in l. de carni. pag. 18. nu. 4. Vbi non inerat glutinosi, verum pinguis & frigidi, citius exusta sunt propter pinguitudinem: atque hæc ossa durissima, & rigidissima existunt. vbi verò pingue, & glutinosum similia sunt, hæc ossa antrosa sunt. & de his quidem sic se habet frigidum quidem congelat, calidum autem diffundit, in multo verò tempore etiam exsiccat. vbi verò pinguitudinis aliquid affuerit; citius exurit & siccat. vbi verò glutinosum affuerit frigido citra pinguitudinem exuri non vult, sed tempore calescens congelatur. Et in l. 1. de diæ. pag. 42. nu. 11. quæ solida natura sunt in compacto, ac sicco, & non consumuntur ab igne in alimentum, sed valida ac robusta fiunt, & consistunt humore deficiente. atque hæc sane ossa, ac nerui nominantur. at de alimento ossium, atque de ossibus sic scribit Hipp. in l. de alim. pag. 54. nu. 10. ossium alimentum ex confractione. naso bisquinque, maxilla, & claiculæ, & costis duplicia. cubito triplicia: tibiæ & brachio quadruplicia: fęmeri quintuplicia: & si quid in his plus, aut minus potest. Et subdit. n. 12. medulla alimentum ossis: propterea callo obducuntur. Et in l. de ossium natu. pag. 28. nu. 17. describitur ossium vsus, cum inquit. ossa corpori stabilitatem, & rectitudinem, ac speciem exhibent. Et in eodem li. nu. 1. ossium naturam describit, & ait. digitorum ossa, ac articuli simplicia sunt: manus, autem & pedis multa alia alio modo coarticulata. & numerū ossium corporis humani deinde prosequitur, quod tu ibi lege.

Ossa porro quo tempore duriora fiant, & à quo cauentur, legitur in l. de natu. pueri. pag. 16. nu. 15. ossa verò, quæ citissime discedant scribuntur in lib. de fractu. n. 36. Et in eodem lib. de natu. pue. nu. 9. ossa à calore conglutinata durescunt. Et in l. de Cap. vulne. pag. 183. num. 12. enarrantur ossium rupturæ variæ. Et ibidem. nu. 2. ossium rupturæ quo modo medicamento nigro explorentur. in l. 6. aph. 19. os dissectū, neque augetur neque coalescit. Et in lib. 7. aphor. 17. ex ossis dissectione delyrium, si ad vacuum vsque discesserit. Et in l. de capitu. vul. num. 24. scribitur ossis vnius ab altero discessio. sed in l. de frac. pag. 191. nu. 35. legitur ossium discessurorum cognitio. Et. nu. 31. ossium valde tenuium discessus. Et nu. 39. ossium discessus diuturnus est. & in l. de cap. vul. nu. 25. legitur ossium intro compulsorum, ac dissectorum curatio. Verum in l. de Coa. præ. nu. 3. & in lib. 6. aph. 19. quod cunque os in corpore resectum fuerit, aut cartilago non augescit. Et in l. de Artic. pag. 201. num. 79. enarrantur ossium resectiones plerunque innoxiæ. sed in l. 7. aph. 77. scribitur ossis absceſsus ex corruptione. Et in l. 6. apho. 45. os abscedere est necesse, & cicatrices cauas fieri, si vlcera annua, aut etiam diuturniora fiant. At in l. de cap. vul. num. 8. scribitur os sine fissura contusum. Et num. 21. eiusdem l. ossis rupti, aut contusi curatio. Et in eodem lib. num. 10. legitur. os ex natura sua cedens. Verum in l. de Arti. num. 15. enarratur. os cum altero communionem habens à naturali sede auulsum reponi nequit. sed in lib. de frac. nu. 38. scribitur ossis inferna pars eminens, minus superna periculosa. & nu. 36. os extra eminēs cur præsecandum. Verum in l. 7. apho. 19. legitur ex ossis denudatione ignis facer. Et in li. de cap. vul. num. 26. ossis carne denudati curatio. Et in eodem lib. nu. 12. osse non conspicuo, quomodo vulnerati interrogandi. At in l. 7. de mor. popu. num. 19. legitur. quibus ossa fracta fuerint; his septima die febres: si verò calidius fuerit tempus, etiam citius: at, si magis fracta fuerint; etiam euestigio. Et in l. de frac. nu. 27. tractatur de ossibus simplici modo fractis. Et num. 34. ossa fracta, & extra eminentia, quæ in suam sedem collocari non possint. cuius restitutionem ibi lege. Et nu. 45. ossium fracturę, venarum, aut neruorum in ijs contusione minus noxiæ. Et in lib. de humi. vsu. pag. 55. num. 11. ossium fracturis, magis autem denudatis. & ex his maxime, qui in capite vlcera habent, calida plurimum conducit. Et in l. 5. apho. 22. ossium fracturis maxime denudatis plurimum confert calida. Et in l. de cap. vul. num. 2. ex osse ægrotante caro liuida, malum. Et in l. de frac. nu. 21. osse directione egente quid faciendum sit. & in l. de cap. vuln. nu. 15. quæ ossa à quibus telis potissimum rumpātur. & n. 29. ossa suppurata facilius perforari. & in l. 7. de morb. popul. nu. 19. leguntur ossa liuefacta. & in l. de Artic. nu. 59. scribitur ossium coactio. præterea narratur in l. de cap. vul. num. 2. os temporum ex reliquis cur debilissimum. & in eodem lib. num. 5. os verticis omnium robustissimū. & ibidem. nu. 7. quot modis os capitis vulneretur. & nu. 3. de ossis capitis crassitudine, ac tenuitate agitur. & ibidem. capitis ossis vtriusque color. & nu. 26. ossa capitis puerorum tenuiora, ac molliora. & in l. 1. prędic. nu. 17. num & ossium circa tempora dissectiones, conuulsionem accersunt? aut si quis ebrius verberetur, aut sanguis multus effluat, num hoc facit conuulsionem? at in l. de frac. num. 45. legitur os cubiti brachio subiecti, fractum. & in eodem lib. num. 4 os cubiti maius fractum cur minore curatu facilius. & ibidem os cubiti vtrunque fractum. & in l. de Artic. nu. 80. ossa iuxta digitos fracta. & in l. de frac. num. 41. ossium circa genu luxatio, frequēs: sed repositio facilis. & in l. de Artic. n. 76. os femoris ad genu cum vlcere. cæterum de ossium fractura

ctura hæc leguntur in l.de cap. vuln.n.8.os intro cedit ex ſua natura vna cum fiſſuris. & in l.de artic.nu. 32.os in obliquam fructum.& in l.de fract.n.29.quibus oſſis futuræ deceſſus expectatio non eſt: eandem curationem adhibere oportet,velut his quibus os fractum fuerit,vulcus autem non habent. & in lib. de cap.vul. ruptura oſſis neglecta mala. oſſibus frigidũ eſt inimicum,vt legitur in l.5.aph.18.Et in l.de Coa. præ.n.3.dolores vehementes circa maxillas periculum eſt,ne ad oſſis deiectionem deueniant.marcoris oſſis facit mentionem in l.5.de morb. pop.n.7. & oſſis dextræ manus confracti.n.28 & oſſis liuefacti.n. 35.oſſa ampla memorat in l.2. de morb. pop. ſect.1. & os capitis confractum ibidem ſect. 5. Et os caluariæ medicina deſtitutum in 7.de morb.pop.n.58.Et os dextræ manus confractum in eodem l.n.20.

Oſcitatio.

Oſcitationis cauſa deſcripta eſt in l.de Flati. pag. 40.n.12. his verbis. hiatus præcedere ſolet febrem ſi quidem multus aer coaceruatus, cumulatim ſuperna petens commouet,ac diducit os,cum per hoc facilimus ei exitus pateat, quemadmodũ enim ab aquis in lebete feruentibus vapor multus eleuatur, ſic & corpore calefacto penetrat per os aer conuolutus,& quadam vi erumpit. curatio aſſiduarum oſcitationum ſcribitur in l.2.de morb.pop.ſec.3.& ea eſt oſcitationum aſſiduarum medela ſpiratio longa. & in l. 7.aph.57.anxietudo,oſcitatio,horror,vinum æquale æquali.l.aquæ potum ſoluit ægritudinem.

Otium.

Segnities,& otium humectant, & corpus debile faciunt: propterea quod anima quieſcens non conſumit humiditatem.ſic legitur in l.2.de diæ. pag 48. nu 24.verum in l.4.de mor.pag.76. nu.18. ſcriptum eſt.cur hominibus otioſis cibi iniucundi, & quo modo febres illis accẽdantur,& attẽnuentur: laborantibus autem corpus caleſcat: & quod nonnulli, cibis etiam iniucundis ſibi exiſtentibus,attenuentur.

Oua.

Oua adeo rara ſunt,vt ſpiritum tranſmittere poſſint,vt in l.de natu.pue.n.41. ſcriptum eſt. oua præterea volucriũ robuſtũ quid habẽt,& alunt,& inflãt vt in l.2.de diẽ.n.1.at in l.3.de morb.n.29.ouorũ cãdidi in aqua concuſſi potio in febribus eſt notata.

COMMENTARIVS XIIII.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

Panis.

PAnem fecerunt antiqui ex tritico macerato,& à cortice purgato molitoque, ac cribrato, & ſubacto, ac aſſato: ex ordeo verò mazam aliaq; multa ex hoc excogitantes, coxerunt,& aſſarunt,& miſcuerunt,fortiaque & intemperata debilioribus temperarunt, effingentes omnia iuxta hominis naturam ac vires, quæ quidem fortiora eſſent,ab ipſa natura non poſſe ſuperari,ſi ingeſta eſſent exiſtimantes. hæc in l.de vete.med.nu.8.præterea in eodem lib.num.23.de panis ſubſtantia hæc explicat. qui panem ex tritico parauit,calidum,aut frigidum,aut ſiccum,aut humidum abſtulit: panis enim & in ignem,& in aquam datur, & multis alijs elaboratus eſt. quorum ſingula propriam vim, & naturam habent, & aliqua quidem à natura in ipſo exiſtentia abijcit,alijs autem temperatur,ac permiſcetur. Poſtea diuiſionem panis quandã facit, & inquit. ſed & hoc ſcio, quod in corpore hominis refert panis purus, aut cui nihil furfurum diſceſſit, & ex tritico non decorticato, aut decorticato, & multa aqua ſubactus,aut contra, & ſubaſſatus aut crudior,aliaque præterea infinita, ex his uerbis panis differentia percipimus: etenim panis alius eſt cui nihil furfurum diſceſſit:alius ex tota farina collata: alius eſt plurima aqua ſubactus: alius pauca: alius fermentatus,alius non:alius magnus,& alius paruus alius crudior,alius ſuperaffatus,alius furnaceus,alius einericius.uſus autem panis eſt ad nutrimentũ,ad robur:atque ad refectionem corporis.atque hęc confirmantur in l.2.de diæ. pag.46. nume.7.vbi hæc verba leguntur. panis autem ex tota farina collata ſiccat,& per aluum ſecedit. purus autem magis nutrit, minus verò ſecedit.ex ipſis porrò panibus,fermentatus quidem leuis eſt, & ſecedit. & leuis quidem eſt; quia à fermenti acore humiditas conſumpta eſt, quæ ſanè mentum exiſtit. ſecedit autem, quia cito concoquitur. non fermentatus ſecedit. quidem minus, nutrit autẽ magis. qui ſucco ſubactus eſt, leuior eſt. & multum nutrit, & per aluum ſecedit. nutrit, quia purus eſt: leuis eſt;quia leuiſſimo ſubactus eſt,& fermentatus, ac coctus ab eodem eſt. per aluum ſecedit; quia paſſa & aluum mouente tritici parte; permixtus eſt. ex ipſis autem panibus maximè alunt; propterea quod minime exuritur humiditas ab igne. & furnacei panes magis alunt,quam focarij,& veruarij: propterea quòd minus exuruntur ab igne.clibano autem cocti, & ſubcinericij ſiccißimi ſunt, hi quidem propter cinerem,illi verò per teſtam humore priuati. ſimilaginei omnium horum fortiſſimi ſunt, & adhuc magis, qui ex alica fiunt, valdeque nutriunt, verum non ſimiliter ſecedunt. at verò quamquàm abunde de panis viribus diſſeruit:tamen hæc quoque adiungemus. ſcriptum eſt in li. de vict. ratio. in morb.acu. pag.155.nu.18.panis calidus ſitim,& repentinam repletionem inducit ob ſiccandi vim,& quia tarde trãſit.& in l.de inter.affect.pag.87.num.21.edat mazam oleo,& melle ſubactam, & panem craſſatum veterem: hæc enim magis pituitam trahunt. & in lib. de

affect.pag.83.nu.45. panis calidus, & carnes calidæ ipiæ per ſe comeſtæ, ſiccant. ſi verò cum liquore de deris,aut ſtatim à cibo potum præbueris,non ſiccāt, panis purus ex farinis ad robur, ac refectionem comodior eſt, quam qui non eſt ex tenuibus farinis paratus: & recens vtilior eſt,quam vetus, & ex farinis recentibus melior,quam veteribus.Et in eodem lib. n.51 quicunque ſane panē comedere ſoliti fuerunt, his dandus & in morbis.Et in lib.de inter.affec.pag. 87.nu.23.in pituita alba panem edat paruum exaſſatum.Et in l.de natu.mul. pag.96. nu.29.ad ſecundas educendas,& menſes detrahendos,ſi ſiccis opus fuerit; panes parato, & exaſſatos, ſemiſaſſatos, & cum his foueto. Et in l.3.de diæ.pag.51.nu.17.in alui ſeceſſu liquido incocto ſint cibi,panes non fermentati ex tota farina collata,clibano cocti,aut ſubcinericij, calidi, in vinum auſterum tincti.

Palatum.

In palato fiunt tubercula,ob humoris collectionē & per ipſum in ventrem fluxio eſt: & à palato nos aliquid præcipimus de natura hominis. Si tuberculum conſtiterit ad palatum, intumeſcit, & ſuppuratur cum ſic habuerit; tuberculum inurito. vbi verò exierit pus; reliquum eluito,primum nitro, & aqua calida: deinde vino poſtquam autem elueris; vuam paſſam albam exemptis vinaceis tritam in vſturæ locum indito.& vbi exciderit, vino meraco tepido colluito.& vbi edere quid aut ſorbere volet, ſpongiam indat.atque hæc faciat, donec ſanus fiat. hæc in l.2. de mor.pag.67.nu.32.at in l de coa.præ.nu.2.ſic legitur. quibus circa palatum humoris collectio fit, plerumq; ſuppuratur.præterea ſi per palatum in gutur multa fluxio contingat,vt plurimum morbi tabis oriuntur: replentur.n. pulmones pituita,atq; ea ipſa pus fit,quod pulmones exedit.ſic ſcriptum eſt in l.de Glan.pag.26.n.10. & in l. de loc. in ho. pag.32. n.27.hiſtoriā porrò recitat Hip.in l.7.de morbo.popul.pag 148.nu.12. atque ea eſt alius quidam in palato ſtertens, lingua ſicca, peripneumonica, prudens mortuus eſt. At verò aliquid naturæ hominis palatum ſignificat nam legitur in l.6 de morb.pop.ſec. 1.qui caput dolent,& aures fluentes habent,his palatum cauum eſt, & dentes non è directo inter ſe reſpondentes. Et in eodem lib.quibus de palato os diſceſſit, his medius conſidet naſus. quibus verò inde, vnde dentes prodeunt, his ſummus naſus ſimus eſt.

Pallor.

Legitur in l.4.de mor.pop.n.14.Temene filius habebat, quid ſpiritus, vtuiridantis palloris eſſet,ad dorſum: ad manus,uiridantis palloris.

Palpebra.

Palpebræ præterea in acutis morbis maximè ſunt medico obſeruandæ: propterea quòd legitur in l.de prog.pag.166.n.3.ſi retorta,aut contracta fiat,aut liuida,aut pallida palpebra,aut labium,aut naſus cum aliquo ex alijs ſignis, morti proximum eſſe ſciendū eſt.Et in l.4.aph.49.in febre nō intermittēte ſi labrū vel oculus, vel naſus, uel ſupercilium peruertatur, uel non uideat, vel non audiat, iam debili exiſtente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima eſt. Et in l de coa.præ.n.2.atque in l.prog.palpebras inter dormiendum non committere, pernicioſum eſt. Et ibidem. palpebrarum extremitatum curuitas mala. Et in l.6.de morb.popu.ſec.1.quibus circomtenditur palpebra,malum.Et in l.de coa.præ.n.2.& in l.prog.liueſcens palpebra, aut labium, aut naſus breui lethale eſt.Et in l.de vic.ratio. in morb. acut.com.4. par.63. ex palpebris alteram ad alteram germinare eſt vnum ex ſignis duræ phlegmonis.verum & ipſæ palpebræ ſuas habent affectiones: fiunt etenim pro ſua natura craſſiores;ſcabie laborant, fit in eis ordeolum,& tumor.cæterum ſi palpebræ craſſiores,quam pro natura fuerint; quo pacto curandæ ſint lege in l.de Viſu.pag.207.n.2. atque ibi comperies quo pacto medendæ ſint palpebræ, quæ ſcabie laborent,& pruritus habeant. De ordeolo autem in ſuprema palpebra ex calculi morbo lege in l.2. de morb popu.ſect.2. De Tumore verò in ſupernis palpebris ſcribit Hip.in lib.6.de morb.popu. pag.146.

Palpitatio.

Palpitatio autem varijs contingit corporis partibus:atque ex hac talia accipimus ſigna prognoſtica. primum legitur in l.de Iudic.pag.160.nu.8.palpitationes in manibus diuturnæ febris ſignum ſunt,aut breuis iudicationis in deterius, & in his pleraq; quę ad mortem tendunt. Et in l. 1.præd.pag.170.nu.20. palpitationes circa ventrem cum præcordij intenſione ſublonga, ac tumente ſanguinis eruptionem ſignificant.Et in l.de coa.præ. n.1. mentis emottones tremulæ,pulpitatoriæ,phreniticæ ſunt. Et ibidem. nu.2.iuxta ventrem in febre palpitationes, mentis emotiones inducunt. Et ibidem.dolores circa vmbilicum palpitatorij habent & aliquid mentis emotorium: verum circa iudicationem pituita his aceruatim copioſa cū dolore penetrat.Et ibidē.n.3.palpitātes per totū,nū etiā voce intercepta moriūtur? Et in l.1.de morb.pop.ſec.3.Aegro.4.palpitationes per totum corpus,ſermones multi,parum reſipiſcebat,verū ſtatim rurſus delirabat. Et in l.3.Aedro.3.vigeſima prima die parum mēte motus eſt: paululum ſitiebat: præcordij dolor, & circa vmbilicum palpitatio perpetuo.& in l.7.pag.147.n.3.in medio vmbilici,ac oſſis pectoris circa hanc ſedem adhibita manu, talis palpitatio erat,qualis neque à curſu, neque à timore circa cor generari poſſit. Cauſam verò palpitationis. recitat Hip.in lib.de morb.ſac.pag.58.n.7.& inquit ſi fluxio à cerebro ad cor progreſſum fecerit: palpitatio apprehendit,& anhelationes, & pectora corrumpuntur: cum enim deſcenderit pituita frigida ad pulmonem,aut ad cor; perfrigeratur ſanguis. venæ autem violenter perfrigeratæ ad pulmonem, & cor aſſiliunt, & cor palpitat.

Pani.

Fauus, ſtrumæ, pani, furunculi,& carbunculus à pituita fiunt. Quo verò hæc depurges pharmacis ſic vtendum. Quicunque bilioſi ſunt, his dato ea, à quibus bilis purgatur: pituitoſis ea, quæ pituitam: atrabiliarijs ea,quæ atram bilem: hydropicis ea quæ aquam purgant. hæc in lib. de Affect. pag.81. nume. 35.ex quibus verbis facile intelligimus,quòd quamquam pani fiunt & ſtrumæ à pituita: tamen ſi corpus è natura bilioſa, vel pituitoſa; humorem talem euacuare oportet.

Papulæ.

Scriptum eſt in lib.3. de morb. popular.ſect.3. Carbunculi æſtate multi,& alia, quæ putredo vocantur.: papulæ item magnæ. Et Galen. in com.

quid

quid papulæ significent, explicat, & inquit. Papularum nomen est his, quæ sponte extuberant in cute. deinde materiam, ex qua fiunt, sic exponit. Hæc constant superfluis humoribus, atque qualitatem etiam nõ iniuria subsequuntur; cum tenues humores exulcerationem potius, quàm tumores creat. at crassi in tumorem pellem attollunt. Et propterea palam fit papulas non esse eas, quæ nunc vulgo appellantur petecchie, quæ tantummodo culicum morsus videntur. At verò harum papularum aliæ sunt rubentes, aliæ non: dicit etenim Hipp. in lib. 1. sect. 3. ægro. 2. Octauo frigidus toto corpore sudor; papulæ cum sudore rubentes, rotundæ, paruæ, variis similes permanebant, nec abscessum efficiebant. Gal. autem rationem reddit, cũ inquit: natura ægri morbo repugnante, & humorum malorum superfluitatem ad cutem propellente. Et in sect. 2. eiusdem libri. Papulę paruę, quæ non essent excernendis morbis, statimq; euanescebant: aut secundum aures tumores nigricantes, qui nihil denuntiabant. Causa horum, inquit Gal. in in coctionem humorum incoctio. quod si quando per vim natura ad aliquos eorum excernendos aggressa esset, nihil proficiebat: immo ab his superata, aut in profundum recurrere permisit, aut propter paucitatem excretionem, abscessum moliebantur.

Paracynanche est leuis angina. l. Angina.

Paraplegia, & paraplexia.

Cum dolores accesserint, bilis atræ, fluxionumq; acriũ destillationes fiunt: dolent morsa interna, morsęq; atq; admodũ arefactę venę intendũtur, trahũtq; inflammatę, quæ influunt: quapropter corrupto sanguine, nequeuntibusq; spiritibus naturales pertransire meatus infrigidationes fiunt ob stationẽ, vertigines, aphoniæ, capitis grauitas, & conuulsiones, si iam ad cor, vel hepar, vel in venam peruenerint. hinc epilepsiæ, paraplexiæ; si continentes locos fluxiones inuaserint, atque spiritibus exire nequeuntibus exaruerint. hæc Hip. in l. de Vic. ratio. in morb. acu. com. 4. par. 27. quæ nobis explicant, & causam paraplexiæ materialem, & efficientem. Gal. autem in com. declarat, quid sit paraplexia, dum ait. Interdũ quoq; & facta absq; conuulsione apoplexia nonnullis morbus in partis resolutionem finiuit, qui paraplexia appellatur. Et suprà. interdũ, & toto corpore conuulsiones fiunt, atq; interdum salubriter, & commodæ: nempe corpus totum quatientes. vniuersas calfaciunt partes adeo vt ex multitudine aliud per cutim digeratur, aliud ad aliquam ex non præcipuis expellatur partẽ: vbi cum indissolubiliter impactum fuerit paraplexiam facit. nam quòd eas, quæ apoplexia, vel epilepsia ad aliquam ex non pręcipuis partem irruunt, paralyses. i. resolutiones, Hip. ita appellet, est demõstratum. Et in l. pror. com. 3. par. 26. quę ex lumbis ad collum, caputq; redundant, resoluuntque paraplectico modo, conuulsiua, & mentis vacillationem parientia. an & talia conuulsione soluantur? ex his varie ægrotant per ea perfecti. Et Galen. in com. sic exponit. conuulsiua conuulsione solui inter absurda est. prædicta verò solui conuulsione probabilius, quis intellexerit: (prædicta autẽ sunt, quæ ex lumbis ad collũ, caputq; redundant, resoluuntq; paraplectico modo) postea. s. fieri conuulsiua, & talia reddita paraplegiam soluisse: hæc si quidẽ sensum quendam habere videntur; propterea quòd paraplegia affectio vnius partis corporis talis sit, qualis est paraplexia totius, huic quoque aduersissimum sit: secundum motionem pathema conuulsio: nempe cũ partes affectas motu priuet paraplegia, conuulsio ad motionem agit naturali vehementiorem, ita vt violenter hæ concutiantur. quòd si obstructio vel humidorũ, aut crassorum, aut glutinosorum impactio in neruis fuerit, ob id paraplegia iuuare videbitur. Et par. 68. paraplegicis parotides vitiosæ. vnde declarat Gal. in com. cum inquit. paraplegias quibusdã corporis partibus accidere ab affectu didicisti, qualis est totius corporis affectus apoplexia. videtur autem mihi visis forsan, vel duobus, vel tribus paraplegicis nihil à parotidibus adiutis signum vitiosum eas esse pronunciasse. hæc Gal. quæ nobis indicant, quantum paraplegia à paraplexia differat. Et in lib. 1. de morb. popul. sect. 2. par. 58. inquit Hip. natu maioribus, & quos iam calor deficit, paraplegiæ, aut insaniæ, aut cœcitates. vbi Galen. ait. paraplegias vocat resolutionis ex apoplexia in partem aliquam decumbentes: insanias, delyria citra febrem. Et subdit Hipp. par. 69. hac tempestate in hyeme paraplegiæ cęperunt, multosque corripuerunt: ex quibus nonnulli subito moriebantur. qui morbus mire vulgabatur: cætera incolumes constabant. Galen. autem in com. rationem reddit, & dicit. paraplegias dicit in hyeme fuisse, capite scilicet læso, ventorum afflatũ, qui ea tempestate spirauerunt frigidi: maxime verò quòd totus autumnus austrinus calefecerat, & irrigauerat ipsum, atque simul repleuerat. Et subdit. paraplegia, quæ frequens est, in membri resolutionem decumbit: sed hominem non perimit. at verò quæ in præsenti statu viguit, lethalis erat, vtpote multum refrigerato capite.

Paronychia.

Ad Paronychiam vnguium abscessum, galla nigra cum melle. hæc in lib. 2. de morb. pop. sect. 6.

Parotides l. Circa aures abscessus.

Partes corporis humani.

Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, his mens ægrotat. sic scribit Hippoc. in lib. 2. aphoris. 6. quæ verba nobis explicant partes corporis appellari membra, vel partes membrorum corporis. & quemadmodum loci differentiæ primæ sunt sursum, & deorsum: deinde ante, & retro: postea dextrum, & sinistrum; sic, quoniam corpus est in loco ratione trinæ dimensionis, & ratione qualitatis est in certa loci differentia, vt sursum, vel deorsum: quapropter corpus in partes distinguitur, quarum aliæ supernæ dicuntur, aliæ infernæ: aliæ dextræ, aliæ sinistræ: aliæ anteriores, aliæ posteriores. & quemadmodum dextra pars est nobilior sinistra, vtpotè ea quę est motus localis principium in animalibus; sic pars superna est nobilior inferna: & anterior posteriori. dextrum porrò est principium latitudinis, pars superna longitudinis, anterior profunditatis corporis. prętera corporis partes alię exteriores dicuntur, vt cutis: aliæ interiores, vt viscera, & profundæ partes, vt legitur in lib. 4. aphoris. 48. in febribus non intermittentibus si partes exteriores frigidæ, interiores vrantur, & sitim habeat lethale est. sit & alia corporis diuisio: si quidem dicatur partium corporis humani alias extremas esse, alias medias, & pro-

pterea ſcriptum eſt in l.prog.cō.2.par.4.ſi caput,manus,ac pedes frigidi ſunt,in ventre,& coſtis calentibus malum eſt. Et Galen.in com.ait. mediæ corporis partes ſunt thorax,ac venter. igitur extremæ caput,manus,& pedes. Et part.34. qui tenuem & crudam diutius vrinam mingunt,ſi cætera velut in conualituris indicia fuerint, in his abſceſſum ad inferas præcordiorum ſedes expectare oportet. vbi Galen.in com.exponit,quando,& quas ob cauſas abſceſſus in ſupernis partibus, atque in infernis fiant in morbis: & inquit,& abſceſſus in his, qui admodum immorantur ſcilicet morbi ad infernas erumpunt, ſedes ob frigus, craſſitudinemque materiæ, ac virium ſpacio temporis languentium debilitatem: in acutioribus verò prope auriculas:etenim per eos craſſi minus humores exiſtunt, & item copia caloris,ac valentior facultas. at morbi medij, inter hos obtinent abſceſſus, qui medio genere ambigunt. neque conuenit, quantum in ipſum agitur tempus quærere, ſint ne ſurſum potius, quam deorſum erupturi, ſed ex alijs definiri ſignis oportet. In thorace verò ſunt cor, ac pulmo,vtpote partes ſupra ſeptum trāſuerſum poſite: nam inquit Hipp.in lib.progno.commen.1 part.24.ſpiritus crebrior ſignificat dolorem, aut inflammationem, quæ ſupra præcordia fatiget. vbi Galen. ait. Spiritum hoc loco vocat vniuerſam ſpirationem, quæ ſi crebrior fit; interdum ſignifiat dolorem, interdum partium in thorace incendium, quæ ſunt cor, ac pulmo, poſitæ ſupra ſeptum: maiores enim præcordia, ac ſeptum, idem appellauerunt.at verò extremæ corporis partes dicuntur ſummæ: legitur enim in lib.pror.commen.2.part.8.ſummæ corporis partes ſi celeriter in vtranque cōditionem permutentur, malum. Et Gal.in commen.explicat,quænam ſint hæ,& ait. ſummæ corporis partes pedes ſunt,manus,aures,& naſus,quæ & in his, qui cum frigore fiunt acceſſionum ingreſſibus primæ omnium frigeſcunt. Quapropter dicit Hipp.in lib.5.aphor.1. in morbis acutis frigus partium extremarum malum. & Galen. in com. ait partes extremas corporis eſſe,velut nares,aures,pedes, & extremas manus. verum partes ſupernæ dicuntur dupliciter, abſolutè, ſcilicet aut reſpectiuè. abſolutæ ſunt hæ, quas diximus. reſpectiuæ ſunt, veluti cervix reſpectu capitis, & thorax, & os ventriculi. ſed crura ſunt inferna ratione habita ad ventrem. & idcirco ſcriptum eſt in lib.pror. comm.3. part.22. dolores ſi ad infernas dilabuntur partes; facile ab his perferuntur Galen. verò in com.inquit.quaſnam infernas dicat partes non adiecit: nam ſi ad thoracem, & os ventriculi peruenerint dolores;maiorem inducent tolerandi difficultatem,quam ſi in ceruice,atq; cubito eſſent: ſi ad crura; morboſam totam affectionem mirè inuabunt. cæterum ſicut partium corporis aliæ alijs ſunt robuſtiores, & nobiliores; ſic morbi alij ſunt robuſtiores, & maligniores. ſed partium extrarum morbi robuſtiores ſunt, vt legitur in lib. 3 de morb.nu.27. cuius verba ſunt. optandum eſſet ex ſiniſtra:nam dextras vrere,aut ſecare lethalius eſt quanto enim robuſtiores ſunt dextræ partes, tanto etiam fortiores morbi in ipſis fiunt.ſic dicit Hip.cauſa fortaſſe eſt, cur morbi fortiores fiant; quoniam à potentiori proficiſcuntur cauſa: neceſſe eſt etenim ſi membrum vel pars robuſta lædi debeat; vt à validiori cauſa lædatur. ſed vt finem huiuſce partis imponamus. hoc legite præſagium, quod ſcriptum eſt in l.de Coa.prę.n.3.quib.partes infernæ affliguntur pruritibus antea fortibus obortis, his arenoſa vrina fit, & ſupprimitur: qui verò ex his pernicioſe habēt his mens obtorpeſcit.

De partu.

Cum alias de conceptione, atque de fętu longam habuerimus.orationē;reliquū eſt,vt de partu aliquid dicamus.Proditū eſt in l.de Na.pue.pag.17.n.39.Alimentum,& augmentū,quod à matre deſcendit,non amplius ſufficiens eſt puero,vbi decē mēſes prętierierint,& fętus auctus fuerit:trahit.n. quod dulciſſimū eſt in ſanguine ad ſeſe,ſimulq;etiā lacte modice fruitur.Cū aūt hęc ipſi rariora, ac pauciora ſint, & puer plenus,ac maturus exiſtat;copioſius alimentū deſiderans calcitrat,ac pelliculas rumpens,initium partus matri inducit.& hoc perpetiuntur magis mulieres, primi parę, & quibus pauciores prodeunt menſes: iuuenculis.n. modicus ſanguis procedit, [illegible]; alijs, quę ſicciores ſunt.& dēſiorē habēt carnē: [illegible]as vt plurimum contingit ēt ſine lacte eſſe.Puer[illegible]tur ſe mouente,vt legitur.n.37.ac manibus, & p[illegible]us calcitrante,pelliculam quandā internam rum[illegible]contingit.rupta aūt vna,ēt alię debiliorē vim habent,& rūpuntur primum quidē illi contiguę, & cohęrentes: poſtea extrema.& tunc fętus à vinculo exoluitur,& agitatus foras procedit:neq;.n.amplius robur habet pelliculis amiſſis: neq; vteri amplius puerum continere poſſunt.Quando aūt procedit puer;violat,& dilatat vteros in exitu,vtpote teneros exiſtentes.procedit aūt in caput,ſi ſecundum naturam prodierit:graueſſimę.n.ſunt ſupernę partes,ſi ex umbilico perpendantur.Cū autem in uteris eſt;magis continens exiſtit uſque ad pellicularum rupturam ſimul cum decimo menſe,quando partus matri propinquat,& adeſt Si uerò uiolentam affectionem perpetiatur puer; ēt ante pręfinitum tempus ruptis pelliculis prodit:deinde,ſi, vt diximus,alimentū à matre prius puero defecerit.Et ſubdit nu.42.Diruptis pelliculis,ſi pueri momentū in caput inclinatū prædominabitur; mulier facile parit.ſi aūt obliquus,aut in pedes procedit difficulter. contingit aūt hoc ſępe, ſi momentū hue inclinarit ſiue prę vterorū ſpacioſitate, ſiue ſi mater in labore ex partu primū non quieuit.multæ autem uel ipſæ perierunt,vel puer,uel ſimul matres una cū fętibus.Cæterū ex pariētib.ac puerperis maximè laborant primiparę propter inexperientiā dolorum.& dolent quidē totū corpus,maxime verò lūbos, ac coxendices,nā coxēdices ipſarū diſparantur.Cur verò primiparę magis doleant,fortaſſe eſt illud,ꝙ de mēſibus exponit Hip.in l.1.de mor.mul.pa.100.n.1.hoc eſt.Mulier,quę non peperit,grauius,& citius è menſibus egrotat,quam ea,quę peperit,cū.n.peperit,uenulę fluuidiores ſunt ad mēſes.fluuidas aūt facit purgatio illa,quæ fit à partu. Et,ubi hęc erumpit:uicinę maxime uētri,ac māmis corporis partes diſcindūtur diſcinditur & reliquū corpus.quo diſciſſo neceſſe eſt uenas magis aperiri,& ampliores,ac fluuidiores ad mēſes fieri,itēq; uteros magis aperiri, nimirū puero per ipſos egreſſo,qui & uim & dolorē induxit. Sunt ēt plures aliæ cauſę,quæ partū reddūt difficilē:nā legitur in lib.5. aphoriſ. 55. quæcunque utero gerentes à febribus corripiuntur,& fortiter calefiunt ſine

occa-

occasione manifesta; difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes periclitantur. & in lib. de aere, aquis, & loc. pag. 36. nume. 12. aquæ palustres, & stabiles, ac lacustres hyeme mulieribus efficiunt tumores, & pituitam albam, & vix in ventre concipiunt, ac difficulter pariunt, & fœtus magnos, ac tumidos. & numero vigesimo sexto si hyems australis fiat, & pluuiosa, & clemens, ver autem boreale, & siccum, & tempestuosum; primum quidem mulieres quæ vtero gestant, & partus ipsis ad ver instat: abortum facturas esse verisimile est: quæ verò etiam pepererint, impotentes, ac morbosos pueros parere, ita vt aut statim pereant, aut tenues, ac debiles & morbosi viuant. hæc quoque leguntur in libro 3. aphoris. 12. sed in eodem lib. de aere, & cæt. nume. 7. ex mulieribus multæ steriles fiunt, propter quas quę duræ sunt, crudæ, ac frigidæ: purgationes enim mensium non contingunt commodæ, sed paucæ, ac pravæ: deinde pariunt difficulter, & non valde abortiunt. vbi verò pepererint; pueros nutrire non possunt: lac enim ab aquarum duritia, ac cruditate extinguitur. & in lib. de Coac. præno. num. 3. ante partum rigorem habere, & partus citra dolorem, periculosi. & ibidem. quæ ante partum iuxta modum bilis sursum, ac deorsum erumpentis, doluerunt, facile quidem pariunt. verùm si febricitent; malignè habent, tum aliàs, tum si circa fauces, quid vexet, aut aliquod signum in febre malignum appareat. & in lib. de exectio. fœ. numero tertio partum faciliorem reddunt purgamenta ante partum non prodeuntia. & in lib. de Coac. prænoc. ante partus aquosa erumpentia, mala. verum si partus reddatur difficilis; plura leguntur auxiliaria, quæ subleuent. proditum est enim in lib. 5. aphoris. 35. mulieri quæ vterinis mole status, aut difficulter parit; superueniens sternutatio bonum, at partui auxiliaria lege in lib. de Superfœ. pag. 22. nume. 3. Et in lib. 1. de morb. mul. pag. 109. nume. 103. plura habemus medicamenta partum accelerantia. Parienti igitur muliere, si in caput processerit puer; caput primum foras prodit, deinde alia membra consequuntur, postremus autem vmbilicus. Et vmbilico autem secunda tenta est. posthęc aquositas, & mucus sanguinolentus tum à capite, tum à reliquo corpore secretus, præ violentia, & dolore, ac calore. atque hic struit viam purgationi à partu consequenti. post exitum autem eius muci cruenti purgatio fit. & tum mammæ, tum reliqua membra, quæ humidiora sunt mulieribus rumpuntur, minime quidem in primo partu; postea verò prout plures pariunt, ita amplius rumpuntur, eua cuatis venis præ partus purgatione. hæc in l. de nat. pue. nu. 43. in l autem de superfœ. num. 2. si cui exeat secunda, priusquam puer foras procedere incipiat ægre parit, & magis adhuc periculosè si caput non procedat. si verò alicui vna cum secunda puer foras exierit, & ad stomachum .i. os vteri progressus rupta secunda emerserit; magis facile parit: itemq; si puer quidem foras prodit, secunda verò adhęserit, & se ipsam retrahit, atque isthic manet. at si verò fœtus mortuus est in vtero, quo pacto cognoscatur, atque extrahatur lege in eodem li. n. 6. & in lib. 1. de morb. mul. nu. 109. verũ quo tẽpore pariãt mulieres sic scriptum est in l. de Septim. par. pag. 20. nu. 6: conceptus, & abortus, & partus mulieribus in eo tẽpore, in quo etiam morbi, & sanitas, & mors omnibus hominibus fiunt. hæc verò omnia partim secundum dies, partim secundum menses, partim secundum dierum quadragenarios, partim secundum annum significationem sui præbẽt: in omnibus. n. istis temporibus insunt ad vnumquemq; & vtilia multa, & hostilia multa. post partũ verò si mulier febricitauerit; iudicationes fiũt à partu, quouis die pepererit vt scriptũ est in l. prog. com. 3. par. 10. Et si purgamenta plura fiant, & vnde contingant lege in l. 1. de morb. mul. nu. 68. & hæc si valde nigra, & biliosa sint nu. 43. sed si ex partu non purgetur, quo modo cognoscas ac cures, scriptũ est nu. 51. & in l. de natu. mul. nu. 8. verum quæ post partum cogunt, multa medico indicant præsagia, quantum ad mulierem, & ad puerum pertinent, quemadmodum legitur in l. de Coa. præ. n. 3. hoc est. post partum molestias ex albis mordacibus, salsuginosa in vterum gestantibus significãt. Et ibidem. ex partubus torpefactoriæ exolutiones difficiles quidem contingunt, & mentem emouentes, non tamen pernicioſe. & in l. de Septim. par. septimestres partus plurimi pereunt, & pauci superstites manent. & nu. 2. octonos menses difficillime vteros ferre scriptum est. & nu. 3. abortus plurimos primis quadraginta diebus fieri. & nu. 4. octauum mensem mancũ, aut cœcum gerentibus difficiliorem: eiusmodi autem fætus plerunq; esse superstites, cęteros non item. Et nu. 5. nouimestres partus qui superuiuant, & qui non: decimestres maxime educentur. & in lib. de Carn. pag. 20. n. 22. puer septimestri partu natus pro ratione natus est, & viuit & rationem talis habet, & numerũ ad hebdomadas, ac septenarium exactum. octimestris autem natus vllus nunquam vixit, nouem verò mensium & decem dierum partus fit, & viuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum: quatuor enim denarij hebdomadum dies sunt ducenti, & octoginta. in denarium autem hebdomadum septuaginta dies incurrunt. habẽt autem & septimestres partus tres denarios sine decadas hebdomadum, & unaquaque decade septuaginta dies. tres uerò hebdomadũ decades ex toto sunt dies ducenti, ac decem. Et in l. de Coa. præn. nu. 3. quæ ex partu, ac fœtus corruptione multa repente concitata supprimuntur, difficilia sunt rigor his infestus est & alui turbatio, tum aliàs, tum si præcordiũ doleant. Et ibidem. quibus ex partu prodeunt, alba, his uerò suppressis, cum febre surditas, & dolor acutus ad latus fit. mente mouentur. & pernicioſe habent.

Pauores contingunt paruis, & recens natis pueruli, ut scriptum est in l. 3. aph. 24.

Pecten.

Dolet pecten, distenditur, rumpitur, & alia patitur. dolet cum uesica laborat: etenim dicit Hipp. in libro quarto aphor. 80. si sanguinem mingant, aut grumos, uel stillicidium urinæ habeant, & dolor in imum incidat uentrem, & fœmem; circa uesicam labor est. dolet etiam mulieres præ fluxu aquoso. unde in libro secundo de morb. mulie. pag. 120. nume. 76. si pecten præ fluxu aquoso doleat; viticis semen cum melle terito, & in cataplasmate pectini probè adhibeto. Distenditur autem, ut recitat Hip. in lib. 4. de morb. pop. nu. 12. his uerbis. Zoili fabri pulsus tremuli, tardi: urina, & alui receſſus moderatè decolor: pectinis distentio utrinque in directum, usque ad umbilicum, cum febre acuta, cibus auersans, si ticulosus.

Et in l. 2. sec. 3. Scopo ex mucosis, biliosis, & faucium inflammatione, malo victu vso aluus supressa est, & febris acuta facta, & lingua florida, & vigil sine somno. pectinis intentio fortiter, æqualiter paulatim ad infernam partem in dextris. spiritus subdensus, præcordia dolebat, & respirans, & conuertebatur. Et in lib. 6. de morb. popul. sectio. 2. in Perintho genituræ similis vrina talis, quæ esset iudicatoria, etiam pectinis affectionem: nam huiusmodi vrinæ talia sanant. Rumpitur quoque pecten: nam legitur in lib. 2. de morb. popu. sect. 1. pectinum ruptiones, quæ quidem circa pubem fiunt, vt plurimum statim sunt innoxiæ. quæ verò paululum circa vmbilicum dextra parte, hæ doloroſæ sunt, & anxiosæ, & stercoris vomitum inducunt.

Pectus.

In pectore fiunt dolores, morsus, suppurationes, carcinoma, ruptio, corruptio, vlceratio, conuulsio, strepitus: vritur præterea pectus, percutitur, bilem generat, atque alia huiusmodi sustinet affectiones. Pectoris autem dolor fit, quandoque à rebus frigidis, veluti ab aquilone, vel ab aqua frigida. etenim dicit Hipp. in lib. 3. aphor. 5. si aquilonia fuerit tempestas; tusses, fauces, costarum dolores, & pectoris. Et in lib. de Humi. vsu. num. 4. pectus frigida. s. aqua magis agrauatur. Et in lib. 5. aphor. 24. frigida qualis nix, & glacies pectori inimica, tusses mouent, & sanguinem, & destillationes. Et in lib. 3. aphor. 17. aquiloniæ constitutiones, si pectus dolor aliquis obsederit; dolorem augent. Et in eodem lib. num. 23. hyeme morbi laterales, pulmonis inflammationes, grauedines, raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atque lumborum. quid verò præsagij capiatur ex pectoris dolore, scriptum est in lib. de Coa. præno. nu. 3. vbi legitur. in pectus firmatus dolor cũ torpore malus. hi si insuper febriant, acute ardentes moriuntur. Et ibidem. ad pectus, & ad aluum dolor progressus concitatus ex anginosis citra notas attenuatis pus egerere facit: alias autem eius, qui exoluitur, tale est. Et ibidem num. 2. in pectoris, ac dorsi dolore mictio cruenta suppressa pernicioſa est. Et ibidem. in pectoris dolore febriculoso, aluus turbata, torpida, nigrorum egestionum signa sunt. Et in lib. de Iudica. pag. 160. nume. 10. quicunque insaniunt sua sponte liberati ex morbis, his insaniam solvit dolor ad pedes progressus, aut ad pectus, aut tussis vehemens oborta. si verò horum nihil fiat; insania soluta, oculi priuatio contingit. Et in lib. 7. de morb. popul. nume. 27. Simonis vxoris in partu concussæ dolor circa pectus, & latus, tussis, febres, excreationes purulentæ, tabes ad sex menses, febres, & alui profluuia semper. ad finem febres cessauerũt. post cessationem substitit aluus, & post septem dies mortua est. Et in eodem lib. nu. 2. sub vltimum tempus dolor pectoris deglutiẽti potum, & manus in pectore. cuminum, & ouum absorbenti sedatus est: linguæ raritas profuit. Et in lib. 1. de mor. pag. 61. num. 10. quicunq; dolorem aliquem habent, vel in pectore, vel in dorso; hæc omnia habent, ex his quidem, quæ in corpore insunt, à bile, & pituita: ab externis verò ab aere insito calori ammixto, sed & à laboribus. ac vulneribus. De morsu pectoris sic legitur in l. de Coac. præno. num. 1. circa pectus morsus, & amaritudo in his. quibus biliosa alui egestio, malum est.

De suppuratione verò pectoris sic scriptum est, in lib. 1. de morb. num. 3. in pectoris suppurationem ex peripneumonia, ac pleuritide transitus fit. & in l. de natu. homin. pag. 11. nume. 24. quibuscunque in pectus fluxio contigerit: suppurati fiunt, nimirum purgatione acliui existente, & multo tempore in pectore immorans putrescit, & purulenta redditur. & in lib. de Coac. præno. num. 1. pectore plerunque suppurati fiunt, qui ex lethargicis seruantur. & in l. 2. prædic. pag. 172. nume. 14. qui ex sanguinis eruptione, pectore suppurati fiunt, & viri, & mulieres, & virgines; non minus euadunt. verum signis omnibus, tum suppuratis, tum tabescentium collectis, & superstitem futurum & periturum prædicere oportet. maxime verò euadunt ex sanguinis ruptione hi, quibus dolores sunt atrabiliarij, & in dorso, & in pectore, & qui post eruptionem minus dolent: nam & tusses non valde insuper accedunt, & febres pleræque perseuerant, sitim facile ferentes. at reuersiones eruptionis sanguinis maxime fiunt his, si non abscessus succedant. optimi verò sunt abscessus sanguinolentissimi. quibus autem in pectoribus dolores insunt, & per tempus attenuantur, & tussiunt, ac difficulter spirant, neque febribus insuper corripientibus, neque suppurationibus succedentibus eos interrogare oportet, cum tussiant, & difficulter spirent, an & compactum quiddam, & modi cum odorem habens tussiendo reijciant. & num. 12. eiusdem lib. hæc scribit. De tabescentibus quo ad sputum, ac tussim attinet eadem dico, quæ de pectore suppuratis scripsi. oportet enim eum, qui probe liberari volet, facile sputum per tussim reijcere, & id esse albũ, & æquale, & eiusdem coloris, & ab inflammatione alienum. quod verò à capite defluxit; ad nares conuerti: febrem autem non inuadere, vt ne à cœnis prohibeatur, neque sitiat. venter autem egerat quotidie, & id, quod egerit, sit durum, copia pro ratione ciborum ingestorum. hominem verò quam minime tenuem esse oporet. pectus autem laudare conuenit quadrangulum, & hirsutum, & os ipsius paruum sit, & robuste carnosum: quicunque hæc omnia habuerit, maxime superstes erit. qui verò nihil horum habet, interitui proximus. quicunque verò pectore suppurati facti fuerint, dum iuuenes sunt, ex humorum illapsu, aut fistula, aut alio quopiam huiuscemodi, aut ex abscessus recursu, hi non euadunt. pereunt autem homines hi ad autumnum. sed & ex alijs morbis longis plerique ad hoc tempus maxime moriuntur. Et in lib. de inter. affec. pag. 84. num. 3. docet curationem, & inquit. si pectore suppuratus fiat; eadem quæ etiam prius faciat. si verò sanus fiat; ab his cibis, ac potibus abstinere oportet, ab acidis, & acribus, & salsis, & pinguibus, à labore item, ac ijsdem, à quibus prior abstineat. hæc si fecerit; celerrime à morbo liberabitur. si verò quid horum non fecerit; rursus reuerso morbo, periclitabitur, & morbus prior erit: nam multi rupto pulmone vitam degunt, donec moriantur. hunc si non statim quis curet; recidiuante morbo postea non habueris, quo prodesse possis, nisi hæc feceris. lacte bubulo crassefactum, in pectore, & dorso vrito: si enim vstio succesſerit; proderis. morbus autem hic ex ijsdem delictis fit, ex quibus etiam prior. & in eodem lib. num. 25. facti sunt autem, & multi pectore suppurati, tuberculis

obortis.

obortis. hæc igitur in principio ad morbum conſequuntur, tuſſis ſicca, & fauces exaſperari videntur: & rigor ac febris ſuccedit, & erecta ceruice ſpiratio & corporis intumeſcit, & pedes tument, & vngues contrahuntur, & donec quidē in ſuperno ventre fuerit aqua intercus: adeſt dolor acutus; poſtquam autē ad infernum ventrem venerit: melius habere ſibi videtur. poſtea progreſſu tēporis patitur, qualia prius impleto ventre. quandoque etiam ad latus intumeſcit, & indicat vbi ſecare oportet. ſi verò nō indicet: multa calida lauato, & humeris apprehenſum concutito: & deinde in vtro latere magis fluctuet, audito. quo intellecto, coſtam tertiam ab vltima vſque ad os ſecato. deinde cum terebra caua vltrà perforato. & modum perforandi ibi lege. De rubore pectoris ſic legitur in lib. de Coac. præno. numer. 3. qui in peripneumonijs ſiccis pauca concocta educunt, horrenda res eſt, rubores in pectoribus ſublati, talibus pernicioſi ſunt.

Carcinoma porrò pectoris memorat Hippoc. in li. 5. de morb. popul. numer. 36. Et inquit. mulieri carcinoma obortum eſt circa pectus, & per mammam fluebat ſanies ſubcruenta: obturata verò fluxione, mortua eſt.

De ruptione verò agitur in lib. 2. de morb. pag. 70. n. 60. ſic. ſi pectus, aut dorſum fuerit ruptum; dolores tenet pectus, ac dorſum perpetuo, & calor aliàs, atq; aliàs corripit; & ſaliuam ſubcruentam tuſſiendo reijcit, & velut pilus cruentus per ſaliuam traſcurrit. atque hæc maxime patitur: ſi manibus quid laborarit, aut in currum, at equum inſcenderit. hunc ante, & retro vrito ex partibus vtroque loco, & ſic ſanus euadit. cæterum per annum à labore ſe contineat, & ab vſtura, pinguefaciendo corpori ſtudeat. Et in lib. de Affect. pag. 85. nu 9. ſi pectus, & dorſum dirupta fuerint, (dirumpuntur autem maxime à labore) æger hæc patitur. Tuſſis obtinet acuta, & ſaliuam expuit aliquando ſubcruentam, & rigor & febris plerunq; corripit; & in pectore, & in dorſo dolor ineſt acutus, & in latere velut lapis incumbere videtur, & a dolore perpetuo pūgi, velut ſiquis acu ſtimulet. Huic; cū ſic habuerit; ſtatim lacte in potu dato, pectus, & dorſum inurito, & ſic ſanus celerrimè erit. de cætero verò quietam maximè corpori vitam degat; ſiquidē. n. laborauit, & aut currum, aut equum aſcenderit, aut humeros oneri ſubdiderit; periclitabitur, ne rurſus morbus recidiuam faciat. Et, ſi hoc cōtingat; periculum eſt, aut corrumpatur: morbus enim reuerſus magis premit, quàm ab initio. ſi verò non fuerit uſtus; ijſdem ipſum curato, quibus & ſuppuratum, ſorbitionibus, & potibus, & cibis. In ſumma verò quietem agat, & commodis cibis alatur: ſi enim ſic tractatus fuerit, celerrimè ſanus erit. Morbus autem grauis eſt.

Pectus præterea aliquando ab humoribus, & à pure vulneratur, & quo modo lege in li. 1. de mor. pag. 61. num. 11.

De pectoris corruptione agitur in l. de Morb. ſac. pag. 58. num. 7. hoc pacto. Si ad cor è capite progreſſum fecerit defluxus; palpitatio apprehendit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur, aliqui verò etiam incurui fiunt; cum enim deſcenderit pituita, frigida ad pulmonem, aut ad cor; perfrigeratur ſanguis. venæ autem perfrigeratæ, ad pulmonem, & cor affiliunt, & cor palpitat.

Pectoris porrò conuulſi mentionem facit Hip. in l. 2. de mor. pag. 69. num. 52. & inquit. Si ambo ſcilicet pectus, & dorſum conuulſa fuerint; tuſſis emergit, & ſaliua craſſa, ac alba apparet, & dolor acutus adeſt ad pectus, & ſub ſcapulas, ac latus: & odor detinet, & rubicundis tibijs circulis impletur, & pruritum habet, & non ſuſtinet neque ſedere, neque iacere, neque ſtare: ſed ægrè afficitur, ac viribus deficit. hic quarta die maximè moritur. ſi verò hanc effugerit, ſpes neque ſic multa ſupereſt: verum periclitatur & in ſeptima. quòd, ſi & hanc effugiat; ſanus euadit. curationem verò proſequitur, quam tu lege.

In pectus percuſſus eſt à catapulta Tychon, & paulò poſt riſus erat circa ipſum tumultuoſus. videbatur autem mihi medicus eximens lignum. reliquiſſe aliquid de ſpiculo in ſepto tranſuerſo. at lege hiſtoriam. is conuulſus obijt.

In pectore fiunt ſtrepitus, de quibus ſic ſcriptum eſt in l. de Coa. præn. nu. 3. In pectore pleuriticis ſtrepitus ſputi multus & facies triſtis, & oculus morbi regij colore infectus, ac caliginoſus, hi pereunt.

At pectoribus bilem generantibus qualis hominis ſit natura hoc arguit modo Hippoc. in lib. 2. de mor. popul. ſect. 6. Quorum pectora bilem generant, balbi, furioſi, & calui ſunt. quicunque horum ex natiuitate, etiam ſtrabones, hi imprudentes ſunt, aut calculoſi, aut inſanientes.

Pedes.

In pedibus, ac manibus tenuiſſimæ, ac denſiſſimæ, & plures venę ſunt. nerui item tenuiſſimi, ac denſiſſimi, & plurimi, & oſſa magnitudine minima, atque hæc maximè in digitis manuum, ac pedum exiſtunt. ſic ſcriptum eſt in l. de natu. pue. pag. 16. nu. 16. ad pedem verò tibia iuxta malleolos articulum habet, & alium infra malleolos. Et in pedibus articuli multi, quemadmodum & in manibus ſunt: quot enim oſſa, tot ſunt articuli. & in digitis pedum eodem numero ſunt, ac pari modo habent. hæc ſcribuntur in l. de loc. in hom. pag. 31. nu. 14.

Verùm pedes tenet dolor, marcor, calor, frigus, diſtentiones, vlceratio digitorum, luxatio, fractio, tumores, & id generis. De dolore autem leguntur hæc prog. in l. de Iudic. pag. 160. n. 10. quicunque ſua ſponte inſaniunt, liberati ex morbis, his inſaniam ſoluit, dolor ad pedes progreſſus, aut ad pectus, aut tuſſis vehemens oborta. ſi verò horum nihil fiat; inſania ſoluta, oculi priuatio contingit. & nu. 11. qui ab alui profluuio multo tempore detinentur vnà cum tuſſi non liberantur, ſi non dolores vehementes in pedibus inciderint. ſed quemadmodum dolor pedis inſaniam ſoluit, & alui profluuium, ſic contrà febrem inducit. Legitur enim in lib. 1. de morb. popu. ſect. 3. Aegro. 9. Critoni erectè obambulanti, pedis dolor fortis à magno digito cępit. decubuit eadem die horridus, anxius, parum ſubcaleſcens, nocte diſſipuit. ſecunda die tumor laxus per totum pedem, & circa malleolum ſubrubens cum diſtentione. puſtulæ nigræ: febris acuta: inſanijt. ab aluo verò mera, bilioſa, ſatis multa prodibant. mortuus eſt altera ab initio die. & in l. de Coa. præ. nu. 1. conuulſio in febre manuum, ac pedum dolores, maligni ſunt. malignus eſt & doloris ex femore progreſſus.

De pedis marcore ſcribitur hæc hiſtoria in l. 5. de mor. pop. n. 18. ſeruæ Ariſtionis pes ſua ſponte marcore

core corruptus obtorpuit iuxta medium pedis intrinsecus ex obliquo: & ossa putrida facta abscesserunt,& prodibant paulatim fistulosa, & ventris profluuium succedebat,& mortua est.

Pedes præterea occupat calor,& frigus,de quibus plura narrantur. nam legitur in l. 4. de morb. popul. num.28. Demarati vxor, pedes etiam in horroribus calidi:siue ad suppurationem,siue non,tendebat, perijt. & in lib. 6. de morb. popul. sect. 2. quibus splen deorsum vergit, pedes, & manus, & genua calida sunt:nasus,& aures semper frigidi: num propter hoc quod tenuis sanguis?num & natura talem hi habent? & in l.de vict.ratio.in morb.acut.pag.157. nume.42. à pedibus arguit, quando alimentum sit febrienti exhibendum,& inquit. Cum frigidi sunt pedes scilicet in febribus; neque potum, neque sorbitionem, neque aliud quidquam eiusmodi dato. verum maximum hoc esse ducito, vt expectes donec valde fuerint calfacti: deinde sic id quod conducit, exhibe: plerunque enim futurę exacerbationis febris signum est pedum frigiditas. si verò in tali tempore exhibueris; morbum non parum augebis. cum autem febris desinit; vice versa pedes reliquo corpore calidiores sunt. augetur enim frigefaciens pedes accensam ex thorace ad caput flammam remittens. vniuerso autem calore aceruatim sursum concurrente, & ad caput exhalãte,merito pedes frigidi fiunt,vt qui excarnes & neruosi natura existunt. insuper autem etiam cum longè à calidissimis locis absint perfrigerantur, calore ad thoracem coaceruato. & rursus iuxta proportionem cum febris soluitur, & in tenues partes dirimitur, ad pedes calor descendit. hoc igitur tempore, & caput & thorax perfrigeratur: qua de causa sorbitio exhibenda est. præterea & in lib. prog. pag. 166.nu.3.hanc prænotionem è caliditate pedum sumit.si nudos quoque pedes habere comperiatur, nec admodum calidos:& manus,& collum,ac crura inæqualiter disiecta, ac nuda, malum est: anxietatem enim significat.Et in l.de Inter.affect. nu.18. in renũ morbo à bile, & pituita orto, pedes, & tibiæ semper frigent. At in l.de Humi.vsu.pag.54.num.2.declarat quantum malum adferat calidæ nimium vsus., dum legitur. iam verò & pedes deciderunt perfrigerati ex calidæ perfusione.sed his corpus perfusi iudex est, similiter etiam frigidæ. Et in l.de virg.mor.pag.92. nu.2. à torpore pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec sanguis ad se ipsum reuertatur. reuertitur autem celerrime,cum steteri in aqua frigida,quę vltra malleolos madefaciat. atque hic quidem torpor facile cedit: cito enim propter venarum rectitudinem refluit.

Rubores quoque in pedibus iudicatorij sunt: etenim legitur in l.de Coa.præno.nu.1.rubores in manibus,ac pedibus pernicioſi. Et n.2.febres intermittentes, verum inæqualiter calescentes aluo inflata pauca egerente in his post iudicatione lumborum dolore secuto alui erumpunt. at amburentes ad manum torpidæ,sticulosæ,anxioſę,in his aluo suppressa grauati exoluuntur. quandoque verò & rubicundæ in pedibus ambustiones eadem significant.

Verùm ad tumores pedum transeamus. scriptum est in l.2.prædic.pag.144.num.42. quibus partes sub oculis vehementer attolluntur; eos magnos habere lientes comperies. si verò etiam in pedibus tumores accesserint aquam etiam habere videbuntur. verum & ventrem,& lumbos inspicere oportet.Et in lib.de vlce.nu.15. in pedibus tumores & sponte & non sua sponte,in quibus neque tumores,neque inflammatio à cataplasmate sedatur,vnde & eorum curatio. Et in l.7.de mor.pop.num.6.recitat historiam de prægnante,cui circa quartum,aut quintum mensem tumores circa pedes aquosi fiebant, & oculorum cauæ partes intumescebant:& totum corpus in tumorem eleuatum erat,velut in pituita alba affectis, tussis sicca,rectæ ceruicis spiratio,atque alia symptomata,quę ibi lege.at cum fabis melle amixto, & eclegmate mellis usa esset & æthiopicum in cuminum in vino bibisset,melius habuit.postea tussiendo eduxit,multa matura,pituitosa,alba.& piratio illa cessauit.

Ad pedum autem distentiones scribuntur in l. de coa.præ.n.3.hæc.ad pedes & ad lumbos distentiones ex mensibus suppurationem inducunt: itemque ea, quæ de aluo viscosa graueolentia dolore prodeunt.

De pedis digiti vlceratione hæc narrantur in li.7. de mor.pop.nu.53.Aristoni vlcerato pedis digito, & cum febre loquelæ obscuritas. carcinoma adscendit vsque ad genu.perijt.erat autem nigrum, subaridũ, graueolens.

Præterea pedis luxationem lege in l.de Arti. & in pede magni digiti infra luxationem in li.5. de morb. pop.nu.29. Et pedum, ac genuum situs in curatione qualis esse debeat in l.de Chirur.offi.nu.2.Pedis tandem ossium fractorum curationem vide in l.de fracturis,atque de articulis:ibique comperies,quòd pedum fracturæ propter neglectum decubitum perfecte curari nequeunt.

Perdicis.galli,& turturis caro columbarum carne humidior est,vt legitur in l.2.de Diæ.nu.10.

Perfrigeratio.

Perfrigeratio siue toto corpori contingat,siue parti,in morbis acutis semper est malum, atque eo magis si cum alijs copuletur symptomatibus nõ bonis. De perfrigeratione igitur ad hunc modum scriptum est in l.de Coa.præ.pag.175.n.1.qui ex rigore perfrigerantur, caput, ac collum dolentes, voce destituti, insuper exudantes,postquàm se recollegerint,moriũtur. Et molestè ferre morbum cum perfrigeratione, pessimum est. Ex,perfrigeratione timor, & tristitia præter rationem,in conuulsionem finit.Et,ex perfrigeratione vrinas intercipi pessimum est.Et, soporosi rigores aliquatenus pernicioſi, & flammeus in facie color, cum sudore in his malignus est.in his frigiditas posteriorum partium conuulsionem accersit. Et, anxietudines in diebus iudicatorijs, si in his sine sudore perfrigerentur; & omnes qui sine sudore perfrigerantur citra iudicationem male habent. Et,qui ex rigoribus, paruis sudoribus perfrigerantur, malum. Et,qui ex perfrigeratione sudorosa cito recalescunt, malum. Et,qui cum perfrigerationibus non sine febre superne exudant, molestè ferentes, & phrenitici in acuto morbo pernicioſe habent. Et, conuulsoriæ etiam videntur colli, ac dorsi perfrigerationes, imo etiam totius corporis. in his iniectiones pelliculosæ sunt.Et,phrenitici cum perfrigeratione saliuam fundentes, vomitum nigrum indicant. Et, affectiones cum vigilijs, & anxietudine repentina, sanguinem fundunt,tum aliàs,tum si quid etiam antea profluxerit. num & qui modice perfrigerati postea horruerunt?

runt? Et,in morbo acuto externas partes perfrigerari,internas autem ardere,& si tire,malum est. Et qui ex febribus ardentibus aliquantulum perfrigerantibus, cum egestionibus alui aquosis, ac biliosis laborant,oculis malum est,tum aliàs,tum si stupidi fiant. Et,soporosi ab initio exudantes, vrinis concoctis ardentes,verum citra iudicationem perfrigescentes,& breui rursus ardentes,torpidi,soporosi,conuulsi perniciose habent. Et,somni soporosi,& perfrigerationes,pernicioſi sunt.Et nu.2.eiusdem lib.vrinę in absessibus retro aures cito, & modice matureſcentes, malæ sunt.& sic perfrigerari,malum est. Et,perfrigerationes ex sanguinis ruptionibus in diebus iudicatorijs vehementes pessimæ sunt. Et,affectiones quæ quinta die sanguinem large fundunt, sexta insuper riguerunt, septima perfrigeratæ fuerunt, & repente calefactæ in his alui male afficiuntur. Et nu.3.eiusdē li. in perfrigeratione torpida sanguinis detractio mala est.sed L.Frigiditas,& Rigor.

Peripneumonia.

Peripneumonia est pulmonis inflammatio; atque est morbus acutus: nam legitur in l.1.de morb.nu.3. febris ardens,phrenitis,peripneumonia, angina,vua pleuritis cito decernunt. & cum morbus sit acutus est periculosus.

Peripneumonia verò alia est vera, alia non vera. De non vera legitur historia in lib.5.de morb.popu. numero sexto,atque ea est. in Lariſſa Hippostenes peripneumonia apprehensus esse medicis videbatur: erat autem nequaquam. verum principio luctans in duro loco cecidit supinus,aduersario ipsi illapso, & lauatus est frigida, & cœnauit, & grauior factus esse sibi videbatur.sequenti autem die febricitauit,& tussis apprehendit siccior,& spiritus densus. quinta die cruentum ex creauit,non multum, & delyrare incipiebat.quando tussiebat, dolebat pectus, & dorsum, sexta autem vbi sternutasset; sanguis fluxit è naribus,quatuor heminarum mensura. ad vesperam neque loquebatur,neq; sentiebat,quid fieret, nec quid diceretur. vndecima mortuus est. per quinque verò dies modò sapiens erat,modò non.erat & sine febre. sputum autem nullum procedebat,neque stercorem habebat:non enim erat sputum, & hæc de peripneumonia non vera.

At verò quæ vera est alia est,sicca,alia humida. de humida sic loquitur Hip.in l.3.de morb.nu.5.morbi lethargi appellati status idem est, qui & peripneumonia:sed multo tardior est morbus. patitur autem æger hæc. tussis & sopor ipsum tenet, & saliuam liquidam, ac multà educit, & vehementer impotens est.& cum moriturus est:multum,atque id liquidum infra egerit. huic valde exigua vitæ spes est. attamē hoc curandum est;vt plurimum spuat,& calefiat, & à vino abstineat. si verò effugerit; suppuratus fit. Et nu.16.hæc patitur homo, minimum diebus quatuor decim, ad summum vna & viginti. & per hoc tempus tussit vehementer,& vnà cum tussi purgatur,primum saliua multa,& spumosa. septima verò,& octaua die,vbi febris in vigore fuerit si humida sit peripneumonia;craſſior prodierit:sin minus;non.nona verò,& decima cum virore pallida ac subcruenta. duo decima autem vsque ad decimamquartam,multa,& purulenta.atque hoc in his contingit,quorum naturæ,& corporis affectiones humidæ sunt, & morbus fortis est.quorum verò & natura, & morbi constitutio sicca est,in his minus.præterea sicca peripneumonia est illa,quæ fit sine sputo,de qua infrà agetur.

Verum à quibus causis peripneumonia fiat,& quo modo dicamus scriptum est in l.1. de morb.pag.63. n.24.peripneumonia fit,cum commota, ac calefacta pituita,ac bile pulmo præ caliditate traxerit in se ipsum de vicinis locis ad ea,quę iam sunt in ipso.& per calescit quidem totum corpus, ac dolorem exhibet, maxime autem dorso, & costis, & humeris, ac spinæ: nimirum ab his in se ipsum attrahens plurimam humiditatem. & superresiccantur hæ partes, & nimium calescunt. postquam autem attraxit in se ipsum & tum bilis,tum pituita;sedem in pulmone occupauit,putrescit,ac suppuratur.& si quidem in diebus iudicatorijs putrefacta per sputum reiecta fuerint,æger superstes euadit.si verò & ea quæ ab initio aduenerunt susceperit,& alia insuper accedūt,vt plurimum moriuntur. si verò ad dies perueniant duos, & viginti,& febris remittat,& in his per sputum purgati non fuerint; suppurati fiunt.fiunt autem maxime ex his,quibus,& pleuritis, & peripneumonia vehementissima existit. fit autem & peripneumonia, & pleuritis sine sputo,ambæ ex eadem causa, & præsiccitate.siccant autem & calida,vbi nimium frigefaciunt.congelatur autem latus, & quæ sunt in ipso venæ,& conuellitur: & quantum in ipso inest pituitæ, aut bilis,id à caliditate resiccatur, & dolorem inducit,& à dolore febrem. Et in lib.de loc.in homi.pag. 31.nu.24.inquit. cum in pulmone fluxerit ex capite per guttur, & aortas appellatas appendentes partes pulmonis,pulmo tanquam natura rarus & siccus trahit in se humorem quantum eius capere potest, & vbi influxerit maior fit: & vbi quidem in totum fluxerit, extremitas eius maior reddita vtrunque latus contingit, & peripneumoniam pulmonis appellatū morbum,facit.cum verò alterum tantum; pleuritis, id est,costalis morbus. Et nu.25.peripneumonia multo periculosior est, & dolores multo fortiores sunt, qui ad laterum mollitudinem, & ad clauiculas tendunt,& lingua multo viridior,ac pallidior,& fauces præ fluxione dolent, & lassitudo fortis occupat, & spiritus sexta,aut septima die corripit.hunc si non septima die febris dimiserit; moritur, aut suffocatur, aut vtrunque.si verò nona die, duabus diebus interpositis corripiat,vt plurimum etiam hic aut moritur aut suppuratus euadit.si verò duodecima die; suppuratus fit.si quarta,& decima, sanus fit.& quicunque præ peripneumonia, aut pleuritide suppurati fiunt, non moriuntur,sed sani fiunt. Et nu.26. suppurati vt plurimum fiunt,cum fluxus in idem,velut in bile cōtingit;sed in bile quidem multum defluit:&,vbi defluxit; sedatur.suppuratis verò minus defluit,& non sedatur.fiunt etiam suppurati, cum minus excreant, quàm influit in pulmonē:hoc enim quod in pulmone consistit,& quod influit,pus fit.

Signa porrò peripneumoniæ præter ea, quæ descripta sunt,hæc leguntur in l.2.de mor.pag 68. nn. 43. Febris detinet dies quatuordecim vt minimum, ad summum duos de viginti: & per hos dies fortiter tussit: & primum quidem excreat saliuam craſſam, ac puram septima,& octaua die. si verò febris corripuerit nona,ac decima subdulcem,& purulentā, donec quatuordecim dies præterierint. &, si quidem

decima

decima quinta die pulmo reſiccatus fuerit, & tuſſiẽdo reiecerit: ſanus fit; ſin minus: duas de viginti obſeruato: & ſi quidem in his diebus tuſſis ſedata fuerit: euadit: ſi non ſedata; interrogato ipſum, an ſaliua ipſi dulcior appareat: & ſi hoc confeſſus fuerit, morbus annum durabit: nã pulmo ſuppuratus fit. Et in l. 3. nu. 16. febris acuta tenet, & ſpiritum frequentem ac calidum reſpirat. & anxietas adeſt, & impotentia, & iactatio, & dolor ſub ſcapulas, & ad clauiculam, & ad mammam, & grauitas in pectore, quandoq; etiã delyrium. quidam dolorem non ſentiunt, donec tuſſire inceperint. verum hic morbus diuturnior, ac difficilior illo eſt ſaliuam tenuem, ac ſpumoſam primum ſpuit. lingua flaua eſt, verum progreſſu temporis nigreſcit. ſi igitur in principio nigreſcat; citius morbus finitur: ſin poſterius: tardius. tandem verò etiam rumpitur lingua, & ſi digitum apponas, inhæret. at liberationem à morbo ſignificat lingua ſimiliter velut in pleuritide. Et in l. de Affect. pag. 80. nu. 9. in peripneumonia febris detinet, & tuſſis, & excreat primum pituitam craſſam, ac puram: ſexta verò & ſeptima ſubliioſam, & ſubluridam: octaua autem & nona ſubpurulentam. Et quoniam ex febre ardente ad peripneumoniam fit tranſitus: exponit Hip. in lib. 1. de morb. nu. 27. quomodo id fiat, & inquit. cum ſupernus ventriculus ſupercalefactus fuerit, in febre ardenti, attrahit in ſe ipſum, & fit vomitus, & ob hoc ipſum etiam ex febre ardente, & ex pleuritide ad peripneumoniam maxime morbi tranſmutãtur. vbi. n. ſupernus ventriculus ſupercalefactus fuerit; trahit in ſe ipſum, & ſuſcipit pulmo, & fit peripneumonia: & plerunque pereunt, nimirum debiles iam exiſtentes, & morbo alio nouo inſuper generato, dies tranſigere nequeuntes, donec ſputum in pulmone concoquatur. verum vt plurimum pereunt præ debilitate: aliqui tamen euadunt.

Quibus autem contingat peripneumonia, & quo anni tempore, legitur in lib. 3. aph. 30. hoc modo. etatem conſtantem agentibus aſthma, morbi laterales, pulmonis inflammationes. Et in l. de die. iudic. nu. 8. peripneumonia his contingit, quorum naturę, & corporis affectiones humidæ ſunt, & morbus fortis eſt. Et in l. 1. de morb. nu. 21. ſeniori pulmo rarior, ac cauior eſt, & arteriæ ampliores, & pus non diutius in ventriculo, & vlceribus moratur, & quicquid eius in ſuper generatum eſt: hoc totum neceſſario ſurſum attrahitur a pulmone ad arterias, & ſtatim expuitur. in iuniore igitur, vt pote cum ſint affectiones vehementiores, & purgatio pro ſputi ratione non fiat, & febres acutiores & frequẽtiores fiunt, & dolores acuti incidunt, tum in ipſo affectionis loco, tum in reliquo corpore: nimirum cum venæ ſint robuſtę, ac ſanguine plenæ. vbi verò hæ percaleſcunt; dolores ab ipſis tranſiliunt aliàs ad aliam corporis partem, ac hi quidem plerunque breui perimuntur. ſenioribus verò affectiones ſunt debiliores, & ſputum ab ipſis purgatur, & febres mitiores, ac paucæ fiunt, & dolores adſunt quidem, verum exiles. & ab huiuſmodi affectionibus, ne ſenes quidẽ penitus liberantur: ſed longo tempore afflicti pereunt. & aliquando puſ ſpuunt, quandoque ſanguinem, quãdoque neutrum tandem cum his moriuntur. moriuntur autem hoc modo. cum ipſos morbus aliquis huic, quem antea habent, conſimilis apprehendit, ita vt & hunc habeant, & is, quem prius habent, vehementior fiat; & vt plurimum pereunt.

De anni tempore quo peripneumoniæ fiant, ſic ſcribitur in lib. 3. aph. 23. hyeme morbi laterales, & pulmonis inflammationes. Et in l. de ae. aq. & loc. nu. 28. peripneumonia fit poſt æſtatem pluuioſam, & auſtralem. Et ibidem, nu. 12. in occidentalibus regionibus ab aquis lacuſtribus, & paluſtribus.

Signa porrò prognoſtica hæc ſcribuntur in lib. de coa. præ. n. 3. & ſunt. quibus in peripneumonia vrinæ craſſæ in principio, deinde ante quartum diem attenuantur, lethale eſt. Et ibidem. quibuſcunque autem ex peripneumonia abſceſſus circa aurem, aut ad infernas partes fiunt, & ſuppurantur, & fiſtulantur, hi ſuperſtites euadunt fiunt autẽ his quibus & febris, & dolor affuerit, & ſputum pro ratione non prodierit, neque bilioſæ alui egeſtiones ſolutuque faciles, ac meracæ fiunt, neque vrinam craſſam valde, & multam ſubſidentiam habent, & alia ſalutaria habuerint. fiunt autem ad infernas quidem partes his, quibus circa præcordia inflammatio fit: ad ſupernas verò, quibus præcordium molle. & doloris exors fuerit, & vbi per tempus aliquod difficulter ſpirauerint, ac citra manifeſtam cauſam ceſſauerint. at abſceſſus ad crura in periculoſis inflammationibus pulmonis, omnes quidem commodi ſunt. optimi autem ſputo purulento pro flauo fiente. non procedente verò ſputo ſecundum rationem, neque vrina bonam ſubſidẽ tiam habente, periculum eſt claudum fore hominẽ, aut multum moleſtiarum exhibitura res eſt. ſi verò recurrerint abſceſſus febre conſequente, & ſputa nõ procedente, periculum eſt ne moriatur, ac delyret. quicunque verò peripneumonici non purgati ſunt iudicatorijs diebus, ſed mente mori quatuordecim dies effugerunt, eos periculum eſt ſuppuratos fieri. peripneumoniæ ex pleuritidę tranſmutatæ, ſecuriores ſunt his quæ ab initio fiunt. corpora exercitata, ac denſa citius a pleuriticis, à peripneumonicis morbis pereunt quàm inexercitata. grauedines, & ſternutationes in morbis circa pulmonẽ, & anteceſſiſſe, & ſuccedere malum eſt. reliquis autem ſternutatio non incommoda eſt. peripneumonicis quibus lingua tota alba, ac aſpera fit, ambæ pulmonis partes inflãmatæ ſunt. quibus verò dimidium vna iuxta quam apparet. & quibus ad vnam clauiculam dolor fit, his ſuperna pulmonis ala vnà ægrotat. quibus autem ad ambas clauiculas dolor fit, ambæ ſupernæ alę pulmonis ægrotant. quibus iuxta mediam coſtam media: quibus ad diſcriminationem, inferna. at totam vnam partem dolentibus, omnia iuxta hanc partem dolẽt: ſi quidem igitur aortæ appellatæ, vtrinque appendẽtes pulmonis partes valde inflammatæ ſunt, vt ad latus aſſideant, hac corporis parte reſoluuntur, & liuores foris circa coſtam habent. hos autem veteres ictos ſiue ſyderatos vocabant. ſi verò non valde inflãmatæ ſunt, vt non aſſideant: dolor quidem ſit per totum, non tamen reſoluuntur, neque liuores habent. quibus verò totus pulmo inflammatus fuerit, vna cũ corde, vt collatus allabatur, hi toti reſoluuntur, & iacet æger frigidus, ſenſus exors moriturq; ſecũda, aut tertia, ſi verò etiam ſine corde contigerit, minus diuiuunt. quidam autem etiam ſeruãtur. Et in lib. præno. numero 4. in peripneumonia floccos de veſtibus euellere, aut paleas è pariete detrahere, lethale.

At

At verò in lib. 6. aphoris. 16. à pleuritide, & peripneumonia occupato, alui profluuium accedens, est malum. Et in lib. 1. de morb. num. 3. si peripneumonia mulierem fœtum in vtero habentem corripiat, necessariò interimit. Et in lib. 7 aphor. 11. peripneumonia ex pleuritide malum. Et ibidem. ex peripneumonia phrenitis, malum. Et in lib. 3. de morb. nu. 16. in peripneumonia si saliua insuauis sit, status morbi lethalis est. Et in lib. de Coa. præn. num. 4 peripneumonicis pernicioſa est vrina; quæ in principio quidem cocta est, post quartum verò diem attenuatur. Et nu. 3. eiusdem lib. in peripneumonicis, ac pleuriticis erectum sedere velle, pessimum: malum, in acutis. Et in l. præno. nu. 4. in peripneumonia, manus ante faciem ferri, & frustra venari, lethale. Et in l. de Coac. præno. num. 3. peripneumoniæ ex pleuriti de transmutatæ securiores sunt his, quæ ab initio fiunt. Et ibidem. qui in peripneumonijs siccis pauca concocta educunt, horrenda res est. Et, in peripneumonijs siccis in pectoribus rubores subleuati, ijs qui pauca concocta educunt, pernicioſi. Et ibidē. ex peripneumonicis suppurationibus seniores magis pereunt. ex reliquis iuniores. quemadmodum ex febre ardente, & pleuritide in peripneumoniam fit transitus; sic peripneumonia in suppurationem. & idcirco scriptum est in l. 1. de morb. num. 10. si peripneumonia correptus in iudicatorijs diebus nō purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum, ac pituita; suppuratus fit.

Sed tempus est, vt curationem aggrediamur. Scriptum est in lib. de Affe. pag. 80. num. 9. huic, si quidē dolor adest, aut dorsi, aut laterum; dandum est medicamentum, quod in pleuritide ad lateris dolorem in medicameutario lib. scriptum est. per potus autem, & sorbitiones, & ventris subductionem, ac frigefactionem, eadem curatio adhibeatur, quæ in pleuritide. quò verò sputum, & pus & pulmone repurgetur; danda sunt pharmaca in potu, quibus pulmo humectatur, & pus sursum purgatur. fit autem hic morbus, cum pituita aceruatim ex capite ad pulmonem fluxerit. aliquantulum etiā ex pleuritide in peripneumoniam fit transitus.

At de peripneumonia ficca sic loquitur Hipp. in lib. 3. de morb. num. 26. peripneumonia fit cum pulmo etiam ipse superficcatus fuerit, & quantum in ipso inest bilis, aut pituitæ, neque putrefacit æqualiter, neque per sputum reddit: & quantum in ipsum est humiditatis, aut à potu, aut à sorbitione, aut à vicinis locis: hoc totum exurit præ nimia ficcitate, & caliditate. huic potiones bibere conducit, à quibus pulmo humectatur, ac sputum reijcit: si enim sputum non reiecerit, & durior sit, & coarescit, & hominem perimit. Et in l. 2. num 43. huic primis diebus vinum dare conuenit dulce, album, aquosum, paulatim frequenter bibendum. sorbeat etiam ptisane succum melle ammixto ter in die; donec dies decem, & octo præterierint, & febris desiuerit. periclitatur autem maxime in septem, aut quatuordecim. postquam autem decem, & octo dies transgressus fuerit, non amplius moritur, sed pus spuit, & pectus dolet, & tussit. cum sic habuerit; ieiunus cum saluia vini illam portionem bibat, & leguminis fresi decoctum sorbeat, adipe multo ammixto, si non calor fuerit. si verò fuerit; ne sorbeat, sed cibis vtatur salsis, ac pinguibus, & marinis potius quàm carnibus, & si pro ratione purgari tibi visus fuerit in os infundito, ac fomenta adhibeto. si quidem crassum fuerit pus: fomenta adhibeto; si verò tenue: infundito; & ex cibis hæreat quàm maximè, & ab acribus abstineat, & à carnibus bubulis, ouillis, ac porcinis. Et in l. 3. de mor. nu. 17. primum caput leuius facere incipe; quò nihil influat ad pectus. primis autem diebus sorbitiones sint dulciores, sic enim id quod consedit, ac compactum est, potissimum elueris, ac commoueris. quarta die, & quinta. ac sexta non amplius dulces, sed pingues; nam ad sputum sursum excrean dum conducunt. si verò pro ratione spuere non possit ex pharmacis sursum educentibus dato. aluum autem in primis quatuor, aut quinque diebus subducere oportet: & hoc paulo amplius, quò & febres obtusiores sint, & dolores leuiores. oportet autem & infernam aluum neque valde suppressam esse, vt ne febres sint acutæ: neque valde egerere, quo saliua sursum educi possit, & æger viribus valeat, & medicamenta sursum educentia sexta, & septima, ac nona die, & morbo adhuc vlterius progresso, magis exhibeto. sit autem medicamentum veratrum album thapsia, elaterium recens, singula æquis portionibus. deinde describit medicamentum quoddam ad sputum educendum, quod ibi lege. Et in lib. de Vict. ratio. in morb. acu. pag. 158. num. 52. docet Hipp. quonam pacto peripneumonicas, ac pleuriticas affectiones considerare oportet: deinde si dolor tendat ad clauiculam, aut circa mammam, & brachiū, venam in brachio secare oportet internam, vtra tandem fuerit parte, in ea ipsa postea infusum per clysterem adhibere, atque alia, quæ ibi lege.

Cæterum peripneumonicos quosdā recitat Hipp. veluti hi, qui descripti sunt in lib. 7. de morb. popul. num. 11. & 12. de quibus lege historiam, atque symptomata. item nu. 43. Et in lib. 4. de morb. popul. nu. 29. sputa peripneumonicis quibusdam biliosa, cum desinere volunt. valde flaua breuia fiunt, si qualia sunt, quæ in priucipio adsunt; talia postea appareant, hæc non valde concoqui puto, sed iudicare, velut ei, qui apud præceptorem erat, & velut aliàs quoque vidi.

De Phlebotomia.

Proditum est in l. de Medic. pag. 6. num. 7. venas in brachijs fuiculorum apprehensionibus constringere oportet; caro enim contegens in multis non probe coapta est venæ: vbi enim lubrica fuerit caro non contingit sectiones vtrorumque iuxta se ipsas fieri: nam venam cōtactam insufflari cōtingit, & sanguis fluxum impediri. multis verò etiam propter hoc pus congregatur. qua propter duo nocumenta talis chirurgia inducit, secto quidem dolorem, secanti verò multā ignominiam. idem in omnibus venis fieri præceptum est. verum plurimis necessaria est phlebotomia morbis; sed ratio habenda est ad personam, ad circumstantia, ad morbum, ad causam morbi, atque ad symptomata. persona consideratur in sexu, ætate, in commodis corporis, & animi, vt pote in temperatura, in habitu, in calore naturali, in spiritibus, in viribus, in humoribus, in partibus similaribus, atque in dissimiliaribus: præterea in consuetudine. in modo viuendi, in studijs, ac negotijs, ac tandem in his, quæ longo vsu acquisita sunt, quę habitus appellātur. circunstan-

cunſtantia dicuntur loca communia, & priuata, tempus anni, modus, occaſio, & facultas. morbus conſideratur, longus ne, an breuis: cauſa an intrinſeca, an vel extrinſeca: ſymptomata, grauia ne, an leuia. hæc & alia huiuſmodi in phlebotomia ſunt diligentiſſime conſideranda: quæ recenſet Hipp. & in quibus morbis eam fieri conueniat. ſcriptum eſt igitur in lib. de loc. in homin. pag. 33. num. 49. doloris in capitis gratia, ſanguinem de venis detrahito. Si verò non ſedetur, & diuturnus ſit; perure venas: & ſanus euadit. ſi verò caput purgaueris: magis affliges. Et in lib. 2. de morb. pag. 66. numero 16. in dolore quodam capitis primum ſanguinem de capite mittito, vndecunque tibi viſum fuerit, & poſt ſanguinis miſſionem raſo capite, perfrigeratoria ipſi adhibeto, & ſi aluus non ſubeat: infuſum per clyſterem immittito. Et in lib. 3. de morb. num. 1. cum cerebrum ab inflammatione tumuerit, inter cætera medicamenta ſanguinem detrahere oportet, & caput purgare ad apij ſuccos odoratis ammixtis. Et nu. 8. in dolore capitis cum vocis interceptione ſubita detrahendus eſt, & à lingua ſanguis: ſi venam cõprehendere poſſis. Et in lib. de frac. numero ſecundo, ſi in caput dolores inciderint: prodeſt ſi ſanguis è naribus fuerit detractus, aut à vena in fronte. Et in lib. 5. aphori. 68. dolenti partem capitis poſteriorem in fronte recta vena inciſa prodeſt. Et in lib. 3. de mor. num. 11. in leui angina venam ſecare oportet, maximè ſub mamma: concomitatur enim hac parte ex pulmone ſpiritus calidus. Et ſubdit. & venæ ſub lingua ſecentur, ſed & à cubitis ſanguis dimittatur; ſi vires validæ fuerint. Et in l. 2. de morb. pop. ſect. 6. anguinam, & lippitudinem venæ ſectio ſoluit. Et in lib. 5. de morb. popul. nu. 25. Polemarchi vxori hyeme anginoſæ tumor ſub guttur, febris multa. vena ſecta eſt. ceſſauit ſuffocatio ex faucibus, febris comitabatur. Et nu. 27. Meliſſandro cum gingiua dolore corriperetur, & vehementer intumeſceret: ſectio venæ brachij, & alumen ægyptium in principio ſedabat. Et nu. 26. Calimedontis puero contulit ad tuberculum, quod habebat in collo durum, & magnum, & crudum, ac doloroſum, ſectio venæ brachij. Et in lib. 2. ſect. 5. ſi capitis os confractum fuerit, lac & vinum ammixta aquę pari menſura bibenda dato. ſi verò vlcus fuerit, interna venas ſecato, ſi non febricitet. Et ibidem ſect. 5. quicunque derepente voce deſtituuntur, ſi ſine febre fuerint; ipſis venam ſecato. Et in lib. 4. de mor. popul. num. 30 tuſſiunt ſiccam tuſſim, qui teſtes affectos habent: & ex tuſſi vena ſecta, ad teſtem ſolutio fit. Et in lib. 5. numer. 31. in capitis tumore vene ſectio profuit. Et in l. de cap. vul. num. 26. ante oſſis terebrationem fiat ſectio venæ. Et in lib. de vlceribus, num. 15. ſanguinem detrahere oportet de venis præſertim influentibus. atque modo ſanguinis mittendi lege pag. 290. nume. 17. Et in lib. 7. de morb. popul. nume. 44. dolor tempus dextrum, poſtea ad totum caput, & collũ: caput tumeſcebat retro ad verticula: diſtentio, ac duritia erat circa tendines. venæ ſectio profuit. Et in lib 2. ſect. 5. in conuulſione digitorum manus citra febrem, venam ſecato, ſi non caput doleat. ſin minus; aquam calidam affundito. Et in lib. 7. nume. 54. vena ſecta nihil profuit, & phreniticus mortuus eſt. Et in lib. 5. de morb. popu. nume. 30. aliquando etiam dolor ad cor, quem venæ ſectio ſoluit. Et in lib. 7. nume. 25. quandoque caliditatem ſibi ad præcordia allabi dixit, & oculorum ſplendores comitari, & alui egeſtio multa, & ſæpe & ſimilis hyeme contigit. facta eſt venæ ſectio, & alia, quæ contulerunt. Et in lib. 1. de morb. nume. 10. ſi vena pulmonis rupta fuerit, & ſanguinem per vomitum reiecerit; conducit, vt è venæ de manibus ſanguinem emittant. Et in lib. 3. nume. 7. cum pulmo tumuerit præ nimio calore repletus, quàm citiſſime clyſtere adhibito probe purgare oportet, & decubitis, & naſo, & lingua, ac de omni corporis parte ſanguinem demittere. Et in lib. de Vict. ratio. in morbis acu. com. 2. par. 8. ſectio venæ non ſimiliter tollit dolorem, ſcilicet pleuriticum, niſi is ad clauiculam pertingat. Et part. 10. ſi verò dolor ad clauiculam pertigerit, aut moleſta ſit, vel brachio, vel mammæ, vel partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus grauitas; internæ cubiti venam ſecare expedit: neque vt copioſe ſanguis detrahatur, eſt cunctandum, ſed eo vſque auferendus, donec multo rubidior vel puro, & rubido liuidus fluxerit: nam vtrunque contingit. Et in commen. 4. eiuſdem lib. par. 19. in acutis morbis ſanguinem detrahes, & vehemens morbus videatur, & floruerit ægrotantis ætas, & virium adfuerit robur. Et par. 20. ſi angina vel aliud quippiam ex pleuriticis malum fuerit, & ob copioſam ſanguinis miſſionem imbecillior fuerit, clyſmum tertio quoque die ventri infundes, donec in tuto æger fuerit, & fame indigeat. Et part. 21. obſeſſa inflammatione hypochundria, non ſpirituum intercluſione, ſepti trãſuerſi intenſio, vel ſpirituum protenſiones, quibus orthopnæa ſicca pus ſubit: ſed à ſpirituum intercluſione pathemata hæc ſuperueniunt, potiſſimum verò iecinoris dolores, & lienis grauitas, atque inflammationes aliæ, & ſuperiores ſepti dolores, & morborum collectiones, ſolui non poſſunt ſi quis primo purgante medicamento vti aggreſſus fuerit: nam venæ ſectio in his præferenda eſt. deinde clyſmis eſt opus, ſi vehemens, & magnus fuerit morbus: ſi verò non, & poſtea medicamento opus ſit, ſane id poſt ſanguinis miſſionem ſecurè, & mediocriter porrigendum eſt. Et part. 24. 25. & 26. in venam igitur brachij dextri internam ſecare oportet & ſanguinem auferre, inſpecta ſecundum habitum, & ætatem pluris vel minoris ratione. quamplurimis autem horum, ſcilicet qui opus habent ſanguinis miſſione, accedunt hæc, facies rubores, oculorum conſtantia, manuum porrectio, dentium ſtridores, pulſus, maxillarum contractio, refrigeratio extremorum, & ſpirituum in venis interceptiones. Et part. 27. ſubdit in deſtillatione atræ biliſ, vel alia acri ſi fiant vertigines, aphoniæ, capitis grauitas, & conuulſiones: ac præterea epilepſiæ, & paraplexiæ: talibus ſanè prius adhibitis fomentis, venam confeſtim ab initio ſecare oportet, cum nondum ſint fixa omnia, quæ contriſtant, tum ſpiritus, tum fluxiones: facilius etenim remedijs parent. & addit par. 29. poſtea reficere expedit & habita iudicationis ratione ſuperiorem ventrem, ſi non lauetur, purgare: inferiori verò ſi non deiecerit, clyſmum inijcere. coctum deinde aſinæ lac dabis, & bibet heminis duodecim, non minus: & ſi virtus tolerauerit; ſexdecim magis. Et part. 30. in angina ſanguinem ex brachij detrahes, mox venas, quæ

ſub

sub lingua sunt,secabis. Et in lib.6.aphor.22. quæcunque rupta ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio soluit. Et Galen. in com.ait. melius quidam scribunt. Quicunque dolores. Et aph.31.dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum,aut venæ sectio,aut medicamentum epotum soluit. Et in lib.7.aphor.47. dolores oculorum post meri potionem,& aquæ calidæ balneum,sectione venæ curato. Et in lib.1.de morb.pag.95.num.25.huic qui peripneumonia,& pleuritide siue sputo laborat, venam secare conducit in manu splenitidem appellatam, aut hepatitidem, iuxta vtram sanè fuerit morbus.atque sic dolor mollior fit, & lateris, & aliarum partium:nam vena,& quantum in ipsa inest bilis, ac pituitæ, & ipsius sanguinis ægrotantis vnà cum his magnam partem foras dimittit. pars verò ex carne per medicamenta,& potiones diffunditur, & à calefactorijs forinsecus adhibitis,ita vt morbus per totũ corpus dispergatur. Et in lib.2.de mor.nu.53.si Erysipelas in pulmone fiat, & si dolor discesserit sub scapulas;cucurbitam affigito, & venas in manibus pertundito. Et in lib.de inter.affec.num.5.si in pulmone varix fiat,& dolor maxime premit; primum sanguis detrahatur:deinde multa calida lauato. Et in lib.6.de morb.popu.sect.6.in doloribus proximum ventrem purgato sanguinis autem ventrem secato.& in lib.7. pag.150.num.33. Alcmani ex renum affectionibus se recolligenti,& sanguine deorsum detracto, sursum ad hepar conuersus est.& in lib.2.sect.6. vrinæ stillicidium soluit venæ sectio. & in eodem lib.sect.2.sanata est veratri potione Lycia:postremùm splen magnus,& dolores,& febris & ad humerum dolores. & vena quæ in splene est,in cubito secabatur: & saniebat quidem sæpe.aliquando verò etiam non est secta, sed vnà cum sudore sanguis penetrauit,aut sua sponte.& in lib.de affec.pag.81.num.21. quicunque splenem habent magnum,si biliosi sint,conducit, vt per victum humectantẽ aluum,& veficam subducamus, & vt de vena splenitide frequenter sanguinem mittant. Et in lib.7.de morb.popu. num.57. Eudemus splenem vehementer dolebat.vena secta est. cibos,ac potus parce sumpsit.& in l.3.de mor.num.15.in voluulis supernum ventriculum quàm citissimè purgato,& sanguinem de capite,ac cubitis detrahito,vt superna aluus calescere desinat. & in l.2.de mor.popu. sect.5.ventositatem flatuosam venæ sectione,fluxionem pharmaco illito,sistito: fluxus.n.ex vena magna est.& in lib.2. de mor.num.35. in morbo regio nigro primum venas sub lingua secato,deinde calida multo lauato. & in eodem lib. num.71. in morbo nigro caput purgato, & post medicamentorum potiones sursum purgantes, de manibus sanguinem detrahito,si non fuerit debilis.& in l.de inter. affe.num.31. in morbo hepatico quodam si non alijs curetur,dextri cubiti internam venam secato, & sanguinem detrahito.& nu.40. eiusdem lib.in morbo regio quodã cubiti venam secat, & sanguinem detrahit. & in eodem.l. nu.35. in quodã morbo splenico si tibi visum fuerit,ab interna cubiti sinistri vena sanguinẽ detrahito.& in l.2.de mor.pop.sec.5. si hydropicum tussis corripiat,si quidem statim animo linquatur, calidis omnibus vtatur:sin minus; inebriato,ac cibis ipsum impleto.venas aũt internas secato;dum morbus magnus in intentione est. & in l.de virg. morb.pag.92. nu.3.cũ virgo ex mẽsibus sursum petentibus insanit; curatio est sanguinis detractio; si nihil fuerit, quod impediat.& in l.1.de mor.mul.n.103.si prægnãs multo tẽpore cohibeatur,& parere non possit,sed diebus pluribus ex partus doloribus laboret:sit autẽ iuuenis, in vigore, & multo sanguine referta; secare oportet venas in malleolis,& sanguinẽ detrahere,virium respectu habito: & postea calida lauri corticibus incoctis lauato.& in eodem l.1.nu.67. si vteri anguſti oris ipsi fuerint,& puerperij purgationem non emiserint &c. quandoque verò non exit malũ graueolens: sed mulier mortẽ portendit, nisi quibus breui venam secet,aut ventrem emolliat.& in l.de steri.pag.124.nu. 18.his,quæ secundũ naturam fiunt desinentibus,sanguinẽ de manu detrahere oportet:siquidẽ fortis fuerit;de ambobus brachijs:si verò debilis;de altero sufficit.& n.24.Si verò genituræ continẽs,nõ prægnans fiat,si vires sufficiant, ante omnia venã in manu sinistra secato,atque ita reliqua facito. & in l.2. de mor. pop. sec.4.famula Idumæa erat,quæ vbi filiã peperisset, conuersum est ei vteri osculum, & dolor ad coxam,& crus.iuxta malleolũ secta vena liberata est,& quidem cũ etiam tremores totum corpus detinerent. & in lib.6.sec.5.in fluxionibus ad coxam,venas retro aures secato.& in l. de inter. affec. nu.54. si coxendicum morbus fiat à sanguine;fomentum adhibeto, & cucurbitam affigito,& venas in poplitibus secato.

Cæterùm quemadmodum phlebotomia iuuat; sic contrà nocet, veluti legitur in l. 5. aph. 31. cuius verba sunt. mulier vtero gerens, sanguine misso ex vena abortit, & magis si fœtus sit maior. & in lib. de loc.in hom.pag.30. nu.7.hæ.s.venæ infœcundum faciunt hominem,cum fuerint secta.

Phoca.

Legitur in l.de natu.mul.nu.30.bitumen, & ordei paleas misceto ac addita pinguedine phocæ suffito.& infrà. coaguli phocæ pelliculam contusam, ac tritã, & spongiã,& muscũ arboreũ, trita simul mixta, atq; phocæ pinguedine excepta suffito. Aliud. stercus caprinum,& pulmonẽ phocę, ac cedri ramenta suffito. & in l.2.de mor.mul.nu.18.cũ vteri apud præcordia constiterint,suffito phocæ adipẽ prunis teste impositis,ipsaque obuelata, & capite imminente,quò odor maximè ingrediatur, ita vt de adipe instilles, & ipsa odorem sursum trahat,os verò clausum habeat.

Phrenitis.

Præcordia.i.septũ trãuersum, aliàs fortuitũ nomẽ apud Græcos per cõsuetudinẽ habet,cũ phrenes à sapiẽtia dicta videãtur,revera aũt non, neq; ex natura. neque ego sane noui, q̃ vim habeant præcordia, hoc est,phrenes,vt sapiãt,& intelligãt,prę terquã si homo ex improuiso nimio gaudio perfundatur,aut tristitia afficiatur;tunc sanè exiliunt,& anxietatem exhibent præ tenuitate, & q̃ distenta sunt maxime in corpore, & ventriculũ nõ habẽt,ad quẽ suscipiãt,aut bonum, aut malũ allabens. sed ab vtrisque his turbantur ꝑꝑ naturæ debilitatẽ: nã nulla sanè prius sentiũt ex his, quæ in corpore insunt; sed frustra hoc nomen, & causam habent, quemadmodũ quæ ad cor sita sunt, aures appellantur; cum nihil conferant ad auditum. porrò dicunt quidam,quòd corde sapimus, & quòd hoc est,quod angitur,& quod curam gerit. verũ hoc non ita se habet,sed conuellitur veluti præcordia, & magis etiã propter easdẽ causas: ex omni.n.corpore

venæ ad ipsum tendunt, & conclusiones habet, vt sentiat, si quis dolor, aut collectio homini cõtingat: necesse est enim, & dũ angitur inhorrere corpus, ac distendi, & si quis nimio gaudio perfundatur; idem pati. quapropter cor quidem, & præcordia maxime sentiunt; sapientia autem minime participãt, sed omnium horum cerebrũ causa est. hæc Hip. in l. de mor. sac. pag. 59. num. 18. hæc verba nobis indicant, cor maxime sentire, atque præcordia, siue phrenes; sed non sapere: verum hoc cerebri munus esse. quod quidem verum est, vt alias diximus, eo modo, quo manifestatur hominis sapientia per cerebrum, & per instrumenta statim à cerebro prodeuntia. attamen, si cor si primum sentiens, est quoque primum intelligens, non quòd statim per id sapientiæ operationes fiunt; sed propterea quòd fons est, & radix sapientiæ, vt pote quòd sit primum sentiens. & propterea in lib. de virg. morb. pag. 92. num. 2. inquit Hip. sanguis non habens effluxum præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum. & cum hæc repleta sunt. cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delyrium apprehendit. quæ verba declarant læsum cor fieri fatuum, inde sequi delyrium, quod nisi per cerebrum, & per ea, quæ cerebro inseruiunt, manifestari potest. atque hanc Hippoc. sententiam confirmat in aliis libris, quemadmodum hi, qui doctrinam Hip. sequuntur optime percipiunt. cũ igitur cor, & phrenes sani sint; radices, & origo, atq; fons sunt sapientiæ in hominibus: cum verò læsi; sunt, delyrij, ac insanię principia, quę veluti diximus manifestantur in cerebro morbi igitur phrenum dicuntur phrenesis. & idcirco declaratur ille aphorismus, qui legitur in l. 7. aph. 11. & 12. qui est. à pleuritide in peripneumoniam, malum: & à peripneumonia in phrenitidem, hoc est, in morbum septi transuersi, malum: nam quemadmodum facilis est transitus, atque propinquus ex pleura ad pulmonem; sic ex pulmone ad phrenes, siue ad septum transuersum materia autem, quæ lędit phrenes, scribitur hoc pacto. in lib. de affect. nu. 12. quæcunque aliæ febres hyeme fiunt, siue ex vino, siue ex lassitudine, siue ex aliqua alia re; transeunt aliquando in morbos acutos hoc modo. cum commotis duobus humoribus, pituita, & bile non conducentia corpori exhibentur ipsi inter se ipsos cocti, pituita, scilicet ac bilis, corpori vbicunque tandem contigerit, allabuntur. & fit pleuritis, aut phrenitis, aut peripneumonia. Et in lib. 1. de morb. pag. 63. num. 28. phrenitis hoc modo se habet. sanguis qui est in homine, maximam partem ad prudentiam confert: quidam dicunt totum. cum igitur bilis commota ad venas, & ad sanguinem ingressa fuerit; sanguinem ex consueta compage, ac notione dimouet, & serosum facit, ac calfacit. calefactus autem, etiam reliquum corpus totum percalefacit, & desipit homo, & non sibi constat, præ febris copia, & sanguinis ad serositatem transmutatione, & motione non solita contingente. assimiles autem sunt maxime hi, qui phrenitide tenentur, his, qui ab atra bile delyrant: nam & hi vbi sanguis ex bile, & pituita corruptus fuerit; morbum habent, & dementes fiunt: aliqui verò etiam insaniunt: & qui phrenitide correpti sunt, eodem modo. tanto autem minor insania, ipsumque delyrium fit, quanto paucior, ac debilior est bilis, quàm pituita. phrenitides autem maxime fiunt in febribus ardentibus vt explicat Hip. in lib. 1. de morb. popu. sect. 2. stupida insania ex phrenitide, ac lethargo fit, veluti scriptum est in lib. 4. de morb. popu. num. 5. De phrenitide verò hæc quoque scribuntur in libro de affect. pag. 80. num. 10. phrenitis vbi apprehenderit, febris primum debilis detinet, & dolor circa præcordia, magis autem dextra, ad hepar. cum autem quarta, aut quinta aduenerit; febris fortior fit, & dolores augescunt, & color subbiliosus afficitur, & mens percellitur. Et subdit. fit hic morbus à bile, cum mota visceribus, ac septo transuerso insederit. iudicatur autem morbus breuissimus septima die: longissimus vndecima. effugiunt, & hunc pauci, transitque etiam in peripneumoniam. & si transierit; pauci effugiunt.

Signa autem phrenitidis hæc leguntur in l. 3. de morb. num. 9. septum transuersum dolent, vt ne contingere quidem permittant, & febris accedit, & mente mouentur, & intentis oculis vident, & alia similia faciunt his, qui peripneumonia affecti sunt; vbi sanè in peripneumonia mente mouentur. Et in l. de Coac. præ. num. 4. phrenitidem cum vigilijs, & turbatione significant vrinæ decolores, nigra innatantia in medio habentes. Et in l. 1. pror. par. 4. vrinæ in turbulentis, vigilibusque decolores, nigræ, sublime petentes, atque in sudore, phreniticę. Et par. 6. screatus frequens, & si aliud quodpiam signũ affuerit, sunt phrenitica siue phrenitidem ostendunt. Et par. 11. in acutis morbis faucium sine tumore dolores, & pusilli, obstrangulantes, atque cum æger hiauerit, non facile os agere, nec claudere, mentis aberrationem portendunt. ex his phrenitici fiunt, & perniciose habentes. Et par. 15. mente aberrantes, acutè superfebrientes cum sudore, phrenitici sunt. Et par. 26. quæ cum refrigeratione non sine febre superioribus sudanti partibus fiunt morbi, implaciditates, & inquietationes phreniticæ existunt, & præterea pernicioſæ. & par. 33. phreniticæ valde sunt mentis erationes tremulæ, obscuræ, palpitatoriæ. Et in lib. de Coa. præno. num. 2. phreniticæ sunt linguæ asperæ, & resiccatæ. Et ibidem. phrenitici fiunt, qui febres ad tactum non adurentes habent: & magis si sanguis fluxerit. Et ibidem. num. 3. phrenitici euadunt, qui cum lateris dolore, non tamẽ pleuritico, & turbulentis tenuibus, lenibus sanguinem spuunt. Et in lib. 1. pror. par. 1. qui comatosi inter initia fiunt cum capitis, lumborum, hypochundrij, collique dolore, vigilantes, phrenitici ne existant? stillatio è naribus, his pernicioſa, tum alias, tum si quarto inceperit die. Et in eodem lib. phrenetim portendit, morbum molestè ferre, cum perfrigeratione, si non sine febre exudent partes supernæ. Et ibidem. in phreniticis comparent, vrinæ pellucidæ albæ. Et in l. 4. de mor. pop. num. 75. phrenitici sunt, quibus in dextris distentio submollis, si non soluatur. febre desinente. Et in lib. 3. de mor. pag. 72. nu. 9 phrenitici hæc patiuntur. septum transuersum dolent, vt ne contingere quidem permittant, & febris accedit, & mente mouentur, & intentis oculis vident, & alia similia faciunt, his qui peripneumonia affecti sunt, vbi sanè in peripneumonia mente mouentur.

Signa autem prognostica bona, tum mala hæc leguntur veluti in l. de Coa. præ. num. 1. in phrenitide ege-

egestiones alui albæ, & oportet, malum. Et ibidem. phrenitici cum perfrigeratione saliuam fundentes, vomitum nigrum indicant. Et ibidem. phrenitici parum bibentes, strepitum valde percipientes, tremuli, aut conuulsi fiunt. Et, in phreniticis affectiones frequentes transmutationem habentes, conuulsoriæ, prauæ. Et, in vehementer phreniticis tremores lethales sunt. Et in phreniticis in principijs affectiones mansuetę ac frequenter transmutationes habentes, malæ sunt. Et ibidem nu. 2. in phreniticis nasus destillans pernicioſus tum alias, tum quarto ab initio die. Et nume. 4 in phreniticis si comparet vrina alba & diffusa, pellucida, mala est. Et in lib. 1. prorog. in phreniticis mansuetudo in principio, verum frequenter transmutari, malum est. Et ibidem in phreniticis permutationes frequentes, conuulsorię. &, in phreniticis alui profluuium rubicundum, malum. Et, in phreniticis alba alui egestio, rigor, tremores, malum. Et ibidem phreniticæ vehementer affectiones, tremulæ desinunt. Et in lib. prog. com. 1. in phrenitide si quæ ante faciem feruntur, & frustra venantur, lethale. Et ibidem., floccos de vestibus euellere, aut paleas de pariete detrahere, lethale. Et in lib. 4. aphor. 72. quibus vrinæ perspicuæ, albæ, malæ, maxime verò in phreniticis si appareant. Et lib. 7. aphor. 12. è peripneumonia phrenitis, malum. Et in lib. 7. aphor. 12. è peripneumonia phrenitis, malum. Et in lib. 7. aphor. 80. quicunque supra quadraginta annos phrenitici fiunt, non ita valde sani fiũt: minus enim periclitantur, quorum naturæ, & ætati morbus affinis fuerit. At verò prognostica bona sunt hæc. Scriptum est in lib. de iudic. nu. 10. cum phrenitide atrabiliarijs occupatis si hæmorrhoides oboriantur, bonum est. Et in lib. de Coac. prænotio. nu. 1. in phrenitide insomnia euidẽtia bona sunt. Et in lib 1. de morb. nu. 30. ex phrenitide ita perit. desipiunt in hoc morbo semper nimirum sanguine corrupto, & ex consueta motione emoto, & cum desipiant, nihil eorum, quæ ipsis exhibentur, accipiunt, quod saltem memoratu. dignum fit. cũ verò progressum fuerit tempus marcescunt, ac imminuti consumuntur, tũ ex febre, tũ quod nihil alantur, & primũ quidẽ extremæ, partes consumuntur. ac perfrigerantur: deinde ipsis proximę. sed & frigiditatis, & febris & dolorum principium hoc habet. cum sanguis, qui est in venis perfrigeratus fuerit à pituita; transmutatur, & conuellitur aceruatim alia parte, & tremit. tãdem verò omnia perfrigerantur, & moritur.

Curationem verò ibi describit, & inquit. huic ad dolorem quidem danda sunt, quæ in phrenitide, & tepor faciendus, vbi dolor hæret. sed & aluus curanda, & reliqua similiter facienda sunt excepto potu. potu verò vtendum est quocunque alio volueris, præter vinum, aut acetum, & mel, ac aquam dato. vinũ autẽ non conuenit mente motis, neq; in hoc mormorbo & caput multa calida lauare: mollito enim corpore, sudor quoque magis sequitur, & aluus, & vrina secedit. & æger ipse se ipso temperatior euadit. Et in lib. 3. de morb. nu. 9. hoc modo affectum calefacere oportet, calefactorijs humidis, & potionibus excepto vino. &, si quidem fieri poterit; sursum purgare, & per tussim, ac spuitionem educere oportet, quemadmodum in peripneumonia. sin minus; inferna aluus præparanda est, vt egerat. humectatio autem potionibus; hoc enim conducit. morbus autem lethalis est: moriuntur enim tertia, aut quinta, aut septima die. si verò leniter corripiat; iudicat, velut peripneumonia. in l. 3. autem de morb. popul. sec. 1. Aegro. 11. recitat historiam Hipp. de muliere, quæ septima mortua est phrenitide. Et in lib. 7 num. 29. Hippiæ soror hyeme phrenitica, mente aberrans, manibus negotium exhibens, lanci nans se ipsam. quinta, & sexta ad noctem voce destituta, soporosa, inflãs in maxillas, & labia, velut dormientes: septima mortua est. Et nu. 39. Fullo in Syro phreniticus, cum vreretur cruribus tremulis: corpus velut à culicibus cõpunctum: oculus magnus, motus breuis, vox fracta, sed clara tamen: vrina pura subsidentiam non habẽs: nam propter alui ex thapsia egestionem decima octaua die morbus remisit, euanescens, citra sudorem. Et nu. 54. famula, cum multo tempore densæ vrinæ prodijssent, & capitis dolores adessent; phrenitica mortua est, ex vehementibus doloribus: nam vrinæ densæ, ac conturbatæ certum signum sunt doloris capitis, & conuulsionis, & mortis.

Phthisis l. Tabes.

De Pilis

Legitur in l. de natu. pue. nu. 17. pilorũ natura hoc modo se habet. oriuntur equidem maximi, ac plurimi, qua corporis parte cuticula rariſſima est, & vbi pilus moderatum humorum in alimentum habet: & vbi cuticula posterius raram fit, ibi etiam pili posterius nascuntur: simul. n. vt genitura prodit, etiam caro rarescit, & cuticula, & venæ aperiuntur magis, quàm priori tempore: nam dum adhuc puer est, & venæ tenues existunt, non procedit per ipsas genitura, (eadem ratio de mẽsibus virginum est.) simul autem vt via fit, & genitura, & menstruis virginibus, etiam pilos emittit pubes tum pueri, tum virginis, rara nimirum cutila reddita, simulque pilus moderatam humiditatem in alimentum habet, & non pauciorem. sic verò in mento viri contingit: rara enim fit cuticula, procedente in ipsum de capite humiditate: simul enim & in coitu simulque interiecto tempore, pilus moderatam humiditatem in alimentũ habet, & tunc maxime, cum tempus contingit humiditati de capite descendenti coitu ad mentum à pectore distans. Et num. 19. cæterum cani ob id fiunt, quòd longo tẽpore pertranseunte in homine humiditate, albissimũ eius secernitur, & ad cuticulam allabitur, & pilus albidiorem humiditatem trahens albidior fit, quàm priori tempore, itemque ipsa cuticula, præsertim vbi cani sunt, reliqua albidior existit: illic enim albissima est humiditas. habet autem res hoc modo. qualemcunque humiditatem caro attraxerit, siue albam vue, fuluam, siue nigram, tali calores etiam pilus inficitur. Et in l. de Glandu. num. 2. pili ex glandulis nascuntur, & angescunt. Et in l. 2. de morb. popu. sect. 3. pili cutim raram indicant. At in l. 6. de morb. popul. sect. 6. scribitur post pilorum defluuium quartana febris non vltra annum. Sed in l. 2. de mor. mul. in fine num. 4. legitur. ad pilos corporis, aut circa oculos extirpandos.

Pira.

Pira matura calfaciunt, humectant ac aluum mouent, dura verò sistunt. sed pira sylueſtria, hyberna, matura aluum mouent, & purgant, vt proditum est in l. 2. de diæ. num. 15.

Pisa fabis quidem inflant minus, per aluum autem magis secunt, vt scriptum est in lib. 2. de diæ. nume. 8.

Pisces.

Quæcunque pisces in lutosis, & aquosis locis alimenta habent, velut capitones, mugiles, anguillæ, & reliqui huiusmodi grauiores sunt: propterea quod ab aqua, & luto, & in his nascentibus alimenta habent, à quibus etiam spiritus in hominem ingrediēs ipsum lædit, ac grauat, vt scribitur in lib. 2. de diæ. nu. 1. Et ibidem. pisces fluuiatiles, & palustres ijs, qui in lutosis, & aquosis locis degunt, grauiores sunt. Et pisces errones, & vndas verberātes laboribus fractis, solidiorem carnem habent, torpedines autē, & squatinæ, ac rhombi, & huiusmodi sunt leuiores. Et nu. 12. ex piscibus siccissimæ sunt supernæ partes, leuissimæ sub ventre: & capita ipsorum humidiora sunt propter pinguedinem, ac cerebrum. Et num. 11. legitur, quales pisces sint siccissimi, & leuissimi. At in l. de Affec. num. 46. scribitur natura, & differentia piscium. Et in l. 3. de diæ. num. 17. enarrantur piscium partes ex dorso, & cauda solidiores: verum capitales, & sub ventre, humidiores.

Pituita.

Pituita autem est omnium humorū frigidissima, vt inquit Hip. in l. de natu. hu. nu. 12. Et in l. de mor. num. 22. est quidem pituita duplex: altera innata, altera ex cibis genita. de innata sic loquitur in lib. 1. de morb. pag. 74. num. 1. species humorum sunt quatuor, pituita scilicet, sanguis, bilis, & hydrops siue aqua: & de his non minima, neque debilissima in semen procedit portio. & quia animal secundum parentes nascitur; tot humorum species, & sanorum, & morbosorum in se ipso habet. de secunda specie agit. nu. 7. his verbis. si vbi edit, aut bibit quid pituitosi homo, non rursus exeat, quod redundat, neque per os, neque per nares; necesse est ipsum manere in capite, aut ad corpus descendere de capite & ad ventriculum peruenire: etenim pituitæ fons est caput, vt in eodem lib. nu. 3. refertur. sed & in lib. de morb. sac. pag. 58. num. 7. idem confirmat. verum affero, inquit Hip. in lib. 4. de mor. nu. 6. quòd quantum in cibo, aut potu pituitæ inest, illud vbi ad ventriculum peruenit, partim corpus ad se ipsum trahit, partim caput, & quod cauum sit, & velut cucurbita corpori incumbat, ad se trahit, vtpote viscosa existēte pituita, ita vt hæc alia per aliam seruatur ad caput: & quę quidem recens ex cibo generatur pituita, in capite manet. vetus autem, prout copiosior est recens ab ipsa violentè extruditur. quapropter vbi quis edit, aut bibit aliquid pituitosi, excreat pituitam. at verò de speciebus pituitæ hæc profert in l. de inter. affec. pag. 87. nu. 21. & inquit. de pituita easdem habeo sententias, quas & de bile: & species ipsius multas esse puto: & alia quidem popularis est, quæ sanè recentissima est. cuius etiam curatio facillima est. alia antiquior, atque hæc pituita alba appellatur: de quibus ibi lege, & quo pacto curentur. pituita autem si valde calefiat, fit acris: si verò à frigore prematur; congelatur. verum si mixta fit alijs humoribus; sapit naturam illius, humoris, ac præterea possidet ipsius virtutes: legitur. n. in l. de flati. pag 40. nu. 16. pituita acribus humoribus permixta, quocunque proruperit, maxime in non consuetos locos, eos exulcerat Et subdit nu. 17. acris cum sit pituita, carnem penetrans; exulcerat, ac perfringit venas. Et in lib. 2. de morb. pag. 64. nume. 2. cum in capite pituita subbilosa connutrita fuerit; vlcera fiunt. & infra nume 3. desipit homo, cum sanguis in capite à bile, aut pituita fuerit calefactus, & plus solito commotus. Et ibidem nume. 8. postquam venæ pituitam in se ipsas traxerint; necesse est prę pituitę frigiditate sanguinē magis nunc fisti, ac perfrigeratum esse, quàm priori tempore. Et in l. de affec. pag. 81. nu. 16. pituita, & bilia compacta fortia sunt, & præualent in quacunq; corporis parte constiterint: & laborem, ac dolorem fortem exhibent. diffusa verò debiliora sunt, quacunq; corporis parte manifesta fuerint. Et in l. de inter. affec. pag. 80. nume. 7. si inflammatio in pulmone fiat, fit autem maxime à vinolentia & gulositate piscium capitonum, & anguillarum: iam verò etiam factus est morbus à pituita, vbi sanguinis mixta in pulmonem influxerit. & sic nos habemus quidnam efficiat pituita sola, aut cum alijs mixta. sed & hæc addamus, quæ scripta sunt in l. 4. de morb. num. 28. lac in nutrice impurum fit, si pituitosis cibis, ac potibus, & alimentis impuris nutrix vtatur. Et subdit. fex à pituita cruda concrescit: glutinum enim fit pituita ad fecem ammixta. rursus fex solida fit, & lapidis speciem accipit.

Signa porrò pituitæ declarantur in l. 2. de morb. mul. pag. 119. num. 64. hoc modo cum perfrigeratur uterus, & onus insitum esse videtur, & color non est clarus, & compactus est vterus; purgare oportet cum eo, quod pituitam ducit, & attenuare, & frequenter vomere. Et in eodem lib. num. 4 mulieres quę superalbidæ sunt humidiores sunt, ac fluuidiores: nigræ verò sicciores, & acerbiores. Et in l. de loc. in homi. pag. 33. nu. 45. sanguis cum morbum facit; dolorem exhibet: pituita autem; grauitatem vt plurimum. & hæc pauca de signis in genere. Dictum est antea locum pituitæ caput esse; & propterea aut ibi consistit, aut in aliquam partem deuenit. & si ipsa superabundans sit, est morborum omnium fons, & origo. at cū descenderit; optimum quidem fuerit; si ad ventriculum peruenerit: exire. n. poterit vnà cum stercore: & si quidē multa fuerit, ac humida; stercus humectare poterit. si verò modicè, non hoc effecerit. at si in capite maneat; multa dolorem capiti exhibuerit, cum in venis est. si vero modica; non hoc fecerit. significationem autem de se prębet, copiosa ne sit, an modica. Et in l. de mor. sac. nu. 7. morbus sacer fit in pituitosis. in cipit autē fieri in fœtu adhuc in vtero existente: purgatur enim & floresc it cerebrum, velut etiam aliæ partes priusquam gignātur. si purgatio moderata fit; saniissimum caput habebit. si autem amplior colliquatio à toto cerebro facta fuerit; morbosum habebit, & sonitus plenum, & neque solem, neque frigus tolerabit. Et nu. 13. eiusdem lib. processu temporis cerebrum humidius, quàm ex natura fit, & præ pituita inundat, vt defluxione, quidem frequentiores fiant. & cerebrum eroditur à pituita, & colliquatur. id verò, quod colliquatur, aqua fit, & foris cerebrum ambit, & circumalluit, & propterea frequentius ac facilius à morbo sacro corripiuntur, præcipue au strali, ac humida aeris cōstitutione. si verò ab vna aliqua parte colliquatio cōtigerit, aut ab oculo, aut ab aure, aut vena aliqua simul gracilis facta fuerit; ille

sic

sic afficitur,qualiter sane colliquatio contigerit. Et in lib.de Affect.pag.80.numero primo,morbi omnes à bile, ac pituita fiunt; cum in corpore vtraque nimium aut resiccantur, aut humectantur, aut incalescunt,aut frigefiunt. patiuntur autem hæc & pituita & bilis,& à cibis,& à potibus,& à laboribus,& à vulneribus, & olfactu, & auditu, & visu,& coitu,& à calido,& à frigido.patiuntur autem, cum singula ex relatis,aut non in debito tempore corpori exhibentur, aut non consutea, aut plura, & fortiora, aut pauciora,& debiliora. cum igitur de capite fluxio contingat,ea quidem deueniet in nares, in aures, & in oculos,&si inferius descenderit:in thoracem perueniet, vel in medullam spinalem,vel retro aduertebras, & in carnes, & in ventrem. sic scriptum est in l.de loc. in homi.pag.31.num.18.sed in lib.de Gland.pag.26. num.8.& 9. Cerebrum si rodatur; turbationem multam sustinet, & mens desipit,& cerebrum conuellit, ac distrahit totum hominem,qui in seipso vocem nō edit,ac suffocatur,& hæc affectio apoplexia appellatur. aliquando verò acris non est fluxio, sed copiosa in cerebrum irruens,ipsum affligit, & ruens perturbatur,& homo circumambulat, aliena cogitans, & aliena videns, perferens morbi mores visis, risu, & peregrinis imaginationibus, at si fluxio pituitosa ex capite ad carnes conuertatur, capitis præsertim, cutis erassescit,& reliquum corpus attollitur,& crassescit,ac bonum colorem habet.sic legitur in lib.2. de mor.num.1. atque ibidem nu.2.cum in capite pituita subbilliosa connutrita fuerit; vlcera fiunt,vbi sinciput pituita,& bile perrigatum fuerit, & vbi pituita rara,& aceruata fuerit,itemque bilis:hæc.n.consistit, putrescit, & exulceratur. verū cū ad venas bilis, aut pituira ingressa fuerit;eleuantur venę,& pulsant & dolor per totū caput dispergitur,& aures sonitum percipiunt,ac nihil audiunt,& hæc n.4.atque inquit nu.7. si pituita in secunda ossis capitis lamina reficcata fuerit;caries fit in osse,& dolor ex osse corripit, & & temporis progressu cutis de capite ex alia, atque alia parte discedit. Et nu.8.cū venæ in capite fuerint calefactæ,& calefactæ pituitam in se ipsas traxerint; anteriorem capitis partem dolet,oculis non videt æqualiter,& soporatur, & venæ pulsant, & febris debilis tenet, & corporis impotentia,& si sanguis,ac reliquum corpus pituita superarint,ita vt calescāt;homo euadit.si verò pituita præualuerit;sanguis magis perfrigeratur,ac congelatur,& hæc si augescant: penitus cōgelascit,ac perfrigeratur homo, & moritur. Si verò è capite fluxiones fiant; per aures secundum naturam,per oculos,per nares contingunt. atque hæ tres sunt,& aliæ per palatum in guttur,& in gulā,& aliæ per venas in medullā spinalem,& in sanguinem. quæ omnes septem numero existunt. has lege in l.de Glan.nu.8.& in l.de loc. in hom.nu.18. si autē in aures fluxio inciderit,quo pacto curanda sit,lege in l.de affect.num.3. si in oculos: curationem lege in lib. de loc.in hom.nu.21.si autem in nares, curationem habes in l.de loc.in hom.nu.20.& in li.2.de mor.nu.33. & in l.de Affec.nu.6.si verò pituita in guttur,& collum descenderit: fit angina, de qua lege in lib.2. de mor.n.9.& 26.si ad gurgulionem, fit vna, vt legitur. num.10.& 29.si in tonsillas, in linguam, ac in partes sub lingua,& in gingiuas, lege nu.11.& nu.30. si tuberculum ab hac fiat sub lingua: curationem vide. nu.31. si ad palatum descenderit,& tuberculum fiat; quo pacto cures,habes num.32.si verò ad dentes; lege in lib.de affect.num.5. si in fauces, num.4.verum si fluxio fiat in thoracem: fit pleuritis, peripneumonia,febris ardens,phrenitis,vt legitur in li.de affect. numer.7.& curationem habes,num.8.9.10.& 11. ex his morbis fiunt suppurationes, & tabes. vt scriptum est in lib.de loc.in homin.nu.26.27.& 28. curationē comperies in l.2.de mor.nu m.44.si fluxio in pulmonem fiat; quot oriuntur morbi pulmonis & quo modo durentur, lege in lib.2.citato num.55. atque hæc si salsa fit,& putrida:mordet pulmonem, & facit tabem,& quo modo lege in l.de inter.aff.nu.12.si in latus;fit tuberculum, cuius signa, & curationem reperies n.58.si porrò ad cor progressum fuerit defluxus: palpitatio apprehendit,& anhelationes, & pectora corrumpuntur,aliqui etiam incurui fiunt;cum enim descenderit pituita frigida ad pulmonem,aut ad cor; perfrigeratur sanguis, si verò in ventrem defluat; profluuia alui apprehendunt.& hæc recitat Hipp.in l.de morb.sac.num.7. at, si vadat ad hepar: facit hydropem,& calorem,& flatum.Verùm si aliam cæperit viam fluxio,vtpote per venas hæmatitidas; mutus fit homo,& suffocatur,& spuma ex ore effluit,& dentes constringuntur, & manus conuelluntur, & oculi distorquentur,& nihil sapiunt, aliquibus etiā stercus inferne secedit. atque hæc fiunt, aliquando in sinistra,aliquando in dextra, aliquando vtrinque, & hæc in eodem loco de morbo.sacr.si autem in medullam spinalem fluxio contingerit;tabes occulta, ac inconspicua oboritur: cuius signa,& curationem lege in l.de loc.in homin.num.29.& 35.Cum autem retro ad vertebras, & in carnes defluxerit, hydrops fit,quam quo modo cognoscas, vide in lib. de loc.in homin.nu.18.& curationem num.33.si autem modicus fluxus fuerit: coxendicum, & articulorum diuturnam facit affectionem, vbi fluere cessauerit; nam vt modicus, & vndiquaque ab omnibus fortioribus depulsus,ad articulos refugium facit. fiunt præterea articulorum, ac coxendicū affectiones à talibus morbis sanatis, cum morbum quidem efficiens sanatur: in carne verò quid relictum fuerit,cui non sit exitus neque rursus intro,neque foras: sed ad cutem egressum tuberculum vtique fecerit, fugit autem in id, quod cedit,articulos videlicet, & articulorum, aut coxendicum affectiones inducit. curationem verò habes num.34.si verò fluxio retro processerit per palatum,& in ventrem pituita peruenerit; fluunt quidem horum ventres,non autem ægrotant.si verò inferne maneat pituita:affectiones voluulosæ fiunt diuturnæ.hæc in l.de gland.nu.9.& in l.de Affec.nu.25. & quomodo curandus sit talis morbus,lege in lib.de loc.in homi.num.32.si verò pituita in cerebro liquescens secedit per venas, quæ ducunt ad pudendum; mingit homo; & patitur quemadmodum ab vrinæ stillicidio. sic legitur in lib.2.de morb.num.1.sed in l.1.num.27. quibus in vesicam confluit quid pituitæ crassa vrina mingitur. Et in lib.de inter.affect.n.15. cum ren lapide laborat, pituita est in causa, propterea quòd ren susceptam in se ipsum pituitam nō rursus dimiserit, sed in ipso in toffum concaluerit, & fiūt ex ea tenues lapilli, velut arena. si verò ad cutim peruenerit,legitur in l.de aff.n.35.lepra, & pruritus, & scabies,& impetigines,& vitiligo,& alopecia, à

pituita fiunt. sunt autem talia, turpitudo magis, quã morbi, fauus, & strumæ, & pani, & furunculi, & carbunculus à pituita fiunt. & numer. 34. tubercula, quæ enascuntur omnia, à pituita, aut à sanguine nascuntur: cum sanè à vulnere, aut à casu fuerint collecta. curationes autem horum ibi lege. si verò pituita in carne quieuerit; hæc scribuntur in l. de loc. in homi. num. 38. febres propterea sunt, cum corpore superinflammato carnes intumuerint, & pituita, ac bilis conclusa quieuerint, & neque refrigeretur quicquam, neque exeat, neque moueatur, neque aliud quid subeat. cum itaque lassitudo occuparit, & febris ac repletio: quid faciendum sit, ibi docet. Et in l. de affe. nu. 17. cũ corpus à sole fuerit calefactum; humectatur: humectatum verò ægrotat, aut totum, aut ea parte, in qua pituita, & bilis incubuerint. si quidem igitur quis ipsos incipientes curet: neque longi fiunt: neque periculosi. si verò non curet, aut male curet: & longiores fiunt, & sæpe quoque occidunt. Et nu. 19 fit tum tertiana, tum quartana à bile, & pituita. Et nu. 21. splen magnus, & durus fit, cum ex febribus & mala curatione bilis, aut pituita, aut ambo eum incubuerint. scribitur tandem morbus pituitosus in lib. 2. de mor. nu. 68. & eius signa, & curatio.

Pituita porrò augetur hyeme ob pluuiarum copiã & noctium longitudinem, vt scriptum est in l. de natu. huma. num. 14. atque ipsa defluit, vbi derepente post aquilonares ventos auster flare cęperit: soluit enim ac laxat cerebrum compactum, ac debile, quem admodum sentit Hipp. in l. de mor. sac. nu. 10.

De Pituita autem hæc pauca addenda duximus. Pituita his aceruatim penetrat circa iudicationem, quibus dolores circa vmbilicum palpitatorij, vt legitur in l. de Coa. præ. nu. 3. sed in l. 7. aph. 30. his pituita de capite defluit, quibus spumosæ alui egestiones sunt. Et in eodem l. aph. 55. Quibus inter ventriculum, & septum pituita reposita est, & dolorem affert non habens exitum, neque ad alterum ventrem; his per venas ad vesicam versa, soluitur morbus. Cur autem pituita ad ventriculum, & ad vesicam perueniẽs non lędat; ad corpus autem alteri humori ammixta, non qualitate, se quantitate molestet. lege in lib. 4. de morb. n. 7. Verum in lib. de morb. sac. nu. 10. hæc narrantur. Pituita insuper defluit ex ignoto timore: siquidem timuerint aut aliquo vociferante, aut interplorandum spiritum reuocare non poterint; id quod pueris frequenter contingere solet.

Tandem pituitæ in ventre molestantis per clysterem curatio reperitur in l. de inter. affect. nu. 22. quæ medicamenta eam attenuent, & resiccent, in l. de Affect. nu. 21. quo modo expellas in li. 4. de mor. num. 7. quæ verò purgent, habes proprijs locis.

De Alba pituita.

Qui alba pituita detinetur, si fortis ventris fluxus superuenerit, à morbo liberatur. hæc Hip. in lib. 7. aph 29. quid verò sit alba pituita in com. explicat Galen. & inquit. consueuere & alij medici quandam aquæ intercutis speciem, albam pituitam nominare, quasi videlicet sit etiam pituita liuida, vel tanquã sui quidem ratione sit semper alba: sed propter mixtionem quorundam aliorum humorum verum mutet colorẽ cæterum Hipp. ipse in l. 2. de mor. pag. 70. nu. 69. sic exponit quid alba sit pituita. intumescit totum corpus albo tumore, & venter ad contactũ crassus est, & pedes, ac femora tument: tibię item ac scrotum. & aceruatim respirant, & facies rubicunda est, & os siccum, & sitis tenet, & vbi cibum accepit; spiritus frequens incumbit. hic eadẽ die, quandoq; melius habet, quandoque peius. Et in l. de affec. pag. 81. nu. 20. pituita alba cum tenuerit; corpus totum intumescit albo tumore: & in eadem die alia parte melius sibi videtur habere, alia deterius. & tumor aliàs in alia corporis parte maior, & minor fit. morbus autem hic fit à pituita, cũ ex febribus diuturnis pituitosus existens, impurgatus manserit, & pituita ad carnes ipsius conuersa fuerit, & nihil quidem albidior est hęc pituita, quàm alia: verùm corporis color albidior apparet: sanguis. n. à pituitæ copia aquosior fit, & non inest similiter ipso bonus color, quapropter albidiores apparent: & vocatur hic morbus pituita alba. Et in lib. de inter. affec. pag. 87. num. 23. si antiquior fuerit pituita, (appellatur autem hæc pituita alba) patitur hæc. grauat hominem magis, & speciem à populati, alienam habere videtur, pallidiorem, & totum corpus laxo tumore intumescit, & facies rubet, & os siccum est, & sitis tenet: & cum comederit; spiritus densus ipsi incidit. hic eadem die aliquando melius habet, aliquando derepente dolet, & sibi mori videtur. hæc sunt albæ pituitæ signa.

Quid verò præsagiendum sit de ipsa, scribit Hip. in lib. 7. aphor. 71. his verbis à pituita alba aqua intercus superuenerit. Et Gal. in com. hoc pacto explanat. quibus in vasis, & in totius corporis habitu pituita alba fuerit aceruata; his aqua inter cus, quæ leucophlegmatias ab alba pituita nomen habet apud Græcos superuenit. sed & in l. de affec. nu. 23. inquit Hip. fit etiam hydrops à splene, cum ægrotauerit, & ab hepate, & pituita alba, & à dysenteria, ac lienteria. at verò quomodo à pituita fit transitus in hydropem, docet in l. de inter. affec. nu. 24. cum ait. à pituita maxime in aquam inter cutem transitus fit hoc modo. pinguedo colliquescit, & à calore, qui in pituita est, fit aqua. cognosces autem hoc, an quis sanari possit. aut non: donec. n. quis in pectine pinguedinem habet, fieri non potest, vt ipsum sanes. cognosces autem ex his maxime, an pinguedo insit in pectine, aut non si quidem febres succedant, & non potest exurgere, & vmbilicus inflatus extra prominet. indicium est non amplius inesse pinguedinem, & sanabilẽ esse. verum quo pacto sanitatem acquirat, ibi lege. At verò non efficit solam hydropem pituita alba, sed & morbum crassum quendam, de quo legitur Hip. in l. de inter. affec. nume. 33.

De alba verò pituita sparsim scripsit Hip. & non ex studio in pluribus locis; quemadmodum in libro de superfœ. numero octauo vbi legitur. si qua partui vicina sit, & oculos cauos habeat, & facies intumescat, & ipsa tota, itemque pedes tument, vt velut à pituita alba apprehensa, appareat, & habeat aures albas, & summum nasum album, & labia liuida, ea ipsa mortuos gestat. hęc verba nobis significant, quid sit alba pituita. sed in libro secundo de morb. popula. sectio. 1. percipimus à quonam membro proueniat, cum hæc scripta sunt. color est velut, qui multum pallidus est, & qui ex candicante pallet: quoniam omne huiusmodi ab hepate est, & ex hoc sunt hepatici in his morbi: & morbi regij ab hepate ad subalbidum colorem vergũt, & qui ex aqua inter

cutem

cutem ex pituita alba laborant. Et in lib.4. de morb. popu. nume.3. recitat hiſtoriam de muliere, quam alba pituita detinebat, ſed ſigna quædam deſcribit in eodem lib.num.18. & inquit. Anicula alba pituita referta, tibiæ duris tumoribus, albis, laxis: itemque pedes, verùm minus. erant autem, & in pedibus infra femora, etiam ſi pleriſque difficilis huc exitus patet:imo,& in lumbis:& venter tenuis erat,præcordia ſubmollia, ſpirituoſa non valde. reliqua ibi lege. Et in l.de inter.affect. nu.13. in tabe quadam medulla ſpinalis ſanguine plena fit.tabeſcit autem ſimiliter, & à cauis venis.hæ verò pituita hydropiformi,& bile replentur. Et in l.de aer.aq.& loc.n.12.occidentalibus mulieribus quibus vſui eſt aqua paluſtris ſtabilis,ac lacuſtris, tumores oboriuntur hyeme,& pituita alba,& vix in ventre concipiunt.

Nunc curationem aggrediamur. ſcriptum eſt in l.1. de mor.nu.6.ſubaquoſo,ac lienoſo ab alba pituita detento,aluus fortiter turbata,bonum.Et in l.7.aph. 29. qui alba pituita detinetur, ſi fortis ventris fluxus ſuperuenerit,à morbo liberatur. Et in l.2.de mor.nu. 69. huic ſi quidem venter ſua ſponte turbatus fuerit in principio morbi;proximus ſanitati eſt:ſi verò non turbetur; medicamentum deorſum purgans dato, à quo aqua purgetur.& calida non lauet,& ſubdito exponatur:& ſcrotum vbi impletum fuerit; ſecato. cibis vtatur pane puro frigido,& beta,& piſcibus,ſcorpijs coctis,iuſculo autem quàm pauciſſimo,& frigidã omnia edat,& non dulcia,neque pinguia: ſed trita,& acida,& acria,excepto allio,cœpa, & porro origanum,& ſature iam multam edat,& vinum inde vinoſum bibat:& ante cibum iter faciat. at ſi à medicamento tumeat,clyſterem adhibeto,& cibo,deambulationibus, & illiuuie premito. verum ſurſum purgans non prius dederis, quàm tumores ad infernas partes deſcẽderint.quòd ſi extenuato iam ipſo,ſuffocatio in pectore oboriatur; veratrum bibẽdum dato, & caput purgato, & poſtea deorſum purgans bibat. morbus hic maxime à nullo diſcedit. Et in l.de affe.n. 20. huic pharmaca danda ſunt deorſum purgantia, à quibus aqua,aut pituita purgatur.victus autem ratio conſtituenda eſt in cibis, & potibus, ac laboribus, à quibus ſiccisſimus, ac gracillimus euadat ſi quidem igitur curatus fuerit inchoante morbo ſanus fiet: ſin minus: in hydropem tranſit morbus, & hominem corrumpit. Et in l.de inter.affect.n.23.ſi verò non ſua ſponte venter turbetur; purgare oportet cneoro dato, aut hippophae, aut cnidio grano, aut lapide magneſiæ, & poſt purgationem lenticulæ hemina vna, aut duæ dentur ad abſorbendum.coquatur autem allium in lenticula. detur etiam betæ pinguis hemina non conditę polenta circuminſperſa bibat vinum nigrũ,auſterum,& forte,poſtea verò die mane ſtadia viginti deambulet. deinde panem edat paruum, exaſſatum,& allium coctum,& vinum ſit paulo meracius. deinde ſtadia vadat triginta. cœnet pedes, & capita ſuilla,aut galli carnes,& ſuis tritas,aut ſcorpium,draconem,gobium,vel alios piſces huiuſmodi.olera ſint ſolum allium copioſum, crudum, & aſſatum, & coctum. hic morbus maxime fit tẽpore æſtatis ex aquæ potu,& à ſomno multo. indicatur in triginta diebus an lethalis ſit, aut non in primis autem diebus ſorbeat lenticulam cum aceto, & ptiſanam acidam. bibat mulſam tepidam, vt præpares corpus ad pharmacorum potem.dormiat ſub dio.&,ſi tibi videtur, detrahe ſanguinem, cucurbita affixa, & venas inſcroto quam craſſiſſimas ſecato, citiſſime ſanus fiet, ita curatus.

Pleuritis.

Pleuritidis ſpecies quædam ſumitur à materia,ex qua fit; ſiquidem alia ſanguinea, alia bilioſa ſit: alia flatuoſa. Quædam autem ſumitur à loco, veluti ea, quæ in ſuperioribus coſtis,alia in inferioribus,& mẽdoſis,alia ex dorſo fit. Quædam ſumitur ab accidentibus proprijs: nam alia humida eſt, & cum ſputo: alia ſicca, & ſine ſputo.

De Bilioſa verò hæc comperies in l.de loc. in ho. pag.31.nu.24.cum in thoracem fluxerit, & bilis fuerit, & dolor lateris mollitudinem occupat, & clauiculam eiuſdem partis,& febris adeſt,& lingua ſupernè pallida,ac viridis ſit,& excreat compacta;pleuritis eſt.huius morbi periculum ſeptima,aut nona die inſtat. cum verò ambo latera doluerint; hæc quidẽ peripneumonia eſt.ambæ autem hoc modo ſiunt.cũ in pulmonem fluxerit bilis ex capite per guttur, & aortas appellatas appendentes partes pulmonis; pulmo tanquam natura rarus, & ſiccus trahit in ſe humorem,quantum eius capere poteſt.& vbi influxerit, maior fit; & vbi quidem in totum fluxerit,extremitas eius maior reddita vtrunque latus contingit, & peripneumoniam pulmonis appellatum morbum facit cum verò alterum tantum;pleuritis,id eſt,morbus coſtalis fit. Et in l.1.de mo.n.27.pleuritis,& peripneumonia fiunt hoc modo. pleuritis quidem, cum potiones aceruatæ,& fortes valde corripiunt:percaleſcit enim totum corpus,& humectatur à vino.maxime autem,& bilis,& pituita percaleſcit,ac humectatur.& his commotis,ac humectatis, contiget, vt rigor inuadat. & cum latus naturæ carne nudum ſit prę omnibus corporis partibus,& non ſit quidquam in ipſo, quod remittatur præter ventriculi cauitatẽ maxime rigorem percipit.& cum riguerit,ac perfrigeratum fuerit; tum caro,quæ eſt in latere, tum venæ contrahuntur,ac conuelluntur.& quantum ipſa carne ineſt bilis,ac pituitæ,aut in venis, quæ in ipſa carne ſunt; id magna ex parte,aut totum ſecernitur, & intro compellitur ad caliditatem, carne extrinſecus condenſata: atque id ad latus affigitur,& dolorẽ vehementem exhibet,& percaleſcit,& per caliditatem trahit ad ſe ipſum à vicinis venis,ac carnibus pituitam,& bilem. vbi verò ad latus affixa putruerint, & per ſputum reiecta fuerint; ſani fiunt.Si verò & antiquum multum affixum fuerit ad latus, & aliud inſuper acceſſerit; ſtatim pereunt, præ ſaliuę copia expuere nequeuntes: aut ſuppurati fiunt, & partim pereunt partim euadunt.indiciũ autem hęc de ſe prębent in ſeptẽ diebus,aut nouẽ,aut vndecim,aut quatuordecim. Dolorem porrò inducunt ad humerum, ad clauiculam,& ad alas hac de cauſa.vena,quæ ſplenitis appellatur,tendit à ſplene ad latus,à latere verò ad humerũ, & ſiniſtram manum: hepatitis autem ad dexteras partes eodem modo. & cum huiuſmodi in latere pars rigore contracta fuerit, & ſanguis in ipſa horruerit,ad alas,& clauiculã,ac humerum concedit, & conuellit, ac dolorem inducit eodẽ modo. at loci circa dorſum ab affixo ad latus humore pituitæ, ac bilis percaleſcunt: at quandoque dolorem locis infra latus exhibent.ſæpe verò ſi ad infernas partes

tes conuertatur; dolorem per venas ad veſicam deſtribuit; multumque ac biliosum æger mingit. arbitrātur autem huius morbi cauſam, ac principium rigorem eſſe. ſic fiunt pleuritides ex humoribus.

Verum ſanguine pleuritis eſt, in qua ſubruenta rejicit: & eſt quidem biliosa mitior, ſi non ruptiones æger habeat. ſin minus; doloroſior quidem eſt, ſed non lethalior. at ſanguinea fortis, & doloroſa, & lethalis eſt. hæc in l. 3. de mor. n. 19. at n. 20. bilioſæ, & ſanguineæ nona, & vndecima iudicat, & magis ſani fiunt.

Pleuritidis verò ſpeciei, quæ à loco ſomitur, mentionem facit in l. de Vict. ratio. in morb. acut. com. 2. par. 10. cum ait. ſi dolor ad clauiculam pertigerit, aut moleſta ſit. brachio. &c. Et par. 11. ſi verò eas quę ſub ſepto tranſuerſo ſunt partes dolor infeſtat, nullumque ad clauiculam ſignum fecerit. ſed plura de his dicemus, cum curationem egerimus. & in l. 7. de mor. n. 21. inquit. pleuritis ex dorſo intantum ab alijs differt. dorſum dolet, velut ex plaga, & ſuſpirat, & acer uatim reſpirat: ſtatim autem ſpuit pauca, & corpus delaſſatur. tertia, aut quarta die ſaniem mingit ſubcruentam moritur autem maxime quinta die: ſin minus ſeptima has ſi effugerit, vixerit, & morbus leuis eſt, ac minus lethalis. cuſtodire tamen oportet vſque ad decimum quartum.

De pleuritide vero ſicca agit in eodem libro 3. de morb. n. 20. hoc modo. ſunt & ſiccæ pleuritides ſine ſputo. uerum hæ difficiles ſunt. iudicationes autem ſimiles aliæ ſunt, ſed ampliores in potu humectatione opus habent, quam aliæ. Et in l. 1. de morb. nume. 2. fit & peripneumonia, & pleuritis ſine ſputo ambę ex eade m cauſa, & præ ſiccitate. ſiccant autem, & calida, vbi nimium frigefaciunt. congelatur autem. latus, & quæ ſunt in ipſo venæ, & conuellitur: & quātum in ipſum ineſt pituitæ, aut bilis, id à caliditate reſiccatur, & dolorem inducit, & à dolore febrem. Et in l. de loc. in hom. nu 37. pleuritis ſicca citra fluxum fit, cum pulmo valde exſiccatus fuerit præ ſiti neceſſaria: pulmo enim natura ſiccus exiſtens, vbi amplius quid, quàm pro natura ſiccatus fuerit; gracilis fit, & impotens redditus, & ad latus præ impotentia reclinatus, latus contingit. & poſteaquā contigerit ipſum humidum exiſtens; cohæret, & adglutinatur, & pleuritidē, hoc eſt, lateris morbum facit. tūc verò, & dolor fit in latere, & in clauicula, & febris, & album excreat. hunc multis potibus curare oportet, & lauare, & doloribus medicamentum prębere, & alia quæ excreationem faciūt. hic in ſeptē diebus ſanus fit, & morbus minime periculoſus eſt, & cibos præbere non oportet. Et in l. 1. de morb. nu. 25. huic venam ſecare conducit in manu ſplenitidem appellatam, aut hepatitidem, iuxta vtram ſanè fuerit morbus. atque ſic dolor mollior fit, & lateris, & aliarum partium: nam vena, & quantum in ipſa ineſt bilis, ac pituitæ, & ipſius ſanguinis ægrotantis vna cum his magnam partem foras dimittit. pars verò ex carne per medicamenta, & potiones diffunditur, & à calefactorijs forinſecus adhibitis, ita vt morbus per totū corpus diſpergatur. atque hæc de ſicca pleuritide.

Cæterum fit, vt à varijs ſymptomatis, variæ quoque dicantur pleuritides; legitur enim in lib. 2. de mor. nu. 40. 41. & 42. triplex pleuritidis differentia à ſignis deſumpta, quarū prima eſt. pleuritis ubi corripuerit; febris, & rigor tenet, & dolor per ſpinam ad pectus, & erectæ ceruicis ſpiratio, & tuſſis, & ſaliua alba, ac ſubbilioſa, & non facile per tuſſim reijcit, & per inguina dolor eſt, & cruenta vrinam mingit. cum ita habuerit, ſi febris ſeptima die remiſerit, ſanus euadit. ſin minus; deuenit ad vndecimum, aut decimum quartum diem. & ſanè multi in his diebus moriūtur. at ſi decimum quartum tranſgrediatur; euadit. deinde ſubdit curationem huiuſce pleuritidis, & inquit cum ita habuerit dolor; calefactoria adhibeto. bibat autem mel æquali aceto affuſo coctum, ita vt quanta affuerit menſura cocti mellis, & aceti, vnde vigeſimam partē aquæ affundas. hoc paulatim, & frequenter bibendum dato: & poſtea quoque aquam modico aceto affuſo ammiſceto. ſorbeat & milij ſuccum melle modico adſtillato frigidum quartæ hæminæ partis menſura, quoties vtrunque cibum ſumit. & bibat vinum album vinoſum, aquoſum, modicum. ſit autem vinum quammolliſſimum, odorem non habens. vbi verò febris dimiſerit; per biduum milium bis in die ſorbeat, & betas iucundiſſime paratas edat. deinde catulum, aut auiculam coquat, & ius ſorbeat, & de carnibus parum edat. reliquo verò tempore, maxime quandiu à morbo tenetur; in prandio milium ſumat, veſperi cibis pauciſſimis, aut molliſſimis vtatur.

Secundæ pleuritidis differentia talis eſt. febris tenet, & tuſſis, ac rigor, & dolor ad latus, & quandoq; ad clauiculam, & ſaliuam ſpuit ſubbilioſam, ac ſubcruentam. quòd ſi ægro abſceſſus ruptus fuerit, qua parte dolor maxime vrget, calefactoria adhibeto, & calida lauato, ſi non magna febris ipſum teneat. ſin minus; non. bibendum autem dato fauum in aqua maceratum, ita vt aquam iam ſubdulcem facias, & poſtea quoque aquam ammiſceas. ſorbeat ptiſanæ ſuccum bis in die, & vinum inde bibat album, aquoſum. &, ſi quatuordecim dies effugerint; ſanus euadit.

Tertiæ verò Pleuritidis differentia talis eſt. febris detinet, & dentium ſtridor, & tuſſis ſicca, & cum virore pallida reijcit, quandoque etiam liuida: & dolor latus corripit, & dorſum ſubrubidum fit. caput, & pectus caleſcunt, aliquando etiam venter, & pedes, & crura. &, cum erectus ſedet, magis tuſſit, & aluus turbatur. & alui egeſtio cum virore valde pallida eſt, ac graueolens. hic in viginti diebus moritur. ſi verò has effugerit; ſanus fit. huic donec quatuordecim dies præterierint, aquam de farina craſſa in ipſa macerata bibendam dato, & vinum album, vinoſum aquoſum. poſtea bibendum ſorbeat ſuccum ptiſanæ frigidum bis in die. verum pro melle mali punici ſuccum, ad ptiſanæ ſuccum admiſceto; poſtquam iam hic ptiſanæ ſuccus coctus fuerit, & lauet nō multa. vbi verò quatuordecim dies præterierint; in prandio milium ſumat. ad veſperam carnibus auicularū cum iuſculo & paucis cibis vtatur. at talem morbum pauci effugiunt.

At verò præter dictas differentias ſunt & alię, quę profectò ad primas reducuntur: attamen; cum morbus per ſe ſit acutus; has quoque recitandas eſſe duximus. & idcirco proditum eſt in l. 3. de morb. num. 19. Cum pleuritis apprehenderit; hæc patitur. dolor latus, & febris, & horror tenet, & frequentem ſpirum habet, & erectæ ceruicis ſpiratio vrget, & tuſſiendo

reijcit

reijcit ſubbilioſa, velut à mali punici corio, ſi non ruptiones habuerit, ſi verò habuerit, etiam ſanguinem à ruptionibus. eſt autē & ſanguinea pleuritis, in qua ſubcruenta reiicit; & eſt quidem bilioſa, mitior, ſi non ruptiones æger habeat; ſin minus, doloroſior quidem eſt, ſed non lethalior. at ſanguinea fortis, & doloroſa, & lethalis eſt, cum igitur affuerit ſimul ſingultus, ſimulq; cum ſaliua ſanguinis grumos nigros tuſſiendo reijcerit, ſeptima die moritur. ſi verò dies decem trangreſſus fuerit, à pleuritide quidem ſanus fit, verum vigeſima ſuppuratur, & pus tuſſiendo reijcit, demum verò reuomit, & non adeo facilis curatio fit.

Et in l. de affect. n. 8. in pleuriti de febris detinet, & lateris dolor, & erecta ceruice ſpiratio, & tuſſis, & ſputum ab initio quidem ſubbilioſum ſpuit. poſtquam autem quinta, aut ſexta dies aduenerit, etiā ſubpurulentum. huic ad lateris quidem dolorem dādum eſt, quod pituitam, & bilem a latere deducat. ſic. n dolor leniſſimus fuerit. aluus autem curanda eſt per clyſterem ſubducentem, ac frigefacientem: hoc enim vniuerſo modo comodiſſimum erit. exhibendus eſt etiā potus, & ſorbitio. & potiones dandæ ſunt acidiores: quo ſputum de latere repurgetur. cū autem pus purgari incæperit; latus calefacere conducit, ac intus, & forinſecus maturare ea, quę circa latus ſunt: prius autem, hoc facere non expedit: reſiccatur enim. fit autem hic morbus maxime ex potu: cum quis humecto corpore, aut ebrius, aut ſobrius, friguerit. fit etiam aliter. iudicatur autem morbus breuiſſimus ſeptima die, longiſſimus decima quarta. & ſi quidem in hac, per ſputum reiectum, ac purgatum fuerit pus à latere: ſanus fit. ſi verò per ſputum non fuerit pus reiectum: pectore ſuppuratur efficitur, & morbus lōgus erit. porrò iudicari in morbis eſt, cum morbi augeſcunt, aut marceſcunt, aut in alium morbum tranſeunt, aut deſinunt. At verò poſtquam ad pleuritidū curationes deuenimus; non abſurdum erit, ſi eas vt pote ad modum opportunas tractauerimus.

Scriptum eſt in l. de loc. in hom. nu. 30. in pleuritide febris ſedanda non eſt per ſeptem dies. potu utendum aut aceto mulſo, aut aceto, & aqua. hæc autem quàmplurima offerre oportet; quo humectatio fiat, eaque facta excreationem faciat: & dolor ſedandus eſt calfactorijs medicamentis; & ad ſorbendum dandum eſt: quicquid excreationem facit, & balneis vtēdum quarta die. quinta autem, & ſexta oleum illinendum eſt. ſeptima lauandum eſt: ſi febris dimittere non velit: quo præ balneo ſudor contingat. inſuperq́ue & quinta, & ſexta fortiſſimis vtēdum eſt excreatorijs medicamentis; quò ſeptima die febris ceſſet; nona ceſſabit, ſi non aliud quid periculoſum accedat. poſtquam autem febris dimiſerit, ſorbitiones quàm debiliſſimæ offerantur. ſi verò euacuatio obortur, ſi quidem iuuenile adhuc eſt corpus; potus auferendi ſunt. ſi verò febris dimiſit, triticeis ſorbitionibus vtaris, & eodem modo peripneumoniam curato.

Et in l. 3. de mor. nu. 22. inquit. curare verò pleuritidas hoc modo oportet, vt plurimum velut phrenitidem, & peripneumoniam, præterquam quòd hic balneis calidis, & vino dulci vtendum eſt: ſi igitur prima, aut quinta die poſtquam inuaſit ægrum acceſſerit, ſi ſtercus prodijt purum, aut leuiter bilioſum, & modicum, infuſum ex Thapſia per clyſterem injicito. ſi verò aluus commota, noctu quidem æger, poſtridie verò dolor, & tormen vexet; rurſus clyſterem adhibeto. at ſi æger bilioſus ſit natura, & non purgatus, correptus fuerit à morbo, priuſquam ſaliuam bilioſam expuat; etiam medicamento bilem probe purgato. ſi verò iam expuat bilioſa, medicamentum ne dederis; ſi enim deperis, ſputum rurſum prodire non poterit, ſed ſeptima, aut nona die ſuffocabitur, maxime ſi pręcordia doleant: quæ ſi doleant: clyſterem adhibere oportet; & in potu ieiuno bibendam dare ariſtolochiam, hyſſopum, cuminum, ſilphium, peplum, mecona appellatum album, florem ęris, mel acetum, & aquam, & per medicamenta quidem ita primas curationes facere oportet. reliqua verò ſic ſe habent. multa calida pro viribus ægri lauato, capite excepto; & cum iudicationes ſunt, dolentes locos humidis fomentis tepefacito, & oleo illinita. cum verò impetu fertur morbus: & ægrum, & medicū à curationibus quieſcere conuenit, ne quid mali inducatur. dandus autem eſt ptiſanæ ſuccus coctus, aliquanto craſſior ſpiſſitudine mellis. Poſt balnea etiam vinū dulce, & aquoſum bibendum eſt, non frigidum, modicum, ex anguſti oris pocillo. & vbi tuſſes inuaſerint, amplius bibendum, & quàm maximè excreandum, & potu humectandum: quò pulmo humidior factus facilius, ac citius ſputum reddat, & tuſſis minus affligat. ſed & mali punici dulcis vinoſi ſuccum lacte caprino modico, & melle ammixto, paulatim ſæpe dato, & noctu & interdiu: at ſomnum quàm maxime prohibeto, quò purgatio, & citius, & copioſior fiat. Et ſubdit, nu. 25.

Sanguineam verò pleuritidem, ſic curare oportet. poſt iudicationes cibis lenibus reficito, & quietem, agat, & nimium caueat ſolem, ventos, repletiones, acida, ſalſa, pinguia, fumum, flatus in aluo, laborem, venerem: ſi enim morbus recidiuarit: mors ſequetur in expuitionibus autem, ſi dolor habeat, & expuere non poſſit, ieiuno æris florem dato magnitudine oliuæ, & ſucci ſilphij dimidium eius, & trifolij ſeminis modicum. hæc ex melle delingat. aut piperis grana quinque, & ſucci ſilphij magnitudinem fabæ, mel, acetum, & aquam ieiuno tepida bibenda præbeto. hoc etiam dolores ſedat. quòd ſi pro ratione ſpuere non poſſit, ſed moretur ſputum hærens in ipſo, & ſtertat in pectore. ari magni radicis conchulam maiorem, & oleum, ac acetum mixta dato, & acetum aqua dilutum inſuper bibat. Aliud forte. Flores æris magnitudine fabæ, & nitrum affatum dupla portione, & hyſſopi quantum tribus digitis comprehendi poteſt melli miſceto, & aquam ac oleum modicum adſtillato, & tepefacta in conchula maiore infundito: vt ne ſuffocetur. hoc etiam in peripneumonia facere oportet, ſi non purgetur. ſi verò neque ſtertat, neque velut oportet ſpuat: capparis fructus quantū tribus digitis comprehendi poteſt, & piper & nitrum modicum, & mel, & acetum, & aquā ſimul miſceto. atque hæc tepida ſorbenda præbeto. altera die eadem in aceto & melle, & aqua feruefacta ſorbeat. hoc etiam ſterentibus dato, & his, qui purgari non poſſunt. at, ſi fortius facere voles: hyſſopi, & ſinapis, & naſturtij concham maiorem, melle, & aqua terito, & feruefacta, ac excollata tepida ſorbenda dato.

Et in l. de vict. ratio. in morb. acu. pag. 154. num. 11.

Pleu-

Pleuritis,hoc est,dolor lateris, siue ab initio fiat, siue postea, calefactorijs quidem primum non alienum est tentare dissoluere,ex calefactorijs verò optima est aqua calida vtre,aut in vesica, aut in vase æneo, aut testaceo admota. verum molle quid antea ad latus supponere oportet, lenitatis ergo. commoda etiam spongia mollis, magna, ex qua calida expressa apponitur. contegere verò stragulis ipsum fomentum oportet: nam & ampliore tempore sic sufficiet,& durabit, & simul vt ne vapor ad ægrotantis spiritum affertur: nisi fortassis,& hoc ad aliquid commodum esse visum fuerit: aliquando enim ad aliquid commodat. insuper autem, & ordeum,& eruum,in aceto diluto, ita vt paulo acidius sit, quàm vt quis bibere possit, dissoluta ac feruefacta, & in mar supia conjecta, apponere oportet; & furfur eodem modo. siccum autem fomentum prębent sal,& milium torrefactum,in laneis sacculis conuenientissimum: nam & leue, & lene est milium. soluit autem huiusmodi mollitorium fomentum etiam dolores ad clauiculã pertingentes. sectio autem venæ non similiter soluit dolorem; si non ad clauiculam pertingat dolor. quòd, si calefactoria dolor soluatur; non multo tempore calefacere oportet: reficcat enim hoc pulmonem,& suppurationem facit. at, si quidem dolor ad clauiculam de se significationem præbeat, aut grauitas ad brachium, aut circa mammam, aut supra septum transuersum; venam secare prodest in cubi flexuram internam, at non cunctari copiosum sanguinem detrahere; donec multo rubicundior fluxerit,aut pro puro,& rubicundo liuidus;vtrunq; enim contingit. si verò sub septo transuerso fuerit dolor, ad clauiculam autem de se significationem non præbeat;aluum molliri oportet,aut veratro nigro,aut peplio,ita vt veratro quidem daucum, aut seseli,aut cuminum,aut anisum,aut aliud quid ex odoratis ammisceas,peplio verò silphij succum, sed & hæc inter se si misceantur,consimilis modi existunt. Ducit autem nigrum veratrum melius, & ad iudicationem commodius,, quàm peplium. peplum verò flatus magis erumpere facit. ambo autem hæc dolorem sedant. sedant item alia multa aluum subducentia medicamenta. verum hæc inter ea, quæ ego noui, optima sunt. alioqui & ea, quæ in sorbitionibus exhibentur aluum subducentia medicamenta, opitulantur quęcunque non valde iniucunda sunt aut ob amaritudinem, aut propter aliam quandam iniucunditatem, aut ob copiam, aut colorem, aut aliquam suspicionem. ptisanam tamen statim insuper sorbendam dare oportet,postquam medicamentum bibit;non memorabili copia pauciorem, quàm quanta sumere ad suetus est; nam & rationi consentaneum est in media purgatione sorbendam non dare. cum autem cessauerit purgatio; tunc minus sorbeat de ea quàm adsuetus est. postea vero reducat semper ad maiorem copiam,si & dolor sedatus fuerit,& nihil aliud aduersetur. idem mihi sermo est;si etiam ptisanæ succo vti opus fuerit; melius enim esse affero, statim omnino incipere sorbere, quàm præuacuatis iam vasis sorbere auspicari,aut tertia,aut quarta,aut quinta,aut sexta,aut septima die: si sanè non iudicatus fuerit morbus ante hoc tempus. præparationes autem & his cõ similes faciendæ sunt,quales dictæ sunt. de sorbitionis igitur exhibitione ita sentio. sed & de potu, qualemcunque tandem quis ex describendis sumpturus est, eadem mihi penitus sermonis ratio est. Hæ sunt omnium pleuritidum curationes, quæ in l. Hippoc. sparsum descriptæ sunt. at, quoniam in hoc morbo, quemadmodum & in alijs prænotiones sunt necessariæ;eas,quas aliàs,atque aliàs reperimus,hoc in loco collocandas esse duximus.

Et idcirco signa prognostica pleuritidis hæc scribuntur.pleuritis,vt legitur in l.1.de mor.n.3.siue lateris inflammatio,lethalis est. Et in l.3.de mor.n.19. & 20.in pleuritide si singultus affuerit simulque cum saliua sanguinis grumos nigros tussiendo reijecerit septima die moritur. Et in l.de Coac. præno.n.3.qui ex pleuritide suppurati fiunt in quadraginta à ruptione diebus expuunt. Et in l.5.aph.15.quicunque ex pleuritide suppurati fiunt, si in quadraginta diebus repurgati fuerint,ab ea die, qua ruptio facta fuerit,liberantur.si verò non,ad tabem transeunt. Et in l.3.de mor.nu.22.ex pleuritide suppuratum fieri,minus lethale. Et in 6.aph.16.à pleuritide,& peripneumonia occupato, alui profluuium accedens,malum. Et in l.3.de morb.num.22. quibus pleuritide statim sputa varia sunt,& dolores valde acuti,hi tertia die moriuntur. Et in l.7.aph.11. ex pleuritide peripneumonia, malum. Et in l.de Coac.præno.n.3. pleuritici quibus in principio sputationes penitus purulentæ sunt,tertia die moriuntur, aut quinta,si verò has effugerint,non multo melius habẽtes septima, aut nona, aut vndecima suppurari incipiunt. Et in l.5.aph. 8.quicunque pleuritici fientes,in quatuordecim diebus non repurgantur, his ad suppurationem transitio fit. Et in l.de Coac.prœno.nu.3.quibus pleuriticis quidem dolores mollescunt, quinta verò, aut sexta die exacerbantur, hi magis ad duodecimam perueniunt, & non valde seruantur. periclitantur autem maxime septima die, ac duodecima. vbi verò bis septem dies effugerint,seruãtur. Et ibidem.in pleuriticis sputum tertia die maturari,ac expui incipiens,citiores solutiones facit:verum posterius tardiores. Et nu.4.eiusdem lib.pleuriticis vrina cruenta,caliginosa,cum subsidentia varia,indiscreta, lethalis est plerunque in quatuordecim diebus.lethalis est etiam in pleriticis breui prasina, nigram subsidentiam habens,aut furfuraceam. Et nu.3.quibus pleuriticis in principio lingua bilios fit, hi septima die iudicãtur quibus autem tertia aut quarta die,circa nonam. Et num.4.in pleuriticis vrina subrubram leuem habens subsidẽtiam,securam iudicationem significat. Et,in pleuriticis,ac peripneumonicis mala est vrina, quæ post potum cito mingitur. Et n.3.quibus pleuriticis strepitus sputi multus in pectore est, & facies tristis, & oculus morbi regij colore infectus, ac caliginosus,hi pereunt. Et ibidem.qui ex pleuriticis expuunt purulenta,subbilios,rotunda:aut purulẽta subcruẽta, progresso tempore pernicios habent. pernicios item, qui nigra fulginosa spuunt, aut quibus velut à vino nigro sputa fiunt. Et,pleuritides fine conuulsionibus, grauiores sunt his,quæ cum conuulsionibus fiunt. Et,pleuritides bilios simul,& sanguineæ plerunque nona die,aut vndecima die iudicantur,& maxime sanantur. Et in pleuriticis,& omnibus circa pulmonem morbis morbum facile ferre, bonum. Et in l.1.aph.12.in pleuriticis si sputum statim appareat incipiente morbo, ipsum abbreuiat: sin posterius

rius producit. Et in l.3. de mor. nu.21. Quibus pleuriticis saliua quidem pura est, mictio autem cruēta, velut ferosa à carnibus assatis sanies, dolores verò acuti per spinam ad pectus, & ad inguem reddunt. hic si septimum diem effugerit sanus fit. at si alicui in his pleuritidibus contingat dorsum rubefieri, & humeros calescere, & inter desidendum grauari, & venter exturbetur egestione cum virore pallida, ac valde graueolenti, hic propter ventris egestionem vigesima prima die moritur. has si effugerit sanus fit. quibus autem statim sputa varia sunt, & dolores valde acuti hi tertia die moriuntur. hanc autem transgressi sanescunt. qui verò sanus non fit septima, aut nona, aut decima, hic suppurari incipit. melius est autē suppuratum fieri, etiam si doloroſum sit: minus enim lethale est. porrò supra omnia relata signa, in vnaquaque pleuritide considerare oportet linguam. si enim bulla subliuida fiat in lingua, velut ferro in oleum tincto, si quidem in principio fiat aspera, difficilior est morbi emotio, & necesse est sanguinē tussiendo reijcere, in diebus, quibus id fieri oportet. si verò facto morbi progressu fiat, iudicationes quidem contingent ad decimum quartum diem. verum necesse est sanguinem spuere. habet autem se res de liberatione hoc modo. si quidem tertia die inceperit maturari, ac expui, citius liberabitur. si verò posterius matureſcat, posterius iudicationes fiunt, quemadmodum in capitis signis. dolores porrò in omni pleuritide plerunque magis interdiu, quàm noctu leuiores fiunt. Et in l.1. de mor. n.30. moriūtur ex pleuritide, vbi & multum pituitæ, ac bilis ab initio lateri fuerit affixum, & multum insuper ex reliquo corpore affluxerit, & neque spuens, neque putrefaciens superarit præ materiæ affluentis copia. implentur autē arteriæ ab his quæ insunt pituita, ac pure, deinde stertit, & frequenter, & illinc statim respirat, tandem vero omnia obturantur, & moritur.

Pluuia.

Cum vapor in aere coaceruatus fuerit, ac simul cōgregatus, derepente à ventis inter se aduersarijs; tūc deorsum prorumpit aqua, qua parte plurima collecta fuerit: tunc enim hoc magis fieri verisimile est, cum nebulas à vento stabilitatem non habente concitatas, ac procedentes, derepente ventus contrarius, ac aliæ nebulæ reliserint: atque tunc quidem prima ipsius pars congregatur; quæ verò à posteriore parte sunt, insuper accedunt, & sic crassescunt, & nigrescunt, ac simul congregantur, & præ grauitate deorsum prorumpunt, & pluuiæ fiunt. atque hæ quidem aquæ optimæ sunt secundum hanc rationem; verum opus habent, vt decoquantur, ac excolentur. sin minus odorem prauum habent, & raucedines, & vocis grauitatem bibentibus inde accedere par est. hæc in l. de aer. aq. & loc. pag.36. nu.19. verum si anni constitutiones pluuiosæ fuerint; quos efficiant morbos lege in l. de morb. pop. sed hunc aph. vide, qui scriptus est in l.3. aph.16. morbi in pluuiosis anni constitutionibus, hi plerunque fiunt, febres longæ, & alui fluxiones, & putredines, & comitiales morbi, & attoniti, quos apoplexias Græcis vocant, & anginæ: in siccitatibus verò tabes, lippitudines, articulorum dolores vrinæ stillicidia, & intestinorum difficultates.

Podragra.

Podraga, vt legitur in l. de affect. n.32. violentior est omnibus circa articulos morbis, & diuturnissimus, ac ægre cedens, & est quidem hic morbus sanguinis in venulis à bile, ac pituita corrupti. quantò autem in tenuioribus fuerit venulis, & in plurima corporis necessitate constitutis, & in neruis, & ossibus multis, ac densis, tantò sanè durabilior est morbus & qui egerrimè depelli possit. longus quidem est & hic morbus, ac molestus, sed non lethalis. Et in li.2. prædict. pag.172. num.1. Qui aquam intercutem, tabem, podagram, & epilepsiam congenitas habent, hi ægrè ab ipsis liberari possunt. Et nu.15. de podagricis hæc dico. quicunque aut senes sunt, aut circa articulos callos tofaceos concretos habent, aut ærumnosè viuunt, ac siccam aluum habent; hi omnes sani fieri non possunt humana arte, quantum ego noui. sanant quidem hos optime dysenteriæ si successerint, sed & aliæ eliquationes valde prosunt, quæ ad infernos locos repunt. qui verò iuuenis est, & circa articulos nondum tofaceos callos cōcretos habet, & accuratè viuit, & laboris amans est, & aluum bonā habet ad obidiendum pro studio, ratione; hic sanè medicum intelligentiam habentem nactus, sanus fieri poterit. Et in l.6. aph.49. quicunque morbi podagrici fiunt, hi sedata in quadraginta diebus inflammatione, finiunt. Qui verò podagra non laborant eos recensēt Hip. in l.6. aph.29. & 30. dum ait. eunuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt. Et mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint. Et puer podagra non laborat ante vsum venereorum. tempus autem anni, quo contingant podagricæ affectiones scribitur in l.6. aph.55. qui inquit. dolores podagrici vere, & autumno magna ex parte mouentur. Curationem verò scribit in l. de affect. citato, nu.32 hoc pacto. conducunt & huic eadem quæ morbo articulari. si verò ī digitis dolor relinquatur; venas paululum supra articuli in digito nodum inurito. vrito autem cum lino crudo. Et in lib. de humi. vsu. pag.55. nu.8. acetum ad corpus & articulos simile est mari, & potentius ad perfundendum, & fomentum. cōferet, & ad podagram si non corpus vulneretur. Et in l.2. de mor. mul. pag.121. num.2. in doloribus podagricis abscessus nitro trito aqua diluto, cataplasmatis modo integito, & tribus diebus non lauato. vbi verò laueris; rursus nitrum rubrum crudum cum modico melle terito, & hoc semper vtitor. inflammata illinc potulaca cum farinæ massa, & lactu cęrubræ drachma ex aqua dissoluta. Et in lib.5. aph. 25. tumores articulorum, atque dolores absque vlcere, & podagricos quoque, atque conuulsa, horum plurima frigida aqua largè effusa lauat, & extenuat, & soluit dolorem: nam modicus torpor dolorem soluit.

Polypi.

Polypi nasi quinque species leguntur in lib.2. de morb. pag.67. num.33. quorum curationem, & signa ibi vide.

Polypi.

Polypi, & sepiæ, & eiusmodi pisces neque leues velut videntur, sunt: neque per aluum secedunt: quapropter etiam oculos comesti grauant: iuscula tamen horum aluum mouent, vt scribitur in l.2. de dię. numer.11. Et in lib de natu. mulie. pag.97. nume.55. Legitur polypus in vino suffocatus ad prouocandos menses.

Poma

Poma.

Poma fortiora sunt, quàm pro natura humana, vt legitur in l.3.de dię.n.5.Et in l.2.de dię.nu.15.poma seminibus referta, item virida magis aluum mouēt, quàm sicca. Et in l.de affect.nu 15.poma, & fructus arborei ventriculo post cibos molesti, quod corpus sumentis ab ipsis solum humores trahit. Et in lib.5. de morb.pop.n.15. legitur pomorum esus tempore calidissimo.

Iuxta poplitem tumores, aut circa pedem, aut aliā quampiam partem ex compressione eleuati legūtur in l.de Frac.nu.25.

Porcinę carnes, suillis sunt grauiores, vt scribitur n l.2.de diæ.nu.9.

Portulaca fluuiatilis frigefacit: sale verò condita ac seruata, calfacit, & purgat vt proditum est in li.2. de diæ. nu.14.

Porrum.

Porrum calfacit minus quam cępa, vr inam ciet, & aluum mouet, habet & quid purgatorium: humectat autem, & ructum acidū sedat. prętstat à reliquis cibis ipsum postremum edere: vt in l.2.de dię.n.14. Et in l.de affect.nu.48.porrum coctum quidem vrinam ciet, & secedit: crudum verò æstuosum est, & pituitosum.

Posteriores corporis partes.

Posteriores corporis partes prioribus calidam magis ferunt, vt scriptum est in l.de humi.vsu.n.5.Et in l.1.præ.n.8. posteriorum partium frigiditas in ęstuosis rigoribus conuulsionem accersit. Et in l.de Coac. præno.nu.1.rigor cum distentione neruorum in posteriora occidit. Et, qui caput dolent, stupore correpti, delyrantes, aluo suppressa, occulo ferociente, florulenti, hi in posteriorem partem conuellūtur. Et n. 2.caput dolentibus ex posteriore parte ossa rupta habentibus fluxio è nare larga, crassa, mala est.

Potio.

Potio, & potus est tantummodo de rebus humidis, hoc est, de aqua, siue de aqueis: scribit enim Hip. in l.2. aph.11. Facilius est impleri potu, quam cibis. Et Gal.in com.sic exolicat. Celerius nutritur corpus alimento humido, quam sicco. Potio prætereà quandoque scribitur pro purgante medicamento, velut Ad helleboros qui non facile supra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda sunt. sic dicitur in l.4. aph 13. sed quādoque potio quædam alimenti speciem significat: triplex.n. est alimenti species, potio, sorbitio, & cibus. potiones verò quibus competant, qua de causa, & quando, explanat Hip.in lib. de Vete.med. pag.4. n.11.& 12.his verbis. Quidam ęgri ita se habebant, ut neque modicos cibos superare possent, imbecilliore sanè quopiam tales indigere illis uisi sunt, sorbitionesque inuenerunt pauca ex fortibus multa aqua permiscentes, & robur ipsum temperatura, ac coctura detrahentes. quod, siqui sorbitiones superare non possent; his detraxerunt etiam ipsas, & ad potiones peruenerunt, obseruaruntque, ut & hę tum usu; tum copia moderate haberent, & neque plures, quā oportet, neque meraciores, & intemperatiores, neque defectuosiores offerentes. itaque patet ex ciborum materia confici sorbitiones, & ex sorbitionibus potiones adaugendo aquam: utpote ordeum coctum est, cibus, ex cius cremore fit sorbitio, aucta aqua, & coctura: atque ex ordeo ipso, aut cremore fit potio, quæ aqua ex ordeo parata nuncupatur. Sed potio alia est simplex, vt aqua: alia composita, quemadmodum mulsa, oximel, & id generis, & harum potionum mentionem facit Hippo. in lib. de Vict. ratio. in mor. acu. com. 3. ac tandem par. 43. inquit. De reliquis potibus, cuiusmodi est ordeaceus, & qui ab herbis viridibus, vua passa, vinaceis, piris, cneco, myrtis, punico, & alijs parantur, cum horum aliquo vti tempestiuum fuerit: in morbo ipso scribitur, vbi & de cō positis agetur medicamentis. Et in l.3. de morb. pag. 73. num. 29. differentias, & vsum potionum in febribus ardentibus explicat hoc modo. Frigefactorias potiones in febribus ardentibus quando voles, bibendas dato. Sunt autem multarum operationum: aliæ enim mictionem inducunt, aliæ alui egestionem, aliæ vtrunque præstant; aliæ neutrum. aliæ solum frigefaciunt, veluti siquis in vas aquæ feruentis frigidam aquam infundat, aut ipsum vas ad frigidū ventum exponat. dabis itaque alias alijs: neque enim dulces omnibus conducunt, neque acerbæ, neque eaſdem omnes libere possunt. Et in l.de Affect. pag. 82. num. 38. Quibuscunque cibis, aut potibus homines sani in victu vtuntur, ex his oportet præsentibus vti ad ægrotos, ita vt præpares calidos, frigidos, humidos, & siccos; ex frigidis quidem calidos, & calidos ex non calidis, & siccos ex non siccis, & reliquos iuxta eundem modum. Et subdit. Potibus autem vtendum est: siquidem aluum, & vesicam subducere velis: vino dulci, aut aqua mulsa; si verò adstringere; austero, albo, tenui: si corroborare: austero, nigro. Et n. 42. Quoscunque cibos, aut obsonia, aut potus ęgroti concupiscunt, exhibeto; si non damnum inde accessurum est, cum autem cibos, aut potus augere inceperis, aut detrahere; paulatim & additiones, & detractiones facere oportet. Verum de potione plura lege, vbi de sorbitione agitur.

Præcordia.

Præcordia quandoque significant septum transuersum, quemadmodum legitur in li.prog.comm.1. par.24. cuius verba sunt. spiritus crebrior significat dolorem, aut inflammationem, quæ supra præcordia fatiget. Gal. autem in com. ait. spiritum hoc loco vocat Hipp. vniuersam spirationem qui si crebrior fit; aliquando significat dolorem, & aliquando partium in thorace incendium, quæ sunt cor, ac pulmo, positæ supra septum. maiores enim præcordia, ac septū idem appellauerunt. quandoque verò præcordia significant hypochondria, siue ilia: legitur enim in eodem li. & com. par. 27. præcordia saluberrima sunt, si dolore vacāt, si mollia, & æqualia sunt dextra, ac sinistra parte. cæterū de pcordijs hæc lege prognostica.

Quibuscunque circa præcordium dolores fiunt absque inflammatione, his febris accedens dolorem soluit, vt proditum est in l.6.aph.40. At in l.de Coac. præno. nu.2. præcordij distentio cum sopore anxioso, ac capitis dolore, absceſſus circa aurem attollit. & id confirmat etiam Hipp.in l.1.prædict.nu.24. Et in li.de Coac.præno.nu.2.præcordij intentio, & ad splendorem turbatio, cum capitis grauitate, & surditate sanguinem profundit, & in lib.1.prædict.nu.21. præcordij tensio cum capitis grauitate, ac surditate, & quæ ad hæc consequenter diuexant, sanguinis eruptionem significant. & in l.de Coac. præno. num.2.

quibus

quibus præcordia eleuata, per murmurantia, lũborũ dolore accedẽte; his alui humectãtur, ſi nõ flatus erũpat, aut vrinæ copia prodeat: in febribus autẽ hæc. & ibi. quibus è præcordiorũ doloribus aluus paulatim. ſubuiſcoſa egerens, pauca ſtercorea effundit, nũ etiã ſãguinẽ effundit? De malis aũt præſagijs, hęc ſumuntur in l. de Coa. prę. n. 2. pręcordiũ intentũ cum febre acuta, & tumores circa aurem ex plurimis graueolentibus tardius excitati, occidũt. Et, ad præcordiũ irruẽtes dolores, tũ aliàs mali ſunt, tũ ſi aluos humectant. peiores aũt ſunt, ſi breui fiant: & tumores circa aurem ex his emergentes, maligni ſunt & aliæ ſuppurationes. Et nu. 3. eiuſdem lib. præcordij dolor prægnantibus, malũ. Et n. 2. præcordij dolor ex anginis citra iudicationẽ, cũ impotentia, ac torpore fiens occidit occulte, ẽt ſi valde manſuete ſe habere putent. Et ibid. & ẽt in lib. præn. nu. 5. in præcordio pulſus cum tumultu mentis emotorius eſt, & magis ſi oculi frequẽter moueantur. Et in lib. de Coac. nu. 2. ex præcordio diutine afflicto, & aluo graueolenti abſceſſus in aurem, occidit. Et, in præcordio inflammatio ſuppuratoria eſt, quibus ante mortem nigra per aluũ ſubeũt. &, in præcordio tumor durus, at doloroſus peſſimus quidẽ eſt ſi iuxta oẽs partes fuerit. ex his autem qui ab vna parte ſunt, minus periculoſus eſt, qui a ſiniſtris, &c. &, ad præcordia in febre dolores exilientes ſine ſudore ſoluti, maligni ſunt. Et, ad præcordia dolores in febre, voce intercepta, ſine ſudore ſoluti, malum eſt. his ad coxendices dolores fiunt. Et num. 2. & 3. eiuſdem lib. de Coa. præcordia in tumorẽ ſubleuata poſt aluum ſuppreſſam maxime tabeſcentibus iam diu, & quibus alui humectantur, &c. mala. & nu. 2. circa pręcordia dolores, aut pulmonem, ſi ſuppurentur, malum, & ex pręcordiorum doloribus tumores, circa aures, & aliæ ſuppurationes emergentes, maligni ſunt. &, quibus præcordiorum dolores, oris ventriculi, hepatis partium circa vmbilicum, hi ſanguine per aluum egeſto, ſeruantur; non aũt egeſto, moriuntur. & in l. 1. prædic. nu. 1. præcordio ardores relicti, febre perfrigerata, mali ſunt, tũ aliàs, tũ in ſudoribus. & in l. de Coa. prę. ſupracitato nu. 1. cum pręcordio intento perfrigeratis magnus circa aurẽ tumor. & n. 3. quibus circa pręcordia inflammatio fit, his abſceſſus ad infernas partes fiũt, alijs verò ad ſupernas. & ibi. ad pręcordia dolores diuturni, & circa lũbos, & tenue inteſtinũ. ſi ęgri cibos auerſantur vnà cũ febre, his dolor intẽtus ad caput progreſſus, repente ipſos occidit cõuulſorio modo. At in l. de Iudica, nu. 5. in pręcordijs tumores molles, & doloris exortes, & ad contactũ cedẽtes, diuturniores quidem iudicationes faciunt, minus aũt horrendas tuberculis his contrarijs. eodem modo habet, & de tuberculis in reliquo ventre. & in l. 1. de morb. num. 3. pręcordijs ſiue ſepto tranſuerſo vulnerati moriuntur. & in l. de humi. vſu. nu. 4. præcordia frigida magis aggrauantur. Quò verò ad pręcordiorum curationẽ pertinet, cum plura tum membra, tum partes membrorum ſub his comprehendantur, ac præterea plures ægritudines; eam proprijs reperies locis: tamen hæc, quæ nobis prę manibus habẽtur, lege. Proditũ eſt igitur in li. 6. aphoriſ. 40. quibuſcunque circa pręcordium dolores fiunt abſque inflammatione, his febris accedens dolorem ſoluit. & in l. de Coa. pręno. num. 2. præcordiorum dolores, ac tumores, ſi fuerint recentes, & non cum inflammatione, ſoluit murmur in præcordi obortum, & maxime ſi pertranſierint cum terrore, & vrina, ac flatu. Et ibidem. quibus derepente dum ſine febre ſunt, præcordij, & oris ventriculi dolor, & circa crura, ac infernas partes, & aluus in tumorem eleuata eſt, ſoluit venæ ſectio, & alui fluxio. Sed in lib. 4. aphor. 64. præcordia permurmurantia habentibus lac dare malum. Et in lib. 2. de morb. popu. ſect. 6. ſi præcordia diſtenta fuerint, manu comprimito, ac lauato. At in l. de Coac. præ. num. 2. quibus præcordia non mollia, facies ſana, non liberantur citra multi ſanguinis ex naribus fluxum, aut conuulſionem, aut coxendicum dolorem. &, in l. de Vic. ratio. in morb. acu. num. 36. legitur in præcordiorum inflammatione quando medicamenta purgantia noxia ſint. Et in eodem lib. num. 36. præcordia inflammata ſcribuntur, & ibi vide curationem.

Prægnans.

Prægnantem ſi cognoſcere velis, vbi dormire volet, aquam mulſam bibendam dato: & ſi quidem tormen habuerit circa ventrẽ; prægnans eſt. ſi verò nõ; prægnans non eſt. ſic ſcriptum eſt in l. 5. apho. 41. Et ſubdit. nu. 42. mulier ſi marẽ concepit; bene colorata eſt. ſi verò fœminam; male colorata, verum antequã pariant; mulis detinentur morbis mulieres grauidæ: nam quædam pituitoſæ ſunt, de quibus ſcribitur in l. de mor. mul. num. 45. quædam corpore male ſe habent, ac bilioſæ ſunt, vt in eodem lib. nu. 43. Et in l. 2. præd. nu. 35. enarratur ſubbilioſorũ vomitus in mulieribus grauidis, dũ ieiunæ ſunt. At de prægnante cibum faſtidiente legitur in l. 4. de mor. popu. nu. 9. Et prægnantis ſuffocationis cauſa patet in lib. de natu. mul. nu. 3. Et prægnatis lienoſę à quibuſdam affectionibus menſes quales ſint, vide in lib. 1. de morb. mul. num. 46. Et in l. de natu. mul. nu. 95. ſcribitur, quo pacto pudenda exulcerata curanda ſint. Et in lib. de ſuperfœ. nu. 27. legitur pręgnantis mẽſes profluuos habentes curatio. Et in l. de Coa. præ. nu. 3. hoc lege progno. prægnantes prægrotantes ante partus inſuperrigent. Et in l. 1. de mor. mul. num. 40. prægnantibus menſes ſecundo, aut tertio menſe prodeũtes cur malum. verum in l. de Coa. præ. nu. 3. prægnantibus tabeſcentibus, quibus rubor in facie fit, ſtillationes de naribus fientes hunc auertunt. Et ibidem in prægnantibus difficiles tumores circa inteſtinum tenue. Et in eodem lib. nu. 3. prægnantibus præcordij dolor, malum, & alui his ſubeuntes, malum: & inſuper rigere his malũ. dolor ventris in talibus, minus malum, ſi limoſa purgentur, &c. ſed in li. de ſuperfœ nu. 8. prægnans coitu non vtens, facilius à partu liberatur. Et in lib. 1. de morb. mul. num. 103. ſcribitur prægnans multo tempore, & parere nequiens, cuius curationẽ ibi lege. Et in lib. de ſterilibus num. 23. ſcribitus de prægnantis fœtum menſtruum, & bimeſtrem, corrumpentis curatione. Et in lib. de ſuperfœ. nu. 8. ſcribuntur ſigna prægnantium ex fętu mortuo, aut mox morituro. Verum in l. 7. de mor. pop. nu. 3. proditum eſt. quibus pręgnantibus ex caſu, aut conuulſione, aut plaga, dolores leniter fiunt, hi in tribus diebus manifeſtij fit, an fœtum corrũpant. Et in l. de ſuperfę. n. 7. prægnantibus plerisq; ſtomachus vteri prope extat ante partũ. Et in l. de Sept. par. nu. 3. in prægnantibus octaui menſis iudicatio difficilis eſt. & in lib. 5. aph. 29. prægnantes medicamentis purgare oportet, ſi

turget humor, quarto menſe, & vſque ad ſeptimum: minus verò has: iuniores autem, & ſeniores fœtus vereri oportet.

Præputium diſſectum neque augetur, neque coalescit, vt ſcribitur in l. de Coa. præ. nu. 3.

Primiparæ.

Scriptum eſt in l. de natu. pueri. nu. 11. primiparæ, & quæ rarius pariunt, in partu, & partus purgationibus maxime laborant. Et num. 40. eiuſdem li. primiparæ ob puerorum alimenti defectum ſæpe ante decimum menſem exactum pariunt.

Prurigo, & Pruritus.

Ait Hip. in lib. 3. aph. 31. pruritus totius corporis ſenibus fit. Et in l. de Coa. præ. nu. 3. prurigino ſa corpora poſt aluum ſuppreſſam in tabidis, mala ſunt. at in l. 5. de mor. popu. nu. 4. legitur prurigo totius corporis, maxime autem teſtium, & frontis. Et ibidem. ex pruritu corporis, & cutis craſſitudine poſt balneorum calidorum vſum, hydrops. Sed in li. de Coa. præ. nu. 4. prurigino ſæ affectiones omnes nigrorum egeſtionum ſignificant, vomitum grumoſum.

De Ptiſana.

Ptiſana & milium leuia ſunt, vt proditum eſt in li. de affect. pag. 82. nume. 38. Et in lib. de Vict. ratio. in morb. acut. num. 7. ptiſanæ quod ordeum aptum, & cur deglutientes non lædat. Et num. 8. eiuſdem lib. ſcribitur ptiſanæ ſorbitio quibus inhibenda, & quatenus. Et ibidem. ptiſanæ ſorbitio quatenus, & qua ratione lædat. item cur qui ptiſana tota vtuntur ſeptima die, & citius moriantur, & mente moueantur, &c. Et nu. 13. ptiſana in media purgatione non danda, & à purgatione etiam, non niſi exigua copia. Et num. 24. ptiſanæ, & aquæ mulſæ potus, ſiue ſorbitio, flatus excitat. tandem nu. 5. eiuſdem lib. ptiſanam merito omnibus frumentaceis in morbis acutis eſſe prę ferendam exiſtimat.

Pubes.

Scribitur in l. 1. præd. num. 9. iuxta pubem dolorosos, medicamentis purgare non oportet. Et in lib. de Coa. præno. nu. 3. pubertas, ſiue annus decimuſquartus vſque ad quadrageſimum ſecundum, omnium morborum ferax.

Pudenda.

Legitur in l. de Coa. præ. num. 3. ad pudendum mu liebre rubor, aluo tumefacta. Et in l. de humi. vſu nu. 8. ad pudendorum nigredines acetum vtile eſt. Et in l. de Coac. præno. pag. 176. num. 2 ſcribitur capitis dolor cum ſedis, & pudendorum dolore, & torporem, & impotentiam inducit, & vocem ſoluit. At in l. 1. de mor. mul. num. 69. legitur pudendi pars obturata in puerpera. Et in lib. 2. de morb. mul. nume. 41. enarrantur pudenda in arctum contracta. Et in l. 1. de morb. mul. num. 69. affectus in pudendis obturatis, iiſque quæ à puerperij purgamentis non purgantur ſimiles. Et in li. 1. de mor. nu. 7. pudendi pellicula diſſecta non coaleſcit. Et in l. 1. de mor. mul. nu. 57. leguntur pudenda pręgnantium ſuperficiario, ac ferui do vlcere affecta, quorum curationem ibi vide. Et in l. 1. de mor. mul. nu. 126. ſcribitur de pudendorum vlceribus acribus, & inflammatis, & curam ibi lege. Et in l. de natu. mul. n. 80. pudendorũ vlcera. & nu. 61. pudendorũ vlcera, & pruritus. & in l. 1. de mor. mul. nu. 92. legitur pudendorũ vlcerum curatio. tandẽ in l. de vlceri. nu. 9. ſcribitur pharmacũ ad pudendi vlcera. Et ibid. nu. 10. enarratur medicamentum ad pudendorum verrucas conferens, & in l. 2. de mor. mul. nu. 68. in pudendo muliebri aſcarides. At in l. 5. aph. 22. pudendo confert calida.

De Pueris.

Legitur in l. de nat. puer. n. 35. de pueri ſitu in vtero. at in l. 1. de diæ. nu. 30. puer ex calidis, & humidis temperatus eſt. Et in li. de nat. puer. num. 22. legitur. puer de matre in vtero viuit, & qualiter ſanitate prędita eſt, talẽ ẽt puer habet. Et in l. 2. de mor. pop. ſec. 6. puer nutritur, ſeptimo menſe, aut nono, aut decimo, & voce firmatur, & robur ſequitur, & manibus validus fit. dũ vox obuoluitur omnia ſoluuntur. & in l. de car. n. 8. puerũ in vtero à matre alimentũ ſpiritũ trahere ſcribitur. Sed in l. de natu. pue. nu. 21. puer in vtero ex matris ſanitate, bene, vel male habet. Et ibidem num. 20. pueri maſculi menſe tertio: fœmellæ vt plurimũ quarto mouentur. & in l. de octim. par. nu. 4. ſcriptum eſt. pueris maturis, ac perfectis, umbilicus qui prius patebat, conniuet, ac clauditur, reliquæ partes contra. Sed in l. de natu. pue. nu. 14. Scribitur. puer paulo ante trigeſimum diem proditus inarticulatus eſt: qui verò poſterius omnes articulati apparent. Et in lib. 2. de morb. pop. ſect. 2. legitur puer carnoſus ſine oſſibus. Et in l. 1. de morb. mul. nu. 96. puerum exſecturus, quid obſeruare debeat. & in li. 1. de ſuperfæ. nu. 6. ſcribitur de pueri mortui ſignis. Et in l. de natu. pue. num. 38. pueri matre violentã aliquam affectionẽ patiente, aut alimento deficiente ante decimũ menſem eduntur, ſed in li. de octim. par. nu. 3. pueri quidẽ à partu ſtatim ſolito ſunt maiores, non ex augumento, ſed laxo tumore. Et in 5. de mor. pop. nu. 6. puer in vtero mortuus cum brachio dextro lateri adnato. Et in l. 1. de morb. mul. nu. 108 legitur, ad puerũ, & mala in puerperæ vtero exiſtentia. Et ibid. nu. 10. enarrantur puerũ mortuum, & liuidum expellentia, at in l. de Salu. diæ. nu. 9. ſcribitur puerulos infantes educandi, & cibandi ratio. Verum in libro 6. aphoriſm. 30. puer non laborat podagra, ante veneris vſum. Et in l. 4. de mor. nu. 28. ſi puero iam adulto lapis gignatur ex terræ eſu, dolor non adeſt ipſi, priuſquam ſibi ipſi cibum deligat. & in l. de aer. aq. & loc. num. 23. pueri calculoſi pudenda fricant, ac trahunt, quod toſi ab vrina ad veſicæ ſtomachum allapſi, & vrinæ emiſſionem impedientes, dolorem exhibent. At in l. de ſuperfœ. n. 7. puero in genitalibus hærenti vmbilicus non ſecetur, priuſquam aut ſternutet, aut vociferetur. Sed in l. 3. aph. 18. pueri & his ætate proximi vere, & prima æſtate optime degunt valẽtque. Verò in l. de mor. ſac. nu. 9. quicunque pueri parui comitiali morbo corripiuntur, vt plurimum moriũtur, ſi multus fluxus contingat, iſque humidus exiſtat, & in l. 6. de mor. po. ſec. 1. puerorũ eluſcentię ſimul cum pubertate, in quibuſdã mutationes habẽt, & aliàs. Verũ in l. de Denti. n. 6. pueri natura habitiores non procarnoſitatis ratione etiam lac ſugunt. & ibidem. pueri ſugentes, ſi multum mingunt minime aniculi fiũt. & ibidem. pueri voraces, & multum trahentes; non pro ratione carnoſi fiũt, & n. 2. eiuſdẽ li. quib. pueris multũ lactuoſum reuomitur, his aluus ſupprimitur. Sed in lib. de Geni. numer. 7. 8. ſcribitur, ſi pueri naſcuntur debiles parentibus robuſtis, vterorum angu ſtia in cauſa eſt. At in l. de Coa. præ. nu. 1. pueris febris acuta, & aluus ſuppreſſa cum vigilijs, & calcitrare,

& colorem mutare, & ruborem habere, conuulsorium est. Et in l. de denti. nn. 3. quibus pueris in dētitione febris acuta accedit, parum conuelluntur. Et ibidem. quibus pueris aluus in dentitione amplius subducit, minus conuelluntur, quàm quibus parum. At in l. de loc. in homi. num. 36. legitur. De pueri hydropici curatione. Pueris verò affectiones quando iudicentur, vide in l. 3. aph. 28.

Pulmo.

Legitur in l. de corp. resect. pag. 25. nu. 1. arteria ex vtraq; faucium parte exortū faciens, in summitatem pulmonis definit, circulis composita cōsimilibus, rotundis insuperficie se mutuo contingentibus. ipse autem pulmo testitudinem, quo adimplet, in sinistrum cōuersus quinq; apices habens, quos lobos, & summitates vocant, cinereo colore præditus, notis cauerno sis compunctus, naturaq; antrosus existens. ad mediū verò ipsius cor situm est, rotundius, atq; oblongius, quam in omnibus animalibus. constat autem pulmo, vt scribitur in l. de carni. pag. 19. nu. 9. hoc modo. cor ex humido, quod glutinosissimum erat calfaciens cito exsiccauit, veluti spumam, fecitq; antrosum, & venulas multas in ipso. venulas autem ideo fecit: quantum in glutinoso inerat frigidi, id ipsum quidem è calido colliquatum est, & liquidum euasit. ab ipso verò glutinoso tunica facta est. Et in l. de Cor. pag. 25. nu. 5. hic etiam pulmonem subit cum mansuetudine, & circumiectu ipsius caloris intemperantiā castigat: etenim pulmo natura frigidus est, sed & inspiratione perfrigeratur. Et nu. 10. eiusdem li. aperitur quidem. s. arteria in pulmonis vasa, sanguinem exhibens ipsis in alimentum. atque hæc de natura pulmonis.

Aegrotat autem pulmo varijs de causis, quæ multos producunt morbos: etenim eius arteria aliquando exulceratur, aut aliqua tenuis venula rūpitur, aut aliqua fistula ex his, quæ per pulmonē distentę sunt: item arteria conuellitur, aut aliqua vena ipsius. inflāmatur quoq; pulmo. ab erysipelate intumescit, articuli eius conuelluntur. ipse quoq; pulmo quandoq; repletur, & fit in ipso hyprops, vlceratur etiam, suppuratur, venulæ in ipso rumpuntur, aut uaricosæ fiūt: de quibus omnibus abunde tractauerimus.

Si pulmonis arteria exulcerata fuerit, aut aliqua tenuis uenula ex his, quæ in pulmonem dependent, rupta fuerit, aut aliqua fistula ex his, quæ per pulmonē distentæ sunt, & alia in aliam distracta fuerit, & sanguine fuerint impletæ: distrahuntur sanè, ac corrumpūtur ob has maxime causas: propter laborē, propter cursum, ob casus, ob plagas, ob uomitus frequenter obortos, ob febres. hæc igitur patitur, primū quidem tussis sicca obtinet. deinde paulo post expuit saliuam subcruentā, aliquando autem puram. &, si quidē hic breui à morbo liberetur: satis est: si uerò non temporis progressu sanguis amplior prodit, aliquādo purus & aliquando etiam subputridus. sæpe uerò ēt facies non animaduertentibus sanguine implentur. postea sanguinis grumos paulatim, & frequenter emergentes reijciunt. aliquando uerò ēt graueolentia ab ipsis contingit, & fauces aliquando spuma quadam replētur. & rigor, ac febris apprehendit, circa initia quidē morbi vehementer, in progressu autem debilius: & aliàs, atque aliàs corripit: & dolor quandoque in pectoribus insitus est, & in dorso, & in lateribus. &, vbi sanguinem spuere desierit; saliuam multam liquidam expuit. quandoque verò etiam viscosum: atque hæc quidem sic patitur, donec quatuordecim dies præterierint. post hos verò si non desiuerit morbus; squamas, ab arteria tussiendo auellit, quales à pustulis decedūt. & dolor incidit in pectus, & indorsum & in latus, & præcordia contingens, velut vlcus dolet. hæc in l. 1. de Inter. aff. curationem verò ibi lege.

Si verò arteria conuulsa fuerit, aut aliqua vena ex his, quæ ad pulmonem tendunt, hæc patitur ab initio quidem morbi. tussis acuta obtinet, & rigor, & febris, & saliuam expuit multam, albam, & spumosam, aliquando verò subcruentam: & dolor caput, ac collum detinet. hic morbus fortior est priore: & vsque ad decem primos dies talia patitur. postea pleriq; vndecima die pus crassum violenter expuunt. decimaquarta verò die puriora expuit, si euasurus est, & dolore minus vexatur, & breui sanus fit. si verò morbus diuturnus futurus est; tunc & pus multo amplius expuit, & reliquus dolor multo amplior in corpore inest. calores autē debiliores habent, quàm prius. sed curationem ibi vide. & subdit num. 4.

Pneumonia, siue pulmonia ab his maxime fit. cum pulmo sanguinem in se ipsum traxerit, aut pituitam falsam, & tum rursus dimiserit, sed in ipso coacta, ac compacta fuerit; ab his tubercula fieri solent in pulmone, & suppurari. hic autem hæc patitur. ab initio, & per totum morbum tussis acuta sicca obtine. & rigor, & febris, & dolor & in pectoribus, & in dorso incumbit: aliquando etiam in latere. & erecta ceruice spiratio vehemens incidit. hic vsque ad quatuordecim dies talia patitur, sæpe verò etiam plures. deinde erumpit pus, & multum expuit. sæpe verò etiam velut araneorum tunicas expuit: sæpe etiam subcruentum. & si quidem depurgatus fuerit, & breui gracilis factus pulmo, interitum effugit. si verò non adhæret, & per annum morbus tenet, & transmutatur, vt aliàs, & alia æger patiatur, huic in principio antequam pus erumpat, hęc adhibere oportet. & curationem ibi lege, & in cap. de Peripne. nu. 6. eiusdem lib.

Cum venæ cauæ per pulmonem tendentes, sanguini, aut atra bile impletæ fuerint, venulæ alię in alias rumpuntur, vt quæ in angustis sunt conclusæ, & exitum non habeant, & dolorem non exhibent, ac flatum in pulmone. hic morbus difficilis est, & multa curatione opus habet. alioqui ægrum non relinquit. & plerunque in multis simul commoritur. Et nume. 7.

Si inflammatio in pulmone fiat: fit autem maxime à vinolentia, & gulositate piscium capitonum, & anguillarum: hi enim pinguedinem habent naturæ hominis infestissimam. iam verò etiam factus est morbus à pituita, vbi sanguini mixta in pulmonem influxerit: ac ex carnis esu, & ex aquæ mutatione. hæc igitur æger patitur. tussit fortiter, & saliuam expuit liquidam ac multam, sæpe etiam crassam, & albam velut à raucedine, & dolor premit acutus in pectora, & dorsum, & laterum mollitudinem, ac latera. & acidum eructat & ex pectoribus, ac pulmonibus velut venter murmurat. & vomit pituitam acidam: &, si id quod vomuit, in terram effundas; radit terram velut aceto infuso. & dentes stupescūt. & rigor, ac febris, & sitis fortis detinet, & si quid pingue voluerit edere; exugitur ad viscera, &

vomitum inducit. & totum corpus torpor occupat. cum verò reuomuerit, paulo leuior sibi esse videtur: postea, vbi vesperа dies accessit, venter sonitum edit, & tormine versatur, ac murmurat. Curationem ibi vide. Et num. 8 eiusdem lib.

Si pulmo aberysipelate intumuerit, hîc autem tumor maximè a sanguine fit; cum pulmo in se ipsum sanguinem attraxerit, & susceptum tenuerit. morbus autem hic æstatis tempore maximè fit. hæc igitur ab ipso ægro patitur. tussis incidit sicca, & rigor, & febris & erecta ceruice spiratio, & dolor fortis in pectoribus. & nares aperit, velut equus à cursu. & linguam exerit, velut canis. æstate ardoris flatu vstus. & tumor detinet pectora, & parum loquitur, & rubor est in facie, & pruritum fert in corpore, & præ dolore decumbere non potest. sed ipse se ipsum anxius iactat. hic in septem diebus moritur. veruntamen in principio, cui sic habuerit; fiat curatio, quæ ibi legitur. At in l. 2. de morb. pag. 69. num. 53. si erysipelas in pulmone fiat; tussis habet, & saliuam expuit multam, ac liquidam velut de gutture, non est autem cruenta. & dolor tenet dorsum, & vacuas partes ventris, ac laterum mollitudinem, & viscera sugunt, & vomit pituitam, ac velut acetum, & dētes stupescunt, & febris, ac rigor, & sitis corripit. & vbi quid ederit, in visceribus sugit, & acidum eructat, & venter stridet, & corpus torpescit, & vbi vomuerit; melius se habere putat; cum autem non vomuerit; digressa die tormen, & dolor in ventre oboritur, & excrementum alui liquidum proceditur. hic morbus maximè fit ex ebrietatibus, & carnium esu, & ex aquæ mutatione. sed & ex alijs causis emergit. sed curationem ibi vide. Et in eodem lib. nume. 52.

Cum articuli pulmonis fuerint conuulsi; sputum spuit album, quandoq; verū cruenta, & desipit, & febris tenet, & dolor pectus, dorsum, ac latus. &, si se vertat, tussit, & sternutat. curationem verò ibi lege. sed nu. 55. lib. Cum tuberculum in pulmone natum fuerit, tussis tenet, & erectæ ceruicis spiratio, & dolor ad pectus acutus, & ad latera, & vsque ad quatuor decim dies ita afficitur: nam plerisque per tot dies tuberculi affectio inflammatur. sed & caput dolet, & palpebras, & videre non potest: & corpus subfuluū, ac venis impletur. & num. 56.

Si pulmo repletus fuerit, tussis tenet, & erectæ ceruicis spiratio, ac anhelatio, & linguam exerit, rubicundis circulis in tibijs repletur, & pruritus vexat, & dolor acutus emergit ad pectus, & scapulas, & nō potest sedere, neque iacere, neque stare. sed ægris viribus est. hic quarta die maximè moritur. si verò hāc euaserit; spes plerunque est. periclitatur tamen etiam in septima. si verò hanc effugerit, sanus euadit. quo pacto aut curetur, ibi lege. Verum num. 57. si pulmo ad latus prolapsus fuerit; tussis tenet, & erectæ ceruicis spiratio, & saliuam tussiendo reijcit albam, & dolor ad pectus, & dorsum emergit, & incumbens pulmo impellit, & graue quiddam in pectore incumbere videtur, & dolores acuti pugnunt, & sanguis stridet velut pellis, & spirationem cohibet, & ad affectum quidem latus decubitum substinet, non autem ad sanum: verum veluti graue quiddam ipsi de latere pendere videtur, & per pectus transpirare se putat. Sed num. 59.

Si hydrops in pulmone fiat; febris, & tussis tenet, & aceruatim respirat, & pedes tument, & vngues contrahuntur omnes, & patitur talia, qualia is, qui suppuratus fit, sed debilius, ac diuturnius. & si quid infundas, aut fomentum, aut suffitum adhibeas: pus non sequitur. atque ex hoc sanè cognoueris, non pus, sed aquam intus esse. & si multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaueris; ebullit intrinsecus velut acetum: & hæc quidem aliquan diu patitur, postea erumpit, & statim quidem sanus esse sibi videtur, ac à morbo liberatus. verùm progressu temporis aluus incenditur, eademque illa patitur, & adhuc amplius. aliqui etiam intumescunt ventre, scroto, ac facie. & quidam ab inferna aluo id esse putant, cum videant ventrem magnum, & pedes tumentes: intumescunt enim hæc, si sectionis tempus transgrediaris. at curatio ibi legatur. Et in l. 2. de morb. num. 48.

Si ex feruido vlcere, aphtha appellato pulmonis fistula laborarit; febris debilis tenet, & dolor medium pectus, pruritus corporis adest, & vox rauco-sa, & saliuam liquidam, ac tenuem spuit: quandoque etiam crassam, velut ptisanæ succum. & in ore odor oboritur ipsi grauis, velut à piscibus crudis, & alias, atque alias in saliua apparent dura, velut fungus ab vlcere: & supernæ partes attenuantur, atque adeo homo totus, & circuli faciei rubescunt, & progressu temporis vngues contrahuntur, & aridi, & cū virore pallidi fiunt. moritur autem statim, si non curatus fuerit, sanguinem, ac pus spuens: post etiam febres vehementes, accedentes ipsum perimunt. si verò curetur, affugit ex hac tabe. & modus curandi ibi scribitur. & num. 50.

Morbus pulmonis hæc concomitatur symptomata. Saliua crassa, ac fuliginosa tussi reijcitur, & color niger, & subturgidus est, & dolores tuenues sub pectus, & sub scapulas fiunt: & vlcera ipsis ægre sanescunt. minus autem periculosus est hic morbus tabe dorsali, & plures euadunt. hunc veratrum bibere oportet, & per se, & lenticulæ decocto ammixtum. infundere etiam in pulmonem oportet, ac suffitum facere. cibis quoque large vtatur, abstinendo à carnibus bubulis, ouillis, porcinis, & ab acribus oleribus præterquam origano, aut satureia. vtatur deambulationibus. mane verò ieiunus ad accliuem locum iter faciat. deinde folia condimentaria hortensia bibat in vinum temperatum insperſa: deinde verò cibis relatis vtatur. At in l. 1. de morb. pag. 61. nume. 19.

Quicunque suppurati fiunt pulmone, aut superiore, vel inferiore ventre, tubercula habent, siue in superiore ventre, siue inferiore, aut in pulmone, aut vlcera intrinsecus, aut sanguinem vomunt, aut spuunt aut dolorem aliquem habent, vel in pectore, vel in dorso. hæc omnia habent ex his quidem, quæ in corpore insunt, à bile, & pituita: ab externis verò ab aere insito calori ammixto: sed & à laboribus, ac vulneribus. & quicunque quidem pulmone suppurati fiunt, ab his fiunt. si peripneumonia correptus in iudicatorijs diebus non purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum, ac pituita; suppuratus fit. &, si quidem statim curatus fuerit, vt plurimū effugit: si verò neglecta fuerint illa in pulmone; corrumpitur, illis & inhærētibus, & putrescētibus, vlceraturq; pulmo, & suppuratus fit, & nō amplius intro ad se ipsum nutri

mentum

mentum memorabile trahit, neque quicquam depurgatur ab eo sursum; sed suffocatur, & semper amplius difficulter spirat, & respirãdo stertit, & respirãt illinc sursum ex pectore. tandẽ verò obturatur à sputo, & moritur. fit autẽ & suppuratus, si pituita ex capite ad pulmonem destillet: & primum quidem vt plurimũ latenter defluit, tussimque tenuem exhibet, & sputũ paulo amarius solito, ac aliquando tenuis adest color. temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus exulceratur à pituita inhærente, ac putrescente: & grauitatem exhibet pectori, & dolorem acutum ante, & retro, caloresque acutiores in corpus incidunt, & pulmo à calore trahit ad se pituitam ex toto corpore, & maxime ex capite: caput verò calefactum ex corpore, & hanc putrescentem subcrassam spuit. quantò verò magis tempus progreditur, tanto magis pus sincerum spuit, & febres acutiores fiunt. & tussis frequens, ac fortis, & inedia vexat, & tandem aluus inferne turbatur. turbatur autem à pituita. pituita verò de capite descendit. hic cum ad hoc peruenerit, perit, quemadmodum dictum est in superioribus purulento, ac putrido pulmone facto, aut ventre infrà erumpente. fit præterea & ab his pulmo suppuratus. & ibidem.

Cum venula videlicet aliqua in ipsa fuerit rupta (rumpitur autem à laboribus:) & vbi rupta fuerit, sanguinem fundit, si quidem crassior fuerit, amplius: sin tenuior, minus. & sanguinem quidem ipsum partim confestim spuit, partim verò nisi vena adstringatur, in pulmonẽ funditur, & in ipso putrescit: & vbi putrefactus fuerit. pus facit, progressu verò temporis aliquando pus sincerum, aliquando pus subcruentũ, aliquando sanguinem. & si magis repleta fuerit vena ipsam sanguinis copiam aceruatim à se ipsa reuomit, spuiturque pus crassum ab accessoria, & intus putrescente pituita. hic si anticipetur incipiente morbo, priusquam vena sanguinem fundat, ac fortiter laxetur, & priusquam attenuetur, & in lecto decũbat, & caput corrumpi incipiat, & reliquum corpus colliquari; superstes ab hoc morbo euadit. si verò neglectus fuerit, & hæc occuparint, vt ea perpetiatur, aut omnia, aut plurima; perit autem hic aut ex ijsdẽ, quæ superius dixi, aut à uomitu, sanguine multo multoties per vomitum reiecto. Et ibidem.

Si verò vena omnino quidẽ rupta non fuerit, uerũ acutus tractus in ipsa fiat. fit autem maxime uelut uarix, qui etiam statim ubi factus fuerit, dolorem quendam tenuem inducit, ac tussim aridam. si verò diu duraverit, & neglectus fuerit; primum quidem sanguinem modicum, ac subnigrum dimittit, ac reijcit: deinde verò adhuc copiosiorem, & sinceriſſimum, deinde pus, patiturque quæcunque in superioribus dicta sunt. conducit autem talibus, si ab initio curandos suscipias; vt & venæ de manibus sanguinem emittant, & diæta, è qua quãsicciſſimus, & exanguiſſimus fiat. eodem porrò modo etiam venę in latere afficiuntur, quæ intus in superficie sitæ sunt. cũ igitur affectę fuerint varicosæque factæ, & intus eleuatæ, & neglectę fuerint; hęc perpetiuntur. erũpunt, & spuunt à se sanguinẽ, & aliquando etiam uomunt, & suppurati fiũt, & vt plurimum pereunt. si verò curentur incipiente morbo; rursus in loco venæ consident ad latus, humilesque fiunt, & pulmo quidem ab his suppuratus redditur, & ab ipso ẽt talia perpetiũtur, & sic moriũtur. Et in l. de inter. affec. num. 5. si in pulmone varix fiat; tussis sicca corripit, & rigor, & febris in principio quidem morbi valde vehementer. habet etiam erecta ceruice spiratio, & dolor in capite consistit. & supercilia impendere videntur; & tumor in faciem descendit, & in pectus, & in pedes; sæpe verò, etiam in capite innititur, & præ dolore vbi is vexat; respicere non potest, & corpus subpallidum est, & venæ per ipsum tendũ flammeæ, aut nigræ. huic cum sic habuerit, & dolor maxime premit: primum sanguis detrahatur. deinde multa calida lauato. &, vbi satis habuerit: cyceonẽ in vino nigro austero quàm iucundiſſimo, æquali mẽsura aquę mixtum bibendum dato. frigidũ aũt maximè bibere oportet. sorbitionibus autẽ vtantur ptisanæ succo cocto, melle bono affuso. hæc exhibere oportet in primis quatuordecim diebus, si verò diutius morbus teneat, & dolor amplior fuerit in corpore, & impotentia aderit, huic sic habenti eadem exhibeto, quæ ei, qui pulmonẽ suppuratum habet, vbi quatuordecim dies præterierint. hic morbus fit à labore, & atra bile. Et in l. de ossium nat. pag. 28. nu. 19. legitur callosarum duritierũ in pulmone causa. Et in l. de artic. pag. 197. nu. 37. pulmonis tubercula plerunque gibbosis fiunt.

Signa prognostica, quæ ad morbos pulmonis faciunt, hæc scribuntur. vnde in lib. præno. num. 13. legũtur in pulmonis morbis sternutationes noxiæ. Et in l. de Coa. præ. nu. 3. in pulmonis morbis valde rubicundæ sanguinis stillæ, malæ sunt. Et nu. 1. ex pulmonis suppuratione, & circa ventrẽ aliquando; ac clauiculam dolores, & anxie stertere, sputi copiã in pulmone significat. Et nu. 3. pulmonis & ortæ valde inflammatæ, vt ad latus assideant, hac corporis parte resoluuntur, & liuores fortes circa costam habent. Et ibidem. ex pulmonis vna cũ corde inflãmatione, totius corporis syderatio. Et, pulmonis ambæ partes inflammatæ sunt peripneumonicis, quibus lingua tota alba, & aspera fit. quibus verò dimidiũ vna iuxta quam apparet. Et, in pulmonis inflammationibus periculosis, abscessus ad crura omnes quidẽ commodi sunt. optimi autẽ sputo purulento flauo fiente. Et in l. præn. nu. 19. ex pulmonis inflammatione suppurati seniores magis intereunt. Et num. 18. eiusdem lib. quibuscunque ex inflammati pulmonis morbis, abscessus circa aurem fiunt; & suppurantur, aut ad infernas partes ac fistulantur, hi superstites euadunt. Et nu. 13. in omnibus doloribus, qui circa pulmonẽ, & costas fiunt, sputum cito, & facile expui conuenit, & flauum sputo valde permixtum apparere. Et in li. de Coac. supracitato, num. 3. circa pulmonem suppurationes habent, quibus in facie flores, cum aluo liquidiore. Et, pus pulmone suppuratis per aluum secedens, lethale. Et, in omnibus circa pulmonẽ morbis grauedines, & sternutationes antecessisse, & succedere malum est. Et ibidem quibus ad pulmonem vertuntur anginæ, partim in septem diebus pereunt, partim euadentes suppurati fiunt, si non eductio pituitosa sursum ipsis fiat. Et, quibus in pulmone tubercula fiunt, pus educunt ad dies quadraginta post ruptionem: has verò transgredientes plerunque tabidi fiunt. Et nu. 2. eiusdẽ lib. de Coa. circa pulmonem, aut præcordia dolores si suppurentur, malũ est. Et in l. 5. aph. 13. quicunque spumosum sanguinẽ expuunt, his è pulmone eductio est. Et in lib. 7. aphor. 11. à morbo

laterali inflammatio pulmonis malum, & aph. 12. à pulmonis inflammatione phrenitis malũ. & in lib. 6. aph. 16. à morbo laterali, vel pulmonia habito, alui profluuium aduenies malum. Et in l. 5. aph. 10. quicunque ab angina liberantur, his ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt; si verò has effugerint: suppurantur.

Purgans medicamentum.

De purgantis autem medicamenti natura, quibus quando, ac quo modo conueniat, compendiosè nobis est tractandum. Medicamentum purgans est id, cum quo natura corporis expellit humiditatem illã, quæ cum medicamento conueniat, ac facilius est, vt expellatur. Natura est efficiens, & medicamentum instrumentum, quod assumptum aperit, ac penetrat meatus, & se transfert tum substantia, tum virtute per corporis partes illas, quas robur ipsius pertingere potest. ibique se miscet cum cognato humore, qui medicamentum amplectitur, vt simile aliud simile. & idcirco ex duobus fit vnum excellens, quod ad actum deuentum alienas à corporepore qualitates tũ primas, tum secundas, tum tertias excitat, verum sui proprias; atque simul cum humore affini turbat, ac molestat naturam. vnde ipsa commota expellit medicamen simul cum humore. Et propterea causa, ob quam pharmacum purget, est conuenientia, & similitudo, quæ est inter ipsum, & humorem purgandum. atque huiusmodi similitudo consistit in primis, secundis, ac tertijs qualitatibus pharmaci, & humoris: nam, si humor sit calidus, & siccus, amarus, leuis, flauus, vt flaua bilis: ac præterea pharmacum sit calidum, & siccum, amarum, leue, ac flauum, vt rhabarbarum. proculdubio bilis illa euacuabitur, sed nõ semper in omnibus conueniunt, verum in plerisque, atque hæ omnino efficaces; etenim aliquando purgatio fit à primis qualitatibus, hoc est, ab humiditate: nam scriptum est in lib. de Affect. pag. 83. num. 46. Cibi se humidi sunt: humectantes, per caliditatem aluum subducunt. & in lib. 2. de diæ. pag. 46. nu. 9. cum porcus animal sit natura carnosum & exãgue: humiditatis excessum in tenella ætate habet, cum igitur meatus superaccedens alimentum non suscipiant; intus manens calfacit, ac perturbat ventrem. numer. 14. eiusdem lib. Quæ humidam habent naturam, frigidamque, ac fatuam, & odores graues magis per aluum secedunt, quàm per vrinam, & nume. 17. Quæcunque tosta, aut assata sunt, aluum magis sistunt, quàm cruda: propterea quòd humiditas, itẽque pinguitudo per ignem ablata sunt. Aliquando autem secundæ qualitates euacuant: atque hæ in mixto comprehenduntur, & fiunt: nam elementa nullas habent, nisi primas qualitates; sed cum ex his mixtum conflatur corpus; exurgunt secundæ qualitates à primis, quarũ aliæ magis materiã, aliæ formã sequũtur: materiã, vt graue, & leue: durum, ac molle; rarum, densum: formam insipidum, dulce, salsum, amarum, acre atque alij sapores; itemque odoratum, & fœtidum: ab his, veluti à molle fit lubricum, à dulce apertiuum, ab acetoso, & salso, incisiuum: & sic de alijs dicendum est, quæ nihil est, quòd reci, em. Grauia igitur sunt in causa aluum sistendi; nam scriptum est in l. 2. de diæ. citato nu. 9. carnes bubulæ robustæ sunt, & ægrè in ventre concoquuntur, propterea q̃ crassi; ac multi sanguinis est hoc animal, & carnes graues, itemque sanguis, ac lac. caprinæ carnes his leuiores sunt, & magis aluo secedunt. suillæ quidem robur magis, quàm hæ corpori educunt: multum autem aluo secedunt; propterea quòd tenues, & modici sanguinis venas sues habent, carnem verò multã. & subdit. cum sicca, & robusta natura sint animalia, dum quidem teneræ sunt carnes: aluo secedunt: vbi verò augumentum sumpserunt; non similiter. & nu. 8. eiusdem lib. fabę aluum sistunt; quia totam alimenti fecem habent. & in lib. de loc. in homin. pag. 34. nu. 56. aluum subducentia talia sunt, quæcunque lubrica, & incisiua sunt, & quæcunque in calidis attenuantur, & reliqua quæ salsuginosa sunt, & quęcunque ex talibus plurimum participant. contrà aluum non subducentia, sed sistentia, quæ flatum exhibent. & in l. 2. de diæ. num. 12. caseus aluum sistit; quia succo & coagulo compactus est. & hæc de his, quæ ad materiam mixti pertinent: quibus tamen addere possumus antiqua, & marcida: de quibus legitur num. 19. eiusdem lib. antiqua, & marcida magis quàm recentia aluum mouent; quia putredini propinquiora sunt. Formales porrò virtutes sunt veluti sapores: etenim dulcis sapor aluum mouet: nam in l. de affec. num. 38. potibus vtendum est, si quidem aluum, & vesicam subducere velis; vino dulci, aut aqua mulsa: si verò adstringere; austerò, albo, tenui: nam aqua mulsa tum ratione humiditatis, tum dulcedinis aluum mouet. si quidem proditum est in lib. 2. de diæ. nu. 13. mel calidum est, & siccum; si meracum sit: cum aqua autẽ humectat, & aluum mouet biliosis: pituitosis verò sistit. dulce verò vinum pituitosis magis aluum secedit. attamen & dulcia aluo secedunt: nam in eodem nu. 13. inquit. sapa subducit, quia dulcis est. & num. 15. ficus viridis humectat, & aluum mouet propter succi dulcorem. & ibidem. contra sorba, mespila, & corna, & quæcunque alia huius generis poma aluum sistunt, & acerba sunt: itemque omnia acerba, & austera. & in l. de affec. num. 49. salsa secedunt, & vrinam cient. & brassica acrimoniam quandam habet ad secessum. & nu. 50. ex oleribus coctis secedunt, quæ ex natura humidissima, aut acerrima sunt, aut caliditatem habent. danda autem sunt hæc tepidiora, ac flaccidiora, sic. n. ad secessum commodant. & in l. 2. de diæ. n. 8. cicer album per aluum secedit, & per vrinam eijcitur. per vrinam eijcitur dulce, per aluum autẽ secedit, salsuginosum. & nu. 22. ventrem compactum vomitus soluit. & egerentem magis, quàm oportet sistit, illum quidem humectans, hunc verò siccans. cum igitur aluum quis sistere volet; auidè deuoratum cibum euomere oportet, prius quàm humescat, & infrà detrahatur, & magis acerbis, & austeris edulijs vti. vbi verò soluere aluum, quis velit; plurimo tẽpore cibis immorari confert: & acribus, ac salsis & pinguibus, ac dulcibus tũ cibis, tum potionibus vti. Cæterum qualitates tertiæ quæ aluum mouent, & purgant, dicuntur, quæ à tota mixti substantia proficiscuntur. atq; hę tertię habent & primas, & secundas coadiuuantes; & idcirco alijs omnibus prestant. sed & circũstantia, & persona quoque & affectus causa iuuant purgationem: nam legitur in l. de natu. homi. pag. 11. nu. 16.

Quò ad anni tempus attinet, in anno aliquando hyems maxime viget, aliquando ver, modo æstas, modo autumnus: sic etiam in homine aliquando pituita prævalet, aliquando sanguis, aliquando bilis,

primum

primùm quidem flaua', deinde etiam nigra appelata, quorum omnium euidentissimum testimonium hinc habes: si enim eidem homini idem pharmacum quatuor in anno dare velis; vomet tibi hyeme quidē pituitosissima, vere autem humidissima, æstate bilio sissima, autumno nigerrima. Et in lib. 4. de mor. pag. 76. nu. 21. quo die sit propinandum declarat, & ait. quicunque iam à febre continua correpti pharmaco vsi sunt in diebus paribus; hi nimium purgati nunquam sunt. qui verò in diebus imparibus medicamēto forti vsi sunt, nimiū purgati sunt. humor. n. in corpore ægroti magis turbatur in diebus imparibus, nimirum corpore humorem ad ventriculo transmittēte. & siquis iam turbatur adhuc magis perturbet medicamento immisso; nihil miri est hominem ex tali perire. & hoc si homo æger sit: si verò non, præcipit in l. 6. aph. 47. quo anni tempore fieri debeat purgatio cum inquit. quibuscunque venæ sectio, vel purgatio cum medicamento conuenit; hos vere purgare, vel venam incidere oportet. Et Gal. in com. hoc modo Hip. verba explanat. Liquet, quod de eis, qui adhuc sani sed ægri futuri sunt, nisi euacuentur, sermo habetur: hos enim oportet, vt anticipemus; euacuare, vere adueniente, vel per venæ sectionem, si plenitudinis passionibus subijciuntur, vel per purgationem, si ex eis, quæ ex corruptione proueniunt: nonnullis siquidem confert humores pituitosos euacuare, alijs amaram bilem, alijs atram, alijs serosam superfluitatem secundum naturam earū passionum, quæ superuenire consueuerunt. at verò si homo laboret, quo morbi tempore exhibendum sit pharmacum docet Hip. in li. 1. aph. 22. his verbis. Concocta medicari, atque mouere, hoc est, per pharmaca euacuare: non cruda, neque in principijs; modo non turgeant; plurima verò non turgent, nisi scilicet in morbis acutis quibusdam: nam in eodem lib. aph. 24. legitur. In acutis passionibus rarò, & in principijs medicinis purgantibus vti: & hoc cum præmeditatione faciendum. Gal. verò in com. reddit rationem hanc. in longis morbis semper oportet expectare coctionem; in acutis verò, cum turgent; etiam ab initio possumus vti medicamentis purgantibus. Et in l. 2. apho. 29. Cū morbi inchoant, siquid mouendum videtur; moue: cum verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere: circa principia enim ac fines omnia debiliora: morbo autem cōsistente, fortiora: etenim, ait Gal. Casus omnes circa principia, & fines sunt imbecilliores, accessiones scilicet febrium, vigiliæ, dolores, fastidium, & sitis. Et in l. 4. aph. 10. Medicari, hoc est, euacuari in valde acutis, si materia turget, eadē die: tardare enim in talibus malum: nam vt exponit Gal. statim per medicamentum euacuatio facienda est, priusquam robur dissoluatur, vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale hi humores, qui per corpus vagantur. Et in l. de Vict. rat. in mor. acu. com. 4. par. 38. si liquidam aluum habenti causus superuenerit, si tibi purgatio idonea videatur; eā non tribus primis diebus adhibebis, sed quarto. Verum, nisi à vi quadam coactus sis; sub cane, & ante canem ne purgaueris; difficiles enim sunt medicationes, vt habetur in eodem l. 4. aph. 5. propterea quòd, ait Gal. calor aeris in partem trahit extrinsecam contrariam ei, ad aquam medicina ducit humores. Et in l. de ae. aq. & loc. pag. 37. num. 30. Maximè obseruare oportet magnas temporum mutationes vt neque medicinas in illis libentes exhibeamus, neque vramus quæ circa ventrem, neque secemus, priusquam prætereant dies decem, aut plures, & non pauciores. periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maximè verò æstiuum. periculosum etiam æquinoctium vtrunque, magis verò autumnale. oportet autem & astrorum exortus considerare, præcipuè canis, deinde Arcturi, & pleiadum occasum: morbi enim in his maxime diebus iudicantur, alijque perimunt, alij verò desinunt, aut in aliam speciem, aliumque statum transmutantur.

Loca præterea ac regiones, in quibus homo purgatur, cum eandem habeant naturam, quam & anni tempora; & ideo eadem sunt in his præcepta obseruanda. verum loca corporis, per quę purgatio faciēda est, sunt aut superna, aut inferna: superna sunt auriū meatus, oculorum, narium, oris: inferna, vesicæ, sedis, vteri, & hęmorrhoidum. per vomitum oris, & per sedem fiunt euacuationes totius corporis, ac præsertim per sedem. de sanguinis verò siue per nares, siue per aliam regionem fluxione nihil hoc loco agimus. & propterea in omni euacuatione locus, per quem fieri debet; maxime inspiciendus est: inquit. n. Hipp. in l. 5. aph. 21. Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eò ducere. at verò, vt locum opportunum eligas, signa obseruabis hæc, quæ in l. 7. de morb. pop. pag. 150. nu. 32. notantur. subpurgandi sunt ventres in morbis, vbi purganda matura fuerint: inferni quidem, vbi confidisse videris. signum habes, si non anxij fuerint, neque capite grauati: & cum calores mitissimi, & cum post exacerbationes cessarint. superni verò in ipsis exacerbationibus: tunc enim & hi eleuantur, cum anxij, & grauati supernis partibus fuerint, ac se iactarint. propterea verò in principijs purgandum non est: quoniam sua sponte in his temporibus expurgantur. Et in lib. 4. aph. 4. medicari æstate superiores magis, hyeme verò inferiores. Et aph. 6. Graciles & facile vomentes purgare superius, cauentes hyemem. Et aph. 7. Vomentes verò difficulter, & mediocriter bene carnosos per inferiora, cauentes æstatem. Et aph. 8. Tabidos verò, cauentes ad superiores purgationes. Et aph. 9. Melancholicos plenius inferiores, eadem ratione contraria apponentes. Et aphor. 19. eiusdem li. siquis febrem non habens abstineat à cibo, hoc est, cibum non appetat, & cordis morsum, seu vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit; purgatione indigere per superiora significat. Et aph. 18. supra præcordia dolores, purgatione indigere per superiora significant. quicunque verò inferiora molestant; per inferiora. Et aph. 20. Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor; purgari inferius oportere significatur: nam, vt exponit Gal. pro motione noxiorum humorum facere oportet euacuationes. Et in l. 2. aph. 8. si à morbo cibum assumens, id est, appetens quis non corroboratur; pluri alimento corpus vti significatur. quòd, si non assumente cibum hoc accidat; scire oportet quòd indiget euacuatione. Verum, si purgationes faciēdæ sint particulares: hæc præcipit Hip. in li. 2. de mor. pag. 67. num. 39. Cum febris quartana ex alio morbo non purgatum apprehenderit; pharmacum deorsum purgans bibendum dato, deinde

caput

caput purgato, postea rursus infrà purgato. Et in eodem l.n.12. in morbo capitis quodam, vbi quadraginta dies præterierint, capite ipsius purgato, prius medicamento exhibito, ipsum deorsum purgato, si tempus anni hoc permittat. deinde seruum ad dies septem bibendum dato, aut pauciores; si debilis existat: si verò morbus reuertatur; fomento per totum corpus adhibito, postridie veratrum bibendum dato. deinde quanto tempore tibi visum fuerit, intermittito, & tunc capite purgato, medicamento deorsum purgante exhibito, crustas octo capiti inurito. Et in li.1. de morb.mul. pag.103. nu.38. si pituitosa fuerit mulier; sanguis mensium erit veluti mucus: vtrum verò horum fuerit, ventrem purgato, siue suprà opus habuerit, siue infrà: postea vteros purgato. Et sic habes primum euacuationem vniuersalem faciendam esse, deinde particularem scilicet membri affecti.

Quibus verò personis purgatio competat, ac quibus non, videamus: ac primum nullis vtilis est superflua purgatio, ac maximè senibus: nam legitur in l.7. aph.42. si senioribus supra modum purgatis, singultus superuenerit, non bonum: nam, vt asserit in li.5. aph.4. Ex superflua purgatione conuulsio, aut singultus superueniens, malum. Si verò homo ægrotet, in quo non sit morbo purgandus, scriptum est in li. 2.pror.par.36. cuius verba sunt. Ni gra reuomentes, cibos fastidientes; deliros, in pube parum dolentes, quibus oculus ferox, claususque purgare non oportet; pernicioſum enim. & par. 37. & 38. Neque intumescentes, vertiginososque, neque in errando deficientes, neque cibos auersantes, neque decolores: neque in febre comatosos, inclinatosque: pernicioſe etenim habent. Et in l. de loc. in hom. nu.44. Febricitanti caput ne purgato, ne furiosus fiat: calfaciunt. n. caput pharmaca purgatiua: & sanè ad caliditatem febrilem accedens ea, quæ in medicamento est, insaniam facit. Et num.49. Doloris in capite gratia, sanguinem de venis detrahito. si verò non sedetur, & diuturnus sit: perure venas, & sanus euadit. si verò caput purgaueris; magis affliges. Verum sana habentes corpora, si medicamentis purgentur, celeriter exoluuntur, & qui prauo cibo vtuntur, vt in li.1. aphoris.36.

Attamen si cui pharmacum exhibendum sit, is præparandus est; facile enim ac sine molestia feret. sed plura legunt instrumenta præparationi opportuna: nam scriptum est in lib.2. aphorism.9. Corpora cum quispiam purgare voluerit: oportet fluuida facere; atque id gracilibus, ac siccis, quemadmodum præceptum est in l.de Sal Diæ.pag.12.nu.7. Verum in li.7. aph.67. Corpora oportet, vbi quis purgare voluerit fluuida facere; & si supra: sistere aluum: si verò infra: humectare. In l.autem de Inter. affect.pag.88.nu.29. Phræhumectare antea corpus ipsius oportet per fomenta: quò magis pharmacis obediat; etenim, vt ipse testatur in eodem li.nu.22. præhumectatio est veluti initium euacuationis. verba, autem sunt. si clysterem non voluerit, humectum hominem facere oportet, fomento humido admoto: fortassis enim etiam sic stercus subeuacuari poterit: nam à ciborum nimia resiccatione hæc patitur. præparat igitur hoc loco fomentis humectãtibus. at n.23. alio instrumẽto, cum ait. Bibat aquam mulsam tepidam, polenta modica insperſa: quò corpus præparatum sit ad pharmacorum potum. Et in eodem l.n.15. Huic cum sic habuerit, cum scammoniæ succo, aut ipsa radice, fomẽto prius adhibito, totum corpus purgato. Sed in l.4. aph.13. Ad helleboros qui non facile supra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda sunt. Et in eodem l.aph.14. Cum biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis, ad somnos verò, atque quietẽ minus. indicat autem nauigatio turbari motione corpus. & aph.15. Cum volueris magis ducere helleborum; moue corpus, cum verò sistere; somnum facito, & non moueto. videant autem medici, quot vsus fuerit Hip. instrumentis ad corpora euacuationi præparanda.

Sed id, quod euacuatur, aut est flatus, aut humiditas, cuius quantitas consideratur, & qualitas: finis. n. medicamenti est, vt id, quod morbum facit, detrahatur, vt legitur in l.de loc.in homi.nu.42. atque id est flatus, aut superfluus humor, aut non bonus. & idcir co scriptum est in l.1. apho.2. & 25. si qualia oportet purgari purgentur, confert, & facile ferunt: si contrà difficulter. Et aph.23. deiectiones non multitudine, hoc est, quantitate sunt æstimandæ: sed si talia deijciantur, qualia conueniunt: & ægri facilè tolerãt atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum; si æger possit tolerare. Et in lib.4. apho.2. In medicamentis purgantibus talia ex corpore edũcere oportet, qualia etiam sponte exeuntia vtilia essent: quæ verò contra, cohibere.

Pus.

Proditum est in l.de Alim. pag.54. num.12. pus ex carne, purulentum ex sanguine, & ex alia humiditate. pus vlceris alimentum. pus alimentum venæ, arteriæ. hęc Hip. atque hic sciendum est, pus quandoq; ichorem significare. verum pus, quod ex vlcere manat optimum est si album, & æquale, & leue, & quamminime graueolens. quod verò huic contrarium est, & pessimum est. sic legitur in l.prog. com. 1. par.42. & propterea legitur in l. de Coac. prænot. n.3. quibus pus cœnosum, & graueolens dum concotiuntur prodit plerunque pereunt. Et in lib.7. aph. 44. & 45. quicunque suppurati vruntur, vel lecãtur, si pus purum fluxerit, & album; euadunt: si verò sub cruentum, & feculentum, ac fętidum; pereũt, & quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album; euadunt: in tunica. n. his pus continetur. si verò qualis amurca fluat; pereunt. Et in lib.4. aph.27. excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, & bilioſæ omnes malæ. Et in l.2. aph.47. dum pus conficitur: dolores, ac febres accidunt magis, quam iam confecto: Et in lib. 7. aph.16. à puris sputo phthisis, & fluxus: cum verò sputum retinetur; moriuntur. Et in l.7. aph.27. quicunq; suppurati, aut aquam interdutẽ patientes vrũtur, aut secantur, si pus, aut aqua vniuersim est fluxerit, omnes moriuntur. Et in l.de Iudic.nu.12. pus aut aqua per nares, aut os, aut aures effluens capite dolẽti, & vehementer laboranti, morbum soluit. Et in li. de Coac. præno.nu.2. pus per nares capitis dolorem soluit. Et in l.7. aph.78. ex sanguinis vomitu tabes; & puris purgatio sursum. Et in li.de Coac. præno.n. 3. de dolor lateris cum febre significat puris eductionem futuram. Et, pure ex vesica erumpente, tuberculi quod circa vesicam est, & mingendi difficultatem

tem inducit, ſolutio fit. Et, pus educunt ad dies quadraginta, quibus in pulmone tubercula fiunt. Et in l. præno. n. 22. puris eruptio ſenioribus magis expectanda eſt. Et in l. 4. aph. 75. ſi quis pus, aut ſanguinẽ mingat, renum vlcerationem ſignificat.

De Puſtulis.

Scribitur in l. de ae. aq. & loc. n. 4. puſtulæ nocturnæ viris in meridionalibus ciuitatibus frequentes. Et in l. de Coac. præno. nu. 3. puſtularum eruptiones velut ferro lancinatæ, habitus tabem ſignificat. Et nu. 2. puſtularum circa oculos eruptiones in virium refectionibus, aluum prorumpere faciunt. Et num. 1. eiuſdem lib. quibus puſtulæ in febribus per totum corpus erumpunt, lethale eſt, ſi non purulentus abſceſſus fiat, maxime circa aurem. ſed in l. 7. de morb. pop. n. 52. enarrantur puſtulæ in cruribus, coxis, lumbis, ac imo ventre, &c. Et in l. 4 de morb. pop. nu. 12. puſtulæ ex laſſitudinibus. At in lib. 2. ſect. 2. puſtulas per corpus lactans quædam vbique habebat, poſtquam autem lactare ceſſarit, ſedatæ ſunt per æſtatẽ. Et in l. 5. n. 33. leguntur puſtulæ velut, cullicum morſus ante febrem. Et in l. de Cap. vuln. nu. 27. puſtulæ in lingua capite vulneratis. Verum in lib. 6. de mor. popu. ſect. 2. puſtulæ latæ nõ valde pruriginoſæ ſunt Et in lib. 7. n. 27. circa vigeſimam quintam puſtulæ per totum pruriginoſæ, calidæ, velut ignæ ombuſtę. At in l. de Coac. præno. n. 4. puſtulæ ſerpiginoſæ ſupra inguina ad laterum mollitudinem, ac pubem fiẽtes aluum male affectam ſignificant. Et in lib. 3. aph. 20 puſtulæ vlceroſæ, plurimæ vere fiunt. Et in li. de Coac. præno. nu. 2. velut à puſtulis corpus rubeſcit ijs, quibus ſputa ſalſuginoſa, ac tuſſis ſupprimuntur. ſed in li. 2 de morb. popul. ſect. 2. legitur curatio puſtularum inferne in tibia dextra, item manu dextra. Et in l. de Humi. vſu. num. 10. ſcribitur. aqua frigida prodeſt puſtulis rubicundis.

Putredines.

Putredines in pluuiarum multitudine pleruncque fiunt. ſic legitur in lib. 3. aph. 16. ratio eſt, vt explicat Gal. in com. quia humida ſiccis putredini ſunt magis obnoxia. Verum oportet, vt caliditas humiditati adiungatur, vt ſcriptum eſt in lib. 4. de morb. n. 25. At in l. de nat. pue. pag. 19 nu. 26. his addit Hipp. obſtructionem, ac compactionem: dicit enim. Firmum denſius accumulatum, intus calidius eſt, quàm quod rarum exiſtit: & alias humecta, ac compreſſa à ſeipſis concaleſcunt, & breui à calore valde exuſta putreſcũt; neque enim permeat ſpiritus per ipſa, nimirum cum denſa exiſtunt. ſi verò ſicca fuerint, & rarè poſita, multo minus caleſcunt, & putreſcunt. atque ſic frumentum, & ordeum humidum, ac madefactum, intus calidius eſt, quàm ſi ſiccum ſit, & rarè poſitum Verum & putredinis cauſa eſt miſcella rerum, quæ non ſint vnius naturæ; alia enim aliam corrumpit; ſcribit enim Hip. in l. de ae. aq. & loc. n. 18. Ex omnibus aquis citiſſime putreſcit aqua pluuialis, & odorem malum habet; eo quòd ex plurimis congregata eſt, ac permixta. Potrefactionis porrò ſignum exponit in l. de Car. nu. 17. & inquit. Putrefacta aqua craſſior fit, & alia omnia. ſignificat præterea putrefactio concoctione; etenim proditum eſt in l. de Ali. nu. 9. Cibus iuuenibus facilè, ac leuiter putrefactus: ſenibus vero ad ſummum tranſmutatus.

COMMENTARIVS XV.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

QVADRAGENARIVS NVMERVS.

PRoditum eſt in lib. de ſeptime. par. pag. 21. nu. 8. quadragenarij primum in fętibus iudicant: quiſquis enim primos quadraginta dies tranſmiſerit, abortus effugit ex omni cauſa contingentes. plures autem fiunt in primo quadragenario obortus, quam in alijs omnibus. hoc autem tẽpore præterito fętus fortiores ſunt, & ipſorum corporis per ſingula membra diſcretio fit. Et ſubdit. numero 9. alter quadragenarius eſt, in quo circa octauum menſem fętus in vterò ægrotant. tertius eſt, in quo vbi naſcantur pueri etiam malè afflicti, ſi effugerint quadraginta dies, apparent magis robuſti, ac ſapientes: nam & ſplendores clarius vident, & ſtrepitum audiunt, quod prius non potuerunt, tanquam incrementum habeat hoc tempus cum iuxta alia, tum iuxta ſapientiam ex corpore eluceſcentem. Et num. 3. eiuſdem l. de quadrageſimarijs diebus plura loquitur.

Qualitates.

In omni corpore mixto, ac præſertim perfecto reperimus tres qualitatum gradus, quarum aliæ dicuntur primæ, ſecundæ, & aliæ tertiæ. primæ verò in elementis inſunt: atque hæ ſunt caliditas, frigiditas, ſiccitates, & humiditas; quarum duæ actiuæ dicuntur, hoc eſt, caliditas; & frigiditas: duæ paſſiuę, vt ſiccitas, & humiditas. & quemadmodũ inter actiuas nobilior, ac formalior eſt caliditas frigiditate; ſic paſſiuarum ſiccitas magis ſuſtinet paſſiones, atque reſiſtit, quàm humiditas: proditum eſt enim in l. de locis in homi. pag 30. nu. 1. quod enim corpus ſiccius eſt, morbos magis recipere, hoc eſt, magis retinere, ac magis dolere ſolet: humidum verò minus: morbus enim, qui in ſicco eſt, ſtabilitur, & non ceſſat: qui verò in humido diffluit, & aliàs aliam corporis partem occupat, & ſemper tranſmigrans requiẽ non facit, & citius quoque ſedatur, vtpote non ſtabilitus. Ex his porrò quatuor qualitatibus fractis conficitur mixtum corpus, quod retinet has non in ſum-

mo

mo gradu posita, sed ob mixtionem debilitatas, quarum quæ actiuæ sunt, ideſt, caliditas, & frigiditas alias producunt qualitates, quæ quoque agendi possident facultatem: quæ sunt passiuæ, & hæ sunt siccitas, & humiditas, alias gignunt, quæ affectus, siue passiones in mixto appellantur. Et, cum rarò, vel potius nunquam mixtum reperitur, quod primas habeat facultates tũ substantia, tum qualitatibus æquales, ac temperatas; idcirco mixtum omne plus vnius qualitatis, quàm aliarum tenet, & ab illa denominatur calidum, vel frigidum, vel siccum, vel humidum. si verò magis sit calidũ: ille calor producit sapores, odores, & fortasse colores validiores: calidũ etenim mixtum sapores efficit dulces, & pingues, nisi temperiem corporis humani excedat. verum, si excellat, sal sos, amaros, & acutus, si in summo collocentur loco; itemque odores, & colores contra verò frigidum insulsos, & insipidos, fœtidos: & horribiles, & potius obscuros, atque hæ secundæ appellantur qualitates actiuæ. At verò, quoniam siccitas, & humiditas concurrunt ad mixti compositionem, veluti materia: eo scilicet mixto confecto: ab his passiuis qualitatibus exurgunt in mixto secundæ qualitates, quæ affectus, siue passiones mixti nuncupantur, quæ sensu tactus percipiuntur, atque harum primæ existunt leue, & graue: durum, & molle, &, quanquam in simplicibus elementis primo insit leuitas, & grauitas: attamen in mixto sensibiliores sunt. duritiem autem & mollitiem mixti simul consequuntur exiccatio, humectatio, coagulatio, incrassatio, inspissatio, liquatio, tenuitas, raritas: exasperatio, planities, ac lenitas: viscositas, fractibilitas: impressio, & contrà: formatile, informatile: pressatile, minime pressatile: trahibile, non trahibile: fissibile, non fissibile: sectatile, non sectatile: combustibile, non combustibile inflammabile, non inflammabile: exhalabile, non exhalabile. Et, quoniam quæcunque sunt inter primam formã, & vltimam materiam, omnes sunt formæ, & materiæ compositæ; & propterea licet materiales sint dictæ qualitates; attamen corpus humanum alterant, tanquam formales, ac præsertim cum absque his nõ persistant qualitates actiuæ: quin & medici gradus actiuarum in his constituunt: etenim hoc scribunt pacto. maturatiuæ, siue digestiuæ, lubrificatiuæ, euaporatiuæ, & mitigatiuæ qualitates calidę, & humidæ sunt temperatè, vel in primo gradu. rarefactiuæ, subtiliatiuæ, & carnis generatiuæ, & absterſiuæ calidæ, & siccæ in primo. mollificatiuæ, apertiuæ, euaporatiuæ quædam calidæ existunt in secundo, & siccæ in primo. mordicatiuæ, incisiuæ, resolutiuæ sunt calidæ in tertio cũ siccitate; attractiuæ, & vstiuæ in quarto: contrà frigidæ, veluti incrudatiuæ, incrassatiuæ: opilatiuæ, induratiuæ, stupefactiuæ, & id generis, quæ omnes possident mixtum durum, vel molle.

Verum, cum omne mixtum compositum sit ex primis qualitatibus, & secundis primas consequentibus, quarum actiuæ vicem formæ gerunt; passiuæ materiæ; necessario ex illa forma, atque materia exurgit compositum, quod nulla harum est, sed aliud, quod species appellatur. &, quia aliud est: necesse est, vt aliæ insurgunt qualitates, quæ nec primę sint, nec secundæ, verum ab illa denominantur specie, atque hæ propriæ qualitates appellantur, siue specificæ, siue à tota substantia, qualis est risus in homine, & attractio ferri in magnete. Quidam alias addunt qualitates, quæ ad membra hominis referuntur, veluti qualitas quædam est in betonica, quæ caput respicit, eaque neque prima, neque secunda est: igitur tertia.

Porrò omnes hæqualitates validiores, ac minus valide fiunt à subiecto, in quo sunt, & ab his, quæ subiectum circunstant: eo quod homo, qui harum esto qualitatum subiectum, calidior est si vir; quam si fęmina: iuuenis, quam senex: bilioſus, quam pituitoſus. rari habitus, quam densi: carnoſus, quam carnis exors: laboribus deditus corporis, & animi, quam ocioſus: vigilans, quam dormiens: cibis calidis vtẽs, quam frigidis. locum habitans calidum, quam frigidum: sic de tempore, atque aljs rebus circunstãtibus est dicendum.

Cæterum, quæ madmodum omne corpus conflatum est ex his; si corpus humanum si ægrotet; ex his necessario egrotat. nec dicendum est primas tantum qualitates ægritudinis esse causas: propterea quod ex primis nisi à primordio constat, sed ex secundis quoque, & consequentibus. vnde dicit Hip. in li. de Vete. med. pag. 5. nu. 22. qualitates primas neque medicinæ proprium esse fundamentum, neque hominẽ lędere, sed secundum qualitatum excessum. Et subdit. nu. 24. non siccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque aliud quidquam ex his putauerunt hominem lędere, neque aliquo horum homini opus esse opinati sunt, sed quod in vnoquoque forte, & humana natura potentius est, quodq; non possit superare, hoc ipsum lædere duxerunt. & hoc auferre quæsierunt. fortissimum autem est inter dulcia dulcissimum, inter amara amarissimum, inter acida acidissimum, & in omnibus adeo rebus vigor ipse, ac summum: hæc enim in homine inesse viderunt, & hominem lædere: inest enim in homine, & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluuidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamque, ac robur. atque hæc quidem iusta, ac inter se temperata, neque conspicua sunt, neque hominem lædunt. Et n. 27. non calidum est, quod magnam vim habet, sed ipsum, acerbum, ac fluuidum, & alia, quæ me relata sunt, tum in homine, tum extra hominem siue edantur, siue bibantur, siue foris secus illinantur, aut quomodocunque formata adhibeantur. frigiditatem autem, & caliditatem ego omnium facultatem minime potentes esse in corpore existimo ob has sanè causas. quo quidem tempore, ipsa inter se permixta simul frigidum, ac calidum fuerint, non lædunt: temperamentum enim, & moderatio contingit frigido à calido, & viciſſim calido, à frigido. vbi verò seorsum vtrunque secretum fuerit; tunc affligit. in hoc itaque tempore cum frigidum intus generatur, & cito hominem affligit; primum propter hoc ipsum adest calidum, inde adeo ex homine ipso nullo alio auxilio, neq; præparatione opus habens. Et n. 34. amplius porrò alia quæcunque mala homo patitur, à secundis facultatibus proficiscuntur. itaque cum amaritudo quædam diffusa fuerit, quam bilem flauam appellare solemus, quales statim anxietates, & æstus, & impotentiæ occupant? & quos acuta, acrisque, ac æruginosa bilis affligit, quales mox rabies, & morbus viscerum ac pectoris & disperatio? non sedantur autem hæc priusquam eadem

dem expurgetur, & prosternatur, & alijs permiſceatur.

Quartana febris.

Quartanæ febres tertianis diuturniores ſunt, quãto pauciore bilis parte participant, vnde caliditas augetur: & propterea quòd corpus in ipſis plus perfrigeſcit id quod ab atra bile ipſis contingit ſuperflua adeo vt ægrè frigus depelli poſſit: atra enim bilis inter omnes corporis humores viſcoſiſſima, & ſedes diuturniſſimas facit. quod autem quartanæ febres atræ bilis participes ſint, vel hinc condiſcere licet: autumno enim maxime homines à quartanis corripiuntur, & in ætate à quinque, & viginti annis vſque ad quadrageſimum quintum. hæc enim ætas præ omnibus alijs maxime à bile atra infeſtatur, & autumni tempus omnium anni temporum ad eandẽ aptiſſimum eſt. quicunque autem extra hoc tempus, & ætatem à quartana corripiuntur, pro certo ſcire oportet eam febrem non fore diuturnam niſi quid aliud grauioris mali hominem infeſtauerit. hęc Hip. in l. de natura homi pag. 11. num. 28. & 29. in quibus probat febrium quartanarum eſſe atram bilem materiam. in l. autem prog. ait. Quartanæ magis fiunt his, qui triginta ſunt annorum, & ſenioribus. ſignum autem quartanarum habetur in l. de Coa. præ. nu. 4. hoc eſt. in febribus nigræ in vrina nubeculæ quartanam indicant.

Quid vero præſagiendum ſit de quartanis; ſcriptum eſt in l. 2. de morb. pop. ſect. 3. his verbis. quartana ſecuriſſima omnium, & facillima, ac longiſſima eſt: non enim ſolum ipſa à ſe ipſa talis eſt, ſed etiam ab alijs magnis morbis liberat. vnde in l. 6. de morb. popul. ſect. 6. quartana correpti à magno morbo non corripiuntur: ſi verò corripiantur prius, & accedat quartana; liberantur. & propterea in lib. 5. aph 70. à quartanis capti non admodum conuulſionibus capiuntur. ſi verò prius capiantur, & quartana ſuperueniat, liberantur. Sed in l. 7. aph. 25. quartanæ æſtiuę plerunque ſunt breues, autumnales verò longæ, & maxime quæ ad hyemem pertingũt. Et in l. de Coa. præno. n. 1. quartanæ hybernæ leniter in acutos morbos tranſeunt. Et in l. de morb. popul. ſect. 2. quartanæ ſanguinis è naribus eruptiones ægrè iudicant. Et in l. de Coa. præ. n. 4. in quartanis malæ ſunt ægeſtiones valde rubræ, ruginoſæ. & tales ſanguinis fluxiones ſoporoſæ ſunt: ex his conuulſione moriuntur, nigris antea egreſſis.

Curatio verò legitur in l. 2. de morb. pag. 67. num. 39. & eſt hæc. cum febris quartana ex alio morbo non purgatum apprehenderit; pharmacum deorſum purgans bibendum dato. deinde caput purgato. poſtea rurſus infra purgato. ſi verò his factis non ceſſet interpoſitis duabus inuaſionibus poſt purgationem infernam, multa calida ipſum lauato, & ſeminis hyoſcyami milij magnitudinem, & mandragoræ tantũdem, & ſucci ſilphij trium fabarum magnitudinem, & trifolij tantundem in vino meraco bibat. at, ſi firmum & ſanum ſe eſſe putans ex laſſitudine, aut profectione febre correptus ad quartanam deueniat; fomentis ipſi adhibitis allium dato, in melle tinctum. deinde lenticulæ decoctum bibat, melle, & aceto mixtis. poſtquam autem repletus fuerit, vomat. poſtea calida lotus vbi frigidus factus fuerit, cyceonẽ ex aqua bibat. veſperi cibis mollibus, & non multis vtatur. altera verò exacerbatione, vbi multa calida laueris, & ſtragula ipſi integeris, donec exudet, ſtatim veratri albi radices trium digitorum longitudine, & trifolij drachmam, & ſucci ſilphij duarum fabarum magnitudinem in vino meraco bibat. & ſi vomitiones ipſum vrſerint; vomat: ſin minus; ſimiliter poſt caput purgatum. cibis autem vtatur quam molliſſimis, & acerrimis. cum verò exacerbatio ipſum inuaſerit; ieiunus medicamentum ne bibat. Et in li. de affect. n. 19 ſi verò quartana apprehenderit, ſi quidem impurgatus fuerit; primum caput purgato: & interpoſitis tribus, vel quatuor diebus pharmacum ſurſum verſus purgans dato in ipſa apprehenſione. ſi verò ex his non ſedetur: rurſus interpoſitis diebus, multa calida lauato, & pharmaca, quæ ſcripta ſunt dato. potibus autem, & ſorbitionibus, & reliqua diæta vtendum eſt velut in tertiana. apprehendit autem hæc febris plurimos multo tempore, alios verò pauco. & fit tum tertiana, tum quartana à bile, & pituita. Cur autem tertiana, & quartana alibi à me ſcriptum eſt. vim porrò habent medicamenta in his febribus, vt potis his corpus in loco ſit, in conſueta caliditate, & frigiditate: & neque prẽter naturam calefiat, neque frigefiat. danda ſunt autem velut ſcriptum eſt in medicamentario libro. Sed in li. de loc. in ho. pag. 32. nu. 38. Febris perfrigeranda eſt, præter quàm ſi quartana exiſtat. In l. autem 7. de morb. pop. pag. 149. nu. 24. Oneſianacti circa autumnum lippitudo: poſtea verò febris quartana. Incipiente quartana, cibos valde auerſabatur: in progreſſu verò libenter accipiebat. Et in l. 6. de mor. pop. ſect. poſt pilorum defluuium quartana febris non vltra annum. & in l. 4. pag. 137. num. 5. poſt pleiadum occaſum ſeruus Attici à quartana correptus ſtupidus ſedatus eſt. Et in l. 3. ſect. 3. pag. 134. autumno, & ſub pleiada rurſus multi moriebantur quartanarij. at verò in lib. prog. com. 3. par. 7. quartanæ conditio ex eodem ordine eſt ſcilicet tertianarum: nam vt exponit Gal. in com. quartanæ febris iudicationes ex numero circuitionum accidunt, & non dierum, quemadmodum tertianæ.

Quies.

Quies autem connumeratur à medicis inter res non naturales. huius quidem operationes ſunt multæ: nam legitur in l. 2. aph. 48. in omni corporis motu vbi laborare cæperit, hoc eſt, dolere, & fatigari; quies ſtatim laſſitudinem aufert. Et in lib. 4. aph. 13. ad helleboros qui non facile ſuprà purgantur eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda ſunt. Et in eodem lib. aph. 14. cum biberit quis helleborum; ad motiones quidem corporum ducere magis: ad ſomnos verò, atque quietem minus. indicat autem nauigatio turbari motione corpus. Et in l. de vict. ratio. com. 4. par. 44. in febre vt concoquatur humor; corpus quieti permittere, vngere, & æqualiter contegere oportet, mulſamque aquoſam bibendam, & ptiſanæ cremorem veſperi ſorbendum dabis. Et in l. de morb. ſac. pag. 59. nu. 16. quanto tempore cerebrum quieuerit, hoc eſt, non alteratũ fuerit; tanto etiam homo ſapit. Et in lib. 2. de morb. pag. 65. n. 8. poſtquam venæ pituitam in ſe ipſas traxerint; neceſſe eſt præ pituitæ frigiditate ſanguinem magis nunc ſiſti, ac perfrigeratum eſſe, quam priori tempore. dum autem ſanguis non mouetur;

fieri

fieri non potest, vt non etiam corpus quiescat, ac torpeat. Et in l. 2. de diæ. pag. 48. num. 24. segnicies, ac ocium humectat, & corpus debile facit: anima enim quiescens humiditatem ex corpore non consumit. labor siccat, & corpus robustum facit. Et in l. de affect. pag. 80. nu. 12. obseruare, atque vitare oportet febres in hyeme. fit autem obseruatio, & tutela ab ipsis, quies & gracilitas, & ventris euacuatio.

Quercus folia in suffitu vterorum notantur in li. 2. de morb. mul. num. 82.

Quinque folia radicum tritarum acetabuli mẽsuram ex aqua bibendam dato in febre tertiana, si pharmaco non opus habere tibi videatur. sic scriptum est in l. 2. de morb. pag. 67. nu. 38.

Quintana febris omnium pessima est: nam & ante tabem, & iam tabibis superueniens occidit, vt legitur in l. 1. de morb. pop. sect. 3.

COMMENTARIVS XVI.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

RAPHANVS.

RAphanus, siue radicula humectat pituitam diffundens sua acrimonia: folia minus prosunt, præterquam ad articularem morbum, quemadmodum scribitur in libro secundo, de Diæ. nu. 14.

Raptum æstuosum est, humectat autem, & cõturbat corpus, non tamen aluo secedit, & vrinæ difficultatem inducit, vt proditum est in l. 2. de Diæ. nu. 14.

Raucedo.

Scriptum est in l. de aer. aq. & loc. pag. 37. num. 38. causa raucedinis, siue obscuritatis sermonis est aeris obscuritas. Et in eodem lib. num. 28 raucedines post æstatem siccam, & borealem fiunt. Et in l. 3 aph. 20. raucedines vere fiunt. Et ibidem. raucedines ad hyemes fiunt, si æstas ficca fiat, & aquilonaris: autumnus autem pluuiosus, & australis. At in li. 2. aph. 40. raucedines, & grauedines in valde senibus non concoquuntur. Sed in l. de Coa. præno. n. 3 raucedo cum tussi, & aluo liquida pus educit. Et nu. 5 ad raucedinem cum tussi, ex insania fit discessus. Et num. 3. cum raucedine colliquatio in hepatico malum, tum alias, tum si aliquantum tussiat. Tandem in lib. 3. aph. 23. cum raucedine sputa viscosa, sanguinosa, mala. si verò etiam quid attollatur iuxta pectus in his, malum est.

Recidiua.

Proditum est in l. De Humo. pag. 56. nu. 5. recidiuas faciunt tempora. Et in l. 2. aph. 12. recidiuam faciunt, quæ relinquuntur in morbis post iudicationẽ. At in l. de Iudic. n. 9. Recidiuæ fiunt in his, quibus febribus desinẽtibus vigiliæ fortes accedunt, aut somni turbulenti, aut corporis robur, aut dolores vniuscuiusque membri, & quibus febres sedantur, neque signis solutorijs contingentibus, neque in iudicatorijs diebus: & si deficiente febre, & sudore accedente, vrinam soluam minxerit, albam subsidentiam habentem, his febris recidiuam eadem die expecta. hæ verò recidiuæ quinto die iudicantur extra periculũ: & si ex iudicatione facta vrinam rubicundam rubrã subsidentiam habentem minxerint, etiam his recidiua febris fit eadem die. & pauci ex hac seruantur. cum recidit febris ardens, plerunque etiam exudat. & si reuertens tot diebus detinet quot primus, etiam tertio recidiuat, si non impari die dimiserit reuersa. Et in l. 4 de morb. pop. nu. 15. legitur recidiua quibus post longissimum tempus. At in l. 6. sect. 3. recidiuæ minus his, qui ex capite grauedine, ac raucedine laborant, vbi febre correpti fuerint, velut poto fiunt. Et in l. de Coac. præ. nu. 1. quibus sæpe recidiua contingit his si semestre tempus transmiserint, tabes coxendicum leniter accedit. Et n. 4. recidiuæ frequenter per eadem circa iudicationem sanguinolentæ, nigrorum vomitum faciunt, fiunt autem, & tremulę. Et ibidem. recidiuam cum sudore in febre significat vrina cruenta in principio micta. Et, recidiuam, aut sudorem significat vrina in febre densitatem habens diuulsam. sed in l. 6. de morb. popu. sect. 6. in recidiuis mutationes prosunt. his transmutare oportet ad ea, quæ conueniunt, antequam male afficiatur.

Regiones.

Scribitur in l. de ae. aq. & loc. nu. 56. regionis pinguis, aquosæ, & mollis, item nudæ, asperæ quales incolæ sint. Et in l. 2. de Diæ. n. 2. vbi regionibus montes adiacẽt ad austrum, in his squallidi austri, & morbosi afflant. Et in l. de ae. aq. supra citato. n. 56. regionem altam, planam, ventis expositam, & aquosam habitantes, eorum formæ magnæ sibi inuicem similes sunt, & erectæ. At in l. de diæ. nu. 1. quo pacto regionum naturæ singularum, & situs cognoscendi sint.

Regius morbus. i. Icteritia.

Morbus regius triplex est: flauus, niger, & albus. sunt & alijs intermedij, qui si flaui speciem referunt: comprehenduntur sub flauo; si verò nigri, subnigro. Signa icteritiæ flauæ scribuntur in lib. 2. de morb. popul. sect. 1. Morbi regij ab hepate ad subalbidum colorem vergunt: & qui ex aqua intercutem, & ex pituita alba laborant. Et in lib. de Coac. præno. nu. 4. Morbum regium denotant frequentes ad egerendũ progressus paulatim fientes, pauca stercoracea, subuiscosa habentes, cum præcordij, & lateris dolore. Et n. 3. regium morbum incurrunt, quibus lumborum, & lateris dolor sine causa manifesta. Et in l. 3. de morb. nu. 12. hoc modo. morbus regius huiusmodi

di acutus est,& cito occidit,color totus mali corium valde refert, & cum virore pallidus est, quales sunt lacerti cum virore pallicantes. consimiles est ēt corpus,& in vrina subsidet velut eruum suluum, & febris, ac horror debilis habet. quandoque etiam vestimenta ferre non potest,sed mordetur, ac roditur. & mane cum cibum non accepit, viscera plerunque lancinantur. & cum quis ipsum excitat,aut alloquitur, non patitur. hic plerunque in quatuordecim diebus moritur. has si effugerit: sanus euadit. hæc eadem referuntur in libro de inter. affect. pag 89. numero 78. & addit. stercus excretum cum pallore albicat,& male olet. æstate maximè corripit,bile commota. consistit igitur bilis sub cute, & in capite. quare statim corpus in alium colorem mutat, & fit pallidum velut mali corium. & hæc est materia morbi regij. Huiusmodi quoque morbus corripit tempore hyemis, & ex ebrietate, & frigore. incipit autem primum rigor inuadere, postea etiam febris detinet. & humor, qui est in corpore, congelatur in cute. liuidum est corpus,& sub durum. venæ per corpus distentæ sunt pallidæ,maiores tamen,& crassiores sunt, quàm prius, & aliæ venæ subnigriores distentæ sunt.& si quis aliquam ipsarum secet; sanguis effluet pallidus, si pallidæ sunt venæ. si verò nigræ fuerint; niger sanguis effluet. & vestem interiorem corpori adiacentem, præ pruritu non sustinet. hic promptus est ad iter faciendum,& ambulàndum,sed præ debilitate crura labescunt, ac ipsum non sufferunt, & sitit vehementer. & hic morbus lethalis est. procedit autem ad amplius tempus, si non in primis diebus sanus fiat. si verò morbus prolongetur,& ad octauum, ac nonum diem duret: in morbum incidit, & morbus, & dolor magis premit, & exurgere non potest.& plerique in hoc tempore statim pereūt. hæc in eodem lib. num. 39. At num. 40. legitur alius morbus regius popularis,eo quòd omni tēpore corripit. fit aūt à repletione maxime,ac ebrietate:&,postquam riguerit; statim sanè corpus immutatur,& pallidum fit, & oculi pallidi valde sunt. & sub pilos,ac sub vngues morbus procedit.& rigor,ac febris debilis tenet,& debile est corpus,& in capite dolor adest. & pallidum,ac crassum mingit. hic morbus minus lethalis est prioribus; & curatus breui sanatur. hi quidem morbi proueniūt ab vna tantum causa:sed,quia varijs anni tēporibus contingunt,ob quæ eadē causa plures producit effectus; itaque ob symptomatū varietatē,atq; tēporum,plures esse videntur. Et nu. 41. eiusdem lib. scribuntur.

Signa morbi regij,qui fit à pituita. hyeme aūt maxime corripit; & color ipsius ægri est albus,& pectora ipsius pituita plena fiūt;& spuit saliuam: & cū excreat,singultus ipsi oboritur, & albū lotium,ac crassum mingit,& ī vrina subsidet,velut farina. hic morbus non est lethalis,& breui sanatur. Signa verò morbis regij nigri hęc leguntur in lib. 2. de mor. pag. 67. nu. 35. color fit niger circa faciem, & maxime circa partes, velut in umbra occultatas. & oculi cum viro re pallidi,itemque lingua inferne,& venę sub lingua crassæ ac nigræ;& est homo sine febre,ac mingit vrinā crassam,bilio sam. atque hęc de signis morbi regij species iudicantibus dicta sunt.

Nunc verò prognostica recensenda sunt,quorum quamquam plures iam explicauimus: tamen nequid desideretur,quæ opportuna nobis esse videntur adolemus. Scribitur in lib. de Coac. præ. num. 1. morbus regius in febre ante septimum diem accedens, malum: septimo verò ac nono, & vndecimo, ac decimo quarto, iudicatorius est, si non præcordia induret: sin minus,ambigua res est. Et numero secundo morbo regio corripi mente motos malum est. Et ex morbo regio fatuitas,mala. Et numero tertio,morbo regio affecti, non ita subtili sensu præditi, quibus singultus sunt,his alui erumpunt,fortassis autem & suppressio fit,hi viridante pallore inficiuntur. Et numero primo,è regio morbo abunde colorati moriuntur, aiba verò alui egestio in his præcedit. Et in libro de Victus ratione in morb. acut. nume. 54. regius morbus cum rigore ante septimum diem accedens in febre biliosa soluit febrem. verum sine rigore si accedat, extra temporis occasiones, perniciosus. At in libro de Iudic. nume. 9. regius morbus, & singultus si quinta die in febribus ardentibus accedant, lethale est. Et ibidem. nume. 3. regius morbus in febre ardente accedens, non solet amplius exudare. Et in lib. 6. aphor. 42. morbo regio laborantibus, hepar durum fieri, malum est. Curationes autem,quæ vtiles sint,describamus. Quò ad primum,qui à bile commota, & sub cute propulsa legitur in lib. 3. de morb. nume. 12. curatio ea est. oportet ipsum calida lauare, & aquam mulsam bibendam dare, ita vt de nucibus thasijs decorticatis,& absinthij coma,equis portionibus acceptis, & de anisō cribrato dimidia parte ammixta, obolos tres ieiunus ex illa bibat,& rursus dum cubitum it,hac aqua mulsam sumat. bibat etiam vinum vetus tenue, & sorbitionibus vtatur, nec à cibis abstineat. Et in lib. de loc. in homi. pag. 32. nume. 40. Iterum, siue regium morbum sic curare oportet. cum susceperis; nutrito, & balneis, & pinguefacientibus, potibusque ac cibis humectato per tres, aut quatuor dies. postquàm autem humectatum fuerit corpus; purgato, ac resiccato ipsum, pinguedinemque derepentè exhaurito, & vndiquaque, si possibile sit medicamentum adhibens, & humiditatem adducito. ad caput verò purgatorio debili vtitor, & vrinam cientia bibenda dato, eaque ante cibos hoc tempore, quo turbatam humiditatem purgaueris, in potu præbe; ne ab eo tempore corpus nutrietur. cum verò attenuatum fuerit: etiam balneie purgato, & contusa cucumeris syluestris radice, eaque in aquam iniecta,inde lauato. cæterum medicamenta ducentia ne propinato; ne corpus magis conturbes. vbi verò siccum fuerit id,quod conturbatum fuit, nutrito, nullo aluum subducente medicamento, neque vrinam ciente vtens, sed vino vinoso, & his, quæ rubicundiorem hominem faciunt. Si verò viridis,ac luteus fuit; rursus exhaurito, nequaquam verò siccato,vt ne is color stabilis reddatus. Et in lib. de affect. pag. 8. nume. 33. morbum autem regium sic curare oportet. extrinsecus quidem corpus molliendum est balneis calidis. aluus verò, & vesica humectanda, & vrinam cientia danda, quæ sunt præscripta. Si verò fortis fuerit; purgato capite, pharmacum quoddam potandam dato, quod bilem deorsum purgat. postea verò vrinam cientibus vtendum est. morbus autem fit, cum bilis commota sub cutem vertitur. quod si hęc nouerit vir idiota;non similiter in incu-

rabiles morbos inciderit: solent.n.morbi ex paruis occasionibus magni,ac diuturni fieri. & quicunque cibi, aut potus, aut sorbitiones congrue, ac consequenter se habent, & quæcunque pharmaca doloris gratia,ea omnia sine periculo semper exhibentur: si iuxta perscriptum exhibueris.quæcunque verò pharmaca purgant bilem, aut pituitam, in his pericula fiunt, & culpæ medentibus imputantur. quamaximè igitur ea vitare oportet. atque hi quidem sunt morbi,qui circa ventrem fiunt,exceptis pectore suppuratis,& tabidis,& mulieribus morbis:hi enim seorsim describentur. Aliam curationem lege in l.de inter.affec.nu.38.atque aliam nu.39 atque aliam.num. 40.in his enim optima reperies.cæterùm qui fit à pituita sic curari oportet.huic cum sic habuerit;cnidiũ granum bibendum dato. & post purgationem succi ptisanæ quatuor heminas melle affuso exsorbendas dato.superiorem verò ventrem vomitu inducto, velut in prioribus purgato: sic enim facillime pituitam à pulmonem, & arterijs abduxeris. sed & gargarismum ipsi frequenter seiparato. hic aliquando etiam febrit debili febre.& horror tenuis succedit. de cætero verò ijsdem,quibus priores curato, & pharmacis, & fomentis,& balneis,& edulijs,& potibus,& sorbitionibus:sic.n.maxime sanum facies. Et in lib.1.de morb.pop.consti.3. Quibusdam sexta die morbo regio in Thaso laborantibus purgatio per vesicam,aut aluus exturbata profuit, aut larga sanguinis eruptio è naribus. Et in lib.7.de mor.popu.pag.150.num.35. regio morbo correpto prodest laborare, sudare, panem edere, bibere non multum, lauare caput calida multa sed potius tepida; vinum album, somno non multo vti.

Morbi regij nigri curationem hanc habes in li.2. de morb.nu.35.primum venas sub lingua secato,deinde calida multa loto, asphodeli radices bibendas ieiuno dato,ita vt æquales quinque radices depurgatas in vino coquas,& apij foliorum quantum manus plena capit, addas: affundito autem vini dulcis tres heminas dimidiatæ Aegeninses, vt à coctura semihemina supersit hoc permixtum bibendum dato. postquàm autem minxerit; cibis aluum subeuntibus vtatur, & à cibo cicer album edat. & vinum album multum,aquosum bibat: & apium,ac porrum in cibis edat.faciat autem hæc per dies septem. & si quidẽ in his color probe depurgatus esse tibi visus fuerit; bene est:sin minus;etiam alios tres hæc faciat.postea interposita vna,atque altera die, medicamentum ad nares apponito. Deinde pharmacum deorsum purgans bibendum dato,à quo bilis purgatur. & si splenius fuerit; asininum lac,vt serum postea exhibeto. hæc faciens,sanum efficies. Deinde subdit,ac loquitur de morbo quodam regio a bile effecto. & inquit. febris corripit debilis,& grauitas caput tenet,& quibusdam sanè febres cessauit,ipse verò fit cum virore pallidus,& maximè oculi, & debilis est, & corporis impotentia adest,& vrinam crassam cum virore pallidam emittit.hunc calida lauato, & vrinam cientia bibenda dato. postquam autem purior esse tibi visus fuerit,& color melior apparuerit; medicamentum ad nares appone,& postea deorsum purgans bibendũ præbe.cibis autem vtatur quam molliſſimis: vinum bibat album,dulce,aquosum. hæc faciens sanus euadet.Historiã porrò recitat Hip.in l.3.de mor.po.sec. 1.Aegro.2. qui sexta die morbo regio correptus est. Et in l.4.n.2.Morbo regio corripiebãtur abundè colorati,& partim horridi,partim nõ.Et n.14.eiusdem li. Lechus puerperæ arquato morbo infestantes, ad quem septimo die ingressus sum. octaua moriebatur neque mingens,neque agerens. Et in l.6.sect.2. Mulier,morbo regio superueniente,permansit ipsi.

De Renibus,ac eorum morbis.

Renes consimiles colore hepati.s.maiorũ speciem præ se ferũt.ab his canales obliqui, ac fermè triangulares in summũ vesicæ apicẽ tẽdũt. hæc renũ positio describitur in l.de Corp.rese.pag.25.nu.2.at vero ex quibus cõstent, hoc quidem pacto declaratur in l.de Carni.pag.19.n.10.renes.s.producti sunt. parũ glutinosi,parũ calidi, multũ frigidi concluſum fuit,& ab hoc congelatũ est, & duriſſimũ visus euasit,& minime.rubrũ quia non multũ calidi simul cõstitit. Et in l.de osſ.nat.pag.27.n.6 ex ipsis renibus venæ ab vtraque meatus vrinæ parte in pudendũ tendũt. potus p fauces,ac gulã ab his in summã vesicã.Et n.8.ipsæ venæ in vtranq; partẽ bifariã maxime finduntur, partim ab vna vtriusq; renis parte, partim ab altera: & perforatæ sunt in renes.habent aũt cordis formã ipsi renes: nã ẽt ipsi vẽtriculos habent. at verò ren cauã sui partẽ ad venas magnas habens situs est.vnde enascũtur ex ipso venæ in vesicã, qua parte potus trahit per venas in renes,& per ipsa intestina, per quæ procedit. deinde verò velut per qualum,per renes aquæ percolatur: spongiforme.n.est ipsorũ corpus ad vesicã,& hic percolatur, ac secernitur à sanguine vrina; qua propter ẽt rubra existit.neque.n.in renes aliæ p̃cedunt venæ, quàm quæ dictæ sunt, neque est alius locus,vbi potus colliquescat,quantum ego noui.

Renum porrò affectiones plures sunt,sed quatuor tantũ recitat Hip. quas vt cognoscas, id sit tibi indiciũ,quod scriptum est in l.de Coa.præ.nu.3. his verbis.renũ morbus fortasse cõtinget,quibus sanis circa lumbos frigiditas, & grauitas ex leui causa, & aluus suppressa, superno ventriculo probe officium suum præstante. Et in lib.3.aph.34.quibus in vrinis bullæ subsistunt,morbũ renalẽ,& longũ significant. Et n. 35.quibus insidens pingue,ac simul totum, his renũ vitium acutum significatur. Et aph.36.quibus autẽ morbo renali siue nephritide laborantibus,prædicta accidũt signa, doloresque circa spinæ musculos fiũt: si quidẽ circa loca exteriora fiant, abscessus quoque exterius futuros expecta; si verò dolores magis circa loca interiora fiãt; ẽt abscessus expecta futuros interius.Gal.aũt in cõm.inquit.id euenire,cũ quis longo tẽpore morbo renali laborarit:nã in vtris musculorũ se firmauerit dolor: illhic abscessum futurũ expecta. Quibus verò difficillime rerũ affectiones sanentur, declarat Hip.in lib.6.aph.6.& inquit renũ,& vesicæ vitia in leuioribus difficulter sanantur. Et in lib 6.de morb.pop.sect.7 renum affectiones non vidi sanatas suprà quinquagesimum annum.

Nũc ad morbos renales declarãdos, curãdosq; veniamus.horũ primus sunt renum calculi. signa verò hæc scribũtur in l.de inter.affec.pag.86.n.15.atq; ea sunt dolor acutus incidit in senẽ, & in lumbos, & in teste,& secundũ renẽ sitũ.& frequẽter mingit.& adstringit paulatim, ac supprimitur vrina, & cum vrinæ procedit arena.&, vbi per vrinæ meatum exit arena; dolorem fortem in meatu exhibet. cum autem

ipsam

ipsam per vrinam eiecerint, dolor remittit. postea verò rursus in hisdem doloribus iacet. cum aût mingit: etiã colem præ dolore fricat. Et in l. de Coa. præ. nu. 4. renum dolor repentinus cum vrinæ suppressio ne, calculorum, aut vrinarum crassarum mictionem significat.

Causam verò calculi exponit Hip. in eodem lib. de inter. affe. nu. 15. & inquit. hic morbus fit à pituita; cum ren susceptam in se ipsum pituitam non rursus dimiserit: sed in ipso in totum concaluerit, & fiût ex ea tenues lapilli, velut arena.

Deinde curationẽ prosequitur hanc. huic, cum sic habuerit, cum scammoniæ succo, aut ipsa radice, fomento prius adhibito, totum corpus purgato. postera verò die duobus congijs succi ciceris albi subpurgato, quem salem iniecto bibendum dabis. post hæc potibus, & cibis, & balneis curato: & eadem, quæ in vrinæ stillicidio exhibentur pharmaca dato. cum aût dolor presserit: multa calida lauato, & tepefactoria, qua parte maxime dolet, adhibeto. cũ autẽ intumuerit, & eleuatus fuerit: sub id tempus iuxta renem secato, & extracto pure arenam per vrinam cientia sanato; si. n. sectus fuerit, fugæ spes est: sin minus: morbus homini commoritur. in l. autem 6. de mor. po. sect. 1. in renem dolor grauis. cum implentur cibo, vomunt pituitam: cum verò redundarint dolores: æruginosę: & melius quidẽ habẽt. soluitur aût, cũ cibi euacuati fuerint, arenulæque fluuæ subsident, & cruentũ mingunt, torpor femoris è directo: quiescere nõ conducit, sed exercitia, non impleri, iuuenes veratro purgare, poplitẽ secare, vrinã cientibus purgare, attenuare, & mollire. Et in l. 7. nu. 33. ad renum affectionem infusum per clysterem ex cocumere syluestri.

Secundus renum morbus est sanguinis mictio à renibus profecti. notas verò scribit Hipp. in eodẽ lib. de inter. affec. num. 16. & inquit. dolores fortiter premunt, velut in priore. fit aût morbus à labore, cũ ruptæ fuerint venulæ ad renẽ tendentes, & postea ren sanguine repletus fuerit. hæc vbi patitur: cum vrina sanguinem mingit in principio morbi, deinde progressu temporis pus. vnde in l. 4. apho. 78. quicunque sponte sanguinem mingunt, his à renibus venula rupta significatur. Et in l. 5 aph. 58. Renibus purulentis vrinæ aduenit stillicidium. Et in l. 4 aphor. 75. si sanguinẽ, aut pus mingat, aut renũ, aut vesicæ exulcerationem significat. deinde subdit Hip. prognosticum, & curationẽ in eodẽ nu. 16. & ait. hic si quietẽ corpore habuerit; celerrime sanus erit: si. n. quid laborarit: dolores multò magis obtinebunt. cum itaque suppuratus fuerit ren; circa spinam intumescit. hũc vbi sic habuerit circa tumentum partem secato, profunda maximè sectione iuxta rationem, & si quidem successerit sectio; euestigio sanum facies: si verò aberraueris; periculum est ne vlcus linamentis curandum fiat. si autem concreuerit vlcus: venter intrinsecus à rene suppuratur: & si quidem pus intus rumpatur, & ad intestinum rectum procedat, fugæ spes est, si verò contigerit alterum renem, periculũ est ne pereat. curetur aût pharmacis, & ijsdem omnibus, quibus & prior, & diætam eandem habeat. hic morbus grauis est, & multi ex ipso ad tabem renalem deuenerunt. in l. autem 7. de mor. pop. num. 55. Vomitus in Abderis erat quidem nephritico. mingebat autem sanguinem paulatim plerunque difficulter. vexabat etiam aluus dysenterica. huic mane quidem dabatur lac caprinum, & aquæ quinta pars ita, vt ex ambobus compositum totum essent heminæ tres. ad vesperam autẽ panis valde assatus, obsonia, beta, aut cucumis, vinum nigrum tenue. dabatur etiam cucumis pepo. hac verò victus ratione cum vteretur; & aluus substitit, & vrinæ puræ. prodibant. bibit autem lac, donec vrinæ restitutæ sunt.

Tertius renum morbus tales habet causas, notas, & curationem, quemadmodum proditum est in citato lib. de inter. affect. nume. 17. vrina prodit velut à carnibus bubulis assatus succus. fit autem morbus ab atra bile: cum bilis in venas confluxerit, quæ ad renem tendunt: & cum constiterit; exulcerat venulas, & renem. ab vlceratione igitur tale quiddam cum vrina procedit. dolores autem hærent in lumbis, & in vesica, & inter annum, ac pudendum, & in ipso rene ad modicum tempus. deinde remittit dolor, & rursus acutus breui corripit: & in tenuem vẽtris partem aliquando dolor incidit. fortasse autem ad hunc morbum refertur aph. qui legitur in lib. 4. aph. 76. & is est. quibus in vrina crassa existente, carunculæ paruæ aut veluti capilli vnà exeunt; his à renibus excernuntur. curationem verò hoc modo tractat Hipp. in eodem lib. de inter. affect. nu. 17. huic cum sic habuerit; ventrem subpurgato epithymo, aut scammoniæ radice. bibenda verò eadem dato, quæ & ex vrinæ stillicidio laboranti. & cum dolor habuerit; multa calida lauato: & tepefactoria ad dolentem maxime locum adhibeto. & sorbitione vtatur farina cocta, melle affuso: & reliquo victu vtatur quàm maximè per aluum secedente. & vinum bibat album Mend. eum mellei coloris, aut aliud album iucundissimum probe temperatum. hic morbus non valde deficit. & pro temporis opportunitate serum, & lac bibat: serum quidem ad purgationem: lactis autem potum faciat in tempore per quinque, & quadraginta dies. hæc si ita feceris; morbum in melius dispones.

Quartus quoque morbus describitur ab Hipp. in eodem lib. nu. 18. & ait. morbus hic fit à bile, & pituita. maximè tempore æstatis. fit etiam à Venere morbus. æger hæc patitur. dolores premunt ipsum in lateri mollitudinem, & in lumbos, & in lumborũ musculos: & patitur qualia solet mulier ex partu laborãs, & tamẽ sustinet in sanã partẽ decũbere. sed valde dolet: & ex lateris mollitudine quædã pẽdere videntur, velut abrupta. si verò pronus decumbat, non dolet. pedes, & tibiæ ipsius semper frigent. vrina verò vix prodit præ pituitositate, & crassitudine sua. & si fineris ipsam ad modicum tempus depositam, donec desederit; videbis subsidentiã crassam, velut farinã: & si quidẽ bilis præualuerit: subfuluam ipsam videbis. si verò a pituita fuerit morbus, alba & crassa erit; & primum quidem in annum, aut paulo amplius, aut breuius tempus, æger talia patiens perseuerat. si verò prolongetur morbus: & magis dolet, & suppuratur, & cum suppuratus factus intumuerit, quæ maxime parte intumuerit, in renem secato, & pus emittito. & si quidem successerit sectio, statim sanũ facies. hunc cum sic habuerit, ijsdem omnibus curato, quibus ẽt priores, & à principio morbi oportet, & purgare, & ante subpurgationem fomentum adhibere, & balneis frequenter lauare, vngitur item, & magis calefiat, neque frigeat: & à sole abstineat,

neat,& neque Venere vtatur. hæc si fecerit,& nõ celerrime sanus euaserit; nihil noui est: morbus. n. est grauissimus. si verò citra pharmaca curari velit: crassum ex diæta facere oportet, siue ex hoc morbo ægrotet, siue ex aliquo de prioribus, diuisis cibis, quos edere solet, in decẽ portiones, ita vt vna parte detracta, reliquas comedat. obsonium autẽ habeat, carnem suis tritã: & ea die decem stadia deambulet. postera verò die, & tertia vsque ad decẽ dies, portionem minus edat, & deambulet decẽ stadia, aut plura singulis diebus addens. cũ aũt ad vltimam cibi portionem deuenerit, etiam ad centũ stadia iter faciat: & edat, quidem vnam tantum portionem, & ea die centum stadia deambulet; post cœnam autẽ viginti, mane verò quadraginta. vinũ autẽ bibat Mendæum albũ, austerũ, atque hæc per tres menses faciat. postea reliquo tempore deambulationes imminuat, & cibos plures comedat, eodẽ modo additione facta velut detrahebat. deambulationem verò detrahat vsque ad decimum diem: & postea quammaxime quietem habeat: & cibis puris alatur, & obsonia quampinguissima habeat: & dulcia omnia ipsi commoda sunt. ab oleribus autẽ. & acidis omnibus abstineat, itẽque ab acribus, & quæ flatum faciũt. multa etiam calida lauet, & ne frigeat. hæc, si fecerit; celerrime sanus erit.

A renum morbo corripit morbus magnus venarũ cauarum, quæ à capite iuxta iugulum per spinam tẽdunt ad malleolum pedis externum, & ad intermedium magni digiti locum. verum hunc lege, vbi de Venis agitur cauis.

De Repletione.

Si humor alius copiosus alium è corpore nõ egressum comperiat, ac superet: homo repletus fit, vt legitur in l. 4. de mor. nu. 19. deinde signũ huiusce repletionis dat, & inquit. Et, siquidẽ à multis humoribus valde superetur; febris ex hoc oboritur, si verò à paucis, parũ superatur. sed & corpus hoc modo sufferre, ac reualescere potest; humiditate. n. vberiore in ipso existente, calorem exoluit: calescit. n. corpus à febre. Et, siquidẽ modicũ fuerit id, quod affligit; tertia die eodẽ modo dimittit, per duas aũt cõtinuè tenet; si verò copiosius quinta die; per quatuor verò tenet pro ratione. Sed in l. 3. de diæ. nu. 9. varios repletos hoĩes varia signa comitari declaratur hoc modo. sunt homines, qui, vbi labores superantur à cibis; talia patiũtur. Incipiente repletione, somni longi, & dulces ipsis contingunt, & interdiu etiam dormiunt. omnus autem contingit carni, & sanguis funditur, & spiritus diffusus tranquillus est. Cum verò non suscipiat amplius corpus repletionem. secretiorem iam remittit intro, præ circuitus violentia: quę sanè secretio contraria alimento à cibis, animam perturbat. quo tempore non amplius iucundi fiunt somni; sed necesse est hominem perturbari, & videtur sibi pugnam committere: qualiacunque enim patitur corpus, talia videt anima, visu iam cõclusо: cum igitur ad hoc peruenerit homo; prope est, vt ægrotet. idcirco curandus est, & quonam modo ibi lege. Alij porrò homines ab alijs repletionis notis detinentur; nam, vt nu. 8. eiusdem lib. notatum est, nares ipsis citra causa apertam à cœna implentur, & repletæ esse videntur: emungunt autem nihil. vbi autem deambulare mane incipiunt, ac exerceri; tunc emungunt, ac spuunt: & progressu temporis etiam palpebras graues habent, & pruritus frontem occupat; & à cibis abstinent, & bibere minus possunt, & color fit de color, & aut distillationes mouentur, aut febres horridæ iuxta quodcunque tempus repletio fuerit mota. quidquid autem eo tempore fecerit, in id ipsum culpam, ac causam reijcit; cum id ipsum causa non sit: huic enim cibi superant labores, & repletio paulatim collecta in morbũ ipsum adduxit, sed non hue vsque differre oportet, verum vbi prima signa cognouerit, scire quòd cibi labores superant, & paulatim collecta repletio existit. mucus enim & saliua, repletionis indices sunt, ac signa; & quiescente quidem corpore, meatus spiritus obturant, multa repletione existente: vbi verò calefactum est præ labore: attenuata excernuntur, curatio sit exercitium consuetum, calidæ lotio, vomitus, deambulationes, & alia, quæ ibi lege. sunt præterea alij homines, quos alia repletionis signa insequuntur; etenim, vt scriptũ est nu. 10. eiusdem lib. dolet corpus aliquibus totum, aliquibus pars quædam, quæcunque tandem. dolor autem est, velut lassitudo, & delassati esse sibi videntur, segnitieque, ac repletione tenentur donec ad febrem perueniant. & adhuc nondum hoc cognoscunt; sed balneis, ac cibis vtentes ad pulmonis inflammationem morbum deducunt, & ad extremum periculum deueniunt. verum antequam ad morbos perueniant, curationes sint mollia fomenta, aut multæ calidę lotio, vomitus, deambulationes, attenuatio, & alia, quæ ibi lege. sunt quoque alij homines, qui talia à repletione perpetiuntur. caput ipsis dolet, ac grauatur, & palpebræ ipsis à cœna concidunt, & in somnis turbantur, & calor inesse videtur, & aluus aliquando sistitur. & talis vbi Venere vtitur; leuior statim esse sibi videtur. postea verò magis grauatur. his caput repletionem reuellens, & aluum sistit, & ipsum grauatur. periculum autem subest, vt quò erũpat ipsa repletio; id ipsum corrumpat. Curatio sit veratrum, cibi leues, ac molles, cursus tardi, ac matutini, deambulationes multæ, luctatio, balneum, vnctio, &c. hæc nu. 11. At verò nu. 12. fiunt etiam talia à repletione. quibusdam venter concoquit cibum, & carnes non suscipiunt. alimentum autem intus manens flatũ inducit. vbi verò prãsi fuerint; sedatur: nã à fortiore id quod leuius est, expellitur, & videtur sibi liberati esse. verũ malum multũ maius postridie accidit. tandẽ calefit, & perturbatur corpus, & profluuiũ vẽtris fit: sic. n. nominatur, quãdiu ipsum solũ alimẽtũ putrefactũ secedit. vbi verò corpore calefacto purgatio acris fiat; tũc & intestinũ raditur, ac exulceratur, & sanguinolenta egeruntur. Curatio aũt si prandium detrahere, & cœnæ tertiam partem: cursibus aũt pluribus, & luctis, ac deambulationibus vti, tum ab exercitijs, tum mane. Et num. 13. fit etiam talis repletio. postridie cibum eructant crudum citra ructum acidum. aluus autem egerit pauciora quidem, quàm pro ratione ciborum: attamen multum. dolor verò nullus intus est. his ventriculus est frigidus: qui calescat tum victu, tum laboribus: sed quibus ibi lege. Et nu. 14. alij talia patiuntur. faciem decolorem habent, & paulo post cibum eructant acida, & acor in nares proserpit. his corpora pura non sunt. & plus est, quod de carne colliquatur præ labore, quàm quod depurgatur præ circuitu. curationem verò ibi lege. Et num. 15. sunt quidam, quibus postridie ructus acidi

fiunt.

fiunt. his in nocte secretio præ repletione fit. in li. autem de loc. in homi. nu. 57. hæc leguntur. ex his quæcunque repletionem faciunt, maxime pituitosa sunt. quæ verò plurima assumpta repletionem non faciũt, aluum subducunt. Et in lib. de Vict. ratio. in morb. acu. nu. 8. sitim panis calidus ingestus inducit, & repentinam repletionem ob siccandi vim, & quòd tardè tranſit. Notas igitur recitatas nobis argumento sunt repletiones omnes malas esse, verum vt scriptũ est in lib. 4 de mor. nu. 17. minus graues existunt quæ hyeme, quàm quæ æstate fiunt: attamen repletiones ad extremum progressę difficiles sunt. etenim inquit Hip. in l. 6. aph. 39. conuulsio fit vel ex repletione, vel inanitione: sic verò & singultus. Et in lib. 2. aph. 51. plurimum, atque repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel perfrigerare, vel alio quouis modo corpus mouere periculosum: quoniam omne nimis naturæ inimicum. verum repleri potu facilius est, ac celerius, quàm cibis.

Causas porrò repletiones efficientes sparsim descripsimus antea. sed in l. 1. de mor. n. 2. cerebri repletionẽ dolorosam faciũt vitiosi humores minime puri. Et in l. 4. nu. 16. retentio cibi. Et nu. 22. humor siue corruptus, siue non. Et num. 23. cibi plures quàm opportunum est intus manentes. Et in l. de diæ. num. 2. cibus, & potus.

Corpus autem est id, quod repletur, aut partes ipsius, veluti pulmo, vt legitur in lib. 3. de morb. nu. 56. aut cerebrum. vt in l. 3. nu. 2. aut venæ, aut in li. 4. nu. 16. aut caput vt in l. 2. de mor. nu. 12.

Curationem verò repletionis vniuersalem dicit Hip. in l. 2. aph. 22. & inquit. quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio hæc eadem leguntur in l. de Flati. pag. 39. nume. 2. Et in lib. de Artic. nume. 51.

Repositio.

Repositionum omnium optima quæ fit, legitur in l. de Arti. nu. 4. Et repositio per vectes cõmodissima. nu. 85. Et repositionis alius modus nu. 90. Et repositionis articulorum; digiti manus ibidem. nu. 90.

Resolutio, siue paralysis.

Scribit Hip. in l. 1. de morb. pou. sect. 3. Aegro. 13. statim lingua voce destituta est, dextra manus resoluta est cum conuulsione, velut attonitis solet. Et in l. 4. pag. 139. num. 27. Ex tussientibus, qui manibus laborabant, velut seruus ille, qui sarmenta obtorquebat, & Amyntæ filius, ambo sola dextra resoluti cessauerunt; quandoquidem perpessi sunt hoc tussientes. Qui verò aut equitarunt, aut iter fecerunt, in lumbis, ac femoribus resoluti sunt. Et in l. 6. sect. 7. pag. 145. ex frequenti australium, & aquilonarium, ac niuosorum transmutatione qui manibus laborarũt, manibus tantum syderati ac resoluti sunt. Qui verò equitauerunt, aut amplius iter fecerunt, aut alios labores omnibus perfecerunt; his ad lumbos, aut crura impotentiæ resolutoriæ obortæ sunt: & ad femora, ac tibias lassitudo, & dolor. & in lib. de fract. pag. 188. nu. 11. In vnaquaque resolutione multa calida aqua vti oportet.

De Reuulsione.

Reuulsio est per contraria loca humoris aliquam corporis partem infestantis retractio. & hæc non est euacuatio, sed euacuationis modus: etenim euacuãdi modus est triplex: vnus è directo, veluti si in quouis alui profluuio, per sedem humorem profluuij efficientẽ purgemus: secundus, si per contraria loca, vt puta si per vomitum morbum curemus. tertius est medius inter hos, quemadmodum si vrinã ciẽtia adhibeamus. primæ purgationis modus est per similia, siue eadẽ loca: secũdus per cõtraria, tertius p̃ dissimilia. primus aũt modus actio p̃ similia: sec̃us reuulsio, siue auersio: tertius deriuatio. & siqui alij sunt modi; ad hos tres reducuntur, ac non ad minus. de primo quidem modo agitur in lib. de lo. in ho. pag. 33. num. 51. hoc modo. siquis homini vomenti aquam multã bibendam dare velit; eluentur ea, propter quæ vomit vnà cum vomitu. & sic quidem vomitus per vomitum sedatur. rursus autem, propterea quòd sedatur, quia inferne procedere sibi fecit; ex illo, id, quod intus est, vomitum facit. & ambobus contrarijs modis homo sanus fit. Verum, cum in corpore tria reperiantur loca contraria: supernus enim locus est inferno contrarius: dexter sinistro, & anterior posteriori; omnes idcirco tres sunt reuulsionis species: vna secundũ longitudinem, alia secundũ latitudinem, & tertia secundum profunditatem. &, quemadmodum vnaquaque harum magnitudinem duo habet extrema, sic in vnaquaque duæ fiunt reuulsiones: altera, quæ est à partibus supernis ad infernas: altera, quæ ab infernis ad supernas. sic de alijs est dicendum. At verò quando reuulsio facienda sit, & quo modo, explanat Hip. in lib. 6. de morb. pop. sect. 2. his verbis. Deriuare, cedentem reuellere statim, reluctantem dimittere: alium humorem, non eum, qui se profert, ducere: prodeuntem exprimere, agere simile, vt dolor dolorem sedat. dissimilia, si sursum repant, deorsum detracta soluere, & contraria ipsa, vt capitis purgatio, venæ sectio, vbi non sponte detrahitur. Gal. autem in com. hæc explicans ait. Deriuationem Hip. appellare consueuit, quando humor, quem euacuari expediat, non per commodam ferri regionem cęperit: non tamen ab ea procul admodum, neque in aduersissimum locum fertur: quemadmodum si in vesicæ, vel renum affectibus per loeum ille vacuari incipiat: tunc enim præstat, vt inde per aluũ deriuetur. Humores verò, qui perperã in aliquod membrũ procumbunt, reuellimus, sed nõ perseuerandũ est: verũ tẽpus aliquod est intermittendũ ab huiusmodi reuellentibus: vt interim humorem, qui iam laboranti particulę insederit, excerni permittamus: is enim si in mẽbro perstiterit; illud offendet multitudine distendens, & sua qualitate molestiam afferens. quòd, si humores in particulam iam delatos extrudi siueris; illam à dolore vendicabis, & facilius reuulsorijs medicamentis aliquid promouebis: cũ non amplius affecta pars dolore in se ipsam humores secundũ id momentum, quod inter initia acceperant, concitet. At, si noxius excernatur humor moderatè; permittẽdus est. si verò nõ moderatè; interdũ copiã eius reprimat medicus, interdum parcam euacuationẽ incitet. quod ipse insinuat, dum ait. Prodeuntẽ exprimere. s. ex vasis euacuare. Agere verò, immutare, aut miscere significat: nã Agere simile est humori, qui probe vacuatur similẽ commiscere. vel dicimus. Humores membris penitus dissimiles si sursum tollantur; deorsum soluere: si verò deorsum ferantur; sursum reuellere oportet: vt intelligamus dissimiles eos humores, qui natura sunt ab eo loco alieni. In lib. autem de humo-

nu.3.dicit Hip. Declinatio,deriuatio in caput, in latera, qua maximè vergit. aut reuulsio in supernis deorsum:in infernis,sursum.aut exsiccare,aut aliquibus inferna, aut aliquibus superna. aut eluitur aut quibusdam mitigabitur. Et Gal. hæc in com.sic explicat.Cum euacuare,aut purgare semper non possimus, sitque infixum quid in particula, quod eam vexat;damus operam,id vt declinemus;vt neq; particulæ molestiam afferat, neque & in loco putrescat. deinde subdit.Deriuatio est eiusdem generis cũ euacuatione,quæ fit per eam partem,quæ fluxionem excipit.vsum autem reuulsionis prohibemus; ne vehementissimi humorum effluxus confertim in partem decumbant.hæc quidẽ sunt ab Hip.reperta communia. cuiuscunque immodicæ euacuationis remedia.fit autẽ deriuatio ad vicina loca,reuulsio ad contraria. vnde,si in superioribus vlcus sit; per inferna purgamus:si in inferioribus;superiorem ventrem euacuamus. si fluxio ipsa cessarit, & in membro fixa sit; deriuare fuerit melius.At reuulsio fiat:è directo:euidentem enim vtilitatem ostendit, veluti, si in liene turgente sanguis è sinistra nare profluat; mire iuuat: si è dextra;lædit,ac vires dissoluit. Præterea,si morbus sit diuturnus,vel corpus sit vacuum;ab ipso membro affecto euacuatio est facienda: cum non amplius confluere humores videantur. Et in l.6.sect.2.citata hæc addit Hip. Reuellere, si quo non oportet ferantur:si verò,quò oportet,his opus est aperire,vt quæque propensa sunt.Gal.verò sic exponit,quòd ducenda sunt,quò vergunt per oportunas regiones: auertenda verò,ac reuellenda, quæ non probe vergunt. atque hic sciendum est, quod, sicut partes supernæ sunt infernis nobiliores,profunde non profundis,& extrinsecis,anteriores posterioribus; sic reuulsiones, quæ ab infernis locis ad superna, ac principalia : ex extrinsecis ad interna, ex posterioribus ad anteriora periculosiores sunt,ac maxime si ad membrum nobile reuellatur.

De Rigore.

Rigor in morbis fit quidem & ab externis,ventis, aqua,serenitate,sub dio degentibus,& alijs huiusmodi.fit autem & ab ingestis cibis, ac potibus. maxime verò,& vehementior fit,cum bilis,& pituita sanguini fuerint permixta, aut altera ex his, aut vtraque: magis tamen,si pituita sola permixta fuerit:est enim pituita frigidissima ex natura:calidissimus autem sanguis. frigidior est etiam aliquanto bilis sanguine. cum igitur hi humores ambo, aut alter solum permixti fuerint ad sanguinem; ipsum congelant, non tamen omnino: neque enim viuere potest homo, si sanguis densior,& frigidior se ipso multis modis fieret.frigescente.igitur sanguine,necesse est & reliquũ totum corpus perfrigerari: & vbi huiusmodi quid factum fuerit,rigor appellatur.& si quidem vehemens fiat rigor,vehementior est etiam tremor: nam dum contrahuntur venæ; sanguine coacto,& congelato, corpus contrahunt,& tremere faciunt.si verò minus aliquanto sanguinis coactio fiat; hoc rigor appellatur horror autem dicitur debilissimus rigor.quòd autem post rigorem necessario corripiat febris,aut maior,aut minor,sic habet.cum sanguis percaluerit,& vim depulerit, ac rursus ad suam naturam redierit; concalescit simul, & pituita, & bilis sanguini permixta: & sanguis ipso se ipso multipliciter calidior euadit. his igitur percalefactis,necesse est febrem succedere post rigorem præ sanguinis caliditate. hæc Hippoc.in lib.1.de morb.pag.63.num.22.verum nu. 23.addit. bile & pituita commota, ac humectata à potionibus,continget,vt rigor inuadat ebrium. & cum latus natura carne nudum sit præ omnibus corporis partibus, & non sit quicquam in ipso quod renitatur præter ventriculi cauitatem: maximè rigorẽ percipit, & cum riguerit, ac perfrigeratum fuerit, tum caro quæ est in latere,tum venæ contrahuntur, ac conuelluntur. at verò in l.4.num.26.clarum est q̃ circa neruos, ac præsertim circa ossa aquosus humor existit: circa osseas enim corporis partes homo maxime riget, & capilli erecti stant, contorta cuticula, ac sicciore euadente,quàm priori tempore: nimirum aquoso humore isthic deficiente, & circa ossa obuoluto. & propterea legitur in l.5.aphor.69.rigores incipiunt mulieribus,quidem ex lumbis magis,& per dorsum ad caput: sed & viris parte corporis posteriore magis quam anteriore,veluti fęmorum, cubiti: sed & cutis rara. indicio autem est pilus. vbi Galen. in comm. ait. rigores omnes incipiunt cum sensibili frigore. paratiores autem & ad suscipiendam, & ad sentiendam frigiditatem sunt dorsi partes: hæ enim frigidiores sunt natura,quàm anteriores.recurrit autem hinc rigor incipiens ad principium neruorum, quod est caput, celerrima facta per spinalem medullam compassione: quoniam & ipsa frigida est, sicut & cerebrum, & propter substantiæ mollitiem facile alterationem suscipit.quare non absque ratione hinc rigores incipiunt,& hi citius fiunt mulieribus: quoniam fœmina est natura frigidior,& imbecillior. verum in l.6.de morb.popu.sec.5.legitur. rigor à superiori ventre,ignis verò magis ab inferiori.& ibi Gal. hæc sic explicat. ex partibus ventris superior rigorẽ magis: inferior verò febrem facit, aut sentit,aut inchoat:quod & verisimilius est:cum enim frigidus aliquis, aut mordax humor in võtre ex corruptis cibis, vel praua qualitate, vel cum fluxu ex corpore congestus fuerit;inde initium rigor sumit.ac tandem legitur in l.5.aph.20. frigidum rigores febriles inducit. & hæc de causis rigoris.

Signa verò talia leguntur. in lib. de Coac. præno. nu.3.rigorem significant vrinæ tenues cum aliquantula nubecula in medio consistente. & nu.4.rigorem indicat vrina sputo similes subsidentias, aut limosas habens.& in lib.6.de morb.popu.sec.1.ante rigorem vrinarum suppressiones, si ex bonis fuerint, & aluus egerat,& somni adsint:fortassis autem & febris modus:fortassis etiam quę ex lassitudinibus.& in 1.prædic.num.20.quibus ex rigore febres cum lassitudine his menses muliebres decurrunt.at collum in his doloroſum, sanguinis eruptionis è naribus signum est. & in l.de Coa.præ.nu.3.rigent vnà cum sanguinis effusione,quibus aluus supprimitur.

Signa verò prognostica hęc sunt.Rigor in his infestus est,quæ ex partu, ac fœtus corruptione multa repente concitata supprimuntur. tũ aliàs si præcordiũ doleant.& hęc in l.de Coa.prę.n.3. At n.1.rigor continenter vexans corpore iam debili existente, lethalis est. & num.3. rigor vnà cum iudicatione aliquatenus horrendus est.& num.1.rigor cum distentione neruorum in posteriora occidit. Et nume.2. rigor in oculorum distortione; febriculoso, lassato, pernicioſus

nicioſus: & ſoporoſi, malum. Et n.3. rigorem habere ante partum, & partus circa dolorem malum. Et nu. 4. rigorem citra iudicationem, & fortaſſis in tertianam, aut quartanam tranſitionem ſignificat, ſubſidē tiam habens vrina turbata deſinens. Et nu.3. quibus ex rigore febris laſſatoria menſes decurrunt: collum in his doloroſum ſanguinis eruptionem inducit. Et nu.1. ex rigore cum capitis dolore exolutiones pernicioſæ. Et n.1. rigores continui in acutis mali ſunt. Et ibidem. rigores ſoporoſi aliquatenus pernicioſi, & flammeus in facie color, cum ſudore, in his malignus eſt. in his frigiditas poſteriorum partium, conuulſionem accerſit. Et, rigores ex dorſo moleſtiores ſunt. Et, qui ex rigoribus paruis ſudoribus perfrigerantur malum. Et n.2 eiuſdem lib. inſuper rigentibus vocis interceptiones lethales ſunt. Et num.1. qui ex rigore perfrigerantur, caput, ac collum dolentes, voce deſtituti ſuper exudantes poſtquam ſe recollegerint, moriuntur. Et, ignorantia cum rigore malum. Et, qui frequenter exudant, ac inſuper rigent pernicioſum hoc eſt. & in fine ſuppurationem habere compe riuntur, ventreſque perturbatos. Et, qui decima ſeptima die rigorem habuit, & quarta, ac vigeſima inſuper riguerit, malignum hoc eſt. Et, rigores multi torpidi maligni ſunt. Et, quibus ſexta die rigores fiunt, hi ægrè iudicantur. Et, affectiones inſuper rigentes, & quæ ad noctem magis aliquanto exacerbantur, cum vigilijs, ac delyrio in ſomnis, aliquando vrinas inuoluntariè emittentes in conuulſionem deſinunt. Et, vrinæ cum rigore ſuppreſſæ, malæ, & cō uulſoriæ. Et, ex rigore vocis interceptiones ſoluuntur tremore. Et inſuper rigentes tremores ſucceden tes iudicāt. Et, qui ex rigore cum capitis dolore exol uuntur in pericolo verſantur. Et, qui inſuper riguerint ex his, vbi vomuerunt meraca, anxij, tremuli in febre malum. Et, febris ardens rigore ſuperaccedente ſoluitur. Et n.3. rigor vna cum iudicatione aliquatenus horrendus eſt. Et, vulnera ſanguinem fundentia inſuper rigentia, maligna. Et, affectiones quæ quinta die ſanguinem large fundunt, ſexta inſuper rigue rint, ſeptima perfrigeratæ fuerint, & repente recalefacte, in his alui male afficiuntur. Et in l.4. aph.46. ſi rigor incidat febre non intermittente, ægroto iam debile, lethale. Et in l.1. de præd.n.2. rigor in phreniticis peſſimus. Et in l. de Coac. præ.n.1. quibus rigor his vrinæ ſuppreſſio. Et in l.1. prædict.nu.16. rigores ex ſubfriabilibus liquidis alui egeſtionibus. veſicam, & ventrem occupantes, doloroſi. proinde ſoporem in his habere aliquid conuulſorij, non ſane mirum apud me fuerit. Et in l.6. de morb. popul. ſect.1 quæ ad regiones fortes progreſſa ſunt, non valde mitigātur, niſi prope rigorem. Et in l.7. aph.7 rigor ex potu multo, & delyrium, malum. Et in l.4. aph.63. quibus in febribus quotidie rigores euentunt, quotidie febres ſoluūtur. Et in l.2. de pro. par.30. ex rigore per frigerationes, quæ non recaleſcunt malæ: etenim vt exponit Gal. languorem caloris natiui, & extinctionem talis refrigeratio indicat. Et par.31. ſi ex perfrigeratione ſudantes recaleſcant, malum. ex his quoque laterum æſtus cum dolore, & rigor ſuperuenīs malus. Et par.32. ęſtuoſi rigores quadrantenus pernicioſi, flamans quoque cum ſudore facies in his mala. Et part.55. capite dolentes cum catoche delyrantes, intercepta aluo, oculoque feroci, & floreſcentes, in ſcapulas rigent. i. fit opiſthotonos. Et in lib.3. par.2. ſi ex capitis dolore aphoniæ fiant, atque cum ſudoribus febrientes ſoluantur, & mala repetant, diutius perdurant. ſuperrigere his malum non eſt. Et par.7. ventris circuntenſio ad neceſſitatem liquida dimittens, cito intumeſcens, conuulſiuum quidpiam habet. ſuperrigere his lethale. Et par.9. ſuperuenientes rigores, & nocte magis quodam modo exacerbantes cum vigilis, & venarum agitationibus in ſomnis, atque vrinas præter arbitrium excernentes in comatoſas aliquando finiuntur ęgritudines. Et par.13 quibus tremores conuulſiones facti cum ſudore redire conſueuerunt, iudicatio his euenit, vbi ſuperrigue rint. ſuperrigent hi, occluſo in ventre ardore. Et par. 17. vrinæ detentio, & quibus rigores ex his conuulſiones: vt & ipſa vbi inhorruit, ſudauit, hoc eſt, vrinę retentio, quibus rigores, & ex his conuulſiones. Et par.24 arenidæ, ac liquidæ deiectiones, perfrictionesque non ſine febre vitium habent. rigores ex his tum veſicam, tum ventrem prehendentes, & opprimentes dolorem pariunt. Et par.58 quibus principio largum ſanguinis profluuium, rigor fluxionem ſiſtit. Rigores porrò vt legitur in l.5. aph.22. calidum ſuppuratorium mitigat.

Riſus.

Riſus & luſus ex cerebro cōtingunt, vt ſcriptum eſt in l de morb. ſac. nu.16. At verò in l.6. apho.53. de ſipientiæ, quę cum riſu fiunt ſecuriores: quæ verò cū ſtudio periculoſiores. Et in l.7. de morb. pop. nu.58. ictus eſt catapulta in pectus, & paulo poſt riſus erat circa ipſum tumultuoſus. videbatur autem mihi medicus eximens lignum reliquiſſe ferrum in ſeptum tranſuerſum.

Robur.

Roboris ſigna docet. Hipp. in l 6. de morb. pop. ſec. 1. dum ait. acutum habentes caput, qui quidem validam habent ceruicem, robuſti ſunt tum aliàs, tum oſſibus. robur autem auget boreas; etenim legitur in l. de aere, aquis, & loc. num.22 boreas robur facit. confert etiam ad robur alimentum, veluti ſcriptum eſt in l. de Alimen. nu.7. At verò in l. de affec. nu.23. declarat quę alimēta ad robur ſint optima, & inquit. ad robur optima ſunt, quæ carnem plurimam, ac dēſiſſimam producunt, & ſanguinem craſſefaciunt. & pro ingeſtorum ratione ſecedunt; & corpus plurimo tempore ipſa ſuſcipit. Et in lib. de vete. medi. numer.26. robur, & augumentum, ac alimentum præſertim. per nihil aliud contingit, quàm probe temperatum eſt, & nihil habet intemperatum, neque forte: ſed totum vnum factum eſt, & ſimplex, & non forte.

Rubor.

Præſagia ex rubore multa percipimus; etenim ſcribit Hipp in l.7. aph.50. ab angina habito tumor, & rubor in pectore ſuperueniens, bonum: extra enim vertitur morbus. Et in l. de Coa. præno. nu.2. rubores circa naſum alui humeſcentis ſigna ſunt. Et nu.3. rubor in facie ſi prægnantibus, tabeſcentibus fiat, ſtillationes de naribus fientes hunc auertunt. Et ibidē. nu.4. rubores in facie ſoluit aluus turbulenta, paruis frequentibus ad egerendum progreſſibus. Et ibidē. n.2. rubores circa aurem ex prægreſſo dolore in febribus fientes, ſignum quidem ſunt eryſipelatis in facie futuri, ſed & conuulſiones ex talibus fiunt cum

vocis

vocis intercceptione,ac exolutione. Et ibidem,nu.3. rubores in pectoribus,in peripneumonicis ſiccis,qui pauca concocta educunt,ſublati,pernicioſi. Et ibidem, num.1. rubores in manibus, ac pedibus pernicioſi. Et in 4 aphor.71. quibus ſeptima iudicatur,his nubeculã habet quarta die vrina rubeã, & alia ex ratione. Et in l.1.pror.par.2. ventris valde rubens pro luuies mala quidem in omnibus morbis, non minime verò in prædictis. Et in l.prog.com.3.par.17.angina quæ dolorem alteri ſubſimilem infert,& attollitur,& ruborem in faucibus efficit; admodum exitioſa,ſed paulo longior,quàm ſuperior eſt. ſi quibus fauces rubent,& ceruix;hæc diuturnior eſt.maxime verò ex ea ſeruantur, ſi ceruix ac pectus traxit ruborem,nec ſacer ignis intro recurrat. In l.autem de humid.vſu.n.11.rubicundis valde frigida conuenit.

Ructus.

Ructus affectio quædam eſt,quę imperfectionem cõcoctionis ſignificat. verũ alius eſt flatuoſus tantũ abſq; vllo odore,alius acidus. de acido ſcribit Hipp. in l.6.aph.1. hoc prognoſticum.in longis leuitatibus inteſtinorum ſi ructus acidus fiat, qui prius nõ erat; ſignum bonũ:etenim, vt explicat Gal. aciditas principium digeſtionis declarat. At in eodem lib. aphor. 33. qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur,præſertim ſi ſalſedinem, atque acritudinem aliquam ſibi adiunxerit; quæ inteſtina mordens contingit non ſolam pituitam,ſed plures etiam alias ſuperfluitates excerni. vnde in l.de Coac.præn. n.1.quibus ructus adſunt,& flatus,& ſtrepitus,& eleuationes ventris,his fit alui exturbatio. in li.verò de affec.nu.44.ructum acidum maxime faciunt pinguia craſſa, mollita, & ſeſamo parata. verum quicunque poſtridie cibos eructant, & præcordia ipſis eleuantur, vtpotè cibis crudis, & incoctis exiſtentibus;his longiori quidem tempore dormire conducit:verum & alijs laboribus corpora ipſorum cogere oportet. vinum autem meracius; & amplius bibant, & cibis paucioribus ſub id vtantur: palã tempus eſt.n.quod ventriculus præ imbecillitate, ac frigiditate ciborũ multitudinem concoquere non poteſt. hæc in lib.de ſal.diæ.n.12.Scribit porrò Hipp. de morbo ructuoſo in l.2.de morb.pag.70.nu.67.quem ibi lege.

Rumex calfacit,& aluum mouet,vt legitur in l.2.de dię.nu.14.

Ruptio.

Ruptio in futuris cognitu difficilior: cur hac parte oſſa promptius rumpantur, lege in l.de Cap. vul. nu.16.Et ibi.n.17.legitur.ruptio circa futuram,eius diſſolutio eſt.in l.autem de Coa. prẹn.nu.3.ex ruptis capitis oſſibus difficillima cognitu ſunt ea,quę circa futuras rumpuntur. rumpuntur autẽ maxime à grauibus, ac rotundis telis.& ruptiones quid,& quomodo in carne fiant, lege in l.1.de morb.nu.16.& quomodo fiant rupturæ,& ex ruptur is aqua intercus,inuenies in l.de flati. n.18. verum a ruptione venarum craſſarum, & à defluxu de capite tabes periculoſiſſimę ſunt. ſic legitur in l.de Coa.præ. n.3.

Ruta vrinam magis, quam aluum mouet habet & vim quandam condenſandi, & ad medicamenta noxia commoda eſt præpotata. hæc in lib.2.de Diæ. num.14.

COMMENTARIVS XVII.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

Saliva.

QVantum ex glutinoſo liquidiſſimũ erat, hoc calfactum craſſius redditum eſt,ut pote liquidum exiſtens, & ex hoc ſaliua facta eſt, verum ex illo glutinoſo vngues producti ſunt.hæc in lib.de carnibus pag.19. nu.11.at in l.2.de diæ.nu.14.ſaliua ſicca eſt,& aluum ſiſtit.& in l.de Coa.præ.nu.1. quibus ſaliuæ multum, & cibi faſtidia ſunt, & oris ventriculi morſus,his vomitus fit.

Salſa.

Salſa ſecedunt, & vrinam cient, vt ſcriptum eſt in l.de affect.n.48.verum ſalſamenta ſiccant, & attenuant,pleraque etiam aluum leniter mouent, vt legitur in lib.2.de diæ.nu.12.& præterea ſalſamentum Gaditanum, aut ſaperda datur in aqua intercutem, in lib.de inter affect.num.28.atque in fiſſuram frontis ſalis inſperſio fit,vt habetur in l.2.de morb.num. 18.Sambuci folia aluum mouent, ut in l.2.de morb. num.19.legitur.

De Sanguine.

Sanguis autem eſt, vnus ex quatuor humoribus. hic quidem eſt duplex; congenitus.ſcilicet, & ex alimento generatus, ſiue auctus. Ex primo autem conflatur homo, ſimulque ex alijs humoribus. atque ex eodem,ex quo gignitur; nutritur,& ineſſe conſeruatur, dum modo ipſi humores ſani ſint: verum ſi morbo ſi ſint hi, vel qui ex alimento parti ſunt; inquit Hip.in l.4.de morb.n.1. Habet & mulier, & vir quatuor humorũ ſpecies in corpore,à quibus morbi fiũt Augetur autem is, qui congenitus eſt, ab alimento: etenim inquit Hip.in l.de Ali.pag.53.nu.2. Facultas alimenti peruenit & ad oſſa, & ad omnes partes, & in neruum, & in venam,& in arteriam,carnem,pinguedinem,ſanguinem, pituitam, medullam, quare, vt exponit in l.4.de morbis.num.10.poſtquam homo comedit, aut bibit aliquid,quod ſanguineum ſit; trahit totum corpus in ſeipſum,trahit & cor ſanguineũ ad ſe ipſum:trahit enim ſimilis humor ſimilem,vt inquit nu.5.venæ autem iugulares, quæ ex corde procedunt impletæ breui ad caput delegant. & ſic à cibis,

bis,& potibus augetur ſanguis congenitus,ac maxime vere: dicit enim Hip.in l.de nat.hu.pag 10. num. 13. Vere pituita adhuc fortis in corpore manet, ſed ſanguis augeſcit: nam & frigora remittunt,& imbres ſuperueniunt. Sanguis autem iuxta hæc augeſcit ab imbribus videlicet, & à calidorum dierum tẽpore: hæc enim anni pars maxime iuxta naturam cõuenit: eſt enim humidus & calidus. ſignum autem eſt, quod homines vere, & æſtate maxime dyſenterijs corripiuntur, & ſanguis ex naribus ipſis fluit, & calidiſſimi ſunt,ac ruberrimi. Et, quia ſanguis natura calidus eſt, & humidus; idcirco ait in lib. de Ali. numero. 10. ſanguis humidus bonus, ſanguis ſolidus malus. Sanguis verò congenitus eſt alijs humoribus calidior,rubicundus,& ſincerus,& illi,qui ex cibo confectus eſt,dat calorem, ruborem, & ſincerum reddit. Et propterea legitur in l.1.de mor.pag.63.nu. 23. Eſt pituita frigidiſſima ex natura,calidiſſimus autem ſanguis. frigidior eſt etiam aliquanto bilis ſanguine hoc quidem in loco loquitur Hipp.de ſanguine congenito. De aduentitio autem in l. de Corde pag.25.nu.10.his verbis. Sanguis ſcilicet qui alit,nõ eſt natura calidus, neque enim alia aliqua aqua: ſed caleſcit. multis verò videtur calidus eſſe. præterea rubicundus,& ſincerus eſt ſanguis: nam proditum. eſt in l.2.de morb.pag.64.nu.4. Cum quis aut manũ, aut caput,aut aliam quandam partem, hoc.ſ.patientem, quod venæ ſupereuomant; ſanguis niger profluit,& turbatus, ac morboſus: quanquam neq; ſanguis nominari iuſtè meretur,niſi tunc,cum rubicundus, ac ſincerus fluit. Finis autem ſanguinis eſt, vt vertatur in alimentum partium corporis, ac aſſumat naturam partis illius. vt verò partes ipſum amplectãtur.eſt dulcis etenim ſcriptum eſt in l.de natu. puer. nu.39.Trahit fœtus quod dulciſſimum eſt in ſanguine ad ſeſe. at, dum ſanguis ſe confert, aut dum attrahitur,ſuſcipit naturam partis,quæ ipſo frui auet. & idcirco legitur in l.de Glan.pag.26.n.1.Si vero glãdulam diſſecet quis: ſanguis largus erumpit, ſpecie albus, veluti pituita. Cæterum, ſi non probe concoctus, aut loca, ad quæ permeat inepta ſint, vt ipſum vertant in alimentũ proprium; ſequitur illud, quod ſcriptum eſt in l. de ſuperfœ. nu.8. hoc eſt, huic ſanguis in aquoſitatem conuerſus eſt. Locus autem ſanguinis ſunt venæ, & arteriæ,quemadmodum placet Hippoc.in l.de Alim.num.7.verum fons,& radix ipſius eſt in corde,veluti habetur in l.4.de morb.nu.2. Sanguini verò mixtæ ſunt fibræ,ob quas congelatur extra venas: nam ſcriptum eſt in lib. de Car. pag.19. nu.9.donec ſanguis calidus fuerit; liquidus eſt.poſtquam autem perfrigeratus eſt, congelatur. ſi verò quis ipſum conquaſſet, & fibras eximat; non congelatur: fibræ enim frigidæ ſunt,& glutinoſæ.Sanguis igitur ſit humor calidus,& humidus,ſincerus, rubicundus,dulcis,adeo concoctus,vt vertatur in cuiuſlibet particulæ corporis noſtri ſubſtantiam, non ſuperfluus,intra venas,ortum primum habens à corde & arterijs. hæc ſi adfuerint ſanguini, ac corpus ex altera parte particulas habeat paratas, ac ſanas; ſanus deget homo, ſi verò in ſanguine quid harũ qualitatum deſiderabitur: morbus vel adeſt, vel aderit, niſi curationem adhibeat medicus. Quod verò ea, quæ dicta ſint, ſic ſe habere debeant ad ſanitatem, nunc manifeſtum fiet.

Sincerus autem ſi ſanguis non ſit,quid poſtea fiat, & quo modo non ſincerus euadat,& ex quibus,explicat Hip.in l.1.de morb.num.2.his verbis. Caleſcit bilis,& pituita intrinſecus quidem a cibis, & potibus, à quibus etiam nutritur, & augetur: extrinſecus autem à laboribus, ac vulneribus, & à calido nimium calefaciente,& à frigido nimium frigefaciente,à viſu,& auditu.ambo autem hi humores, aut alter cum permixti fuerint ad ſanguinem; ipſum congelant, non tamen omnino: non enim viuere poſſet homo, ſi ſanguis denſior, & frigidior ſe ipſo multis modis fieret. frigeſcente igitur ſanguine,neceſſe eſt & reliquum corpus totum perfrigerari. & vbi huiuſmodi quid factum fuerit,rigor appellatur.& ſi quidem vehemens fiat rigor; vehementior eſt etiam tremor: nam dum contrahuntur venæ,ſanguine & coacto,& congelato corpus & contrahunt,& tremere faciunt. verum cum ſanguinis percaluerit, & vim depulerit,ac rurſus ad ſuam naturam redierit; concaleſcit ſimul & pituita ſanguini permixta: & ſanguis ipſe ſe ipſo multipliciter calidior euadit. his igitur perca lefactis, neceſſe eſt febrem ſuccedere poſt rigorem præ ſanguinis caliditate. Et in lib.de morb.ſac.pag. 58.nu.7. Cum deſcenderit pituita frigida ad pulmonem,aut ad cor, perfrigeratur ſanguis. venæ autem violenter perfrigeratæ, ad pulmonem, & cor aſſiliunt, & cor palpitat, vt præ hac neceſſitate anhelationes incidant,& ſpiratio ceruice erecta: non enim ſpiritum ſuſcipere poteſt, donec id quod influxit, à ſanguine fuerit ſuperatum, & calefactum in venas fuerit diffuſum. Et in lib.1.de morb.nu.30.cum ſanguis, qui eſt in venis, perfrigeratus fuerit à pituita; tranſmutatur & conuellitur aceruatim aliàs alia parte,& tremit: tandem verò omnia perfrigerantur, & moritur. Et in l.2.de morb.pag 65.nu.6.cum atra bilis in capite commota fluxerit, maximè in partem, in qua plurimæ ſunt venæ,in collum inquam, ac pectus; ſyderatus ſit homo, ac impotens, ſanguine nimirum perfrigerato. & adhuc magis perfrigeratur niſi bilem ſuperet:deinde congelatur,& moueri non poteſt,& moritur. Et num.8 eiuſdem lib.cum venæ in capite fuerint calefactę;trahunt in ſe ipſas pituitã: deinde neceſſe eſt præ pituitę frigiditate ſanguinem magis nunc ſiſti, & perfrigeratum eſt, quam priori tempore. dum autem ſanguis non mouetur;fieri non poteſt,vt non etiam corpus quieſcat, ac torpeat. Et ſi quidem ſanguis, ac reliquum corpus ſuperarint, ita vt caleſcant; homo euadit. ſi verò pituita præualuerit;ſanguis magis perfrigeratur,ac congelatur. & ſi frigiditas,ac congelatio augeſcant; penitus congelaſcit,ac perfrigeratur homo,& moritur. Et in lib.de affect.pag.82.nu.32. podagra fit à ſanguine in uenulis à bile,& pituita corrupto. Et in eodem l.nu.24.dyſenteria fit,ubi bilis, & pituita in uenas ac aluum incubuerint:ægrotat quidem ſanguis,& corruptus ſecedit. Et in l.1.de morb.nu.17.cum uena tracta fuerit,ac conuulſa,fit uelut uarix.percaleſcit autem, & trahit in ſe ipſam,liquidam quandam humiditatem, quæ eſt à bile, ac pituita. Et ubi mixta fuerint ſanguis,& humiditas de carne;craſſeſcit ſanguis,& multipliciter ipſe ſe ipſo,ea parte,qua uena conuulſa eſt, & morboſior fit,& amplius ſtabilior. & cum copioſior factus fuerit;plenitudo ipſa tranſmigrat,quocũque tandem contigerit, & dolorem inducit acutum

vt

vt aliquibus videatur ruptio locum permutasse. & si contigerit, vt ad humerum transferatur, & grauitatem in manu inducit, & torporem, ac segnitiem. & si quidem ad venas proruperit, aut ad humerū, & dorsum tendat; dolor plerunque statim quiescit. Et in l. de Flat. pag. 40. nu. 10. quando corpus cibis expletum est, ac spiritus multitudo vehementer excellit, & inferior venter sit obturata; per vniuersum corpus permeant flatus. sanguineq́ plenas corporis partes maxime petentes eas, frigefaciunt: frigefactis autem his locis, vnde fontes, & radices sanguinis prodeunt, per vniuersum corpus horror consequitur. Et num. 20. nihil magis ad prudentiam confert, quàm sanguis, si inconstanti habitu persistat. sanguine verò permutato concidit simul, & prudentia. Et idcirco in l. 1. de morb. num. 28. Sanguis, qui est in homine, maximam partem ad prudentiam confert: quidam dicunt totum. cum igitur bilis commota ad venas, & ad sanguinem ingressa fuerit; sanguinem ex consueta compage, ac motione dimouet, & serosum facit, ac calfacit. calefactus autem etiam reliquum corpus totum percalefacit, & desipit homo, & non sibi constat præ febris copia, & sanguinis ad serositatem transmutatione & motione non solita contingente. Et in l. 2. de morb. nu. 3. caput dolet præ nimia eius calefactione. desipit autem, cum sanguis in capite à bile, aut pituita fuerit calefactus, & plus solito commotus. caput verò præ caliditate trahit in se ipsum tenuissimum & crassissimum vomit. Et in l. 1. de mor. num 27. cum bilis commota fuerit per corpus, & contigerit, vt venæ, & sanguis attrahant bilem, eamq́ue plurimam ex carnibus, ac ventriculo, ad eum qui prius inest, vt pote cum etiam natura calidissimus sanguis in corpore existat. cum ita percaluerit ex carnibus, & ventriculo supra eum, quia inest, adhuc magis à bile, per calefacit etiam reliquum corpus, & fit febris. Has igitur sententias facillime vobis declarant, si sanguini permisceatur quæuis humiditas, siue pituita, siue bilis, siue flatus; corpus ægrum fieri.

At verò si sanguis superfluè redundat, aut aliqua eius pars imminuatur; homo quoq; ægrotat: legitur. enim in l. 4. de morb. postquam bibit, autem comedit homo aliquid, quod sanguineum est; trahit & totum corpus in se ipsum, trahit & cor sanguineum ad se ipsum. ex ipso autem procedunt venæ crassæ iugulares appellatæ, ad quas statim si copiosius accedat; sanguineum illud distribuitur: & illæ impletæ breui ad caput, & corpus delegant, & facies rubet. accedente verò ad cor & corpus vberiore sanguine, quam satis est; dolorem corpori inducit, & morbosus efficitur sanguis. Et viceuersa subdit. num. 27. eiusdem l. calescente sanguine exhalat maxime per hunc humor aquosus, qui febri est infestissimus. relinquitur autem pinguis, ac leuis, qui est biliosus, & febri maxime nutrimentum: biliosus. n. humor, vt qui coniunctus est, ac densus, non similiter attenuatus corpus magis calere facit: copiosius. n. & melius alimentum febri bilis suppeditat, & prorumpens, aut firmata in corpore, morbum suprà priora corroborat. Et in lib. 1. de mor. nu. 30. quicunque ex febre ardente moriuntur; omnes præ siccitate moriuntur. vbi verò humiditas ex corpore penitus fuerit exusta, ac res siccata; sanguis quidem congelatur penitus, ac perfrigeratur: reliquum verò corpus exsiccatur, ac sic homo moritur. hęc contingunt, si qua sanguinis pars superfluè resiccetur. sed ad copiosum sanguinem redeamus. legitur in l. 2. de mor. n. 4. capitis fit grauitas, cum copiosior sanguis fit in eo, & turbulentior, ac morbosior. Et in l. de virg. mor. pag. 92. cum sanguis non habuerit effluxum in virgine nubili; præ multitudine refilit ad cor, & ad septum transuersum. cum igitur hæc repleta fuerint; cor fatuum fit. deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delyrium apprehendit.

Verum si sanguis in aliquo particulari loco decũbat, ac maneat, & non in proprio; plura eueniunt mala: etenim, vt antea diximus, cum sanguis ad cor, & ad septum transuersum refluxerit; cor fatuum fit, & delyrat ægra. Et in l. 2. de morb. n. 8. dum sanguis nõ mouetur, fieri non potest, vt non etiam corpus quiescat, ac torpeat. Et in l. 1. n. 12. cum venula conuulsa rupta fuerit; sanguis effusus putrescit, ac suppuratur si verò caro conuulsa fuerit, aut contusa, sanguinem ex veni sibi ipsi propinquis trahit: atque hic putrescit, ac suppuratur. Et in l. 2. nu. 2. sanguine, & bile putrefactis quacunque in parte fuerint collecta, eadem caro putrescit, & exulceratur, & accedentem pituitam, ac bilem insuper putrefacit, & fit pus. Et in lib. 1. nu. 3. si sanguis ex vulnere, aut vena effluxerit in supernum ventriculum, necesse est ipsum in pus conuerti.

Effluit præterea sanguis, cum vena rupta fuerit, aut multitudine sanguinis, aut ab aliqua acri qualitate, aut à caliditate, aut extrinsecus: inquit. n. Hip. in l. 2. de morb. n. 5. sanguinem vomit, cum venę quę sunt in capite, à cerebro fuerint calefactæ: quæ circa spinam sunt, à spina: spina autem à spinali medulla hæc verò à cerebro. vnde sanè originem trahit. cum igitur calefactę fuerint venæ, & sanguis in ipsis effer buerit, quæ quidem in capite sunt venæ, distribuũt ipsum ad nares; & ad os: quæ verò circa spinam sanguifluæ in corpus. loca verò, è quibus fluit sanguis, sũt nares, os, vterus, vrinæ meatus, & sedes. seccatur & vena quandoque brachij, vel alterius partis ad morbi curationem. at cum de sanguinis fluxu, vbi de naribus egimus, de pulmone, de vteris, de hæmorrhoidibus copiosè tractatum sit: attamen pauca hoc loco adijciemus.

Verum hæc primum obseruanda sunt in omni sanguinis fluxu, quæ leguntur in l. 4. aph. 25. sanguis sũsum quidem, qualiscunq; fuerit; malus est: deorsum verò bona sunt nigra subeuntia. Et in lib. de Coac. præn. n. 3. post sanguinis eruptionem; nigrorum per aluum egestio mala. Et ibidem. n. 4. In sanguinis eruptionibus viscosa egestio, nigris variegata, maligna est, maxime autem albibus. Et in l. 1. præ. n. 20. Quibus ex sanguinis eruptione larga, ac frequenti, nigrorum multorum fit egestio, his suppressa aluo, dolorosi sanguinem profundunt. Et in l. 4. aph. 27. Quibus in febribus sanguinis multitudo vndecunque erumpit; his in refectionibus, alui humectantur. Et in l. de Coac. præno. n. 3. post sanguinis eruptiones, & nigrorum egestiones in acuto sordidas, malum. Et in l. 6. aph. 10. sanguis per nares, aut os, aut os effluens, capite dolenti, & vehementer laboranti, morbum soluit. Et in l. 5. aph. 4. sistendi sanguinis modũ docet. & inquit. Vnde sanguis erumpit, aut eruptu-

rus est, in his frigida vti oportet, nõ super ipsas par-

tes

tes,ſed circa ipſa,vnde fluxit. Et in l.de vict. ratio. in morb.acu. nu.65. legitur ſanguinem ſiſtens medicamentum.

Verum quibus ſangu is è naribus fluit hæc ſunt obſeruanda. & vnde in lib. de Coac. præno. ait quibus ſanguinis eruptione s plures, his temporis progreſſu, alui male afficiu itur, ſi verò vrina concocta prodierit. Et num.2. ſa nguinis de naribus ſtillationes in morbo acuto non oculorum rectitudine, & motu veloci: item cum ſomno turbulento, & vigilijs,nihil boni. Et n.3. ſanguinis eruptiones ſtatis tẽporibus fientes ſiticuloſ e, difficiles,ac exoluentes,ſi ſanguinem non effuderi nt, in comitialem morbum finiunt. Et, ſanguinis ſti llationes vndecima die fientes; d ifficiles ſunt, tum alias, tũ ſi ſuperſtillauerint, & rurſus ſtillauerint. Et, ſanguinem fluxionem inducunt dolores in lumbis. Et n.2.ſanguinis eruptio, capitis,ac colli dolore,ſed & totius corporis tremulam quandam impotentiam ſoluit. Et n.3.in ſanguis fluxione multa, aut ſingultus, aut conuulſio, mala eſt. Et ſanguinis eruptionem inducit collum doloroſum, in quibus ex rigore febris laſſatoria, menſes decurrunt. & n.1.ſanguinis è naribus fluxio in febri bus ardentibus quarta die, mala eſt, ſi non aliquid boni conciderit.quinta minus periculoſa eſt.& nu.3. ſanguinis fluxiones prægreſſæ ſigna ſunt in lumbis dolentibus oris ventriculi dolores inſuper accedentes. & ſanguinis valde rubicundæ ſtillæ in morbis pulmonis malæ ſunt. & quibus ex ſanguinis eruptio ne large frequenti, multa fit alui cum nigris egeſtio ea autem ſuppreſſa, ſanguinis fluxiones: hi aluum dolent: vna verò cum quibuſdam flatibus facile tolerant,&c. Et,ſanguinis fluxio,ſpinæ diſtortionem, ac ſpirandi difficultatem ſoluit. Et, ex ſanguinis eruptionibus quarta die fientibus ſoporoſi conuulſi moriuntur,nigris prægreſſis, & ventre tumefacto. Et n. 1.ſanguinis fluxiones in morbis longis apparentes, pernicioſæ &c. Et ſanguinis fluxio plerunque cõtingit,quibus capitis dolor fortis, & venarum pulſus. At in l.de Iudic.nu.11. ſanguis multus è naribus erũpens, ſoluit dolorem fortem in locis infernis. Et ibidem. ſanguinis è naribus fluxus febrem ardentem ſoluit. Et in lib.6.de morbo.popul.ſect.6.quibus ſanguis multus ex naribus, qui quidem decolores mero modo ſunt,his parum prodeſt: quibus verò colores rubicundi, his non ſimiliter &c. Et in lib. 1. de morbor.popu. conſti.3.ſanguinis è naribus larga eruptio in febribus ardentibus multos ſeruauit,modica verò occidit. Et in libro.2.ſect.3.ſanguinis è naribus eruptiones quarta die ægrè iudicantur. Et in li.4.n. 7.ex ſanguinis fluxu è naribus,mentis motio. Et in l.6 ſect.4.quod ex ſanguinis eruptione aqua inter cutem corripiuntur. Et in l.2.ſect.1. ſanguinis eruptiones largæ ex naribus plerunque liberam. Et in libro præno.n.22.ſanguinis è naribus eruptionem, his expectare oportet, quibus in febribus acutis, magis ardentibus, lachrymæ inuitæ defluunt. Et numero 25.ſanguinis de naribus fluxionem expectare oportet. ſi cui in febre non lethali, viſus hebetudo contingit, aut ſplenores ob oculos obuerſantur, cum præcordiorum in dextra, aut ſiniſtra parte tenſione. Et in lib.1. prædictio. nume. 20. quibus ſanguinis eruptio fit aluo ſuppreſſa, & ſuper rigent, num aluus inteſtinorum leuitate corripiuntur,& ob dura fit,aut aſcarides inſunt,aut vtrunque? Et in l.2. præd.n.34.ſi à ſanguinis eruptione febris ſoluta fuerit,& menſes comparuerint,in vtero concipiet. Et in l. 1. nume.19. ſanguinis eruptiones iudicatorijs perfrigerationibus,fortes peſſimæ ſunt. Et n.18.ſanguinis eruptiones ex contrario male ſunt, velut in ſplene magno, ſi ex dextra nare fluat. & circa præcordia eodem modo res ſe habet,&c. Et n.21.ſanguinis eruptiones capitis dolores ſoluunt. Et ibid.legitur,quos ſanguinis eruptiones morbos ſoluant. Et nu.23.ſanguinis è naribus ſtillæ frequentes profluunt, ijs quibus vrinæ aquoſæ alba innatantia habentes, & variæ ex albidæ,ac fœtidæ. Et nu.20.ſanguinem large profundunt, quibus ex lumbis recurſus fit ad caput; Et li.2.n.14. ex ſanguinis eruptione, pectore ſuppurati. Et in l.de vic.ratio. in mor.acu.n.48.ſanguinis de naribus ſtillationem futuram expecta, ſi manus tremulæ fuerint. Et in l.7. aph.9.ex ſanguinis fluxu delyrium,aut etiam conuulſio,malum. Et aph.82.quibus ſanguinis in febribus quartanis ex naribus fluxerit, malum. Et in l.4.aph.74. ſãguinis è naribus eruptio, ab abſceſſu breui liberat. Et in l.5.aph.33.ſanguinem ex naribus fluere menſibus deficientibus,malum. Et aph. 24. ſanguinis eruptiones inducunt frigida velut nix,& glacies. Et in l.de coa.præ.nu.3.ſanguinis nariũ fluxio,vertigines ab initio ſoluit. Et nu.2.ſanguinis fluxio horrorem efficit. Et nu.3.ſanguinis paruæ comparentes fluxiones in morbis longis pernicioſæ ſunt. Et,ſanguinis fluxus,ſi à quarta die fiat,diuturnitatem ſignificat & aluus erupit,& crurum dolor. Et nu.2.ſanguinem profundunt,morbi derepente mentem percallentes cum anxietudine.

Cum autem ſanguis per os egreditur; exit autem per ſputum, aut per vomitionem: ſi ſanguinem vomat.vt legitur in l. de natu. mul.pag.97.nu.46.hepatis fiſtula ſanciata eſt, & odor ad viſcera procedit, & cor conuellitur. curatio eſt multæ calidæ lotio,& tepefactoria, & aſinini lactis potio ad dies quinque: poſtea vaccæ nigræ, ita vt ſine cibo degat ad dies quadrãginta, ad veſperam verò ſeſamum tritum bibat. morbus hic eſt periculoſus, ſed in l.de Coa.præ. n.3.ſanguinis vomitus in ſterilibus non parientibus, ad conceptionem prodeſt. Et in li.2.de morb.num.5. ſi cerebrum corruptum fuerit; dolor ex capite ſpinam occupat, & ex naribus ſanguis fluit. ſæpe etiam ſanguinem vomit. cum igitur calefactæ fuerint venæ in capite à cerebro,& ſanguis in ipſis efferbuerit; diſtribuunt ipſum ad nares, & ad os: quæ verò circa ſpinam ſanguifluæ,in corpus. Et in l.5. aph.32 mulieri ſanguini euomenti,menſtruis erumpentibus ſolutio. Et in li.7.aph.37. quicunque euomunt ſanguinem,ſi ſine febre quidem;ſalutare:ſi verò cum febre; malum. curare verò aſtringentibus. ac refrigerantibus.vbi Gal.in com. ait. vomitus fit è gula,& ventriculo:cum tuſſi autem expuunt ex aſpera arteria, atque pulmone elata.fit ſanguinis vomitus,vel alicuius vaſis ore aperto, vel cum vlcere quidem. ſed ſine inflammatione.curantur autem facile,quę ſunt abſque inflammatione vlcera aſtringentibus. quę verò cum inflammatione, ac febribus; ne dum curari poſſunt, neque in eadem permanere magnitudine: ſemper enim maiora fiunt,ac maligniora.

Si verò ſanguis ſpuatur; id euenit maximè iuuenibus, vt legitur in l.3. aph.29. at verò in l.1. de morb.

nu.28.

num.28. Sanguinis, & puris subcruenti, ac liuidi in peripneumonia, & pleuritide primis diebus sputum vnde fiat lege. Et in l.7.aph.75.è sanguinis vomitu, hoc est, copiosa spuitione, & effluxu ex ore copioso, tabes,& puris purgatio sursum. Et in eodem li.aph. 15.à sanguinis sputo puris sputum: sed non omne sputum sanguinis,vt exponit Gal. sequens habet sputum purulentum:sed quod malignum existit.tale autem est magna ex parte ex pulmone. Et in l.de Coa. præno.n.3. quicunque sanguinem spumosum spuũt, dextrum præcordium dolentes,de hepate spuunt,& pereunt. Et ibidem sanguinem spuentibus confert, vt sint sine febre, & tussiant, ac doleant leuiter, & vt sputum tenue fiat ad dies quatuordecim. febrire verò,& tussire, ac dolere pertinaciter, & sanguinem recentem semper spuere,incommodum est. Et in li. 5.aph.13.quicunque spumosum sanguinem expuunt. his è pulmone eductio fit.

Sanguinis præterea menstruus, vel à partu qua de causa effluat, & quo modo, lege libros de Morbis Muliebribus.

Sanguis verò per vrinæ meatum exiens legitur in l.7.aph.39. his verbis. si quis sanguinem minxerit, & grumos, & stillicidio vrinæ laborat, & dolor inciderit in femur, & imum ventrem, & pectinem,circa vesicam male se habere significat. Et in l.4.aph.81. si sanguinem, aut pus minxerit, aut scapulas, & grauis odor adsit; vesicæ vlcerationem significat. Et aph. 78. quicunque sponte sanguinem mingunt, his à renibus venulam ruptam significatur. vnde in eodem lib.aph.75.si sanguinem,aut pus mingit,renum, aut vesicæ vlcerationem significat. Et in l.2. prædict. nu. 10. sanguinem mingere raro, & sine febre, & dolore, nihil mali significat, sed lassitudinum solutio. Et in l.de inter. affect.pag.86. nu.16. cum dolor acutus incidit in renem,ac in lumbos,& in testem secundum renem situm, & cum vrina sanguinem mingit, renum exulcerationem significat. curationem verò ibi lege.

Sanguinem verò qui ex venis hæmorrhoidalibus effluit lege Hæmorrhoides.

Sanguinis autem qui ex intestinis fluit, mentionem facit Hip.in l.de Coac. præ.nu.3. & inquit. sanguinis egestio surdis in acutis post sanguinis eruptiones, & nigrorum egestiones, pernicioſa. Et in l.7. aph.9. ex sanguinis fluxu delyrium, aut etiam conuulsio,malum. Et in eodem l.de Coac. præn.n.2.sanguinem effundit aluus à præcordiorum doloribus, paulatim subuiscosa & egerens, & pauca stercoracea effundens. Et ibidem.sanguine per aluum egesto seruantur, quibus dolores præcordiorum, oris ventriculi, hepatis, partium circa vmbilicum: non autem egesto moriuntur.

Sanguis autem si per vlcus aliquod exeat aut artè id sit,aut non.si arte; sanguinis detractio humoribus inclinantibus,quibus conueniat,& quibus non,lege in l.6.de morb.popu.sect.3. verum in l.de Coa. præn. nu.3. legitur. sanguinis detractio in perfrigeratione torpida,mala est. & si sanguinem alicui detrahere ducit;solidam aluum facere oportet, atque sic detrahere, & fame macerare, ac vinum auferre. hæc in li. de vic.ratio.in mor.acu.n.45.sed quibuscunque sanguinem de venis auferre conducit, his vere venam secare conuenit.

Sanguinis præterea è vena fluxus aut per vstionẽ transuersam,aut dissectionem supra,ac infra vtrinq; auertitur,vt scriptum est in l.de loc. in hom. nu.49. verum in l.6.de morb. popu. sect.7. sanguinis venarum suppressiones faciunt animi deliquium, figura alterata interceptio, linamentum intortum, appositio,& delegatio: quæ verò post sanguinis defluxum vlceribus conueniant, lege in l.de Vlceri.nu.3.sed in l.de Humi.vsu.num.8. ad sanguinis grumos acetum post vtile. Et in l.7.aph.21. è vehementi pulsu in vlceribus,sanguinis multa eruptio.& in lib.5. aph.64. lac malum est, quibus sanguinis multi delectio facta est.

Sanitas.

Sani profecto sunt homines, qui ex parentibus sanis generati sunt: eo quòd, vt recitat Hipp.in lib.de Mor.sac.pag.58.num.5. semen genitale ab omnibus corporis partibus procedit, à sanis sanum, à morbidis morbosum: ex pituitoso enim fit fœtus pituitosus,ex bilioso bilioſus,ex tabido tabidus, ex splenitico spleniticus: semen enim quod sanum a parentibus decidit, has possidet facultates, quæ scribuntur in l.2.de diæ.pag.44.num.26.hoc est. quod tenuissimum est in aqua, & quod rarissimum in igne si in hominis corpore temperamento acceperint; sanissimũ habitum constituunt: propterea quod neque in temporum anni maximis mutationibus, neque in regionum permutationibus, neque in ciborum, ac potuum alterationibus,aqua densissima euadit in aquę impetuosis incursibus, neque ignis in ignis impetu: possunt enim ambo,& generationem, & satietatem plurimam suscipere. Et subdit.nu.36. si aqua defectuosiorem vim accipiat,quam ignis, cum alias sincerum temperamentum habeant; sani sunt homines, & sapientes. Et in l.de Alim.nume.6.docet quænam corpora saniora sint, & inquit. raritas corporis ad perspirationem, quibus amplius aufertur, saniores sunt.densitas corporis ad perspirationem,quibus minus aufertur,morbidiores. qui probè perspirant,debiliores,& saniores sunt,& à morbis facile reconualescunt. Et nu.10.eiusdem lib. venarum pulsationes & respiratio spiritus iuxta ætatem, ex consonantia, & dissonantia sunt,& morbi,& sanitatis signa.Et in l.de Denti.pag.24 nu.1. quibus pueris aluus multũ profluit,& bene concoquunt, hi saniores sunt. quibus modice profluit, & voraces sunt, & non similiter pro ratione nutriuntur, morbosi. at quoniam inter sanitatem, & morbum medium datur: sanitas enim ac morbus sunt corporis qualitates passiuæ, & omnis qualitas suscipit magis,& minus: sanitatis igitur absentia euadet morbi præsentia. quapropter, vt homines sani degant, nec morbosi fiant, refertur in l.4. de morb.num.16. atque id est, quòd cibi, & potus superflua pars tempore congruo expellatur æqualis sibi ipsi, & consimilis & æquilibris. quæ verò alimenta ad sanitatem optima sint, scriptum est in l.de affect.num.44. & verba sunt.ad sanitatẽ optima sunt,quæ modicè ingesta sufficiunt, vt & famis, & sitis sint medela: & plurimo tempore corpus ipsa suscipit,& pro ratione secedat. Et in l.6.sect.4. exercitatio sanitatis est vesci citra saturitatem,non refugere laborem. Et in l.de vlceribus pag.204.n.1.vicera vniuersa nisi vno humectare oportet, si non in articulo fuerit vlcus: nam si cum sano propius est, &

humidum

humidum non ſano: eſt.n.vlcus humidum:quod verò ſanũ eſt,ſiccũ.cęterũ ad ſanitatẽ tuendã plura quo que deſiderãtur circũſtantia, quem admodũ anni tẽpora ſalubria,regiones,& huiuſmodi alia.quare legitur in l.2.aph.36. qui ſalubritatẽ corporis habẽt per medicamenta euacuati cito exoluũtur: & quj prauo vtuntur cibo: contabeſcunt.n.hi, vt exponit Gal. & non purgantur.qui verò vitioſo vtuntur alimẽto ob malorũ humorũ ſuperabundantiam facile exoluuntur in purgationibus. Et aph.37.qui bene ſe habent corpore, difficulter ferunt medicationes.i.purgationes; propterea quòd vt declarat Galẽ cũ non adſint humores,nec bilioſi,nec pituitoſi,nec aquoſi; ſanguinem colliquat medicamentum, ac carnes, vt ex ipſis proprium attrahat humorem. quare & vertigines,& tormina patiuntur,& difficulter his purgatio procedit,& prætereа cito exoluuntur.

Sapa calfacit,& humectat, ac ſubducit, vt legitur in l.2.de diæ.nu.13.

Sapientia.

Scriptũ eſt in l.de mor.ſac.nu.8.ſapiẽtiam, ac motum mẽbris præſtat aer. Et in l.de Flat.num.20.inter omnia,quæ in corpore ſunt,nihil magis ad prudẽtiã cõfert q̃ ſanguis.hic ergo cũ in conſtanti habitu perſiſtit;conſiſtit,& prudentia:ſanguine verò permutato concidit ſimul prudentia. Et in l.1.de mor.nu.28. ſanguis qui eſt in homine,maximam partem ad prudentiam confert. quidam dicunt totum. cum igitur bilis commota ad venas,& ad ſanguine ingreſſa fuerit;ſanguinem ex conſueta compage, ac motione dimouet,& ſeroſum facit,ac calfacit. calefactus autem etiam reliquum corpus totum percalefacit, & deſipit homo,& non ſibi conſtat præ febris copia & ſanguinis ad ſerоſitatem tranſmutatione, & motione non ſolita contingente. ad ſapientiam igitur ſit aer, ſiue ſpiritus innatus,purus,non occluſus: ſitq̃ ſanguis immixtus,non alteratus,nec violenter commotus.verum a primordio ſi ignis ſinceriſſimi,ideſt,caloris, itemque aquæ temperamentum, hoc eſt, humidi innati,anima fortiatur,ſapientes ſecundo ordine, & conſtantes cum manſuetudine fiunt homines: ſic ſapientiſſimi,& memoria valentiſſimi ſunt; cum humidiſſimum in igne, & ſiciſſimum in aqua temperamentum acceperint, vt legitur in lib.1. de diæ. num.31.& 32.

De Scapulis.

Scapula ad ſpinam chartilaginea eſt, reliqua parte laxa inæqualem partẽ foras habens, ceruicem verò, & acetabulũ habet chartilagineũ, ex quo coſtæ motũ habent. facile autẽ & inter oſſa exoluitur brachio excepto. huius autẽ caput ex neruo, & acetabulo dependet, chartilaginis laxæ rotundam apicem habẽs. hæc de ſitu, & natura ſcapularum vt in l. de oſſ. natu.num.4.in l.autem 6.de mor.popu.ſect 3 id præcipit Hip.quicunque laterum naturæ ſcapulas alarum modo eminentes habent propter cauſæ debilitatem, in deſtillationibus malignis, ſiue excretio fiat, ſiue non fiat, malum.

Screatio.

Screatus frequẽs, & ſi aliud quodpiã ſignum affuerit:ſunt phrenitica,vt legitur in l.1.pror.par.6.Verũ par.30. ſi in phreniticis frequẽs cũ refrigeratione ſit ſcreatus,nigra reuomuntur. Et ibid.in l.3.par.14.lũborũ dolor cũ capitus, & ſtomachi dolore, atque ex creatu violento conuulſiuũ quippiã habet, ſubmutumque cum iudicatione rigorem. Et Screatio frequens, ſi ſanè & aliud ſignum affuerit; phrenitidem indicat. Sic in l.de Coa.prę.nu.2.

Scrotum.

In pituita alba ſcrotũ vbi aqua impletũ fuerit; ſecato.ſic legitur in l.2.de mor.n.69. At in l.de Inter. aff.pag.87.n.24. A pituita.ſ.alba maximein aquã intercutẽ trãſitus fit.ſi verò tumor cõſtiterit in ſcroto, & femoribus, ac tibijs; acuto ſcalpello multa,& frequentia vulnuſcula incutito. &, ſi hæc feceris; cito ſanum efficies.

Seceſſus.

Legitur in l.3.de diæ.num.20.Quibus ſeceſſus ſiccus,ac peruſtus fit,& os ſiccum,& progreſſu temporis ẽt amarum fit,& aluus fiſtitur,itemque vrina. Et ibid.num.18.quibus ſeceſſus non putrefactus per aluum ſecedit,tabeſcente corpore. Et ibid.nn.19.quibus ſeceſſus liquidus, ac putrefactus per aluum abit: item quorum venter carnes attrahens dolorem exhibet: cibos excludit,& exulceratur. Et in l.4.de mor. pop.nu.21. legitur ſeceſsus electrum referens. Et in lib.2.ſect.1. ſeceſſus liquidos, ac crudos milium ſolidum in oleo coctum fiſtit. Sed l.Egeſtio.

Secunda.

Secũda appellatur, vbi pelliculæ ſinuatę ſanguinẽ nutritioni inutilẽ ſuſceperint, vt ſcriptum eſt in l.de nat.pue.nu 8.& ea ex vmbilico hæret, & vmbilicus poſtremus ex vteris exit, quemadmodum legitur in l.1.de mor.mul.n.76. ſi aũt ſecũda non ſtatim exierit poſt partũ: curatio legatur in eodem l.n.76. At verò in l.de ſuperfœ.nu.2. Si verò illa ante editũ puerum exierit:partũ reddit difficilẽ. Et ibid. Si cum puero; partum facilem facit. At in l.1.de mor.mul.num.76. leguntur cauſæ ſecundæ in vteris derelictæ, & curatio. Et nu.77.ſcribuntur quæ mala conſequantur ſecundas relictas. Et in l.1.de ſuperfœ.nu.5.legitur de ſecundæ extractione. Et nu.51.eiuſdem lib.de mor. mul.ſupracitati enarrantur ſecundę non decedentes. Et.num.82.non ſecedentes. Et nu.102.ſecundæ mulierum cum vermium carnium capitibus in peſſo. Et nu.106. ad ſecundas educendas, & menſes,itẽq; fętũ erectũ. Et n.108 legitur ſecundarũ expulſoriũ,quod vteris infunditur. Et ibid.ſcribuntur alia medicamẽta ad ſecundas educendas,quæ ibi vide. Sed in lib.5. aphor.49. vt ſecundæ excidant: ſternutatorio indito,nares,& os apprehendito. Et in l.de ſuperfę.n.27. ſcribuntur aliqua auxilia ad ſecundã expurgãdã. Tãdem in l.de nat.mul.nu.29.enarrantur varia medicamina ad ſecundas expellendas, quæ ibi lege.

Sedes.

Sedes, ſeu inteſtinum rectum quandoque elabitur,atque euertitur. quod quidem euenit viris, quos vbi hęmorrhoidas habent,alui profluuium corripit: pueris autem calculo laborantibus, & in dyſenterijs longis, ac meracis: ſenibus verò, quibus muci agglutinati inſunt. cum igitur inteſtinum elapſum fuerit dolorem concitat, inflammationem, ruptionem,ſanguinisque profluuiũ. Si verò dolor fiat: legitur in l. de Coa.præ.numer.2.ſedis, & pudendorum, ac capitis dolor torporem, & impotentiam inducit, & ibidem numero 1. ſedis dolor in longis, & perniciоſis morbis, lethalis. & ibidem. numero quarto, iuxta ſedẽ doloroſæ ſuppurationes aluũ tur-

bant. cæterum ſedi confert calida, vt ait Hipp. in lib. 5. aphoriſ. 22. itemque eadem in ſede denigratis conuenit, ſicut habetur in l. de humi. vſu. num. 11. Verum ſi ſedes elabatur; fiant fomenta, quæ in lib. de Fiſtu. pag. 206. nu. 4. deſcripta ſunt. Si verò inteſtinum rectum humidum fiat, & ſanies defluat lege ibidem nu. 5. medicamentum: itemque ſi ſanguis profluat: item, ſi exciderit, & in loco ſuo manere noluerit. ſi verò inflammatum fuerit, quid faciendum ſit, lege nu. 6. ſic ſi dolor fiat.

Segnities, acotium humectat, & corpus debile facit: anima enim quieſcens humiditatem ex corpore non conſumit. ſic legitur in l. 2. de die. num. 23.

Semen.

Semen vtrique ſexui ineſt tum maſculeum, tũ fœmineum, ſicut legitur in l. de Geni. num. 7. illud verò velut fauus ab vtraque veſicę parte eſt vt habetur in l. de oſſ. natu. num. 6. ex ipſis autem renibus venæ ab vtraque meatus vrinæ parte in pudendum tendunt. At quo modo ſitæ ſint, lege in eodẽ li. n. 21. 22. & 23. ſed ab omnibus corporis partibus procedit, vt ait Hip. in l. de mor. ſac. pag. 58. num. 5. verum in l. 4. de mor. nu. 1. ad hominis generationem de omnibus, & viri, & mulieris partibus ſemen progreſſum & in vterum muliebrem illapſum condenſatur, temporeque veniente natura hominis formam referens ex ipſo producitur. habet autem & mulier, & vir quatuor ſpecies humoris in corpore: & de his non minima, neque debiliſſima in ſemen procedit portio. & quia animal ſecundum parentes naſcitur, tot humorum ſpecies, & ſanorum, & morboſorum in ſe ipſo habet. fit autem quandoque vt ſemen viri quibuſdam mulieribus in vteris putreſcat, de quo ſcriptum eſt in l. 1. de mor. mult. nu. 31. fit etiam quandoque ſeminis per ſomnum effuſio, quam ſolanum cohibet. at ſi plura optas; l. Genitura.

Semitertiana.

Semitertiana habet anxietatem, & vomitum, & ſimul horrorem cum incipit, velut legitur in lib. 7. de morb. popu. n 47. ſed in l. 1. ſect. 3. in ſemitertiana appellata contingit, & acutos morbos fieri, & eſt hæc præ cæteris maxime lethalis. ſed & tabidi, & quicunque ex alijs longis morbis ægrotant, ex hac maximè ægrotant.

Senes.

Senes frigidi ſunt, & humidi: quia ignis receſſus contingit, aquæ autem acceſſus, & ſiccorum quidem ſublatio, humidorum autem ſtatus, quæmadmodum ſcriptum eſt in l. 1. de diæ. pag. 44. nu. 30. quapropter, cum ipſis modicus inſit calor; paucis egent fomitibus: à multis enim extinguuntur. ob hanc etiam cauſam febres his non ſimiliter acutæ fiunt: frigidum eſt enim ipſorum corpus. hæc in l. 1. aph. 14. & ideo facillime ieiunum ferunt, vt in eodem lib. aphor. 13. &, quoniam frigidi ſunt, & humidi; idcirco, vt apparet in lib. 3. aph 18. ſenes æſtate, & autumno aliquan diu optimè degunt. contra hyeme, & vere, quibus tẽporibus capite derepente calfacto, aut inſolato, morbo ſacro corripiuntur, non autem æſtate, vt inquit Hip. in li. de morb. ſac. nu. 12. hinc quoque fiunt ſenibus ob caloris defectum, & humiditatis copiam ęgritudines ſenũ propriæ, quæ recitantur in li. 3. aph. 31. atque hæ ſunt. ſpirãdi difficultates, & defluxiones cũ tuſſi, vrinæ ſtillicidia, vrinæ difficultates, articulorũ dolores, nephritides, vertigines, ſyderationes, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum, & narium humiditates, viſus hebetudines, glaucedines, auditus grauitates. attamen ſeniores ſuppurationibus, & conuulſionibus minus obnoxij ſunt, aut certe non adeo fortibus, & cauſam lege in l. 1. de mor. num. 20. neque ſenes quemadmodum iuuenes ægrotant, ſed plerunque minus. quicunque verò ipſis fiunt morbi diuturni, vt plurimum commoriuntur, vt habetur in l. 2. aph. 39. Et propterea ſenes à podagra non liberantur, velut proditum eſt in libro 2. prædic. nu. 15.

Senſus.

Scriptum eſt in l. de morb. ſac. nu. 18. cor, & pręcordia maxime ſentiunt: nam ex omni corpore venæ ad ipſum tendunt, & concluſiones habet, vt ſentiat, ſi quis dolos, aut collectio homini contingat: neceſſe eſt enim & dum angitur, inhorrere corpus, ac diſtendi, & ſi quis nimio gaudio perfundatur, idem pati. Et in l. de oſſ. natu. pag. 29. nu. 27. ex omni corpore maxime circa thoracem ſenſus exiſtit. & ibi lege cauſam.

Sepiæ teſta tuſa vino imbuta in peſſo puerperæ recens enixæ adhibetur in l. de ſuperfœ. nu. 25. & ſepiæ ouis in vterorum morbo vtitur lib. de natu. mulie. num. 8.

Septimeſtrem partum quomodo certo quiſpiam cognoſcere poſſit lege in l. de Sept. part. pag. 20.

Septum tranſuerſum.

Legitur in l. de oſſ. nat. pag. 28. num. 15. ſeptũ tranſuerſum iuxta verticulum infra coſtas ea parte, qua rẽ ex arteria, conſurgit. ab hepatitide verò per ſeptũ maximè duæ venæ, altera hinc, altera inde ſublimes ferũtur. multifidæ aũt per ſeptum ſunt, & circũ ipſum innaſcuntur. verum ſupra ſeptum hæ magis conſpicuæ ſunt. Et in l. de Cor. reſec. pag. 25. nu. 2. à ſpina retro hepar ſeptum tranſuerſum productum eſt. Et ſeptum tranſuerſum ab antiquis appellabatur phrenes, vt ait Hip. in l. de mor. ſa. atque in hoc hominis intellectũ eſſe opinabantur. & idcirco, cum quis mente minime conſtaret; eũ phreniticũ nuncupabantur. verũ, cũ læſo ſepto, delyrium fiat, his verbis declaratur in lib. de Virg. mor. pag. 92. nu. 2. ſanguis præ multitudine reſilit ad cor, & ſeptum trãſuerſum. vnde cor fatuum fit, & ex fatuitate torpedo, & ex torpedine delyrium apprehendit. Et in l. 7. de morbo. popu. nu. 58. Ictus eſt catapulta in pectus, & paulò poſt riſus tumultuoſus. videbatur autem mihi medicus eximens lignum, reliquiſſe ferrum in ſepto tranſuerſo. Sed in lib. 6. aph. 18. ſepto tranſuerſo diſciſſo, lethale eſt. & in lib. 7. aphor. 55. quibus inter ventriculum, & ſeptum pituita repoſita eſt, & dolorem affert non habens exitum, neque ad alterum ventrem, his per venas ad veſicam pituita verſa, ſoluitur morbus. Et in l. 4. aphor. 18. ſupra ſeptum tranſuerſum dolores, purgatione indigere per ſuperiora ſignificant. quicũque verò inferiora moleſtant, per inferiora. Et in li. prog. com. 1. in locis ſupra ſeptum tranſuerſum ſpiritus denſus inflammationem, aut dolorem ſignificat.

Serum.

Sero vtebantur antiqui tum ad aluum ſubpurgandam, tum ad alia quoque: etenim in lib. 2. de morbis n. 12. in morbo capitis vbi quadraginta dies præterierint, capite eius purgato, prius medicamẽto exhibito

ipſum

ipsum deorsum purgato, si tempus anni permittit. deinde serum ad dies septem bibendum dato, aut pauciores si debilis existit. Et in lib. de Inter. affect. nume. 17. in nephritide pro temporis opportunitate serum, & lac bibit: serum quidem ad purgationem. Et in lib. 2. de mor. mul. nu. 12. In fluxu muliebri, veluti ex ouo crudo luteo si non affuerit serum; lac asininum coquito, & exhibito per quatuor dies. ad vesperam eadem faciat, nisi febris noctu corripiat. si verò natura fuerit lienosa, aut flatuosa, & exanguis; neque serum, neque lac bibat: sed purgantibus inferne vtatur.

Siccitas.

Siccitas ad sanitatem vtilior est, quàm humiditas: scribit enim Hipp. in l. 3. aphor. 15. siccitates ex anni constitutionibus in summa pluuialibus salubriores sunt. Et in lib. de vulcerib. pag. 204. nume. 1. vlcera vniuersa nisi vino humectare non oportet, nisi in articulo fuerit vlcus: nam siccum sano proprius est, & humidum non sano: etenim vlcus, humidum. quod verò sanum est siccum. causa est autem, cur siccitas magis salubris sit, quàm humiditas, propterea quòd humiditas est facile passibilis, & itidem corruptibilis. siccitas verò contrà: & non difficulter susçipit qualitates. verum cum receperit; difficulter remouentur. quapropter legitur in lib. de loc. in homine. nu. 1. corpus quod siccius est, morbos magis retinere, ac magis dolere à natura solet: humidum verò minus: morbus enim qui in sicco est, stabilitur, & non cessat: qui verò in humido diffluit: & alias aliam corporis partem occupat, & semper transmigrans requiem facit, & citius quoque sedetur, vtpotè non stabilitus. at quoniam siccitas calorem acuit; inquit Hipp. in lib. 3. aphor. 7. in siccitatibus febres acutæ fiunt. Et in lib. 1. de mor. nu. 16. caro siccata plus solito percalescit, & dolorem dat, & trahit humiditatem à venis, & carnibus. siccatorium autem morbum lege in lib. 2. de morb. num. 65.

Sinapi calidum est, & aluum mouet, sed vrinæ difficultatem inducit, vt legitur in l. 2. de diæ. nu. 14.

Singultus.

Scribit Hip. in lib aphor. 39. singultus causam, & inquit. conuulsio fit vel ex repletione, vel inanitione, verũ & singultus: etenim singultus est stomachi conuulsio, vt placet Gal. in l. autem. 1. prædic. pag. 170. num. 12. exponit, quæ singultum indicent, & inquit. quibus affectiones ardentes, fatuitatem inducentes, stuporis detentionem inferentes, præcordia variantia, & ventris tumor, cibis interceptis, in sudoribus: num his turbidus spiritus, & genituræ simile quid superueniens; singultum indicat? præsagia verò habentur in lib. 7. aphor. 3. vbi sic scribitur. à vomitu singultus, & oculorum rubor, malum. Et aphor 10. ab ileo vomitus, singultus, desipientia, vel cõuulsio, malum. Et aphor. 17. in hepatis inflammatione singultus, malum. Et aphor. 42. si senioribus supra modum purgatis singultus superuenerit, non bonum. Et in l. 5. aphor 3. vbi sanguis plurimus fluxerit; singultus, aut conuulsio superueniens, malum. Et aph. 4 ex superflua purgatione conuulsio, aut singultus superueniens, malum. Et aph. 58. hepati inflammationem patienti singultus aduenit. Et in li. de Coa. præ. nu. 1. in singultu, ac spiritu delyrium lethale. Et nu. 4. singultus in meracis vomitionibus, malus. Et in lib. 1. prædic. num. 3. cum singultu vocis interceptiones, malæ. ad febrem verò singultuosam scribuntur medicamenta in lib. de Vict. ratio. in mor. acu. com. 4. part. 69 vbi Galen. ait. singultus sunt motiones quædam stomachi conuulsiuę, quas fieri aiunt propter immoderatam inanitionem vel repletionem. quę fiunt propter inanitionem, ferè sanationem non recipiunt: quæ verò ob repletionem, ab his quæ infarcta secant & abstergunt, sanantur medicamentis. quare in libro 6. apho. 13. à singultu habitu sternutatio superuenies liberat. verum est, si a plenitudine fiat singultus, tunc violento opus est motu, vt veluti concussæ ipsum efficientes humiditates difflentur, atque euacuentur. sed & in lib. 2. de morbor. num. 62. describitur quoque febris singultiens, atque eius curatio. huius quoque mentionem facit Hip. in lib. de Frac. n. 12. & 38. Et in l. 5. de mor. po. n. 4. oculi caliginosi ac cauierant, & conuulsiones tenebant ab aluo, & intestino, & singultus.

Sitis.

Sitim, ac repentinam repletionem inducit panis calidus, ut legitur in lib. de Vict. ratio. nu. 18. & causa est, quia caliditas consumit humiditatem, & siccitatem efficit. Et propterea legitur in lib. progno. in morbis acutis sitim non habere, signum bonum: contrà, malum sed sitis in morbo acuto præter rationẽ soluta, malum quoque est, vt legitur in lib. de Coa. præno. nu. 1. atque in alijs locis. sine siti verò esse tũ in pleuritide, tum in omnibus circa pulmonem morbis, bonum, veluti legitur in eodem lib. num. 1. attamen siticulosi non valde in febribus ardentibus sunt vt inquit Hipp. in lib. 5. aphor. 54. quibus plerunque tusses siccæ parum irritantes. & in lib. 4. aphor. 19. qui non sitiunt in medicamẽto, potionibus dum purgantur, non cessant priusquam sitierint. E siti quoque hanc accipiamus prænotionem, quæ legitur in lib. 2. pror. par. 8 atque ea est. summæ corporis partes si celeriter in vtranque conditionem, permutentur malum. sitis quoque huiusmodi mala est. & in eodem lib. nu. 3. quibus aluus liquida, lassitudo, capitis dolor, sitis, vigiliæ, obscuritas, & impotentia fuerit, vti mente moueantur, spes est. Siticulosi verò sic regendi sunt. his cibi, & labores detrahendi sunt vinum verò aquosum, & frigidissimum est exhibendũ, quemadmodum legitur in l. de Salu. diæ num. 13. verum lac ipsis dare malum est, veluti scriptum est in l. 5. aph. 74. sed non sitire faciunt, continere os, tacere, ventum cum potu frigidum inducere, vt scribitur in l. 6. de morb. pop. sect. 3. at in l. 5. aph. 27. qui noctu bibere appetunt, his ad modum sitientibus si superdormierint bonum. & in l. 3. de mor. pop. sect. 4. inter vigilandum sitis leuis somnus medela est: siti verò ex somno, vigilia in quibusdam.

Solanum frigefacit, & semen in somnis effundere non permittit, vt scribitur in l. 2. de diæ. nu. 14.

Sol.

Sol, & ignis siccant: propterea quod cum calida sint, & sicca, humiditatem ex corpore trahunt. sic scriptum est in l. 2. de diæ. nume. 20. verum in l. de aer. acq. & loc. num. 8. sol emergens, ac illustrans aquas castigat: matutinum enim tempus ipse aer, vt plurimum semper occupat.

Solstitium.

Legitur in l. de aer. aq. & lo. nũ. 30. maxime obser-

nare oportet magnas tẽporum mutationes, vt neq; medicinas in illis libentes exhibeamus, neque vramus, quæ circa ventrem, neq; fecemus priusquã præ tereant dies decem, aut plures, & non pauciores. periculosissima sunt & ambo solstitia, maxime verò æstiuum, periculosum etiam æquinoctium vtrunque, magis verò autumnale.

Somnus.

Somnus alius est nocturnus, alius diuturnus. & ambo longi, vel breues fiunt, vel sanis, vel ægris. qui verò pueri bene dormiunt, & habitiores sunt, multum alimentum adsumunt, idque adiacet non sufficienter distributum, vt in l. de denti. pag. 24. nu. 2. legitur. qui autem sæpe cruenta, ac cruda per aluũ egerunt, plurimi in febre somniculosi sunt. at verò somnus meridianus quibus æstate conferat, lege in l. 1. de diæ. num. 28 sed in l. 2. de diæ. quidem nu. 23. operationes somni hæ recensentur in sanis. somni ieiunum attenuant, & frigefaciunt, si non longi fuerint, præsentem humiditatem euacuantes. qui verò magis calfaciunt, colliquant carnem, & corpus diffundentes exoluunt, ac debiles faciunt. à cibo verò sumpto calfacientes humectãt, alimentum in corpus diffundentes. à matutinis autem deambulationibus somnus maxime siccat. Et in l. de Flati. nu. 20. somno sanguis frigefit. Et in lib. de Salu. diæ. nu. 12. somnus longior conducit his, qui postridie cibos eructant. Et in lib. de Coa. præ. num. 1. somnus quandoque dolorem capitis soluit. Et in l. 6. de morb. popu. somnus visceribus prodest. Et in lib. 5. aph. 25. nocturnam sitim somnus sedans, bonum. Et in lib. 7. aph. 68. somnus, & vigiliæ vtraque modum excedentia malum. Et in l. de insom. nume. 2. per somnum anima corporis munia subit. Et ibidem. num. 12. actio sensuum libera fit per somnum. Et in lib. 4. aphor. 41. ex somno sudor multus citra manifestam causam fiens, corpus multo alimento vti significat. Et in lib 2. aphor. 15. ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi. quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Si verò homo ægrotet; præstat hæc præsagia somnus: etenim legitur in lib. 2. aphor. 1. in quo morbo somnus laborem facit, mortale: si verò iuuat, non mortale. Et aphor. 2. vbi somnus delyrium sedat, bonum. Et aphor. 3. somnus, atque vigilia si modum excesserint, malum. Et in lib. de Coac. præno. somnus turbulentus, & vigiliæ cum oculorum; rectitudine, & motu veloci in morbo acuto nihil boni. Et ibidem. num. 1. somni profundi non turbulenti firmam in morbis acutis iudicationem significant. turbulenti verò cum dolore corporis incõstantes sunt. Et ibidem. somni soporosi, pernicios. Et ibidem. num. 2. somnolenti, ac singultientes fiunt no no mense, quibus capitis dolor, & quibus soluta voce in integrum restituuntur. Et in l. 1. præd. num. 15. somnus multus in faucibus exasperatis, cum ventris murmure, & frontis doloribus, conuulsorius. Et in l. 6. de mor. pop. sect 7. quæ in somnis exacerbantur, & quibus extremæ partes perfrigerantur, & mens turbatur, & alia, quæ circa somnum fiunt eiusmodi: & quibus contraria. Et in l. d. Geni. num 2. somnia venerea ex humido in corpore diffuso, & calfacto siue labore, siue alia causa contingunt.

Sopor.

Quibus sopor fit spumosis prodeuntibus, his febris exacerbatur acuta, quemadmodum legitur in lib. 1. prædic. nume. 12. at in lib. de Coac. præno. nume. 1. & 2. cum sopore anxioso lumborum dolor malus est. Et, soporosi num aliquid conuulsorij habent? Et, soporosi in principijs fientes, cum capitis, lumborum, colli, præcordij dolore, vigilãtes, num phrenitici fiunt? Et, soporosi ab initio exudantes, vrinis concoctis ardentes, verum circa iudicationem perfrigescentes, & breui rursus ardentes, torpidi, conuulsi perniciosè habent. Et, soporosi, anxiosi, præcordium dolentes, parum vomentes, absessus iuxta aurem habent. Et soporosis torpefactis, liquida egestio pessima est. Et, soporosis, delassatis surdis factis aluo erumpente si rubicunda egesta fuerint, circa iudicationem prosunt. Et, soporosa, anxiosa præcordia, frequenter parum spuentia, tumores circa aurem habent. Et, in lib. 1. prædic. nu. 23. soporosa, anxiosa, præcordia dolentia, vomitiora parua symptomata, in his absessus iuxta aures oboriuntur: hæc in lib. 1. præd. & in lib. de Coac. prænotio. At l. Coma.

Sorba, mespila, corna, & quæcunque alia huius generis poma, aluum sistunt, & acerba sunt, vt in li. 2. de diæ. nume. 15.

De Sorbitione.

Eadem materia est, ex qua fit cibus, sorbitio, & potus. Sed cum quidam sint ægri ita se habentes, vt neque modicos cibos superare possent; imbecilliore sane quopiam tales indigere illis, visi sunt medici, sorbitionesque inuenerunt pauca ex fortibus multa aqua permiscentes, & robur ipsum temperatura, & coctura detrahentes. quòd si qui neque sorbitiones superare possent, his detraxerunt etiam ipsas, & ad potiones peruenerunt. probe autem nosce oportet, quibus sorbitiones in morbis non conducunt: nam statim vbi hoc fecerint, exacerbantur ipsis febres, ac dolores, & manifestum fit, quòd assumptum morbum quidem alimentum, & incrementum præbet: corpori verò tabes, & infirmitas existit. hæc de materia sorbitionum in genere, ac de præparatione, atque de vsu leguntur in lib. de Vete. medi. pag. 4. nume. 11. & 12. finis autem sorbitionis scribitur in lib. de affect. pag. 82. nume. 38. his verbis. sorbitiones in morbis omnibus dato aut ptisanam, aut milium, aut farinam, aut alicam. & quæcunque ex his dederis ad secessum; tenuia dato, & magis percocta, & dulciora potius, quàm salsiora, aut calidiora. quæ verò ad robur, aut refocillationem, crassiora, pinguiora, & moderatè cocta. Et nume. 42. quicunque cibos sufficientes perficere possunt, his sorbitiones ne dederis: excludunt enim cibum. qui verò non possunt, his dato, si verò quid dare volueris, refectionis gratia, alicam dato, & ptisanam triticeam: hæ enim sorbitiones sunt fortiores. dentur autem post cœnam, hoc est vesperi. Sed hæ quidem sorbitiones gradus habent: scriptum est enim in eodem libro numero trigesimonono, febrientibus detur post purgationem lenticula, aut milium tenue, aut ptisanæ succus. danda est autem ptisana, & milum, velut quæ leuia sint. alica verò velut omnium robustissima: & farina velut his robustior. lenticula autem odorata præparetur, & modica secundo loco datur, vt quæ leuis sit sorbitio, & stomacho grata sursum versus. ammisceatur autem sal,

aut

aut mel, & cuminum, & oleum. ad lenticulam verò pulegij herba, & parum aceti, in l. autem 2. de morb. mul. pag. 112. nume. 2. fluxibus inchoantibus muliebribus, diæta constituatur, si quidem sine febre fuerint; ex cibis: si verò febricitarint: ex sorbitionibus. sunt autem ex sorbitionibus hæc cōmodissimæ, panicum, lenticula, farina orni, ac recentis tritici cocta, alica cocta sorbilis, zea cocta. Et in lib. de inter. affect. numer. 1. si febris tenuerit: sorbitione vtatur farinæ aut milij. cæterum non in tota febre dandæ sunt sorbitiones, ac maximè si febris sit acuta, nec multa quantitas: etenim legitur in li. de Vict. ratione in morbis acut. comment. primo, par. 22. quantitas dandæ sorbitionis hoc obseruabitur pacto. nempe si morbus siccior fuerit; non multum dare oportet: sed ante sorbitionem, vel mulsam, vel vinum, vtrum magis auxiliaturum putaueris, propinare conuenit. Et si os madescat, & quæ à pulmone expuuntur talia sint, qualia esse oportet; sorbitionis quantitatem augere conuenit: nam quæ citius, ac magis madescunt; iudicationis denuntiant celeritatem: quæ verò tardius, & minus: tardiorem significant iudicationem, & quanto maior fuerit expurgatio, tanto magis ad iudicationem vsque dare oportet, sed maxime duos ab iudicatione dies, quibus vtique vel quinto, vel septimo, vel nono fieri debeat morbi iudicatio, quasi dierum tum paritas, tum imparitas perpendenda sit. post hoc autem mane sorbitionem dabis, sero autem ad cibaria te te conferes. at verò sorbitio danda est, vacuato cibo: nam scriptum est in eodem loco part. 32. quibus cibus statim incluſus; si quis non vacuato eo sorbitionem dederit; dolorem si adest, augebit: si non adest, protinus inducet, & frequentior reddetur spiritus: quod malum est: nempe pulmonem exsiccat, fatigatque tum hypochondrium, tum ventrem imum, tum septum transuersum. Et part. 44 postea si dolor quispiam, vel periculum comparuerit; sorbitionem dare oportet, neque multam, neque crassam: sed post septimam, vel nonam, si validus sit. Et part. 46. tempus dandæ sorbitionis maximè seruare oportet: nam si pedes frigidi fuerint, nec sorbitio, nec potus exhibendus est. at cum caliditas ad pedes descenderit; tunc dare expedit, & hoc obseruandum est in morbis omnibus, sed præcipue in acutis, & potissimum quibus febris vehementior suberit, periculumque summum. Et in commen. 2. par. 12. vbi quis medimentum ebibit; ptisanam protinus sorbendam dato, atque consueta quantitate, & quoniam ab re non est; in media purgatione sorbitionem dare non conducit. & vbi purgatio defierit: tunc sorbitio detur, sed consueta minor: deinde liberalius perpetuo exhibeatur, si dolor cessauerit, & nihil aliud obicem fecerit. Et part. 15. melios si quidem esse dico, vt protinus à morbi initio sorbere incipias, quàm inanitis, & vacuatis venis. vel die tertio, vel quarto, vel quinto, vel sexto, vel septimo, si ante hoc tempus morbus non iudicatus fuerit, sorbitionem inchoare. sed præparationes tales fiant, quales dictæ sint; hoc est, sectionis venæ, vel clysteris, vel balani, si necesse fuerit. hęc, quæ scripsit in hoc lib. Hip. confirmat in l. 5. de mor. popul. num 28. vbi ait. circa duodecimam, & decimam quartam diem febris augescebat, & secessus pauci: post purgationem sorbitionibus vsus est. Et in lib. 7. numero primo, hæc eadem recitat.

Spina.

Spina à sacro osse vsque ad magnum verticulum gibbosa est: & vesica, & genitura, & recti intestini pars inclinata, in hac parte est: inde vero vsque quò ad septum transuersum peruenit, in directum repanda est: & musculi lumbales hac parte existunt. hinc verò vsque ad magnum verticulum, quod supra supernas humeri partes est, è directo gibbosa est: imo magis esse videtur, quàm est: nam posteriores ossium propagines hac parte altissimæ sunt. hæc in lib. de off. natu. pag. 20. nu. 2. cæterum spinalis medulla, vt scriptum est in lib. de Carni. num. 5. neque multum pinguis, neque glutinosi habet, & solas membranas habet, quas alia medulla non habet. hæc quidem medulla maximè reficcatur, cum venulæ ad medullam tendentes fuerint obturatæ, itemque ex cerebro accessus, vt legitur in lib. de inter. affec. nume. 14. At in lib. 2. prædic. nume. 26. medulla spinæ si ægrotarit siue ex lapsu, siue ex alia aliqua causa, siue sua sponte; homo, & cruribus impotens fit, vt neque si tangatur, percipiat: & ventre, ac vesica, vt circa prima tempora, neque stercus, neque vrinam egerat, nisi ad necessitatem. cum autem vetustior factus fuerit morbus, non vrgente homine, & stercus prodit, & vrina. moritur autem postea, non multo interposito tempore. Et in lib. 1. de mor. nu. 3. spinali medulla sauciatus moritur. Et in lib. de loc. in homi. pag. 31. nume. 18. cum fluxio in medullam spinalem contigerit; tabes occulta, ac inconspicua oboritur. cum autem retro ad vertebras, & in carnes defluxerit; hydrops fit. Et in l. 5. aphor. 18. frigidum inimicum ossibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calidum verò vtile. Et in l. 2. de mor. pag. 69. nu. 49 dorsalis tabes à medulla fit. corripit autē maximè recentes sponsos, & veneri deditos. sunt autem sine febre, & bene cibum capiunt, ac consumuntur. & si interroges ita affectum; dicet sibi supernè de capite in spinam velut formicas descendere videri. & vbi mingit, aut ventrem exonerat; prodit ipsi genitale semen multum, ac liquidum. curationem verò ibi lege. Sed ad spinam dorsi redeamus, cuius cognitio, vt legitur in l. de Arti. num. 41. in omnibus morbis multum, in gibbosis verò plurimum momenti habet. ipsa quidē spina, vt habetur in eodem lib. nu. 39. gibba fit ex casu. Et in l. de hum. vsu. nu. 4. à frigida aggrauatur. & in l. 2. de mor. nu. 5. dolet ex calore à cerebro. Et in l. de Artic. num. 45. obliquatio eius multifaria. Et in li. de Coa. præno. nu. 3. spinæ distortionem, & spirandi difficultatem sanguinis fluxio soluit.

Spirandi difficultas.

Varijs de causis oboritur spirandi difficultas: etenim, vt legitur in lib. 2. de morb. mulie. nume. 2. fit ob fluxum muliebrem rubrum. Et in lib. de Artic. nume. 37. fit interdum à gibbo. Et in lib 4. aph. 50. fit quandoque in febre non intermittente, atque ea est lethalis. Et in lib. de Denti. nume. 3. spirandi difficultatem, vt plurimum inducunt vlcera proserpentia circa fauces grauiora, & magis acuta. Et in lib. 2. prædic. nume. 5. spirandi difficultatem potus vberior inducit. Et in l. de os. na. nu. 25. interceptis transitibus per callosam duriciem velocitas, ac difficultas spirandi oboritur. hinc fiunt anhelationes, & tabes sicca. Et in lib. 3. aphoris. 31. spirandi difficultates

senibus accidunt. Et in lib. de Coac. præno. cum spirandi difficultate, & lateris punctura intestinorum leuitates in tabem desinunt. Et ibidem, num. 1. spirandi difficultatem, & spinæ distortionem sanguinis fluxio soluit. Sed l. Asthma.

Spiritus, ac spiratio.

Non de spiritibus innatis, neque de eo, qui ventus appellatur, nobis hoc tempore est agendum: sed de eo, quem spiramus, & qui quandoque pro spiratione scribitur. hic profecto maximè est in omnibus morbis, sed præsertim in acutis obseruandus; ab eo enim prænoscimus sæpenumero, quis morbi futurus sit finis: nam scribit Hippocr. in lib. prog. com. 1. par. 24. spiritus, hoc est, spiratio crebrior significat dolorem, aut inflammationem, quæ supra precordia fatiget. si verò spiratur magnus, multoque interposito tempore; delyrium indicat. si verò frigidus de naso, & ore; admodum exitialis iam est. Et subdit. spirationis facilitatem existimari oportet maximam vim habere ad salutem in omni morbo acuto, qui cũ febre infestet, & quadragesimo die iudicetur. Et in comm. 2. par. 66. Abscessus scilicet humorum consistunt, hi in locis infernis, quibus circa ilia inflammatio ea fatiget: illi in supernis, in quibus ilia molliora, & sine dolore persistunt. si verò ab quandiu spiret difficulter, sine alia occasione definet, hoc est, vt interpretatur Galen quoties spirationis repente eueniens difficultas per prædictas affectiones rursus derepente desistat, ita vt & eueniat, & desinat sine euidenti causæ, significat tendere humores ad caput, quemadmodum ad infernas sedes, calor quidem euidens circa ilia. Et in comm. 3. part. 8 qui conualiturus est: facilius spirat, sine dolore agit, noctu dormit, & alia signa securissima habet: qui verò moriturus est: spirat difficulter conflictatur, vigilat, & alia signa pessima habet. Et in lib. de Coac. præno. nu. 2. spiritus frigidus quidem lethalis est. lethalis autem est & febriculosus, & fuliginosus. Et ibidem. spiritus qui densus, & paruus est, inflammationem, & dolorem in locis principalibus significat. Et ibidem. spiritus extendens, & urgens, & obscurus, & dupla intra reuocatio, velut super inspirantibus, lethalis. Et, quibus spiritus retrahitur, & vox strangulatoria est, & vertebra intro considet, his in fine, velut contrahente quodam spiritus fit. Et ibidem nu. 1. in spiritu, & sudore delyrium lethale est. Et ibidem. spiritus magnus in biliosis febribus acutis cum præcordij intensione iuxta aurem abscessum facit. Et in lib 4. aphoris. 50. vbi in febre non intermittente spiritus. difficultas acciderit, & delyrium, lethale. Et aphor. 68 in febribus spiritus offendens, malum conuulsionem enim significat. Et in l. de Coa. præno. nu. 3. spiritus qui cum suspirijs extra feruntur, & colliquatio præter rationem in vterum gestantibus, abortum facit. Et in l. 1 prædic. nu. 23. quibus magnum, & frequentem spiritum habentibus morbus regius, & febres acutæ cum præcordijs duris perfrigeratæ sunt num his abscessus magni ad aures consistunt? Et ibidem numer. 3. spiritus veluti his, qui strangulantur præ manibus expositus in vocis interceptione, malus est Et in lib. de Coac. prænotio. numer. 4. spirantes difficulter, ex putredine multa cruda educentes in tabe, perniciosè habent. & in libro secundo, pror. par. 4. si qui sudantes & præsertim capite in acutum paulum implaciti fuerint, malum, tum alias, tum ex vrinis nigris. turbidus quoq; & in his spiritus malus.

De Splene.

Proditum est in l. de Carni. pag. 19. numer. 9. splen hoc modo constitutus est. cum calido, & glutinoso concluſum fuit, calidum quidem plurimum, frigidum autem, minimum, tantum solummodo, quantũ ad glutinosi compactionem satis erat. sunt autem id fibre in splene existentes, & propter has fibras mollis est splen, & fibrosus. Et in lib. de corpo. resec. pag. 25. num. 3. ex latere notho, sinistro videlicet, lien intrò sumpto extentus est ad humani vestigij similitudinem. Splen autem & caput maxime caui sunt, vt legitur in lib. 4. de morb. num. 2. est quidem ipse fons aquæ, seu atræ bilis; sicut ibidem legitur. vnde cum aqua augetur; & splẽ quoque: & idcirco fit magnus, durus doloroſus. atque hinc fiunt, quinque morbi, de quibus scribitur in l. de inter. affect. fit autẽ splen aquosus plus solito, cum febris habuerit, & non dimiseri, hominem, & sitis ipsum corripuerit fortis, & biberit, ac non reuomuerit. sic legitur in l. 1. de mor. mul. nu. 87. sed in lib. 4. de mor. nu. 14. caput, & splen maxime sunt morbis obnoxia: ægrotant enim, & ab his, quæ à natura insunt, cum plura quam opportunum est, accesserint. ægrotant item ab alijs humoribus: venæ enim in ipsis crassæ, ac multæ sunt; & ipsa quoque venosa sunt, ac caua, vt & alijs humoribus recipiendis capacitas in ipsis sit, paulatim nimirum accedentibus, & ad eum humorem, qui à natura ineſt, se ammiscentibus, quemadmodum in vase magno amplior capacitas est, quàm in paruo. sic sanè & in capite, aut in splene res se habet: magna enim capacitas maxime in ipsis est. si verò repletæ fuerint isthinc humore venæ, ab ipso sanè in illis morbus oboritur. Et in l. de loc. in hom. n. 36. cum splen præfebre magnus factus fuerit; (fit autem, cum corpus attenuatur: ex ijsdem enim splen floresçit, & corpus contabescit) cum autem corpus tenue fuerit, & splen floruerit, & omentum simul cum corpore attenuatũ fuerit; pinguitudo in omento colliquescit. vbi verò vasa pinguitudine vacua fuerint, & à splene florente, ac augescente in omentum defluxerit, vt pote vicinum valde existens, & vt vasa habens, eaque vacua excipit. & vbi morbus semel in corpore factus fuerit; ad id, quod est morbosum, vertitur, nisi quis probe disponat, ac curet: nam etiam si quis bene tractet, periculo non vacat. curatio autem sint medicamenta, quæ aquam purgent, & edulia quàm pituito fissima. crustæ inurendę, sed ibi lege.

Splenis porrò affecti signa hæc leguntur in l. 6. de morb. popul. sect. 2. quibus splen deorsum vergit, pedes, & manus, & genua calida sunt: nasus, & aures semper frigida. num propter hoc quod tenuis sanguis? num & natura talem hi habent? & subdit. splen durus non superne. inferne, rotundus, latus, crassus, longus, tenuis longus, minus capitis grauedine laborantibus. Et in l. de Coa. præ. in splene magno ex dextris sanguinem erumpere, malum est. circa præcordia eodem modo se res habet.

Verum lienes maxime fiunt, vt dicit Hipp. in l. 3. aph. 22. in autumno. fiunt magni, ac pleni etiam ex aquis lacustribus, quemadmodum legitur in l. de aer. aq. & loc. n. 10 sed in l. de Humor. num. 5. splenici aliquantum fiunt, si æstas biliosa fiat, & bilis aucta intus relin-

relinquatur. Cæterum antequam ad lienis morbos veniamus, obseruandum est id, quod scriptum est in l.2. de mor. nu. 60. hoc est. splenicum ne purges, neq; succis, neque lacte, neq; sero. sed eo, quod modicum ingestum multum educet, purgabis. Et in l. de affect. nu. 21. splenici quidam, quibus pharmacorum potiones nihil proficiunt, his morbus in hydropem degenerat. at ad splenis dolorem accedamus.

Splenis dolor: ab hac causa oboritur. vbi homo bibit amplius; corpus, & splen aquam in se ipsa trahunt ex ventriculo. & si plus traxerint quàm oportet statim homo affligitur. atque hoc ita fieri intelligũt, quicunque homines splenici existunt. deinde curationem hanc subdit, postquam autem traxit splen; optimum est si vetus aqua, quæ in splene inerat, ad vesicam, aut ventriculum exoletur, & per hæc expellatur. nam per supernas regiones non purgatur aqua de splene, nisi quantum eius in vasis inest, quæ de liene procedunt. verum ad ventriculum, & vesicã depurgatio fieri potest. si verò hęc ad fluxionem apta non fuerint, neque aqua per eas foras excoletur; de splene ad infernas partes aqua procedit, atque isthic alij humori miscetur. &, si pauca fuerit; non sanè læserit, sed de corpore ad vesicam, & ad ventriculum per venas excolari poterit: sunt. n. multæ ex hoc tendentes deorsum, quæ ex infernis partibus ad seipsas trahunt; vbi sicciores fuerint, quàm prius erant. at, si alia aqua generetur, & ventriculus, ac vesica foras non expellant; splen eleuatur, & infernæ corporis partes dolore afficiuntur. Deinde quid postea fiat explicat Hip. in l.2 de morb. popu. sect. 3. lienis eleuationes si non ad articulos finierint; sanguinis è naribus eruptio fit, aut præcordij intentio, si non penetrauerint vrinæ.

Quicunque igitur splenem habent magnum, siquidem fuerint bilioſi; hi mali coloris fiunt, malis vlceribus, scatent, & ex ore graue olent, & tenues euadunt, & splen durus est, & semper consimili magnitudine, & cibi non secedunt. Qui verò pituitoſi sunt; hæc & minus patiuntur, & splen aliàs maior, aliàs minor efficitur. Curatio est capitis, & totius corporis purgatio, & reliqua ibi lege: etenim hæc scribit Hip. in l. de Aff. pag. 81. num. 21. & subdit. Aliquibus verò splẽ suppuratur, & vsti sani fiunt. cum quibusdam verò consenescit, durus, & magnus existens. Morbus autem fit, cum ex febribus, & mala curatione, bilis, aut pituita, aut ambo in splenẽ incubuerint. Et diuturna quidem est affectio, sed non lethalis. Ex pharmacis quæ splenis gratia exhibentur, alia per vesicam purgant, & ipsum molliorem faciunt: alia verò purgant quidem: verum neque per vesicam quicquã, quod manifestius fiat, neque vsquam alia parte: splenen tamen molliunt.

Splenis præterea quinque describuntur morbi in l. de inter. affec. pag. 88. nume. 33. quorum signa hoc exponemus loco, curationes verò suis. Splenis primus morbus fit propter caliditatem solis, bile commota, cum splen in se ipsum bilem traxerit. hæc igitur æger patitur febris acuta in principio accedit: progrediente verò morbo remittit, excepto ipso splene, in quo semper calor hæret: & dolor aliàs, atque aliàs incidit acutus, & in lateris mollitudinem, & in ventrem. & cibos in principio quidem admittit, non valde autem secedunt. progressu autem temporis, & color pallidus fit, & dolor fortis irruit: & clauiculæ attenuantur. & cibos non si militer admittit, velut in principio, & à modico impletur. lien. verò alias magnus fit eadem die, & alias minor. quo pacto autem curandus sit, ibi lege. Et n. 34. legitur alius morbus splenis, qui fit ab ijsdem, quibus prior. cuius signa sunt hæc. venter inflatur. postea verò splen intumescit, & durus est; & dolores acuti in splenem incidunt. color autem mutatur, & conspicitur niger pallidus malicorij speciem referens, & ex aure male olet, & gingiuæ male olent, & à dentibus discedunt. & ex tibijs vlcera erumpunt, velut pustulæ nocturnæ. membra autem attenuantur, & stercus non secedit. hunc cum sic habuerit, curetur, vt ibi narratur. Verum. n. 35. scribitur alius splenis morbus. qui fit in anno, veris maxime tempore, sed à sanguine. cum enim repletus fuerit splen sanguine; erumpit in ventrem, & dolores acuti in splenem incidunt. Et in mammam, & in clauiculam, & in humerum, & sub scapulam dolor autem corporis est plumbi formis, & parua vlcuscula velut lancinata in tibijs exurgunt, ex quibus vlcera magna fiunt: & quæ primum infra secedunt, sanguinolenta sunt, & eruginoſo: & venter durus subdit; & splen velut lapis est. hic morbus magis lethalis est, quam priores, & ex ipsis pauci effugiunt. curationem verò ibi vide. At nu. 36. enarratur alius splenis morbus, qui accidit maxime vere; cum splen pituitam aſſumpserit in se ipsum, & statim magnus factus fuerit, ac durus, & deinde rursus sedatur, & cum qui eleuatus fuerit, dolores incidunt acuti. cum verò mollis fuerit; doloris exors est, & vbi diuturnus factus fuerit morbus, obscurior esse videtur: & insurgit, & cito sedatur, & curatio ibi scripta est. Sed num. 37. legitur alius splenis morbus, qui fit autumno maxime ab atra bile. fit autem ab olerum multorum quæ cruda eduntur esu, & ab aquæ potu. patitur itaque æger hæc. cum morbus corripuerit, splenem vehementer dolet, & rigor, & febris apprehendit, & inedia ipsum habet, ac cibos auersatur, & corpus cito concidit. splen autem magnus quidem non valde fit, verum durus, & viscera allabitur, & adhærens surgit, quo modo verò sit curandus, ibi lege.

Spleniticus porrò morbis miscellanea quædam adiungemus, quæ ex libris de morbis popul. desum, psimus. atque primum legitur in l.1. de morb. popul. sect. 3. ægro. 1. circa meridiẽ sexta die mortuus est. huic spiritus ad finem vsquæ velut reuocanti rarus, & magnus. splen eleuatus est orbiculari gibbositate. sudores frigidi perpetuo. exacerbationes diebus paribus. Et in l.2. de morb. pop. sect. 1. quibus à splene sunt morbi, tũ hydropes, tum morbi regij, nigriores sunt. at morbi regij abhepate ad subalbidum colorem vergunt. Et sec. 2. eiusdem l. erat sublienosus. ex sinistra nare sanguis erumpebat frequenter, & paulatim. iudicatus est. Postridie iuxta sinistram aurem tumor. Et infra, sanata est veratri potione Lycia: postremũ splen magnus, & dolores, & febris, & ad humerum dolores. & vena, quæ in splene est, in cubito secabatur, & saniebat quidem sæpe: aliquando verò etiam non est secta. sed vna cum sudore sanguis penetrauit, aut sua sponte. ex quo autem prodiebat, splen dextra parte intendebatur, spiritus intus duplicabatur, non tamen magnus. mente mouebatur; contegebatur,

tur, flatus inerat, non prodibat inferne quicquam, neque mingebat. mortua est ante partum. Quæ circa fauces ad alterutram partem repentina processerunt, exulcerata non sunt, ad sinistra transiuerunt, ad splenem dolor venit citra iudicationem. Coi soro ri hepar eleuatum est splenico modo. mortua est secũ da die. Bion simul multum mingebat, quod non sub sidebat, & sanguis ex sinistra manebat: erat enim & splen rursum in gibbum eleuatus, ac durus. superstes mansit. recidiua. Et in sec. 3. eiusdem lib. 2. è directo etiam laterum intentio dolorosa; & præcordiorum intentiones, è naribus eruptiones. & infra. splen eleuatus, & deorsum vergens factus est. potu vtebatur aceto mulso dulci, aut fauorum cremore cocto. decima sanguis ex sinistra nare aquosus paucus venit: non autem valde infirmus erat ob hoc ipsum: & vrina subsidentiam habens. Et in lib. 3. sect. 3. Aegro. 6. erat sublienosus, & capitis grauatus. primo die sanguis è sinistra nare erupit: multa tamen febris augescebat. Et in l. 4. de morb. popu. nu. 3. splenes quibusdam parui ad præcordia dextra extenti, & ad manũ submurmurantes. sanguinis fluxiones, & vrinis purgatio, ac iudicatio. multo autem magis infra nitebãtur: nam & hoc sub illud tempus corripiebat. quibus non sic erat, splenes verò etiam eleuati, his sanguis ex sinistra nare. Et n. 5. eodem tempore horridi, vomentes, & post iudicationem cibum auersantes, & biliosi, & splenes magni, duri, dolorosi, & sanguinis eruptiones. quibusdam verò eodem tempore post, pleiadum occasum, ex naribus sanguis biliosus ob splenes. Et nu. 11. Post pleiadum occasum lienosa vsque ad quintum diem, fluebant, iudicata sunt. Et nu. 12. horridi, anxij, cibum auersantes, recidiuantes, biliosi, sanguine manantes, subsplenici, doloroso modo plurimi ex sinistris affecti. Et nu. 3. vir metallicus præcordium dextrum intentum, splen magnus, aluus intenta, subdura, spirituosus, decolor, huic ad genu sinistrum, recidiua, per totum iudicatus est. Et n. 17. præcordia magna, splen, spiritus, & seceſſus amaræ bilis, aliquantulo stercore ammixto, lassus ex operibus. vigesima die ad pedes, & iudicatio certe lassis ad articulos, non ad articulum, præcordia verò erant intenta, & sanè erat etiam tussicula quædam modicè sicca. Et in l. 7. n. 55. Erat quidem splenicus, & vitiati coloris; contigit autem ipsi, vt tumor circa femur sinistrum obortus derepente euanesceret. non multis verò postea diebus oborta est ipsi circa splenem, veluti pustula nocturna ab initio, insuperque, tumor, ac robur durus. post diem quartum febris ardens oborta est, & liuefacta sunt omnia circum circa, & putrida videbantur. mortuus est. Et n. 57. Eudemus splenem vehementer dolebat. imperarunt ipsi medici, vt mutum ederet; & vinum biberet modicum, tenue, & multum deambularet. non mutatum est quicquam: vena secta est. cibos, ac potus parce sumpsit: deambulationes fecit, sensum augmento facto. vinum bibit nigrum, tenue. sanatus est. Et in lib. 6. aphor. 48. Lienosis dysenteria si succesſerit, bonum. & aphoris. 43. Quicunque lienosi a dysenteria corripiuntur; ijs superueniente longa dysenteria, vel hydrops succedit, vel alui profluuium, & moriuntur.

Spongia combusta ad muliebrem fluxum cohibẽdum legitur in l. 2. de mor. mul. n. 71.

Spuma.

Scriptum est in l. de mor. fac. nu. 7. spuma in comitialibus ex ore prodit ex pulmone: cum enim spiritus non ingrediatur in ipsum, spumescit, & ebullit, velut moriens. Et in l. 2. apho. 43. qui strangulantur, & resoluuntur, nondum tamen mortui sunt; non redeunt ad vitam, quibus spuma circa os fuerit. Gal. autem in com. ait. In comitialibus cum continuo per respirationes aer, intro, atque extra feratur; tunc saliua in his extenuatur, & aliquid etiam ex pulmone instar vaporis effertur, quod saliuæ miscetur. vnde factam spumæ substantiam augeri contingit. vbi autem laqueus collo circundatur; necesse est cordi, atque pulmone, vt fulginosam expiret superfluitatem. talis spuma est signum exitiale: quoniam pulmonis violentiam significat, quam strangulato patitur animali. præcipuè verò hoc fieri rationabile est propter eam, quæ ex corde ad ipsum impellitur caliditatem. vnde & caloris efferuescentia, & motu spiritus violento, & vehementi pulmonis conatu ad educendam spumam signum est lethale. Et in l. 5. apho. 13. qui sanguinem spumosum expuunt, his è pulmone eductio fit. Et ibi Gal. ait. sanguinem spumosum solius pulmonis vlcera indicare: non autem vlcerato pulmone ex necessitate spumosum expui semper, quemadmodum apparet in quibusdam ex alto cadentibus. at legitur in lib. 1. prædict. nu. 15. hæc prænotio. spumosę mictiones vnà cum animi deliquio cõuulsorię sunt. Et ibidem nu. 3. spumosa florulentia in biliosis meracis alui egestionibus mala. Et in l. 7. aph. 30. quibus in alui profluuio excrementa spumosa sunt, his ex capite pituita defluit. Et in l. de Coac. præn. num 3. qui spumosum sanguinem vomunt, dolore infra septum transuersum non existente, de pulmone vomunt: & quibus magna in ipso vena rumpitur, multum vomunt, & in periculo versantur. quibus verò minor, minus educunt, & securiores sunt.

Sputatio, & sputum.

Sputatio educit ea maxime, quæ ex pectore proueniunt. Et idcirco sputa de morbis pectoris valde præsagiunt: etenim legitur in l. progno. pag. 167. nu. 13. sputum in omnibus doloribus, qui circa pulmonem, & costas fiunt, cito, ac facile expui conuenit, & flauum sputo valde permixtum apparere: si enim longe postea post principium doloris, expuerit, quod flauum est, aut fuluum, aut quod multam tussim inducit, & non valde permixtum est, deterius est: nam & flauum, meracum, periculosum est, & album, ac viscosum, & rotundum inutile est. malum est, & quod viride est valde, itemque pallidum, & quod spumosum. si verò ita fuerit meracum, vt etiam nigrum appareat, hoc ipsum deterius est, quàm illud malum est etiam si nihil repurgetur, neque emittat pulmo, sed plenus ferueat in gutture. sputum autem flauum, sanguine permixtum non multo, si in pulmonis inflammatione, in principio morbi reijciatur, salutare est, & valde prodest. si verò septimo die, aut posterius; minus securum est. & idcirco legitur in l. 1. apho. 12. in morbo laterali si circa initia statim sputum appareat; morbũ breuiat. si verò postea; producit. Et subdit Hip. in eodem lib. prog. nu. 13. omnia sputa mala sunt, quæ dolorem non sedant, pessima verò sunt nigra: quæ verò dolorem sedant, omnium optima existunt. Et inquit. n. 14. quicunque dolores ex his locis

non

non ſedantur, neque ad ſputorum purgationes, neque ad ſtercorum alui ſubductionem neque ad venæ ſectiones, & victus rationem, ac medicamenta; eos ad ſuppurationem verti ſciendum eſt. ex ſuppuratio nibus quæcunque dum ſputum adhuc bilioſum eſt, ſuppurantur, pernicioſe valde ſunt, ſiue bilioſum illuc in parte, ſine ſimul cum pure expuatur: & hoc po tiſſimum ſi morbo ad ſeptimum diem progreſſo, ſuppuratio ab hoc ſputo procedere incipiat. timor autem & eum, quia talia expuit, moriturum eſſe decima quarta die, ſi non aliquod bonum ſignum ipſi acciderit. ſunt autem bona hæc: facile ferre morbū, bene ſpirare, à dolore liberatum eſſe, ſputum facile tuſſiendo reijcere, corpus æqualiter calidum, ac molle apparere, ſitim non habere, vrinas, & alui egeſtiones, & ſomnos, & ſudores, veluti deſcriptum eſt. contra mala ſigna ſunt ægrè ferre morbum, ſpiritum magnum, ac denſum eſſe, dolorem non ſedari, ſputum vix tuſſiendo reijcere, valde ſitire, corpus inæqualiter à febre teneri ventrem, ac coſtas fortiter calidas eſſe, frontem, & manus, ac pedes frigidos, vrinas autem & alui egeſtiones, & ſomnos, & ſudores velut deſcriptum eſt, ſi enim ita acceſſerit horum aliquid ad ſputum; peribit vtique homo priuſquam ad decimum quartum diem peruenerit, aut nono die, aut vndecimo, ſed in l. de Coac. præ. nu. 3. ſputatio cruenta, non feculenta, mulieribus his, quibus ex febribus dolor mammarum fit, ſoluit dolores. Et in l. 1. præd. n. 1. ſputatio in phreniticis frequens, mala. Et in lib. prœno. n. 14. ſputum facile tuſſiendo reijcere, ſignum bonum: contrà, malum. Et in l. 7. aph. 16. ſputum in tabidis, ex puris ſputo ſuppreſſum mors. Et in lib. de Coa. præ. ſputum multum cruentum, ſiue ſubputridum, ſiue bilioſum meracum, in hepaticis pernicioſum eſt. Et, ſputum tabidorum in igne grauem nidorem olens, & capilli de capite fluentes; lethale. Et, ſputum facile educere, tum in pleuritide, tum in omnibus circa pulmonem morbis, bonum. Et, ſputum omne non ſoluens dolorem, malum. Et, ſputum in pleuriticis tertia die maturari, ac expui incipiens, citiores ſolutiones facit: verum poſterius tardiores. Et in l. 7. aph. 11. ſputum quodcunque tuſſiendo à tabidis reiectum, ac punis iniectum male olet, & capilli de capite defluunt, lethale. Et in li. de Coac. præno. in ſputo bilioſo lateris dolor præter rationem euaneſcens, pernicioſus. Et ibidem n. 2. ſputa craſſa, & non olentia, capitis dolorem ſoluunt. Et, ſputa in angina viſcoſa, craſſa, valde alba, quæ violenter educuntur, mala ſunt &c. Et in l. prœno. n. 13. ſputa omnia mala ſunt, quæ dolorem non ſedant. peſſima verò ſunt nigra, velut deſcriptum eſt. quæ verò dolorem ſedant omnium optima exiſtunt. Et in l. de Coac. præ. ſputa ſuppreſſa in tabeſcentibus mentem ad nugas garrientes emouent. his ſpes eſt hæmorrhoidem apparere poſſe. & ſputa viſcoſa, cum raucedine, falſuginoſa, mala. & ſputa gracilium ſubarida in anginis, malum. & ſputa ſubarida frequentia ex angina, cum tuſſi, lateris dolorem inducentia; pernicioſa, &, quibus ſputa falſuginoſa, ac tuſſis ſupprimuntur, his corpus veluti à puſtulis rubeſcit. verum ante obitum exaſperatur. &, ſputorum graueolentiæ cum ſuppuratos minus habentes ſequuntur; eos recidiua occidit, & in l. 3. de mor. nu. 22. quibus ſputa varia in pleuritide ſtatim ab initio, & dolores valde acuti fiūt; hi tertia die moriuntur. Et in l. 6. de morb. popu. ſect. 6. ſputa rotunda mentem emouent, veluti ille in Plinthio: huic ſanguis ex ſiniſtra nare erupit, & ſolutus eſt quinto die. Et in l. 4. de morb. po. nu. 29. ſputa peripneumonicis quibuſdam bilioſa, cum deſinere volunt, valde flaua, breuia fiunt. Et in l. de Vict. rat. in morb. acut. n. 53. ſputa matura ſunt, cum ſimilia fuerint puri. Et in l. 1. præd. n. 17. ſputa defluentia febricitanti ex ſudore, leuia ſunt. Cæterum quæ ſputum excitant, & educunt, lege, vbi de Pleuritide, Peripneumonia, ac de alijs morbis, quæ circa partes ſpiritus fiunt, agitur.

Stercus.

De ſtercore alias actum eſt, ac maxime in cap. de Egeſtionibus: tamen quædam hoc adijciemus loco prognoſtica ſigna, quæ ab ipſo deſumunt. Inquit igitur Hip. in l. Prog. nu. 10. ſtercus exiguum, & viſcoſum, ac album, aut ſuppallidum, aut ſubuiride, ac leue, malum. & ſtercus valde aquoſum, aut album, aut pallidum, aut viride, aut vehementer rufum, aut ſpumoſum egerere, hæc omnia mala ſunt. &, ſtercora varia diuturniora ſunt; nihilominus autem pernicioſa. ſunt autem talia, ramentoſa, & bilioſa, ac cruenta, & praſina, & nigra, aliquando ſimul inter ſe exeūtia, aliquando particulatim. &, ſtercora nigra aut pinguia, aut liuida, aut ęruginoſa, & male olentia, lethalia ſunt. verum quæ ſtercora per aluum expellant, lege in l. de vic. rat. in morb. acu. nu. 69.

Sterilitas.

Sterilitatis autem cauſa quandoque eſt muliere, quandoque in viro. ſi mulieres ſint ſteriles; id varijs de cauſis contingere poteſt; etenim non concipunt ex magnis in vteris vlceribus, vt legitur in lib. 1. de morb. mul. n. 7. nec ex vteris ad medium lumborum progreſſis, vt in l. de natu. mul. num. 14. nec ex vteris adglutinatis, veluti in eodem l. nu. 8. nec ex vteris ad coxam decumbentibus, vt in l. 2. de morb. mul. n. 31. ſic ſterilitatis in viris cauſæ, quæ ſint, legitur in li. 5. aph. 62. & 63. & primum de cauſis ſterilitatis in muliere hæc verba ſcribuntur. quæcunque frigidos, & ſpiſſos vteros habent, non concipiunt. & quæcunq; præhumido habent vteros, non concipiunt: eſtinguitur. n. in eis genitura, quæcunque ſiccos magis, & aduerentes: nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. quæcunque verò ex vtriſque mediā habent temperaturam, hę fœcundæ ſunt. deinde de ſterilitatis cauſa in viris hæc ſcribuntur. aut enim propter corporis raritatem ſpiritus extra fertur, vt ſemē non tranſmittatur ad os: vel propter ſpiſſitudinem humor non exit foras: vel propter frigiditatem non concaleſcit ita, vt ad hunc colligatur locum: vel propter caliditatem hoc idem accidit. verum ſi plura optas: lege libros de mor. mul. & vbi agitur de Conceptione.

Sternutatio.

Sternutatio fit ex capite, percaleſcente cerebro, aut vacuo, quod eſt in capite, perhumeſcente; aer enim, qui intus eſt, foras erumpit. ſtrepitum autem ædit, quia tranſitus eſt ipſi per auguſtum. hęc recitat Hip. de cauſa, & loco ſternutationis in l. 7. aphor. 52. verum legitur in lib. 6. aph. 13. ſternutatio ſuperueniens, ſingultu fatigante, liberat. & in lib. 5. aph. 35. mulieri quæ vterinis moleſtatur, aut difficulter parit, ſternutatio ſuperueniens, bonum. ſed quemad-

modum

modum sternutatio bona facit, sic & mala: nam legitur in l. 1. de Coac. præno. sternutationes, ac grauedines in morbis circa pulmonem, & antecessisse, & succedere, malum est. reliquis autem sternutatio non incommoda est. Et in li. prog. nume. 13. sternutationes in morbis lethalissimis prosunt, exceptis pulmonis morbis.

Stomachus. L. Ventriculus.

Strangulatio.

Strangulationis causæ sunt plures, sed præcipue in muliebribus vteri affectu, quemadmodum legitur in libris de Morb. Muliebribus. ex hac autem accipimus hæc prognostica signa. scriptum est in lib. de Coac. præno. strangulatis ab vtero conuulsiones antea non cognitæ, facies sunt. Et, strangulationes ex mensibus suppurationem faciunt. Et in l. 2. aph. 23. ex his qui strangulantur, ac submerguntur, nondum autem mortui sunt, non reconualescunt, quibus spuma circa os fuerit. Et in l. 4. aph. 34. si febricitanti tumore non existente in faucibus, strangulatio subito accidat, lethale.

Stranguria. i. vrinæ stillicidium.

Hos quidem scribemus aphorismos, qui ad stranguriam pertinent: cætera dicemus in cap. de Vrinæ. stillicidio. inquit Hip. in lib. 3. apho. 26. pueris grandiusculis stranguriæ fiunt. Et in l. 5. aph. 58. recto intestino, aut vteri inflammationem patiente, vrinæ stillicidium accidit: & renibus purulentis vrinæ aduenit stillicidium. Et in l. 6. aph. 44. quibus ex stillicidio vrinæ ileos superuenerit, in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente, satis vrina fluxerit. Et in l. 7. aph. 49 vrinæ stillicidium & mingendi difficultatem vini potio, & venæ sectio soluit: incidere autem interiores. s. venas.

Strumæ.

Glandulæ cum proprio morbo ægrotant; tubercula fiunt, & strumæ resultant, & febris corpus occupat sic de strumarum ortu scriptum est in lib. de Glãdul. pag. 26. n. 1. deinde nu. 6. legitur ex quo humore fiant, his verbis. si autem pituitosa, & multa, ac lenta fuerit fluxio; etiam sic inflammatur. & inflammatur, cum stabilis humor existat; strummas pessimum colli morbum generat. Et in lib. de Affectionibus nume. 35. fauus, & strumæ, & furunculi ex pituita fiunt. & quicunque bilosi sunt, his dato ea, à quibus bilis purgatur: pituitosis, pituita, atrabiliarijs, atrabilis, hydropicis, aqua. Et scribit Hipp. in lib. 3. aphor. 24 pueris grandiusculis strumæ fiunt. & in lib. de Coac. præno. nu. 3. strumæ post annum quadragessimum secundum, & sexagesimum tertium non fiunt.

Stupor.

Legitur in l. 2. de morb. pop. sect. 5. stupidus est, cui vena in cubito quieuit: & id de mente. sed de corpore scriptum est in l. de Flatib. num. 19 quonam modo stupor attonitus, seu apoplexia, seu syderatio a flatibus fiat, & inquit. cũ flatus frigidi multi penetrent, ac inflent carnes; partes corporis stupidæ fiunt. Et si quidem plurimi flatus per vniuersum corpus discurrant; totus homo syderatur: si per partem pars illa percutitur, atque vbi abierint flatus, cessat & morbus. quandiu autem permanserint, consistit & morbus. idque sic habere indicat perpetuus syderatorum hiatus. sed de stupore attonito. L. Apoplexiam. Et in l. 1. præd. n. 12. vocis interceptiones cum exolutione, stupore detinente, pernicioſæ. Et nu. 11. eiusdem lib. caput dolentes & stupore detenti, delyrantes, aluo intercepta oculum ferocem præ se ferentes, floreſcentes, opisthotono corripiuntur. & in lib. 7. aphor. 14. in capitis ictu obstupescentia, & desipientia, malum. & in l. de Coac. præno. n. 1. stupefactoria sunt, quę conuulsorio modo exacerbantur. In l. autem 4. de morb. popul. nu. 27. Vxor Emmyres modo non morboso, absque febre, stupida esse videbatur. postea ad tremorem totius corporis res ipsi ipsi deuenit; & ad colliquationem, & cibi fastidium, ac sitim, & frigida erat.

De Sudore.

Cum inutilis fiat humor; & ad ventriculum, & ad vesicam defluit. hæc autem foras, expellunt. Pars autem ipsius extra exhalat per internam corporis raritatem. pars autem, quæ adhuc intus manet; sudor fit, & per corpus pars procedit. hæc in l. 4. de morb. pag. 76. nu. 18. scribuntur de sudoris materia & in lib. 1. de morb. n. 22. sudor fit hac de causa in febribus. s. Quicunque morbi in iudicatorijs diebus iudicantur, & febrilis ignis dimittit; in his de pituita, & bile quod tenuissimum est, eliquatur, & secernitur. & secedit partim extra corpus, partim intus, & isthic in corpore relinquitur, & partim prę caliditate attenuatur, & vapor fit, & cum spiritu permixtum foras procedit. & in l. de Fla. pag. 40. num. 13. cum flatus ingens, hoc est, humiditas vaporosa febrilis, & calida ad meatus tus corporis irruerit; sudores fiunt: siquidem spiritus compactus in aquam transmutatur, & per meatus penetrans extra prorumpit eodem planè modo, quo à feruentibus aquis vapor eleuatus si obstaculum habeat, ad quod impingere oportet, pingue fit, & condensatur, guttæque destillant ab his corporibus, quibus vapor ipse fuit impactus. talis est tum materia, ex qua fit in morbis sudor, talis efficiens causa, & tales sunt modi. At verò in sanis sic eleuatur sudor. scribit Hip. in l. de aere, aquis, & locis. pag. 36. nu. 17. sol ex ipsis hominibus tenuissimum, ac leuissimum humorem ducit. eius rei maximum signum inde sumere licet, vbi homo vestibus indutus in sole iter fecerunt, aut sederit; quascunq; enim corporis partes sol aspicit, hæ non exudant: solem quicquid comparet sudoris sursum rapit. quæ verò sub veste contectæ sunt, aut sub aliqua alia re, hæ exudant: educitur. n. adomatur à sole sudor. seruantur autem ex tegmentis; vt ne disperdatur à sole. cum in vmbram deuenerit, totum corpus similiter sudore perfluit; non enim amplius sol affulget. in morbis autem febrilibus declinantibus finis sudoris est, vt caliditas aperto corpore præ sudore egrediatur. qua de re in lib. de loc. in hom. pag. 32. n. 38. iussum est, cum lassitudo occuparit, & febris, ac repletio; ægrum lauari multa aqua, & oleo illiniri, & quam maxime calfacere.

Sed huiusmodi sudor, qui egreditur aliquando est calidus, & aliquando frigidus. cur autem calidus fiat antea declaratum est. sed in lib. 1. de morb. nu. 22. inquit Hip. quare quandoque calidus, quandoque frigidus sit sudor, ita contingit. caliditas quidem de percalefacto malo, & exusto, & attenuato, & debili, & non valde multo secernitur, & necesse est, ipsum calidiorem ex corpore excerni. frigidus autem de ampliore malo secernitur, & de eo, quod reliquum

est,

est, & adhuc validum, & nondum putrefactum, neque attenuatum, neque exustum, & frigidior, ac crassior, ac graueolentior prodit. manifestum autem hoc ex hac re fit. qui frigidum sudorem exudant è longis morbis plerunque ægrotant, incalescente malo eo, quod in corpore relinquitur. qui verò calidum sudorem excludunt, citius à morbis liberantur.

Verùm diebus quoque iudicatorijs fiat sudor: etenim legitur in l. 4. aph. 36. sudores febricitanti si inceperint; boni & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quarto decimo, & septimo decimo, & vigesimo, & vigesimo septimo, & trigesimo: hi enim sudores iudicant morbos, qui verò non ita fiũt; laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam: nam, vt patet in l. 1. aph. 12. Vrinæ, & alui excrementa, & sudores bonam morborum iudicationem, vel malam: vel breues, aut longos fore morbos, mox apparentia ostendunt. Sed morbos acutos iudicant sudores, non longos: deinde si copiosos exeat, ac per vniuersum corpus. Et propterea inquit Hip. in l. prog. nu. 5. sudores optimi sunt, & celerrimè febrem sedant, qui in iudicatorijs diebus fiunt, & febrem perfectè summouent. boni quoque sunt, qui per totum corpus fientes, hominem facilius ferre morbum faciunt. qui verò nihil horum faciunt, incommodi quidē sunt. pessimi verò sunt frigidi, tantum circa caput, & faciem fientes, & circa ceruicem: hi enim cum acuta quidem febre mortem præsignificant: cum mitiore verò longitudinem morbi. Et in l. 4. aph. 37. hæc eadem de sudore frigido cõfirmans inquit. frigidi sudores cum acuta febre, mortem, cum mitiori autem longitudinem morbi significant. Et aph. 42. sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens, frigidus magis, calidus minus significat morbum. Et in lib. 7. aph. 62. sudor multus, calidus, vel frigidus semper fluens, humorem abduci robusto quidem suprà, debili verò infrà significat. Et ibidem. aphor. 4 à sudore horror, non bonum. Et in l. 4. aphor. 38. vbi sudor in corpore inest, ibi morbus significat. Et in l. prog. num. 5. sudores, qui cum gutis fiunt, & euaporant boni sunt. Et in l. 1. prædict. sudores in somnis, in faucium sonitibus frequentibus, boni. Et ibidem. n. 6. sudor in his, quibus lumborum dolor diutinus cũ ardore fastidioso, ac nauseabundo, malus. Et ibidem. sudor multus cum febribus acutis fiens, malus. Et in l. de Coac. præno. sudor in syderatis ex spiritus ægra latione accedens, lethale. rursus autem in his ipsis si febris accedat, solutio fit. Et ibidem. sudor vnà cum febre fiens in acuto morbo malus est. Et nu. 4. sudorem frigidum excludunt, quibus nigra per aluum prodeunt. Et nu. 1. & in sudore, & spiritu delyrium, lethale. Et in l. 7. aph. 83. sudores in diebus iudicatorijs fientes vehementes, & veloces periculosi sunt. qui expelluntur ex fronte, velut guttæ, & aquę salientes, & frigidi valde, ac multi: necesse est enim talem sudorem prodire cum violentia, & doloris excessu, ac expressione diuturna. Et in lib. 3. apho. 6. sudores in febribus multos expectare oportet, cum æstas sit veri similis. Et aph. 21. sudores æstate accidunt. Et in l. 1. prædict. n. 17. in sudore sputa defluentia febricitanti leuia sunt. num ad dies aliquot alui humectantur? arbitror. num his ad articulos abscessus fiet? Et ibidem. nu. 15. sudore leuari plurimis in faucium sonitibus frequentibus, bonum. Et n. 8. sudantes ex perfrigeratione, recalescentes, malum est. Et in l. de Dię. iudic. n. 8. sudor multus in temperate fiens, sano morbum significat, æstate minorem, hyeme maiorem. Et in l. 5. aph. 71. cum sudore moriuntur, quibus cutis laxa, ac rara: sine sudore moriuntur, quibus arida, ac dura circunteditur. & in l. de Coac. præno. n. 1. morbi acuti iudicantur sanguine de naribus fluente, in die iudicatorio, & sudore multo fiente, & vrina purulenta, &c. Et capitis dolor moderatus, cum. siti, cibum capiente, aut cum sudore non soluente febrem, abscessus in gingiuis, aut circa aurem significat, aluo non exturbata. Et, lingua citra rationem tenera, fiẽs & cũ cibi fastidio, nauseabunda, cum frigido sudore, ex aluo liquida, nigrorum vomituum signum est: lassitudo in his mala est. voces confractæ post medicamenti sumptionem nũ prauæ sunt? plerique horũ exudant, & ventres humectos habent. &, ex capitis dolore vocis interceptiones si sint, febricitantes cum sudore laxantur in seipsos, fiuntq; morbi reuertentes diutius durantes. his insuper rigere malum non est. Et, vocis interceptiones cum exolutione in febre acuta sine sudore sunt quidem lethales, minus verò quam cum sudore: verum diuturnitatem temporis significant. Et, Pallidi, graciles, saliuam sputantes, in his in somnis sudores boni sunt. num & sudore leuari plurimis non malũ est? &, dolores ad præcordia, in febre, voce intercepta, sine sudore soluti, malum est.

Sudorem verò futurum indicat vrina valde tenuis, si densa fiat: iam verò factum, spumosam in se ipsam considens, vt in l. de Coac. præno. nu. 4. præsertim æstate, vt in l. 3. apho. 21. ac maxime si veri sit similis, vt in eodem l. aph 6.

Sudore porrò multus ex somno citrra manifestam causam fiens; corpus multo alimento vti significat. si verò cibum non capienti hoc fiat; significat, quod euacuatione opus habet. sic legitur in l. 4. aph. 41. Verum in l. de Coa. præ. nu. 2. sudores non febrientibus cum colore circa faciem bono; stercora vetusta subesse significant, aut victus rationem inordinatam. de sudore tum bono, tum malo in morbis hęc ex Hipp. scripta sunt. at verò, vt te exerceas, lege l. de morbo. popul.

Suffitus, & suffimentum.

Suffitus fiunt ad affectus vterorum, veluti legitur in l. de na. mul. nu. 98. ad fluxus muliebres, vt lib. 1. de morb. mulieb. n. 74. ad os vteri hians, aut distortum, velut in l. de superfœ. n. 19. Fiunt autem plurimis ex rebus, quemadmodum ex ordei paleis, & phocæ adipe, vt in l. de nat. mul. n. 29. Ex lana accensa, vt in l. 2. de morb. mul. nu. 79. Ex cornu, funiculo lucernario & phocæ adipe, vt in l. de nat. mul. atque alij plures habentur in dictis libris.

Suffocatio.

Suffocatio homini contingit pluribus de causis: sed in mulieribus potissimæ sunt vteri affecti: nam scriptum est in l. 1. de morb. mul. pag 101. num. 16. Vteri leuiores, vbi mulieri vasa euacuata fuerint, aut plus solito laborarit; reficcati à labore conuertuntur, vel qui vacui sint, ac leues: est enim ipsis locus spacioſus vt conuertantur, vtpote ventre vacuo existente. dum autem conuertuntur; impetunt hepar, & iuxta consistunt, & ad præcordia irruunt: currunt. n. & progrediuntur sursum adh umiditatem, tanquam à labore

bore magis, quam opportunum est, resiccati. hepar autem humidum est. postquam autem impetuerint. hepar; suffocationem faciunt, derepente perspiratio nem circa ventrem intercipientes: & aliquando simul incipiunt hepar impetere, & à capite pituita de fluit ad præcordia velut ab eo quod suffocatur: & aliquando simul cum pituitæ defluxu descēdunt ab hepate ad locum suum, & cessat suffocatio. descendunt autem detrahentes humiditatem, & grauati. stridor autem ab ipsis fit, dum ad suam ipsorum sedem procedunt. postquam autem eò deuenerint; aliquando venter post illa humidior fit, quàm superiori tempore laxat enim iam caput pituitam in ventrē. vbi verò apud hepar, & præcordia fuerint vteri, & strangularint; mulier albas oculorum partes subuertit, & frigida fit. sunt autem & quæ liuidæ fiunt. quę dam etiam dentibus frendunt, & saliuæ ad os fluūt, & similes sunt his qui ab Herculeo morbo detinētur si verò diutius moram traxerint vteri apud hepar & præcordia; mulier strangulatur. Curationem verò in eodem lib. lege. Et in l. de Steril. n. 21. & in lib. autem de Glandu. pag. 27. n. 12. si mammæ demptæ fuerint; lac proficiscens, ac influens ab vtero in superna vasa cum propria non habeat in principales corporis partes incurrit, cor videlicet, ac pulmonem: atque sic suffocantur mulieres. sed & in li. de Coac. præno. suffocationem vehementem, & spirandi difficultatem inducunt anginæ, quæ neque in collo neque in faucibus quicquam conspicuum faciunt. at in libro 5. de morb. popul. num. 16. mulier quæ iugulauit se ipsam suffocabatur: & datum est ipsi longe postea pharmacum deorsum purgans, & per secessum ipsi exijt. Et en l. de Coac. præno. nu. 1. suffocatio in acutis ægris iattenuatis, pernicioſa. Et in l. 1. præd. n. 6. suffocatio in dentium stridore valde mala. Et in l. de Coac. præno. suffocari derepente, & degluti re non posse citrà tumorem in febribus, malum. Et in li. 4. aph. 34. suffocatio repentina in febre occupato, tumore non existente in faucibus, lethalis.

Suillæ carnes.

Suillæ carnes robur quidem magis quam caprinæ corpori inducunt, multum autem aluo secedunt: propterea quod tenues, & modici sanguinis venas sues habent, carnem verò multam, vt scriptum est in l. 2. de diæ. nu. 9. Et ibidem. suis sylueſtris caro siccat, & robur exhibet, ac secedit. sed in lib. de vict. ratio. n. 61. suillę carnes optimę sunt omniū carnium. sed præstant etiam ex his quę non vehementer pingues sunt, neque tenues, neque veteris victimę ętatem habent.

Supercilium in febre non intermittente distortū, mortem propinquam significat, vt legitur in lib. 4. aphor. 49.

De superfœtatione.

Legitur in l. de Superfę. nu. 1. superfœtatio nondū partium descriminationem habens, non intumescit, sed durescit, dum excidat. Sed in l. 1. de Dię. n. 26. scribitur, quo mod fiat superfœtatio. At in li. 5. de mor. pop. num. 5. Hip. recitat historiam de muliere, cuius superfętatio quadragesimo post partum diem excidit.

Superni loci.

Si superni loci turgent, qui sunt circa caput, vlcerum purgatio, vomitus, hydrops soluunt, vt narratur in l. 2. de morb. pop. sect. 6. Et ibidem. quicquid supernarum partium doluerit, dolor ad coxas, aut ad genua, & anhelatio fiens, omnia hæc soluit. Sed in l. de Coac. præn. num. 3. quibus circa supernam partem, & intestinum tenue dolores pertinaces ex mensibus aluos humectant, aliquantum cibos, obuersantur.

Supinum iacere, & manus, & collum, & crura extenta habere, minus bonum est, vt scriptum est in l. præno. num. 3.

De Suppuratione, siue Empymate.

Suppuratio ventri contingit tum superiori, tum inferiori. si superiori; aut in altero latere, aut in ambobus: atque ea iam facta est, vel futuræ adest principiū. quare inquit Hip. in l. prog. pag. 167. nu. 16. Considerare futuræ suppurationis principium oportet, supputatione facta ab eo die, quo primum homo febrici tauit: aut si fortè ipsum primum rigor apprehendit: & si pro dolore grauitatem sibi factam esse dixerit in eo loco, in quo dolebat: hæc enim in principijs suppurationum fiunt. si verò suppuratio fuerit, & in altero latere solum, considerare oportet, num aliquem habeat dolorem in altero latere, & an alterum altero sit calidius: & reclinato ægro in latus sanum, interroga re ipsum, an videatur ipsi graue quid ex superno latere incumbere: si enim hoc fuerit; in altero est suppuratio, in quo grauitas affuerit.

His igitur cognitis, respicias est necesse causam huiusce morbi: plurimæ enim sunt causæ, à quibus suppurationes ortum habent: nam pituitæ, & bilis fluxio, & inflammatio circa pulmonem eas efficiunt. à pleuritide etiam ex angina, ex lethargo, ex vulnere, ruptura, & carne contusa, ab igne sacro, à conuulsione, atq; ex tabe oboriuntur. si verò ex pituitæ, vel bilis defluxu suppuratio fiat; sic scribitur in l. 1. de mor. pag. 61. nu. 10. Quicunque suppurati fiunt pulmone, aut superiore, aut inferiore ventre, aut tubercula habent, siue in superiore ventre, vel inferiore, aut pulmone, aut vlcera intrinsecus, aut sanguinem vomūt, aut spuunt, aut dolorem aliquem habent, vel in pectore, vel in dorso; hęc omnia habent ex his quidem, quæ in corpore insunt, à bile, & pituita: ab externis verò, ab aere insito calori ammixto: sed & à laboribus, ac vulneribus. Et quicunque quidem pulmone suppurati fiunt, ab his fiunt. Et subdit. Fit & suppuratus, si pituita ex capite ad pulmonem destillet: & primum quidem vt plurimum latenter defluit, tussimque tenuem exhibet, & sputum paulò amarius solito, & aliquando tenuis adest calor. temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus exulceratur à pituita inhęrente, ac putrescente: & grauitatem exhibet pectori, & dolorem acutum antè, & retrò, caloresque acutiores in corpus incidunt, & pulmo à calore trahit ad se pituitam ex toto corpore, & maxime ex capite. caput verò calefactum ex corpore & hanc putrescentem subcrassam spuit. Quanto autem magis tempus progreditur; tanto magis pus sincerum spuit, & febres acutiores fiunt, & tussis frequens, ac fortis, & inedia vexat, & tandem aluus infernè turbatur. turbatur autem à pituita: pituita verò de capite descendit. hic, cum ad hoc peruenerit; perit, purulento, ac putrido pulmone facto, aut ventre infrà erumpente. Et subdit. nu. 11. suppuratur ventre superiore, cum pituita de capite copiosa, & aceruatim

tim in ſuperiorem ventrem fluxerit; tunc putreſcit: & in pus vertitur. putreſcit autem maximè in diebus viginti vna. hoc igitur opus concutitur & intus fluctuat ad latera allabens. Hic ſi vratur, aut ſecetur, priuſquam diuturnum fiat pus; ſanus plerunq; euadit. Et addit. Fiunt præterea ſuppurati, ſi pituita de capite delapſa, ad latus adglutinata fuerit, & putruerit: tunc enim latus vt plurimum inflammatur, & patitur eadem, quæ ex pleuritide ſuppuratus. Et in lib. de loc. in homin. pag. 35. nume. 16. ſuppurati vt plurimum fiunt, cum fluxus in idem, velut in bile contingit, ſed in bile quidem multum defluit: & vbi defluit; ſedatur. ſuppuratis autem minus defluit, & non ſedatur. Fiunt etiam ſuppurati, cum minus exerceant, quam influit in pulmonem: hoc.n. quod in pulmone conſiſtit, & quod influit, pus fit. pus in pulmone, & thorace conſiſtens, ac congregatum vlcerat, ac putrefacit. &, poſtquam exulcerata fuerint, ab vlcerato influit: &, cum excreat; caput ſimul concuſſum magis fluit, ſimulque ex vlcerato in thorace, ac pulmone magis fluit, & vlcera agitata reſtringuntur: vt etiam, ſi fluxus à capite ceſſet; is, qui ab ipſis vlceribus venit, ſufficiens ſit morbum facere. at numero 31. curatio recitatur, quæ eſt. ſuppuratis caput purgare oportet non fortibus medicamentis, ſed paulatim auertere in nares, & ſimul alijs ventrem ſubducentibus vti. & cum principium morbi nondum eſt, ſed eo fluxus vertitur, ac vergit; excreationem facere, & tuſſim excitare, & medicamentis infuſilibus in nares vti, & cibis ſimul ingeſtis. cum autem excreationem facere oportet; pluribus cibis, & ſalſis, ac pinguibus vtendum eſt, & vino auſtero. & cum ſic habet; tuſſis inducenda.

Si verò pulmo afficiatur; vt plurimum fit, vt ſuppuratio fiat. vnde ſcribit Hippoc. in lib. 1. de morb. nume. 10. ſi peripneumonia correptus in diebus iudicatorijs non purgetur, ſed relinquatur in pulmone ſputum, ac pituita; ſuppuratus fit. & ſi quidem ſtatim curatus fuerit; vt plurimum effugit: ſi verò neglecta fuerint illa in pulmone; corrumpitur illis inhærentibus, & putreſcentibus, & vlceratur pulmo, & ſuppuratus fit, & non amplius intro ad ſe ipſum nutrimentum memorabile trahit, neque quicquam de purgatur ab eo ſurſum; ſed ſuffocatur, & ſemper amplius difficulter ſpirat, & reſpirando ſtertit, & reſpirat illinc ſurſum ex pectore: tandem verò obturatur à ſputo, & moritur.

Fit præterea & ab his pulmo ſuppuratus. cum venula aliqua in ipſo fuerit rupta, rumpitur autem à laboribus: & vbi rupta fuerit, ſanguinem fundit: ſi quidem craſſior fuerit, amplius: ſint tenuior; minus. & ſanguinem quidem ipſum partim confeſtim ſpuit, partim verò niſi vena adſtringatur; in pulmonē funditur, & in ipſo putreſcit: & vbi putrefactus fuerit, pus facit. progreſſu verò temporis aliquando pus ſincerum, aliquando pus ſubcruentum, aliquando ſanguinem. & ſi magis repleta fuerit vena; ipſam ſanguinis copiā aceruatim, à ſe ipſa reuomit, ſpuiturq; pus craſſum ab acceſſoria, & intus putreſcente pituita. hic ſi anticipetur incipiente morbo priuſquam vena ſanguinem fundat, ac fortiter laxetur, & priuſquam attenuetur, & in lecto decumbat, & caput corrumpi incipiat, & reliquum corpus colliquari; ſuperſtes ab hoc morbo euadit. ſi verò neglectus fuerit, & hæc occuparint, vt ea perpetiatur, aut omni aut plurima: erit. perit autem hic aut ex ijſdem, quæ ſuperius dixi, aut à vomitu, ſanguine multo multoties per vomitum reiecto. Si verò vena omnino quidem rupta non fuerit, verum acutus tractus in ipſa fiat, fit autem maxime velut varix, qui etiam ſtatim vbi factus fuerit, dolorem quendam tenuem inducit, ac tuſſim aridam. ſi verò diu durauerit, & neglectus fuerit: plurimum quidem ſanguinem modicum, ac ſubnigrum dimittit, ac reijcit: deinde verò adhuc copioſiorem, & ſinceriſſimum: deinde pus, patiturque quæcunque in ſuperioribus dicta ſunt.

Et ſubdit curationem, & inquit. conducit talibus ſi ab initio curandos ſuſcipias, vt & venæ de manibus ſanguinem emittant, & diæta, è qua quàm ficciſſimus, & exanguiſſimus fiat.

Eodem porrò modo etiam venæ in latere afficiuntur, quæ intus in ſuperficie ſitæ ſunt. cum igitur affectæ fuerint; varicoſæque factæ, & intus eleuatæ, & neglectæ fuerint; hæc perpetiuntur, erumpunt, & ſpuunt, à ſe ſanguinem, & aliquando etiam vomunt, & ſuppurati fiunt, & vt plurimum pereunt.

Si verò curentur incipiente morbo; rurſus in loco venæ conſidunt ad latus. humilesque fiunt. & pulmo quidem ab his ſuppuratus redditur, & ab ipſo etiam talia perpetiuntur, & ſic moriuntur, & ſubdit num. 11.

Suppurati fiunt, & cum præ labore, aut exercitijs, aut alio quopiam modo vena ante, aut retro rupta fuerit, & ſic rupta, vt non ſtatim ſpuatur ſanguis: ſed in carne adutus tractus, ſiue varix fiat. & caro tracta, aut conuulſa humiditatem modicam traxerit, & ſubliuida facta fuerit, & ſtatim quidem ſic affectus non percipit præ robore, ac bona habitudine: aut ſi etiam ſentit: nihil moleſti eſſe putat. hic vbi deprehenderit, cum iam præ febribus, aut potu, aut venere, aut aliqua alia re correptus fuerit attenuatus: caro ſauciata ſubreſiccatur, & ſubcaleſcit, & humiditatem in ſe ipſam à vicinis tum venis, tum carnibus trahit. vbi autem attraxerit: intumeſcit, & inflammatur, & dolorem exhibet tenuem, & tuſſim raram, ac ſiccam primum. deinde adhuc magis trahit in ſe ipſum, & dolorem inducit vehementiorem, & tuſſim frequentiorem, & primum quidem ſubpurulentum ſpuit, aliquando verò liuidum & ſubcruentum. & quanto magis tempus progreditur, amplius in ſe ipſam trahit, ac putrefacit. & de ipſa carne quantum ab initio liuidum erat hoc pus fit, & dolorem acutum exhibet, & febrem, & tuſſim multam, ac frequentem, & per ſputum ſincerum pus expuit. ſi verò pus in ventre moram traxerit; totum corpus ab ipſo caleſcit, maximè verò uicini iſſimæ partes. caleſcente autem corpore, humiditas maxime eliquatur. & quæ quidem à ſupernis partibus eliquatur; in ſupernum ventriculum maxime confluit, & pus fit, ad hoc, quod iam in ipſo eſt. pars verò eius etiam in infernum ventriculum fluit, & quandoque aluus ab ipſa turbatur, & hominem perimit: nam cibi ingeſti ſecedūt inconcocti, & alimentū ab ipſis corpori non accedit. & ſputi

ſurſum purgatio non æqualis contingit, aluo nimirum calefacta, & omnia deorſum trahente in ſe ipſam. & à ſputo quidem ſuffocatur, & ſtertit, dum non purgatur: à ventre verò fluente debilitatur, & plerũque perimitur. in huiuſmodi autẽ morbis hunc fluxum maxime exhibet caput, vtpotè, quod cauum eſt, & ſuperne ſitum: cum enim ab aluo fuerit calefactum, tenuiſſimam pituitam de corpore in ſe ipſum trahit. vbi verò hæc in ipſo fuerit collecta, reddit rurſum aceruatam, & craſſam, velut dictum eſt: & pars quidem ipſius in ſupernum ventriculum defluit: pars verò in infernum. cum igitur caput fluere inceperit, & reliquum corpus colliquarit; non amplius æqualiter, nec vſti quidem, ſuperſtites euadunt: ſuperant. n. ſupra pus influentia mala ea, quæ defluunt: & carnes liqueſcunt magis à malis, quàm nutriuntur ab ingeſtis. qui verò huiuſmodi morbos habent, partim diutius tempus extrahunt: differt. n. corpus à corpore, & ætas ab ętate, & affectio ab affectione, & tẽpus à tempore in quo ægrotarint: & aliqui maiorem tolerantiã impotentes ſunt. proinde certitudo exacta temporis in quo pereunt non eſt, an longum, aut breue futurum ſit: neque enim hoc tempus certum eſt, quod quidam definiunt: & plerunque neque hoc ipſum ſuppurat: differt enim annus ab anno, & tempus à tempore. at ſi quis de ipſis recte cognoſcere, ac dicere velit; is cognoſcet omni tempore, & perire, & ſuperſtites euadere, & pati quæcunque tandem patiantur. hæc in l. 1. de mor. pag. 61. nu. 11.

At verò in l. prog. 167. num. 13. 14. & vſque ad 29. Hip. ſupponens ſpecies, cauſas, & modos ſuppurationum recitatos inquit. ſputum verò in omnibus doloribus, qui circa pulmonem, & coſtas fiunt, cito, ac facile expuit conuenit, & flauum ſputo valde permixtum apparere. ſi. n. longe poſtea, poſt principium doloris, expuerit, quod flauum eſt, aut ſuluum, aut quod multam tuſſim inducit, & nõ valde permixtum eſt, deterius eſt: nam & flauum, meracum periculoſum eſt. ac album, ac viſcoſum, at rotundum, inutile eſt. malum eſt & quod viride eſt valde, item quę pallidum, & quod ſpumoſum. ſi verò ita fuerit meracum, vt etiam nigrum appareat, hoc ipſum deterius eſt, quàm illa. malum etiam eſt ſi nihil repurgetur, neq; emittat pulmo, ſed plenus ferueat in gutture. grauedines, & ſternutationes in omnibus circa pulmonem morbis, & anteceſſiſſe, & ſuccedere malum. & in alijs morbis lethaliſſimis ſternutationes proſunt. ſputum autem flauum ſanguine permixtum tum multo, ſi in pulmonis inflammatione, in principio morbi reijciatur, ſalutare eſt, & valde prodeſt. Si verò ſeptimo die, aut poſterius, minus ſecurum eſt. omnia ſputa mala ſunt, quæ dolorem non ſedant. peſſima verò ſunt nigra, velut deſcriptum eſt. quæ verò dolorem ſedant, omnium optima exiſtunt. & quicunque dolores ex his locis non ſedantur, neque ad ſputorum purgationes, neque ad ſtercorum alui ſubductionem, neque ad venæ ſectiones, & victus rationem ac medicamenta, eos ad ſuppurationem verti ſciendum eſt. ex ſuppurationibus quæcunque dum ſputum adhuc bilioſum eſt, ſuppurantur, pernicioſæ valde ſunt, ſiue bilioſum illud in parte, ſiue ſimul cum pure expuatur, & hoc potiſſimum ſi morbo ad ſeptimum diem progreſſo, ſuppuratio ab hoc ſputo procedere incipiat, timor autem eſt eum, qui talia expuit moriturum eſſe decimaquarta die, ſi non aliquod bonum ſignum ipſi acciderit. ſunt autem bona hæc: facile ferre morbum, bene ſpirare, à dolore liberum eſſe, ſputum facile tuſſiendo reijcere, corpus æqualiter calidum, ac molle apparere, ſitim non habere, vrinæ, & alui egeſtiones, ſomnos, & ſudores, velut deſcriptum eſt. hæc ſingula noſſe conuenit accidere, vt quæ bona ſint: nam omnibus his ſic contingentibus acceſſerunt, aliqua non, non ampliore tempore vita producta, decima quarta die homo peribit. Et nume. 15. porrò mala ſigna contraria ſunt ægrè ferre morbum, ſpiritum magnum & denſum eſſe, dolorem non ſedari, ſputum vix tuſſiendo reijcere, valde ſitire, corpus inæqualiter à febre teneri, ventrem quidem, ac coſtas fortiter calidas, eſſe, frontem verò, & magnus ac pedes frigidos, vrinas autem, & alui egeſtiones, & ſomnos, & ſudores, velut deſcriptum eſt: hæc ſingula noſſe oportet, mala eſſe. ſi enim ita acceſſerit horum aliquid ad ſputum, peribit vtique homo priuſquam ad decimumquartum diem peruenerit, aut no no die, aut vndecimo. ſic igitur coniecturam facere oportet, quod hoc ſputum lethale ſit valde, & non perducat ad decimumquartum diem. proinde & mala, & bona ſigna expendentem ex his prædictiones facere oportet: ita enim potiſſimum veritatem conſequi quis poterit. at verò aliæ ſuppurationes rumpuntur, plurimæ quidem vigeſimo die, aliæ verò trigeſimo, aliæ quadrageſimo, aliquæ verò ad ſexaginta dies perueniunt. Et nu. 16.

Cæterum omnes ſuppuratos ex his ſignis cognoſcere oportet. primum quidem ſi febris non dimittit ſed per diem quidem tenuis eſt, noctu verò ampliore: & ſudores multi oboriantur, tuſſesque, ac tuſſiendi promptitudo ipſis adeſt, & nihil memorabile expuat: & oculi caui fiunt, & maxillæ ruborem contrahunt, & vngues quidem manuum contrahuntur, digiti verò calefiunt, & potiſſimum ſummi: & in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & puſtulę per corpus naſcuntur. Et n. 17. quæcunque ſuppurationes diuturnę ſunt, hæc ſigna habent, & fidem ipſi ipſis valde habere oportet: quæ verò breues ſunt, ex his ſignis cognoſcere oportet, ſi quid apparuerit, ex his qualia in principijs fiunt. ſimul autem, & ſi aliquanto difficilius ſpirauerit homo. at verò quæ ex ipſis citius, & tardius rumpuntur, his ſignis cognoſcere oportet. ſi quidem enim dolor in principijs fiat & ſpirandi difficultas, & tuſſis, & ſputatio perſeuerans ad vigeſimum diem pertingat, eruptionem tũc expectare oportet, aut etiam prius. ſi verò quietior fuerit dolor, & alia omnia pro huius ratione, eruptio poſterius expectanda eſt. neceſſe verò eſt, accedere, & dolorem, & ſpirandi difficultatem, & ſputationem ante puris eruptionem. ex his autem maxime ſuperſtites manent hi; quos febris eodem poſt eruptionem die dimiſerit: & qui cibos cito appetiuerint, & à ſiti liberati fuerint: & ſi venter parua & compacta egeſſerit, & pus album, & leue, & eiuſdẽ coloris fuerit, & à pituita liberum, & citra dolorem, ac tuſſim fortem repurgetur. ac optime quidem ſic, ac celerrime liberantur: ſin minus, hi, quibus proxima his contigerint. at verò intereunt hi, quos

febris

febris non dimiserit, aut vbi ipsos dimisisse putata fuit, rursus recalescens apparuerit: & qui sitim quidem habuerint, cibos autem non appetiuerint, & si venter liquidus fuerit, & pus pallidum, siue uiride & liuidum expuerint, aut pituitosum, & spumosum. si hęc omnia contigerint, pereunt. quibus verò ex his quędam acceſſerint, quædam non, horum aliqui intereunt, aliqui in multo tempore superstites euadũt. verum ex omnibus signis quę adsunt, tum in his, tum in alijs omnibus, coniecturam facere oportet.

Et nu. 18. quibuscunque ex inflammati pulmonis morbis, abscessus circa aures fiunt, & suppurantur, aut ad infernas partes, ac fistulantur, hi superstites euadunt. verũ huiusmodi considerare oportet. si & febris detinuerit, & dolor non sedatus fuerit, & sputum pro ratione non prodierit, neque bilioſę, neque solutu faciles, & meracæ alui egestiones fuerint, neque vrina valde multa, & multam subsidentiam habens: indicatur aũt superstes futurus ab omnibus reliquis salutaribus signis: tunc abscessus huiusmodi fore sperandum est. fiunt autem partim ad infernas partes, quibus videlicet inflãmatio aliqua circa præcordia affuerit, partim in supernis, quibus præcordium molle, & doloris exors permanserit, & vbi spirandi difficultas, quæ per tempus aliquod affuit, desierit citra aliam manifestam causam. cęterum abscessus ad crura in pulmonis inflammationibus fortibus, ac periculosis, omnes quidẽ vtiles sunt. optimi verò sunt, qui dum sputum iam in mutatione est, fiunt. si n. tumor, & dolor fiat, sputo pro flauo purulento eudente, & foras procedente: ita securissime homo superstes euaserit, & abscessus absque dolore celerrime sedabitur. si verò sputum non bene processerit, neque vrina subsidentiam bonam habens apparuerit, periculum est claudum fore articulum, aut multum molestiarum exhibiturum. & si euanescant, & recurrant abscessus sputo non prodeunte, febreque permanente, horrendum est: periculum enim est, ne deliret homo, & moriatur.

Et num. 19. ex suppuratis à pulmonis inflammatione seniores magis intereunt. ex alijs autem suppurationibus iuniores magis moriuntur.

Dolores cum febre contingentes circa lumbos, & infernas partes, si septum transuersum attigerint, infernas partes relinquentes pernicioſi valde sunt. proinde alijs quoque signis animum aduertere oportet: nam, si quod etiam ex alijs signis malum apparuerit, desperatus est homo. Si verò assiliente ad septum transuersum morbo, alia signa non mala acceſſerint, hunc suppuratum fore multa spes est. quicunque verò suppurati vruntur, quibus quidem purum pus fuerit, & album, & non fœtidum, hi seruantur: quibus autem subcruentum, & cęnosum, hi pereunt. porrò veſicæ duræ & dolentes penitus quidem horrendæ, ac pernicioſæ sunt. pernicioſissimæ verò quæ cum febre continua fiunt: etenim dolores ab ipsis veſicis ad occidendum sufficiunt, & alui non egerunt hoc tempore, nisi durum quiddam, & hoc coacte. soluit autem vrina purulenta micta, quæ albam, ac leuem subsidentiam habet. si verò neque ab vrina quicquam remiserit dolor, neque veſica molliatur, & febris continua fuerit, in primis circuitibus modi ægrum moriturum esse timor est. atque hic morbus potissimum pueros corripit septennes donec ad quintumdecimum annum peruenerint.

Et in lib. de loc. in homi. pag. 32. nume. 28. suppurati hoc modo cognoscuntur. lateris mollitudinem à principio dolor occupat. cum verò iam pus collectum est, & dolor similiter habet, & tussis fit, & pus excreat, & spiritus corripit. si verò nondum erupit pus, in lateris mollitudine non concutitur, & velut in vtriculo strepitum facit. si verò horum nihil adsit, suppuratus autem sit, ex his coniectare oportet. spiritum multum habet, subraucoſusque loquitur, & pedes, ac genua intumeſcunt, magis autem ab ea lateris mollitudinis parte, in qua pus est, & thorax concuruatus est, & membrorum dissolutio fit, & sudor per totum corpus diffluit, aliquando sibiipsi videtur calidus esse, aliquando frigidus, & vngues circuntensi sunt, & aluus calida fit. ex his suppuratos cognoscere oportet. Et nume. 25. eiusdem lib. peripneumonicum si non septima die febris dimiserit; moritur, aut suffocatur, aut vtrunque. si verò nona die, duabus diebus interpositis, corripiat, vt plurimum etiam hic aut moritur, aut suppuratus euadit. Si verò duodecima die, suppuratus fit, si quarta, & decima; sanus fit. & quicunque præ peripneumonia, aut pleuritide suppurati fiunt, non moriuntur, sed sani fiunt. Et in lib. de Coac. præ. suppurationes circa pulmonem habent, qui in facie flores habent, & aluo sunt liquidiore. Et ibidem. quicunque suppurati fiunt maximè ex pleuritide, & peripneumonia, eos calores comitantur interdiu tenues, noctu vehementiores, & nihil memoratu dignum expuunt. Et ibidem. suppurati ex pleuritide facti in quadraginta à ruptione diebus expuunt. Et in lib. 6. aphor. 8. suppurati ex pleuriticis fiunt, quicunque in quatuordecim diebus non repurgantur. Et in lib. 5. aph. 10. suppurati expleuritide facti, si in quadraginta diebus repurgati fuerint, ab ea die qua ruptio facta fuerit, liberantur. si verò non; ad tabem transeunt.

In lib. autem 2. de mor. pag. 68. num. 44 suppurationis ex peripneumonia factæ signa, & curatio scribitur hæc. cum ex peripneumonia suppuratus factus fuerit; febris detinet, & tussis sicca, & difficultas spirandi, & pedes intumeſcunt, & manuum, ac pedum vngues contrahuntur. hunc post quartumdecimum diem à suppurationis initio, multa calida lauato, & ari radicem tali magnitudine tritam, & salis granum, & modici mellis, & aquam, & olei parum extracta lingua tepida infundito: & postea humerum concutito: etenim scriptum est in lib. de Coac. prænot. hoc signum. quibus suppuratis dum concutiuntur, multus strepitus de humeris fit, minus puris habent hi, quàm quibus pauci, si difficilius spirent, & meliorem colorem habeant. quibus autem strepitus nullus fit, verum difficultas spirandi fortis, & vngues liuidi, hi pleni sunt pure, & perniciosè habent. concusso igitur humero, subdit Hipp. in eodem lib. 2. nu. 44. si quidem ab his pus erumpat; bene habet: sin minus; aliud facito. cibos acres, & cyclaminum exsuccato, sitque succi vtrorunque acetabulum paruum: deinde silphij succum fabæ magnitudine terito, ac diluito, & lactis caprini, aut asinini acetabulum ammiſceto. hoc tepidum infundito. quòd si ab hoc non erumpat; raphani corticem, & æris florem trium fabarum magnitu-

dine terito. sit autem raphani duplum: & oleo diluito quarto heminę parte. hoc tepidum infundito. & si eruperit pus; cibis quàm salsissimis, ac pinguissimis vtatur. at si nõ prodierit pus; paulatim fomentũ adhibeto in os ex sij succo, vino tornio, lacte bubulo, aut caprino, singulis pari mensura permixtis, ita vt sint heminę tres, in quas postea furni testas igni candefactas in ijcito: atq; inde vaporem per fistulã trahat, cauendo vt ne aduratur. postquam aũt purius iã sputũ prodierit; vrticę semen, thus, origanum in vino albo, melleq; ac oleo modico ipsi infundito, idque per tertium diẽ: postea verò butyrum, resinã in melle eliquatã. & cibis non amplius vtatur salsis, neq; pinguibus. at diebus interpositis, infusionis oris vsu cessante, salutam, sutam, satureiam, origanum, pari portione ieiunus ex vino bibat acetabuli mẽsura, omnibus illis insperfis. quòd si ab infusionibus his oris non eruperit, nihil miri est: sæpe. n. prorumpit ad aluum, & statim melius habere sibi videtur, vbi ex angusto ad ampliorem regionem deuenerit. Et subdit num. 45.

Alius morbus. cum tẽpus longius protrahitur, & febris vehemẽs, ac tussis corripit, & latus dolet, & ad sanam partem decumbere non potest, sed ad dolentem: & pedes, & oculorum cauitates intumescunt: hunc vbi decimus quintus dies ab eruptione adest, multa calida lotum in sella firma collocato. & alius quidem manus ipsius teneat: tu verò humerum cõcutito, vt audias in vtrum latus affectio strepitum edat: optandum autem esset in sinistrum. Hunc ipsum igitur locum seces: minus. n. lethalis est. si verò præ crassitudine, ac copia strepitũ non edat, quo ipsum cognoscere possis, vtrũ latus tumuerit, ac magis doluerit; hoc infimè secato retro tumorem magis, quàm ante ipsum: quò puris exitus facilem fluxionem habeat. Secato autem inter costas per nouaculam primum cutem, deinde scalpello acuto, quod panniculo sit obligatum ita, vt summa ipsius pars ad unguis magni digiti mensuram expedita restet, quam intromittat. reliquam verò curationem tu lege.

Fiunt autem, vt in lib. 1. de morb. legitur, & superiore ventre suppurati ex pleuritide, cum fortis fuerit, & in iudicatorijs diebus neque putruit, neque sputo reiecta est; sed latus exulceratum fuerit à pituita affixa, & bile. & cum vlcus factum fuerit; reddit de se pus, & ex vicinis locis præ caliditate in seipsum pituitam adducit. & hæc vbi computruit; pus spuitur. aliquando verò etiam ex venis sanguis se in vlcus ingerit, & putrefactus pus fit. hic si è vestigio assumatur; sanus plerunque fit: si verò negligatur; perit.

Ex lethargo præterea fit suppuratio: etenim scriptum est in lib. 3. de morb. num. 5. Morbi lethargi appellati status idem est, qui & peripneumoniæ, verùm difficilior, & non omnino liber, ac remotus est ab humida peripneumonia, & subdit. hoc curandum est, vt plurimum spuat, & calefiat, & à vino abstineat. si verò effugerit; suppuratus fit.

Ab angina etiã contingit suppuratio: inquit enim Hippoc. in lib. 2. de morb. num. 27. In angina si faucibus, ac tumoribus sedatis, morbus ad pulmonem conuersus fuerit; febris statim corripit, & lateris dolor, & vt plurimum moritur; vbi hoc factum fuerit. si verò quinque dies effugerit; suppuratus fit, si non ipsum statim tussis inuaserit. Si verò inuaserit; facta excreatione depurgatus sanus fit. Deinde curationem addit hanc. Si tussis non affuerit; nimirum suppuratum fieri scito. &, vbi cœnauit, cum dormire volet; allium edat crudum quamplurimum, & vinum insuper bibat vinosum meracius. Et, siquidem ita pus eruperit; bene habet. sin minus; postridie calida loto suffitum adhibeto. &, si eruperit, velut suppuratum curato.

Quicunque verò à vulneribus suppurati fiunt, aut ex hasta, aut pugione. aut iaculo, intro sauciati fuerint; quandiu quidem habuerit vlcus respirationem foras per antiquum vulnus, & hac parte frigidum in se ipsum adducit, & calidum hac parte à se ipso emittit; & sanè facile tum pus, tum siquid est aliud expurgatur. Et, siquidem & interna, & externa pars simul fuerint sanatæ; sanus penitus homo euadit. Si verò interna non; suppuratus fit. Et, si etiam sanata simul fiat interna, & externa pars, cicatrix autem intus debilis fiat, & aspera, ac liuida; reulceratur quandoque; atque sic suppuratus fit. Rursus exulceratur etiam, siquid amplius laborarit, & si attenuatus fuerit, & si pituita, aut bilis ad cicatricem affixa fuerit, & si alio morbo correptus attenuatus fuerit. Postea signa explicat, & inquit. Vbi vlcus factum fuerit, siue hoc modo, siue vbi externa pars prius quam interna coaluit; dolorem acutum inducit, & febrem, & frigiditatem. ipsum sibi ipsi vlcus inducit; eo quòd amplius calidum existat: & ipsum a se ipso caliditatem efflat, & pus expurgatur, & per longius tẽpus curatur, & tardius sanescit. Quandoque verò neque sanescit: nam caro, & vlcus ab ardore, qui est in corpore, coquitur, & nimium humectatur, vt non possit neq; siccari, neque carnem producere, neque sanari: sed cum temporis progressu moritur. Hæc in l. 1. de mor. nu. 18. Et subdit. num. 19.

Si cõtingat, vt aliqua crassarum venarũ saucietur, & sanguis intro fluat, ac putrescat; suppuratus fit. &, siquidem hoc pus totum per sputum reiectum fuerit, & vena sauciata coaluerit, & vlcus intus, & foris sanatum fuerit; penitus sanus euadit. Si verò nec vlcus coalescat, nec vena constringatur, sed aliàs, atq; aliàs sanguinẽ remittat, & si statim vomatur, & spuatur, aut ẽt putrescat, & pus expuatur: plerũque perimitur aut statim vomens sanguinẽ, aut posteriore tẽpore, dũ perit ab ijsdẽ, quæ antea dicta sunt. Sæpe verò hi, quibus venarũ aliqua intus sauciatur à vulneribus, aut quibusdã laboribus, aut exercitijs, aut alia quadã causa, cũ excaluerit, & sana esse videtur vena, alio tẽpore iterũ rumpitur: idque ab ijsdẽ contingit causis, à quibus ẽt prius patiebatur. vbi verò iterũ rupta est, sanguinẽ fundit, & statim pereunt, multũ sanguinẽ, ac sæpe vomẽtes (aut aliàs, atque aliàs sanguinẽ recentẽ vomũt) pus aũt spuẽtes per omnem diem multũ, ac crassum; tali, aut cõsimili modo pereant, velut ẽt in alijs morbis dictũ est. In l. autẽ de loc. in ho. nu. 26. fit præterea ab vlcere suppuratus: & leuior hic morbus existit. Et subdit. Fit etiam suppuratus extra pulmonem, maximè quidem à ruptura, & vbi caro cõtusa fuerit: iuxta hãc. n. pus congregatur, & cõgregatũ fluctuat; si quis corpus cõcutiat, & strepitum facit: & hęc vruntur. Ex tabe qnque, ex igne sacro, atq; alijs id generis fiũt suppurati homines. sed legitur in l. de Coa. præ. nu. 3. suppurationem inducunt distentiones ad pedes, ac lumbos ex mensibus itemque:

ea, quæ

ea,quæ de aluo viſcoſa ; graueolentia prodeunt. Et ibidem . ad ſuppurationem frequenter deueniunt horrore affecti. ſed & febres tales ad ſuppurationem perducit.

Signa ſuppurationis præter plurima narrata hæc leguntur in lib.de Iudic.num.10.ſuppurati fiunt,qui lingua offendunt,& labiorum non ſunt potentes, dũ illa ſoluuntur. Et in lib.de Coac.prænotio. qui ſuppurati futuri ſunt,primum ſalſuginoſum ſpuunt,deinde dulcius. Prognoſtica verò præter ea,quæ dicta ſunt,hæc adijciemus. legitur in lib. de Coac.præ. ob ſuppurationem intermittentes febres plerunque ſudorificæ ſunt. Et, ſuppuratis ſurditas oborta cruentam egeſtionem ſignificat: his ad finem nigra prodeunt. Et, quos ſuppuratos mitius habentes ſputorum graueolentiæ ſequuntur, eos recidiua occidit. curationem verò iam expoſuimus: attamen hæc ſub ijciemus,quæ ſcripta ſunt in lib.de Coac.præn.num. 4. ſuppurationes magnas abducit à veratro vomere rubicunda,ſpumoſa. Et in lib.de humi. vſu numer. 11. ſuppurationibus omnibus confert calida. Et in lib. de loc. in homin. numero 31. ſuppuratis caput purgandum, ſed quo modo ibi lege. in lib. autem de Vict. ratio.in morb. acuſ. numero 68. ſcriptum eſt medicamentum ad ſuppuratos, ſed quoniam ſecantur,aut vruntur hi: idcirco cõſiderandum eſt,ſi ſuppurati, vt ait Hippoc.in lib.6.aphoriſ.27. ſecantur, aut vruntur,aqua,aut pure aceruatim effluente,moriuntur. Et in lib.7.aphoriſ.45.quicunque ſuppurati vruntur, vel ſecantur, ſi pus purum fluxerit, & album; euadunt: ſi verò ſubcruentum,& fęculentum, ac fœtidum; pereunt.

Inferno autem ventriculo ſuppurati fiunt, maxime quidem cum pituita, aut bilis aceruata inter carnem,& cutem collecta fuerit. fiunt autem, & a conuulſionibus, cum venula conuulſa rupta fuerit,ſanguis effuſus putreſcit, & ſuppuratur. Si verò caro conuulſa fuerit, aut contuſa: ſanguinem ex venis ſibijpſi propinquis trahit,atque hic putreſcit,ac ſuppuratur. his ſi quidem foras de ſe ſignificationem præbuerit, & eruperit pus, ſani fiunt: ſi verò ſua ſponte intro proruperit, pereunt. at verò diffuſum pus in inferno ventriculo,velut in ſuperno dictum eſt generari, haud quaquam poterit, ſed velut à me dictum eſt, in tunicis, & in tuberculis innaſcitur. & ſi quidem intro notas habuerit: cognitu difficile eſt: neque enim ex concuſſione cognoſcere licet. cognoſcitur autem maxime ex dolore, vbi fuerit, & ſi terram figulinam, aut aliud quid huiuſcemodi infuſerit: breui id reſiccat. in libro autem 7. aphoriſ. 22. ſic proditum eſt. à ventris dolore diuturno,ſuppuratio. Et in libro quinto,de mor.popul.num.15. hanc recitat Hip.hiſtoriam. Cyrenius in Omilo ſuppuratus factus infernum ventrem vſtus eſt triginta diebus ſerius,quàm oportebat,& manſuetè ſe habebat, & reſiccatum eſt pus in ventre. verum in caliditſimo tempore edens fructus pomorum, & alios cibos non conferentes, à febre correptus eſt,& à ventris profluuio;& mortuus eſt.Hechaſon in Omilo,velut etiam alter ſerius vſtus eſt, attamen reſiccatus eſt venter, modico excepto. in lib.autem 7. de mor.popul.nu.52. recitat hiſtoriam de quodam ſuppurato, qui poſtea hydropicus factus eſt.

Suræ.

Legitur in lib.1.prædic.nu.4. hæc prænotio circa ſuram dolores,mentis emotionem faciunt. Et in lib. de Coac.præn.num.1.ſurarum dolores maligni ſunt, mentemque mouent, tum aliàs, tum ſi vrinæ ſubſidentia in medio innatet.

De Surditate.

Hoc pacto curatus fuit quidam ſurdus, vt legitur in lib.7.de morb.popul.numer.34. Pharmeniſci filio ſurditas contulit clyſterem auricularium non adhibere: verum lanam expurgare, & ſolum oleum aut nepotum infundere, deambulare, mane ſurgere, vinum album bibere,oleribus abſtinere, pane,& piſcibus petroſis nutriri. ſed de ſurditate plura ſcripſimus in Cap. de Auribus: & ideo tantummodo de ea feceremus mentionem, quæ in morbis contingit, ac maximè acutis. quapropter ſcriptum eſt in lib. de Coac. præno. ſurditas ſuppuratis oborta,cruenta egeſtionem ſignificat, his ad finem nigra prodeunt. Et, ſurditas accedente ægritudine, & vrina ſubrubicunda, ſubſidentiam non habens, &c. mentem emouẽt. Et numero ſecundo eiuſdem lib. ſurditas, & vrinæ non conſidentes valde rubicundæ innatantes mentis emptionem portendunt. his morbo regio corripi malum eſt. Et num.1.ſurditas, & ſopor poſt capitis dolorem cum aſcaridibus, abſceſſus circa aurem exſuſcitant. Et numero ſecundo,ſurditatem ex febribus, ſanguinis è naribus fluxio ſoluit, itemque alui turbatio. Et ibidem. cum ſurditate vigilantibus, vomitus æruginoſi in capitis doloribus inſaniam excitant. Et, ex ſurditate leniter abſceſſus iuxta aurem fiunt, tum aliàs, tum ſi quid nauſeæ accedat.ſed ex ſoporoſis ex his etiam magis abſceſſus ad aurem fiunt. Et, ex ſurditate, ac torpore de naribus aliquid deſtillare, difficultatis aliquid habet. vomitus his conueniet, & alui turbatio. Sed in lib.1.prædic. numero 18.ſurditas in acutis poſt modicam ſanguinis eruptionem, & nigrorum egeſtionem, malum. Et ibidem ſurditas in febribus aluum ſiſtit. Et in eodem lib.de Coac.ſupracitato numero ſecundo,ſurditas in acutis, ac turbulentis conſequens malum.malum etiam in longis; in his autem etiam dolores ad coxas deducit. Et ibidem. ſurdi valde in accipiendo tremuli, lingua reſoluti torpidi, malum. & numero tertio, ſurditas cum febre, & dolor acutus ad latus his fit, quibus ex partu alba prodeuntia ſupprimuntur, &, ſurditas & ſanguinis egeſtionem ſoluit, & numer.3.ſurditas, & vomitus voluuloſis, malum. & num.2.eiuſdem lib. quibus ſurditas cum capitis grauitate,& precordij intenſione, & ad ſplendorem turbatio,ſanguinem profundit. Sed in lib de Iudic.nu. 10. ſurditas dolorem fortem in locis infernis ſoluit. Tandem in lib.4.aphor.28.ſurditas bilioſis egeſtionibus ſuperueniens,eas ſedat.

Suturæ.

Suturæ capitis ſcribuntur in l.de Homi.ſtruc.n.4. & in l.de loc.in homi.num.10.de futuris capitis,& ♃ alia tres,alia quatuor habeant. verum futurarũ multitudo ad ſanitatem eſt vtilis,& in l.5.de mor.popul. num.14. futurarum læſio cognitu difficilis, adeo vt Hippoc.ipſe in capite quodam percuſſo ſe deceptum fateatur, & in lib.de Cap.vulne.nu.6. legitur futura in oſſe denudato in cap. vlcere comparens.

De Syderatione, siue apoplexia.

Syderatio, siue morbus attonitus appellatur à medicis nostræ ætatis syderatio. atque ea fit aut in toto corpore, aut in aliqua corporis parte, siue membro. causæ autem, & signa syderationis totius corporis, hæc leguntur in libro secundo de morb. pagin. 65. nume. 8. si syderatus fiat; anteriorem capitis partem dolet, & oculis non æqualiter videt, & suppuratur, & venæ pulsant, & febris debilis tenet, & corporis impotentia. hic patitur hæc, cum venæ in capite fuerint calefactæ, & calefactæ pituitam in se ipsas traxerint. & principium quidem morbi ex hoc fit. anteriorem verò capitis partem ideo dolet, quòd venæ in hac sint crassissimæ, & cerebrum ad anteriorem capitis partem magis situm est, quàm ad posteriorem. & oculis ideo non videt, procumbente eò cerebro, ac inflammato. impotentiæ verò ideo corpus occupant. postquàm venæ pituitam in se ipsas traxerint; necesse præ pituitæ frigiditate sanguinem magis nunc sisti, ac perfrigeratum esse, quam priori tempore. dum autem sanguis non mouetur; fieri non potest, vt non etiam corpus quiescat, ac torpeat. & si quidem sanguis, ac reliquum corpus superarint, ita vt calescant; homo euadit. si verò pituita præualuerit; sanguis magis perfrigeratur, ac congelatur, & si frigiditas, ac congelatio augescant; penitus congelascit, ac perfrigeratur homo, & moritur. in lib. autem de Flati. pag. 40. nume. 19. causas syderationis vult flatus esse, qui fortasse à materia frigida proueniant. & inquit. cum flatus frigidi multi penetrent, ac inflent carnes; partes corporis stupidæ fiunt. & si quidem plurimi flatus per vniuersum corpus discurrant; totus homo syderatur: si per partem; pars illa percutitur. atque vbi abierint flatus, cessat & morbus. quandiu autem permanserint; consistit & morbus. idque sic habere indicat perpetuus syderatorum hiatus. Et in lib. de Coac. prænotio. syderationis signa hæc scribuntur. si quidem aortæ appellatæ, vtrinque appendentes pulmonis partes, valde inflammatæ sunt, vt ad latus assideant; ac corporis parte resoluuntur, & liuores foris circa costam habent. hos autem veteres ictos, siue syderatos vocabant. si verò non valde inflammatæ sunt, vt non assideant, dolor quidem fit per totum, non tamen resoluuntur, neque liuores habent. quibus vero totus pulmo inflammatus fuerit vnà cum corde, & ad latus allabatur; hi toti resoluuntur, & iacet æger frigidus, sensus exors. moriturque secunda, aut tertia die. si verò etiam sine corde contigerit; minus diu viuunt. quidam autem etiam seruantur. syderantur quoque homines ex vulnere: legitur enim in libro de Coac. præno. nu. 3. syderati dextra, aut sinistra parte fiunt, qui ex vulnere impotentes fiunt corpore, si febris cum rigore non accedat. Syderati etiam fiunt ex capitis vlcere, quemadmodum proditum est in libro de cap. vul. num. 27. Et in lib. de Coac. præno. num. 3. syderationes leues diuturnas faciunt mentis emotiones taciturnæ, non quiescentes. Et in lib. 6. aphor. 57. syderationes fiunt, maximè à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum annum. Et in libro tertio de morb. pag. 71. num. 3. scribuntur causæ, & signa syderationis his verbis. qui icti, ac syderati esse dicuntur, cum cerebrum multa immunditia vitiosorum humorum repletum fuerit, anterior capitis pars primum dolorem ipsis exhibet, & suspicere non possunt aliqui ambobus oculis, aliqui altero, & sopor ipsos tenet, & desipiunt, & tempora saliunt, & febris tenuis habet, & corporis impotentia. sed in libro de Coact. præno. num. 3. syderationis futuræ signum sunt torpores, & sensus stupiditates præter morem fientes. Et ibidem syderationem paruam, ac modicam significant vertigines ex hæmorrhoide parum apparente obortæ. syderati quoque fiunt etiam ab atra bile, quemadmodum legitur in lib. 1. de morb. nume. 3. Prognostica verò signa habentur in libro secundo prædict. nume. 23. atque ea sunt. syderatio alicuius membri si in febribus accesserit, periturum hominem sciendum est. Et in lib. de Coac. prænorio. num. 3. syderationes derepente exulutorio modo fientes, febre insuper temporis progressu accedente, perniciosæ sunt. Et ibidem. nume. 4. in syderatis ex spiritus ægra latione, sudor accedens, lethale. rursus autem in his ipsis si febris accedat, solutio fit. Et ibidem numero secundo, syderatis leuiter, tumores circa aurem mali. & in lib. 3. de morb. num. 3. hic tertia, aut quinta die moritur, & ad septem non deuenit. si verò deuenerit, à morbo liber euadit. deinde curationem aggreditur, & inquit. Hunc si curare uoles; capiti fomenta adhibeto, & sectione facta, transpirationem efficito. si uerò dolor tenuerit; etiam sternutationes inducere oportet, & caput purgare leuibus, ac odoratis: infernam item aluum purgare. à uino autem penitus abstineat, & ptisanæ succo utatur. Et in libro de Coac. præno. nume. 4. syderatis si hæmorrhoides accedant; utile est: si uerò frigiditates, & torpores; malum. sed lege Apoplexiam.

COM-

COMMENTARIVS XVIII. IOAN. MARINELLI IN LIBROS HIP.

TABES, SIVE PHTHISIS.

TAbes, quam phthisim etiam Græci appellant, proprie est corporis totius aut alicuius partis, siue membri extenuatio. tres autem sunt illius, quæ totius est corporis, species, de quibus scribuntur hæc in l. de Interiect. Affectio. pag. 85. nume. 1. Tres sunt tabis species. prima quidem fit à pituita: cum enim caput pituita impletũ ægrotarit, & calor accesserit; pituita in capite computrescit, vt quæ moueri nõ potest, vt decedat. postea cum crassefactæ fuerint, & putrefactæ, ac superimpletæ venulæ, fluxio in pulmonem fit. Et, pulmo vbi susceperit; statim ægrotat, vt qui à pituita mordetur, quæ salsa est, & putrida. hæc igitur æger patitur. Febris debilis inuadere incipit, & rigor, & dolet pectora, & dorsum. aliquando etiã tussis premit acuta, & expuit saliuam multam, & liquidam, ac salsam. In progressu autem corpus attenuatur, omnibus exceptis: hæc enim intumescunt, & pedes, & vngues contrahuntur. Ex humeris autẽ tenuis, ac debilis est, & fauces, velut lanugine implẽtur, & velut per arũdinem sibilat: & fortiter sitit per totum morbum: & multa impotentia corpus habet. Hic cum sic habuerit: in anno corruptus male perit. Tabes quoque vt legitur in lib. de loc. in hom. n. 27. fit, cum in idem velut in suppurato, fluxio fit per guttur, & appendentes pulmonis partes, & appellatas aortas, quæ pulmonem, & guttur continent, ac coniungunt. fluit autem in pulmonem frequenter, & paulatim, & humiditatem in pulmonem multam facit: reficcatum enim id, quod influit, & gutture compactum, vt pote quod non eluitur, sed paulatim influiti, ac detinetur, tussim excitat, & in aortis, id quod influit detentum, vtpote cum angusta foramina aortæ habeant, angustum spiritui locum exhibet. & talem spiritum habere facit, qui velut defectus semper respirare concupiscit. & in pulmone velut non vehementer humido existente, pruritus cõtingit. cũ verò multum de capite fluxerit; pruritus in pulmone non fit: multum enim est, quod in ipsum influit, & suppurati ex his tabidis, siue phthisicis Græcè appellatis fiunt, vbi corpus humectius factum fuerit: & contrà vbi siccius fuerit factum, ex suppuratis tabidi. Sed in lib. 2. de morb. pag 68. n. 46. de hac tabis specie leguntur causæ, & signa indicantia, & prognostica his verbis. Cum quis ex pulmonis affectu tabescit; is saliuam crassam cum virore subpallidam dulcem, tussiendo reijcit, & stridor, ac dolor ad pectus, & ad dorsum fit, & faucibus tenuis sibilus autur, & fauces siccæ sunt, & oculorum cauitates rubicundæ, & vox grauis, & pedes intumescunt, & vngues contrahuntur, & supernæ partes attenuantur, ac imminuuntur, & saliuam abominatur, vbi excreaturus ipsam in ore habet, & tussit mane maxima, & circa mediam noctem, imo etiam alias temporibus. Et corripit magis hic morbus mulierculam iuuenculam, quam vetulam. huic si iam pili de capite defluant, & nudum sit caput, velut ex morbo, & si prunis in spuenti saliua graueolens sit; intra breue tempus ipsum moriturum esse pronuncia. id verò quod occidit alui profluuium fore: vbi enim iam opus circa cor protruerit; nidorosum odorem prunis iniectũ de se præbet: & cerebrum concalescens salsuginosum humorem effundit, qui aluum mouet. huius autem signum est, quod capilli ex capite defluum. hũc vbi ita habuerit, ne curato. Si verò à principio morbus obtigerit, lenticulæ decoctum bibendum dato, deinde interposita vna die veratrum dato temperatum, vt ne aluum infernam moueat. & cum noctu ad os salsuginosus humor ipsi influit; medicamenta frequentiora ipsi ad nares appone. si verò non fluit, appone quidem, sed rarius, & mense semel. ita vt insuper, verarrum bibendum, des, quantum duobus digitis comprehendi potest in vino dulci temperato. statim verò lenticulæ decoctum inter bibendum dato. & medicamenta quam pauciſſima bibat, si non febres acutiores ipsum corripiant. radicem dracontij albam, & veratri delingat, sed non ex melle: sic enim minime aluum mouebit. si vero tormen in aluo infernа oboriatur, primum per clysterem illud infusum immittito, in quod coccus cnidius ammiscetur. quòd si neque sic sedetur; lacte asinino cocto purgato, pharmacum autem nullum deorsum purgans dato. si verò ante medicamentum, præpotato veratro bilem vomat; ab ipso lenticulæ decocto accepto vomat: cibis autem vtatur; si febres acutæ tenuerint, carnibus ouillis coctis, & volucrim, & cucurbita, & beta. iusculum autem ne sorbeat neque ad intinctus vtatur. piscibus vtatur scorpijs, & cartilaginei generis coctis. calidum verò nihil edat. lauet, si febris multa. teneat. neque oleribus acribus vtatur, præterquam satureia, aut origano. vinum bibat album. si verò sine febre sit, calores autem alias, atque alias corripiant; pisces edat optimos ac pinguissimos: & pinguia, & dulcia, & quammaxime salsa, & deambulationibus vtatur, neque in vento, neque in sole. & à cibis vomat, vbi tempestiuum visum fuerit. at calida lauet capite, excepto. ex cibis frumentaceis præstat panis his, qui non mazam soliti edere sunt: mazam verò edere solitis, vtraque dato. Et in l. de inter. aff. nu. 11. curationem non huic dissimilem scribit hoc modo. primum quidem veratrum bibendum dare oportet: infrà autem subpurgare epithimo, aut peplo, aut grano cnidio, aut tithimalide. hæc quater in anno dare oportet sursum bis, deorsum bis. dandum est lac asininum coctum ad subpurgationem, aut bubulum, aut caprinum. Bibat etiam crudum, lac bubulum,

bulum, tertia aquæ mulsæ parte ammixta per quinque, & quadraginta dies ammixto etiam origano. caput autem ipsius prius purgetur, pharmaco ad nares apposito. cibaria autem, & obsonia dentur, neque pinguia, neque nidorosa, neque valde acria. hæc autem morbum obseruando facere oportet, & deambulationibus ad cibos, vti obseruando ne frigeat. hyeme verò iuxta ignem habitationem faciat. bibat autem vinum nigrum, austerum quàm vetustissimum, ac iocundissimum, verum modicum. & si tibi visum fuerit; ante pharmacum fomentum adhibeto, & sic pharmacum dato. si verò dare noluerit facto momento; vomitum ex cibis facere cogito, velut prius scriptum est. huic si commodæ fuerint; deambulationibus vtatur. si verò non conducant; corpore quàm maxime quiescat. hoc modo tractatus, facillime in morbo deget, est autem morbus lethalis, & pauci hunc effugiunt. sed in l. 2. de mor. nu. 47.

Scribitur alius morbus appellatus, tabes. & ait. tussis vexat, & sputum multum, ac liquidum, & quandoq; facile tussiendo reijcitur etiam pus veluti grando: quod dum digitis conteritur, durũ, & male olens est. at vox pura est, & doloris exors, & febres non corripiunt, verum calor quandoque aliàs, atque aliàs, atque hic debilis. huic veratrum bibendum est, & lenticulæ decoctum, & large cibus sumendus, ita vt abstineat ab acribus, & à carnis bubulis, ac porcinis, & ouillis. exerceatur modice, & deambulet, & à cibis vomitu vtatur: à venere abstineat. his morbus per annos septem, aut nouem durat. quod si ab initio æger curatus fuerit; sanus euadit. Et in eodem l. de inter. affe. supracitato. num. 12. ait.

Secunda tabes fit à labore. eadem autem æger patitur quæ & prior. morbus autem hic magis priore quiescit, & æstate remittit. saluam verò expuit crassam, & tussis premit maximè senes, & dolor fortior est in pectoribus, & velut lapis incumbere ipsis videtur. dolet etiam dorsum. & color ipsius limpidus existit: & si quid laborarit, flatus, & anhelatio oboritur. hic ex hoc morbo in tribus annis maxime moritur. curare autem oportet ijsdem, quibus etiam priorem. hic morbus multis adhæret vsque ad tres annos, sed moriuntur. estque morbus grauis. Et num. 13. scribitur.

Tertia tabes. æger hæc patitur. medulla ipsius spinalis sanguine plena fit. tabescit autem similiter, & à cauis venis. hæ verò pituita hydropiformi, & bile replentur. patitur autem eadem ab vteris. tandem tabescit. & homo statim niger fit, & subtumidus, & partes sub oculis pallidæ fiunt. & venæ in corpore pallidæ distentæ sunt, quædam verò valde rubicundæ. maxime autem manifestę sunt quæ sunt sub alis, & spuit pallida, quæ vbi ipsum inuaserint; suffocãt: & tussire volens, aliquando non potest. quandoque autem præ suffocatione, & tussiendi cupiditate, bilem aceruatim vomit, aliquando verò pituitam: sæpe verò etiam cibos comedit. & vbi reuomuit; leuior sibi esse videtur. deinde modico tempore interposito, in ijsdem doloribus iacet. hic etiam acutius loquitur, quàm cum sanus est. & rigor, ac febris inter quiescens, rursus sudorosa corripit. Et in l. de loc. in homi. nu. 18. scribitur. cum in medullam fluxio contigerit tabes occulta, ac inconspicua oboritur. Et num. 29. signa explicat hæc. lumbos dolet, & anteriores capitis partes, & vacuæ videntur ipsi esse. Sed in l. 2. n. 49. dorsalis tabes à medulla fit. corripit autem maxime recentes sponsos, & veneri deditos. sunt autẽ sine febre, & bene cibum capiunt, & consumuntur. & si interroges ita affectum; dicet sibi superne de capite in spinam velut formicas descendere videri. & vbi mingit, aut venter exonerat; prodit ipsi genitale semen multum, ac liquidum, & genitura in vtero nõ manet, & in somnis semen profundit; siue dormiat cum vxore, siue non. &, cum iter fecerit, aut concurrerit, tum alias, tum ad accliuem locum; anhelatio, ac debilitas ipsum corripit, & capitis grauitas, & aures sonant. hunc temporis progressu, vbi febres fortes ipsum corripuerint; perdunt febres lypiriæ. cum ita habuerit, si ab initio curandum susceperis, fomento per totum corpus adhibito, medicamentum sursum purgans, bibendum ipsi dato, & postea caput purgato. deinde deorsum purgans exhibeto. optandum autem fuerit, vt vere hanc curationem aggrediamur. postea verò serum, aut lac asininum bibendum dato. cæterum bubulum lac per quadraginta dies bibendum præbeto. ad vesperam verò quamdiu lac potat, aliam sorbendam dato. à cibis autem etiam abstineat. postquam verò lac bibere cessarit; cibis mollibus ipsum reficito, ex modico initium sumens, & quammaxime crassum, ac pinguem facere studeto. per annum ab ebrietatibus, & venere, & laboribus abstineat, exceptis deambulationibus, in quibus vitet frigus, & solem. tepida autem lauet. At in eodem lib. de inter. affect. supracitato. nu. 13. hunc vbi sic habuerit; cibis & sorbitionibus, & potibus, ac pharmacis, & reliquis omnibus curato, velut priores. morbus autem durat maximè annos nouem. postea durat, dum corrumpitur. pauci verò ex ipso effugiunt: grauis est enim morbus. si verò voles: sic ipsum curato primum fomentum adhibeto, & vbi fomentum adhibueris, postridie, aquæ mulsæ dimidiũ congium ipsi bibendum dato modico aceto affuso. & hæc citra respirationem bibere iubeto. reliquam verò curationem ibi lege.

Tabes porrò fit ex sanguinis vomitu, vt inquit Hip. in l. 7. aph. 78. Ex suppressis mensibus, vt in lib. de morb. mul. Et tabis periculum impendet diuturnas curanti hæmorrhoidas, nisi vna quæpiam seruetur, veluti in l. 6. aph. 12. Et ex fluxione retrorsum, sicut in l. de humid. vsu. n. 8. Et in tabem desinunt in testinorum leuitates, cum spirandi difficultate, & lateris punctura, vt in l. de Coac. præno. n. 3. Et ad tabem transeunt suppurati, vt in l. 5. aph. 15. Et tabidã speciem inducit morbus, si talis ex natura æger fuerit, quemadmodum scribit Hip. in l. 6. de morb. pop. sect. 7. Et tabidi plerunque fiunt ex pulmonis tuberculis, si post eorum ruptionem quadraginta dies trãsmiserint, vt in l. de Coa. præ. sed ferè omnes pulmonis affectus tabem minantur.

Tempus verò, in quo tabes contingat, est autumnus, vt legitur in l. 3. apho. 22. Et tabes post æstatem siccam, & borealem fit, vt in lib. de ae. aq. & loc. nu. 28. Et tabes in siccitatibus plerunque fiunt, vt in l. 3. aph. 13. Et tabes quibusdam ad hyemem fit; si æstas sicca, & aquilonaris fiat: autumnus autem pluuiosus, & australis, vt ibidem. Et tabescentibus autumnus est malus: malum item ver, cum fici folia cornicis pedibus similia fuerint, vt in l. 6. de morbo popu.

sect. 7.

sect.7. Quibus verò hominibus tabes fiat, legitur in l.3.aph.29. hoc est. Tabes iuuenibus fiunt. Et in l.5. aph 9. phthisis accidit his maximè, qui sunt in ætatibus ab anno decimo octauo vsq; ad triginta quinque. Et in l.de aere, aq. & lo. nu 7. tabes mulieribus ad plagam meridionalem à partu frequentes fiunt. Et in l.5.aphor.15.ad tabem transeunt suppurati.

Qui verò liberentur, & qui non explicat in lib.2. præd.num.12.13.& 14. his verbis oportet eum, qui probe liberari volet, facile sputum per tussim reijcere,& id esse album, & æquale, & eiusdem coloris,& ab inflãmatione alienum.quod verò à capite defluit, ad nares conuerti: febrem aũt non inuadere, vt ne à cœnis prohibeatur, neque sitiat. venter autẽ egerat quotidie, & id, quod egerit, sit durum, & copia pro ratione ciborũ ingestorum hominem vento quãminime tenuem esse oportet. pectus aũt laudare conuenit quadrangulum, & hirsutum, & os ipsius paruum sit. & robustè carnosum: quicũque.n.hæc omnia habuerit, maxime superstes erit. qui verò nihil horum habet,interitui proximus est. quicunque verò pectori suppurati facti fuerint, dum inuenes sunt, ex humorum illapsu,aut fistula,aut alio quopiam huiuscemodi,aut ex abscessus recursu; hi non euadunt, nisi valde multa bona signa ipsis accesserint. pereunt autem homines hi ad autumnum. sed & ex alijs morbis longis plerique ad hoc tempus maximè moriuntur.cæterum ex alijs minime superstites manent,virgines,& mulieres, quibus ex suppressis mensibus tabes oborta est: si verò aliqua virgo, aut mulier euasura est; & aliorum signorum bonorum multa accedere oportet, & menses splendidè, ac purè apparere,aut nulla spes est. qui verò ex sanguinis eruptione pectore suppurati fiunt, & viri, & mulieres, & virgines; non minus euadunt.verum si his omnibus. tum supputatorum, tum tabescentium collectis,& superstitem futurum, & periturum prædicere oportet. maximè verò euadunt ex sanguinis eruptione hi quibus dolores sunt atrabiliarijs,& in dorso,& in pectore: & qui post eruptionem minus dolent: nam & tusses valde insuper accedunt, & febres pleræque perseuerant, sitim facile perferentes. verum in l.de Coa. præ.n.3. tabes periculosissimæ sunt à ruptione venarum crassarum, & à defluxu de capite.Et in l.1. de mor.n.3. tabes necessitatem habet. at interimat. Et in l.5.aph.11.his,qui phthisi vexantur,si sputum, quod extuffierint, graue oleat carbonibus iniectum, & capilli à capite fluant; lethale. Et apho.12.quibus tabidis capilli à capite fluant, hi alui profluuio superueniente moriuntur. Et aph.15.qui ex pleuritide suppurati fiunt, si per sputa expurgantur in quadraginta diebus, ex quo ruptio facta fuerint,liberantur: si eo non; in phthisin transeunt. Et in lib.7.aph.16.à puris sputo tabes, & fluxus: cum verò sputum retitur. moriuntur. Et aph.76.à sanguinis vomitu tabes & puris purgatio suprà.Et in l.de Coa.præn.in tabidis præcordia in tumorem eleuata pessima sunt. Et ibidem quibus tabidis in mare expuentibus pus ad fundum sidit,breui pereunt.fit autem mare in æneo vase. Et,in tabidis post aluum suppressam prurigino sa corpora mala sunt.

At verò tabis signa sunt horror, & spirandi difficultas in doloribus, vt legitur in l.de Coac.præ.n.1. Et,tabem præsignant frequentes subsoporatæ vocis interceptiones consistentes. Et,tabem habitus significant pustularum eruptiones,velut ferro lancinatæ.

Curatio verò sit ea,quæ scribitur in lib.6. de mor. popul.sect.7.tabescentes statim vrere oportet, caput secare,& huiusmodi. Et in l.4.aph.8. tabescentes vitent superiores purgationes. Et in l.5.aph.64 tabescentibus lac conuenit,qui non valde febricitant.

Tabes alicuius membris descripta est in pluribus Hip.lib. vt in l.de Coa.præ.n.1. tabes coxendicum le uiter accedit,quibus sæpe recidiua contingit. Et in l.de inter.affec.n.16.tabes renalis ex nephritide.

De Telis.

Teli sedes in osse scribitur in l.de Cap. vul.nu.10. sed nu.9.teli sedes in osse vocatur cum manente osse in sua ipsius natura, telum quod in osse incubuit,manifestum fecerit,vbi incubuit.Et nu.15.tela obliqua, rotunda, oblonga, multum tenuia, acuta, leuia, os sauciantia.Et n.16. telorum sedes in futuris cognitu difficiles sunt. & num.6.telorum sedes ipsæ in se ipsis fientes in osse,& cum fissura, & contusione, ac introcessione. tandem in lib. de Medico, nu.12.scribitur telorum extractio,artis chirurgicæ pars præstantissima est.

De Tempore.

Tempus considerant medici aut pro eo, in quo occasio est:aut pro anni partibus quatuor.appellant, & quandoque tempus aeris tempestatem,de quo sæpe in libris epidemicis Hip. loquitur. Sed hoc loco nobis de eo agendum est,cuius partes sunt ver,æstas, autumnus, & hyems: atque de aeris tempestate. in his quidem ambobus dicuntur tempora mutationes suscipere,& hæ potissimum mutationes aut sunt magnæ,aut paruæ:aut frequentes,aut rarò fiunt:præterea aut magnæ,& frequentes:aut paruæ,& rarò fientes:contrà aut paruæ,& frequẽtes:aut paruæ;& rarò cõtingentes. De quatuor aũt anni temporibus satis proprijs dictum est locis:at de temporum mutationibus in genere, & quæ magnæ dicantur, & quos in corpora nostra producant effectus, nunc tractabimus. Inquit igitur Hipp.in lib.de aer.aq.& loc.nu.1. Quicunque artem medicam integrè assequi velit; primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat: non enim simile quicquam in illis existit:verum differunt inuicem propter varias, quæ in eis fiunt, mutationes,& idcirco in eodem l.n.56. & 57.ait.vbi tẽporum mutationes contingunt frequentes, & plurimum inter se diuersę; ibi & formas hominum,& mores,& naturas reperies plurimum differentes.temporum itaque varietates potissimæ sunt, quæ naturam ipsam permutant: deinde etiam regio, in qua quis nutritur:postremum autem aquæ.& nu.55.eiusdem li. Reliquum in Europa hominum genus valde inter se dissimile est, & diuersum, tum quod ad magnitudinem attinet, tum quod ad formam. atque id propter temporum mutationes contingit apud eos magnas, ac frequentes. deinde declarat, quænam sint magnæ temporum mutationes,& inquit. Sunt enim eis calores vehementes,& hyemes fortes,pluuię multæ, rursumque siccitas diutina, & venti plurimi, ex quibus multæ,& omnimodę fiunt transmutationes. Neque à verò discrepat circa generationem has ipsas mutationes sentiri, inque seminis genitalis coactione aliam neque ex eadem etiam eandem, æstatis pariter,

pariter, vt hyemis pluuioso, & sicco tempore gigni. Eaque causa est, cur putem Europæos magis, quam Asianos secundum corporum formas inter se discrepare, & magnitudines diuersissimas in singulis adeo vrbibus prouenire: plures enim corruptiones contingant in feminis coactione, cum tempora frequenter variant, quàm si eadem sunt, & similia. Eadem autē motuum ratio in vtrisque existit. Feritas, integritas, & audacia à natura Europæis innascitur: frequentes enim mentis perculsiones feritatem inducunt; mansuetudinem contrà, & benignitatem extirpant. Postea nu. 55. exponit quæ loca magnas temporum mutationes habeant, cum inquit. Europa ipsa adhuc habet gentes inuicem differentes non magnitudine, & forma solum, sed & magnanimitate, & fortitudine, quæ verò in eis hanc diuersitatem faciant, in præcedentibus dixi, dicamque amplius, magis manifestè, quicunque regionem montanam, asperam, nudam, & non aquosam incolunt, his mutationes temporū cōtingunt magnæ, & diuersæ. vnde & hominum formas magnas progigni conuenit, qui & ad laborem, & ad viriliter agendum à natura præstent: quibusq; feritas, & immanitas, non mediocriter a natura sint congenita. qui verò loca concaua, pratēsia, & æstuosa habitant, ventosque calidos plus sentiunt, quàm frigidos, & aquis vtuntur calidis; hi magni quidem esse non possunt, neque bene compositi. & longi, ac erecti: sed in amplitudinem à natura producti, carnosi sunt, & apillis nigris. imo, & ipsi toti nigri magis, quàm albi, & qui minus de pituita habeant, quàm de bile. virilitas autem & tolerantia laboris non æque ipsis à natura inest, nisi consuetudo accedat, & n. 34. inquit. vbi tempora magnas mutationes faciunt, & frequentissimas; illic & regio agrestia, & maximè inæqualis existit; inueniasque & montes plurimos, & densos, itemque campos, & prata. vbi autem non valde variant tempora; illic æqualissima regio est. quod idem & de hominibus ipsis est intelligendum: si quis enim recte consideret; videbit quorundam naturam montanis, syluosis, ac asperis locis similem esse: aliorum verò aquosa, ac exilia loca referre; sicut quidam pratorum, ac paludum naturam præse ferūt, atque alij sunt, quorum planitiebus nudisque ac siccis terris constitutio similis existit: tempora enim quæ formarum naturam variant, sunt diuersa. cum igitur inter se fuerint maximè diuersa; varias, & multiplices formas producunt, tum in terris, tum in hominibus. cum verò similia: similes formas. Et subdit. nu. 39. quòd timidiores, effeminatiores, ac imbelles prę Europæis Asiani existant, moribusque mansuetiores, tempora ipsa anni in causa sunt, quę non magnas permutationes faciunt, neque caloris, neque frigoris; sed semper æqualia permanent. vnde neq; mentes stupore percelluntur, neque corpora fortem transmutationem incurrunt: à quibus verisimile est illam exasperari, cognitionemque, & calorem amplius excitari, quàm si semper in eodem statu quis persistat: mutationes enim sunt quę hominis mentē semper excitant neque quiescere sinunt: verum tempora constantia, variaque sanitatis, atque morbi causæ existunt: Et vt legitur in l. 3. aph. 3. in temporibus constantibus si tempestiuè tempestiua reddantur; morbi constantes, & iudicatu facillime fiunt; in incōstantib. aūt incōstātes; & qui difficulter iudicant. at verò si varia sint tempora; subdit Hip. in eodem l. aph. 4. in temporibus cum eadem die modo calor, modo frigus fit autumnales morbos expectare oportet. sed tu in eodem lib. aph. 3. legitur. ad tempora alia morborum alij bene, aut malè se habēt. Et in l. de Octim. par. tempora eadem alijs vitæ, alijs mortis sunt causa Et in l. de Humo. n. 6. tempora etiam recidiuas faciūt sed in l. 3. apho. 1. temporum mutationes maximè pariunt morbos. sed quemadmodum constantia tempora iudicationem reddunt faciliorem; sic, vt legitur in l. de Humo. nu. 5. temporum inæqualitas morborum iudicationem efficit difficiliorem. Et propterea; veluti scriptum est in l. 2. prędict. temporum anni differentiæ in morbus considerandæ sunt. & quā quam in omnibus temporibus omnes quidem morbi fiunt; quidam tamen magis, in quibusdam ipsorum & fiunt, & exacerbantur, vt inquit Hip. in lib. 3. apho. 19. obseruare igitur oportet temporum mutationes, ac præsertim maximas, tum in regione dinoscenda, tum in formis hominum, atq; moribus, tum in morbis, tū in medicinis exhibendis: scribit enim Hipp. in l. de ae. aq. & loc. nu. 30. maximè obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libentes exhibeamus, neque vramus; quę circa ventrem, neque secemus, prius quam pretereant dies decem, aut plures, & non pauciores. periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maxime verò ęstiuum. periculosum etiam ęquinoctium vtrunque, magis verò autumnale.

Tempora.

Legitur in l. de coa. præ. quibus tempora secantur, conuulsio ex contrarijs sectioni partibus oboritur. Et in l. de prog. com. 1. tempora collapsa, nulla manifesta causa præcedente, sed ex morbo talia, ęgrum morti proximum esse significant. Et in l. de coa. præ. n. 2. num & iuxta tempora ossium diruptiones conuulsoriæ sunt?

Tendinum distentio est pernicioſa scilicet in acutis morbis, vt legitur in l. de Coa. præ.

Teneſmus.

Teneſmus est voluntas egerendi ineuitabilis: atque est affectio non lethalis, nisi quid ipsi accedat. Sed quandoque ad dyſenteriam transit: sic inquit Hip. in Ep. de morb. n. 3. quapropter legitur in lib. 7. apho. 29. Teneſmus mulieri verò gerenti accedens abortire facit.

At de teneſmi cauſis, ſignis ac curatione hæc ſcribit in lib. de Affect. nume. 27. Teneſmos vbi apprehenderit; ſecedit ſanguis, ac mucus, & dolor fit in ventre inferiore, maximè vbi ad ſeceſſum deuenerit: huic conducit ventrem humectare, & pinguefacere, ac tepefacere. Et quæ inſunt ſubducere, & calida lauare, excepto capite. ſolet autem hic morbus plures cibos expetere. tormina enim euacuato ventre à ſanguine, ac muco pertranſeuntibus, & ad inteſtinum allabentibus, fiunt. cum autem inſunt cibi; minorem mordacitatem inteſtino inferunt. & fit quidem ex ijſdem, à quibus & dyſenteria; verum debilior, & breuis, & non lethalis.

Tenues.

Tenues ſunt, quibus venæ amplæ, & ventres, & oſſa, vt proditum eſt in l. 2. de morb. pop. ſect. 1. tenues verò has habent prænotiones. & ſunt hæ. quæcunque

eunque præter naturam tenues existunt, verum gestant, abortiunt, priusquam crassescunt, vt legitur in lib. 5. aphoris. 44. sed in lib. de Coac. præno. nume. 1. qui in principio tenues, cum capitis pulsu, & vrina tenui ad iudicationem exacerbantur, his nihil mirum est, si & mentis emotio, insuperque vigiliæ accedant.

Terra.

Terra frigida, & ficca est, multisque motionibus obnoxia, vt scribitur in lib. de Carni. nu. 1. sed in lib. de natu. pue. nu. 29. terra semper plus, aut minus in se aquæ habet. Et ibidem. terræ frigiditatem inducit, spirituum per terram exhalatio. At in li. 4. de morb. nu. 5. terræ innumeras inesse facultates. Et in l. de ae. aq. & loc. nu. 18. ex terra nascentia terram respiunt. Et in eodem lib. de natu. pue. nu. 23. terra vehementer tenera existens, fructus producere nequit. Verum in l. de natu. mul. nu. 98. legitur terra ex asinorum pedibus derasa. Et in l. de morb. num. 12. terra figulina tuberculis, quæ ventriculi tunicis innascantur, impo sita breui resiccatur. Et in l. 3. de morb. num. 1. terra figulina ad caput refrigerandum. Et in l. 4. de morb. nu. 27. terra Eretria ad refrigerandum in pleuriticis. Et in lib. 6. de morb. popul. sectio. 4 terra siccitatibus squallida, volucrium genus abundat. Et ibidem. terram mutare in longis morbis commodum. At in lib. de natu. pue. n. 28. legitur, cur terræ pars inferna hyeme calida, æstate verò frigida existat.

Tertiana febris.

Scriptum est in lib. de Affect. pag. 81. nu. 17. & 18. morbi, qui in æstate fiunt, sic fieri solent. cum corpus à sole fuerit calefactum; humectatur. humectatum autem ægrotat, aut totum, aut ea parte, in quam pituita, & bilis incumbuerint. si quidem igitur quis ipsos incipientes curet; neque longi fiunt, neque periculosi. si verò non curet, aut male curet, & lõgiores fiunt, & sæpe quoque occidunt. sed & tertianæ, & quartanæ febres ex talibus fieri solent. hæc morborum constitutio maximè quidem æstate fit, aliquibus verò etiam hyeme. tertiana febris cum apprehenderit, si quidem videbitur tibi non purgatus esse; quarta die pharmacum dato. si verò pharmacum non videbitur opus habere; medicamenta in potu exhibeto, quibus febris aut transmutetur, aut deficiat. exhibeto autẽ velut scriptum est in medicamentis. & in apprehensione quidem sorbitione, & potu nutrito; interposito verò tempore, cibis per aluum secedentibus. apprehendit autem plerunque non ita sæpe. si verò non curetur; in quartanam transire solet, & diuturna fieri. at verò tertiana exquisita cito iudicatur, & non est lethalis, vt scribit Hip. in l. 1. de mor. pop. sect. 3. Et in l. 4. aph. 59. tertiana exquisita in septem circuitibus, quod tempus longissimum est, iudicatur. Et in l. de Coac. præno. nu. 1. tertiana exquisita in quinque, aut septem circuitibus, aut ad summum in nouem iudicatur. Et in l. 6. de morb. pop. sect. 2. quæcunque tertianæ naturam habent, his nox molesta ante exacerbationem: quæ verò sequitur, tolerabilior plerunq; est. Et in l. de Coac. præ. nu. 1. si tertia die cohibiti in febre, quarta exacerbantur, malum est, num tales exacerbationes phreniticæ sunt? Et in l. 4. aph. 43. febres que non intermittunt si tertia die fortiores fiant, magisque periculosæ. quocunque autem modo intermiserint; periculum abesse significatur.

Tetanus.

Tetani autem tres sunt species, quas omnes latini vocant distentionem. idque fit, cum ceruix vnà cum reliquo corpore immobilis manet, & in neutram partem inflectitur: sed iuxtà in vtranque partem recta intenditur. verum in l. de inter. affect. pag. 91. nu. 59. 60. & 61. appellat Hippoc. tetanos conuulsionem, quæ dicta est, & Emprosthotonos, atque opisthotonos. de primo autem tetano hæc scribit. si ob vulnus tetanus siue distentio fiat; æger hæc patitur. maxillæ conglutinantur, & rigent. & os aperire non potest, & oculi lachrymantur, ac contrahuntur, & dorsum conglutinatum riget, & crura flectere nequit, neque manus, neque spinam. cum autem lethalis fuerit; potum, & cibos quos accepit, aliquando per nares reddit. Sed tertia tetani species minus est lethalis, quàm prima, & secunda; fit tamen ab ijsdem. multi verò etiam ex casu in partes posteriores si morbo correpti sunt. patitur igitur æger hæc. totum corpus conuellitur. aliquando verò quacunque corporis parte, id contigerit; conuellitur. & primũ quidem obambulat, postea temporis progressu in lectum cadit, & rursus remittit dolor, & conuulsio. at si surrexerit, & fortassis ad paucos dies obambularit: postea rursus in ijsdem afflictionibus iacet. atque hæc patitur, ac transmutat per longum tempus. & si quid comedit, non secedit infrà, nisi difficulter, atque hoc combustum. at in pectoribus hæret cibus, & suffocationem inducit. hũc si ijsdem curaueris, quibus priores, celerrimè sanum facies. Secunda verò tetani species, quæ opisthotonos appellatur, proprijs legelocis. in l. autem de dieb. iudic. pag. 161. num. 5. tetani tres describuntur ab his parum vel ferè, aut nihil differentes. Et in l. 3. de morb. pag. 72. nu. 13. eadem signa tetani leguntur: attamen hæc addita sunt. facies rubicunda est, & valde dolet, & vbi moriturus est; & potum, & sorbitionem, & pituitam per nares reuomit. hic tertia die, aut quinta, aut septima, aut decima quarta perit. vbi verò has effugerit; sanus euadit. curationem verò deinde tractat hoc modo, ac primum in l. de inter. affect. nu. 59. hunc cum sic habuerit; fouere oportet, & pinguiter vnctum ad ignẽ non ita prope calefacere, & tepefactoria illito corpori adhibere, & absinthium, aut lauri folia, aut hyoscyami semen, & thus terito. deinde vino albo diluta in ollam nouam infundito, & oleum pari cum vino mensura affundito, & cum his calefactis largè calidis corpus, ac caput illinito, postea super pelliceum indumentum reclinatum, ita vt pars, ad quam fuit animales caro, sursum vergat, mollibus, ac puris stragulis, ac vestimentis contegito: quò vehementer exudare possit. aquam verò mulsam tepidam si quidem hanc bibere poterit; per os exhibeto: si verò non poterit, per nares infundito. vinum autem album, quàm iucundissimum, ac plurimum bibendum dato. hoc quotidie facere oportet; donec sanus fiat. est autem morbus grauis, & statim curationem opus habet. & in lib. 3. de morb. nu. 13. Huic catapotia ex pipere, & veratro deuoranda dato: & iusculum volucrium pingue calidum. Inducendæ sunt etiam fortes, ac multæ sternutationes, & fomẽta adhibenda. cum autem fomentis non vtitur; calefactoria humida, ac pinguia vndequaque in vesicis, ac vtriculis apponantur, maxime tamen ad partes dolentes: & calido oleo multo,

to, ac sæpe illinatur. Et addit in l. de int. Aff. ad tertiã tetani speciẽ clysterem ex ptisana cocta tenui, ac mel le adhibeto. In lib. autem de vict. rat. in mor. acu. pag. 158. num. 55. de tetani curatione hæc scripta sunt. Tetanus lumborum in anteriorem, ac posteriorem partem distentio, & in atrabiliarijs: vbi spirituum per venas interceptiones fuerint; venæ sectione soluuntur. Cum autem à tendinibus vehementer in anteriorem partem reuelluntur, & circa collum, ac faciem sudores fiunt, dum præ dolore mordentur, ac resiccantur tendines vsque ad sacri offis finem expor recti, qui crassiores spinam continent, qua parte maxime ligamenta exorta, maxime deorsum ad pedes vsque desinunt. Tali si non febris, & somnus non accesserit, & sequentes vrinæ concoctionem habentes prodierint, & sudores iudicatorij, vinum Creticum vinosum bibendum dato, & farinam coctam edendam. & cerato vngito, ac illinito, & integito crura vsque ad pedes, vbi calida aqua prius in scapham profundisti: brachia quoque ad digitos vsque integito, ac lumbos, ac spinam à collo vsque ad coxas, pinguedine incerata molli pelli illita circundato, ita vt etiam anteriores partes complectantur: & interposito tempore, per vtriculos calida aqua infusa foueto, & circuntento linteo ipsum reclinato: aluum verò ne valde soluas, nisi glandula subditicia, si multum tempus fuerit, quo absque egestione permansit: & si quidem melius res tibi processerit, satis est: sin minus, meù radicem in vino odoratam trita, & daucum bibenda dato, mane vbi ieiunus est ante calidæ perfusionem: & post hæc breui farinam coctam, tepidam, plurimam edat, & vinum vbi voluerit, bene temperatum insuper bibat: & si quidem in melius res tibi processerit, satis est: sin minus; prædicere oportet.

Testes.

Testes suas patiuntur ægritudines, atque communes: ac præterea futuri alicuius boni, maliue sunt indices. legitur enim in lib. prog. com. 2. par. 10. si genitale. testesque conuelluntur; dolor, ac mors significatur. Et in l. de Coac. prœno. nu. 3. testes, & pudenda reuulsa dolores fortes significant, & periculum lethale. Et ibidem. nu. 4. testes intumescunt, pectus dolent in rigoribus exudant, à veratro vomentes, rubicunda, spumosa, pauca. affectus autem testium sunt dolor, tumor, prurigo, inflammatio, varix, hydrops, & id generis. testes autem affectos habentes. tussim siccam tussiunt, quemadmodum scribit Hip. in lib. 4. de morb. popu. nu. 30. Et in lib. 2. sect. 5. ad testem dolor fortis irruens, tussim siccam soluit. Et in lib. de Iudi. nu. 11. testium tumores febrem ardentem soluunt. Et in l. 2. de morb. popu. sect. 1. testium tumores siniunt. Et ibidem. sect. 2. testis sinistri tumor ex febribus modicis. Et in l. de aere, aquis, & locis. n. 7. in testibus hydropes pueris ad plagam meridionalem frequentes fiunt. Et in l. 1. de morb. pop. sec. 1. inflãmatio in teste cũ dolore. Et in l. 5. de mor. pop. n. 4. recitat historiam de homine quodã, qui prurigine toto corpore vexabatur, maxime autem testibus, ac fronte. balneæ calidæ à pruritu liberarunt, verum hydropicus factus mortuus est. Et in l. 6. de morb. popul. sect. 2. scribuntur in testes varices. Et in lib. 1. sect. 5. vocis gracilitatem soluit varix ad testes. Et in lib. 4. de morb. pop. num. 30. tussiunt siccam tussim, qui testes affectos habent: & ex tussi vena secta ad testem solutio fit: & inflammati tussiunt, & in febribus ex inguinum tumoribus insuper tussiunt. Et in lib. 6. de morb. popul. sect. 4. hircire incipiens, vter testis extrà apparuerit, si quidem dexter, masculum: si verò sinister; fœmellam portendit.

Thorax.

Circa thoracẽ sensus maximè euidẽtes sunt, vt legitur in lib. de Oss. natu. n. 27. & idcirco fortasse thorax, & ventriculus frigoris impatientes sunt, vt inquit Hip. in lib. de Humid. vsu. nu. 5. in thoracem verò fluxiones frequenter fiunt propter frigus: legitur enim in lib. de loc. in homi. n. 18. postquam in thoracem fluxerit præ frigore; bilis fit. magis autem in thoracem præ frigore fluit; propterea quòd facilis est ad guttur, vtpote non contectum. præ frigore verò à bile infestati propterea lassitudine affliguntur; quia carnes cum bilem habuerint, non quiescunt, sed concutiuntur, & concussæ laborant, ac delassantur, vtpotè velut in itinere faciendo concussę. & suppurati fiunt, cum in thoracem fluxerit. itemque tabidi. Et nu. 24. eiusdem lib. verò cum in thoracem fluxerit, & bilis fuerit; ex hoc manifestum fit. dolor lateris mollitudinem occupat, & clauiculam eiusdem partis, & febris adest. & lingua supernè pallida, ac viridis fit, & excreat compacta. huius morbi periculum septima, aut nona die instat. Alia bilis. cum ambo latera doluerint, reliqua autem similia velut in priore fuerint; hæc quidem peripneumonia est, illa verò pleuritis. Fiunt quoque conuulsiones circa thoracem: etenim scriptum est in lib. de Coac. præno. circa thoracem conuulsiones sunt difficillimæ, & maximè periculosæ. Et ibidem quoque scribitur de thoracis vulneribus his verbis. quicunque in thorace vulnerati externa vulneris parte sanati sunt, interna non; periclitantur; ne suppurati fiant. quibus autem debilis intus inducta est cicatrix, facile refringitur. sed lege Pectus.

Thymbra similia Origano facit, vt legitur in li. 2. de Diæ.

Thymum calidum est, & per aluum secedit, & mingitur. ducit & pituitosa. sic in eodem lib. 2. de Diæ.

Tibiæ.

Proditum est in li. de Oss. natu. n. 1. tibiæ duo sunt ossa, quæ supernè, ac infernè cohærent: iuxta mediũ verò distant. paruum est, quòd extrinsecus est iuxta paruum digitum paulo tenuius. plurimum autẽ hac parte distant, & minore momento iuxta genu: & tendo ex ipso innascitur, qui circa poplitem foris est. habent autem inferne communem appendicem, ad quã pes mouetur. aliam verò supernè habent appendicẽ, in qua femoris articulus mouetur simpliciter, & expedite in longitudinem, specie nodosa, patellam habens. atque in l. de loc. in homi. nu. 13. de tibiæ descriptione loquitur Hip. At verò de varice in tibia conspicuo agitur in l. de Vlce. nu. 16. de prauis vlceribus in l. 2. præd. nu. 39. deque vlcere circa tibiæ malleolũ in l. 5. de morb. pop. num. 29. legitur historia. Et tibiarum tumores ex defatigatione cum calore habes in l. 2. de morb. popul. sectio. 2. Et qui in tibia vlcus habebat, & Attico vsus est, huic pustulæ eleuatæ, rubræ magnæ: atq; hoc per tussim, quę postea accessit: prius enim non tussiit. sic in lib. 4. de morb pop. num. 26. Verum de tibiæ ossium luxatione, ac curatione

lege

lege in l.de Fract.n.14.atque ibidem de ossium tibiæ extensione: itemque de tibiæ ossibus duobus, deque tibiæ altero osse fracto.nu.21.eiusdem lib.vbi legitur quoque tibiæ os internum maiorem molestiam in curando exhibere. sed nu. 18. tibiæ os vtrunque fractum. & nu. 11. tibiæ ossa, cur diu turniorem cæteris pedis ossibus curationem requirant. Et nu.20.tibiæ ossa quadraginta diebus corroborantur.

De Timore.

Timoris causas hoc nos tempore recensebimus,& quid ex ipso pręsagiendū sit.inquit igitur Hip.in l.de mor.sa.pag.59.nu.16.terrores,& timores nobis accedūt partim noctu, partim interdiu,& errores intępestiui,& ius omnia,& curę inanes à cerebro;cū sanum non fuerit,sed aut calidius,q̄ ex natura fiat:aut frigidius,aut humidius, aut siccius, aut aliud quid perpetiatur pręter naturā,& consuetudinē.Et subdit.si terrores,ac timores accedant; à cerebri transmutatione id cōtingit.trāsmutatur aut,dū calescit. calescit autē præ bile, vbi ad cerebrum impetū fecerit ex corpore per venas hęmatitidas, hoc est,sanguinarias appellatas:& timor adest; donec rursus redierit in venas, ac corpus: deinde quiescit. sed in l.de Virg mor. pa.92. num.2.cum sanguis in virgine amplius influxerit, & exitū non habeat; prę multitudine resilit ad cor & ad septū transuersum: tūc præ acuta inflammatione insanit,prę putredine clamat: prę caliginositate timet, ac formidat, præ cōpressione circa cor strangulationes parat:præ sanguinis aūt malitia animus mœrens, ac anxius malū attrahit.Sed & aliū horribiliter compellat,& in puteos prosilire,ac incidere iubet,& strāgulari,tanquā meliora sint hęc,& omnē vitæ vtilitatē excedētia.hę sunt quidē timoris causæ internę:externę verò sunt temporis mutationes,& segnicies,ac ociū: nā legitur in l.de ae. aq.& lo.nu.39. quòd timidiores, effœminatiores, ac imbelles præ Europæis Asiani existant moribusq́; mansuetiores tempora ipsa anni in causa sunt, quæ non magnas permutationes faciunt,neque caloris,neque frigoris,sed semper æqualia permanent.& n.54. eiusdem li.magnanimos magis eos,qui Europā incolunt Asianis iudico:si quidem similitudo, & æqualitas segnitiē parit.mutatio autē & animū, & corpus ad exercitationem excitat. augetur itaque à desidia, & erit timiditas.ab exercitio verò & laboribus crescit virilitas.vnde bellicosiores quoque Europæi extant, non ob hanc solum causam,sed & propter leges:non enim regibus obediunt, quemadmodum Asiani; vbi enim sub regibus viuitur,ibi necesse est homines timidissimos esse:seruitutem namque animi eorum præssi non libenter,neque volentes temere pro alijs se periculis exponunt.

Timor aūt quandoque est causa defluxus humorū: scribit.n.Hip.in l.1.de mor.sac.n.11.pueris defluit,& ex ignoto timore:siquidē timuerint,aut aliquo vociferante aut inter plorandū spiritū cito reuocare non potuerint: id quod pueris frequēter cōtingere solet. quicquid sane horū ipsorum acciderit, statim horret corpus,& æger mutus factus spiritum non trahit:sed spiritus quiescit, & cerebrum compingitur, & sanguis consistit:& sic secernitur,ac pituita defluit.

Quid verò præsagij exhibeat timor, legitur in li. 6.aph.23.si timor,& tristitia multo tempore perseueret,atrabiliarium hoc signum est. Et in l.4.aph.68. timores aut conuulsiones ex somnis in febribus,malum. Sed in l.de Coa.præ. num.1. timor, & tristitia ex perfrigeratione præter rationem in conuulsionē finiunt. Hanc præterea scribit historiam Hip.in lib. 5.de morb.popula.nu.3. Nicanoris affectio erat,cum ad conuiuium progrederetur, timor tibicinæ: cum sub initium vocis tibiæ in conuiuio tibia canere audiuisset, præ timoribus turbationes. vix se sufferre posse dixit, cum vox esset. interdiu verò audiens,nihil commouebatur. talia comitabantur ipsum multo tempore. Curatio verò ad virginum morbos est sanguis detractio, si nihil fuerit, quod impediat, vt in lib.de Virg.morb.num.3. at verò in lib.6. aphor. 11.docet Hip.locum sanguinis extrahendi,& inquit melancholicis,& nephriticis si hęmorrohides superuenerint,bonum. Et in lib.1.de diæ. pag.44. nu.35. confert his fomentis vti, & à fomentis veratris expurgari. Et in l.de loc.in homi.nu.48.tristes,anxios, & ægrotos, ac se strangulare volentes, mandragore radicem mane in potu data, minore pondere, quàm quod insanire facit curabis.

Timitus in acutis, & sonitus in auribus lethale, vt proditum est in l.de Coac.nu.2.

Tormina.

Torminum porrò causa scribitur in lib. de Flat. pag.40.nume.14.his verbis.sunt aliquæ aliæ infirmitates,vt pote voluuli,agitationes intestinorum,tormina,atque opilationes:quod autem hæ ipsæ omnes à flatibus causam habeant, nemini puto non manifestum esse: omnium enim causa horum est spiritus transitus. nam is cum contingit locos teneros,inconsuetos,ac prius intactos: quemadmodum spiculum infixum penetrans per carnem perrumpit,aliquando præcordia petens, aliquando ilia, imò quandoque vtraque simul adfligens. quare solent quidam calida fomenta extra adhibentes dolorem mitigare: rarefacto enim corpore à calore, fomentum spiritus inde exhalat, vt quies inde aliqua, & mitigatio contingat dolorum. Et in lib. de affectio. pag. 81. nume. 27. tormina enim euacuato ventre à sanguine, ac muco pertranseuntibus,& ad intestinū allabentibus fiunt. Et in eod.li.n.44 tormina,flatus, & ructus acidi ex cibarijs interdum non fiunt, quod corpore familiaria sibi trahente, reliquū debilius existit,quā vt tale quid facere possit. Sed in l.de Humo. nu.2.cum infra vmbilicum fuerit id, quod torquet; tardum,& molle est tormen; viceuersa contrà. At in l.de Coac.præn.n.2. eum tormine oris ventriculi dolore ventris animalcula erumpere faciunt.Sed in l.4. de mor.nu.26. tormen in aluo inducunt humores liquati,& ad aluum delati.Et in lib.5.aphor.41.tormē circa ventrem ex aqua mulsa, mulierem prægnantē arguit.Verum in lib.4.aphor.11. quibus tormina adsunt,&c.quæ neque medicamentis, neque aliter soluuntur in siccum hydropem firmantur. Et in lib.de Coac.pręno.nu.3.tormina circa intestinum tenue,in hydrope sicco sui significationem præmittente, mala sunt. Et in lib.6. de morb.popul.vnde hæc pauca ex tabula habentur. circa messem tormina,circa vmbilicum, & dolores quandoque à porro, sed ab allio his postea. Et in l.de Vic.rat.nu.63.leguntur tormina sine febre in hydrope.Et in l.4.aph.19.tormina citra febrem inferna purgatione opus esse significant.

Et in lib. de Coa. præ. tormina vna cũ animalculis, & doloribus in longis inteſtinorum leuitatibus. Tandẽ in l. 1. præd. n. 22. ſcriptum eſt. ex torminoſo, ſubſidentia limoſa, mala. num ex præcordijs dolet, puto, dextram? an exoluitur? num abſceſſus iuxta aures talibus parum doloroſi? aluus his erumpens in omnibus pernicioſa eſt.

De Tonſillis.

Quid ſint tonſillæ, quis earũ vſus, qui morbi, nũc agendũ eſt. proditum eſt in l. de Glan. pag. 26. n. 5. collum ab vtraque ſui parte hinc, & hinc glandulas habet. & vocantur hæ glandulę tonſillæ, in hunc vſum, atque vtilitatẽ. caput ſupra ſitũ eſt, ſurſum cauũ, ac rotundũ exiſtens, & humiditatem ex reliquo corpore cõplectens, & corpus ſimul vapores omnis generis ſurſum in caput dimittit, quos caput rurſus retro dimittit. non. n. immorari, ac manere põt id, quod influit, non habens vbi ſedem firmet, niſi ſanè caput ægrotet: tunc enim non remittit, ſed iſthic retinet. poſtquã verò attractionẽ remiſerit, in glandulas fluxio vergit: & nihil moleſtat, donec pauca, & moderata fluxio fuerint, & ipſæ glandulæ validæ, ac potentes extiterint. ſi enim multa, & acris influxerit, manſeritq; acris, & glutinoſa; inflammatur, ac intumeſcit, & collum diſtenditur, atque ſic ad aurem progreditur. & ſi quidem in vtranque partem proceſſerit; vtraque auris. Sin ad alteram: altera tantum egrotat. Si autem à pituitoſa, & multa, ac lata fuerit fluxio; etiam ſic inflammantur. & inflammatio, cũ ſtabilis humor exiſtat; ſtrumas peſſimum colli morbum generat, in alas autem etiam tunc quid confluit. ſed vbi copioſi fuerint acres, & ſeroſi humores: etiã ſic in ipſis tubercula producuntur. ſed in li. 2. de morb. pag. 65. nu. 11. ſentit Hip. ex pituita tonſillas ægrotari & inquit. tonſillæ, & partes ſub lingua, & gingiuæ, & lingua, & quęcunque eiuſmodi hoc loco conſiſtũt hæ omnes partes ex pituita ægrotant. pituita autem de capite deſcendit. caput autem ex corpore trahit. trahit autem vbi fuerit calefactum: percaleſcit autẽ à cibis, & à ſole, & frigore, & laboribus, ac febrili calore. cum verò calefactum fuerit; tenuiſſimum ex corpore ad ſe ipſum trahit. vbi verò traxerit, rurſus id ad corpus deſcendit. At verò quæ ſigna indicantia prognoſti caque ſint ad tonſillas facientia hoc ſcribuntur modo in lib. de Denti. pag. 24. num. 3. quibus cito in tonſillis vlcera ſerpentia conſidunt, febribus ac tuſſis permanentibus, periculum eſt rurſus generanda eſſe vlcera recurrentia, vlcera tonſillarum in infantibus periculoſa. pueris memorabilis magnitudinis, ſi vlcera in tonſillis ſint, & deglutire poſſint, ſalutis ſignum eſt. cum verò maiores prioribus deglutire in tonſillarum vlceribus nõ poſſunt, his multam bilem reuomi, aut per aluum prodire, periculoſum eſt. in vlceribus tonſillarum ſi quid araneoſum ineſt, non bonum, in tonſillarum vlceribus poſt prima tempora, pituitam per os effluere, ſi prius non fuit, commodum eſt, & tamen reducenda eſt. Si verò incipiat, & omnino emittat; gaudendum eſt. ſi autem non ſic effluat; vereri oportet. qui tonſillas deſtillatione vexatas habent, his aluus amplius ſubducta, ſiccas tuſſes ſoluit. verum pueris ſi quid concocti ſuperne prodierit; amplius ſoluit. vlcera multo tempore in tõſillis citra augumentum manentia, ante quintum, aut ſextum diem periculoſa non ſunt ſugentes, qui multum lactis deſumunt, vt plurimum ſomniculoſi ſunt. ſugentes, qui non probe aluntur, & macilenti fiunt, & ęgrè vires recolligunt vlcera in tonſillis æſtate facta, peiora ſunt, quam alijs temporibus: citius enim proſerpunt. vlcera in tonſillis circa curam proſerpentia, in his, qui ſeruantur, vocem alterant. vlcera proſerpentia circa fauces, grauiora, & magis acuta, & vt plurimum ſpirandi difficultatem inducunt. Et in lib. 2. de morb. nu. 30. ſi tonſillæ fiant; intumeſcunt ſub maxillis ab vtraque parte, & ad contactum foris durum eſt tuberculum, & gurgulio totus inflammatus eſt.

Cum ſic habuerit; in ipſo digito tonſillas protrudito: ad gurgulionem autem florem æris ſiccum illinito: & foliorum condimentariorum hortenſium decoctum, velut à ſole calidum gargarizandum dato. foris qua parte tumor eſt, ordeaceam farinam in vino, & oleo coctam calidam pro cataplaſmate apponito. poſtquàm verò tubercula mollia eſſe tibi viſa fuerint intrinſecus ad contactum; ſcalpello ipſa pertundito. quædam etiam ſua ſponte ſedantur.

De Torpore.

Torporis autem cauſa aliquando eſt pituita, aliquando humorum plenitudo. atque is torpor quandoque totum corpus, quandoque partem ipſius tenet. quid autem torpor ſit, declaratur in lib. de virg. morb. pag. 92. num. 2. hoc modo. aliquo longo tempore deſidente, ſanguis ex coxis, ac femoribus depreſſus, in tibias, ac pedes torporem inducit. à torpore autem pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec ſanguis ad ſe ipſum reuertatur. quæ verba nos docent torporem eſſe veluti quandam obſtupeſcentiam, quæ fit, cum ſpiritus, & ſanguis liberè per meatus ſolitos percurrere non poſſint: aut ſi currant; ſunt frigidi veluti in ſenibus. quo modo autem, & quando fiat torpor, ſic legitur in lib. de mor. ſac. pag. 58. num. 6. in venas ſpiritus copiam inducimus: hæ enim corporis noſtri reſpirationes ſunt, aerem in ſe ipſam trahentes: & in reliquum corpus, ac venulas deriuantes, refrigerantque ac rurſus dimittunt: non enim poſſibile eſt ſpiritum ſtare, ſed procedit ſurſum, ac deorſum: ſi enim alicubi conſtiterit, ac interceptus fuerit: impotens redditur illa pars, vbi conſtiterit. cuius rei ſignum hoc eſt. cum enim deſidenti, aut decumbenti venulę compreſſæ fuerint. vt ſpiritus à vena non diſcurrat, ſtatim torpor occupat. Quòd verò pituita torporem efficiat, explicat Hip. in l. 2. de mor. nu. 8. dum inquit. impotentię ideo corpus occupant, poſtquam venæ pituitam in ſe ipſas traxerint; neceſſe eſt præ pituitæ frigiditate ſanguinem magis nunc ſiſti, & perfrigeratum eſſe, quam priori tempore dum autem ſanguinis non mouetur, fieri non poteſt, vt non etiam corpus quieſcat, ac torpeat. & ſi quidem ſanguis, ac reliquum corpus ſuperarint, ita vt caleſcant, homo euadit. Si verò pituita pręualuerit; ſanguis magis perfrigeratur, ac cõgelatur. & ſi frigiditas, ac congelatio augeſcant; penitus congelaſcit, ac perfrigeratur homo, & moritur. & in l. 1. de mor. n. 17. recitat torporem à plenitudine obortũ, & inquit. cũ copioſior factus fuerit ſanguis; plenitudo ipſa tranſmigrat. quocũq; tandẽ cõtigerit & dolorẽ inducit acutũ, vt aliquibus videatur ruptio

locum

locum permutaſſe,& ſi contingerit, vt ad humerum transferatur;grauitatem in manu inducit, & torporem,ac ſegnitiem. Et in lib.2.de morb.num.12.cum repletum fuerit caput, & ab aliquo veluti à cibis,ſole,frigore,laboribus,ac febrili calore percalefactum; torpor caput tenet, & frequenter mingit, & alia patitur,quæ ex vrinæ ſtillicidio contingere ſolent. Dolores præterea torporem inducunt, vt ſcriptum eſt in lib.2.prædic.num 44.Et in lib.de Virgi.morb.nume.3.cum hæc repleta fuerint; cor fatuum fit,deinde ex fatuitate torpedo, poſtea ex torpedine delyrium apprehendit.cæterum torpor quoque moderatus dolorem ſoluit,vt habetur in lib.de humi.vſu.nume.10.Et in lib.de Articu.num.22. luxatio fit ob torporem.Sed in lib.de Coac.præno.nume.2.torporem, & impotentiam inducit,capitis dolor cum ſedis,& pudendorum dolore. Prognoſtica verò ſigna ſcribuntur in lib. de Coac. præno. nume. 3. torpidæ & præſertim in morbis cum impotentia fractæ circa iudicationem vexatæ, anxioſæ multum exudant: alui his humectæ,malum. Et nume. 2. in torpidis cum grauitate, & acutis capitis doloribus conuulſiones fieri ſolent. Et num.1.torpor, & egeſtiones alui albæ in phrenitide, malum. Et, torpor in vtranque partem cito translabens, malum. Et nume. 3. torpores, & ſenſus ſtupiditates præter morem fientes futuræ ſyderationis ſignum ſunt. Et, in torpidis venæ ſectio,mala. Et in lib.1.prædict.nume.1. torpores ex rigore non valde apud ſe ipſos ſunt. Et in lib.de Coac.prænotio. nume.1. rigores multi, torpidi, maligni ſunt. Et,quibus cum febre ardente tumores, ſomnolenti, torpidi fiunt; his dolor in latus ſuperueniens leuis ſyderationis, ac reſolutionis modo occidit. Et,valde ſurdi,in accipiendo tremuli,lingua reſoluti,torpidi, malum. Et,ex ſurditate, ac torpore de naribus aliquid deſtillare difficultatis aliquid habet.vomitus his conueniet, & alui turbatio. Et,quibus ex lumborum dolore, recurſus ad caput, & manus torpidæ, & oris ventriculi dolores, & aurium ſonitus,his ſanguis large profluet, ſed & alui his deorſum erumpunt, & mens turbata eſt vt plurimum. Et, dolor in pectore firmatus torpore, malus in febre eſt. Et in lib.3.pror.par.10 torpidi, comatoſi, & conuulſi pernicioſe habent. Et part. 25. quæ in acutis morbis vomendo trahuntur, vitioſa,atque albæ deiectiones, difficiles. lentore carentia ex his percurentia cum multo æſtu,in mentis autem aberrationem. ex his comatoſi, torpidique poſtea fiunt.

Curationem verò ſcribit in lib.de Virg.morb.nume.2.atque ea eſt. A torpore autem pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec ſanguis ad ſe ipſum reuertatur.reuertitur autem celerrime,cum ſteterit in aqua frigida, quæ vltra malleolos madefaciet. Et in lib.de Salub. diæt.num.13 torporem capitis ſoluit muci per nares, vel aures eruptio. Et in lib.2.de morb. nume. 12.priuſquam erumpat aqua per nares, & aures, & teneat ipſum dolor, deraſo capite, vtrem coriaceum circum frontem delegare oportet aqua plenum calidiſſima, quantum ſuſtinere poteſt: atque hinc ipſum calefieri permittere. & vbi perfrigeratum fuerit, alium adhibere: ſi verò hinc debilitetur; deſiſtere, ac tempore interpoſito, eadem repetere, donec remiſerit dolor. Sed calidi immodicus vſus mentis torporem, hoc eſt, imbecillitatem efficit, vt habetur in lib.5. aphor.16. etenim, vt exponit Galen. ſubſtantia cerebri diſſoluitur. In lib.4.de morb. pop. num.21. legitur. Fullo collum, caput, ſeptima manus torpida, nona crus torpidum, tuſſis,ceſſauit.

Tremor.

Fit tremor ob frigoris præſentiam,per caloris abſentiam, atque membri imbecillitatem: nam in lib. de Flat. pag.40. nume.11. cum horroribus & tremores corporis accidunt ſecundum eundem planè modum: ſanguis enim præſentis horroris timore perculſus concurrit, ac penetrat per omne corpus ad locos maximè calidos: hi enim ſunt eius ſaltus. decedente itaque ab extremis corporis partibus ſanguine,viſcera contrimeſcunt & carnes:ſunt autem quędam corporis partes ſanguine plenæ, quædam verò exangues. exangues itaque propter frigus non tremunt, ſed parumper commouentur, ac palpitant; cum calor ex eis defecerit.ſanguine autem abundantes propter ſanguinis multitudinem, & tremunt, & inflammationes ſuſcitant: nequit enim fieri, vt ſanguinis multitudo conquieſcat.

Tremor autem quid boni, malive denotet, ſcriptum eſt in lib. de Coac. præno. numero 3. hoc eſt. tremores parui, & vomitus æruginoſi, in perniciosis. Et, tremores ab atra bile,malum. Et tremores vbicunque in febribus citra iudicationem ceſſant, veſica doloroſa fit. Et, tremores quibuſcunque in febribus circa iudicationem ceſſant, his temporibus progreſſu abſceſſus doloroſus, ſuppuratus in articulis fit. Et, tremores in vehementer phreniticis, lethales ſunt. Et, tremores conuulſorij fientes in ſudoribus, reuerti ſolent: iudicatio his fit vbi ſuperriguerint. ſuperrigent autem hi, ardore circa ventrem prouocati. ſomnus multus in his conuulſorius, & ad frontem grauitates, & mictio difficilis. Et, tremores ſenioribus in febribus ſunt, atque ſic comparentes fortaſſis, calculos per vrinam ægri eijciunt. Et, tremuli moriuntur, quibus vox cum febre deficit, & cum iudicatione intercepta. Et numero 2. tremuli perniciosè habent. Et, tremulis anxioſis, parui iuxta aurem tumores,conuulſionem ſignificant. Et in lib.1.prædic. numero 2. tremores mente motis melancholico modo accedentes malignum eſt. Et in eodem lib. de Coacis prænotio. numer.1. vocis interceptiones ex rigore, ſoluuntur tremore. Et numer. 2. qui ab atra bile mente moti tremuli fiunt, ac ſaliuam fundunt, num ſanè phrenitici ſunt? Et, mentis perculſiones, voces clangoroſæ, linguæ ſanè phreniticæ ſunt. Et, mentis perculſiones, voces clangoroſæ, linguæ conuulſiones tremulæ, & voces tremulæ fientes, mentem alienant. Et, frequenter per eadem recidiuæ circa iudicationem ſanguinolentæ, nigrorum vomitum faciunt. fiunt autem & tremulæ. Et numer.3. quibus capitis,ac colli dolor eſt, ſed & totius corporis tremula quædam impotentia, ſanguinis eruptio ſoluit. &, valde ſurdi, in accipiendo tremuli, linguam reſoluti, torpidi, malum. & cum voce tremula, ſolutio alui præter rationem, in his moram trahentibus diuturnis,

pernicies est. Et, lethargici, tremuli ex manibus, somnolenti, discolores, tumidi, pulsibus tardi sunt, &c. Et in lib. 2. pror. par. 9. phrenitica vehementer trementia finiuntur. Et part. 16. phrenitici modico vtentes, potu strepitum tentantes tremorem incurrunt. Et in lib. 2. pror. par. 7. quibus lumborum dolor diu perseuerans cum æstu fastidioso fit, si sudent, malum. an & his tremor fit, & vox vt in rigore videtur? Et part. 57. quibus voces cum febre deficiunt post iudicationem, hi cum tremore, & comate pereunt. Et in lib. 3. par. 3. quibus manus tremulæ, capitisque ceruicisque dolores, & nigra densataque meiunt, his ventura expectare nigra pernicioſum. Et par. 70. ex conuulsione, tremore, fastidioque, & celeriter exigui post aures abscessus proritantur. At verò tremores in febribus ardentibus mentis perculsio soluit, vt docet Hippoc. in l. 6. aphoris. 26.

Tristitia.

Parmenisco prius incidebant tristitiæ, & decedendi è vita cupiditas: quandoque verò rursus letitia. hæc in lib. 5. de morb. popu. nume. 31. Causam verò huius sentit in lib. de morb. sac. nume. 16. ex cerebro esse, cum transmutatur. transmutatur autem, dum calescit, aut frigefit: id quod à bile, vel à pituita contingit: sed in lib. de Virg. mor. nume. 2. præ sanguinis malicia animus mœrens, ac anxius malum attrahit. Et propterea scriptum est in lib. de Coac. præn. tristitia cum silentio hominum auersationes, leniter hydrope affectos occidunt. curatio verò scribitur in lib. de loc. in homi. nume. 48. his verbis. tristes, anxios, & ægrotos, ac se strangulare volentes mandragoræ radice mane in potu data minore pondere, quàm quod insanire facit, curabis.

Tubercula.

Tubercula, veluti proditum est in lib. de affect. nume. 34. quæ enascuntur omnia, à pituita, aut sanguine nascuntur, cum sanè à vulnere, aut casu fuerint collecta. verum alia sunt extra, alia intra extuberantia. & horum alia maligna, alia non. vnde legitur in lib. 6. de morb. popu. sect. 1. tubercula extra extuberantia, & acuta, & fastigiata, & æqualiter maturescentia, & non obdura, & deorsum vergentia, & non bifida, meliora. contraria, verò mala: & quanto plus contraria; pessima. quapropter legitur in lib. 6. aphor. 8. ex tuberculis intus ruptione exolutio, vomitus, & animi deliquium fit. Et in lib. 2. de morb. popu. sect. 3. tubercula maligniora sunt, quæ derepente disparent. interna dicuntur tubercula, quemadmodum ea, quæ in pulmone fiunt, & quæ in latere. hæc autem à pituita, & bile contingunt. fiunt etiam à laboribus, cum vena aliqua tracta rupta fuerit, non tamen penitus rupta. sed ita vt acutus tractus in ipsa factus sit. si quidem igitur rupta fuerit; statim sanguis è vena effusus putrescit, & suppuratur. Si verò acutus tractus in vena fiat; principio quidem dolorem exhibet, ac pulsat: progressu verò temporis distribuit vena sanguinem in carnem, atque hic in carne putrescens, pus fit. eodem modo, & caro: si quidem magis doluerit, & sanguis plus in se ipsum trahit ex viciniſſimis venis, & statim suppuratur: si verò minus doluerit; tardius, & trahit, & suppuratur. in l. autem 2. prædic. num. 13. curationem habemus hanc. qui collectiones tuberculorum iuxta venas habere solent, qualia sunt vlcuscula capitis manantia, circa thoracem, & alia dura, his frigida conducit. & in lib. 1. de mor. num. 12. tuberculis ventriculi tunicis innatis terra figulina impositа prodest. De tuberculis verò externis scriptum est in lib. 2. aph. 15. & verba sunt. vbi fauces ægrotant aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet: nam si biliosæ fuerint; corpus vnà ęgrotat. Si verò similis sanis; tutum est corpus nutrire. hæc verò tubercula vere fiunt, vt plurimum, vt scribit Hipp. in lib. 5. apho. 18. aut fiunt his, quibus febres longæ sunt, quemadmodum apparet in lib. 3. apho. 63. fiunt autem ad articulos ex febribus longis, atque hi pluribus vtuntur cibis. fiunt præterea in alijs locis, de quibus dicetur aliàs.

Curatio verò hæc legitur in l. de Affect. num. 34. sic. conducit horum aliqua cataplasmatis integere, & per pharmaca in potu data diffundere: aliqua verò impositis cataplasmatis maturare. & diffundunt quidem cataplasmata, quæ iam calida sint, humectant, & non in se ipsa trahunt. maturant autem, quę calefacientia contrahunt. cum verò aliquod sectum fuerit, aut sua sponte ruptum; pharmaco humorem repurgare conuenit: vbi autem pus diffluere desiuerit; velut vlcus sanare.

De tumore.

Tumorum alij sunt aquosi, alij aliam humoris speciem referunt. atque hi aut duri, & crudi, aut molles, & laxi, atque hi alij magni, alij parui: & alij tuberculosi, alij lati. & horum hi rubicundi, atque illi liuidi. & quidam difficiles sunt, & dolorosi, quidam doloris exortes. atque hi diuturni, aut breues. tumores aquosi circa pedes prægnantis scribuntur in l. 7. de morb. popula. nume. 7. tumor autem in præcordijs, durus existens, & dolorosus, pessimus quidem est; si per totum fuerit præcordium. si verò fuerit in altera parte; minus periculosus est in sinistra, quemadmodum scribit Hippoc. in lib. progno. nume. 6. sed in lib. 5. aphoris. 67. tumores laxi, boni: crudi, mali. & in lib. progno. nume. 6. tumores in præcordio molles, ac doloris exortes diuturniores iudicationem faciunt, & minus periculosi sunt. sed & hi sexaginta dies transgredientes febre manente, suppurantur. & in lib. de Coac. prænotio. nume. 4. tumorem iuxta aurem faciunt, ad aluum biliosam, mollem, stercoracea egerentem, ardores comparentes. Tumor autem magnus in vulneribus fortibus non apparens, malum vt legitur in lib. 5. aphoris. 66. Tumor tuberculosus iuxta hepar ad imum ventrem descendens, aluo multo tempore liquefacta scribitur in lib. 6. de morb. popula. nume. 30. Tumor quidem rubicundus, capitis osse denudato, habetur in libro de Cap. vulne. nume. 28. Tumores autem liuidissimi à pedibus exorsi vsque ad vteros, ignis sacri in vteris signa leguntur in libro 2. de morb. mulieb. nume. 58. Tumores autem diuturniores sunt, qui molles, & doloris exortes sunt, & digito compressi cedunt.

Tumores præterea dant signa prognostica, quale est in l. prog. hoc est. tumor in cruribus hydropici, cum tussi, malum. Et in lib. 2. de morb. popu. sect. 3. tumores præter rationem alleuantes, malum: velut

Andro-

Andronici filio eryſipelas recurrit; ſi non ad eundem locum rediens, bonum quid ſignificat. Et in lib. de Coac. præno. numero quarto, tumores aluo ſuppreſſa, & nulla alia re nouata, cito rumpuntur, & malignius eſt. Et ibidem. quicunque tumores aluo humecta eleuantur cum doloribus, malum eſt. & in libro quinto, aphoriſ. 65. quibus tumores in vlceribus apparent, non valde conuelluntur, neque inſaniunt. his autem derepente diſſipatis retrorſum quidem conuulſiones, ac diſtentiones fiunt: antrorſum verò inſaniæ; lateris dolores acuti, aut ſuppuratio, aut dyſenteria, ſi rubicundi magis fuerint tumores. Et in lib. progno. numero ſexto, tumores in ventre minus faciunt abſceſſus, quàm hi, qui ſunt in prę cordijs. minimè verò hi, qui ſub vmbilico conſiſtũt, ad ſuppurationem conuertuntur. Et ibidem. Tumores quicunque doloroſi ſunt, & duri, & magni periculum mortis breui affore ſignificant. Et in lib. quarto, de morb. popul. nume. 25. tumores in dextris eleuati ſi quidem ſi quis plurimum maxime premat, ſubmurmurarint, non valde maligni putandi ſunt. in lib. autem de vlce. num. 15. legitur tumorum pertuſio. Et in lib. de humi. vſu numero decimo, tumoribus in articulis frigida prodeſt. Et in lib. 5. aphor. 25. tumores in articulis, & dolores abſque vlcere, & podagricas affectiones, & conuulſiones; horum plurima frigida multa affuſa leuat, & attenuat, & dolorem ſoluit.

Turgere.

Concocta medicari, atque mouere: non cruda, neque in principijs, modo non turgeant. plurima verò non turgent. Galen. autem in comment. quid turgere ſignificet, explicat ſic. verbũ Turgere tranſlatum eſt ab animalibus ad humores: nam ſicuti illa ſtare loco non poſſunt quodammodo titillantia, atque impulſa concitata à paſſione, ſic & humores plerumque in motu vehementiores, atque transfluxu ab vna parte ad aliam, in morbi principio, hominem infeſtant, mouentes, faſtidientes, titillantes, & quieſcere non permittentes, cum & ipſi pariter moueantur, & transfluant, & tanto motu de loco ad locum, ægrum moleſtat. tales itaque humores euacuare conuenit, hoc eſt, qui agitantur, & de loco ad locum mouentur, ac transfluunt. & eos verò qui ſunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio mouere oportet, neque medicari ante coctionem. tunc enim & naturam ipſam habemus euacuationi adminiculantem; videtur ſi quidem & ipſa poſt coctiones, humores diſcernere, & ſuperfluitates expellere, quo in tempore fiunt iudicationes. ſed cum perfectè ipſa mouentur, medicamento opus non eſt. Si verò mediocrius, atque imbecillius agat, id quod deficit, oportet ſupplere medicando, vt ex vtroque noxij humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medicamento verò attrahente. & propterea in libro 4. aphoriſ. 1. vtero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe, & vſque ad ſeptimum. vbi Galen. ſi materia turget, inquit, hoc eſt, cogat accelerare. Et in eodem lib. aphoriſm. 10. medicare in valde acutis, ſi materia turget, eadem die: tardare enim in talibus malum eſt, priuſquam, ut exponit Galen. robur corporis eiſſoluatur, vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbant hi, qui per corpus vagantur humores, per medicamentum euacuationem eſſe faciendam. Et in lib. 2. de morbo. popu. ſect. 6. ſi ſuperni loci turgeant; da elaterium, ſi non balbus fuerit.

Tuſſis.

Tuſſis autem alia humida eſt, alia arida. & vnaquaque gignitur, vt ſcriptum eſt in lib. de flatibus numero 16. cum ſpiritus ingrediens influxum, qui intus eſt, inciderit, & repellitur ſurſum pituita: fauces enim petiuit, ac eas exaſperauit. in libro autem de loc. in homin. numero 51. ſi per ſimilia morbus fit, & per ſimilia adhibita ex morbo ſanatur, velut vrinæ ſtillicidium idem facit, ſi non ſit: &, ſi ſit idem ſedat. & tuſſis eodem modo, velut vrinæ ſtillicidum ab ijſdem fit, & ſedatur. tuſſis autem vt fiat, coadiuuant anni tempora: etenim legitur in lib. 3. aphoriſmum 20. vere grauedines, raucedines, & tuſſes. Et in eodem lib. aphor. 5. Si tempeſtas fuerit aquilonaris; tuſſes fiunt, fauces, alui duræ. Et in libro de aere, aquis, & loc. nume. 28. tuſſes poſt æſtatem ſiccam, & borealem contingunt. Et in lib. 6. de morb. popu. ſect. 7. tuſſes ex frequenti auſtralium, & aquilonarium, ac niuoſorum tranſmutatione. Et in lib. progno. com. 2. part. 3. quibus à iecore aqua intercutem incepit, tuſſire quidem cupiditas eſt, & nihil excreant commentatione dignum. Galen. autem in commen. ait. cupiditatem dixit hoc loco propenſionem, quam quidam ad tuſſiendum habent, incitati verò ad accidens, ſtatim deſiſtunt tantummodo tentantes initium tuſſiendi: etenim iecoris molles incidens præcordijs, facit anguſtiam in pulmone. in libro autem 5. aphoriſmus 24. tuſſes mouent frigida, velut nix, & glacies: propterea quòd vt explicat Galen. frigida thoracis partibus ſunt inimiciſſima. Et in libro 3. aphoriſm. 13. tuſſes ad hyemem fiunt, ſi æſtas ſicca fiat, & aquilonaris: autumnus verò pluuioſus, & auſtralis. Et in eodem lib. numero 23. tuſſes hyeme fiunt. cæterum tuſſes aliæ laborioſæ contingunt, & aliæ non: ſcribit enim Hippoc. in lib. 6. de morb. popu. ſectio. 2. ſi ſpiritus intus relinquitur, vel tuſſis ſicca, non ferina, in articulos procumbere. vbi Galen. hæc verba ſic explicat ſi ex mormo aliqui leuati temporum venas non habeant firmas, hoc eſt, quæ plurimum dilatentur, neque color adſit naturalis, atque reſpiratio amplior, & tuſſis ſicca; his ad articulos expectandus eſt abſceſſus. tuſſis verò ſicca appellari conſueuit, in qua nil expuitur. tuſſis autem ferina, hoc eſt, maligna. Et ſubdit. tuſſes ſiccæ parum irritantes in febribus ardentibus, & ſi non pro ratione ſiticuloſæ, neque linguæ admodum torrefactæ non ferino, ſed ſpiritu: id verò manifeſtum eſt: nam dum loquuntur, aut ore hiant; tunc tuſſiunt. cum verò non, minimè. hoc autem maximè fit in febribus laborioſis. Et Galen. in commen. inquit. de his ipſis etiam in aphoriſ. per hunc modũ ſcripſit. quibuſcunque diu tuſſes ſiccæ in febribus ardentibus, non valde admodum ſiticuloſi ſunt. quippe id non valde admodum ſiticuloſi ſunt, perin de eſt, atque hic, non pro ratione ſiticuloſi: in ardentibus ſi quidem febribus, quæ ſunt abſque tuſſi ſicca, vehementer reddantur ſiticuloſi. quod ſi ſicca tuſsis accedat, non poſſunt quidem penitus ſitis eſſe immunes, ſed vehemens illa ſitis retunditur. Et in l. 6. ſect. 7. tuſſes laborioſæ contingunt locos

læsos,& maxime articulos, sed in febribus lassitudinem inducentibus, tusses siccæ ad articulos decumbunt cum febre,si intus relinquantur. Tusses porrò fiunt paruis,ac recens natis puerulis,vt scriptum est in l.3 aph.24.& tussiunt tussim siccam, qui testes affectos habent: & ex tussi vena secta ad testem solutio fit: & inflammati tussiunt;& in febribus ex inguinum tumoribus insuper tussiunt. Et in lib.de Cor.n. 2. tussis potu aceruatim irruente excitatur: propterea quòd contra respirationem fertur. tussis autem & pruritus in pulmone in tabidis vnde fiat,legitur in l.de loc.in hom.num.27.

A tussi verò has accipimus prænotiones. quæ leguntur in l.de Coac.præno.nu.2.quibus tussis,ac sputa salsuginosa supprimuntur, his corpus velut à pustulis rubescit; verum ante obitum exasperatur. Et in l.de Denti.n.3. tussis in suggēdo infantibus instās curā maiorē efficit.Et in l.apho.35. tussis hydropicis accedens,malum. Et in lib.7 aphor.47.tussis si vexet hydropicum,disperatus est.Et in li.2 prædict.nu.11. tussim, neque sitim esse in hydrope oportet, neque linguam resiccari. Et in lib. de Coac.num.1.qui tussiunt circa exacerbationes, & parum exudant, maligne habent.Et in li.6.aph.46.tussi,aut asthmate gibbosi ante pubertatem statim moriuntur. Et in lib.de Coac.nu.3. cum tussi lateris dolor inducentia sputa subarida frequentia ex angina,pernicioſa: itemq; ea quæ inter potandū per tussim submergunt.Et in l.6. sect.7.tusses durissimæ,ac violentissimæ quæ ad leuē syderationem,ac resolutionem perducunt.Et in lib. 7.de morb.popul.nu.31. quibus existunt tusses hyeme,maxime austro spirante,crassa,& multa excreantibus, febres accedunt, leuiter autem quinta die sedantur, &c.

Curatio verò hęc est, quæ legitur in lib.2. sect.5 quibus tussis ficca est,his nō soluitur, nisi dolor fortis ad coxas,aut ad crura,aut ad testem irruat. Et in l.2.sect.1. tussim siniunt testium tumores.Et in li. de Denti.nu.3.tusses siccas soluit, aluus amplius subducta, in his qui tonsillas destillatione vexatas habent. Et in l.5. de morb.popul.nu.27.ex tussientibus, qui manibus laborabant, velut seruus ille, qui sarmenta obtorquebat:& Amyntæ filius,ambo sola dextra resoluti cessauerunt, quandoquidem perpessi sunt hoc tussientes.

De Typho.

Typhi morbi quinque describuntur in lib.de Inter.affect.num.42. quorum primus corripit tempore æstatis,cum canis sydus oritur,bile per corpus commota. secundus verò omni tempore corripit: fit autem propter corporis humiditatem, cum cibos humidos, & potum multum carnes combibunt. Tertius verò fit, cū bilis putrefacta ammixta fuerit sanguini, per venas, & articulos, & cum sanguis steterit. consistit maxime in articulis. Quartus fit tempore pomorum, cum quis se fructibus mollis corticis, & foris non lignosi,omnis generis repleuerit. Quintus fit ab humore in corpore putrefacto,& magis quàm opportunum est, resiccato. Curationes verò ibi lege.

COMMENTARIVS XIX.

IOAN. MARINELLI

IN LIBROS HIP.

VARIX.

IN insanientibus si varices, vel hæmorrhoides superuenerint;insaniq; fit solutio. hæc in lib.6.aphoris.21. vbi Galen. in comment. exponit, quid Varix sic,& inquit. Est varix, cum venæ latiores fiunt in coxis, ac cruribus,quod ex crasso,& melancholico contingit humore: adeo quòd pellente natura ad partes ignobiliores eos humores, qui insaniam efficiunt, præsertim cum melancholici fuerint,ac crassi; dictarum sequitur passionum generatio,& insaniæ solutio,illius quidem, quæ proprie melancholia dicitur, non qui fit ex bile furor. Et in eodem l.aph.34. Quicunque calui fiunt, his magnæ varices non fiūt. quibus verò caluis varices magnæ superueniunt; hi rursus capillati fiunt.Et Gal.in com.ait. Quando humores vitiosi, qui capillorum radices corrumpunt, ad crura decumbunt; possunt varices facere, & capillos restituere. Cæterum hæ quidem varices, vt inquit Hippoc. in lib.2. de morb.popul. sect.5. caluorum, si non magni fuerint; furiosi sunt. at & varices gibbositatem soluunt: proditum namque est in lib. de Arti.pagin.167.numero 37. Quæ verticula infra septi transuersi iuncturam, ac connexionem fiunt gibba, eorum aliqua soluunt varices in cruribus oborientes. magis autem hæ varices, quæ in vena iuxta poplitem fiunt,quibuscunque gibbositas contigerit, eam soluunt. Fiunt autem & in vena circa inguina. Sed & in pulmone; si vena omnino rupta non sit verum acutus tractus in ipso fiat: fit autem maxime veluti varix, qui etiam vbi statim factus fuerit; dolorem quendam tenuem inducit, ac tussim aridam. quare manifestum fit non semper varices in coxis, vel tibijs fieri. quod & confirmat illud,quod scriptū est in lib.2. sect.5. hoc est, vocis gracilitatem soluit ad testes varix, attamen sentire videtur Hippoc. varices proprias esse venarum, quæ sunt in coxis, ac tibijs passiones: etenim inquit in lib.6.de morb.popul. sect.2. Vel ea quoque, quæ infra iecur, vel supra distributa,& quando in testes,& varices.& ibi Galen. in comment. sic interpretatur, quærere videtur Hippocr. si ea, quæ ex supernis ad inferiora demittuntur, vt in testes, & varices, è directo

demitti

demitti melius sit. quapropter scribitur in l. de Vlce. pag. 290. num. 16. Vbi varix ineſt in tibia, aut conſpicuus, aut in carne, & tibia nigra eſt, & videtur opus habere ſanguine ab ipſa defluente; talia nequaquam pertundere oportet: plerunque enim magna vlcera ex fiſſuris fiunt propter varicis influxum. verum varicem ipſum alias, atque alias compungere oportet, vbi opportunum eſſe viſum fuerit.

Vaſorum inanitio.

Sic & vaſorum inanitio ſi talis fiat, qualis fieri debet; confert, & bene tolerant: ſin minus; contrà. hæc in l. 1. aph. 2. & ibi Gal. in com. ea ſic exponit. Adhuc magis peccant, cum vaſorum inanitionem alij pro inedia accipiunt, alij pro venæ ſectione: ſiquidem Hip. euacuationem ſoleat ab euentu nominare vaſorum inanitionem: quoniam in omnibus euacuationibus contingit vaſa inaniri. quapropter in lib. 2. pror. par. 5. legitur. quæ præter vacuationis vaſorum rationem contingunt impotentiæ, & infirmitates, nõ exiſtente vaſorum vacuatione, malæ. Gal. autẽ in com. hæc verba interpretatur ſic. inualidos, languenteſque in operationibus ſicut plurimum vacuatos, in periculum eſſe exiſtima; ſi nulla in ipſis facta fuerit inſignis vacuatio: nam ſi virtus ſine vlla manifeſta vacuatione imbecilla fuerit; grauantem oſtendit copiam, vel vnius principiorum intemperiem. Et in l. de vict. ratio. in morb. acutis com. 1. par. 19 qui in huiuſmodi morbis ſcilicet, acutis ptiſana vtetur, ne vno quidem die vaſa, vt ita dicam, inaniri permittat, ſed ab vſu eius nequaquam deſiſtat, niſi vel propter medicamentum, vel clyſterem deſiſtere opus ſit. Et part. 21. inter initia, neque multam, neque craſſam admodum dare oportet, ſed quantum ob conſuetudinem, & ne multa vaſorum inanitio fiat, ingerere conuenit. atque hic aduertendum eſt, vt exponit Gal. in com. quod à multa, & ſubita tum repletione, tum vacuatione ſemper abſtinuit Hip.

De Venis.

Scribit Hip. in l. de Alim. nu. 7. radicatio venarum hepar. radicatio arteriarum cor: ex his aberrant in omnia ſanguis, & ſpiritus, & calor per hæc meat. vis vna, & non vna, qua omnia hęc, & alia gubernantur, alia quidem ad vitam totius, & partis: alia ad ſenſum totius, ac partis. Ex his verbis facile percipimus venarum radicem eſſe hepar, arteriarumque cor: deinde has, & illas eſſe veluti canales, per quos ſanguis & ſpiritus, & calor meat in omnes corporis particulas. verum hæc ad vitam facit, illa ad ſenſum. idem quoque confirmat Hip. in lib. de Oſſ. natu. nu. 7. & inquit. arterię fons cognatus cor eſt. Et ſubdit. vna tendit per ſeptum tranſuerſum, hepar, ſplenem, renes ad coxendicem, circa ſuram ad ſummum pedem. altera autem ex corde ſub alas, clauiculas, iugula, caput, naſum, frontem, iuxta aures, humeros, dorſum, pectus, ventrem per cubitum. aliæ verò per alas ad cubitum, ad ſummam manum. ſed ad venas redeamus. leguntur in l. 2. de morb. popul. ſect. 4. atque in l. de oſſ. natu. n. 14. hęc verba. hepatitis. ſ. vena in lumbis vſque ad magnum verticulum, infernè etiam verticulis ſe ingerit; hinc ſublevata per hepar, & per ſeptum tranuerſum ad cor: & quæ quidem recta eſt, ad clauiculas: hinc aliæ quidem ad collum, aliæ ad ſcapulas, aliæ deorſum deflectentes ad verticula, & coſtas declinant, & ex ſiniſtris quidem vna prope clauiculas. ex dextris verò ad quendam ipſarum locum. alia verò vtrinque deflexa, alia paulo inferius deflexa. vbi quidẽ illa deficit, coſtis ſe ingerit donec ad venã in ipſum cor acceſſerit, ad ſiniſtras deflexa. infrà autẽ decuruata ad vertebras deſcendit donec perueniat, & inde incipit eleuari, ingerens ſe coſtis reliquis omnibus, hinc, atque hinc ſingulis ramulos prabens, cum ſit vna à corde: à corde quidem ad locum quendam ſiniſtris magis procedens: deinde infra arteriam, donec conſumpta fuerit, & venerit eo, vnde hepatitis ſubleuata eſt. priuſquam autem eo venit, circa extremas duas coſtas diuiſa eſt, & partim ab hac, partim ab illa verticulorum parte progreſſa conſumitur. quæ verò recta à corde ad clauiculam tendit, ſupra arteriam eſt: & ab hac, velut etiã iuxta lumbos infra arteriam, ad hepar inſilit, partim in portas, & pinnas, & partim in reliquum deinceps procedit paulo infra ſeptum tranſuerſum. ſeptum autem tranſuerſum adhæret hepati, neque facile eſt ipſum ſeparare. duplices porrò venæ à clauiculis, alteræ hinc, alteræ iſthinc, ſub pectus ad pectinem procedunt. quò verò hinc, nondum ſcio. & ſeptum tranſuerſum infrà iuxta verticulum, quod eſt infra coſtas, qua renes ex arteria, ea parte conſurgunt. verum arteriæ ex ipſo rene oriuntur, hinc, atque hinc ab arteria neruum habentes. atque hac parte alicubi in recurrente à corde hepatitis deſinit. cæterùm ab hepatide per ſeptum tranſuerſum maximæ duæ, altera hinc, altera iſthinc ſublimes ſeruntur, multifidęque per ſeptum tranſuerſum, & circa ipſum conſiſtunt in ſuperna parte, atq; hę magis ſunt cõſpicuę. At verò in lib. de loc. in homi. nu. 7. vena caua finitur quidem velut gula. conſiſtit autem inter gulam & guttur, ſiue arteriam, ferturque per ſeptum tranſuerſum, & per cor, & inter ſeptum, & finditur ad inguina, & ad fęmora intrò, & diſparationes in fœmoribus facit, & ad tibias intus fertur ad malleolos, hę & infęcundum faciunt hominem, ſi fuerint ſectæ, & in magnos digitos deſinunt. ex caua autem vena producitur quædam in ſiniſtram manum. fertur autem ſubter ſplenem ad ſiniſtri lateris mollitudinem: vnde ſplen propagatur per omentum, & finem ſortitur ad thoracem. producitur autem iuxta ſeptum, & cum humerali committitur ſubter cubiti articulum atque hæc ſplenis gratia ſecatur. alia etiam ad dextram manum eodem modo à caua producitur. in li. autem de corporum reſect. pag. 25. nu. 1. à corde ad hepar cartilaginoſa multa arteria procedit, & cum ipſa vena magna appellata, per quam totum corpus nutritur. in lib. autem de oſſ. nat. pag. 28. num. 16. venæ per corpus diffuſæ ſpiritum, & fluxum, ac motũ exhibent, ab vna multæ germinantes. atque hæc vna vnde oriatur, & vbi deſinat, non ſcio: circulo enim facto principium non inuenitur. cæterum rami, ac germina ipſius vnde pendeant, & qua parte corporis deſinant, & quod vna his conſentit, & in quibus locis corporis extentæ ſunt, ego declarabo.

Circa caput iuxta medium ex obliquo circunſita eſt vena lata, & tenuis, non multi ſanguinis: in cerebrum enim iuxta commiſſuras multæ tenues venulæ radices egerunt, & circum totum caput extentæ ſunt, vſque ad frontem, ac tempora. ipſa autem in

rectum

rectum extendit retro caput forinsecus iuxta spinæ cutem, inde verò circa externam, ac internam verò ex his, quæ in iugulis sunt, dimittitur.

Vltra aures autem subfissa à gena forinsecus tendit. crassa ab hac in lingua multæ, ac tenues procedunt, excepta ea, quæ sub linguam, & sub maxillares dentes fertur. ipsa autem crassa per clauiculam descendit sub scapulas. & hac parte ab ipsa germinat per neruum subter summam humeri partem, siue cuticulam, vena humeralis appellata. ipsa autem sanguiflua est, & sanguine plena, & ægrè curatur, si rumpatur, aut conuellatur. illa verò sub scapulas germina emittit sub mammas densarum, & tenuium ac varie implicatarum inter se venularum, per humeralem venam prætergrediens cartilaginem ipsam subter subattingens ad brachium tendit, musculum in sinistra habens, dextra ipsa finditur circa humerū, & cubiti supernam partem. inde verò cubitū vtrumque penetrans, postea manus iunctura, inde autem defluens per totam manum varie vagans radices agit. cæterum principalis vena iuxta spinam sparsa, & per dorsum, & iugulum, ac guttur in cor inseritur, & de se ipsa venam magnam multorum osculorum in corde producit: inde verò in os procedens fistulam facit, quæ sanè arteria appellatur, per pulmonem transiens pauci sanguinis, ac multi spiritus existens: propter spaciositatem enim ac raritatem visceris multis locis per pulmonem deriuatur: cætera verò cartilaginosa facta est. Et subdit nu. 20. inde porrò hæc vena pulmonem occupat: & per extremitates duas magnas intro conuersas sub septum transuersum extenta est ad spinam, alba, ac neruosa, venulas per reliquum condensatum corpus spargens. hinc autem per verticula densis venulis in spinalem medullam inseritur, ac instar hederæ implicatur. & aliæ quidem venæ in corpus distributæ ex omnibus partibus ad spinam tendentes, vnaquæque, quo tenuissimum ac sinceriſſimum est colligens, hic eructat. hæc verò velut præses imposita per demissas plicationes in idem cogit. inde verò etiam in renes radices agit tenuibus, ac fibrosis venulis iuxta spuriam costam. hinc autem tendens condensatur, & postea etiam neruosa fit ad princeps intestinum, ac podicem, comprimensque musculos adstrictorios ipsis inseritur. in veficam etiam & testes ac adsitites radices agit, multiplicibus implicatis, tenuibus ue ac solidis, & fibrosis venis. inde verò crassissima, ac rectissima ipsius pars rursus conuersa in canalem transit, hoc est pudē dum. in reflexu autem in illa ipsa adaptatur, & per pectinem suprà subter cutem vētris, & ipsius venę, procedunt venę ad eas, quæ deorsum tendunt, quæ in se ipsas mutuo deriuantur. penetrant autē & per pudendum venæ crassæ, & tenues, & densæ, & cauæ. verum vt finem imponam huic parti, quæ ab ipso Galeno fallax reperitur; tantummodo loca ipsarum citabo.

Vena igitur per dorsum, & iugulum iuxta spinam sparsa legitur in eodem lib. de ost. natu. num. 23. Venę supra ieiunum intestinum existentes tenuissimum ex ventre, & intestinis trahunt, ac calfactis iam cibis, vt legitur in l. de Car. nu. 13. at verò in l. de natu. pue. nu. 16. venæ hominis omnes in manuum, ac pedum digitos desinunt. Et in lib. de oss. natu. nume. 22. venæ pudendum transeuntes in viris, & in mulieribus in vteros tendunt. Et in l. de natu. pue. num. 15. venæ capitis crassissimæ existunt totius corporis. Et in l. de Carni. nu 6. venæ cauæ duę à corde. Et in lib. de loc. in homi. nu. 7. agitur de venis aurium. Et in li. de natu. nu. 16. venæ, ac nerui tenuissimi, densissimi, ac plurimi in manibus, ac pedibus existunt. Et in lib. 4. de morb. nu. 10. venæ iugulares post cibum, ac potum sanguineum statim attolluntur, ac facies rubet. Et in li. de loc. in in homi. nu. 7. venæ temporales solæ pulsatiles, quod sanguine non rigentur, sed auertitur ex ipsis sanguis. Et in l. de oss. natu. nu. 20. venę in medullam spinalem tendentes. Et ibidem. venæ omnes in corpus distributæ, ex omnibus partibus spinam petunt, ibique tenuissimum, ac synceriſſimum sanguinem à se collectum eructant. Et in lib. de loc. in homi. nu. 8. venæ vtriusque manus à vena caua producuntur. Et ibidem. nu. 5. venę capitis, earumq; per corpus distributio. Et in l. de natu. huma. nu. 22. venæ multæ, & omnigenæ ex ventriculo per corpus alimenti ferendi causa dispersæ. Et in l. de loc. in homi. nu. 7. venę humerales. Et in lib. de oss. natu. nu. 26. de duabus venis inter duas latas extremitates. Et nu. 19. de venis ventris, per quas corpori alimentum venit. Et in l. de Coac. præno. num. 3. venulæ in capitis osse tenuiores, cauiores, ac sanguine plenæ. Et in l. de inter. affect. nu. 6. de venulis per pulmonem tendētibus sanguine, aut atra bile plenis. Et in l. 2. de morb. popul. sect. 4. venæ duplices à clauiculis. Et in l. de oss. natu. nu. 24. de venę iuxta inguina processu. Et in l. de natu. hom. nu. 20. venarum crassissimarum quatuor in corpore paria, eorumque explicatio. Et in li. de oss. natu. n. 57. vena ex sinistris partibus in reliquis iuxta eandem naturam, velut ea, quæ in dextris radices agit, præterquā quòd hepati non inseritur. Et in l. 2. de mor. pop. sec. 5. vena crassa est in vtraque mamma. quā propter maximam habent prudentiæ partem.

Cæterùm & venæ suas patiuntur affectiones, quemadmodum est pulsatio, dolor, laxitas, & contractio, & amplitudo, extensio, ruptio, superuomitio, sauciatio, inflammatio, & id generis. Sed illud aduertendum est antiquos sæpe venam pro arteria scripsisse. verum legitur in l. 1. de mor. nu. 3. vena sanguiflua vulneratus moritur. Et ibidem. num. 7. vena sanguiflua dissecta non coalescit. Et in l. 2. de mor. pop. sect. 5. cui vena in cubito pulsarit, insanus, & iracundus est: cum verò quieuit, stupidus est. Et in l. de loc. in hom. num. 49. vena perusta sanguinem non emittit. Et in l. de inter. affect. num. 21. agitur de vena læua laborante. Et in l. de Geni. nu. 3. venæ secundum aures incisæ infœcundos reddunt, quòd plurima genituræ pars à capite per illas venas descendens, cicatricem sectioni inducta, locum illum consolidat, atque obturat. Et in l. de oss. natu. nu. 25. ex venę iuxta patellæ partem cauam, dolore, bilioſi, seroſi, ac sanio si humoris collectio. Et in l. de loc. in homi. nu 49. de vrendæ uenæ ratione agitur. Et in l. de morb. popul. uenæ amplæ, & uentres, & ossa insunt, qui tenues sunt, pingues uerò his contraria habent: & in his, qui fame macerantur, mediocritates. Et in lib. de Coac. præno. n. 3. uenæ sectio læserit dolores, iuxta latus in febribus consistentes, citra notas, siue cibum auersetur æger, siue præcordium sublime habuerit: & in perfrigeratione non sine febre torpidos, sanguinis

detra-

detractio lædit: & putantes se melius habere, hi moriuntur. Et in l. de Coac. præn. nu. 1. venæ temporum in febribus pulsantes facie sana &c. Et num. 3. quibus per venarum pulsationis vehementiam stercus derepente per aluum secedit, lethale est. Et in lib. quarto, de morb. popul. n. 6. venarum circa vmbilicum pulsationes. Et in lib. de Fract. nu. 38. venarum in interna brachij parte, multæ, & periculosæ extensiones. Et in l. de inter. affect. nu. 19. de venarum atroci morbo. nephritideue superueniente, eiusque causæ, notæ, ac curatio. Et in l. de Coac. præno. nu. 1. quibus venarum pulsus, his plerunque sanguinis fluxio contingit. Et in l. 2. de morb. nu. 3. venarum circa caput superuomitus quomodo contingat. Et in l. 1. de morb. n. 19. ex venarum intus sauciatorum secunda ruptione, sanguinis vomitus, & mors consequitur. Et n. 10. venarum in latere affectio. Et in lib. de Coac. præno. num. 2. venarum iugularum palpitatio fortis, perniciosa. Et in l. 2. prædict. n. 19. in venis crassis, vulnera magis lethalia. Et in l. de vict. ratio. in morb. acu. nu. 51. circa venas inflammationem, ac multam firmitatem significat destillatio repentina, æstiuo, ac autumnali tempore in morbis acutis. Tandem in l. de humi. vsu. n. 13. iuxta venas tuberculorum collectiones habentibus frigida conuenit.

De Ventis.

De ventis porrò quam naturam, ac facultatem singuli habeant, sic legitur in l. 2. de Diæ. pag. 45. nu. 2. Naturam habent omnes venti humectandi, ac frigefaciendi ium animalium corpora, tum nascentium ex terra ob hanc causam. necesse est omnes ventos spirare à niue, à glacie, & gelu vehementi, & fluminibus, ac stagnis, terraque humecta, ac perfrigerata: & fortiores quidem ventos à maioribus, & fortioribus; debiliores verò à minoribus, & debilioribus; quemadmodum enim animalibus spiritus inest; sic etiam alijs omnibus, alijs quidem minor, alijs verò iuxta magnitudinem. naturam igitur habent humectandi, ac frigefaciendi omnes venti. verum propter situm regionum, & locorum, per quæ venti ad singulas regiones accedunt; diuersi inter se fiunt, frigidiores, calidiores, humidiores, sicciores, morbosiores, salubriores. Deinde Austri, ac Boreæ venti species explicat: at nos de his proprijs tractauimus locis. Postea subdit. nu. 4. Iuxta singulas regiones venti hoc modo se habet. Venti ex mari in regiones illabentes, sicciores quodammodo sunt. qui verò à niue, aut glacie, aut stagnis, aut fluminibus procedunt. omnes humectant, ac frigefaciunt tum plantas, tum animantia, & sanitatem corporibus exhibent, qui non frigiditate superexcellunt; hi enim lædunt; propterea quòd magnas mutationes calidi, ac frigidi in corporibus inducunt. hæc autem perpetiuntur hi, qui in regionibus habitãt palustribus, ac calidis prope flumina magna. reliqui verò venti, qui à prædictis, spirant vtiles sunt, tum aerem purum, ac sincerum exhibentes, tum animæ calori humiditatem prębentes, quicunque verò venti ex terra accedunt, eos necesse est sicciores esse, tum à sole, tum à terra reficcatos. cum autem non habeant venti, vnde alimentum trahant, à viuentibus humorem trahentes, & plantas, & animalia omnia lædunt, & quicunque venti relictis montibus ad vrbes accedunt, nõ solum siccant, sed etiam turbant spiritum, quem inspiramus, & corpora hominum morbosa faciunt. at verò de uentorum ratione in genere qui commodi, & qui incõmodi existãt, quos morbos, quibus in regionibus, quibus ætatibus, ac temperamentis generent, lege in l. de aere, aquis, & locis. pag. 35. itemque cur ventorum mutationes, maxime autem austrinæ comitialis morbi sint causæ, in lib. de morb. sac. nu. 15. Et ibi quoque reperies, quod venti, ex mari, ac alijs aquis proficiscentes, & aquilo ex omnibus rebus, atque adeo ex ipsis hominibus humiditatem, ac tenebrosi tatem excernant. Verum quot sunt locorum differẽtiæ, tot & ventorum. sed mundus in quatuor diuiditur partes, & ab his partibus venti exsuscitant. quapropter quatuor erunt ventorum species, veluti oriẽ talis ventus, occidentalis, meridionalis, & septentrionalis. & quicunque inter hos medij existunt, naturã sapiunt vnius, aut amborum. Nec reprehenfione dignus est Hippocrates, si quidem scribat in li. de Flat. pag 31. num. 5. ventus ipsius aeris fluctus, & vnda existit: nam significat ventum aerem mouere instar fluctus, & vndæ. vel etiam si quis velit Hipp. dixisse vẽtum esse aerem fluctuantem, non est inconueniens: propterea quòd materia ipsius aeris propinqua est vẽtus. Nec dicendum est, quòd aer purus non corrumpatur, neque aliud vertatur in aerem elementum: si quidem omnia elementa secundum partes generentur, ac corrumpantur, & maximè aer, & aqua, quæ facilè ab extremis alterantur; & quæ cum mediæ existant inter extrema; necessario de eorum participant qualitatibus.

Ventres.

Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi. quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. hæc scribit Hip. in lib. 1. aphoris. 15. quæ verba nobis significant ventres non vnum, nec duo, sed plures esse. atq; hi quidem sunt, qui alimentum continent, aut concoquunt, aut distribuunt. & quamquam per excellentiã ventres dicantur, thorax, & ventriculus, siue stomachus: attamen & aliæ quoq; cauitates, quæ ea munera obeunt, quæ diximus, ventres nuncupantur. quòd verò ita sit, argumento existat aph. qui scriptus est in l. 6. aph. 20. cuius verba sunt. Si ventrem sanguis præter naturã effunditur; necesse est suppurati. Et Gal. in comm. ait. quidam sine articulo cœlian, id est, ventrẽ apud græcos scribunt, volentes omnem significari cauitatem. quibus adstipulatur, quòd præter naturam adijcitur, per quam adiectionem tale quid ostendit Hip. si vnquam sanguis à propria cauitate in aliam quancunque peruenerit; est omnino impossibile, vt sanguis permaneat. hæc Gal. verum Hipp. ipse in lib. de Arte pag 2. nu. 17. hæc verba scribit. sunt morbi minus aperti, qui ad ossa, & qui ad ventriculum sunt cõuersi. habet autem corpus non vnum ventriculum, sed plures: duo enim sunt, qui cibum suscipiunt, & demittunt, alijque præter hos plures, quos norunt hi quibus hæc res curæ fuit. quæcunque enim membra carnem in orbem circumsitam habent, quam musculum appellant, ea omnia ventriculum, sinum ve habent: omne enim inconcretum, & quod non coaluit, siue pellicula, siue carne contegatur, cauum est. impletur autem dum sanum est, flatu: dum ægrotat, sanie. habent itaque brachia talem carnem, habent & femora, habent tibiæ. quin & in macilentis, & excarnibus

sibus eiusmodi caro ineſt. similiter, & in carnosis eſſe demonſtratum eſt: nam & qui thorax appellatur, & in quo hepar cõtinetur, & capitis circulus, in quo cerebrum concluditur: ipsumque adeo dorsum, ad quod pulmo vergit. horum membrorum nullum eſt, quod non ipsum vacuum sit, ac multis segmentis plenum, ac quasi discriminatum exiſtat: quæ parũ abeſt, vt vasa exiſtant: quorum tum aliqua habentem lædunt, aliqua verò etiam proſunt. præter hæc autẽ & venæ multæ, & nerui non in carne ſublimes, ſed & ad ipsa ossa protenti ligamentum sunt articulorum. ipsi etiam articuli, in quibus ossium, quæ mouẽtur commissuræ, inuoluuntur, & horum nullum eſt, quod non ſubſpumoſum sit, & circa ſe forulos habeat, quos sanies prodit: quæ deſtructis ipsis multa, & magno multorum mœrore egreditur. sic ſcribit Hipp. cuius verba noſtram corroborant ſententiam. at verò in l. 1. aph. 2. in perturbatione ventris, & vomitibus ſpontinis ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt. venter hoc loco intelligitur inferior. In lib. autem. 2. aph. 35. in quouis morbo partes ad vmbilicum, & imum ventrem attinentes, craſſitudinem habere melius eſt. multum verò extenuari, ac contabeſcere, prauum. vbi Gal. in comm. ait. imum ventrem propriè nominat, & appellat partem ventris imam, quæ vmbilicum, & pudenda interiacet. ita vt in hæc tria totum epigaſtriũ diuidatur, in hypochondrium, id eſt, ilia, & ad umbilicum attinentia, ac ventrem imum. Et in l. de vict. ratio. in morb. acut. com. 1. par. 32. pulmonem exſiccat, atque fatigat, cum hypochondrium, tum ventrẽ imum, tum ſeptum tranſuerſum. & Gal. in comm. inquit. a caliditate ſiccantur, tum pulmo, tum ſeptum tranſuerſum: ſiccanturque vnà, & calfiunt hæ, quę tum in hypochondrio, tum in peritoneo exiſtunt animalis partes: omnes ſi quidem in reſpirationibus vnà cum thorace mouentur. at in lib. 4. aph. 80. ſi ſanguinem mingant aut grumos, vel ſtillicidium urinæ habeant, & dolor incidat in imum ventrem, & pectinem, & fœmen; circa veſicam labor eſt. vbi Gal. in com. hæc dicit. hi, quos memorat caſus, communes ſunt omnibus, quæ vrinæ ſeruiunt inſtrumentis veſicæ, renibus, vrinarijs meatibus, melius itaque hoc modo, quæ circa veſicam accipere, non tanquã ſola veſica ſignificetur, ſed & partes, quę illi annectũtur. in l. autem 6. aph. 7. dolores ventris ſublimes, leuiores; qui verò non ſublimes, fortiores. & Gal. in com. ſic exponit. Sublimes nunc audiendi ſunt, non ſecundum corporis longitudinem, ſed profunditatem. interſtinguntur autem hi, in locis ad ventrem attinentibus, membrana interiore abdominis. adeo quòd quicunque ſupra hanc fiunt, ſublimes vocãtur: qui verò infrà hoc eſt, in ipsis inteſtinis, atq; ventriculo, & in profundo non ſublimes dicuntur. Et in l. 7. aph. 58. deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies. Et Gal. in com. ait. ventrem ſuperiorem nunc nominat, qui à thorace præfinitur, quem pulmo obtinet, atque ideo à capite deſtillatio fertur per aſperam arteriam. Legitur & quandoque venter pro vtero, velut illud. Si mulier in ventre non concipiat, velis autem ſcire, an conceptura ſit, veſtimentis circuntentam ex infernis ſuffito. Sed de ventris ſignificatione ſatis.

De Ventris autem inferioris natura ſic ſcriptum eſt in l. de Car. pag. 18. nu. 13. Fauces, ſtomachus, ſiue gula, & venter, & inteſtina in podicem vſq; caua facta ſunt: cum enim frigidum ſemper caleſcat, quantum eius circum circa glutinoſum erat, exaſſatũ eſt, & membrana tunica facta eſt. quod verò intrà frigidum erat, colliquatum eſt, & factum eſt liquidum non enim erat in ipso neque pingue, neque glutinoſum multum. In l. autem de Art. nu. 44. Venter hominum omnium animalium anguſtiſſimus.

Verum venter ſuas patitur affectiones, quemadmodum humiditatem, hydropem, ſiue aquam ſiccitatem, æſtum duritiem, tumorem inflammationem, turbationem, profluuium, ruborem, palpitationem, animacula, compactionem, & id generis.

Ventris autem humiditatem, atque aquam memorat Hip. in l. 7. aph. 55. his verbis. Venter his aqua impletur, quibus hepar aqua repletum ad omentum ruperit. Et in eodem lib. aph. 54. Quibus inter ventrem, & ſeptum tranſuerſum pituita concluſa eſt, & dolorẽ exhibet, non habens exitum ad ventrem ventrem; his per venas ad veſicam cõuerſa pituita, morbi ſolutio fit. Et in l. 2. aph. 20. Ventres quibus dum iuuenes ſunt, huiuſmodi ſunt, his ſeneſcentibus reſiccantur. Et in l. de Coac. præ. n. 2. Ventres vt plurimũ humectat lumborum dolor præcordiorum dolore accedens; ſi non flatus erumpent, aut vrinæ copia.

Ventris porrò ſiccitatem, æſtum, atque ruborem memorat in l. 4 aph. 65. ſic. Circa ventrem æſtus vehemens, & cordis, ſiue oris ventriculi morſus in febribus, malum. Et in l. de Coac. præno. nu. 3. hi circa ventrem, & inguina rubefiunt, velut ex plagis doloroſis, & moriuntur, qui circa articulos rubicundas in ſuperficie poſtulas habent, inſuperque rigent. Et in l. 2. de dię. num. 22. Ventrem compactum vomitus ſoluit: & egerentem magis, quàm oportet, ſiſtit: illũ quidem humeſtans, hunc verò ſiccans. Et in lib. 1. pror. par. 2. Ventris valde rubens proluuies mala quidem in omnibus morbis, non minime verò in prędictis. De Ventris verò duritie, tumore, ac inflatione ſcriptum eſt in lib. 6. de morb. popul. ſect. 3. Venter quibuſdam inflatur, vbi Venere vtuntur: quibuſdam autem in hoc ſtrepitus. Et in l. 1. præd. n. 15. Venter murmurans, inanibus ad egerẽdum ſurrectionibus, ſi augeatur dolor, difficile eſt. Et in l. de Vict. ratio. in morb. acu. nu. 57. legitur ventris tumor à cibo copioſiore. Et in l. de ae. aq. & loc. n. 12. ob ventris duritiem febres ardentes in occidentalibus. Et in lib. de Coac. præno. n. 1. Ventris præter rationem tumores in morbis longis, conuulſorij. Et in l. prog. n. 10. Ventrem in omni morbo mollem eſſe oportet, & iuſta mole præditum. Et in l. de Coac. prẹno. n. 2. circa ventrem tumores conſimilia ſignificant his, qui ſunt in præcordijs, verum minus ſuppurantur. Et ibidem. circa ventrem durities, cum dolore in febrientibus cum horrore, ad ſuppurationem perueniunt. Et in l. de ae. aq. & loc. n. 10. Ventres duri, ac calidi ex aquis lacuſtribus.

Ventris quidem doloris mentionem facit in li. de Coac. præno. n. 4. ſic. ventrem dolorem ſignificat eructatio ſubtracta, intro reuoluta in his, qui difficulter parum deglutiunt, ſpiritu tuſſiente. Et in l. 6. aph. 7. dolores circa ventrem fientes, ſublimes quidem leues: non autem ſublime, ſfortiores. Et in lib. 7. aph. 22. à ventris dolore diuturno, ſuppuratio fit. Et in

eodem

eodem l.aphor.26.in forti dolore ventris partium ex tremarum frigiditas,malum.Et in l.5.de morb.pop. num.18. legitur ventris dolor a catapotio conceptus gratia ſumpto.& in l.de Steril.n.27. Ventris imi dolor à coitu, & ſanguis recens apparens, & in lib. de Affect. numero 15. ventris doloris ad alium locum tranſitus.

De ventris turbatione, palpitatione, animalculis hæc leguntur in l.2.de morb popul.ſect.6. A ventris turbatione,aut tuſſi ſi cancer fiat; os amareſcit. Et ibidem. In ventris turbatione fabas coctas dato, ſi non ſupernæ partes abundè fuerint bilioſæ.& in lib. 1.apho.2. In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontinis ſi talia purgentur, qualia purgari oportet; confert,& leuiter ferunt: ſin minus: contrà.& in l.5. de morb.popul.nu.9.recitat Hip.de ventre inferiori à medicamento vlcerato.& in l.de Vlce.num.4.Ventris purgatio quibus vlceribus, aut vulneribus conueniat,docet.Et in l.de Arti.inquit.Ventris moderata repletio,coſtarum fit directio.& in l.de Coac.præ. num.2.iuxta ventrem in febre palpitationes, mentis emotiones inducunt.& in l.de ae.aq.& loc.n.3.Ventres frequenter exturbari, pituita à capite influente, par eſt,ſi hyems frigida ſit.& in l.5. de morb.popul. nu.24.præcipit,quando ventres in morbis ſubpurgãdi,aut ſurſum.ſed in l.prog.nu.3.hæc de ventre lege. In ventrem decumbere, ſi quis non ſit adſuetus, dũ ſanus fuit,ita dormire, delyrium ſignificant,aut dolorem locorum circa ventrem.

Ventris,ſiue alui profluuium.

Ventris profluuium, quod Græci diarrhoeam appellant,fit,cũ copioſè ſine exulceratione aluus fluit. vnde legitur in l.de Affect.n.26.profluuium ventris longum cum detenuerit; ſecedunt primum quidem liquida,quę ſunt ingeſta;poſtea pituita.Et probe qui dem edit, verum à multo ſeceſſu debilis. ac tenuis fit.Morbus autem ab ijſdem fit, à quibus etiam inteſtinorum leuitas.hi morbi diſenteria inquam,& lienteria,ac diarrhoea conſimiles ſunt. Et oportet ipſos ſic ſanare, vt defluxum à capite, & ſuperiore ventre intercipias,aut auertas; morbi enim natura hinc eſt. Cauſa,vt dictum eſt, pituita exiſtit; etenim proditũ eſt in lib.7.apho.30. Quibus in alui profluuijs excrementa ſpumoſa ſunt; his ex capite pituita defluit,& in l.5.aphor.32. Balbi à diarrhœa longa maxime capiuntur,& in l.3.aph.25.alui profluuia pueris maximè fiunt,cum caninos dẽtes edunt,& ijs præſertim, qui craſſiſſimi ſunt, & qui aluo ſunt dura. Et in eodem lib.aph.30. alui diuturna profluuia ætatem conſtantem agentibus accidunt. Prognoſtica quidem ſigna hæc leguntur. ſcriptum eſt in l.6.aph.16. pleuritide, aut peripneumonia laboranti alui profluuium ſi ſucceſſerit,malum, & apho.17.lippientem alui profluuio correptum eſſe, bonum,& aphor.15.longo aluo profluuio laboranti vbi ſua ſponte vomitus ſucceſſerit,morbum ſoluit. & in lib.7.aphor.29.ſi ei,qui phlegmate albo detinetur profluuium ventris vehemens ſucceſſerit; ſoluit morbum.& apho.71.alui profluuio egeſtio valde rubicunda mala eſt, & in lib.5. aph.14. a tabe habito profluuium alui ſuperueniens lethale.& apho.12.quibuſcunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, his alui profluuio ſuperueniente,moriuntur. & in l. de Iudic.nu.11. qui ab alui profluuio multo tempore detinentur vna cum tuſſi, non liberantur, ſi non dolores vehementes in pedibus inciderint. ſoluit autem, & febris, & dyſenteria.

Ver.

Ver eſt anni tempus calidum, & humidum,vt inquit Hip.in l.de natu.huma.n.13.tunc ſanguis augeſcit:nam & frigora remittunt,& imbres ſuperueniũt ſanguis autem iuxta hæc augeſcit,ab imbribus videlicet,& calidorum dierum tempore. Eſt quidem ver omnium anni temporum ſaluberrimum, & minime lethale,vt habetur in lib.3.apho.9.conceptui aptum, quemadmodum legitur in lib.de ſuperfœ.n.17. tunc hoc tempore inſaniæ,& atræ biles,& comitiales, & ſanguinis fluxiones,& anginæ,& grauedines,& raucedines,& tuſſes,& lepræ,& impetigines,& vitiligines, & puſtulæ vlceroſæ plurimæ, & tubercula, & morbus articularis.ſic ſcribitur in lib.3.apho.20. verum lib.6.aph.55.podagrici morbo,& autumno mouentur vt plurimum. præterea hæc anni tempora vere.ſ.& prima æſtate pueri,& qui eos ſequuntur ętate optime degunt,& valent maximè,vt inquit Hipp.in lib.3.apho.18.& ventres hyeme,& vere natura calidiſſimi, & ſomni longiſſimi, vt ſcriptum eſt in lib.1. aph.15 & quoniam ver eſt tempus humidum,& calidum; & idcirco quando æſtas fuerit veri ſimilis;ſudores in febribus expectare conuenit. cum autem tempus ſit omnium ſaluberrimum;vere venam ſecare, & medicamentum purgans exhibere oportet, quibuſcunque venæ ſectio,aut medicamentum conducit.quandoque ver per acidens auſtrale fit,& pluuioſum,aut ſiccum,& aquilonium,de quo lege in li. 3.aph.11.& 12.

Veratrum,ſiue helleborus.

Veratrum bis dare conuenit, quibus à capite fluxio fertur.quicunque verò ex abſceſſibus, aut venæ rupturæ,aut propter intemperantiam, aut ob aliam quandam fortem cauſam ſuppurati fiunt,talibus veratrum ne dato.& hoc ſcriptum eſt in lib.de vict.rat. in mor.acut.nu.56.At in l.4.aph.14.ad veratrum admittendi ſunt,qui non facile ſurſum purgantur,pleniore alimento, & quiete corporibus ante humectatis.& aph.16.eiuſdem lib. veratrum periculoſum eſt, ſanas carnes habentibus, conuulſionem enim inducit.& in l.de Inſom.nu.6.veratri purgatio quibus,& quæ inſomnia habentibus conueniat. & in lib.6.de morb.pop.ſect.5.qui veratrum bibit,ſi citius purgare volueris,lauare oportet,aut comedere. & in lib.1. aph.16.veratrum vbi volueris magis ducere,corpus moueto.vbi verò ſiſtere,ſomnum facito, & ne moueto.Sed in l.de Coac.præ.nu.4.à veratro vomere rubicunda,ſpumoſa,pauca prodeſt:facit tum duritias,& ſuppurationes magnas abducit. & in l.de Epiſto.nu. 32.ex veratro conuulſio,lethalis. Verum in lib.3.de morb.nu.11.legitur veratri purgatio in pleuriticis.& in l.1.de diæ.nu.38.ſcribitur,quibus conueniat veratri purgatio in vere poſt fomenta. & in l.de vict.rat. in morb.acu.nu.12. narratur veratri nigri facultas in pleuritide,& in l.1.de diæ.nu.35. veratri purgatio à fomentis deſipientibus,& ſtupidis confert. & in l.de Inſom.nu.5. veratri purgatio per ſuperiora,quàm in feriora tutior.

Ventriculus.

Ventriculus, ſiue ſtomachus alimentum ſuſcipit. atque dum plenus eſt; omnium humorum corpori

fons

fons eſt. verum, vbi vacuus eſt; corpore fruitur colliqueſcente. quatuor autem ſunt fontes alij, qui à ventriculo accipiunt per venas. hæc in lib. 4. de mor. nu. 23. ſed quemadmodum arboribus terra; ita animalibus ventriculus & nutrit, & calefacit, ac frigefacit. Frigefacit, dum euacuatur, calefacit, dum impletur. quemadmodum terra ſtercorata hyeme calida eſt; ita etiam ventriculus. Et, quemadmodum hydria, quod recens eſt, tranſmittit: quod inueteratum, retinet: ſic & ventriculus tranſmittit alimentum, & fecē retinet, velut vaſculum. ſic inquit Hip. in l. de Hum. nu. 4. Cæterum ventriculus, ſicut & alia membra varijs detinetur paſſionibus, de quibus pauca dicemus. legitur in li. 3. aph. 15. in febribus circa ventriculum, & fortis æſtus, & cordis morſus, vel dolor, malum. Et in l. 6. aph. 18. ventriculus diſciſſus, lethale. Et in lib. 7. aph. 55. quibus inter ventriculum, & ſeptum, pituita repoſita eſt, & dolorem affert, non habens exitum, neque ad alterum ventrem; his per venas ad veſicam, pituita verſa ſoluitur morbus. Et in l. prog. com. 3. part. 30. ſi quis per febrem non exitioſam dixerit, caput dolere, aut etiam tenebricoſum aliquid ob oculos obuerſari, ſi ventriculi dolor in eo extiterit: bilioſa vomitio aderit. Et in lib. 2. pror. part. 5. ex lumborum dolores ad os ventriculi recurſiones febriles cum horrore, aquoſa, tenuia, & multa reuomentes, mente aberrantes, voce priuate, nigra vomētes, moriuntur. Et in lib. de Coac. præno. in ventriculi os dolente lumborum dolor cum excreatione violenta, habet quid conuulſorium. Et in l. 6. de morb. popul. ſect. 4. ventriculo calido præditos fortes potus, ac cibi perturbant. Et in l. de Coac. præno. nu. 1. quibus cibi faſtidia ſunt, & oris ventriculi morſus, & multum ſaliuæ, his vomitus fit. Et nu. 2. oris ventriculi dolor, & pulſus præcordiorum febre perfrigerata, malum, tum aliàs, tum ſi inſuper exudarint. Et ibi dem. oris ventriculi dolores cum tormine, vētris animalcula erumpere faciunt. Et, oris ventriculi dolor ſeniorem frequenter impetens mortem repentinam ſignificat. Et, quibus dolores prēcordiorum, oris ventriculi, hepatis partium circa vmbilicum, hi ſanguine per aluum egeſto, ſeruantur: non autem egeſto moriuntur. Et, quibus derepēte dum ſine febre ſunt præcordij, & oris ventriculi dolor, & circa crura, ac infernas partes, & aluus in tumorem eleuata eſt; ſoluit venę ſectio, & alui fluxio. his febrire nociuum eſt: longæ enim & vehementes febres fiunt, & tuſſes, & ſpiritus, & ſingultus. his autem ad ſolutionem tendentibus, dolor fortis coxarum, aut crurum, aut puris ſputum, aut oculorum priuatio ſuccedit. Et, in lumbis dolentibus oris ventriculi dolores inſuper accedentes, ſigna ſanguinis fluxionis ſunt etiam præ greſſæ. Et in lib. 2. de morb. popul. ſect. 2. mulier cor, hoc eſt, os ventriculi dolebat, & nihil remittebat dolor, huic polentæ pollen in mali punici ſuccum inſperſus, & ſemel in die acceptus in cibo ſatis fuit. & non reuomebat, velut Charioni contigit. Et in l. de Coac. præno. nu. 3. oris ventriculi dolor, & ſudor aliquantum vexat eos, quos ex lateris dolore cibi faſtidia ſequuntur. Et in lib. 4. apho. 17. in oris ventriculi morſu ſine febre exiſtente, medicamento ſurſum purgare opus eſt.

Vertebra.

Quibus vertebra intro conſidet, & ſpiritus retrahitur, & vox ſtrangulatoria eſt, his in fine, velut contrahente quodam, ſpiritus fit, vt ſcriptum eſt in li. de Coac. præno. n. 3. Sed in l. de vict. ratio. in mor. acuſ. num. 22. vertebrę in occipitio introrſum luxationes, pueris grandiuſculis fiunt.

De Verticulis.

Verticula intrinſecus inter ſe æqualia ſunt: ab externis autem chartilaginibus, ac neruis continentur. coarticulatio verò ipſorum in poſteriore medullæ ſpinalis parte eſt. a poſteriore autem parte, exortum acutum habent, qui appendicem habet chartilaginoſam, vnde neruorum propago prona fertur, quemadmodum etiam muſculi à ceruice vſque ad lumbos adnaſcuntur, coſtarum, ac ſpinæ medium explentes. hæc in l. de oſſ. natu. nu. 3. ſed n. 5. verticula ſupra clauiculam vnà cum magno ſeptem ſunt. Et in lib. de Arti. n. 38. verticula in latere obliqua. Et nu. 43. iuxta verticulum gibboſitates non facile pelluntur. Et nu. 37. verticula ſpinæ in gibbum tracta. Et nu. 49. verticulorum inrro obliquatorum nullam haberi coactionem. Tandem, nu. 50. verticula in repandum emota, oſſe lethalia: quæ verò in gibbum, minimè.

De Vertigine.

Vertigo à Græcis ſcotoma appellatur, à Barbaris verò ſcotomia dicitur. eſt autem, vbi obtenebrationes, & hebetudines oculis obuerſantur, & omnia circumagi, & rotari videntur. quæ verò ſit cauſa vertiginis, modusque, ſcriptum eſt in l. de vict. ratio. in mor. acuſ. comm. 4. par. 27. his verbis. cum dolores ac ceſſerint, bilis atræ, fluxionumque acrium diſtillationes fiunt: dolent morſa interna, morſæque, atque ad modum arefactæ venæ intenduntur, trahuntque inflammatę, quæ influunt: quapropter corrupto ſanguine, nequeuntibus ſpiritibus naturales pertranſire meatus, infrigidationes fiunt ob ſtationem, vertigines, aphoniæ, capitis grauitas, & conuulſiones, ſi iam ad cor, vel hepar, vel in venam peruenerint. Et in lib. 2. de morb. pag. 64. num. 4. cum venæ ſupereuomunt: dolor, & vertigo, & grauitas caput occupant: dolor quidem prænimia ſanguinis caliditate: vertigo verò, cum aceruatus ad faciem proceſſerit ſanguis. grauitas autem, quòd copioſior ſanguis ſit in capite, & turbulentior, ac morboſior, quàm intrinſecus. ſupereuomere quidem videntur venæ, cum ad eas bilis, aut pituita ingreſſa fuerit; eleuantur enim venæ, & pulſant, & dolor per totum caput diſpergitur. vertiginem quoque oculis adferunt auſtrinæ tempeſtates, vt legitur in l. 3. aph. 17. fiunt & hyeme, vt in eodem l. nu. 23. fiunt ſenibus, vt in l. 4. aph. 31. Quid verò ſignificent vertigines, ſic ſcribit Hipp. in li. 4. aph. 17. ſi quis febrem non habens abſtineat à cibo, hoc eſt, non appetat cibum, & cordis morſum, ſiue vertiginem patitur, & oris amaritudinem ſentit: purgatione indigere per ſuperiora ſignificāt. Et in l. de Coac. præno. nu. 3. vertigines ex hæmorrhoide parum apparente obortæ paruam, ac modicam ſyderationem ſignificant. ſoluit venæ ſectio, & quicquid hoc modo apparuerit, mali aliquid ſignificat. Et in eodem lib. n. 1. vertigines in morbis longis apparentes, perniciosæ. Et in l. 2. pror. par. 37. vertiginoſos medicamentis purgare non oportet. Et in li. 1. vertigines ab initio ſanguinis narium fluxio ſoluit. Et in l. de affec. pag. 80. nu. 2. Si verò aliàs, atque aliàs dolor, & vertigo in caput inciderit; prodeſt capitis calefactio, ac

lotio

lotio multa calida, & purgatio à pituita, victus autem sit sorbitio, & potus aqua. prodest autem etiam si sanguis è naribus fuerit detractus, aut à vena in frõte. si verò diuturnus, & fortis in capite fiat morbus, & purgato capite non decedat; huius caput scarificare oportet, aut venas in circuitu inurere. in libr. autem 5. de morb. popul. numero duodecimo, historiam recitat Hippoc. de quodam, cui vertigo caliginosa offusa est. hoc verò memoria mandandum est, quod scriptum est in libro secundo, prædic. num. 38. hoc est quoscunque vna cum doloribus capitis vertigines corripiũt, malum ægrè exolubile, ac furiosum existit. senibus autem maximè hic morbus fit.

Vesica.

Legitur in lib. de Corp. resec. pagin. 25. numero secundo, vesica tota neruosa est, magnaque, ac latè se extendens, capacitas intra eam à natura disposita est. at de eius generatione lege in lib. de natu. pu. numer. 3. varias ipsa sustinet affectiones, ac plura ex ea accepimus prognostica: etenim inquit Hippocr. in libro quarto, aphoris. 80. vesica calculo laborat, quibus in vrina arenosa subsidunt, & aphoris. 76. quibus in vrina crassa simul exeunt furfures, his vesica scabie laborat. Et aphor. 75. eiusdem lib. si sanguinem, aut pus mingat, renũ, vel vesicæ vlcerationem significat. Et in lib. 6. apho. 18. si vesica discissa fuerit, lethale est, & in lib. 1. de morb. nu. 7. vesica disecta non coalescit. & in eodem lib. num. 3. vesica vulneratus moritur. & in li. 4. aphor. 80. si quis mingat sanguinem, & grumos, & stranguriam habeat, & dolor incidat ad fœmen, & imum ventrem, & pectinem; vesicam ægrotare significat, & aphor. 81. si sanguinem aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat. Et in lib. 6. aph. 6. renum vitia, & quicunque sunt in vesica dolores, difficulter sanantur senioribus. Et in eodem li. aphor. 18. vesicam pertusam, perfectamus esse, lethale est, & in lib. de Coac. præn. num. r. vesica dolorosa fit, quibus in febribus tremores circa iudicationem cessat. & ibidem nu. 4. vesica intercepta tum aliàs, tum capitis dolore, habet quid conuulsorium. Et ibidem nu. 3. quibus circa vesicam tuberculum, quod mingendi difficultatem inducit, ad omnis generis figuras vexantur, huius autem solutio fit pure erumpente, & in lib. progno. num. 19. si vesicæ dolor, neque ab vrina quicquam remiserit, neque vesica molliatur, & febris continua fuerit, in primis circuitibus morbi ægrum moriturũ esse, timor est. Vesicæ duræ & dolentes, penitus quidem horrendæ, ac pernicioſæ sunt, perniciosissima verò, quæ cum febre continua fiunt. Et vesicæ duræ dolentes, pueri septennes, donec ad quintum decimum annum peruenerint, corripiuntur. Sed in lib. 3. aphor. 22. vesicæ confert calida. & in l. de insom. nu. 13. circa vesicam fletus medicamentis vrinam cientibus expurgare oportet. & in lib. 1. de morb. pop. consti. 3. per vesicam purgatio morbo regio in Ihaso laborantibus profuit.

De Vesica verò scabiosa hæc scribit Hipp. in lib. 5. de morb. popul. nume. 8. In Larissa Theophorbi filius vesicam scabiosam habebat, & viscosam vrinam mingebat: & dolebat, dum inciperet mingere, & dum desineret, & confricabat pudendum. Hic cum bibisset pharmacum vrinam ciens acre; in vesicam quidem nil processit, verum multum purulentum, & bilem euomuit, & deorsum alia huiuscemodi egerebat, & ventrem dolebat, & intrinsecus ardebat. reliquum verò corpus frigidum erat, & totus resolutus, & nihil assumere volebat. venter à vi medicamenti exulceratus est. & mortuus est tertia post potionem die.

Victus ratio.

Victus rationes quantum fieri potest sunt cognoscendæ: nam non nosse, multarum calamitatũ res est, vt scribitur in lib. de morb. popu. in fine, sed in lib. de Vict. ratio. in morb. acutis. num. 63. circa victus rationem, morborum intentiones, ac remissiones febrium obseruandę. Et num. 57. quæcunque ex victus ratione contingunt, pleraque vnusquisque prout præter consuetudinem victu vsus fuerit, maximè annotat. Et num. 15. victus ratio in sanis primum exploranda. Verum in lib. de Vete. medi. nume. 13. victus ęgrorum, & sanorum inuentionis, & ferini temperaturę modus, idem ac vnum quoddam inuentum. Et num. 16. eiusdem lib. victus modus ex solo corporis sensu colligitur: vnde fit, vt medici in eo inueniendo plurimum delinquant. Et nu. 15. eiusdem lib. victus rationem mansuetam, ac conuenientem ęgros magis lædere, quàm ferinam sanos. Verum in li. 1. aphor. 4. victus tenuis, & exacti, & in longis semper affectionibus, & in acutis, vbi non expedit, periculosi sunt. & aphor. 10. eiusdem lib. victus tenuis adhibendus ijs, quibus morbus consistit. quibus verò posterius debet consistere, ijs & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud, cibus subtrahendus: prius verò vberius alendum, vt æger sufficiat. Et in lib. præcep. num. 11. victus vna eademque ratio, non diu seruanda: indulgentia ægrorum diuturnam erigit concupiscentiam. & in lib. 1. aphor. 9. victus ratione an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat coniectandum: & numquid ille prius deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel morbus antea deficiat, atque hebetescat. & aphoris. 4. victus ad extremam tenuitatem progressi difficiles. Et in eodem lib. aphor. 15. in victu tenui delinquentes ægrotantes magis læduntur: omne enim delictum, quod committi poterit, magis magnum committitur in tenui, quàm in paulo pleniore victu. quapropter etiam in sanis periculosus est valde tenuis, & constitutus, & exactus victus: quoniã delicta grauius ferunt. ob hoc igitur tenuis, & exactus victus, periculosus est magis, quam paulo plenior. Et aphor. 8. victu tenuissimo vtendum est, quando morbus in suo vigore constiterit. Et ibidem. victu extremè tenuissimo vtendum est, vbi morbus peracutus est: vbi verò non, sed pleniore victu vti licet, &c. Et in lib. 2. aphor. 16. victus humidi omnibus febricitantibus cõferunt, maximè verò pueris, & alijs ita adsuetis. Et in lib. 6. de mor. pop. sect. 4. victus frigidi, debiles: robusti, verò calidi. Sed in lib. de Vict. ratio. in morb. acu. num. 15. victus mutationes repentinæ noxas, ac ægritudines inducunt. tandem in lib. de octim. par. num. 3. victus, locorum, & vestitus transmutatio vis etiam pernicioſa.

De Vigilia.

A Vigilijs has accipe prænotiones, quæ leguntur in libr. 2. de diet. numero. 25. vigilia in exsatia-

tis cibo noxia est non permittens cibum liquari, ac concoqui: ieiunus autem attenuat quidem, verùm minus lædit. Et in lib.7. aphoris. 9. ex vigilia conuulsio, aut delyrium, malum. Et in lib. 2. aphoris. 14. vigilia si modum excesserit, malum. Et aphoris.34. vigiliæ paruis, ac recens natis puerulis fiunt. Et in lib.3. aphoris.31. vigiliæ senibus accedunt. Et in lib.1. prædict. nume.19. vigilijs infestati, derepente cum inquieta iactatione, sanguinem fundunt, tum aliàs, tum si quid antea perfluxerit. num vbi inhorruerunt? Et in libro de Coac. præno. nume.4. vigilias facere poterit alui egestio liquida, & aceruatim fiens. & num.1. affectiones insuper rigentes, & quæ ad noctem magis aliquanto exacerbantur cum vigilijs, ac delyrio in somnis, aliquando vrinas inuoluntarie emittentes, in conuulsionem desinunt. Et, lassati, caliginantes, vigilantes, soporosi, exudantes, recalescentes male habent. Et, qui in principio tenues cum capitis pulsu, & vrina tenui, & ad iudicationem exacerbantur, his nihil miri est, si & mentis emotio, insuperque vigiliæ accedant. Et, affectiones statim turbulentæ, vigilias inducentes, sanguinem de naribus stillantes, sexta die alleuantes per noctem, verum postridie rursus affligentes, exudantes in somnum delatæ, mentem emouentes, large sanguinem fundunt, & morbos soluunt. Et, pueris febris acuta, & aluus suppressa cum vigilijs, & calcitrare, & colorem mutare, & ruborem habere, conuulsorium est. Et, affectiones statim turbulentæ, vigilias inducentes, & nigra compacta egerentes, partim sanguinem fundunt. Et numero secundo capite grauati, iuxta sinciput dolentes, vigilijs infestati, sanguinem effundunt, tum alias, tum si quid ad collum se extendat. Et, vomitus in capitis doloribus æruginosi cum surditate, vigilantibus, cito insaniam excitant. Et, soporosi in principio fientes, cum capitis, lumborum, colli, præcordij dolore, vigilantes, num phrenitici sunt? Et nume.3. oculorum rectitudo in morbo acuto, & velox, & somnus turbulentus, & vigiliæ, & quandoque sanguinis è naribus stillationes, nihil boni. Et in lib.pror.com.1.par.4. vrinæ in turbulentis vigilibusque decolores, nigræ, sublime petentes, atque in sudore, phreniticæ.

Vinum.

Vinum calidum est, & siccum, vt scribitur in libro secundo de Diæ.nume.13. At in libro de aere, aquis, & locis. nume.24. vinum aquosissimum lacte pueri salubrius: minus enim venas adurit, & reficcat. & in lib.de Affect.nume.2. vinum in capitis doloribus propter partem illam calefactam, & humori attrahendo aptam non est exhibendum. Et nume.51. eiusdem libro vinum, & mel temperatissima ad hominis naturam sunt. Et in libro de vict. ratio. in morb. acut. nume.25. scribuntur de vini vtilitate, ac detrimento notæ ante Hippoc. ignoratæ. Et in lib.7. aphoris.48 vini potus, & venæ sectio, vrinæ stillicidium, & difficultatem inducunt. Et in lib.2. aphoris.21. vini potus famem soluit. Et in lib. de vict. ratio. in morb.acut.nume.25. uini differentiæ, aquæ mulsæ, & aceti mulsi quomodo constituendæ. Sed in lib. de Affectionib. nume.50. uinum dulce, & mellis speciem referens ambo, & reficiunt, & urinam cient, & pituitosa sunt. Et numero 44. vina dulcia, austera, & mellei coloris vetusta ventrem subducunt, maximeque vrinam cient, ac nutriunt. Et in libro secundo, de diæ.num.13. vinum dulce pituitosis magis aluo secedit. Et in lib. de Humid. vsu. numero nono, vinum dulce ad diuturna vulnera commodum est assidue vtenti: sed & ad medicamentorum potionem. Et in lib.de vict. ratio.in morb.acut. numer.25. vinum dulce minus caput grauat, quàm vinosum, & minus mentem ferit, & magis quàm alterum per aluum, & intestinum subit. viscera verò magna facit, splen, & hepar. quare neque his qui ara bile abundant commodum est. Et in libro secundo, de diæ. numer.13. vina dulcia nigra humidiora sunt: calfaciunt autem, & inflant, & humiditatem inducunt. Et, vina tenuia dulcia magis vrinam cient, & aluum mouent, & humectant corpus, & sanguinem debilem faciunt, & aduersarium corporis sanguinem in corpore augent.

At in lib.de vict.ratio. in morb.acut.num.25. legitur vinum album vinosum. Et numer.19. vini albi, & nigri, permutatio. Et in libro secundo, de Diæt. numero13. vina alba, & austera calfaciunt, magisque vrinam cient, quàm aluum mouent. Et in lib. 3.de morb.numer.29. scribitur vinorum alborum ex vuis passis in febribus potio. At verò in lib.de veter. medi. numero vigesimo septimo, vinum meracum large haustum, hominem aliquo modo debiliorem reddit. Et in lib. de vict. ratio. in morb. acut. nume.25. vinum meracius partibus circa intestinum magis prodest. Et in libro quarto, de morb. popularibus, numero septimo, vinum multum meracum insaniæ causa, &c. Et in lib. de affectionibus, num. 52. vini meraci in flatibus, æstu, repletione, aut torminibus vires, sed in lib.de vict. ratio. in morb.acut. numer.25. vinum nigrum, & fuluum. Et in lib.2. de Diæ. num.13. vina nigra, & austera sicciora sunt, & aluum non mouent, neque vrinam cient, neque saliuam faciunt. Et ibidem. vina nigra mollia humidiora sunt: calefaciunt autem, & inflant, humiditatem inducentia. Verum in libro secundo, de Diæ. numer.13. vinum recens sub torculari expressum, & nondum excolatum, humectat, subducit, & inflat; quia etiam mustum idem facit. & ibidem, vina noua aluum magis mouent, quia propia musto sunt, itemque alunt, & odorata magis quàm inodorata eiusdem ætatis. Et ibidem. vina acida frigefaciunt, attenuant, & humectant.

De Vlceribus.

Vlcera qua ratione in capite, & reliquo corpore enascantur, scribitur in lib.2.de morb.num.2. Sed in lib. de medico num.9. enarrantur vlcerum viæ quatuor. Et in lib.6.de morb.pop.sect.5. vlcera exoriuntur, si quis dum impurgatus est laborauerit. Vlcera verò has patiuntur affectiones. inflammantur, callo sa fiunt, suppurantur, intumescunt, & cicatrices in eis fiunt. De inflammatione ait Hipp.in lib.de Vlce. num.6. quodcunque vlcus ex inflammatione tumidum non sedatur, dum alia inflammare, ac tumescere ceperunt, sedantur, etiam hoc non coalescere periculum est. Et num.2. vlcera inflammantur, tunc cum ad suppurationem tendunt, & n.1. legitur vlcerum inflammatio, quomodo præcauenda sit, & nu 8.

eiusdem

eiusdem libro scribitur vlceris pure inflammati curatio. Vlceris autem calloſi curatio narratur in lib. de loc. in homi. num. 47. & in libro de Vlce. nume. 2. vlcera ſuppurantur alterato ſanguine, ac calfacto, donec putrefactus, talium vlcerum pus fiat, & in eodem libro de Vlce. nume. 6. cui circa vlcus tumor obortus fuerit, vlcere non inflammato, huic poſtea temporis progreſſu tumor puris ſubſidentiam habet. & in libro quinto aphoriſ. 65. quibus in vlceribus tumores apparent, non valde conuelluntur. Et in libro ſecundo prędic. num. 28. vlcerum cicatrices, quibus nihil aliud mali adfuerit, omnes, & à temporibus, & ab arte opem ferre poſſe putandum eſt, maxime recentiſſimas, & in iuuenum corporibus. Et in lib. de Vlce. nume. 5. ſcribuntur vlcerum cicatrices cauiores.

At ab vlceribus has accipimus prænotiones, quæ leguntur in lib. de Coac. præno. nume. 1. vlcus ante mortem, ſi periturus eſt homo, liuidum, ac ſiccum erit, autem etiam pallidum, & ſiccum. Et in libro præno. nume. 4. vlcus ſi prius factum fuerit, ſiue in morbo acceſſerit, conſiderare oportet. Et in lib. 1. de morb. popul. ſectio. 1. vlcera fientia, ac iudicantia febres, & tubercula, quibus hæc non fiunt iudicatio ſublata eſt. Et in lib. 4. de morb. num. 21. vlcera ſi curentur imparibus diebus magis inflammantur: venit enim humor ad omnes venas, cum turbatur, eas que replet. Et in lib. 6. aphor. 45. vlcera quæcunque omnia fiunt, aut diutiore tempore durant, neceſſe eſt os abſcedere, & cicatrices cauas fieri. Et in lib. 6. aphor. 8. vlcera hydropicis in corpore fientia, non facile ſanantur. Et in libro de Iudic. nume. 5. vlcera ſi repurgentur pure albo, celerem curationem indicant. ſi verò inſanioſos humores tranſmutentur, maligna fiunt. eodem modo, & vrinæ ſic ſignificant. Et in libro de Denti. nume. 3. vlcera proſerpentia circa fauces, grauiora. & magis acuta, vt plurimum ſpirandi difficultatem inducunt. Et in lib. de locis in homi. nume. 48. vlcuſcula liuida in debilibus erumpentia lethalia. Et num. 44. vlcuſcula liuida in debili enata, mortale. Et in lib. 2. prædi. legitur vlcerum cognitio quomodo fieri debeat.

Curatio autem eſt hęc. vlcerationibus voluntarijs, aut inuoluntarijs, qualia ſunt deſquamata, calida cõuenit, quemadmodum proditum eſt in libro de humi. vſu. nume. 11. Et in lib. de Vlce. nume. 6. in omni vlcere, igne ſacro accedente, corporis purgationem facere oportet in vtram partem vlceris contulerit, ſiue ſurſum, ſiue deorſum. Et nume. 4. vlcera vbi deligare voles, non prius pharmaca imponere oportet, quàm vbi valde ſiccum fecerit vlcus. & nume. 1. vlcera vniuerſa, niſi vino humectare non oportet, ſi non in articulo fuerit vlcus. & in lib. de humi. vſu. num. 8. ad vlcera commodum eſt vinum album, & nigrum frigidum. & ibidem. vlceribus piſcatorum, & cuniculoſis, & depaſcentibus proſerpendo mare bonum eſt. & in lib. 2. prædic. nume. 21. ſcribitur, quibus vlceribus febrem ſuperuenire commodum ſit. Et in lib. de Vlce. nume. 6. vlcerum ex caſu, aut alio quopiam modo diffecatorum curatio legitur. & in lib. de loc. in homi. nume. 47. enarratur curatio vlcerum, & quæcunque ſupra corpus eminent. & in lib. de Cap. vulne. num. 20. leguntur, quæ poſt vlceris ſectionem adhiberi conueniant. & in lib. 2. prædic. nume. 20. vlcerum curatio ſecundam loca, facilis, aut difficilis. & in libro de Vlce. nume. 2. vlcerum acuto ſpicillo inciſorum, eademque vulnerum curatio. & in lib. de fract. nu. 27. ſcribitur vlcerum curatio ſimplex.

Verum de vlceribus capitis hæc ſcribuntur, vlceribus capitis, quæ ſymptomata inimica leguntur in lib. 2. prædic. nume. 2. & in lib. 5. aphor. 22. vlceribus capitis confert calida. & in lib. de Carn. num. 23. vlcerum magnorum in capite, & reliquo corpore inflammatio, ſeptenario ſedantur. & in lib. de Cap. vulne. nume. 18. de vlceris in capite curatione. tandem in lib. 2. de morb. popul. ſectio. 5. ſi vlcus in capite fuerit, inter venas ſecato; ſi non febricitet. & in libro de Cap. vulne. nume. 20. vlcera temporum non ſunt ſecanda. At in libro de Denti. nume. 3. vlcera in tonſillis citra febrem facta, ſecuriora ſunt. & vlcera in tonſillis multo tempore citra augumentum manentia, circa quintum, aut ſextum diem periculoſa ſunt. vlcera tonſillarum infantibus periculoſa. & vlcera tonſillarum æſtate facta peiora ſunt, quàm alijs temporibus. &, vlcera in tonſillis circa vuam proſerpentia, in his, qui ſeruantur, vocem alterant. cætera verò ibi lege. Sed in libro de Iudic. nume. 7. in omni vlcere plerunque, quod ventrem habet in directum ad viſum conſpicua ſunt omnia, tumore non præſente. De Vlceribus verò, quæ in vtero fiunt, hæc enarrantur. Ait Hip. in lib. 2. prædic. nume. 33. quibus vlcus factum fuerit in vtero, ſiue ex partu, ſiue tuberculo, ſiue ex alia quadam cauſa, his febres, & inguinum tumores ſuccedere neceſſe eſt, & dolores in his locis. & in libro 1. de morb. mulieb. nume. 11. ſcribitur de vlcerum in vteris generatione. & in lib. 2 prædict. nume. 34. vlcus ſi ſolum in ſiniſtra vteri parte factum fuerit, & mulier in vtero concipiat, ſiue dum adhuc habet vlcus, ſiue vbi iam ſana eſt, maſculum magis enixuram ſpes eſt: ſi verò in dextram, fœminam. & in lib. 1. de morb. mul. nume. 65. vlcerum in vteris curatio ſollicite adhibenda. & in lib. de natu. mulieb. nu. 76. ex vlceribus magis in vteris ſteriles. & in lib. de ſteril. nume. 2. legitur vlcus in vtero. & in 1. de morb. mul. num. 92. vlcera in pudendis. & in eodem lib. nume. 11. leguntur vlcera in vteri collutiones. & numero 127. ad vlcera in vtero reſiccanda. & nume. 60. eiuſdem lib. vlcera in vtero à partus purgamentis putrefactis. & num. 58. vlcerum vteri collutio.

Vmbilicus.

Scribit Hipp. in lib. de Octi. par. pag. 21. numero 4. Vmbilicus, per quem alimenti, ac ſpiritus ingreſſus pueris contingunt, ſolus ex omni corpore vtero adhæret, & per hunc introitus, ac ingreſſus ingredientium particeps fit, reliquæ partes conniuent, & non prius apertæ ſunt, quam vbi in exitu fuerit puer ex ventre. cum autem in exitu fuerit: reliquæ omnes aperiuntur, verum vmbilicus attenuatur, & conniuet, ac reſiccatur. quemadmodum autem in his, quæ ex terra naſcuntur, fructus pleni, ac maturi ſecernuntur, ac decidunt iuxta deſcriminationem, qua parte inhærent, ſic etiam pueris maturis, ac perfectis vmbilicus quidem conniuet, ac clauditur, reliqua verò aperiuntur, vt & ingredientia ſuſcipiant, & exitus habeant ſecundum naturam. quibus neceſſe

eſt viuentes vti: ſingula enim ſeparantur iuxta modum, quo agmina congregantur repentia: optima autem ſunt, quæ maximè ſoli connutrita ſunt. Et in l. de nat. pue. nume. 4. iuxta medium verò tenue quid eminebat, quod mihi vmbilicus eſſe videbatur, & per illum ſane ſpirationem extra, & intro primum facere apparebat: quin & pellicula genituram ambiens, ac complectens tota ex illo tendebatur. Et in lib. de alimen. pag. 53. nume. 6. principium alimenti ſpiritus, nares, os, guttur, pulmo, & reliqua reſpiratio. principium alimenti & humidi, & ſicci, os, gula, venter. verum antiquius, & primordiale alimentum, per abdomen vmbilicus. Et in lib. 1. de natu. pue. nume. 43. vmbilicus poſtremus omnium membrorum in lucem prodit. Et in lib. 3. aphor. 24. vmbilici inflammationes paruis, ac recens natis puerulis accidunt. Et in lib. de Coac. præno. num. 2. ſupra vmbilicum dolor, & lumborum dolor, ſi medicamentis non ſoluantur, in hydropem ſiccum deſinunt. Et, ſub vmbilico conſiſtentes tumores minime ſuppurantur. Et, quibus partium circa vmbilicum dolores, hi ſanguinem per aluum egeſto ſeruantur: non autem egeſto, moriuntur. Et in libro quarto aphor. 11. quibus circa vmbilicum dolores, qui neque medicamentis, neque aliter ſoluuntur, in ſiccum hydropem firmantur. Et in lib. de Coac. præno. nume. 2. circa vmbilicum dolores palpitatorij, habent quidem aliquid mentis emotorium, verùm circa iudicationem pituita his aceruatim copioſa cum dolore penetrat. Et in lib. 2. aphor. 35. partes circa vmbilicum & pectinem in omni morbo craſſitudinem habere melius eſt: at vehemens tenuitas, & eliquatio, praua eſt. At in libro ſeptimo de morb. popu. pag. 152. nume. 56. Dinij filio in Abderis vmbilicum mediocriter ſauciato, fiſtula parua relicta eſt, & quandoque etiam lumbricus per ſe ipſum ſatis craſſus penetrauit: & cum febriret, vomebat bilioſa: quandoque verò & hæc ipſa per fiſtulam prodibant. Et in lib. 5. de morb. popu. nume. 11. Lariſſa vir quidam ſauciatus eſt cominus ex manu per haſtam latam à tergo, & ſummum eius penetrauit infra vmbilicum per multum ſpacium. reliqua verò ibi lege. Et in libro de affect. pag. 80. nume. 16. quicunque dolores infrà vmbilicum fiunt, in his molli infuſo per clyſterem immiſſo ſubluito. Si verò non ſedentur; pharmacum deorſum purgans dato. cætera ibi vide.

Vmbra, & frigus moderate humectant: dant enim magis, quàm accipiunt, vt patet in libro 2. de diæt. nume. 20.

Vnctio calfacit, humectat, & mollit, vt ſcriptum eſt ibidem.

Vngues.

Vngues ex illo glutinoſo producti ſunt: etenim ab oſſibus, & articulis ſemper liquidiſſimum ipſorum diſcedens, glutinoſum redditur, & à calido ſiccatum, ac arefactum, foras in vngues delegatur. hæc in lib. de Carni. nume. 11. At verò in lib. 1. aphor. 3. vngium in digitorum manuum, ac pedum extremitatibus vſus. Et in libro præno. nume. 8. ſi vngues, & digiti ſupra grauitatem liuidi fiant, mortem eueſtigio expecta. Et in lib. de humi. vſu. nume. 8. vnguibus leproſis acetum prodeſt. Et in l. de ſuperfœ. pag. 22. num. 3. cum puer vitalis futurus naſcitur; caro ipſius vngues ſupereminent, vngues verò tum in manibus, tum in pedibus deficiunt.

Voluptas.

Voluptates ex nulla alia re, quàm ex cerebro contingunt, vt in libro de morb. ſac. nume. 15. ſcribitur. Et in l. de humi. vſu nu. 44. voluptates, & illecebræ, à calida: à frigida verò dolores, & auerſationes. Et in lib. de Virg. morb. num. 3. voluptas ſine ſpectris, in animi impotentia.

Voluulus.

Tres autem deſcribuntur cuiuſdam voluuli, ſpecies in l. de Inter. aff. pag. 90. num. 47. horum primus fit hyeme cum quis calido, & humido vtatur victu, abſque deambulationibus, ſed repletus ſemper dormiat. deinde coactus longum iter faciat, frigore ſæuiente: deinde riguerit ſub oſſa. vnde hęc patitur. Flatus in toto corpore, color plumbi formis, continuus rigor. corpus à calida lotum deſquammatur, ac præſertim ſcrotum. & corpus digitis compreſſum notas tenet. crura grauia. ſitis vrget noctu, cibi crudi ſuccedunt. curatio eſt, adhibito fomento, cneori potio, aut hippoph. aut cnidij grani: poſtera die lactis afinini. & reliqua ibi lege.

Secunda voluuli ſpecies dicitur voluulus arcuatus. hic maximè æſtatis tempore paluſtribus regionibus corripit: magis autem ab aquæ potu, vel ex volutatione ad ſolem capitis dolore affectos, patitur ſimilia prioribus, ſed color eſt pallidus, uelut malicorium. & oculi aliquando morbo arcuato implentur. Curatio eſt eadem, quæ ſuperior. ſed potio ſit aqua à cicere albo cocta, & cum vino eadem permixta danda eſt.

Tertia uoluuli ſpecies, appellatur voluulus hæmatites. incipit hic morbus fieri autumno. ex ore maleolet, à dentibus, & gingiuę abſcedunt, & à naribus ſanguis fluit. aliquando ex cruribus vlcera fiunt. color niger fit, & cutis tenuis. eſt autem ad deambulandum ac laborandum promptus. Curatio ſit veluti ſuperior. ſed clyſteres adhibeto. hæc lege num. 49. In lib. autem tertio de morb. pag. 72. num. 15. de Voluulis. ſiue ileo hæc leguntur.

Voluuli fiunt, cum ſupernus ventriculus caleſcit, infimus verò frigeſcit: reſiccatur enim ſimul inteſtinum, & præ inflammationis caliditate obturatur, vt neque flatus neque cibi pertranſeant; ſed venter durus fit, & quandoque vomit primum pituitoſa, deinde bilioſa, poſtremum ſtercus. & æger ſitim habeat, ac dolorem, maxime circa præcordia. totum vētrem dolet, & inflatus eſt, & anxius, & febres corripiuntur, & fiunt maxime ſeptima die. hos ſic curare oportet. ſupernum ventriculum quamcitiſſimè purgato, & ſanguine de capite, ac cubitis detrahito; vt ſuperna aluus caleſcere deſinat. partes ſupra ſeptum tranſuerſum frigefacito, excepto corde. infernas autem calefacito homine in ſolio aquæ calidæ collocato, ac ſemper oleo illito. calefactoria quoque humida apponito. & glandulam de melle ſolum decem digitorum longitudinis facito, & ex ſumma anteriori parte fel taurinum oblinito, atque ſic bis, ac ter ſubdito: quò omnia combuſta ſtercora circa rectum, ac princeps inteſtinum contenta educas. & ſi quidem ſic obedierit; poſtea clyſterem adhibeto: ſin minus; follem febrilem indito, & in ventrem flatum immittito, à quo & ventrem, &

inteſtini

inteſtini contractionem diſtendas: deinde extracto folle clyſterem adhibeto, non ex valde calefactorijs ſed ex his, quæ ſtercora diſſoluunt, ac colliquant. poſtea obturata per ſpongiam ſede, in qua calida deſideat continens clyſteris infuſum. & ſi ſuſceperit, & rurſus dimiſerit; ſanus euadit. cæterum priore tempore mel optimum delingat, & vinum ſplendidum vernaculum bibat.

Quod ſi voluulo emoto febris ipſum corripiat; de ſperatus eſt: fortaſſis enim & inferna aluus ſoluta ipſum occiderit. Et in l. de Coac. præno. nu. 5. voluulus in vrinæ ſtillicidio accedens, ſeptima die perimit, ſi non febre accedente, vrina aceruatim prodeat. Et, voluulioſis vomitus, & ſurditas, malum. Et in lib. 7. aphor. 10. ex voluulo vomitus, aut ſingultus, aut conuulſio aut delyrium, malum. Et in l. 1. prædict. n. 22. ex voluulis graueolentibus, in febre acuta, præcordijs ſublimibus, diutius permanentibus abſceſſus circa aures oborti occidunt. Fiunt quoque voluuli a flatibus, vt legitur in l. de Flatibus, nu. 4. & tempore autumnali, at in l. 3. aphor. 22. ſed in l. 2. de morb. popul. ſect. 6. hanc docet curationem. in voluulo molli frigidum vinum multum meracum pro ratione dato, donec ſomnus, aut crurum dolor fiat. ſoluit autem & febris, & dyſenteria citra dolorem.

Vomitus.

Vomitiones aliæ ſunt ſpontaneæ, aliæ coactæ, & harum aliæ fiunt pituitæ, aut bilis, aut ſanguinis, aut puris ex tuberculi ruptione, aut nigrorum. Et harum aliæ vtiles ſunt, & aliæ, malæ; de quibus nunc nobis agendum eſt. Scribit Hip. in l. prog. comm. 2. par. 38. Vomitio vtiliſſima eſt, ſi pituita, ac bile permixta quàmmaxime eſt: ſi non multa. non craſſa eſt; ſincerior enim deterior eſt. Mala quoque eſt, ſi porracea, aut liuida, aut nigra fuerit. Et, ſi idem homo, omnes vomat colores; lethale eſt. liuida ſi graueolet, ocyſſimam indicat abolitionem. tandem omnis ſubputris, ac fœtidus odor in omni vomitione malus eſt. Et in l. 1. præd. num. 10. Vomitiones exiguæ bilioſæ, malæ tum aliàs, tum ſi inſuper vigilauerint ægri. Et in his naſus deſtillans, malum. Et in l. de Coac. præno. nu 3. Quibus eſt vomitus ſanguinis; febris multa, & dolor circa mammam, thoracem, & dorſum; breui moriuntur. quibus autem non omnia hæc, neque valde, tardius. inflammati autem ſunt diebus quatuordecim ad ſummum. Et nu. 2. Vomitus in capitis doloribus æruginoſi, cum ſurditate, & vigilijs cito inſaniam afore denuntiant. Et nu. 3. vomitus bilioſus dyſentericis in principio malus. Et in l. de loc. in homi. nu. 44. Vomitus atræ bilis in vulnere, lethalis. Et in l. 1. præ. num. 7. Vomitus cum varietate mali ſunt tum aliàs, tum ſi proprius inter ſe prodeant. Et num. 8. vomitus meraci, anxioſi, mali. Et in l. de Coac. præno. nu. 1. Vomitus æruginoſus in perniciosis iam, malus. Et in li. 7. aph. 10. vomitus ex voluulo, malum. Et aphor. 3. Ex vomitu ſingultus, & oculi rubicundi, malum. Et n. 4. in vomitibus ſiquis ſiticuloſus ſit, & ſitis exors fiat, malum eſt, anxioſis vigilantibus. Et, ex vomitibus anxietates, clangores, oculi concretionem lanuginoſam habentes, furioſa. Et, in vomitibus meracis ſingultus, malus; mala etiam conuulſio. Et, vomentes nigra perniciosè habent.

Verum in l. de loc. in hom. n. 47. hæc bona denuntiat. Vomitus conducit fluxioni à capite fluēti. Et in l. 1. de morb. mul. nu. 19. Vomitus bilioſus in muliere bilioſa, cui menſes minore, quàm par eſt, copia fiunt, bonus. Et in lib. 2. de morb. nu. 22. Vomitus ventrem compactum ſoluit, & egerentem magis, quàm oportet, ſiſtit: illum quidē humectans, hunc verò ſiccans. Et in l. de Coac. præno. nu. 3. vomitus ſpumoſorum à veratro multus, in lumborum dolore pertinaci, & ampliore alui ſubductione, prodeſt. Et in lib. 1. de Diæ. Vomitus humidioribus naturis conducit, vt corpus depurgetur, ſiquid defectuoſius labores tranſegerunt. Et in l. 5 de morb. popu. nu. 4. vomitus alui ſeceſſum ſiſtit. Et in l. 1. apho. 2. in vomitibus & perturbationibus alui ſpōte factis, ſi qualia oportet purgari purgentur; confert, & leuiter ferunt: ſin minus; contrà Et in l 6. apho. 15. profluuio alui multo laboranti ſi vomitus ſua ſponte ſucceſſerit, ſoluit morbum. & in l. 7. apho. 37. quicunque euomunt ſanguinem ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi verò cum febre, malum. curare verò adſtringentibus, & refrigerantibus. & in l. 5. aphor. 32. mulieri ſanguinem euomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio. & in l. 4. aph. 25. ſanguis ſupra qualiſcunque fuerit, malum. & in l. de loc. in homi. nu. 45. vomitus in vinoſo non eſt ſedandus. & in l. 3. de Diæ. nu. 3. vomitibus vtendum, ſi humidiores ſint, ter in menſe: ſin ſicciores; bis à cibis omnis generis: à bubulis autem, & porcinis carnibus, aut alijs quidquid tandem modum exceſſerit, repletus vomet, & à caſeoſis dulcibus, ac pinguibus eum, qui non eſt aſſuerus repleri, vomere conducit: & ab ebrietate, ac ciborum mutatione, & regionum vomendum eſt. ſed in l. 3. aphor. 24. vomitiones æſtate fiant. & in l. 4. apho. 6 graciles, & facile vomentes purgare ſuperis, cauentes hyeme. & apho. 7. uomentes difficulter, & mediocriter bene carnoſos per inferiora, cauentes æſtatem. & in l. 2. de Diæ. nu. 22. uomitus attenuant propter cibi euacuationem, non tamen ſiccant, ſi quis poſtridie rectè curat; ſed humectant propter repletionem, & colliquationem carnis præ labore. ſi verò quis ſinat hæc poſtridie conſumi in alimentum caliditati, & diæta ſenſim adhibeat ſiccant. & in l. 3. de Diæ. nu. 8. uomitus in repletionibus etiam tertio repetendus. & in l. 2. de morb. popu. ſec. 5. uomitus ſolutio: aquam calidam bibendam dato, & uomat.

Vomitus futuri ſigna ſcribuntur in lib. progn. his uerbis. uomitus bilioſus his aderit, qui in febre non lethali dixerint ſibi caput dolere, aut etiam præ oculis obſcurum quiddam apparere, aut oſculi uentris morſus acceſſerit. & in l. 1. de Coac. præno. nu. 1. uomitus his fit, quibus oris uentriculi morſus, cibi faſtidia, & multum ſaliuæ. &, uomitum nigrorum facit frequentes per eadem recidiuæ circa iudicationem ſanguinolentæ. &, n. 2. uomituum nigrorum ſignum eſt lingua citra rationem tenera fiens, & cum cibi faſtidio, nauſeabunda, cum frigida ſudore, ex aluo liquida. & in l. 4. aph. 18. ſupra præcordia dolores, purgatione indigere per ſuperiora ſignificāt. & apho. 17. ſi quis febrem non habens cibum nō appetat, & cordis morſum, ſeu uertiginem patitur, & oris amaritudinem ſentit, purgatione indigere per ſuperiora ſignificat. & apho. 13. ad helleboros, qui non facile ſupra purgantur eorum corpora ante potionem pluri cibi, ac quiete humectanda ſunt. uomitorio autem ſi opus habes, fit ex aqua, aceto, & ſale, ut legitur

in l.7.de morb.popu.nu.53.Et in l.3.de morb.nu.6. vomitum plerunque ciet aqua.at in l.de locis in homi.nu.52.vomitus per uomitum ſedatur,ſi vomenti multam aquam bibendam dederis. tandem in l.3.de diæ.nu.8.à vomitu os,& fauces vino auſtero colluantur: quò oſcula venarum conſtringantur,& nihil retrahant,velut à vomitu fieri ſolet.

De Voce.

Vox in morbis præſertim acutis plurima præſignificat:etenim legitur in l.1.præd.num.3.vox clangoroſa ex vomitu nauſeabunda oborta inſaniam portendit. Et in l.de Coac.præn.nu.1.vox acuta malum: præcordia his intro trahuntur.& nu.2.vox acuta plãctum referens,& oculorum obſcuratio,cõuulſorium eſt.& in l.1.præd.nu.6.vox acuta clangoroſa,mala.& in l.de Coac.præ.nu.2.quibus vox cum febre deficit, & cum iudicatione intercepta, tremuli moriuntur, &,quibus vox ſtrangulatoria, & ſpiritus retrahitur: & vertebra intro conſidet, his in fine velut quodam contrahente,ſpiritus fit.Et vox clangoroſa cum mentis perculſione mentẽ alienant.Et,cum voce tremula ſolutio alui præter rationem,in his moram trahentibus diuturnis,pernicies eſt.& in lib.5 aph.5.ſi voce priuetur quis ebrius, conuulſus moritur, ſi non febris corripuerit,aut vbi ad horam, qua crapulæ ſoluuntur,peruenit,loquatur.Et voce intercepta,dolores ad præcordia in febre ſine ſudore ſoluto, malum.& num.3.voce ſtatim priuantur, neque vident, neque audiunt,& plerunque moriuntur, quibus per cuſſis cerebrum concuſſum fuerit,& doluerit. & nu. 4. voce intercepta acute inſania correpti, ita affecti moriuntur. &.n.2.voces contractæ poſt medicamenti ſumptionem, num pravæ ſunt? plerique horum exudant, & ventres humectos habent. & nu.1.voces tremulæ fientes mentem alienant.& in lib.6.de mor. popul.ſect.7. vox qualis eſt iraſcentibus, ſi talis fuerit nõ irato,ex natura fuerit: & oculi tales fuerint ex natura turbulenti,quales ſunt, vbi iraſcuntur hi,qui tales non ſunt. & in l.2.ſect.6. ſi vox in conuulſione impari die ſoluitur,à magno morbo liberat. & in lib. 3.de morb. popu.num.17.vocis exercitatio poſt carnis à laboribus colliquationem,commoda eſt:humiditatis enim euacuationem faciens, rarefacit carnẽ. & in l.2.præd.num.4.num voce deſtituti moriuntur palpitantes per totum?

De Vrina.

Ait Hip. in lib.prædict. com.2.part.26.hæc vrina optima eſt,ſi candidum ſedimentum fuerit,læueque & æquale per omne tempus,dum morbus iudicetur: ſecuritatem enim ac morbum fore breuem ſignificat.ſi verò intermittit,atque interdum puram emittit,interdum ſubſidet candidũ,ac leue: morbus diuturnior,ac minus ſecurus eſt.Et ſi vrina fuerit ſubrubra,ac ſedimentũ ſubrubrum,& leue,diuturnior hic morbus quam primus,ſed ad modũ ſalutaris eſt. &, ſi in vrina ſedimentum ſpeciem referat farinæ craſſioris,malum eſt:deterius verò ſi ſquamularum inſtitutione conſiſtit. ſi verò tenue, & candidum admodum eſt, vitioſum eſt. furfureum verò deterius eſt. &,nubecula, quæ inuehitur in vrina, ſi candida eſt, eſt bona.ſi nigra,vitioſa eſt.&,dum vrina tenuis fuerit,ac rufa,crudã eſſe ſignificat ægrotationem.&,vbi morbus diutinus fuerit, vrina verò talis excernitur, periculum eſt, ne durare æger poſſit quoad morbus concoquatur.Exitioſior verò vrina eſt,ſi aquoſa,fœtida,nigra,craſſaque eſt, & in mulieribus,& viris vrina nigra in pueris aquoſa deterrima eſt, &, qui tenuem, crudamque diutius vrinam mingunt,ſi cætera,vt in conualituris indicia fuerint, in ijs abſceſſum ad infernas præcordij ſedes expectare oportet, & ſi pingue deſuper natans, araneorum ſpeciem referat, damnandum eſt; indicat enim etiam conſumptionẽ, & in vrina conſideranda nubecula eſt,vtrum ſurſum fuerit, an deorſum,& item color qui obtinet.ſi enim deorſum feratur cum odore qui dictus eſt, bona comendandaque eſt ſi ſurſum cum colore, qui dictus eſt, mala damnandaque eſt. ne te fallat,ſi ipſa veſica ægrotans aliquam talem reddierit vrinam;non enim totius, ſed ipſius per ſe veſicæ indicium eſt,& in lib. de Coac. præno num.3. vrina aquoſa aluos temporis progreſſu male afficiendos eſſe ſignificat.& in lib.6. de morb. popul.ſect.6. vrina multam ſubſidentiam habens à mentis emptione liberat, qualis erat Dexippi,& in l.de Coac.n.4. vrina tenuis & bilioſa, & vix tenuem,ac exiguam ſubſidentiam habens,& quę ad melius,ac deterius mutatur,diuturna eſt.&,vrinę ſuppreſſio,& grauitas in imo ventre, plerunque ſtillicidium vrinæ ſignificat futurum. ſin minus,alium morbum, ex quo ægrotare ſolet. &, vrina ſubrubra, & ſubſidentiam ſubrubram habens, ac leuem,ſi quidem ante ſeptimum diem prodeat, ſeptima die liberat &c.&, vrina pinguedinem in ſubſidentia habens febrem ſignificat.& nu.3. vrina arenoſa ſit,& ſupprimitur quibus infernæ partes affliguntur, pruribus antea fortibus obortis. qui verò ex his periculoſæ habent,his mens obtorpeſcit.& n.4 vrina quæ ex indiſcreta pinguedinem quandam habens exaqueſcit,celerem in febribus dimiſſionem ſignificat. & nume.1. vrina cruenta exolutis cum capitis dolore, ex rigore, mala eſt, & nu.3. quibus vrina clandeſtina allabitur ad pudendum,exoluuntur diſperati. & numer.2. vrina ſubrubicunda ſubſidentiam non habens, ſed id, quod in medio innatat cum ſurditate, mentem emouet. & num.4 vrina in febre albam habens,& leuem ſubſidentiam firmatam, celerem dimiſſionem ſignificat. &, vrina cruenta in principio micta febrẽ diuturnam ſignificat: turbata cum ſudore recidiuã. &, vrinam bonam habens ſubſidentiam derepente non habens,dolorem,& mutationem ſignificat. &, vrina ſubſidentiam habens, turbata deſinens, rigorem circa iudicationẽ ſignificat.&,vrina ſubrubram & leuem ſubſidentiam habens in pleuriticis, ſecurã iudicationem ſignificat.&,vrina in febre denſitatem habens diuulſam,recidiuam, aut ſudorem ſignificat. &,vrina valde alba, peſſima eſt,in febre ardente,ſtupefactorio modo detentis.&,vrina ſputo ſimiles ſubſidentias,aut limoſas habens,rigorem indicat.& nu. 3.vrinæ paruas ſubſidentias habentes in hydropicis ſiccis,malæ ſunt.& n.1.vrinæ concocta,ad iudicationem febres ſoluit,& nu.4. vrina alba velut iumentorum,capitis dolorem ſignificat,& nu.3. vrina cõturbata, & genituræ ſimilis, in his qui aluum dolent ex nigrorum egeſtione ſuppreſſa, mala non eſt.& nu.4. vrina valde tenuis, ſi denſa fiat, ſudorem futurum ſignificat.&, vrina aquoſa,aut turbata, friabili aſperitate, aluũ liquidam fore ſignificat. & n.4.vrinæ quæ minguntur à non recordantibus, ne commouefactis pernicioſæ ſunt:nũ his minguntur, velut ſi ſubſidentiam

tiam conturbasses? Et.n.3. vrinæ tenues cum aliquã tula nubecula in medio consistentes,rigorem significãt.Et,vrinæ in peripneumonia, crassæ in principio deinde attenuatę,lethale. Et,vrinæ stillicidia in hydropicis siccis, mala. Et n.2. vrinæ in abscessibus retro aures cito, & modice matureſcentes,malæ fiunt: & sic perfrigerari malum est. Et, vrinæ genituræ similes febriles in dorsum distentiones soluunt. Et n. 1. vrinæ interceptionem doloroſam significant, ex dorso horrores frequentes.Et nu.4. vrinæ tenues & crudæ præter morem in comitiali morbo laborantibus, sine repletione, morbi inuasionem significant, tum alias tum si quis dolor,aut conuulsio in summũ humerum,aut collum,aut dorsum incidat.Et in l.de Coac.præno.nu.3.quibuscunque ex vrinæ stillicidio voluulus accedit, hi in septem diebus pereunt, si nõ febres accedente,vrina satis fluxerit. Et nu.1. vrinæ cum rigore suppresſę;malæ,& cõuulsoriæ tum alias, tum si quis antea graui sopore pressus fuit. Et nu. 4. vrinæ interceptio in biliosis,breui occidit.Et,vrinæ purulentæ, aquam intercutem spirandi difficultate significat. Et n.3.vrinæ transitus vitri speciem referens,copioſus & alui fluxus, & somni in conuulsione prosunt.Et nu.4. vrinæ decolores,nigra innatantia in medio habentes,phrenitidẽ cum vigilijs,& turbationẽ significãt. Et, vrinæ pelliculoſæ,& cum horrore subsidentes conuulsoriæ sunt. Et num.3. vrinę stillicidium fortassis continget, quibus sanis hyeme circa lumbos frigiditas,& grauitas ex leui causa,& aluus supreſſa, superno ventriculo probe officium suũ præstante. Et n.4. vrinarum crassarum mictionem renum dolor repentinus cum vrinæ suppreſſione significat. Et, in vrinis nigræ nubeculæ in febribus erroneis quartanam indicant. Et n.3.eiusdem l. vrinis multis derepente prodeuntibus,soluũtur linguæ syderationes, & dextrarum partium. Et in l.4. aph. 79. quibus in vrina arenoſa subsidunt, his vesica calculo laborat. Et aphor.76.quibus in vrina crassa existente carunculæ paruæ,aut velut pili simul exeunt, his de renibus excernuntur. Et aph. 71.vrina nubeculam rubram habet quarta die, quibus septima die morbi iudicantur. Et in l.1.apho.12.vrinæ indicant morbos,aut ægre,aut facile iudicandos,item breues, aut longos.& in l.3.apho.31.vrinæ stillicida senibus accidunt. Et ibidem.vrinæ difficultates senibus. Et in l.4.aph.69. quibus vrinæ crassæ grumoſæ, paucæ non sine febribus, vbi copia ex his succeſſit, tenuis prodeſt. tales autem maxime prodeunt his, quibus ab initio, aut breui subsidentiam habent. Et in lib.5. aph. 58. vrinæ stillidicium inteſtino recto, & vtero inflammato accedit. Et ibidem.quibus vrinæ pellucidæ,albæ,malæ; maximè autem in phreniticis comparent.Et in l.de Iudic. n.7. vrina in febribus si mutationes habeat, diuturnitatem temporis significat, neceſſe est ægrotum mutari,& ad deteriora,& ad alteram partem. Et n.7.vrina si quãdoque pura micta fuerit,quandoque subsidentiam albam,ac leuem habẽs diuturnæ tales sunt,& minus securæ,quam optima vrina. Et, vrina si fulua, ac tenuis fuerit, multo tempore periculum est,ne homo sufficere possit, donec concocta fuerit,&c. Et n.10. vrinæ si sint crudę, & alia signa non secundum rationem eueniant, morbũs in die iudicatoria, plerunque recidiuant. quandoque verò etiam reuertitur in die iudicatoria, his talibus relictis.Et nu.7.si vrinæ ab initio similes fuerint, sed ex tenuibus crassæ fiant, & penitus tenues, tales ægrè iudicant,ac inconstantes sunt. Et in lib.1. prædict. nu.10. vrina aquoſa, & copioſior,quàm pro eo, quod bibi imperatum est, significat hominem non obedire, sed copioſiore potu vti, aut non posse renutriri quàmdiu talia vrinam facit.Et,vrina paululum stridens, medicamentis hominem opus habere significat, aut morbum aliquem circa vesicam habere. Et nu.5. si in vrina quid innatarit, dolore circa femur diſſipato, mentis emotionem portendit: & qualia circa aurium sonitus contingunt, talia existunt. Et nu.10. vrina crassa albam subsidentiam habens,aut circa articulos dolorem aliquem,aut tumorem significat. Et n.7.ex vrinis rubicundæ florulentiæ detentæ item que æruginoſæ, malæ sunt: & paruas apparere, veluti stillas.Et n.23.num vrinæ aquoſæ alba innatantia habentes, & quæ variæ, exalbidæ sunt,ac fœtidæ, abscessus iuxta aures faciunt? Et nu. 22.vrinæ cum rigore suppreſſæ,malæ:tum aliàs,tum si sopor antea apprehẽderit. num iuxta aures abscessus parotides dictos,in his fore spes est ? Et nu.4.vrinę non consistentes,valde rubicundę innatantes,mẽtis emotionem portendunt. Et nu.6.vrinæ doloroſæ malæ sunt. Et ibidem. vrinarum in morbis acutis ex perfrigeratione interceptiones peſſimæ. Et in lib. de vict. ratio. in morb.acu.n.5.vrinarum concoctiones, si in iudicatorijs diebus concoctæ fuerint, morbum soluunt.Et n.6.ex vrinis,si quidem id,quod mictum est, purum fuerit, subsidentiam verò albam,ac leuem habuerit, diuturnior fit morbus, & minus, quàm optima secura est hæc vrina. Et in l.7.aph.57. quibus in vrinaria fistula tuberculum nascitur hi suppuratione facta,& eruptione solutio fit. Et in lib. de Coac. præno.n.1.vrinæ cruentæ in exolutionibus ex rigore,cum capitis dolore,prauæ. Et in l 7.aphor. 33.quibuscunque disparatæ vrinæ sunt,his vehemẽs in corpore turbatio. Et in lib.de vict. ratio.in morb. acu. nu.44. quibus vrinæ in principio nebuloſæ, aut etiam crassæ sunt, tales depurgare oportet, si etiam alia contulerint. Et in l.7.de morb.popul.nu.54.vrinæ densæ, ac conturbatæ certum signum sunt doloris capitis,& conuulsionis,ac mortis. Et in l.de vict. rat.in morb.acut.nu.46.vrinæ crassiores,ac pallidiores,meliores. Et n.44.quibus vrinæ in principio tenues, tales ne purgato. sed si visum fuerit, infusum per clysterem adhibeto.Et in l.de natu.huma.nu.25. vrinæ cruentæ venarum laborantium sunt signa. Et in lib.1.de morb.num.27.vrinam crassam efficit bilis in vesicam confluens.

Vrinę verò stillicidia & difficultates senibus accidunt, vt legitur in l.3. aph.31. ac præsertim tempore autumnali,vt in eodem l.nu.22.At verò in siccitatibus plerunque fiunt, vt in eodem li.n.16.verum in lib.4. aph. 80. vrinæ stillicidium habenti partes circa vesicam sunt affectæ. Curationem verò docet Hipp.in l.7.aph.48. atque ea est. vrinæ difficultatem vini potus, & venæ sectio soluit. secare verò oportet internas. Et in l.2.de mor.popul.sect.6.vrinæ stillicidium soluit venę sectio. Et in lib.de affect.nu.50.quæ vrinam cient, sicca sunt, ac frigida. Et in lib. 4. de morb.nu.29.vrinam ciens potio legitur frigefaciens, sitim sedans.Et in lib.2.de dię.nu.14. vrinam cientes succi sunt,crethmi,apij, allij cremor,cytisi,fœniculi, por-

li, porri, adianthi, solani, qui & frigefacit. item scolopendrium, mintha, seseli, caucalides, hipericum, vrticæ. Et in lib. de affect. nu. 48. vrinam cient allia tosta, & assata: item apium. Et n. 50. vrinam cientia in ventre, & cito calefiunt, & calfacta marcescunt, ac liquescunt: & ob id citum secessum faciunt. Et in lib. 2. prædict. n. 10. vrinam iuxta potionis copiam mingere oportet, & semper æqualem, & quàm maxime acer uatim, & momento paulo crassiorem, quàm id, quod in potu acceptum fuit. & in l. de Coac. prænoc. nu. 4. vrinam non facile prodeuntem faciunt biliosis aluus turbata, parua frequenter egerens distendentia, cum paucis mucosis.

De Vtero.

Vterum seu locum, in quo conceptio fit, sanum esse oportet, & siccum, ac mollem, vt legitur in l. 2. prædict. nu. 33. Et si vterus affectus sit; omnium morborũ causa existit, quemadmodum habetur in l. de loc. in homi. n. 59. At verò vt cognoscas, vtrum vterus sanus sit, nec ne; docet Hip. in l. 6 de morb. popu. sect. 5. his verbis. si mammarum papillæ & rubor pallidus fuerit; morbosum at vteri affectiones plurimæ sunt, quemadmodum inflammatio, inflatio, hydrops, è loco motio, tumor, vlcus, conclusio, & callositas, humiditas, strangulatio, dolores, durities, pituita impletio gracilitas, corruptio, & id generis.

At de inflammatione vterorum hanc accipe prænotionem, quæ legitur in l. 5. aph. 58. & est hæc. vtero & intestino recto inflammato, vrinæ stillicidium accedit. & in l. 1. de morb. mul. nu. 82. leguntur signa, & curatio vteri puerperæ inflammati. & in eodem l. nu. 19. vteri ab vlceribus inflammati. & in l. 2. de mor. mul. nu. 56. enarrantur signa merorum inflammatorum. & in l. 1. nu. 78. legitur eorum curatio.

Et in l. de Steril. nu. 24. Scribuntur vlcerum inflantia. Et in l. de natu. mul. nu. 60. scriptum est de vterorum inflatorum signis, & curatione. sed in l. 4. de mor. num. 37. enarratur generatio hydropis in vtero mulierum.

At verò de vteris è loco motis hæc narrantur. scribuntur in l. 2. de morb. mul. nu. 80. vteri in lumbis incumbentes. Et n. 32. vteri transmoti. Et in li. de natu. mul. n. 57. vteri ad cor progressi. Et in lib. 1. de morb. mul. n. 37. vteri leues, & quo modo cognoscantur. Et in lib. 2. nu. 82. vteri extra prominentes, & dependentes. & nu. 4 vteri oris complicati signa, & curatio. & nu. 78. vteri sursum progressi. & in lib. 1. nu. 17. vteri ad veficæ stomachum. & nu. 18. vteri ad lumbos, & coxas conuersi. & in l. 2. num. 34. vteri in inguina, & vrinæ meatus incumbentes. & in l. 1. num. 5. vteri ad stomachum allapsi. & in l. 2. nu. 17. vteri ad cor progressi. & num. 35. vteri ad sinistram partem, & coxam inclinati. & n. 43. vteri commoti aliquò allapsi. & nu. 33. vteri ad sedem conuersi, & secessum secedere prohibentes. & n. 17. vteri ad præcordia allapsi strangulantes. & nu. 35. vteri circunuersi ad dextram partem puerperij purgamentis non sientibus. & nu. 23. de vterorum ad coxam incumbentium signis, & curatione. & n. 80. vteri transmoti prementes, & strangulantes, & nu. 23. vteri puerperæ ad coxam, aut lateris mollitudinem incumbentes. & nu. 79. vteri ad septum transuersum, & præcordia. & in l. de Steril. nu. 3. vteri magis quàm conuenit hiantes. Et in l. 2. de morb. mul. nu. 82. vteri ad hepar, & præcordia. & in l. 1. de morb. mul. nu. 3. vterorum obtortorum causa. & in l. de Exec. fœ. nu. 4. de vterorum omnino foras egressorum, & dependentium signis, causis, & curatione. in l. de natu. mul. nu. 6. de vterorum adglutinatorum signis, & curatione. & ibidem. nu. 40. de vterorum ad ventrem nutantium signis, & curatione. & in lib. 2. de morb. mul. nu. 16. vterorum ad caput conuersorum signa, & curatio. & n. 41. de vterorum cõmotorum, & in loca non manentium signis, & curatione. & n. 36. vterorum transuersum sitorum signa, & curatio. & ibidem num. 28. vterorum penitus extra pudendum elapsorum signa, & curatio. & nu. 42. vterorum ad crura, & pedes conuersorum signa, & curatio. & nu. 32. quibus in vteris loco magis pharmacum sursum, aut deorsum purgans, & quando exhibendum. & nu. 79. vteris transmotis medentia. & in lib. de loc. in homi. n. 60. vteri ascensus, & descẽsus curat. tandem in lib. de superfœ. nume. 26. docet quo pacto vteri frequenter prolapsi reponendi sint.

At in lib. 6. sect. 1. quibus ex abortu circa vterum, & tumoribus ad caput grauitatem, conuertuntur, & iuxta sinciput maximè dolores, & quicunque alij ab vteris, his in octo, aut decem mensibus ad coxam morbus definit. & in lib. 1. de morb. mul. nu. 46. vteri tumorum in partu, aut ex partu curatio.

Et in lib. 1. de morb. mul. n. 55. ex vteris vlceratis, & puerperij purgamentis mala, & in lib. 2. nume. 4. vteri, & extreme foras progressi. & in lib. 1. nu. 89. si vteri vlcerati fuerint: sanguis, & pus, & serosa sanies fluit. & in lib. de Steril. nume. 22. si vlcerati fuerint vteri, aut osculum exasperatum fuerit, aut ab aliquo subdititio cõmorsi fuerint, adipem in lanam illinito & rosaceum, & ceræ parum inungito. & in lib. 1. de morb. mul. num. 92. vtri in partu valde vlcerati. & num. 88. Scribuntur signa vterorum exulceratorum. & item nume. 90. eiusdem lib. Sed vteri concluſi scribuntur in lib. 2. de morbo. mul. num. 49 Et de vterorum ore concluso scribuntur in lib. de natu. mulie. num. 43. & 68. ad vteros concluſos. & in lib. de sterilibus num. 2. scribuntur signa vterorum velut in callum induratorum. & in lib. de natur. mul. num. 21. narratur de vterorum ore humidiore. & in lib. 1. de morb. mul. 26. vterorum humidiorum, & ficciorum curatio. sed in lib. 2. num. 82. scribuntur vteri strangulantes & strangulantium signa. & in lib. 6. aphor. 35. mulieri quæ ab vteri strangulationibus vexatur, aut difficulter parit, sternutatio accedens, do num. & in lib. 1. de morb. mul. num. 78. scribitur dolor vterorum ex partu. & in l. 2. nume. 88. ad vterorum dolorem. & ibidem in vterorum dolore strangulatio. & nume. 56. ad vterorum dolorem, infusile. & numero 48. vterorum durorum & ad pudenda exeuntium signa, & curatio. & num. 83. vteri molli toria. & in lib. de natu. mul. num. 31. de vteri indurati ore, & signis. & in lib. de superfœ. num. 13. vteri à concluſione, & callositate indurescunt. & in lib. 2. de morb. mul. num. 77. vteri pituita impleti. & in lib. de loc. in homi. numero 62. vteri humore pleni osculum tumidum, quo modo curandum. & in libro 2. de morb. muliebri. numero 15. de vteri gracilitate, & osculo ipsorum exasperato, & concluso. & num. 56. leguntur vterorum corruptorum, & vitiatorum signa.

Vstio.

Vstio.

Tantam perceperunt vtilitatem prisci medici ex ustionis vsu, vt ferè nulli curabantur morbi absque igne., hoc potissimum in ferro, vel in ligno, vel leui stipula, vel fungis accenso vtebantur, ac partes læsas, vel eas, quæ lęsionis causa existerent, vrebant: verum, cum aliæ sint carnosæ partes, aliæ neruosę, aliæ osseę: legitur in lib. de Inter. Aff. n. 19. Vrere oportet carnosa quidem ferro; ossea verò, & neruosa, fungis. Et in eodem, num. 56. siquidem ab his vtilitatem sentit; bene est; sin minus: ipsum vrito multis, ac profundis crustis inustis, in osseis quidem partibus, per fungos: in carnosis autem per ferramenta, sed & partes fortiores, ac debiliores sunt respiciendæ: etenim in l. 3. de mor. n. 26 dum de pleuritide, in qua nil. spuitur agit Hip. ait; optandum esset ex sinistra: nam dextras vrere, aut secare lethalius est: quantò enim robustiores sunt dextrę partes, tantò etiam fortiores morbi in ipsis fiunt.

Instrumenta verò, cum quibus cauteria, & vstiones fiant, sunt & ferramenta, & fungi, vt antea explicatū est: & linum crudum, vt in l. de Affect. nu. 30. atque alijs in locis: & buxei fusi in oleū feruens tincti, vt in l. de Inter: Aff nu. 31.

Quibus verò anni temporibus ac cōstitutionibus scriptum est in l. de ae. aq. & lo. n. 30 his verbis. Maxime obseruare oportet magnas temporū mutationes, vt neque medicinas in illis libentes exhibeamus, neque vramus, quę circa ventrem, neque secemus, priusquam prętereant dies decem, aut plures, & non pauciores; periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maximè verò ęstiuum: periculosum etiam ęquinoctiū vtrunque, magis verò autumnale: oportet autem & astrorum exortus considerare, pręcipue carnis, deinde Arcturi, & Pleiadum occasum.

Quibus verò morbis conferat vstio, & quo modo sit adhibenda, copiosè in libris Hip. reperies, sed hęc pauca de ipsius vsu explicabimus. Venam perfluentem perure: nam, postquam perusta est; extremitas venæ vtraque recurrit, qua parte perusta est, & exuresci. si sanguis ex vena fluit: per transuersum perurito. Et subdit: Doloris in capite gratia sanguinem de venis detrahito. si verò nō sedetur, & diuturnus sit; perure venas. & sanus euadet. hæc in l. de loc. in ho. nu. 49. si ob fluxionem oculi statim inflammati fuerint; nihil omnino illinc, sed aut fortissimo quàm infime vrito, aut alio quopiam aluum subducēte medicamento. sic in eodem l. n. 21. Cæterum nu. 23. si in visum, in humorem purum cruentus aliquis humor ingrediatur; venas visum prementes exurere oportet, quæ videlicet semper pulsant, & inter aurem, ac tempora consistunt. Et in l. 1. de mor. nu. 12. In morbis capitis diuturnis, capite purgato, medicamento deorsum purgante exhibito, crustas octo capiti inurito: duas circa aures; duas in occipitio, hinc ad cerucis nasum: duas in naso circa angulos oculorum. venæ autem circa aures vrendæ sunt, donec pulsare desinant. Ferramentis verò cuneoli forma paratis obliquas venas perurito. Et nu. 32. Tuberculum ad palatum constans inurito. Et n. 34. In naso polypum fistula immissa, ferramentis tribus, aut quatuor vrito: & post vstionem veratrum nigrum tritum inijcito. & in l. de Visu. pag. 207. nu. 2. Palpebræ si crassiores, quàm pro natura fuerint, ex inferna parte carne quantum potes, quam expeditissime reseca. postea palpebram inurito, cum candentibus ferramentis, vitando naturam pilorum. & in l. de Arti. pag. 197. n. 35. Mutila fiet auris, & minor altera; si perusta fuerit. si verò non in vlteriorem partem peruratur; tumidam partem non valde parua sectione incidere oportet. & in l. 2. de morb. nu. 53. si iuniorem aliquē erysipelate in pulmone laborantem citius à morbo liberare voles, vbi ipsum purgaris: pectus, & dorsum inurito. & n. 55. si tuberculum in pulmone existens non erumpat: multis enim progressu temporis abscedit ad latus, & extumescit. Hunc, si hoc fiat; secato, aut vrito. & n. 51. eiusdem l. Pulmonis arteria vulnerata, si post primum sanguinem pus non spuat, & ipse se ipsum optimè corpore affectum esse putat; pectus, ac deorsum inurito, ex parte vtrunque. & postquam viscera sana fuerint; per annum abstineat ab ebrietate. & in l. 1. de morb. n. 1. Cum pituita de capite copiosa, ac aceruatim in superiorem ventrem fluxerit; putrescit, & in pus vertitur. hic si vratur, aut secetur, antequam diuturnum fiat pus: sanus plerunque euadit. sed, cum caput fluere inceperit, & reliduum corpus colliquari: non amplius æqualiter ne vsti quidem, superstites euadunt: superant enim supra pus influentia mala ea, quæ defluunt, & in l. de loc. in hom. num. 26. sed in l. 3. de morb. nu. 26. si verò spuatur, sed significationem ad latera præbeat; secato, aut aurito & si locum ignoras, in terra Eretriade liquida, & valde trita, ac tepida linteum tenue tingito, eoque thoracem circuncirca integito. & qua parte primum resiccatum fuerit, secato, aut vrito quam proxime ad septum transuersum, cauendo tamen, ne hoc ipsum lędas. Post sectionem, aut vstionem linamento ex lino crudo vtere, & paulatim pus emitte. Cæterum vbi secare, vel vrere voles: corpori in eadem figura, in qua inter secandum, aut vrendum futurum est, notam imprimito: vt ne cutis te decipiat: si in figuræ transmutatione sursum, aut deorsum magis cedat. & in l. de Inter. Aff. nu. 1. si pulmonis arteria fuerit exulcerata, aut aliqua tenuis venula rupta, aut fistula, nec curatione sanus homo euadat: ipsum lacte crassefactum, & in pectore, & in dorso vrito: si enim successerit vstio: fugæ morbi spes est. Et n. 7. si inflammatio in pulmone fiat, si non in principio affueris morbo; lacte ipsum crassefactum in pectore, ac dorso vrito: ita enim maxime à morbo liberari poterit. si verò non fuerit morbo vstus: permanet, & nō valde deficit: sed ad senectam vsque adhæret. & in l. 2. de mor. n. 58. & in l. de Inter. Affect. nu. 18. Cum in latere tuberculū fit: secato, aut vrito. & pus emittito & n. 60. si pectus, aut dorsum fuerit ruptum; ante, & retro vrito ex partibus vtroque loco. & sic sanus euadit: sed per annum à labore se contineat, & ab vstura pinguefaciendo corpori studeat, & in l. de Inter. affe. nu. 3. si pectore suppuratus fiat: lacte bubulo crassefactum in pectore, & dorso vrito: si enim vstio successerit; proderis, & n. 9. si pectus, & dorsum dirupta fuerint: statim lacte in potu dato, pectus, & dorsum inurito: & sic celerrime sanus erit, & in l. 5. de mor. pop. num. 3. cosiis compactis, & pure facto, vstus est, & in l. eodem nu. 13. in medullæ spinalis tabe cum crassissimus fuerit; in lumbos ipsius ab vtraque ventriculorum parte crustas quatuor inurito, & in deorsum vtrinque quindecim, & in ceruice duas inter tendi-

nes:

nes: si enim vstio successerit: sanum facies. Et nu. 19. in magno morbo venarum cauarum: quomodo vstiones fieri debeant, ibi lege. Et n. 20. in alio morbo à sinistra vena per fungos crustas octo inurito. Et num. 26. si ab hepate fiat aqua intercus, postquam crassissimus homo factus fuerit, & hepar maximum; fungis vrito; sic enim celerrime sanum feceris. inurere autē oportet crustas octo. Et nu. 31. in alio morbo hepatico vrito per buxeos fusos in oleum feruens tinctos, aut fungis crustras octo inurito. Et in l. 7. aph. 45. qui hepate suppurato vruntur, aut inciduntur &c. Et in l. de loc. in ho. nu. 33. cum retro in carnem iuxta vertebras fluxus illapsus hydropem fecerit: caro in collo inter venas crustis tribus vratur. &, vbi vsseris; cō stringatur, & cicatrices quamtenuissimæ inducantur. Et n. 36. cum splen præ febre magnus factus fuerit, nec medicamentis leuetur; inurendæ sunt crustę quamtenuissimę, et quammaximæ in superficie: quò aquam continere possis, circumcirca vmbilicum, et vna in vmbilicum, et emittere singulis diebus. Et in lib. de Affect. nume. 21. Aliquibus splen magnus suppuratur, & vsti sani fiunt. Et in lib. de Inter. Affectio. nume. 28. si aqua intercus à splene fiat, nec à medicamentis sanetur; fungis vrito, capita splenis intercipiens: aut ferramentis, cum multa cautela, ac obseruatione, ne vltra peruras. Et nume. 33. si ab his non melius habeat: splenem fungis vrito, decem crustis inustis, cum maximus fuerit splen, & eleuatus. Et nume. 35. hæc eadem repetit. sed nume. 36. In principio decem crustas in splenem inurito, & statim sanum facies. Et in lib. de Natu. mul. nume. 6. si vteri adglutinari fuerint: sæpe suppurantur, si non vsseris, aut secueris. Et in lib. 2. de morbo. mul. nume. 29. si vteri contingunt coxam: suppurantur, nisi quid feces, aut vras. Et in lib. de Affect. nume. 30. Incoxendicum morbo si in vnum aliquem locum incubuerit dolor, & constiterit, & medicamentis non fuerit exactus: vrito quocunque loco fuerit dolor. vrito autem lino crudo. Et in l. de Inter. Affect. nume. 57. vrito multis, ac profundis crustis in osseis partibus per fungos, in carnosis per ferramenta. Et in lib. de Arti. numero 11. & 12. brachio luxato quomodo fiat vstio, docet, & cum quibus ferramentis. Et in lib. 6. aphorism. 60. quibus à coxæ morbo longo vexatis coxa exilit, his crus eliquescit, & claudicat, nisi vsti fuerint. Et in lib. de Affect. nume. 32. si in digitis dolor podagricus relinquatur: venas paululum supra articuli in digito nodum inurito. vrito autem cum lino crudo. Et in lib. de Hæmor. nume. 2. quomodo vstio fiat in locis hæmor. exquisite docet. Tandem in lib. de aeris, aquis, & locis. nume. 47. Multos reperies Nomadas exustos numeros, ac brachia habentes, manumque iuncturas, pectora coxas, & lumbos ob humoris, & molliciei naturæ detractionem. cum autem vruntur: humor ipse a iuncturis exoluitur, fiuntque corpora ipsorum validiora, melius nutriuntur, et magis redduntur articulorum vsu potentia.

De Vuæ morbo.

Vua fit, cum pituita de capite ad gurgulionem descenderit, & gurgulio præceps dependet, ac fit rubicundus: temporis autem progressu nigrescit. nigrescit autem hoc modo. Gurgulio venosus est, ac crassus: & postquam inflammatus est: calescit: & præ caliditate sanguinem ex vena attrahit, ac ab ipso nigrescit: quapropter, si non turgentem feces: statim inflammatur: nam vena calefacit, & præ caliditate partes circa gurglionem sanguine replet, & breui suffocantur. Hæc scribit Hippoc. in lib. 2. de mor. pag. 65. num. 10. At in eodem l. num. 26. subdit. Si vua morbus in faucibus fiat; summa gurgulionis pars aqua impletur, & rotunda fit, ac pellucida, & spirationē intercipit. Et, si maxillæ ab vtraque parte inflammatæ fuerint; suffocatur. si verò ipse morbus per se consistat, maxillis non inflammatis; minus moritur. Cū sic habuerit; gurgulionem digito apprehensum sursum ad palatum apprimito, & summam ipsius partē præsecato. postea soliorum hortensium condimenta riorum decoctum gargarisandum dato, & farinam frigidam delingendam, aquamque insuper bibendam & ne lauet. In l. autem Prog. com. 3. par. 21. Gurgulio cum periculo secatur, & scarificatur, quoad rubidus, magnusque fuerit: inflammatio enim fatigat, & sanguinis fluor. Sed hunc oportet alijs medicamenti teniti extenuare per illud tempus. vbi verò secretum fuerit omne id, quod vuam appellant, sitq; pars gurgulionis summa maior, ac liuida, superior verò tenuior; tunc admoliri manus tutum est, sed prę stat, simul aluum subduxeris; vti chirurgia, si liceat per tē pus: ne æger stranguletur. In l. quidem de Denti. nu. 3. Vuam maiorem habere solent, quibus infantibus in sugendo tussis instat. Et ibidem circa vuam proserpentia vlcera in tonsillis his, qui seruantur, vocem alterant.

Vulnus.

Si à vulneribus, quæ ex hasta, aut pugione, aut iaculo facta fuerint. circa pectus, suppuratio contingat; quomodo ea fiat, lege in l. 1. de mor. n. 18. sed consideratio, ac curatio eadem est, quæ ex peripneumonia, ac pleuritide suppuratorum, vt comperies in li. 3. de mor. nu. 28. Verùm vulnera alia periculosa sunt, alia periculo vacani. Qui ex vulnere quouis impotentes fiunt corpore, febre quidem accedente citra rigorem; sanantur: non autem accedente, syderati fiūt dextra, aut sinistra parte, sic proditum est in lib. de Coac. præno. numero 3. Et ex vulnere conuulsio lethalis, vt habemus in lib. 4. aphorism. 2. Et in vulnere atræ bilis vomitus, lethalis, sicut in lib. de loc. in homi. num. 44. legitur. Et ex vulnere bilis vomitus accedens, malum; maxime in capitis vulneribus, quem admodum scriptum est in lib. de Coac. præno. numero tertio. Et vulnera sanguinem fundentia, exudantia, maligna sic affecti loquentes latenter moriuntur, vt in lib. 1. prædict. num. 18. at verò in libro de Coac. præno. nume. 3. vide, quænam vulnera lethalia potissimum sint, & quæ non. Et in lib. 2. prædict. num. 19. vulnera magis lethalia sunt, quæ in venas crassas in collo, ac inguinibus infligantur. Et nume. 20. vulnera in locis vilibus, sæpe molesta. Et in lib. 5. aphor. 66. si in vulneribus profundis, & prauis tumor non appareat; ingens malum. Et in lib. 6. aphoris. 4. Vulnera circunglabra, praua sunt. Et in libro secundo prædict. nume. 19. qua ratione ex vulneribus mors sequatur, manifestum fit. Curatio verò ea in genere est. legitur in lib. 2. de morb. popular. sect. 5. Vulnus si sanguinem fundat, vlcus ne madefacito: verum caput calida rigato.

gato. Sed,vt habetur in lib.2. prædict. num.20.quædam sunt vulnera, quorum curatio non est tentanda. Et in lib. de Cap. vulnerib. numer. 16. vulnerati de omnibus apparentibus interrogandi sunt. Et in lib. de Affect. nume. 37. vulnerati quomodo curandi. Et in lib. 6. de morb. popu. sect. 5. in mulieribus sanguis concurrit: opitulandum igitur, vt vacuum expleatur.

Vulpinæ carnes leporinis sunt humidiores,& vrinam cient.sic legitur in li.2.de Diæt. num.9.

FINIS.

Ad Lectorem.

Plurima reperies errata,quæ piè, candideque corrigito.

REGISTRVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn.

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z. A a.


Omnes sunt Terniones, præter ✠ & a quæ sunt Duerniones.




VINCENTIAE M D C X.

Apud Io. Petrum Joanninium, Typographum Episcopalem.







9
175

8.190